CHARITAS INITIALIS

AFFECTIVE SUPER OMNIA

SACRAMENTAL. ET VIRTUALIS:

SIVE DISQUISITIO

DE AMORE DEI

AD SACRAMENTUM POENITENTIAE,

ET AD OMNIUM VIRTUTUM, AC ACTIONUM HUMANARUM FINEM,

PERFECTIONEMQUE NECESSARIO:

E MENSTRUIS DECISIONIBUS V CLERI TRANSILVANIAE,

ALIISQUE VERITATIS INCORRUPTIS FONTIBUS

JUSSU

EXCELLENTISSIMI ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

IGNATII

E COMITIBUS A

BATTYHÁN

EPISCOPI TRANSILVAN.

PERPETUI IN NEMET UJVÁR, I COTTUS CASTRIFERREI PERPETUI

COMITIS, SSMAE CAES REG ET APOSTOLICAE MAJEST

STATUS, ET EXCELSI IN M TRANIAE PRINCIP

GUBERNII CONSILIARII ACTUALIS INTIMI

COLLECTA, ET EDITA

AB ANDREA SIGISMUNDO SZEREDAY

DE SZt HARONSAGH

CAP E C ALBENSIS TRANIAE LECTORE CANONICO.

ALBAE CAROLINAE,

TYPIS EPISCOPALIBUS 1792.

BIBLIOTECA ASTRA SIBIU

698

Da mihi unum aliquem, qui virtutis ſtudio ſeſe quotidianis jejuniis maceret: qui cubet in dura humo: qui corpuſculum flagris fatiget, atterat, ac prope ſe conficiat; qui in ſe parcus, in pauperes effuſus, et fere prodigus omnia bona ſua in eos effuderit. Non tantum merebitur, quantum qui unicam animam ad amorem Dei excitaverit. *S Chri-ſoſtomus Libr de vera Sapientia.*

Inv. 7

EXCELLENTISSIME, ILLUSTRISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE COMES PRAESUL!

Quod alii, *qui Dedicatorias Epiſtolas adornant, praeſtare conſueverunt, ut et Mecaenatum ſuorum encomia multis exornent, et rationes ſuſcepti operis ſollicite reddant; utroque hoc* me *labore liberum ſentio* Excellentiſſime Domine Comes Epiſcope! *Major enim eſt Excellentia Veſtra laudibus meis: Quam* laudant opera ſua *non* in portis *tantum noſtris, ſed et in vicinis regnis, ac provinciis. Imo quem ipſe ſummus in terris Chriſti Vicarius iterato jam propriis Litteris cohonestavit tam Paterne, tamque amanter Scriptis, ut quum eas et ante* aliquot annos alias, *et* recentiſſime datas *legendi mihi gratia contigiſſet, a dulcibus Lacrimis temperare nequiverim. Cum igitur Salvatoris monitu Lucae II v* 33 Nemo accendit lucernam, et in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant: *Patiatur modeſtia Excellentiae Veſtrae, ut* poſtremas ſaltem *ad tenerrimum* ſuorum *ſolatium communes reddere queam. Ita autem habent:*

Venerabili Fratri Ignatio Epiſcopo Transylvaniae

Albam Carolinam.

PIUS PP VI.

Venerabilis Frater ſalutem, et Apoſtolicam Benedictionem. Quae ineunte Martio a Te ad Nos datae fuerunt Litterae, eas ſuperioribus tan-

tum diebus accepimus; ac gratiores effecit, quod humaniſſime acceſſit primum Legum Eccleſiaſticarum Hungariae Volumen publici a Te juris factum. Quantum in opere conficiendo laboratum ſit, ipſa voluminis moles latere non ſinit. Nos majorem Tibi gratulamur in modum, quod ita ad ſcribendum opus animum applicueris Tuum, ut nihil ea de cauſa detraxeris Epiſcopalibus curis; quibus egregie defungeris: imo quae raptim in volumine percurrendo jam attigimus, ea non ambiguis indigitant argumentis, omni ingenio, ſtudioque Te niti, ut hoc ipſum opus plurimum conferat ad ſartum tectumque habendum in patria tua Religionis amorem, ac decus Eccleſiaſticae diſciplinae. Quod quum etiam in poſterum perficias, uti certam tenemus fiduciam, et *praeclariſſimum in Te poſitum noverit Sacerdotalis Ordo Virtutis exemplum, et commendatiores erunt ſerae poſteritati nominis Tui Laudes; ac completiſſima evadet animi noſtri delectatio*, qua juſſimus Vaticanam Bibliothecam Tuis patere ſtudiis: quod enim ad Litterarum profectum nulli denegare optamus, id impenſius indulgendum ſemper ſtatuimus viris de Eccleſiaſtica dignitate, de Sacris diſciplinis, deque Apoſtolica Sede optime meritis. Si quando occaſio tulerit, ut Aurelianum de Angelis Procuratorem in Urbe Tuum juvare poſſimus, perjucundum nobis erit, ut ipſe ſentiat, quanti apud nos tua fuerit commendatio. Interim Fraterno Te amore complectimur, enixamque noſtram comprobamus voluntatem munere Apoſtolicae Benedictionis, quam Tibi Venerabilis Frater, gregique Tuo peramanter impertimur. *Datum Romae apud S Mariam Majorem IV Kalendas Novembres* MDCCLXXXVIII *Pontificatus Noſtri Anno Decimoquarto.*

Caliſtus Marinius a Latinis
Epiſtolis Sanctiſſimi.

Audiat Dioeceſis Univerſa! et oraculo Vaticano Sacerdotalis ordo praeclariſſimum *in Excellentia Veſtra* poſitum noverit virtutis exemplum! *Breviſſimis, ſed ponderoſiſſimis his verbis* majorem, juſtioremque *panegirim Excellentiae Veſtrae ſcribere nemo mortalium valet. Quibus proinde ipſe vel jotta addere nefas duco.*

Quod porro laboris mei rationes attinet, quid quid de me dici, fingique poteſt: quod et Saul inter Prophetas, *et* Librorum ſcribendorum non ſit finis, *verbo diluo*: juſſus feci. *Ita nempe Excellentia Veſtra aſſiduo ſtudio, et labore penum Eccleſiaſticam locupletare ſatagit, ut* ſuos *omnes eadem induſtria occupatos, diſtentoſque eſſe percupiat. Atque ideo primum quidem ſaluberrimum* Dogmatico- Moralium quaeſtionum menſtruatim decidendarum inſtitutum *maximorum Praeſulum exemplo in univerſam Doeceſim ſuam introduxit: mox vero voluit, ut ad decorem, ac laudem Cleri ſui ſempiternam e dictis reſolutionibus liber concinnaretur praxi curae animarum non inutilis.*

Quis non toto conatu ſecundaret tam ſanctas deſignationes? itaque ſelectu materiarum mihi permiſſo *quum ab adoleſcentia mea Eccleſiaſtica coram Deo exiſtimarem, deplorandae hodiernae morum corruptelae* inter *praecipuas cauſsas eſse* Attritionem Servilem, *et* probabiliſſimum, *atque univerſim neglectum frequentis, ac ſenſu SS Patrum* virtualiter continuae in Deum Charitatis; *per quam anima fidelis ſibi, mundo, carni, et ſangvini* mortua vitam *vivere debet Apoſtoli monitu ad Colos* 3 v 3 abſconditam cum Chriſto in Deo; *idcirco in quaeſtionibus V Clero proponendis* Non veni in ſublimitate ſermonis, *nec* judicavi me ſcire aliquid, niſi Jeſum Chriſtum, et hunc Crucifixum *I ad Cor* 2 v *I et* 2, *ejuſque tenerrimam Charitatem* Sacramentalem, et virtualem *commendare: dictas vero ſolidae devotionis peſtes modis omnibus exagitare.*

Res ut mihi quidem videtur, evenit ex ſententia: Complures enim (quod cum honoris, laudiſque debitae ſinceriſſima teſtificatione fateor) a Clero Dioeceſano accepimus deciſiones et plane eruditas, ex ſcopo meo cumprimis deſervientes. Quas, additis neceſſariis ex caſtigatiſſimorum Theologorum penu mutuatis, in hunc ordinem redegi ideo, ut liber hic et ſaluberrimi inſtituti *Excellentiae Veſtrae: et meae in* Eandem *quidem ſummae* venerationis, *in venerabilem vero* Clerum obſervantiae *ſingularis*, hujus *item* eruditionis, *ac* diligentiae *perpetuum eſset monumentum. Potiſſimum vero Ut ex univerſa, qua late patet, ampliſſi-*

ma

ma Dioeceſi attritionis formidoloſae: *ac* probabiliſimi praxi *exterminata Charitas* Sacramentalis, *et* virtualis *implantetur, atque Divini amoris igne corda omnium noſtrum inflammentur. Ad quod ſane conſequendum non aliud hic, praeter animum veritatis ſtudioſum, aſſiduumque eorum, quae dicuntur, exercitium deſiderari videtur.*

Imo vero opere iſto non magno reformatum iri ſpero, quid quid in Ethica Chriſtiana molle, Laxum, libertati *contra* Legem *favens hodie adhuc male cubat. Nam cum Charitas* Sacramentalis, *et* Virtualis *germana ſit* Theologia Sanctorum, *et* radix, fundamentum, *ac* finis *extrinſecus omnium virtutum, ac Scientiarum, ut videbimus, duplici hoc principio rite ſtabilito corruet ſuapte, quidquid charitatis expers media aetas invexit Laxitatis: Antiqua vero facies moralis doctrinae Chriſtianae, quae ſaeculis prope ſedecim a Chriſto Nato in Eccleſia obtinebat,* in ſolida Jeſu Chriſti Charitate fundata, et radicata *immenſo animarum lucro refloreſcet.*

Repoſita eſt haec ſpes mea *feliciſſimo Excellentiae Veſtrae regimini! cujus ardentiſſima in Deum pietas, zeluſque plane Apoſtolicus in flammas, atque incendia aget has, quas ego ſparſi* ſcintillas charitatis. *Quem idcirco librum meum, ac me ipſum totum praepotenti Exllentiae Veſtrae patrocinio dico, ac conſecro*

Excellentiae Veſtrae

infimus Capellanus

ANDREAS SIGIS. SZEREDAY

m. p.

AD V Cle-

Ad V Clerum Dioeceſanum.

En Vobis, Paſtores. et Curatores aarum Venerandi! en, inquam fructum laborum veſtrorum, *deciſionum menſtruarum!* offero vobis tenerrima cum *charitate* librum *charitatis*: de quo cum Apoſtolo dicere poſſum: *ego plantavi* dubia mea proponendo: *vos rigaſtis* ea decidendo: *Deus autem incrementum dedit*, vires, ac media, ut ad majus *charitatis* ſuae *incrementum* ex incorruptis veritatis fontibus illuſtratus in publicum prodiret. In quo proinde alii laborem tuum, alii ejusdem deciſionem legent: omnes tamen memores ſint: *Verbum Dei non eſſe alligatum.*

Sed quae utilitas noviſſimae ſcriptionis? *multum per omnem modum.* Primum ut juſſu Maximi Praeſulis monumentum ſempiternum exſtaret indoſtriae veſtrae: *deciſionum* dico *menſtruarum.* Dein ut praeſentis aevi in dies creſcenti morum corruptelae duplex, utrumque efficaciſſimum antidotum opponeretur, *charitatis* nempe *Sacramentalis*, et *virtualis.* Quibus ſolis populus Chriſtianus, extirpatis cunctis vitiis, *Sanctus* reddi poteſt, et *perfectus. Illa* enim *veram, ſtabilemque* praeſtat *juſtificationem*: *haec* ſingulas *virtutes* inferiores, omnesque *actiones* humanas *perfectas* reddit, vitaeque aeternae *meritorias.* Ideo *non judicavi mihi* aliud diſcendum, proponendumque eſſe, niſi *duntaxat* hanc *charitatem*; quia *refrigeſcente* hodie multorum *charitate* ſumme neceſſariam: atque ut Dilectus Domini Diſcipulus digne ſe reſpondit: *Quia praeceptum Dni eſt: et ſi ſolum fiat, ſufficit.* Praeclarum ſane induſtriae noſtrae argumentum! digniſſimumque, in quo orbis terrarum pie eruditi conjunctis nobiſcum ſtudiis atque elaborent! Duplici namque hoc principio, *charitate Sacramentali*, et *virtuali* una reduceremus *Theologiam Sanctorum* ad illum pedem, in quo erat ante, quam a *luxuriantibus* mediae aetatis *ingeniis* ut Alexander VII queritur, poſt Tridnum deſaedaretur.

Sancti hujus conatus ſpecimen ego quoddam dare praeſenti opella fatagebam, a majoribus ingeniis, aut Lectione SS Patrum, eorumque Diſcipulorum, ſanae ethices Auctorum (quos alioquin laudo) deſiderato fine terminandum. Scilicet a Scholaſtica in verba Magiſtri jurandi obligatione liberatus caepi mox meliores libros nactus de *probabiliſſimo*, *ſerviliſſimo*, aliiſque mediae aetatis laxitatibus, quibus *a puero eram immerſus*, *vehementer* dubitare: diligentiuſque in veritatem inquirendo ſancte demum perſvaſus ſum, charitatem *Sacramentalem*, et *virtualem* germanam eſſe ſcripturae, SS Patrum, eorumque diſcipulorum antiquorum Theologorum doctrinam: ſed a modo dictis laxitatibus tenebris Scholaſticis involutam, atque ad Caſtra Baji, Janſenii, et damnati Rigoriſmi amandatam. quas tenebras *antiquae veritati* detrahere, *hancque* in praeclara luce collocare propter *nonnullos* (nam major pars noſtrum *videt jam lucem hanc magnam*) qui melioribus libris deſtituuntur, perdiu jam deſiderabam: et nunc de oblata mihi optima occaſione explendi antiqui voti mei plurimum gaudeo: aeternum, et in coelo gavisurus, ſi et paucis illis, qui adhuc *in* mediae aetatis *tenebris ſident*, ſim perſvaſurus.

Quod ut reipſa conſequar, primum *initialis* charitatis per ſe non juſtificantis ad Sacrm poenitentiae neceſſitatem ex Sacris fontibus, potiſſimum Patribus *ante*, *ſub*, et *poſt* Tridentinis demonſtrabo: mentem *Tridentini* exponam ad lumen traditionis: Unde manifeſtum erit, attritioniſtas toto oſtio a veritate aberrare, dum in *illo* praeſidia opinionis ſuae fruſtra quaerunt. Veram notitionem Bajaniſmi, et Janſeniimi dabo: quam inepte arguantur initialiſtae horum errorum, conprobabo: honeſtatem timoris ſervilis, naturam item initialis, et perfectae charitatis ad mentem SS PP explicabo: ex quibus pateſcet, *Primos* Attritioniſtas omnia confudiſſe, totamque antiquitatem deleruiſſe timori ſervili *proximam diſpoſitionem in Sacrmto*; charitati vero *initiali* juſtificationem *extraſacramentalem* tribuendo. Serviliſmum poſt Tridm natum, nunquam, etiam quum ſumme floruit, terminos probabilitatis *extrinſecae* ſuperaſſe, exhibebo. Charitatem initialem *radicem*, *finem*, et *formam extrinſecam* (non *intrinſecam* ut Bajaniſtis placuit) conſtabiliam, et ad omnes inferiores virtutes, quin actiones humanas extendam: Eaque ratione in charitate *Sacramentali*, et *virtuali* (quae bina ſunt totius operis argumenta, ſed ad quae tota fere morum ſcientia reducitur) arborem plantabo firmiter *radicatam*, et frondibus, fructibusque omnium operum noſtrorum adeo divitem, et elegantem, ut digniſſima ſit, quae *in medio Paradiſi*, nunc quidem militantis, olim vero trimphantis Eccleſiae *ſtruatur.*

Quis hoc ſcribendi genere pulchrius, utiliuſque vel cogitare queat? Diſputavimus, amantiſſimi! Sillogizavimus, rixati ſumus olim Juvenes latis: jam ſenes diſcamus *Theologiam Sanctorum*, eorumque diſcipulorum, veterum Theologorum, *charitatem*, *eaque paremus Dno plebem perfectam. Haec eſt vocatio* noſtra, propria, et proximorum *ſanctificatio* per charitatem finem omnium virtutum, culmen perfectionis omnibus Chriſtianis praeceptae illis verbis: *eſtote perfecti*, *ſicut Pater veſter coeleſtis perfectus eſt.*

Quid multis? vel his ipſis principiis imbutos nanſciſcar Lectores? vel contrariis? illi cum voluptate relegent ea *ſtilo hic Patrum diſſertativo*, quae olim *ſcholaſtico* didicerunt. Hos certo convertendos ſpero ad corda SS Patrum: aut ſi forte non convincerentur aliqui, animadver-

advertent saltem, castra servilia non esse inexpugnabilia, ideoque in dubio (quod hic grande admodum, urgeas, pungensque esse videbunt) in veritates has altius inquirendi ex fontibus a me indigitatis, citatis dico praeclarissimis auctoribus, gravissimam sibi incumbere obligationem agnoscere cogentur.

Denique quibuscunque principiis inbuti sint, omnes animarum Curatores quaerunt, et saepe sollicite materias Christiano populo in lege Dei, et Ecclesiae utiliter, ac fructuose eruditendo accomodas, Habent hic veram notionem virtutum, principia vitae Christianae ad leges Evangelii instituendae: habent conceptus ex illis praedicabiles, eoque selectis Sacrorum fontium monumentis illustratos, ut adeo ad utilissimas Conciones parandas nihil hic praeter aliquot numerorum lectionem, meditationemque deesse videatur. Quo nomine tanto impensius commendo opusculum, quod exemplo SS PP, ut videbimus, una sit Theologia nostra *Dogmatica*, *ascetica*, *practica*, *concionatoria*. Nec, desiderabunt hic multa Sacri Oratores necessario dicenda. Etsi enim charitas *sacramentalis*, et *virtualis* quid particulare esse videatur, extendit tamen se se ad omnes virtutes, actionesque humanas ut *radix*, *forma*, et *perfectio* EXTRINSECA earum. Ideo et ipse vel copiose edisserui, vel attigi saltem cum fundamento pleraque homini Christiano *agenda*, et *vitanda*. Ut his caute evitatis, illis ad charitatem relatis tota vita nostra charitas Dei sit urgente Apostolo: *omnia vestra in charitate fiant. Omnia in gloriam Dei facite.*

Verbo: *Ignem veni mittere in terras, et quid volo, nisi ut accendatur!* atque utinam scintillis his Divini amoris, quas ego excutio, aspiret Zephirus caelestium gratiarum, accedatque primum probatio industriae: aestimationi operis facile succedet aviditas legendi, docilitas, pia cognoscendae veritatis voluntas, rerum lectarum meditatio: hinc persvasio: Hisque gradibus accendentur corda omnium nostrum Divinae charitatis ardoribus.

Hoc unice fine Divinae charitatis augendae rem ipsam magno animo aggredior: nec dum Ecclesiae iudicio (cujus *depositum* esse veritates a me proponendas Sancte Credo) sed *quorumlibet* correctioni me promptissime subjiciens: modo hi non sint servilistae, aut probabilistae. Hos enim ad *agnitionem veritatum aeternarum* his scriptis magna cum charitate voco: easque ab illis certo cognoscendas spero, si illo amore veritatis legerint, quo ego scripsi. Nam qui etiam *post tantam lucem* disputationes interminabiles fovent, eis *nec ave dixerimus*. Interim iis inclamo cum Augustino L de mendacio ad Consent c 2: *Quisquis legis, nihil reprehendas, nisi cum totum perlegeris: atque ita me non reprehendes.* Omnibus vero Lectoribus ex ejusdem L 1 de Trinit. c 2: *non omnia, quae scribuntur, in omnium manus veniunt: et fieri potest, ut non nulli, qui haec nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros: et in istos saltem incidant. Et ideo utile est plures a pluribus fieri diverso stilo, non diversa fide etiam de quaestionibus iisdem: ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic: ad alios autem sic.*

CHARITAS SACRAMENTALIS,

Sive

De dolore Initiali charitate animato ad Sacramenta mortuorum neceſſario, et ſufficiente

DISQUISITIO THEOLOGICO-PRACTICA.

Introductio, Scopus, partitio Operis,

media inveniendae veritatis.

I.

INter Compiura EXCELLENTISSIMI DOMINI COMITIS MAGNI PRINCIPATUS TRANSYLVANIAE EPISCOPI: (cujus Illuſtre Nomen operis hujus fronti ſcuti loco preaefiximus:) in bonum Dioeceſis ſuae edita ſtatuta, illud longe ſaluberrimum, excolendoque V. Clero ſuo Dioeceſano utiliſſimum merito cenſetur, quo per menſtruas deciſiones quaeſtionum Scripturiſtico-Canonico-Dogmatico-Moralium Venerabilis Conſiſtorii Nomine, et auctoritate proponi ſolitarum NEOPHITUS ſic dictus per omnes ſucceſſive materias non populo tantum fideli, ſed et animarum Curatoribus neceſſarias in Scientia Sanctorum maximo in dies doctrinae incremento eruditur.

Saluberrimum inſtitutum deciſionum menſtruarum V. Cleri Dioeceſani.

II. Hic igitur *Neophitus* quum nuper ad magnum Poenitentiae Sacramentum ſe ſe magnis animis pararet, ideoque a Colendiſſimis ſuis Inſtructoribus, utroque videlicet Clero animarum curae praefecto quaeſiviſſet de *ſufficientia*, et *ſecuritate practica* in Sacramento Poenitentiae *attritionis pure ſervilis*, ſive doloris ex *metu gehennae*, *contrariaque Coeli amiſſione*, aut *poenarum*, vel *turpitudinis peccati conſideratione unice orti*, in ſe quidem *ſupernaturali*, (a) ſed nulla vel *initiali*, aut *inchoata benevola Dei Charitate animati:* inſinuaſſet vero modeſte, ſibi multum placere ſententiam illam, quae inter *puram attritionem formidoloſam*, et *perfectam charitate Contritionem* ſtatuit *medium*: *Charitatem* nempe *Dei initialem*, et *imperfectam*, ſive *benevolentiae*, (b) non *amicitiae* dictam ad Sacramentum Poenitentiae, et Baptiſmi adultorum neceſſariam: dum inquam ſententiam hanc poſteriorem de more explanari ſibi oraſſet *Neophitus*, a multis quidem (quod cum gratitudine, et aeſtimatione condigna re-

Quarum occaſione

quaeritur de ſecuritate practica attritionis ſervilis in Sacm. poenit.

A cogno-

(a) Eorum enim, qui naturalem dolorem ſufficientem in Sacramento exiſtimabant, opinio proſcripta eſt ab Innocentio XI. 1679. propoſitione N. 57. *Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.*

Doloris naturalis ſufficientia damnata.

(b) Nomine *Benevolentiae* intelligo affectum *verae charitatis*, ſed *inchoatum*, et non dum *plena*, *mutuaque amicitia* UTRIMQUE *perfectum*. Itaque benevolentia eſt *via*, et *medium* ad *ineundam in futuro amicitiam*. Quod exemplo inter mortales ſibi *benevolos*, ſed non dum *amicos* illuſtrari poteſt. Ut enim in humanis quotidie experimur, ita in poenitente, etiam Sacramentali, admittendam eſſe *initialem* quandam charitatem, ad *perfectam*, et *habitualem praeparatoriam*, et *diſpoſitoriam* ſuis locis docebimus.

Notio amoris benevoli.

cognoſcit:) pias plane, moderniſque Theologiae principiis conſentaneas accepit reſolutiones. A nonnullis vero rejectus eſt, contendentibus: ſententiam *attritionis pure ſervilis eo* ipſo, quod ab Eccleſia toleretur, *moraliter certam*, atque in *praxi ſatis tutam* eſſe; quin et commonitus fuit, ut a *ſimilibus Rigoriſtarum ſententiis cavere ſibi velit, ne ubi nullum praeceptum exiſtit, ibi in laqueum inducatur.* (a).

III. Sane nihil minus, quam haec expectabamus hodie in tanta Luce ſcientiarum, et poſt praeclariſſima opera in hac materia a Viris doctiſſimis, quos nobis evolvere licuit, et quos ſuis locis cum honore nominabimus, omni adverſum *attritionem pure formidoloſam* argumentorum genere exornata. Accedit periculum grande nimis, ne quis forte eam ſententiam *in praxim* deducat. Quemadmodum enim ſi in Baptiſmo *aqua vera* non ſit, *alio liquore*, optima licet fide adhibito nullum conficeretur Sacramentum *Baptiſmi*, ita ſi Auctor Sacramentorum Chriſtus *attritionem pure formidoloſam* omni charitate etiam inchoata vacuam ad eſſe materiae ſacramenti *poenitentiae* non elevavit, ut plurimi hodie *ſummis ex momentis* contendunt, eorum opinione, illarumque rationum vi irritum eſſet poenitentiae Sacramentum cum tali *attritione mere ſervili*, mereque *formidoloſa* ſuſceptum: imo vero cum hac in re ignorantiam invincibilem dari maximus neget Auguſtinus: (ut ſuo loco videbimus. confer interim hic n. XII.) ideo nullo ſuffragante opinionis probabilis artificio, (quod in praxi ſacramentaria locum non habere ſuo itidem loco docebimus:) injuria ſacrilega afficeretur Auctor ſacramenti, et peccata cum tali *attritione mere formidoloſa* clavibus Eccleſiae ſubjecta non remitterentur, non delerentur, quin novo ſcelere augerentur.

Periculum grande opinionis affirmantis.

IV. Hujus igitur periculi magnitudine excitati, ac Sacramenti poenitentiae reverentia, ſalutisque animarum juſto zelo animati partim ex iis, quae ex probatiſſimis auctoribus collegimus, partim quae ex eruditis V. Cleri Dioeceſani deciſionibus decerpſimus, noſtraque fecimus,

Indenata diſſertationis hujus CAUSSA. *Fontes.*

(a) Nominanter monitus eſt Novellus, ut a Lectione *Danielis Concinae caveat.* Equidem ſi de Auctoribus agitur, Complures, iique praeſtantiſſimi adſunt, quin ſingulis annis novi, aliique aliis meliores prodeunt. Et ſi caeteri deeſſent, in pretioſiſſima, ornatiſſimaque Bibliotheca Excellentiſſimi Dom. Comitis Episcopi licet nobis aſſidue deliciari. Sed et *Concinam* recentiſſimi quique auctores, ut *Joannes Vincentius Patuzzi in ſua Ethica Chriſtiana: Corbinianus Lujdl in Theologia Chriſtiana, et Evangelica*, ejusque continuator *Bonifacius Schneidenbach.* Cl. *Antonius Lubi in Theologia morali in ſiſtema redacta*, aliique paſſim cum honore citant. Et merito: Hic vir namque eſt, qui *attritionem ſervilem*, et *probabilismum*, aliasque laxitates ſuperioris aevi plurimum labefactavit, et quaſi claſſicum cecinit, ut poſteriores ſubinde penitus Convellerent. Id quod hodie a viris maximis perfectum eſt feliciter. Si ille acriori ſtilo uſus eſt, fecit propterea, ut Lectores laxarum opinionum periculum animadverterent. Si in non nullis ad rigidiorem declinavit partem, facile corrigi poterit ab eruditis Lectoribus. At eum *cavendum Rigoriſtam* proclamare, eſt laxitates medii aevi mordicus defendere velle. Plura videre licet pro Concina apud P. Schneidenbach *de probabilismo.* Perme tamen non legat Neophitus Concinam, *rationes* tamen ejus leget in omnibus, qui poſt eum ſcripſerunt. Nec ipſe urgebo ejus auctoritatem: nam exceptis rebus hiſtoricis veritates proponendas *Scripturae*, *Patrum*, *rationumque* momentis potiſſimum metiar: paribus armis, ſi cui dicenda non probabuntur, convelli ea deſiderans, *non Scriptorum*, potiſſimum eorum, qui *intra poſtrema duo ſaecula regnum in ſcholis tenuerunt*, multitudine, atque auctoritate. Imo vero quicunque haec legere voluerit, primum obteſtor, ut *anticipatas*, *animoque alte infixas opiniones*, quae ſunt: *praejudicia ſcholae*, *authoritas magiſtrorum*, *defectus ſeriae voluntatis in veritatem inquirendi*, *affectiones animi contra certas ſententias, certosque Auctores*, *praedominantes*, velut praecipuos *errorum fontes* deponant, atque ut praeclare monet Cicero de nat. Deor. L. 1. C. 5. *Non tam Auctores in disputando, quam rationis* (addo ſcripturae, et Patrum) *momenta* quaerant. Aureae tamen antiquitatis teſtes, veteres Doctores, *SS. Patrum* diſcipulos *poſt Hos* ſingulari veneratione proſequamur oportet; memores, *antiquam fidem*, *antiquam morum doctrinam* apud *Antiquos* quaerendam eſſe: apud *Iuniores* tunc ſolum, ſi cum *illis* conveniant. Ita praeſcribit conventus Cleri Gallicani 1770. in haec verba: *In rebus Theologicis ad fidei, et morum dogmata ſpectantibus Theologos quidem etiam modernos audiamus, Si tamen conſonas* S. PATRIBUS *tradant ſententias. Si* AB IIS *recedant, harum opinionum inhibeatur curſus, ne dum Eorum ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas.* Deinde *nemini liceat eam ſententiam ſequi, quam non veritati magis conſentaneam duxerit.* recole hic a n. VI. dicenda.

P. Daniel Concina paſſim a recentioribus Laudatur.

Scholaſticorum quanta eſſe debeat auctoritas?

mus, pertenue hoc, quod libenter confitemur, aliquale tamen disquisitionis ſpecimen edere ſtatuimus interea ſaltem ſerviturum, dum ſive in hac Dioeceſi alii meliora in hoc argumento dent, ſive praeſtantiſſimi exteri Auctores ad potiorem partem V. Cleri hujus perveniant. Modeſtiſſimo id quidem calamo: memores nempe Decreti Alexandri VII. 1667. 5. Maii editi, *Ne alterutra ſententia ulla cenſura afficiatur, donec a S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* (a) Ea ſolum intentione, ut eluceſcat: neque ſententiam aſſerentem *ſufficientiam attritionis pure formidoloſae* in Sacramento poenitentiae *moraliter certam*, et *in praxi tutam eſſe*: neque contrariam, quae atritioni comuniter ex metu gehennae, et paenarum ortae (Trident. ſeſs. 14. c. 4:) ad ſacramenti valorem non *perfectam* quidem, ſed *Initialem, et benevolam aliquam Dei charitatem neceſſario ſuperaddi requirit, rigidam, atque in Laqueum inducentem habendam*: quin *hanc unice in praxi ſequendam eſſe*. Quod ut clare, ordinateque exequamur, *attritionem formidoloſam* in quatuor aetates diſtribuemus, examinando, et inveſtigando *moralem ejus certitudinem* 1mo ante Concilium Tridentinum. 2o In Tridentino. 3tio A finito Tridentino uſque ad Alexandri VII. Decretum a. 1667. editum. 4to Ab hoc Decreto uſque ad hanc noſtram aetatem. Docebimus itaque 1mo Opinionis formidoloſae in Sacramento poenitentiae ſufficientiam *toti antiquitati ante Tridentinae* fuiſſe ignotam. 2o eam opinionem *in Tridentino* non eſſe deciſam, neque ei Concilium hoc ullo pacto favere. 3tio *natales* ejus poſt Tridentinum producemus, demonſtrando, eam neque ante decretum Alexandri VII. dum ſummum in ſcholis imperium tenuit, fuiſſe *moraliter certam*. 4to ex hibebimus *clades ejus maximas*, quas a decreto Alexandrino uſque ad noſtra tempora opinio formidoloſa partim *in ſe*, partim *in ſorore ſua opinione probabili* paſſa eſt adeo, ut *hodie* utraque opinio, quum *attritionis ſervilis*, tum *probabiliſmi* ultima fata ſua attigiſſe videatur. Quae quidem aſſerta noſtra ſi veritatis ſtudioſis, quorum unice cauſſa laboramus, argumentis Theologicis nulla coram Deo veroſimilitudine declinari aptis comprobaverimus, illud induſtriae noſtrae praemium jure optimo poſtulamus, ut in Dacia noſtra non amplius audiatur *attritionis formidoloſae* in Sacramentis mortuorum tanta hactenus cum fiducia jactata *ſufficientia*: Sed qui omnia opera noſtra *ex virtuali ſaltem charitate* facere tenemur, poenitentiam potiſſimum noſtram *vera*, ſi *non perfecta*, ut *ex conſilio* optaremus, *actuali ſaltem initiali charitate* animemus: quod *omnibus praeceptum eſſe*, demonſtrare evidenter ſatagemus. Atque ideo opus hoc CHARITATEM SACRAMENTALEM inſcripſimus. Nequaquam haec quidem *magiſteriali* auctoritate, (niſi *in Neophitum noſtrum*) ſed quod *unicuique mandavit Deus*, *de* manifeſta *veritate* ex puriſſimis Theologiae fontibus ſincere *monendi* candida *charitate*.

Stilus.

Scopus.

Partitio. nempe attritionis formidoloſae opinio non fuit moraliter certa

1. ante Tridentinum.

2. in Tridentino.

3. Anatali ſuo donec ſummae floruit.

4. non hodie: imo ultimas jam clades paſſa eſt.

Finis totalis induſtriae noſtrae CHARITAS DEI.

V. Cum itaque Eo, qui *ſcrutatur corda*, *et renes*, teſte rem hanc non propter homines, verum unice propter Deum, Ejuſque tenerrimum amorem cordibus noſtris implantandum coeperimus, ideo in anteceſſum obteſtamur Lectores noſtros, ne non profuturis criſibus ſe ſe fatigent; eas enim nos jam in anteceſſum et praevidimus, et magno animo contempſimus. Neque enim cum iis nobis ſermo eſt, qui *interminabilibus* rixis VERITATES aeternas involvere nati ſunt, ſed cum iis duntaxat, qui *has* ſeria, Sinceraque voluntate in-

Praeoccupatio criſium.

(a) Nihil igitur hac in re uſque ad tempora Alexandri VII. fuerat definitum. Igitur fruſtranea eſt praetenſio Attritioniſtarum, *opinionem ſuam in Tridentino definitam eſſe* aſſerentium. Poſt Alexandri vero VII. tempora ab Innocentio XI. non *aliquid* ſolum, ſed *grande quid* definitum eſſe, videbimus. Ex quo tamen nos *argumentum duntaxat Theologicum evidens, invictumque* contra attritionis ſervilis *praxim* colligemus. Coeterum opinionem aliquam *improbabilem*, falſamque dicere, cenſuram non eſſe agnoſcunt Attritioniſtae; qui dum ſententiam ſuam *moraliter* certam vocant, eo ipſo noſtram *improbabilem* habent. Patiantur igitur legem, quam facto ſuo tulerunt. in ſe retorqueri, ſi aſſertorum noſtrorum omnem veritatis ſtudioſum convincentes attulerimus rationes.

Ad quos tendant haec Scripta?

quirunt. Nec liber hic tendit ad ſplendide refertas bibliothecas, ſed ad tenues duntaxat animarum Curatores, ut ex illo *pauperes evangelizentur.* Math. 11. v. 5. Fatemur hoc in genere plures *elegantiſſimos Libros exſtare*; quibus qui dives eſt, haec noſtra tuto negligere poteſt. Iis enim ſolis Laboramus, qui *attritionis*, et *probabiliſmi* principiis imbuti librorum meliorum defectu veritates contrarias jam plena luce ſplendentes nondum vident. Fatemur 2o res has *paucioribus proponi potuiſſe*, ſi *obſcurius*. Uſque adeo enim diffuderunt radices ſuas, ſtolonesque jam a duobus ſaeculis florentes duae arbores, *attritioniſmus*, et *probabilismus*, ut ne in praeſentiarum quidem videamur omnia earum germina vel attigiſſe. Ut ut complura reſecaverimus. Quid? quod opiniones hae dudum inolitae loliorum inſtar mox leviſſimis ſophismatibus renaſcantur, niſi radicitus evellantur, noviſque multiplici ex capite argumentis penitus diſſipentur. Si quis 3tio queratur, in hac diſſertationis (*a*) congerie nullam eſſe politam hujus aevi eruditionem, non repugnamus; veritatem enim proponimus, quae *nuda*, et *aperta* eſt, nec indiget floſculis, ac laciniis humanae eruditionis, aut

cur non breviores ſimus?

Veritatem nude proponimus.

(*a*) Stilus oratorius, et diſſertativus, quem ſequimur, SS. Patrum eſt; de quo ita Auguſtinus Lib. 4. Doctr. Chriſt. C. 4. *Si docendi ſunt, qui audiunt, narratione faciendum eſt. Ut autem quae dubia ſunt, certa fiant, documentis adhibitis, ratiocinandum eſt. Si vero qui audiunt, movendi potius ſunt, quam docendi, ut in eo, quod jam ſciunt, agendo non torpeant, et rebus, quas veras eſſe fatentur, Aſſenſum accomodent, majoribus dicendi viribus opus eſt; ubi obſecrationes* (vitiorum, non perſonarum a nobis) *concitationes, coërcitiones, et quaecunque alia valent ad commovendos animos, ſunt neceſſaria.* Et Angelicus 2. 2. q. 38. a. 1. de contentione diſſerens: *ſi contentio*, inquit, *dicatur impugnatio falſitatis cum debito modo acrimoniae, ſic contentio eſt laudabilis.* Hic mos docendi erat Prophetarum. Ita jubet Deus Iſai. 48. *clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Increata Sapientia infinita cum manſvetudine amplexus eſt poenitentes: at in Phariſeos, Pſeudoque Prophetas tremendas intorſit invectivas. SS. Patrum eadem eſt Theologia ſpeculativa, Dogmatica, Polemica, aſcetica, concionatoria, catechetica: eodem ubique ſtilo, modo, et ratione docebant, *arguebant, obſecrabant in omni patientia, et Doctrina.* Quos pro modulo noſtro imitaturi ſpinas formalium argumentationum Scholaſticarum ſibi perpetuo ſuccedentes velut extra pulveres ſcholaſticos conſtitutis taedioſas in *liberam dicendi rationem* commutavimus, ita tamen, ut *in hac* vim demoſtrationum includeremus: quae ad conciones, et catecheſes per animarum Curatores libris neceſſariis deſtitutos facile aptari poterunt.

Modus diſſertativus quid praeſtare debeat?

SS. PP. familiaris.

Quod porro ad argumentorum congeriem attinet, ultro fateor, me ex Auctoribus *initialis charitatis* in Sacramento *Defenſoribus* multa congeſſiſſe *nova*, et *vetera*; utpalam facerem, in materia, quam trado, *Antiquos* cum *Junioribus* amoris Divini ſtudioſis contra Serviliſtas mire conſentire. Quod dum feci, jure meo uſus ſum. Teſte enim Auguſtino: *Veritas comunis omnibus eſt*, atque ut ajunt: *primi occupantis.* Veri enim Sapientes ſcripſerunt *omnibus inquirentibus veritatem*: et quiſque eorum omnibus inclamat amanter illud Iſai. 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas! venite, emite abſque argento, et abſque ulla comutatione. Comedite bonum, et delectabitur anima veſtra.* Quare illud uſurpare poſſe mihi videor, quod de ſuis commentariis in *Cantica Canticorum* Theodoretus praefatus eſt dicens: *Hoc a Lectoribus poſtulamus, ne furti nos inſimulent, ſi quid ab aliis auctoribus dictum eſt, in his commentariis offenderint. Hoc non furtum apellari debet, ſed* PATERNA HAEREDITAS. *Quamquam ad illa, quae ab aliis accepimus, adjunximus, quae noſtra ſunt:* nempe *quod latius a quibusdam explicatum eſt, nos contraximus: quod autem diligentiam requirebat, dilatavimus.* En omnia, quae induſtria noſtra in his praeſtitit! et quis ab aliquo requirat, ut *Divinitus revelatam*, et *permanus traditione acceptam veritatem* e proprio cerebro venditet? tentarunt hoc Attritioniſtae, et Probabiliſtae. ut fatetur P. Reginaldus apud Patuzium Lib. prodr. C. 7. *quae circa fidem emergunt, difficultates a veteribus hauriendae. Doctrina morum a recentionibus ſumenda. Et Caramuel: Tota*, inquit *Theologia noſtra nova eſt.* De quorum ſequacibus queritur Alexander ſeptimus P. M. quod *novum* induxerint *opinandi*, probabilizandi, attritionizandi *modum a SS. Patrum ſimplicitate alienum: quem ſi fideles in praxi ſequantur, ingens eruptura ſit morum corruptela.* Ex adverſo autem omnes, qui de veritatibus aeternis vere ſcripſerunt, veritatem ab aliis acceperunt. Ita Chriſtus a Patre juxta illud Joan. 7. v. 16. *Mea Doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me* Patris. Apoſtoli a Chriſto, *Patres*, et Concilia ex ſcriptura. ab illis *veteres* Theologi, ab his demum *Juniores charitatis* initialis *Patroni*: quos per decurſum laudabimus (Confer Cap. 1. Cum om. ſeq.) Ex quibus conſtabit luculenter, nos puram *Antiquorum veritatem charitatis* permanus acceptam tradere. Quam utinam diripiant a nobis omnes Confeſſarii, Concionatores, Catechiſtae, quin fideles univerſi! Tunc furta noſtra ad eos, a quibus accepimus, redibunt ſingulari cum faenore, ſi illis corda omnium accenſa fuerint ardenti in Deum charitate.

Aliorum ſcripta jure vſurpari poſſunt.

Circa veritates revelatas nihil e proprio cudere fas eſt.

ſed omnia ab aliis accipienda.

aut *ſublimitate ſermonis.* Nec multum moramur 4to *injurioſum nomen Rigoriſmi: Nam Arcta via eſt coeli, et pauci inveniunt eam.* Cum ſummis illis viris, quos per decurſum laudabimus, quamcunque *contumeliam pro veritate lucrum reputamus:* cum ipſe gentium Doctor *pro Chriſto ſtulti* plane nomen non horruerit, monueritque, *Omnes, qui pie volunt vivere,* (ſcribere) *in Chriſto Jeſu perſecutionem paſſuros.* Unum duntaxat eſt, quod horremus, ſcilicet *haeretici* nomen. In quo omnium nos judicio ſubmittimus, ita tamen, ut *qui nos erroris arguere voluerit, etiam, atque etiam videat primum, ne ipſe erret.* Quod Auguſtini monitum eſt. ſed quid praeoccupare conor capita inproperiorum? quando illa nemo mortalium evaſit. Conſideremus potius media aſſequendae veritatis, ut eam certo inveniamus omnes: Ut ceſſent in nobis ſchiſmata, contentiones: et uno ore glorificemus Deum noſtrum *in veritate ſincerae charitatis. Itaque*

1. *ad Cor.* 1. v. 20. 25. 27. *Cap.* 3. 13. 4. v. 10.

2. *ad Timoth.* 3.

V. media aſſequendae veritatis.

Praeclariſſimus ex ordine Praedicatorum Theologus Vincentius Patuzzi Tract. de Leg. c. 5. quinque media eruendae, et inveniendae veritatis proponit, videlicet:

VI. 1. *Sedulam Divinae Legis meditationem* juxta illa Ps. 113. *Teſtimonia tua meditatio mea eſt. Da mihi intellectum, et ſcrutabor legem tuam. quomodo dilexi legem tuam! tota die meditatio mea eſt.* et ita loquitur Rex ſanctiſſimus tot curis, ac negotiis florentiſſimi regni aſſidue distentus; ne quis *ſtudium meditandae legis* Divinae *ad conſilia, ad Religioſos, et ſolitarios* ablegare pertentet.

1. *Sedula Divinae legis meditatio.*

Ad omnes de praecepto pertineus.

VII. 2. *Edomationem paſſionum praedominantium.* Hae enim tenebras mentibus affundunt, a veritate judicium abducunt, tanquam bona, ac ſalutaria proponunt, quae vere prava, legique Divinae diſſentientia ſunt. An amabo te! rectum de evangelicis veritatibus judicium ferent, qui *ſe ipſos impotenter amant?* proprias unice commoditates quaerunt? carnem, et ſanguinem tantummodo ſapiunt? in ipſis aeternis veritatibus ſive ſcrutandis, ſive populo exponendis popularem famam, vanam gloriolam, plauſum, et aeſtimationem vulgi conſectantur? Hi ſane pravis ſuis affectibus ſaepe decepti, atque illuſi a Divinis ſemitis longe recedunt, et in abſurdas deceptiones praecipites corruunt, ut triſtis experientia probat tot *damnatarum,* et adhuc *damnabilium* propoſitionum, quas juniores Caſuiſtae vulgarunt ideo, ut vocentur *Magiſtri,* et *Auctores:* potiſſimum ab eo tempore, quo *exercitii Scholaſtici,* et *excolendorum ingeniorum,* hoc eſt dictu *vaniſſimae gloriae captandae* cauſſa a principiis D. Thomae multi Scholaſticoum receſſerunt. Eſt namque illa veriſſima laus Doctoris Angelici Oraculis etiam Apoſtolicis ſaepe ſaepius confirmata, quod *qui ejus doctrinam tenuerit, nunquam inveniatur a tramite veritatis deviaſſe, et qui eam impugnaverit, ſemper fuerit de illa prodita, vel deſerta ſuſpectus.* His affine eſt

2. *Edomatis paſſionum.*

3. *Cultus virtutum:*

VIII. *Tertium inveniendae veritatis Medium,* quod eſt *cultus virtutum,* de quo ſapienter Angelicus 1. 2. q. 65. a. 1. aſſerit: *prudentia non poteſt haberi ſine virtutibus moralibus.* Rationem dat ibi q. 56. a. 5. ad hoc, ut *quis recte ſe habeat circa principia particularia agibilium, oportet, quod perficiatur per aliquos habitus, ſecundum quos fiat quodammodo connaturale recte judicare;* et *hoc fit per habitus virtutum; virtuoſus enim recte judicat de fine virtutis.* Duae autem virtutes maxime neceſſariae ſunt ad *rectum judicium,* et *charitatem Dei,* ad quam unice conſectandam laboramus, obtinendam: *Humilitas* nempe, et *noſtri abnegatio.* Humilitas, *qua practice agnoſcamus noſtram infirmitatem,* et *impotentiam* adeo, *ut nec ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis; ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo ſit.* Apoſtolo atteſtante. Hujus virtutis neceſſitas inculcatur omnibus Math. 18. Luc. 18. Jacobi 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam* recti judicii, et charitatis. Haec qua ratione dicatur *fundamentum* omnium virtutum, et maxime *charitatis,* praeclariſſime ediſſerit Angelicus 2. 2. q. 161. a. 5. ad. 2. nempe per modum *removentis impedimentum,* quod eſt *ſuperbia, omnium virtutum Inimica.* Unde merito canit Dei-

Humilitatis.

2. *ad Cor.* 3. v. 5.

Quae eſt fundamentum virtutum.

para

para Luc. 1. *Disperſit ſuperbos mente cordis ſui, depoſuit patentes de ſede, et exaltavit humiles, eſurientes replevit bonis, et divites dimiſit inanes.*

Et abnegationis noſtri.

IX. Praecepto porro de *noſtri, noſtrorumque abnegatione, et odio* plena ſunt ſcripturarum oracula: Math. 10. a. v. 34. uſque 39. et c. 16. v. 24. 25. 26. Luc. 9. v. 23. *dicebat autem* AD OMNES: *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, et tollat crucem ſuam, et ſequatur me.* Et c. 14. v. 26. 27. cap. 17. v. 33. Joan. 12. v. 24. 25. Haec qui ad *Monachos*, ad *Sacerdotes*, ad *conſilia* ablegant, audiant Magnum Eccleſiae Magiſtrum Auguſtinum ſerm. 44. ea exponentem: *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum: Non hoc* inquit *virgines audire debent, et maritatae non debent: Aut viduae debent, nuptae non debent; aut monachi debent, et conjugati non debent; aut Clerici debent, et Laici non debent.* Audiant S. Leonem M. ſerm. 9. de Quadrag. in illud Chriſti: *qui non accipit crucem ſuam, et ſequitur me, non eſt me dignus*, intonantem: *Dubitare non debemus, hanc vocem non ſolum ad diſcipulos Chriſti, ſed ad Cunctos Fideles, totamque Eccleſiam pertinere.* Conſonat Chriſoſtomus Lib. *adverſus vituperatores vitae Monaſticae*, et Baſilius ſerm. de *abrenunciatione rerum temporalium.*

Omnibus praeceptae.

Verus ſenſus odii NOSTRI, ac NOSTRORUM.

Cum igitur tam clarum ſit Divinum praeceptum de *noſtri, noſtrorumque odio* ad omnes Chriſtianos pertinente, de *vero* illius *ſenſu* admodum ſollicitos nos eſſe oportet: Eum exhibet nobis maximus moralium Magiſter D. Gregorius M. qui in cap. 14. Math. ait: *utrumque per diſcretionem agere valemus, ut et proximos diligamus, et quos adverſarios in via Dei patimur, odiendo, et fugiendo neſciamus.* Non omnem proinde *noſtri*, et *noſtrorum* amorem damnat Evangelium, ſed *inordinatum*, et cum *charitate Dei pugnantem.* Quapropter cum nobis praecipitur *abnegare nos, odiſſe Patrem, Matrem, filios, adhuc et animam noſtram*, ſicut et *contemnere mundum*, et *bona ejus;* non aliud a nobis exigitur, niſi ordinata charitas, ut nempe NIHIL VITIOSI diligamus; CREATURAS vero ad bonum, et malum INDIFFERENTES *propter, poſt, et infra Deum diligamus, ut in ſolo Deo finem noſtrum conſtituamus, Creaturis, ut mediis ad Deum aſſequendum, et poſſidendum utamur, ut Deum ſuper omnia diligamus, et abjiciamus, abdicemus, atque neſciamus ea omnia,* quae *nobis impedimento eſſe poſſunt, ne charitas Dei in corde noſtro* PRIMATUM *teneat, ſibique affectus noſtros, deſideria, motuſque omnes licitos ſubjiciat, vitioſos vero exſtirpet, atque eradicet.* In hoc perpetuo nobis *ferenda crux eſt*, in hoc *odienda nobis eſt anima noſtra*, in hoc *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei:* Cum enim caro *aſſidue concupiſcat adverſus ſpiritum*, ut *amor Dei ſede ſua non deturbetur;* aſſidue nobis pugnandum eſt cum corrupta natura, ejus cupiditates inordinatae reprimendae, paſſiones in ordine continendae, carnis blandimenta contemnenda, bona ſenſibilia amori Dei ſubordinanda, ſervireque cogenda, chari noſtri, ſi charitati Divinae impedimento ſint, neſciendi. Haec vero peragi nequeunt abſque magna difficultate, labore, violentia, conatuque aſſiduo; ideo in his praeſtandis *crucem ſemper ferre, Chriſtumque Crucifixum* inceſſanter *ſequi de* ſtricto *praecepto* omnes obligamur. Nam, ut aperte ait S. Leo P. l. c. *numquam deeſt tribulatio perſecutionis*, Crucis, odii noſtri, et noſtrorum, *ſi nunquam deſit obſervantia pietatis.* Atque in his conſiſtit *praedominium charitatis.* Praemiſſis enim rite obſervatis, *amoribus illicitis exſtirpatis:* licitis vero *amori Divino ſubordinatis*, conſequemur *charitatem Dei ſuper omnia in nobis praedominantem. Quae voculae quanto* ipſis etiam *Theologis multis* magis inviſae, et *toedioſae*; *tanto ſunt omnibus* Chriſtianis *ad ſalutem* conſequendam *plane neceſſariae.* Si praemiſſos effectus *actu habeat* chriſtianus, dicitur habere *charitatem effective praedominantem; ſi* vero *ad eos habendos aſpiret*, coneturque tantum adhuc *affectu ſincero;* tunc erit charitas INITIALIS AFFECTIVE SUPER ONNIA *praedominans.* Hanc notionem meditentur ii, qui illi

Luc. 9. v. 23. Luc. 14. v. 21 Actor. 14. v. 21. ad Gal. 5. v. 17.

Notio charitatis PRAEDOMINANTIS.

non

non aſveverunt, interea, dum de illa ſuis locis plura dicemus. Nos pergamus in mediis aſſequendae veritatis.

X. 4. *Eſt jugis Oratio.* Enimvero ſi, ut jam ex Apoſtolo audivimus, *omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt;* quid aliud nobis remanet ad miniculi veritatis, et charitatis optinendae, niſi humillimis precibus, et *cum fiducia adire ad tronum Gratiae ejus*, qui pollicetur Joan. 17. v, 21. *quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, et v. 24. urget dicens: *petite, et accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Quam in rem prorſus notandum eſt emphaticum illud Auguſtini, ſive Gennadii *de Eccles. Dogmat.* effatum: *nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante venire: nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi* Deo *auxiliante operari: nullum, niſi orantem, auxilium Dei promereri.* Et concilii Millev. can. 4. *Utrumque donum Dei eſt: et ſcire, quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus; ut aedificante charitate ſcientia non poſſit inflare; ſicut enim ſcriptum eſt: qui docet hominem ſcientiam, ita etiam ſcriptum eſt, charitas ex Deo eſt.* Accedit tremenda illa Sanctorum doctrina, quae aſſerit, *ignorantiam illam invincibilem, culpaeque expertem dici non poſſe, quae etſi vinci nequeat ſolis naturae viribus, ſuperari tamen poteſt* VIRIBUS GRATIAE, et PRECUM. Id docet Angelicus 2. 2. q. 2. a. 5. ad. 1. diſſertiſſime: *ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiae, ſic ad multa tenetur homo, quae non poteſt ſine gratia; ſed tamen poteſt cum auxilio gratiae: quod auxilium quibuſcunque Divinitus datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in poenam proecedentis peccati.* Et 1. 2. q. 109. a. 4. ad 2. *illud, quod poſſumus cum auxilio Divino, non eſt nobis omnino impoſſibile.* Conſpirat Auguſtinus Lib. 2. de pec. mer. et remis. c. 17. *Ut innoteſcat, quod latebat, gratia Dei eſt. Quae hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur, in ipſis cauſſa eſt, non in Deo.* Hinc Trid. Seſſ 6. cap. XI. omnium cordibus inſculpenda ſententia: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet et facere, quod poſſis, et petere, quod non poſſis, et adjuvat, ut poſſis. Miſerandi igitur, et deflendi* potius, quam curandi ſunt illi Pſeudo Critici, qui veritatem jugi oratione quaerentes velut *ſcrupuloſos*, et *Rigoriſtas* traducunt, et contemnunt, ſolam *humanam induſtriam* ad praecavendos errores omnes ſufficientem eſſe jactando. Non inquam curandi ſunt hi, qui ne id quidem noverunt, quid ipſis neceſſarium ſit ad ſalutem in hoc ſtatu naturae lapſae ſpiſſis errorum tenebris circumſeptae: de quibus tremenda eſt illa D. Chriſoſtomi Lib. *de orando Deo* ſententia: *Cum video quemquam non amantem orationis ſtudium, neque hujus rei fervida, diligentique cura teneri; continuo mihi palam eſt, eum nihil egregiae dotis animo poſſidere.* Qua in re praeclariſſimum exemplum nobis relictum eſt in Doctore Angelico, qui, ut ipſius monet opuſculo 73. dum quaeſtio diſcutienda occurrebat valde perplexa, et difficilis, Divinam de coelo ſapientiam invocabat: *invoco ipſam*, verba ſunt ejus, *ne me errare permittat in periculum ammae meae; et in laqueum aliorum; et illuminare dignetur oculos ipſo ſuo lumine, ſine quo nemo valet ad lumen veritatis undequaque pertingere.* Si tanto timore afficiebatur tam eximius Eccleſiae Doctor, tam excellenti, planeque Angelico praeditus ingenio veritatis Indagator; quid non timendum, quid non agendum, et quam ſupplicibus precibus invocanda nobis eſt coeleſtis ſapientia! nobis inquam, ingenio tardis, coecis, craſſaque ignorantiae caligine circumfuſis, *ne nos permittat errare in periculum animae noſtrae, et in laqueum aliorum.* Sane ſi juniores Caſuiſtae eximium hoc exemplum ſecuti fuiſſent, hodie corruptam Ethicam chriſtianam, ipſum magnum de Deo, ut par eſt, diligendo mandatum extenuatum, et tam vehementer debilitatum non lugeremus. Nos vero ſi illud aemulati pro virili fuerimus, *veritatem*, quam quaerimus, *initialis charitatis* certo inveniemus. Certa namque illa eſt Angelici ſententia Lib. de *quantitate animae* c. 14. *Fieri non poteſt quadam providentia Divina, ut religioſis animis Deum, id eſt veritatem pie, caſte,*

ac

4. *Medium aſſequendae veritatis jugis oratio.* ad Hebr. 4. v. 16.

ejus neceſſitas

Ignorantia, quae orando ſuperari poteſt, invincibilis non eſt.

Illuſtre exemplum Angelici veritatem orando quaerentis.

ac diligenter quaerentibus inveniendi facultas deſit. Repoſita eſt haec ſpes mea in ſinu meo.

5. Medium: recurſus ad ſapientes antiquos.

XI. 5, Inveniendae veritatis medium eſt *recurſus ad antiquos ſapientes* juxta illud Eccl. 39. *ſapientiam antiquorum exquiret ſapiens, et in prophetiis vocabit, narrationem virorum nominatorum conſervabit.* Et Jobi 12. v. 12. in *antiquis eſt ſapientia, et in multo tempore prudentia.* Unde monet ſapiens Prov. 12. v. 29. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerant Patres tui.* Appoſite Angelicus 2. 2. q. 49 a. 3. *Maxime indiget homo ab alio eruditi, et praecipue a ſenibus. Unde Prov. 1. dicitur: Ne innitaris prudentiae tuae. Et Eccl. 6: In multitudine Presbyterorum* (ſeniorum) *prudentium ſta, et ſapientiae eorum conjungere ex corde.* Medium hoc inveniendae veritatis palam neglectum, contemplumque fuiſſe ab *Atritioniſtis ſervilibus* luce meridiana clarius ex dicendis apparebit: utpote qui neglectis SS. PP. veſtigiis, eorumque diſcipulorum, Theologorum nempe Ante Tridentinorum ſemitis, novam ſibi contradicente tota antiquitate Ante Tridentina doctrinam cuderunt, atque imperitis, ut concilii Trid. *deciſionem* obtruſerunt. Quos proinde *ſapientum* numero habendos pernegamus; imo ut *deſertores antiquorum ſapientum*, et *proditores antiquae veritatis* negligendos affirmamus cum D. Antonino in ſumma p. 2. tit. 4. c. ita eos exagitante: *Vadunt in adinventionibus ſuis animarum Rectores adinveniendo novas vias ultra conſvetas* (novam materiam Sacramenti poenitentiae Attritionem) *ut laudentur ab hominibus tanquam ſapientiores antiquis recedendo ſine cauſſa a ſemitis eorum contra illud Proverbiorum: ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui. Vadunt Doctores in adinventionibus ſuis, qui non ſequuntur dicta Sanctorum, ſed opiniones novas, ſubtiles, et curioſas ad pruriendum auribus.* Ab his cavere debemus. Unde Angelicus loc. cit. *docilitati* adjungit *circumſpectionem*, et *cautionem*, qua prudens homo conſiderat, *a quibus accipit conſilium*, et cavet ab iis, *a quibus ſub ſpecie boni in malum induci poteſt.*

Qui ab Attritioniſtis neglecti ſunt.

Negligentia in veritate inquirenda quando pecc. mortale, quando veniale?

XII. Atque haec ſunt media eruendae veritatis: ex quorum defectu naſcitur *negligentia debitae ſolicitudinis;* quae quidem negligentia quando ſit peccatum *mortale*, eleganter ediſſerit Angelicus 2. 2. q. 54. a. 3. in haec verba: „ Negligentia provenit ex quadam remiſſione „ voluntatis, per quam contingit, quod ratio non ſollicitetur, ut per„ cipiat ea, quae debet, vel eo modo, quo debet. Poteſt ergo con„ tingere, quod *negligentia* ſit peccatum *mortale*, uno modo ex parte ejus, „ quod praetermittitur per negligentiam: quod quidem ſi ſit *de neceſſitate „ Salutis;* ſive ſit actus, ſive circumſtantia, erit *peccatum mortale.* Alio„ quin ſi negligentia conſiſtat in praetermiſſione actus, vel circumſtan„ tiae, quae non ſit de neceſſitate ſalutis, nec hoc fiat ex contemptu, ſed „ ex aliquo defectu fervoris, qui impeditur interdum per aliquod ve„ niale peccatum; tunc negligentia non eſt mortale peccatum, ſed „ veniale„. Cum itaque valor Secramenti poenitentiae ſit omnibus de *neceſſitate ſalutis*, clarum eſt, *negligentiam in inquirenda debita ejus materia* ex qua Sacramenti pendet validitas, in omnibus eſſe peccatum *mortale.* Etenim ut idem angelicus Praeceptor 2. 2. 9. 76. art. 2. ait: *Omnes tenentur ſcire ea, quae ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant; et ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum quis recte exercere,* Haec quisquis ſerio perpenderit, ſpero fore, ut ad diligenter conſideranda ea, quae hoc opuſculo de *materia Sacramenti poenitentiae*, ac cumprimis *de Dei charitate* dicenda ſunt, expergiſcatur! Enim vero perſvaſum SANCTIS eſt, in inveſtiganda veritate ignorantiam vincibilem facile commiti poſſe. *Non de iis tantum puniendi ſumus*, ait aureum Os hom. 6. in c 2. Math. *quae ſciendo peccamus; verum etiam de iis, quae ignorando commiſimus. Apoſtolus Corinthiis ſcribens: timeo inquit, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, et excidatis a ſimplicitate, quae eſt in Jeſu Chriſto.*

Quae tenent. ſcire omnes?

Ignorantia vincibilis facile irrepit.

XIII.

XIII. Illi porro maxime timendum habent ab hac vincibili ignorantia, qui *cognoſcendae veritati voluntaria ponunt impedimenta intellectus*, vel *voluntatis*. Ex parte quidem *intellectus*, dum in rebus obſcuris *diligens ſtudium negligunt*, vel *inconſiderate*, *nimiumve de ſe praeſumentes*, opiniones *minus ſolidas*, *minuſque tutas* eligunt. Ex parte vero *voluntatis:* dum *inordinato ſui amore* excaecati, non quae vera ſunt, amplectuntur; ſed quae faciliora, commodiora, genio populi magis accommodata, uſu, et praxi male inolita. Unde fit perſaepe, ut *falſis opinionibus*, ac *praejudiciis Scholae*, *juventutis*, aut *Sodalium*, quibus aſſueverunt, praeventi, nec audire, nec legere dignentur eos, a quibus in viam veritatis revocarentur: Leviſſimae raciunculae, et ſophiſmata inolitae ſuae opinionis robuſtiſſima ipſis appareant, contraria vero argumenta veritatis, etſi coram Deo invicta, et decretoria, vix probabilia videantur.

In particulari: iis, qui voluntaria ponunt impedimenta cognoſcendae veritati.

Qui falſis praejudiciis praeuentiſunt

XIV. Sed et *affectata* eſt eorum ignorantia, qui lucem veritatis negligunt praetextu *calumnioſae* illius excuſationis, quod recentium Librorum ſcriptores *Rigoriſtae* ſint, *nimiumque arctent viam coeli*, quam *ſpatioſam* contendunt, et praedicant, ne ſe, doctrinam, moresque ſuos reformore debeant. Idem eſto judicium de iis, qui Concionatores, Confeſſariosque *placentia* ſibi loquentes quaerunt, alios vero contemnunt. De quibus ingemiſcit Auguſtinus in cap 6. Math dicens: *Vae caecis ducentibus et caecis ſequentibus! Non enim in foveam cadit caecus ducens, et non cadit ſequens; ſed caecus caecum ducens ambo in foveam cadunt.*

Qui praetextu rigoriſmi veritatem negligunt.

Iſai.30.v.10.

XV. His affinis eſt eorum malitia, qui *leviſſimis ducti ratiunculis*, aut *ex auditu alieno obtrectatorum* nullo praemiſſo ſolido examine viros probos, et innocuos traducunt ut *Rigoriſtas*, *Janzeniſtas*, *Haereticos* ideo duntaxat, quia mollioribus Ethicae Chriſtianae principiis contradicunt. Qui utinam perpenderent terribile illud Apoſtoli ſulmen: *Maledici regnum Dei non poſſidebunt!*

Qui veritatis aſſertores calumniantur.

1. ad Cor. 6. v. 10.

XVI. Ex adverſo autem qui tales injurias patiuntur, cumulatiſſimam conſolationem habent in illis Chriſti verbis Math. 5. v. 10. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum coelorum.* In quem Locum animadvertit illuſtris Auctor, Multos paratos eſſe pati, et vitam ponere pro fide, et Chriſto: Interim tamen *ementitae pacis* praetextu *propter doctrinam Chriſti*, et *puritatem moralis Chriſtianae*, quam benigni Auctores corrumpunt, ac labefactant, *nedum perſecutiones*, ſed et leviſſimas moleſtias, ipſamque inertis quietis ſuae jacturam pati refugere. Unde et cauſſa Chriſti iniquo ſilentio proditur, et tot animarum miſeranda manat ruina. Quapropter diligenter conſiderare debent omnes, quicunque corruptelam morum impedire aut poſſunt, aut debent, ne ob vanum perſecutionum, aut odiorum improborum metum amittant *regnum coelorum*, quod Deus promiſit *patientibus* perſecutionem propter juſtitiam. Haec Patuzius l. c. et diverſis aliis, quibus velut lucentibus facibus ante oculos ſemper habitis jam ad ipſam veritatem inquirendam deſcendamus.

Omnibus patiendum eſt pro aſſerenda veritate.

CAPUT PRIMUM.

Argumentum primum a Novitate Attritionis formidoloſae: quod illa toti Antiquitati Ante Tridentinae fuerit ignota.

I. Antiquitatem Opinionis, quae *attritionem* pure *Servilem* Sacramenti poenitentiae *Sufficientem materiam* eſſe praetendit, inquirentibus nobis Lucem praefert fulgentiſſimum hujus ſaeculi Doctorum lumen Benedictus XIV Pontifex Maximus, qui in praeclariſſimo opere

Prima aetas attritionis ſervilis ANTE TRI-

DENTINUM *ex Benedicto* XIV. *Attritionis vocabulum tardius inventum.*

opere ſuo de Synodo Dioeceſana L. 7. c. 13. n. 11. haec aſſerit: „Ut de ipſo attritionis vocabulo aliquid dicamus, illud non eſſe antiquiſſimum, neque ante Annum 1220 in Scholis vulgari coeptum, Eruditi omnes optime norunt cum Morino de poenitet. L. 8. c. 2. n. 14. Quod tamen per nomen ſignificatur, et Patribus, et Theologis ſemper perſpectum fuiſſe, nemo dubitat: omnes quippe *duplicem* ſemper agnoverunt *Contritionem*; unam *perfectam* quae ex ſe juſtitiam, et Sanctitatem aſſert; alteram *imperfectam*; quae ſola homini juſtificando impar eſt. Hanc vero *Contritionem imperfectam*, viſum eſt Scholaſticis congruo vocabulo, appellare *attritionem*. Sicut enim (inquit Eſtius in 4. diſt. 16. §. 9.) in corporalibus attritum dicitur, quod aliquomodo, nempe forinſecus tantum Laeſum eſt, aut Comminutum; Contritum vero, quod totum intus, et foris fractione in minima reſolutum eſt: ita in Spiritualibus attritio ab illis dicta eſt imperfecta quaedam, et aliquo usque tantum progreſſa poenitentia: Contritio vero poenitentia intima, et perfecta. (*a*) Et n. VI. ibidem: Quamvis ante Tridentinum Communiter Theologi docuerint, ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae obtinendam ſatis eſſe *Contritionem imperfectam*, quam jam tum *Attritionem* nuncupabant; *Attritionis* tamen nomine nunquam dolorem intellexerunt de peccatis aliunde excitatum, quam ex *motivo Charitatis*, ſeu (non intellexerunt) omnino ſejunctum ab aliquo ſaltem remiſſo, tenui, debili, ſeu initiali amore Dei benevolo: Sicuti teſtatur doctiſſimus Morinus cit. Lib. 8. c. 4. n. 2.„

Eo nomine VETERES intellexerunt dolorem charitate animatum.

Teſte Eſtio.

II. Haec Sapientiſſimus hic Pontifex citans pro ſe Morinum, illum antiquitatis in re Sacramentaria ſplendidiſſimum pharum, quo ſcilicet nemo diligentius haec diſcuſſit: Cujus verba ſunt Lib. 8. de poenit. c. 2. n. 14. „Quaeſtio a nomine Doctorum praetermiſſa, an Confeſſio in *Charitate* fieri deberet? et definita ſemper, ſic fieri debere, ut ad fidem, et vitae aeternae meritum prodeſſe poſſet; alias tantum ad hoc prodeſſe, ut non eſſet iteranda. Ita omnes prope Scholae, Doctoresque definierunt a Magiſtro ad annum usque 1240. Et cap. 3. n. 13. „ Prima Sententia, inqvit, in quam ivere omnes initio (invento *attritionis* vocabulo) ea eſt, quae attritionem ſui incremento fieri contritionem docuit. Fundamentum autem, quo nitebantur, inquit, erat, DOLOREM, ET AMOREM ATTRITIONIS SPECIE NON DIFFERE A DOLORE, ET AMORE CONTRITIONIS, SED TANTUM PER MAGIS, ET MINUS: Nihil itaque ex parte rei impedimento eſſe, quominus dolor, et amor attritionis ita intendatur, et efferveſcat, ut gratia tandem imbuatur, fiatque attritio Contritio. „His Conſentit Auctor inſtitutionum Theologicarum Lugdunen-

Morino.

(*a*) Hac ſimilitudine explicat *contritionem* Catechiſmus etiam Romanus p. 2. cap. 5. n. 25. dicens: „Recte conrritionis nomen peccati deteſtationi ad ſignificandam vim doloris impoſitum eſt, ducta ſimilitudine a rebus corporeis, quae minutim ſaxo, aut duriore aliqua materia confringuntur; ut eo vocabulo declararetur, corda noſtra, quae ſuperbia obduruerunt, poenitentiae vi contundi, atque conteri. Quare nullus alius dolor - - CUJUSCUNQUE ALTERIUS CALAMITATIS CAUSSA ſuſceptus hoc nomine contritionis appellatur, ſed illius tantum doloris proprium eſt nomen, quo ex AMISSA DEI GRATIA, atque innocentia dolemus.„ Duo hinc notari oramus. 1. si contritione perfecta corda noſtra *minutim contundi*, *atque conteri* oportet, Ergo falſum eſt, omnem motum animi charitate animatum perfectam eſſe contritionem. Alterum: Si contritionis motivum eſt ſolum *amiſſa Dei gratia*, atque innocentia, go falſum eſt, nomen contritionis GENERICUM eſſe, et dolori tam charitate Dei, quam metu ſupplicii infernalis animato convenire ex doctrina Catechiſmi Romani. Si igitur dolor animi ſit *propter ammiſſam Dei gratiam*, Conſequenter propter Deum, ejuſque offenſam, cor tamen *minutim* nequaquam *Contundatur*, et *conteratur*, ſed *aliquomodo* tantum ut Eſtius ait, tunc *juxta Veteres* docente Benedicto XIV. erat *contritio imperfecta* CHARITATE animata, licet Charitate non perfecta *quoad modum* plenae contuſionis animi, a *Theologis ante Tridentinis Attritio* appellat. Ut deinceps pluribus videbimus.

Catech. Romano.

ſium de Sacram. poenit. Diſſ. 3. c. 3. „*Attritionis*, inquit, appellatio anno circiter 1023 in Scholis audiri coepit: hanc enim primi eo tempore uſurparunt Alexander Alenſis, Albertus Magnus, et Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus. In auctoribus autem antiquioribus non legitur illud vocabulum, licet de poenitentiae Sacramento multi diligentiſſime ſcripſerint.„(*a*) *Inſtitution. Theolog. Lugdunens.*

III. Carolus Vitaſſe Theologorum hujus temporis facile Princeps inſtar Bibliothecae hac in re eſſe poteſt, qui de poenit. q. 3. a. 3. Conſentit Eſtio de *origine*, *objecto*, et *novitate* attritionis, ita diſſerens: „Contritio eſt dolor, et deteſtatio de peccato cum propoſito non peccandi de caetero. *Carolo Vitaſſe.*

Con-

(*a*) Quaeres: Ante inventum *attritionis* vocabulum quis dolor Sacramenti poenitentiae materia cenſebatur in Eccleſia Dei ultra decem Soecula? R. Idem, qui *uſque ad inventam* poſt Tridentinum *attritionis ſervilis ſufficientiam*, nempe *contritio*, ſive dolor de peccatis, *Charitate* Dei *perfecta*, vel *initiali* animatus. Hoc clare aſſerit 1. Benedictus XIV. ex Morino hic n. I. laudatus „*omnes*, inquit, Patres, et Theologi duplicem ſemper agnoverunt contritionem, unam perfectam, aliam imperfecta, vera tamen initiali charitate animatam.„ 2. Veritatem aſſerti Benedicti XIV. firmant Sancti Patres hic a n. XIV. laudandi: qui uno ore *charitatem aliquam* ad hoc Sacramentum requirunt. Nemo vero cum fundamento dubitare poteſt, Sanctorum illorum Patrum ſententiam ſuo eorundem aevo communem Eccleſiae, et Doctorum fuiſſe. Inferiores enim Doctores *Sacrum fidei depoſitum* a SS. Patribus accipere debuerunt. 3. Robertus Pullus Cardinalis, qui teſte Vitaſſio ante introductum in Scholas *attritionis* vocabulum vixit, poenitentiam *ſolo metu* actam manifeſte rejicit hic n. XI. Cui conſentiunt Hugo Victorinus, Richardus Victorinus, B. Rajmundus de Pennaſort, Robertus de Sorbona, et alii hoc cap. pro initiali charitate citandi. Ut proinde palpare liceat, unam, eamdemque fuiſſe doctrinam Eccleſiae *ante*, et *poſt* vocabulum *attritionis* citatum, ſive Eugenius IV. *in inſtructione ad Armenos* definit, et declarat *contritionem* eſſe materiam Sacramenti paenit. quo tempore (ut ex hic dicendis patebit) ad ipſam *attritionem*, multo magis *ad contritionem* actum *verae charitatis* Doctores requirebant. go neceſſitas charitatis in Sacramento poenit. ab Eugenio IV. Eccleſiam docente eſt Canonizata, go *traditione* anteriorum Soeculorum *a Chriſto*, et *Apoſtolis accepta*. Enimvero referente Vitaſſio de contritione q. 3. a 6. ſect. 3. Primi attritionis ſervilis inventores aſſerere auſi non ſunt, nomen *contritionis* ambiguum eſſe, et *attritioni* etiam *ſervili* aptari poſſe. Et recte: nam uſque *ad natos illos* vocabulum *contritionis* de *ſolo dolore propter Deum* uſurpatum fuiſſe teſtes ibi citat Vitaſſe Dominicum Soto, Vegam, Petrum Soto, Vivaldum, Bellarminum, alioſque ut ait, *innumerabiles*. Ut igitur attritionis ſervilis inventores ab auctoritate Conc. Florentini ſeſe expedirent, repoſuerunt, hanc vocem fuiſſe a Florentino uſurpatam, *etſi minime neceſſariam*. Quod nos pro *paradoxo*, et *petitione principii*, atque *eluſione ſummae in Eccleſia autoritatis* tamdiu habebimus, donec ad libitum conficta reſponſio evidenter demonſtretur ab Attritioniſtis rationabiliter eſſe inventa. Quis enim non horreat, juxta hos ab Eugenio IV Armenis recens converſis *Fidei*, et *morum* capita *non neceſſaria* fuiſſe obtruſa! Ais: *Contritio* ſignificat dolorem *Charitate perfectum*, Ergo niſi nos ipſi emolliamus decretum Florentini (Conc. erimus omnes *Contritioniſtae*, et *Rigoriſtae*. R. Nego aſſumptum. Jam enim audivimus ex Benedicto XIV. *omnes* Patres, et Doctores *duplicem ſemper agnoviſſe Contritionem: perfecta*, et *initiali* charitate formatam. Quod ex dicendis eluceſcet. Et quis credat, Florentinum *perfectam charitate* requiſiviſſe contritionem? quando *eodem tempore* ſumma Scholarum lumina id expreſſe negabant. Hic a n. V. usq; XI. Igitur *Contritio* in ſenſu Conc. Florentini ſignificat *dolorem charitate animatum*, praeſcindendo, an charitas illa *perfecta neceſſario* ſit: aut *initialis* ſufficiat. De quo lis tunc *inter Doctores* erat, pluribus *in poſteriorem partem*, velut certam veritatem ſtantibus. Vide hic n. VIII. Guillelmum de Rubione, Guidonem de monte Rocherii, Vobillonium, qui *duplicem Contritionem* hanc expreſſe tradunt. Alii vero hic citandi hanc *initiali charitate animatam Contritionem* attritionem vocant, per *majus*, et *minus ſub eodem motivo charitatis Divinae* duo illa vocabula ſcholae ejus temporis more diſtingventes. Quales ſunt omnes hic n. VIII. IX. X. XI. citandi. Ex quibus colligimus: Theologos ante Tridentinum et *ante*, et *poſt inventum attritionis vocabulum* non fuiſſe omnes *Contritioniſtas* (ututmulti tales fuerint, ſicut Vitaſſe ediſſerit q. 3. a 3.) Sed plurimos *Initialiſtas*. Nullos vero *ſerviles attritioniſtas*. Ut haec omnia deinceps in plena luce collocabuntur, quae Benedictus XIV. cit. verbis n. I. hic breviter aſſeruit. Conſer praecipue hic n. XXIX. et Cap. VI. n. I. et II.

Ante inventum attritionis vocabulum quis dolor neceſſarius cenſebatur ad Sacr. poen.?

Charitatis perfectae, vel initialis.

Contritio autem ista duplex est: perfecta, et imperfecta.

Perfecta generis nomen retinet, et Contritio simpliciter appellatur.

Imperfecta autem vulgo vocatur Attritio.

Quod a Corporibus ad hoc argumentum nostrum translatum est, Illud enim Corpus *Contritum* esse dicimus, quod in partes minutissimas redactum est, ac poenitus Confractum: *attritum* vero, quod non dum ita Comminutum est.

Jam vero utraque vox Ecclesiastica prorsus est, at profanis scriptoribus hoc saltem sensu omnino ignota.

Vocabulum contritionis est antiquissimum.

Ac *Contritionis* quidem nomen longe est in Ecclesia antiquissimum: eo enim utuntur

1. Scriptura *Psalm.* 33. 19. Graece; *Psal.* 146. 3, *Isai.* 57. 15. 66. 2. *Luc.* 4. 18.

2. Plures e' SS. Patribus: Basilius in *Psal.* 23. Hillarius in *Psal.* 2. Chrisost. *Hom.* 4. et 2. in 2. *Corinth.* Augusst in *Psalm.* 146. Coesarius Arelat. *Hom.* 29. Dorotheus Archimandrita *in Doctrinis Cap.* 21. Gregorius M. 3. part. pastoral. Cap. 31. Bernandus *epist.* ad Clerum, et populum Spirensem. Et alii.

Attritionis recentius.

Attritionis vero vocabulum est multo recentius. Namque non solum in Scripturis, ac Patribus non occurrit; sed ne quidem apud primos Theologiae nostrae Principes legitur; Hugonem dico, et Ricardum a S. Victore, Robertum Pullum Cardinalem, Petrum Pictaviensem, Lombardum, Joannem Salisberiensem, Praepositivum, Petrum Cantorem, Robertum de Flammesbourg. qui tamen fere omnes de poenitentia ex Professo Scripserunt. imo nec apud Guillelmum Antissiodorensem, aut Raimundum de Pennafort, aut Robertum de Sorbona, aliosque ad medium usque Saeculum decimum tertium: tunc enim 10. usurpatum apparet a Guillelmo Parisiensi, Alexandro Ales, et Alberto Magno.„

IV. Idem praeclarissimus Theologus l. c. plures modos, ac Sententias Doctorum ante-Tridentinorum refert, quibus illi natam jam, atque in Scholas invectam *attritionem* a *Contritione* distingvebant. Placet eas inserere, utconstet omnibus, *veterum* mentem a *recentius natorum attritionistarum* opinione toto Coelo fuisse diversam. Ita ergo habet laudatus Doctor Sorbonicus Vitasse l. cit.

Quidam veterum omnem dolorem A PECCATO RE *elicitum* ATTRITIONEM *vocabant.*

„Plerique veteres Theologi eum de peccatis dolorem duntaxat pro *Contritione* agnoscebant, qui ex *gratia Sanctificante* procederet, et habitu Charitatis esset informatus. ac proinde quaelibet alia peccatorum detestatio quantumvis excellens *Attritionis* loco habebatur eo praecise, quod e Charitatis habitu, velut e fonte non profluueret, etiamsi forte adesset amor Dei actualis etiam intensus. Contritionem enim ab attritione eo secernebant, quod haec esset informis, illa vero non posset esse nisi formata.

Hujus opinionis auctores

Ita loquuntur, aut Theologos passim loqui aetate sua solitos esse testantur Alexander Alensis Lib. 4. q. 17. a. 1. Albertus Magnus in 4. dist. 16. a. 8. Vincentius Bellovacensis tom. 3. Lib. 3. disp. 6. par. 10. S. Thomas in 4. dist. 17. et in supplem. q. 1. a. 3. Bonaventura in 4. dist. 17. p. 2. a. 2. q. 3. ad 4. Richardus de Media Villa in 4. dist. 27. a. 1. Petrus de Tarentasia, seu Innocentius V. in 4. q. 1. a. 1. quaestiunc. 4. Aureolus in 4. dist. 14. a. 4. Scotus in 4. dist. 14. q. 1. a. 2. Joannes *Burgensis* in pupilla oculi, p. 4. c, 21. Thomas Argentinensis in 4. dist. 17. a. 3. n. 5. Adam Cuoddam Lib. 4. q. 6. Dionisius Cathusianus in 4. dist. 20. Tartaretus in 4. dist. 14. q. 3. Navarrus in Manuali Cap. 1. n. 1. et alii ad nostram poene aetatem ferme innumerabiles. Hoc enim fuit omnium vulgatissima distinctio. Ex qua sequitur, actum *charitatis etiam inflammatae* dici, et esse *attritionem*. Sic Joannes Nider magni quondam inter Dominicanos nominis Theologus in exposit.

poſit, praecept. Decal. praecept. 3. c. 8. n. 3. duplicem aſſignat *contritionem*: alteram primam, quae *attritio* nominatur; alteram, quae ſequitur, *et charitate formata eſt.* De prima autem contritione, ſeu attritione, quae eſt PRAEPARATIO AD CONTRITIONEM proprie dictam, ſic habet: Ad habendam contritionem, vel diſpoſitionem ſufficientem ad eandem exiguntur plura - - - *1mum.* - - *2dum.* - - - *3um* &c. ſextum requiſitum eſt *motus liberi arbitrii in Deum, qui videtur eſſe maxime dilectio Dei ſuper omnia.* En charitatis ad juſtificationem *praeparativae* initia!

„Sic Navarrus in Manuali l. cit. definit 1. Contritionem generatim in hunc modum: Eſt poenitudo voluntaria cum dolore maximo actuali, vel virtuali peccati proprii jam commiſſi *quatenus eſt offenſa Dei ſuper omnia dilecti.* Tum pergens addit, *hoc ipſum eſſe attritionem, quamdiu non acceſſit habitus charitatis.* Poenitudo illa, inquit, a nobis ſupra definitio, quam habent illi, qui deteſtantur peccatum ſupra omne deteſtabile - - - eſt *attritio*, ut arbitror, *quatenus offenſa Dei ſuper omnia dilecti.* Tum pergens addit, *hoc ipſum eſſe attritionem, quamdiu non acceſſit habitus charitatis.* Poenitudo illa, inquit, a nobis ſupra definita, quam habent illi, qui deteſtantur peccatum ſupra omne deteſtabile - - - eſt *attritio*, ut arbitror *quoad uſque Deus propter ſuam miſericordiam gratiam ſuam* (habitualem) *fuerit impertitus* - - - appellaturque *Contritio informis.* Quapropter appoſite omnino, et docte notat hoc, qui Commentariis auxit Scotum *ad Diſt.* 14. Contritio, inquit, ſumitur duobus modis: Uno modo pro actu formato; et ſic *quilibet dolor antecedens infuſionem gratiae erit attritio quantumlibet perfectus;* idem autem continuantus infuſa gratia erit contritio, ſive perfectus ſit, ſive imperfectus. Et in hoc ſenſu frequens eſt uſus contritionis apud antiquos. Cui Morinus concinit *Lib. 8. c. 2. n.* 15. Sic autem, inquit, Attritionem inter, et contritionem diſtingvebant, ut *attritionem dicerent ex fide informi naſci, Contritionem ex fide formata — hinc omnem dolorem* de peccato, Deique amorem in non habente gratiam (ſanctificantem) *attritioni* tribuerunt; in habente gratiam *contritioni.* Haec igitur apud veteres prima eſt diſtinctio *attritionis a contritione*, quod idem dolor de peccatis *propter Deum offenſum*, et ex *vera charitate* elicitus in *peccatore attritio: in juſto contritio* diceretur.„ Jam accipe ſententiae noſtrae initia, et expoſitionem ex eodem Vitaſſio

V. Alteram diſtinctionem ita proponit cit. l. „Aliud diſcrimen *attritionem* inter, et *Contritionem* eſſe Statuerunt iidem Theologi, aut alii, quod nempe *attritio eſſet dolor* MINUS INTENSUS, *Contritio vero* vero INTENSIOR. *Alii eam a contritione gradu, et intenſione charitatis diſtingvebant.*

Ita loquuntur Guillelmus Pariſienſis de Sacramento poenitentiae pag. 444. Albertus Magnus *in* 4. *diſt.* 16. a 18. Alexander Alenſis *in* 4. *diſt.* 7. *memb.* 2. S. Thom. *in* 3. *diſt.* 2. q. 1. art 5, *in* 4. *diſt.* 22. q. 2. *q.* 2. In ſupplem. q. 1. *a.* 2. *ad* 2. *etq.* 2. Richardus *in* 4. *diſt.* 17. *a.* 1. q. 32. Paludanus *in* 4. *diſt.* 7. q. 1. *a.* 1. *Concl.* 2. Vorilognus *in* 4. *diſt.* 20. Angelus de Claviſio *in ſumma* verbo *Contritio*, Biel *in* 4. *diſt.* 14. Sylveſter Prieras *in ſumma*, verbo: *Contritio.* *Hujus opinionis ſectatores ex veteribus.*

„Hanc autem ſentiendi, loquendique rationem amplexi ſunt plurimi recentiores; Illuſtriſſimus Epiſcopus Caſtorienſis in 1. Libro *de amore poenitente.* (*a*) Lupus in duobus *de Contritione* opuſculis. Farvaquius *in quaeſt. quodl.* et alibi. Havermans in ſuo *de Contritione* Li. *Ex recentioribus.*

(*a*) Illuſtrem hunc auctorem in indice libr. prohib. reperio cum addito: *donec expurgetur*; paſſim tamen a recentiſſimis auctoribus cum honore citari video. Ut Vitaſſe hic, et q. ejusdem 3. a. 6. Sect. 3. Franciſcus Genetto Epiſcopus Vaſionenſis in aurea ſua Theologia Morali tom. IV. tract. VI. Cap. V. q. 12. Caſpar Juenin De poen. Diſſ. VI. c. IV. §. 1. et IV. de illo ut Doctiſſimo, et piiſſimo Praeſule meminerunt. Addit tamen Juenin: in eo „nonnulla propter terminorum aequivocationem in pravum ſenſum detorqueri poſſe Romanis Inquiſitoribus viſa fuiſſe„ Quae prohibitionis libri Ejus cauſſa fuerit. Quid quid ſit, nos auctoritate ejus non utemur.

bello. Obſtraetus de *converſione peccatoris.* Queraſſius in grandi ſua *de mente Concilii Tridentini circa Contritionem* diſſertatione. Hieronimus Harcz in tractatu *de attritione*, et Albericus Kerkove de eodem argumento. Atque adeo *attritio* hoc ſenſu complecti quoque poteſt amorem, ſeu *charitatem* Dei actualem, *modo illa in ſupremo gradu non dum ſit.*

Et vero plerique è Superioribus Theologis, Guillelmus nempe Pariſienſis, Albertus Magnus, Paludanus, Angelus de Claviſio etc. diſerte notant, ac Significant, *attritionem, et Contritionem ejusdem omnino eſſe ſpeciei, et intra eandem ſpeciem differre tantum ſecundum majus, et minus,* ut loquuntur. Quod cum ita ſit, nedum *Charitatem Dei* ſecum attritio compatitur, ſed ex *ea* potius videri poteſt concipi, ſicut et *Contritio.* Quod libenter admittunt ii, quos modo laudabamus, retentiores. Attritionem enim vocant *dolorem de peccato ortum ex imperfecta Charitate actuali; Contritionem vero eum, qui Charitate perfectus eſt*, et utramque definiunt eſſe EJUSDEM SPECIEI. Iſta porro Contritionis, et attritionis diſtinctio *penes varios earum* INTRA EANDEM SPECIEM *gradus* antiquiſſima, et frequentiſſima eſt.„ Genuina haec eſt noſtrae ſententiae idea.

3. *Sententia Scoti. Qui in notione attritionis cum 2. a opinione conſentit.*

VI. Tertiam diſtinctionem *attritionis a contritione* refert eſſe *Scoti.* Quam ſic exhibet: „priori Sententiae Scotus quidpiam addendum putavit, et cum praedictis quidem Theologis in eo conſentit ille, quod dolorem de peccato intenſum, formatumque Charitate appellet Contritionem; attritionem vero qui minus fervet, et Charitatis intenſionem antevertit. Sed in eo ab iisdem diſſidet, quod, ut attritio mereatur gratiam, fiatque Contritio, non certum duntaxat illius gradum, ſed et *certam* praeterea *durationem ſoli Deo cognitam exigat.* De quo ipſum lege *in 4. diſt.* 14. q. 2. *n.* 14. *et ſeq.* Nec non et Gabrielem *in 4. diſt.* 14. q. 1. *n.* 238. Ubi ejus Sententiam luculenter exponit.

Ad contritionem requirit durationem.

Quamobrem omnis de peccato dolor, quantumvis aliunde abſolutus eſſet, *et ex Dei amore, ac propter ipſum unicè conciperetur*, intra hos latioris attritionis limites concluderetur, donec ad illud temporis punctum ſoli compertum Deo perveniſſet. Et certe quod juxta Scotum *attritio* non excludat, ſed *includat* potius *Dei amorem*, id non tantum colligitur ex iis, quae ipſi communia cum caeteris eſſe jam monuimus, ſed ex multis etiam peculiaribus argumentis.

Explicatur mens ejus.

I. Enim Scotus *Supra* aſſerit *attritionem* verſari *circa peccatum* non ſolum quatenus inducit poenam, aut privat beatitudine, ſed etiam quatenus *offendit Deum, ut offenſivum Dei*, inquit.

II. Docet ibidem, ut VERA ſit *attritio*, debere eam eſſe *totaliter, et perfecte moraliter circumſtantionatam:* non eſſet autem perfecte, et totaliter Circumſtantionata in genere moris *ſine recto fine, qui ſolus eſt Deus.* (*a*)

III. Affirmat, eundem omnino motum in *eſſe naturae, et moris, qui prius erat Attritio, abſque ulla ſui mutatione fieri Contritionem in eo inſtanti, quo Deus homini largitur gratiam ſanctificantem.* Non eſſet porro idem actus in genere moris, ſi aliud foret Neceſſario attritionis, et Contritionis motivum.

„IV. Non ſolum, ait, attritionem mereri de Congruo gratiam, ſed etiam poſſe aliquando vi ſua ſine Sacramento delere peccatum. Jam vero ad delenda extra Sacramentum peccata neceſſarius eſt ex omnium

(*a*) Igitur ex mente ſubtilis Doctoris, *omnes inferiores virtutes* ad charitatem actualem ut *finem ſuum* perfectivum tendere debent, nec *vera* eſt attritio abſque fine ſuo charitate: Non quod timor ſervilis in ſe *malus*, ſed quod *imperfectus* ſit, et quaſi in *via perfectionis ſuae* haereat *ſine fine ſuo* charitate. Quod hic obſervando lapides angulares ponimus ex veneranda antiquitate, quibus ſententiam hanc noſtram inaedificemus. Subtili Doctori conſentit in hoc *Joannes Nider* n. VIII. h. *Angelicus* in ſupl. q. 3. a 1. et 4. q, 5. a. 3. hic n. XI. in fine cit. *Joan Baſſolius*, Vorillonius n. XIII.

„um confeſſione amor Dei, et quidem ſummus: Sic *Parte* 4. *ad* 3. Concedo, inquit, quod frequenter dimittitur peccatum per aliquam motionem Attritionis tanquam per meritum de congruo ante ſuſceptionem ſacramenti poenitentiae, ſicut in adulto frequenter dimittitur originale ante ſuſceptionem baptiſmatis. In reportatis autem *ad eandem diſt.* 14. q. 4. Scholio 2. „Si attritus, inquit, in ultimo inſtanti Attritionis ſuae haberet majorem in Deum motum, quam prius habuit, probabile eſt, quod Deus daret ei gratiam, quia ipſa eſt diſpoſitio de congruo ad gratiam Ubi etiam obſerves, velim, quod in *Attritione* includat *majores, ac majores animi motus in Deum.*

Itaque jure pronunciat Morinus *Lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 14. juxta Scotum *Attritionem magnum dolorem propter Deum offenſum complectii.* *Conſentiunt illuſtres ejus diſcipuli.*

Quod idem animadvertit Andreas Vega unus ex Illuſtriſſimis Scoti diſcipulis Lib. 9. in Conc. Trid. cap. 17. Argument. 3. „Scotiſtae, inquit, ajunt ad juſtificationem peccatoris *non quemvis dolorem de peccato etiam propter Deum ſufficere,* imo neceſſariam eſſe aliquantam intenſionem, et fervorem in ipſo dolore, aliquantique temporis, et quidem nobis ignoti continuationem.„

Aſtipulatur etiam Auctor ſummae de Sacramentis ex doctrina Franciſci Victoria *q.* 117. quae ſic habet: Quaeritur: utrum quilibet dolor peccatorum quantumvis parvus ſufficiat ad remittenda peccata?„

Cui quaeſtioni ſic reſpondet Scotus in 4. quaeſt. 2. Art. 2. dicit, quod licet quis *habeat dolorem de peccato propter Deum cum aliis omnibus circumſtantiis,* niſi talis dolor habuerit certam intenſionem completivam, et continuationem, non ſufficit. Quanta autem debeat eſſe illa intenſio? dicit, quod ſolus Deus novit.„ Hactenus Vitaſſe l. c. conſentit Juenin de paen. cap. 4. a. 7. Drouven de re Sacramentaria Tom. 2. Libr. VI. q IV.

VII. Atque hae erant veterum Theologorum ſententiae, ac viae, quibus *Attritionem ſub eodem objecto DEI PROPTER SE DILECTI a Contritione diſtingvebant;* nempe *Attritionem* appellabant dolorem de peccatis *charitate* animatum, ſi is 1. *a peccatore* eſſet elicitus; vel 2. ſi *minus* eſſet *intenſus*; vel 3. juxta Scotum *certam durationem* ſoli Deo cognitam *non haberet.* Ex quibus certiſſimum eſt, quod ex Benedicto XIV didicimus, *Theologos ante Tridentinos attritionem in Sacramento poenitentiae ſufficientem eſſe docuiſſe: attritionis tamen nomine nunquam alium dolorem intellexiſſe, quam ex motivo charitatis, ſeu a tenui, et debili, ſeu initiali amore Dei benevolo excitatum.* Ruit itaque *certitudo ante Tridentina attritionis* pure formidoloſae. *Igitur veteres ad attritionem aliquam charitatem requirebant.*

VIII. Hoc proinde ſenſu *remiſſa charitate animatum dolorem attritionem* appellant, et in Sacramento poenitentiae ſufficere ajunt plerique veterum Doctorum: quorum praecipui ſunt ſequentes eodem Vitaſſio teſte: *Richardus de Media-Villa* in 4. diſt. 18. q. 1. Art. 2. 2 „Sacerdos inquit, in Sacramento poenitentiae miniſterialiter, et inſtrumentaliter illi, qui per *attritionem* removit obſtaculum diſpoſitive, remittit maculam peccati. *Eamque charitate animatam attritionem in Sacramento ſufficere cenſebant: Richardus de Media-Villa*

Scotus in 4. diſſ. 14. Art. 3. „*Attritus* etiam attritione, inquit, quae non habet rationem meriti ad remiſſionem peccati, recipit effectum Sacramenti; alioqui non apparet, quo modo Sacram. Poenitentiae ſit ſecunda tabula, ſi nunquam per ipſum, ut Sacramentum eſt, poſſet recuperari gratia amiſſa.„ et in 4. diſt. 24. q. 2. definit, quod unus, et idem motus tum in genere entis, tum in genere moris, poſſit eſſe primo *Attritio*, deinde *Contritio.* „Si manet, inquit, idem motus in eſſe naturae, et moris, qui prius fuit *Attritio*, in illo inſtanti (infuſionis gratiae) fit *contritio*: quia in illo inſtanti fit concomitans gratiae, et ita actus formatus.„ Quod ſoli attritioni charitate animatae convenit. *Scotus.*

Aegi-

Aegidius Columna. Ægidius *Columna* Archi-Epiſcopus Bituricenſis, quodlib. 2. q. 20. ait „aliquando contingere, quod, antequam quis vadat ad Confeſſionem, ſit *contritus*, et ſit a culpa abſolutus, et ſit Deo reconciliatus: aliquando vero ſit tantum *attritus*; et tunc virtute clavium de *attrito fieri contritum*; et cum confitetur, tum demum a culpa abſolvi, et Deo, et Eccleſiae reconciliari, et poenam aeternam in temporalem commutari, vireſque omnes fortificari.„

Durandus. Durandus ſimiliter in 4. diſt. 18. q. 2 aſſerit „in poenitente antequam actualiter recipiat Sacramentum Poenitentiae, quandoque praecedere *ſufficientem diſpoſitionem* (*a*) delentem culpam, et conferentem gratiam, et tum Sacramentum ſuperveniens culpam non auferre, quia non invenit: quandoque vero non praecedere ſufficientem diſpoſitionem, quae culpam deleat, ſed *attritionem*: quae ſuperveniente Sacramento virtute clavium efficitur ſufficiens.

Paludanus. Paludanus in 4. diſt. 19. q. 8. Art. 1. concl. 3. „Omne Sacramentum, inquit, vel agit, vel auget, quod ſignificat. Unde cum abſolutio ſignificet remiſſionem culpae, ad eam diſponit, ſi adeſt, ut in *attrito*; ſi non adeſt, diſponit ad augmentum gratiae, et remiſſionem poenae.„ Et in 4. diſt. 7. q. 1. expendens, an Attritio poſſit fieri contritio? „Si hoc, inquit, intelligatur de uno actu ſecundum ſpeciem, non eſt dubium, quin Attritio poſſit fieri contritio, ſicut *de mane fit meridies*. En idem objectum, et motivum attritionis, et contritionis.

Guillielmus de Rubione. Guillelmus de Rubione in 4. diſt. 18. q. 1. ad 2. „Poteſtas Sacerdotalis, inquit, in foro Poenitentiae extendit ſe ad remiſſionem culpae. - - Falſum eſt remiſſionem culpae praevenire debere Sacramentum Poenitentiae; tum quia homini non eſſet remedium contra peccatum; tum quia *non minor Contritio* requireretur in Poenitente confitente, quam in Poenitente non confitente. Sed utrumque horum falſum eſt.„ En hic *gradum majorem*, et *minorem* in *Contritione*: et minorem ad Sacrm. poen. neceſſarium clare ſtatui: non vero majorem.

Guido Guido de Monte-Rocherii *in manipulo curatorum. 2. parte, de poenitentia, cap.* 9, „Qui accedit ad confeſſionem, inquit, aut eſt perfecte contritus, aut non; ſi eſt perfecte contritus, tum Deus virtute contritionis remittit illi peccata: ſi autem non eſt perfecte contritus, tunc virtute confeſſionis iſta *imperfecta contritio* reducitur ad perfectam, et ſic virtute confeſſionis remittuntur peccata quod culpam.„

Aſteſanus. Aſteſanus *in ſumma Lib.* 5. „Dico inquit, quod *attrito* ad confeſſionem accedenti virtute abſolutionis Sacerdotalis datur gratia juſtificans, *contrito* vero datur augmentum.„

Dionyſius Ciſterc. Dionyſius Ciſtercienſis in 4. diſt. 23. Art. 5. dubio 2. ait, quod, Si *Attritio* jungitur confeſſioni, et abſolutioni, Deus confert juſtificationem: quod probatur, quia niſi hoc ponatur, nullam efficaciam habebit Sacramentum ſuper deformitatem culpae.„

Capreolus. Capreolus diſt. 17. Art. 3, „Falſum eſt, inquit, quod *attritio* cum Sacramento in nullo caſu ſufficit ad remiſſionem peccatorum; videtur enim contraria opinio velle, quod Sacramentalis abſolutio nunquam de attrito faciat contritum: quod falſum eſt.„

Joan-

(*a*) En! perfectam contritionem *diſpoſitionem* ad juſtificationem appellat Durandus: tanto ergo magis *diſpoſitio* ad eandem habenda eſt contritio *initiali charitate* animata. Id quod *Joan Nider* h. n. IV. et *Guillelmus Pariſiens.* infra n. XII. clariſſime aſſerunt. Falſum ergo eſt illud *attritioniſtarum* effugium: charitatem ideo non eſſe *neceſſariam diſpoſitionem in Sacramento ad juſtificationem*, quia eſt forma ſanctificans. Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. cauſſam *formalem* juſtificationis definit eſſe *juſtitiam*, ſive *gratiam ſanctificantem*. go *charitas actualis* manet *diſpoſitio neceſſaria* in *Sacramento initialis*, extra illud *perfecta*.

Joannes Gerſon *de Poenitentia in Caena Domini.* Teſtatur, hanc ſuiſe vulgarem aetate ſua a Guillelmi Pariſienſis tempore ſententiam. *Joannes Gerſon.*

„Dicit autem, inquit, Dominus Guillelmus Pariſienſis, et alii communiter, quod *attritio*, quae alias non eſſet ſufficiens, virtute Sacramenti ſit ſufficiens.„ Sermonem eſſe de *attritione charitate aliqua animata*, evidens eſt ex Guillelmo Pariſienſi hic mox citando: Unde manifeſtum fit, ſententiam, quam ediſſerimus, *tunc* fuiſſe *comunem.*

Joannes Nider *in expoſitione praeceptorum Decalogi. Praec.* 3. *cap.* 9. *Joannes Nider.*

„Valet confeſſio, inquit, ad augmentum gratiae, ſi quis eam prius habuit: valet praeterea ad gratiae novae infuſionem, ſi ea prius caruit. Facit enim *de attrito contritum.*„ Et ad praeceptum. 3. cap. 8. numero 13. ſic loquitur: „Si homo peccata ſua deteſtetur ſolum quia oppoſita ſunt virtuti morali, - - *ibi ſiſtendo ſine ulteriori relatione in Deum, tunc homo ſolum quaereret ſuum commodum*, et fugeret ſuum incommodum, et nullo modo quaereret Deum, et illius honorem contra iſtud Apoſtoli 1. Cor. 10. *ſive manducatis, ſive bibitis, &c.* nec talis deteſtatio eſſet actus virtutis; quia non circumſtantionata *bona fine*, et per conſequens non formaretur gratia, nec fieret contritio.„ En ſufficientiam *attritionis formidoloſae*, et *amoris Spei* clare rejectam! obſerva etiam textum Apoſtoli inſignem *pro praecepto accipi.*

Wobillonius diſt. 20. art. 2. concl. 1.„ Non eſt utilis abſolutio, inquit, niſi praecedat in confitente aliqua *contritio*, vel *attritio*: ideo diſjunctive protuli, quia ſufficit attritio.„ *Wobillonius.*

Tartaretus in 4. diſtinc: 14. q. 4. p. 244. non aliter pronuntiat: diſt. autem 19. „Requiritur, inquit, aliqua operatio voluntatis ad hoc, ut aliquis recipiat Sacramentum Poenitentiae: ſcilicet quod habet *Attritonem*; et hic actus, poſtquam eſt informatus gratia, vocatur *contritio.* *Tartaretus.*

IX. In eandem ſententiam, Attritionem a contritione *ſub eodem objecto per majus, et minus* diſtingvunt *Guillelmus Pariſienſis.*

Guillelmus Pariſienſis *tractatu de poenitentia capit.* 6. „Si quis quaerat, inquit, quae ſit differentia inter Attritionem, et Contritionem? dico, quod attritio ad contritionem ſic eſt, ſicut *vulneratio* non lethalis ad *occiſionem*, ſicut *calefactio* ad *arſionem*, et ſicut *illuminatio* ad *irradiationem*; hoc eſt, ſicut *lumen crepuſculi* ad *radium*„ Confer. cum Gerſone.

Albertus Magnus in 4. diſt. 16. Art. 18. „Dicendum„ inquit, meo judicio, quod *unus*, et idem *dolor in ſubſtantia poteſt eſſe contritionis, et attritionis.„* *Albertus M.*

Alenſis ibid, diſt. 17. memb. 2. art. 1. §. 3. pariter ait: *attritionem*, ſi intendatur, fieri *contritionem.* „Ad illud, inquit, dici poteſt, quod ipſa definitio (contritionis) inſinuat dolorem debere aliquo modo intendi adhoc, quod ſit dolor contritionis. Dolor enim *certam* habet *menſuram*, qui *contritionis* dici debet. Quae ſit autem illa, ille novit, quem nihil latet.„ *Alexander Alenſis.*

S. Thomas in ſupplem. q. 1. art. 2. reſp. ad 2. poſtquam notavit, *attritionis*, et *contritionis* nomina a corporibus deſumpta eſſe, inde colligit, quod *attritio* ſignificet in Spiritualibus *quamdam diſplicentiam de peccatis commiſſis*, ſed *non perfectam*, *contritio* autem *perfectam.* „*Attritio*, inquit, dicit *acceſſum ad perfectam contritionem*; unde in corporibus *attrita* dicuntur, quae aliquo modo diminuta ſunt, ſed non adhuc ſunt comminuta; ſed *contrita* dicuntur, quando omnes partes tritae ſunt ſimul per diviſionem ad minima; et ideo *attritio* ſignificat in Spiritualibus *diſplicentiam de peccatis*, ſed *non perfectam*, *contritio* autem *perfectam.*„ (*a*) Confer hic n. 1. *Doctor Angelicus.*

(*a*) Qua igitur fide attritioniſtae ſerviles *ſuum* eſſe jactant Angelicum? quando per *attritionem* inchoata, et imperfecta charitate formatam evidentiſſime intelligit. Nempe toto oſtio aberrat is a veritate, qui legens apud *veteres* voculam *attritionis*, eos mox *ſerviliſtarum* Parentes fuiſſe gloriatur. Vaniſſime ſane, ut ex omnibus his liquet.

Angelus a Clavisio. Angelus de Clavisio *in summa verbo* CONTRITIO. *Num* 1. differens de Attritionis, et Contritionis discrimine, illud in duobus collocat.„ Ac 1. quidem quod *attritio est dolor imperfectus:* contritio est dolor perfectus. Et ideo contritio, et attritio, inquit, materialiter idem sunt, sicut domus obscura, et illuminata: *Attritio quippe est lux aurorae, quae crescendo fit meridies:* id est *contritio.*„

Cajetanus. Cajetanus *in opusculo de attritione Num.* 4. „Commune dictum, inquit, quod contritio, et attritio differunt secundum magis, et minus.„

X. Adde his invictos illos veritatis pugiles, qui paulo ante Tridentinum contra ejus aevi haeterodoxos veritatem Catholicam tuiti hanc distinctionem inter *contritionem*, et *attritionem* secuti sunt teste Vitasse sequentes:

Echius *Hom. 47. de confessione.*

Joannes Fisherus Rossensis Episcopus, et Martyr inclitus art. 2. 5. 6.

Latomus operis sui pag. 26.

Lindanus pagina 573.

Joannes a Daventria *in Exegesi art. 2. Confessionis Lutheranae de poenitentia.* Aliique.

Hi omnes ante Tridentinum per *attritionem* dolorem intellexerunt vera *aliqua charitate* Dei animatum, ideoque ad Sacramentum poenitentiae sufficientem constanter asseruerunt. Quibus in Concilio Tridentino plerique adhaeserunt praeter Joannem Aemilianum Tudetanum Antistitem pro *perfecta charitate* pugnantem. Cujus opinio et hactenus celebris fuit, et in Tridno impedivit, ne initialis charitatis sufficientia expresse definiretur. At Granatensi ibidem pro timoris sufficientia disputanti nondum reperi Magistrum inter antiquos, quin omnes contradictores. Quod ut evidentius sit:

Alii VETERUM *attritionem servilem in Sacramento poenit. differte negant sufficere. Robertus Pullus Card.*

XI. Illustrantur, et in evidenti luce ponuntur hactenus dicta illorum ante Tridentinorum Doctorum auctoritate, qui timoris mere servilis in Sacramento poenitentiae sufficientiam apertissime negarunt, quales sunt:

Robertus Pullus *Parte* 5. *c.* 31. ubi sic ad veterum normam „Poenitentiam plerumque parit poenae timor in illo, qui timet ardere, non peccare. Vir certe malus: (*a*) quoniam vir bonus plus horret culpam, quam gehennam. Ille praevidens poenam, reprimit *culpam*: si impune liceret, *repressam* exerceret: nec potest bonus esse, quis quis illicita vellet, si auderet: - Nam quod coactus facis, id te *facere* verum est, id te *velle* falsum est. Qui ergo ex timore poenitet, adhuc est servus, quoniam flagra formidat; et nondum filius, qui patrem amans sperat haereditatem. (*b*) Quamobrem quisquis, dum poenitet, solum timore angitur: non dum per poenitentiam veniam meretur: verum qui largitur timorem, ut ex timore poenitendi necessitatem incutiat, cum poenitentia largitur amorem, ut sit poenitens venia dignus.„

Alensis. Alexander Alensis in 4. q. 17. Art. 6. „Dico, inquit, quod timor est principium remotum (Poenitentiae:) quia ex hoc, quod poenam timet, desistit ab actione peccati; sed nondum justificatur, sed post incipit moveri in Deum per amorem, et sic *timor est principium remotum, amor* vero *propinquum.* (*c*) *et In speculo animae*: Timor *semper cum*

(a) Id est. *Cum poenitentia sua* manet *malus*, ut Auctor mox se explicat: *quisquis dum poenitet, solum timore angitur, non dum per poenitentiam veniam meretur. Verum qui largitur timorem, largitur et amorem.* Quibus timorem a Deo largiri fatetur. go non ait *timorem* servilem esse *malum*, sed *timentem manere eo solo malum*: aut *timentem* esse *malum*, quod solo timore cum Sacramento velit justificari. vide Alensem hic.

(b) Observa, quaeso, quam *haereditatem* aeternam sperabant *antiqui:* scilicet *amati Patris*, non Dei *nobis* solum boni, ut hodierni Concupiscentistae.

(c) En totum officium timoris: *desistit ab actione peccati*, et sic *incipit moveri*

sum mortali peccato est. (si *semper*: go et cum sacramento poen.) „scilicet cum quis dimittit peccatum facere, solumodo ratione poenae.„ Et lib. *de septem donis Spiritus Sancti c.* 1. „Timor servilis non mutat voluntatem in bonum, (*a*) licet criminis impediat executionem.„ Et parte 4. q. 17. membr. 3. Art. 1. §. 5. statuit,„ Dolorem, qui est in displicientia voluntatis, debere esse maximum; debet enim maxime, et summe displicere poenitenti, quod Deum offenderit, et illum peccato suo amiserit. Qui certe dolor ex ipso Dei, ut optimi parentis, et ultimi omnium finis amore proficisci ur.„ go dolor hic saltem *affective* debet esse *super omnia*, quidquid non est Deus, sive omnibus affectibus etiam licitis major esse, et *praedominari*.

S. Thomas in 4. ad Hanibal. Dist. 20. q. unica. Art. 1. „Veritas poenitentiae in fine vitae non manifestatur. Incertum est enim, utrum taliter poenitens ex solo timore poeniteat, vel *ex amore Dei? qui ad veram poenitentiam requiritur.*„ vide h. n. XII Scotum de hoc argumento. *Angelicus.*

Idem Angelicus Doctor 1*a.* 2*ae.* q. 107. Art. 1. ad 2.„ Omnes differentiae inquit, quae assignantur inter novam legem, et veterem, accipiuntur secundum perfectum, et imperfectum. Ad operanda autem virtutum opera aliter inclinantur imperfecti, aliter perfecti: illi inclinantur ad agendum virtutis opera ex aliqua causa extrinseca: puta ex comminatione poenarum; et ideo vetus lex dicebatur *lex timoris*; illi autem, qui habent virtutem, inclinantur ad opera virtutis agenda propter AMOREM JUSTITIAE, (*b*) et ideo lex nova dicitur *lex amoris*: et propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, *non animum*; quia qui timore poenae ab aliquo peccato abstinet, *non simpliciter ejus voluntas a peccato recedit,* (*c*) sicut recedit voluntas ejus, qui *amore justitiae* abstinet a peccato. Propter hoc lex nova, quae est lex amoris, dicitur animum cohibere.„ Et 1*a.* 2*ae.* q. 113. postquam Art. 3. affirmasset, ad justificationem necessarium esse liberi arbitrii motum, quo *a peccato ad justitiam* accedat; Art. 4. explicat quottuplex motus ad id requiratur, aitque quadruplicem, 1*m.* fidei: 2*m.* dilectionis in Deum, 3*m.* humilitatis, et timoris filialis.„ Prima autem conversis in Deum, inquit, fit *perfidem*:- (sed) motus fidei non est perfectus, nisi sit *charitate* informatus. Unde simul in justificatione impii cum motu fidei est etiam motus charitatis: movetur autem liberum arbitrium in Deum ad hoc, ut ei se subjiciat; unde etiam concurrit actus *timoris filialis*, et actus humilitatis.„

Ibid. Art. 5. „Dicendum, inquit, quod justificatio impii est quidam motus, quo humana mens movetur a Deo a statu peccati in statum *justitiae*. Oportet igitur, quod humana mens se habeat ad utrumque ex-

---

ad Deum per amorem. Ita *timor introducit charitatem*, et disponit *proxime* ad charitatem initialem, *remote* ad justificationem. confer *Biel* h. n XII. *Echium* n. XIII. *Academiam Lovanienf.* ibi. Haec est clavis Regia intelligendi Tridentini con. c. sess. XIV. Cap. 4. partem posteriorem. Nec tibi incidat, haec antiquitatis oracula loqui de timore *serviliter servili*. absurdum enim esset vel cogitare, actum pecaminosum, qualis est timor Serviliter servilis, *principium, remotum licet*, justificationis Statui. adde, quod timorem negent sufficere in sacmto, non quia malus est, sed quia imperfectus. quod de timore simpliciter servili verum est.

(*a*) Notent hoc attritionistae, qui *timore voluntatem peccandi positive excludi* praetendunt.

(*b*) En ipsos terminos Angelico ore ante eructatos, quibus subinde Tridentinum sess. 6. cap. 6. usum est, statuens, paenitenti *Deum ut omnis justitiae fontem diligere incipiendum* esse. Hic in ore Angelici termini illi: *propter amorem justitiae*: veram charitatem certo significant: qui a opponuntur *extimore* operantibus. Ergo et in ore Tridentini concilii eandem charitatem debent significare, Quia Tridentinum verbis Angelici Loquitur eodem decreto. De quo plura suo loco.

(*c*) Conjunge hac cum cit. Alensis textu, et vide quantum recesserint *attritionistae* nostri *ab antiquis*, dum *metu solo voluntatem peccandi* sufficienter ad sacramentum *excludi* asserunt, sed non probant.

extremorum ſecundum motum liberii arbitrii, ſicut ſe habet corpus localiter motum ab aliquo movente ad duos terminos motus. Manifeſtum eſt autem in motu locali corporum, quod corpus motum recedit a termino a quo, et accedit ad terminum ad quem: unde oportet, quod *mens humana, dum juſtificatur, per motum liberi arbitrii recedat a peccato, et* ACCEDAT AD JUSTITIAM. Receſſus autem, et acceſſus in motu liberi arbitrii accipitur *ſecundum* DETESTATIONEM, ET DESIDERIUM. Dicit enim S. Auguſtinus *ſuper Joannem* exponens illud: *Mercenarius autem fugit*: Affectiones noſtrae motus animorum ſunt laetitia, animi diffuſio, timor animi fuga eſt; progrederis animo, cum appetis, fugis animo, cum mentuis. Oportet igitur, quod in juſtificatione impii ſit *motus* liberi arbitrii *duplex; unus, quo per deſiderium tendat in Dei juſtitiam*, et *alius, quo deteſtetur peccatum*.„

3. Parte, q. 85. Art. 2. in corpore, et ad 1. ubi quaerit, an poenitentia ſit ſpecialis virtus? duo ſecernit in Poenitentia, *odium peccati*, et *actum ex hoc odio manans, quo poenitens peccatum in ſe deſtruit, et honorem Dei laeſum reparat.* Tum addit: „*odium*, et *diſplicentiam de peccato immediate ad charitatem pertinere, ut actum ab ea elicitum: ipſam vero peccati deſtructionem, et reparationem honoris Divini ad* aliam virtutem, *quae charitatis imperio obnoxia ſit*, et ejus juſſa faciat. Unde liquet, Poenitentiam utraque ex parte non poſſe ſine charitate conſiſtere..„

Ibidem. Art. 3. ubi diſputat, an poenitentia ſit ſpecies juſtitiae, *in corpore*; „Dicendum, inquit, quod poenitentia non habet quod ſit virtus ſpecialis ex hoc ſolo, quod dolet de malo perpetrato; ad hoc enim ſufficeret *charitas*: ſed ex eo, quod Poenitens dolet de peccato commiſſo *in quantum eſt offenſa Dei*.„ Ibid. ſubjungit ad 4m.„ Quod *odium vitiorum pertineat ad charitatem*.„

In ſuplemento, q. 3. Art. 1. oſtendens, eum, qui de peccatis concipitur, dolorem debere eſſe maximum.„ In contritione, inquit, eſt duplex dolor: unus eſt in ipſa voluntate, qui eſt eſſentialiter ipſa *contritio*, qui nihil aliud eſt, quam diſplicentia praeteriti peccati; et talis dolor in contritione excedit omnes alios dolores; quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus diſplicet: *finis autem ultimus ſuper omnia placet: cum omnia propter ipſum deſiderentur; et ideo peccatum, quod a fine ultimo avertit, ſuper omnia diſplicere debet*.„ Inſignis locus pro neceſſitate charitatis ſuper omnia praedominantis.

Ibid. q. 5. Art. 3. ubi quaerit: an parva contritio ſufficiat ad deletionem magnorum peccatorum?„ Contrito habet duplicem dolorem: unum rationis, qui eſt diſplicentia peccati commiſſi, et hic poteſt eſſe adeo parvus, quod non ſufficeret ad rationem contritionis: ut ſi minus ei diſpliceret, quam debeat diſplicere ſeparatio a fine: ſicut etiam amor poteſt eſſe adeo remiſſus, quod non ſufficit ad rationem charitatis.„

Mitto, quod ait Art. 1. *ſupra*, nimirum quod„ omnis dolor in amore fundetur. „Cum ergo amor charitatis, in quo fundatur dolor contritionis, ſit maximus, inde colligit dolorem contritionis debere eſſe omnium maximum.

Haec ex S. Thoma paulo ſuſius propter ingentem, qua pollet merito apud omnes auctoritatem.

Scotus. XII. Accedit Scotus alterius ſcholae Princeps, ut omnes Scholae antiquae in eandem ſententiam conſpiraſſe comperiantur: in 4. diſt. 20. q. unica, ut oſtendat difficile eſſe, ut quis in extremo vitae diſcrimine veram, et legitimam poenitentiam concipiat, quae ad ſalutem ſit ſatis, atque adeo rariſſimam eſſe eo in caſu hominis ad Deum converſionem: „Ad hoc enim, inquit, quod diſplicentia valeat, et ſit ordinata, oportet, quod ſit debite circumſtantionata, et maxime circumſtantia *finis*, et *principii activi principalis; ut* ſcilicet ſit *voluntaria propter Deum*. Sed difficile eſt, (inquit) tunc habere actum ſic circumſtantiona-

tionatum; tum quia qui usque tunc fuit impoenitens, non videtur tunc a se ipso impetrare displicentiam novam, *nisi timore poenae imminentis*: praesummitur enim, quod si remotus esset a poena, sicut prius, non extorqueret a se ipso istam displicentiam, sicut nec prius: tum quia saltem aliquid simpliciter involuntarium videtur esse causa istius displicentiae: nam expectatio mortis videtur causa istius displicentiae: illa autem est involuntaria. Saltem quod non est, nisi sic voluntarium, non est multum acceptum alii, nec multum videtur propter amorem ejus factum. Hanc rationem tangit Augustinus in *littera: Oportet non solum timere judicem, sed diligere:* arbitrii enim libertatem quaerit, ut delere possit commissa, non necessitatem; *charitatem non timorem.* Non igitur timeat poenam, sed anxietur pro gloria.„

Idem affirmat in 4 sent. dist. 18. report. q. 3. Et cur rara sit hujusmodi conversio, causam hanc affert, quod nempe contritio„ Ad hoc, ut sit dispositio ex congruo ad receptionem gratiae, oportet, quod sit voluntaria detestatio, et debita circumstantia finis, quod homo poeniteat *non solum propter timorem poenae, sed timore filiali.* Sed difficile est tunc dolere nisi ex timore solum: et *si non sit cum amare, non disponit ex congruo.„* (*a*)

Paludanus in 4. dist. 17. q. 9. Art. 1. concl. 2. „Secunda conclusio est: quod ad veram contritionem concurrunt illa quatuor, quae requirit justificatio impii, scilicet: motus liberi arbitrii in peccatum detestando. 2. motus liberi arbitrii *in Deum super omnia diligendo*: 3. Gratiae infusio: 4. Peccati remissio. *Paludanus.*

Joannes Bacho in 4. dist. 15. q. 1. Art. 4. „Dicendum, quod contritio debeat fieri non ex timore, sed ex charitate: quia aliter non est acceptabilis Deo„ nempe *proxime* ad justificationem. *Joannes Bacho.*

Et in 4. dist. 15. q. 1. Art. 2. „Dicendum, inquit, quod homo debet conteri, quia Deum offendit. Ad quod intelligendum nota: quod Deus principaliter est diligendus propter se, consequenter Dei beneficia sunt diligenda propter Deum, et similiter per contrarium propter Deum sunt *primo* odienda omnia, quae fiunt contra honorem Dei. Sequitur, quod contritio debet fieri non ex timore, sed ex charitate.„

Dionysius Cisterciensis in dist. 23. q. 1. Art. 2. concl. 1. „Nulla poenitudo de culpa *praecise ex metu gehennae est sufficiens ad deletionem culpae mortalis;* quia in qualibet tali poenitudine minor est nolitio culpae, quam nolitio poenae; imo praecise non est nolitio culpae, nisi quia est nolitio poenae. Ergo subducta poena, non est odium culpae. Non ergo aliqua tali poenitudine oditur peccasse, sed potius oditur in poena esse. *Dionisius Cister.*

Joannes de Bassolis in 4. dist. 20. q. 1. „Ad hoc, ut poenitentia valeat, oportet necessario, quod sit debite circumstantionata, et maxime circumstantia *finis*, quod sit *propter Deum.* Qui usque ad extremum vitae distulit Poenitentiam, non videtur a se ipso extorquere actum Poenitentiae propter Deum; sed magis hoc videtur facere ad vitandam poenam pro peccato infligandam.„ *Joan. de Bassolis.*

Gabriel Biël in 4. dist. 14. q. 2. „Detestatio peccati a timore servili orta dicitur *dispositio* de congruo ad poenitentiam, *non immediata*, nec sufficiens, sed *multum remota.„* Porro quod de justificatione, quae fit in Sacramento, loquatur, declarat ipse in titulo, et decursu hujus quaestionis. *Gabriel Biël.*

Et ibem. concl. 2. „Non est possibile *aliquem a peccatis liberari sine actu amoris praevio.* Nam sicut in omni peccato fit aversio a Deo

(*a*) Paria audivimus paullo prius ex Angelico: et mox audiemus ex *Joanne Bassolis* h. n. XII. *ex Gerſone* n. XIII. *Guillelmo Vorillonio* ibi. Unde natum est illud *Sanctorum* assertum: *paenitentia sera raro vera.* Quae sane attritionistas serviles in vita, et morte salutari horrere concutere possunt. Utinam ad ejurandam tanti periculi opinionem!

ad creaturam plus Deo dilectam, propter cujus dilectionem Divinum praeceptum contemnitur; ita in converſione neceſſe eſt, ſe avertere a creatura propter Deum: pro cujus amore creatura contemnitur, ut converſio ex oppoſito correſpondeat averſioni.„

Richardus Victorinus. Richardus Victorinus *Lib. de poteſtate ſolvendi, ac ligandi* „Qui veraciter de ſuis criminibus poenitent, inquit, pro certo jam charitatem habent.„

Hugo Victorinus. Hugo Victorinus *Lib. 4. Miſcellaneorum* c. 77. „Triformis eſt, inquit, odor vitae; non delinquere, quod agit timor ſervilis. (*a*) nolle delinquere, quod operatur filialis. non poſſe delinquere, quod confert gloria perennis. Primi ſunt ſervi, ſecundi filii: tertii beati.„

Guillelmus Pariſienſis. Guillelmus Pariſienſis Tractatu *de poenitentia.* „Neceſſe eſt, ut moveatur, qui atteritur, vel conteritur motu fidei, ſpei: neceſſe etiam, ut moveatur motu dilectionis alicujus, ſive illa ſit charitas, ſive non.„ Charitatem hic perfectam excluſit, non initialem: nam ibid. clare ait: „*Amore praeparatorio* amatur Deus, *ſecundum quod Deus, et propter id, quod eſt Deus:* quemadmodum amore, qui charitas dicitur. Quare erunt ejusdem ſpeciei *amor praeparatorius*, et amor, qui charitas dicitur. Et ſiquis quaerat, quae ſit differentia inter attritionem, et contritionem? dico: quod attritio ad contritionem ſic eſt, ſicut *Vulneratio* non lethalis ad *occiſionem*; ſicut *calefactio* ad *arſionem*, et ſicut *illuminatio* ad *irradiationem*, hoc eſt ſicut lumen *crepuſculi* ad radium, ſeu *meridiem*.„ *Et infra:* „Amor, quo quis amat Deum, ſcilicet *praeparatorie*, et amor, quem quaerit, et quo nondum amat (charitas ſcilicet) ſunt *unius*, *et ejusdem*, videlicet *Dei*; et *ſecundum idem*, et *propter idem*. Sunt igitur *unius*, *et ejusdem ſpeciei*; et *ità non differunt*, *niſi ſecundum magis*, *et minus*.„ En perfectam notitionem initialis charitatis, quam toto opere ſvademus. Confer not. hic ad Durandum n. VIII. adde ex cap. II. n. XI. ubi Angelicus hanc *charitatem praeparatoriam* clare docet. (*b*)

S. Bo-

(*a*) Igitur totus effectus timoris ſervilis eſt *non delinquere*, ſive ceſſare ab *actu peccati*. Quod et Gerſon dicit h. n. XIII talem timorem valere *ad praeſervationem a futuris* peccatis. *nolle peccare*, ſive *poſitive excludere voluntatem* peccati timori *Filiali* adſcribit hic antiquiſſimus auctor. Confer Alenſem, et quae ibi notavimus h. n. XI.

(*b*) Quemadmodum praemiſſi textus *Guillelmi Pariſienſis* clariſſime, invictiſſimeque evincunt charitatis initialis in Sacramento neceſſitatem, ita ex adverſo ne quis *ejus* auctoritate abutatur ad ſvadendam ſufficientiae attritionis ſervilis antiquitatem, ideo hic quaedam *ejus* propoſitiones dilucidandae nobis ſunt. Itaque laudatus antiquiſſimus Doctor cit. tract. de poenit. cap. 4. poſteaquam aſſeruit, ad Sacramentum poenit. non opus eſſe contritione *perfecta*, ſeu gratia *ſanctificante*, ſic pergit:

Difficultates ex Pariſienſi „Pie ſentimus, eos, qui cum fide hujus Sacramenti, et *vehementi deſiderio redemendi in Dei gratiam*, licet timore infirmitatis ſuae, et oppreſſione malae conſvetudinis propoſitum abſtinendi a conſvetis, et eadem emendandi non habeant, interdum de Divinae bonitatis abundantia virtute clavium, et Sacramenti praeſtari, et hujusmodi propoſitum infundi. Quemadmodum ille, qui lunaticum filium attulit ad Dom. Marci 9. credere nitebatur, ſed nondum fidem, adquam conabatur, habebat, propter quod dicebat: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam*: merito ſui conatus et Filio ſanitatem, et ſibimet fidei donum accepit. Sic et *de ſimiliter conantibus*, quod praeſto ſit eis Divinae beneficentiae auxilium, pia fides non dubitat.„ Rurſum ibidem. „In primitiva Eccleſia ſemper interrogabantur baptizandi, utrum crederent? Utrum diabolo renuntiarent? utrum baptizari vellent? Non interrogabantur, utrum *eſſent mundi a peccatis*, an non? utrum *in charitate eſſent?* utrum *omnium virtutum varietate decori, divites?* ſed *magis virtute baptiſmi hoc eis praeſtandum praeparabatur*. Sic et in Sacramento poen. digne, ac devote accedentibus praeſtari credimus, quod intendunt, eo quod venientes nondum habent, propter quod eſſe per Sacramentum illud quaerunt.„ et cap. 6. „Contritio eſt motus virtutis confringentis veterem hominem, ac funditus mortificantis: et dicimus, quod iſte motus poteſt eſſe cujuslibet e virtutibus affectivis. Poteſt ſiquidem eſſe iſte motus timoris, juxta quod legitur Eccli. 1. *timor Domini expellit peccatum*. Idem dicimus de motu pudoris: --- irae, --- indignationis, --- abominationis --- horroris, ſic de motu odii, --- execrationis, --- deteſtationis. Hi ergo decem motus directe ſunt ad deſtruendum, et mortificandum veterem hominem, et propter mortem, et extinctionem veteris hominis nominantur mortificatio ipſius, et *contritio*.„

S. Bonaventura, in 4. dist. 17. parte 2. q. 4. Dicendum, inquit, quod nemo recipit effectum Sacramenti, nisi charitatem habeat saltem in principio Confessionis, vel in medio, vel in fine. Multi habent in *S. Bonaventura.*

Ex quibus sic licet arguere. 1. Magnus hic Doctor non requirit *propositum* in poenitente abstinendi a consvetis, et eadem emendandi. go multo minus requirit charitatem aliquam initialem. 2. Eodem teste non quaerebant olim SS. Patres, an baptizandus esset in charitate? go ut olim, ita nunc nulla charitas ad baptismum, aut ad Sacramentum poenit. est necessaria. 3. Idem decem animi motus enumerat, qui omnes sunt Contritio. quorum primus est timor. go timor est Contritio sufficiens ad Sacram. poen. Haec ex Guillelmo pro antiquitate timoris servilis. Quae tamen soli possunt luculenter. Itaque *Proponuntur.*

Primum argumentum solvant prius illi, qui eo contra nos uti vellent. Omnes enim fateri debent ex Con. Trident. sess. 14. c. IV. dolorem Sacramentalem conjunctum esse debere *cum* firmo *proposito non peccandi de caetero.* Obvia solutio est, Sacramento essentiale non esse, ut quis dolorem, et propositum illi inclusum Sacramento necessarium sive imperfecta, sive perfecta charitate formatum *ad confessionale adducat*, sed sufficere, ut illud sub *manu Sacerdotis in ipsa actuali confessione* de bonitatis Divinae abundantia virtute clavium perficiatur. Sic hodiedum multi idiotae, aut peccatis nimium assveti minus digne comparent ad Confessionem; qui tamen ibidem opera, ac precibus confessarii ex abundantia Divinae bonitatis non raro ad perfectam, aut saltem initiali praedominante charitate formatam contritionem, indeque promanans firmum propositum non amplius peccandi adducuntur. An tales ut indigni defectu contritionis, et propositi *Sacramentum antecedentis*, sed sub *ipso Sacramento* sufficienter perfecti; absolutione privandi sunt? Minime etiam attritionistarum consensu. Et hoc sufficit ad objectam difficultatem dissolvendam. Ego vero cit. Scholasticorum magnum Lumen censeo de tali poenitente loqui, qui non dum quidem habet *perfectam contritionem*, *perfectumque* in ea fundatum *propositum*; habet tamen UTRUMQUE INCHOATE, et *initialiter*. Id colligo ex illis ejus verbis: *cum vehementi desiderio redeundi in Dei gratiam.* At tale desiderium charitas sane initialis est. Dein exemplo Patris lunatici, qui in ACCESSU ad Christum IMPERFECTAM fidem habuit. (non enim accessisset, nisi jam tum aliquo modo credidisset:) ni COLLOQUIO cum Eodem PERFECTAM est consecutus. Demum ex illis: *de similiter conantibus quod praesto sit eis Divinae beneficentiae auxilium, pia fides non dubitat.* Conatus enim ad charitatem; ad contritionem, ad propositum efficax non peccandi de caetero, initia utique sunt earum virtutum. Itaque docet praemissus Doctor, charitatem in *accessu ad Confessionem imperfectam*, et initialem, interdum *sub ipsa Sacramenti susceptione* ex Divinae bonitatis abundantia virtute clavium, et Sacramenti, pia item opera Confessoris in perfectam exardescere. Quam doctrinam nos suo loco illustraturi, hic lapidem ejus angularem inveniisse gaudemus. *Solvuntur.* *Charitas initialis saepe in Sacramento perficitur.*

Imo vero amplius quoque in cit. Guillelmi verbis Videre nobis videmur: nam cum Patres, et Doctores antiqui ad Sacr. poen. actum verae charitatis constanter exigant, ut vel ex hoc cap. manifeste elucet: ad justificationem vero extra Sacramentalem iidem *charitatis perfectionem*, *et intensionem* necessariam esse asseverent, ut cap. IX. amplius patescet. Ideo necessario concludimus, actum verae, sed inchoatae, et benevolae charitatis *sine Sacramento*, *affectum* quidem ad peccatum positive tollere, cor ad Deum convertere, proinde ad Sacramenta mortuorum sufficientem esse dispositionem: reatum tamen, et maculam habitualem peccati mortalis non delere, nisi vel accedente in re Sacramento: vel aucta charitate. Qua in doctrina quamquam omnem retro antiquitatem Magistram habeamus, attritionistae tamen nos eo potissimum argumento non Rigorismi tantum, sed et crudelitatis arguunt, quod ex opinione nostra sequi videatur, eos, qui initiali vera charitate in Deum converti jam sunt, in casu defectus Sacerdotis, Et in Sacramenti in re suscipiendi impossibilitate perire, damnarique cum initiali vera sua charitate debere. Ad quem nodum Gordium dissolvendum mire nos juvat laudatus antiquitatis Pharos Guillelmus, qui adducto exemplo Patris lunatici generaliter asseverat: DE SIMILITER CONANTIBUS QUOD PRAESTO SIT EIS DIVINAE BENEFICENTIAE AUXILIUM, PIA FIDES NON DUBITAT. Post quem nos quoque dicimus, pie nos credere, quod in casu necessitatis, et impossibilitatis suscipiendi Sacramenti, cum charitate initiali *Conantibus Divinae beneficentiae auxilium praesto sit*, ut ad perfectionem charitatis, et justificationem perveniant, atque ita salvi fiant. Non ponentibus enim obicem aeque praesto est Divinae beneficentiae auxilium *extra*, ac *in Sacramento*, juxta id, quod promisit Servatur: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* Et *facienti quod in se est cum gratia Dei, Deus non denegat ulteriorem gratiam.* At conans cum initiali charitate ad perfectam pervenire, venit reipsa ad Christum, facitque, quod in se est: ergo tali non denegatur ulterior gratia, qua ad perfectam charitatem perveniat. Atque haec sententia longe potior videtur imbecillitati meae alia, quam Vitasse de contritione q. 3. a. 6. sect. 3. et Juenin de poen. diss. VI. cap. 4. a. 1. §. V. tradunt asserentes: charitatem inchoatam ordinarie sine Sacramento in re suscepto non praestare justificationem, *bene vero in casu, et articulo necessitatis.* *Probabiliter etiam extra Sacram. conantibus.*

in fine, qui tamen non habent in principio, et alii ſe credunt habere in principio, et fine, qui fortaſſis non habent. Et *aliqui non habent, nec ſe credunt habere.* Primi non incurrunt offenſam, ſed aquirunt gratiam.

Effectus charitatis initialis non debet diſtingui ordinarie, et extraordinarie.

Mihi ſane difficile videtur diſtingvendam *eſſe vim charitatis initialis ordinarie*, et *in caſu neceſſitatis.* Quemadmodum Eſtii opinio hodie deſeritur ab omnibus, quod is vim juſtificationis charitati perfectae *ordinarie* negaverit, in raris vero caſibus (puta in articulo mortis, difficilis acceſſus ad Sacerdotem, et Scandali, ſi abſolutio petatur) admiſerit. Ita nos nunquam ad convictionem evincemus, initialem charitatem perſe *ordinarie* juſtificando impio imparem eſſe, ſi ſemel concedamus *extraordinarie* parem eſſe. Ut enim Phiſicae, et naturales, ita ſupernaturales vires, cauſae, et diſpoſitiones in caſibus ordinariis aeque, ac extraordinariis eosdem effectus per ſe producunt, niſi de extraordinario effectu *quaſi privilegio* pro caſu neceſſitatis charitati inchoatae juſtificandi impium a Deo conceſſo manifeſta, et authentica inſtrumenta Divinae conceſſionis producantur. In quibus procul dubio deficiunt Vitaſſe, et Juenin. Eorum enim opinio nititur potiſſimum Canonibus, et Patribus illis, qui aſſerunt, orandum eſſe pro Cathecumenis, et poenitentibus illis, qui cum pio deſiderio baptiſmi, vel petita, inchoataque poenitentia ante ſuſceptum in re Sacramentum ex hac vita emigrarunt: quia *voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit neceſſitas.* Quod theorematis inſtar habent concilia, et Patres. At haec ſane non ſunt *indubitata privilegia* initialis charitatis juſtificandi impium in caſu neceſſitatis. Dici enim poteſt 1. Patres, et Canones illos pie ſperaſſe, taliter demortuos *perfectam charitatem* habuiſſe. Id manifeſte ſupponit S. Bernardus epiſt. 77. ad Hugonem. Ubi de eo, qui ante baptiſmum in re obtentum morte praeoccupatus fuerat, aſſerit: *dummodo non deſit fides, ſpes pia, charitas ſincera*, OB SOLAM AQUAM *ſi deſuerit, nequaquam poſſum deſperare ſalutem.* At cui deeſt perfecta charitas, non ſane *ſola aqua* deeſt. Ergo Sanctus per *ſinceram* charitatem perfectam intelligit. Ita et D. Ambroſius *orat. in obitu Valentiniani*, ubi hujus charitatem comparat cum charitate Martyrum Chatecumenorum: *Si* illi *abluuntur ſanguine; et hunc ſua pietas abluit, et voluntas.* Quae comparatio aequat charitatem Valentiniani Martyrum charitati. At hanc ordinarie perfectam fuiſſe, nemo negaverit, etſi concedatur initialem cum martyrio conjunctam ſufficere. Dici poteſt 2. Patres, et Canones illos una nobiſcum pie credidiſſe, in articulo mortis initialem charitatem *conantibus de Divinae beneficentiae auxilio* in perfectam evaſiſſe. Id puto intellexerit Auguſtinus L. 4. de Bapt. C. 22. dum. ait.: INVISIBILITER IMPLERI, QUOD DEERAT, *quando miniſterium baptiſmi non contemptus religionis, ſed articulus mortis excluſit.* Quid oro ordinarie, et maxime deeſt, niſi *perfectio charitatis*, dum miniſterium Sacramentale articulus mortis excludit? Ergo tunc perfectio illa inviſibiliter ſuppletur, ſed *conantibus*, et *vehementi deſiderio redire in gratiam Dei volentibus*, ut ait Guillelmus. Cujus ardentiſſimi deſiderii illuſtre exemplum habemus apud S. Gregorium Niſſenum de ARCHIA, qui in extremis poſitus *montes, et ſylvas, arbores, et rupes advocabat, ut ab ipſis baptizaretur.* Dici debet 3. Eccleſiam ut piam matrem de filiorum ſalute *in re incerta* ſollicitam ubique *quod tutius* eſt, ſequi. Nam Patres, etſi *charitatis* in Sacramento *neceſſitatem* urgerent, *uſum* tamen *Sacramentorum* poenitentibus ita inculcabant, quaſi qui *cum illis* ſalutem conſequerentur, *ſine illis* ſalute excidernt, aut de ea admodum periclitarentur. Ita S. Anathaſius *epiſt. ad Orthodoxos*, ait, *eos in grave diſcrimen adduci* S. Gregorius Nazianzenus orat. 3. eam ob cauſſam exhortatur catechumenos *ad baptiſmum quam cito ſuſcipiendum.* S. Cyrillus Hieroſolimitanus *Catech.* 3. definit, *eos aliter in regnum intrare non poſſe.* S. Auguſtinus epiſt. 180. *ad Honoratum* deterrens Paſtores, ne oves ſuas tempore perſecutionis deſerant, ait: *Si miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſaeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati. Victor Uticenſis* Libr. 2. de perſecut. Vand. innuit, *non poſſe aliter ſolvi peccatores.* S. Fulgentius *de baptiſmo Æthiopis* Statuit, *non aliter poſſe hominem Salvari, quam per Sacramenta.* Alcimus Avitus *epiſt* 4. *ad Gondebaldum Regem.* Impium eſſe, ait, *moribundis abſolutionem negare.* adde ex cauſſa 26. q. 6 can. 12. et 13. ubi *Reus animarum, mortem morienti addere, animam ſua crudelitate occidere* pronuntiatur ille, qui poenitentiam moribundis denegat. conſonat ibi can. 5. 8. 9. 10. 11. Haec, et ſimilia non eo vergunt, quaſi Sacramentorum mortuorum *abſoluta ſit neceſſitas*, nec ſupleri *perfecta contritione* poſſint ex mente Patrum: probant tamen cenſuiſſe Patres, *ſine Sacramento* non ſufficere charitatem illam, quae *cum Sacramento* Salutem operatur. dein charitatem ſalutis per ſe operativam *raram in peccatoribus eſſe*: hanc item opera, ac Studio piorum Miniſtrorum facilius, quam privato *poenitentiam conatu* in perfectam exardeſcere: incertum adhaec eſſe, *quanta debeat eſſe perfectio charitatis* ſe ſola juſtificantis: magis adhuc incertum, an poeniteus *gradum* illum ignotum *charitatis* reipſa aſſequatur. cum et de *Supernaturalitate* actuum, et de *determinata intenſione charitatis* ad delendum perſe peccatum neceſſaria nemini mortalium conſtare poſſit Id enim ſi cui conſtaret, ſcire poſſet, *ſe eſſe juſtum.* quod Eccleſiae menti repugnat. praecipue vero ita loquebantur Patres, quia *qui veniam poenitentibus ſpopondit, tempus poenitendi*, aut ad perfectam charitatem conandi non Spopondit. ideo quod tutius erat,

Patres orandum ſtatuunt promortuis cum pio deſiderio Sacramentorum. Ratio Eorum 1a.

2a.

3tia.

Patres uſum Sacramentor. mire urgent.

Rationes eorum.

Ubique quod tutius eſt eligunt.

tiam. 2*di* evadunt offenſam, quamvis non aquirant gratiam. TERTII VERO NON ACQUIRUNT GRATIAM, SED IRAM. Haec Do-

uſum Sacramentorum cum initiali charitate ſaltem, modis omnibus inculcabant. Ex adverſo autem, morientibus cum pio deſiderio Sacramentorum, ſuffragia non negabant: quia id quoque tutius, benignus, et demortuis favorabilius erat. Enimvero ex ſuffragiis cum initiali charitate demortuis impendi ſolitis non magis certa ſit Vitaſſii, et Juenini opinio, quam ſit altera ex ſuffragiis non negatis poenitentiam in agone agentibus. At de horum ſalute trepidare anxio dubio Patres Eccleſiae, vel ex hoc capite ſit manifeſtum. Nec dubium prioris opinionis eximit illa Sanctorum ſententia: *voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit neceſſitas.* Senſus enim eſt: Sacramenta pro adultis *abſolute* neceſſaria non ſunt; cum *voluntas perfecta contritione ardens* pro facto reputetur. Ita Tridnum. ſeſſ. 14. cap. 4. definit, *perfectam contritionem* hominem Deo reconciliare ante uſum Sacramenti. ſed *de initiali* nihil tale legimus. Imo Ex Durando illuſtri antiquitatis teſte vidimus, CONANTIBUS, et *vehementi deſiderio in gratiam Dei redire* Satagentibus *Divinae beneficentiae auxilium praeſto eſſe.* Ergo noſtram Sententiam ut magis tutam, et fidelibus, quos ad uſum *perfectae contritionis* excitat in vita, ut *illa* in caſu *extremae neceſſitatis* ſit expedita, ſalutarem toto corde ſvademus. Contrariam ſententiam velut in ſcriptura, et Patribus parum fundatam reverenti potius ſilentio premimus, quam approbatione noſtra, memores illius: *altiora te ne quaeſieris: quis* enim *Conſiliarius ejus fuit* in iis, quae nec traditione conſtant, nec firma ratione. Ita taliter defunctis pia ſuffragia cum incerta Spe lugentes impendimus, ut viventes, et valentes in ſimile incertitudinis dubium non praecipitemus. Scimus, *omnem, qui* ſicut oportet, *invocaverit nomen Domini, ſalvum fore*; at terret illud: *non omnis qui dicit mihi, Domine Domine! intrabit in regnum coelorum.* ideo remiſſae charitati extra Sacram. nihil extraordinarii privilegii, quam ut conantes *ad perfectam* diſponat, adſcribimus. Haec ad 1*mam* difficultatem ex Guillelmo.

2*dum* non nocet nobis, verum confirmat mirifice traditam hactenus initialis charitatis in Sacramento ſufficientiam. Oppugnat nempe objectis verbis Guillelmus neceſſitatem perfectae, et *habitualis charitatis*, ſive *gratiae Sanctificantis* ad Confeſſionem adferendae a multis ſuo tempore aſſertam. ut verba ipſa in objectione relata exprimunt. Ex quibus certiſſimi reddimur, anteriores Guillelmo Patres, et Doctores non fuiſſe *contritioniſtas* omnes: non enim interrogabant a baptizandis, et poenitentibus: *an mundi a peccatis? An charitate habituali, et omnium virtutum varietate eſſent decori?* quae ſingula gratiam Sanctificantem ſonant manifeſte) *ſed magis Virtute baptiſmi*, et poenitentiae *hoc* donum amicitiae Divinae *praeſtandum eis praeparabatur.* Igitur magnifico hoc *Majorum* exemplo urget *Pariſienſis*, ſuo quoque aevo exigendam non eſſe a poenitentibus *perfectam* contritionem, et *hinc natum ſtatum gratiae*: verum ſufficere, ut *digne, et devote* accedentibus *ad Sacram. mortuorum vi clavium*, quod ante non habuerunt, praeſtetur Divinae amicitiae, ac virtutum omnium ornamentum. Rem adhuc clarius explicat idem ibidem ſequentibus: *non tam ſanctificatis, ac priſtinae gratiae reſtitutis, ad gratiam tamen poenitentialis ſanctificationis, ſicut decet, appropinquantibus, et paratis - - - credimus, et dicimus, Sacerdotali abſolutione - - remiſſionem peccatorum omnium, et gratiam, qua de caetero grati Deo, et acceptabiles vivant, praeſtari.* Verum ut quis *digne*, et *ut decet*, ad Sacram. poenit. accedat, exigit, ut habeat AMOREM PRAEPARATORIUM, *quo amet* DEUM SECUNDUM ID, QUOD DEUS, ET PROPTER QUOD DEUS eſt. Igitur cit. Doctor, neceſſitatem et perfectae contritionis manifeſte rejicit. et initialis charitatis conſtabilit: et non omnem charitatem Dei mox ante Sacram. juſtificare clariſſime infert: Sufficientiam vero ſervilis attritionis jugulat. Quae quatuor ſunt doctrinae noſtrae capita.

Quod 3*tium* erat: decem illos motus *contritionem* appellat antiquus hic Doctor *remote*, et *diſpoſitive* duntaxat, ut ſeipſum explicat luculenter cap. 7. ita differens: „*Revertamur ad id, in quo eramus, et dicamus, quodſi omnes iſti motus requiruntur in attritione, vel contritione veteris hominis, accidet, contritionem, et juſtificationem peccatoris non poſſe fieri in inſtanti, vel ſubito moveri motibus iſtis, vel aliis etiam. neceſſe eſt enim, ut moveatur, qui atteritur*, et *conteritur de peccatis, motu fidei, et iterum motu Spei. Neceſſe eſt etiam, ut moveatur motu dilectionis alicujus, ſive ſit illa charitas* (perfecta,) *ſive non.*„ Ut fidem, et ſpem, ita timorem, et alios recenſitos motus charitati introducendae praemittendos docet. In quo convenit cum aliis hactenus recenſitis antiquitatis luminaribus, et praelucet Tridentini ſeſſ. 14. cap. 4. tertiae parti. Ut cap. 5. videbimus. Imo vero Guillelmus *timorem ſervilem* tantum abeſt, ut Sacramenti poen. materiam ſufficientem putaverit, ut *virtutem* quoque *illum* eſſe neget: non utique ſimpliciter: agnoſcit enim *bonum Dei datum* eſſe; ſed talem, quae cor ad Deum convertat. En ejus verba: „*Timor ſervilis etſi bonum Dei datum ſit, non eſt tamen virtus. Et hoc, quia licet mala declinari faciat, non tamen facit hoc bene, et laudabileter*, non ſufficienter Sacramento: *ita enim occupat animum, et intentionem timentis, ut oculos cordis ad ſolam poenae evaſionem habeat.*„ Timor enim per ſe poenas fugiendas reſpicit: Animam ad Deum propter ſe amandum non attollit; id enim officium eſt initialis charitatis: per hoc tamen timor bonus eſt, etſi ultra naturam ſuam non operetur. Ut patet a paritate fidei, et Spei. Quae tam luculenta ſunt, ut nemini in mentem venire poſſit, Pariſienſem Attritioniſtarum ſervilium Praecurſorem exſtitiſſe; Imo vero, Initialiſtarum inexpugnabilem Statorem omnes illum venerari debeant,

Ideo etiam mortuis ſuffragia non denegant.

Incertum, an charitas initial. in caſu neceſſ. per ſe juſtificet.

go ad perfetam conandum.

Ex Guillelmo patet antiquos non fuiſſe contritioniſtas omnes.

Sed initialiſtas.

Decem motus proxime ad charitatem, remote ad juſtificationem diſponunt.

ctor Seraphicus: quibus adverſus attritionis mere formidantis praxim nihil terribilius dici poteſt. unde etiam ſit manifeſtum, quod introd. n. III cum horrore aſſeruimus, cum *timore* mere *ſervili* in Sacramento peccata *non remitti*, ſed *augeri*. Doctori Seraphico adminiculantur omnes hoc cap. laudandi veteres Doctores, et Patres timoris ſufficientiam negantes, et charitatem in Sacramento requirentes. quod non aliud eſt dicere, quam accedentes ad Sacramentum ſine ulla charitate non gratiam aquirere, *ſed iram* propter novum peccatum Sacram. ſine debita materia *ſuſcipere tentando commiſſum.*

Robertus de Sorbona.

Robertus de Sorbona, *qui in itinere paradiſi* tres dioetas diſtingvit, quas percurrere debet, quicunque ad veniam peccatorum in ſacramento contendit, antequam eo perveniat; 1*am* timoris gehennae. 2*am* Spei. 3*am* charitatis, quae Deum ſine poenae, aut mercedis intuitu diligat. Non quod haec excludi debeant; ſed quod principaliter intendi non ſufficiat. „Quantumcunque enim, inquit, de peccato doleas finaliter *propter hoc, quod ſcis te damnandum*, etſi rogaveris Deum, ut tui miſereatur, non exaudiet, licet bona infinita propter hoc facias: ſed poterit dicere tibi: Vade in infernum, ut accipias ibi mercedem tuam.„ terribile dictum!

Veram item ad Sacrm. pœnit. charitatem requirunt Thomas Argentienſis.

XIII. Duodenario huic numero Doctorum ante Tridentinorum ad Sacramentum poenitentiae veram charitatem requirentium, conſequenter ſolo timore illud rite perfici negantium addo alios, quiſunt:

Thomas Argentinenſis in 4. diſt. 17. q. 1. art. 3. concl. 3. „Quanto tenemur, inquit, aliquid magis diligere, tanto de ejus amiſſione tenemur magis dolere: ſed Deum tenemur deligere *ſuper omnia;* ergo de peccato *tenemur maxime dolere.* Major patet; quia ſecundum Beatum Auguſtinum Omnis dolor in amore fundatur; et ideo, ſicut ibidem ait, neceſſe eſt, ut tantum urat dolor, quantum laeſerat amor„

Joannes Gerſon.

Joannes Gerſon ſerm. In caena Domini de poenitentia: „Aqua contritionis ſit calida: hoc fit per converſionem in Deum fide, Spe, *et charitate ſubnixam:* hoc eſt quod dicitur a Doctoribus, quia quatuor requiſita ſunt in contritione; *converſio ad Deum. averſio a creatura;* infuſio gratiae, et expulſio poenae. *Hunc calorem non habet* aqua illorum, qui *dolent de peccatis ſolo timore poenae* -- ſicut communiter evenit id morte.„ *Et infra*: „Confeſſio fiat vere, non ficte, hoc eſt *in contritione, et charitate* ſecundum probabilem conjecturam. Utrum autem confeſſio, quae fit ſine charitate, liberet, ne iterum dicantur peccata? eſt difficultas vix inter Scholaſticos diſſolubilis. (*a*) Dicit autem Dominus Guillelmus Pariſienſis, et ALII COMMUNITER, quod contritio, quae alias non eſſet ſufficiens, ſit ſufficiens virtute Sacramenti. Poenitendum eſt igitur, et dicendum -- Poenitentiario: -- *Adjuva impoenitentiam meam.* An autem danda ſit poenitentia tali? tenendum

(*a*) Quod maximus Cancellarius Pariſienſis vix diſſolubile ait, an nos audemus ſolvere? minime omnium: cum terribiliſſimae ſint ſententiae de confeſſione cum ſervili attritione facta hic S. Bonaventurae, Roberti de Sorbona, S. Bernardini Senens. Guillelmi Vorilonii, Biel, Joannis de Baſſolio, Dioniſii Ciſterc. &c. Imo ipſe Gerſon quaeſtionem ſuam, quam hic vix diſſolubilem ait, mox in fine ſui textus ſolvit *negative.* Ut certa ab incertis ſeparentur, Exiſtimo: Apud Confeſſarium recordantem peccati ſine debito dolore confeſſi non requiri iteratam Confeſſionem, ſed accuſationem duntaxat de peccato: *quod tu ſcis:* vix eſſe controverſiam. Et ſic intelligo Morinum h. n. II primo loco relatum. Extra hunc caſum Illuſtriſſimus Epiſcopus Vaſionenſis Genettus (cujus Theologia Moralis juſſu Innocentii XII. ad conſepeliendas laxitates Ethicae Chriſtianae fuit per totam Italiam Sparſa) poſteaquam tom. 4. tract. 6. cap. 5. a. q. 9. uſque ad 16. attritionis ſervilis inſufficientiam in evidenti luce collocat, cap. 6. q. 13. iis, quos confeſſarius deprehenderit nulliter antea confeſſos, docet unicum remedium eſſe reparandi confeſſiones praecedentes nulliter factas *generalem confeſſionem.* His multo clariora reperiemus per decurſum. Quibus coram Deo expenſis, ille *affirmet* quaeſtionem Gerſonis, qui in his nullo ſe *dubio prudenti* angi affirmare valet: nam in dubio fatentur omnes etiam attritioniſtae, in materia Sacramentorum tutius eſſe eligendum. Vix aliquis perſvadere ſibi fortaſſis poſſet, Confeſſionem ſola attritione ſervili fieri poſſe. At id confitentur attritioniſtae. Ut ſuo loco videbimus. Ideo ſollicitudo noſtra non vana eſt.

dum quod ſic, non tamen abſolvendo, ſed ad praeſervationem in futuris.„

S. Bernardinus Senenſis: cujus haec ſunt verba *Serm. in feriam 3. poſt Dom. 1. Quadrag.* Cap. 2. „Secundum Bonaventuram *diſplicentia rationis in vera contritione menſuratur ſecundam quantitatem charitatis.* -- Ad hoc, ut aliquis habeat charitatem, neceſſe eſt, quod *ſuper omnia diligat Deum.* -- Ex his aperte elici poteſt, quod *qui conteritur principaliter ob timorem inferni*, et non propter amorem Dei, *non eſt in ſtatu ſalutis;* quia non dolet *amore Dei*, SED AMORE SUI; ut ſi ceſſaret damnatio ex perpetrata culpa, ceſſaret et contritio illa. Sed ſecundum Scotum in 4. diſt. 20. *Licet ad veram contritionem concurrat timor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans.* Unde etſi in peccatore *initiet timor poenae*, ſuperveniens tamen amor talem timorem debet repellere.„ *S. Bernardinus Senenſis.*

Guillelmus Vorillonius 4. diſt. 20. Art. 1. „Contritio eſt dolor voluntarie aſſumptus pro peccatis. Dicitur pro peccatis, *hoc eſt finis, et contritionis complementum.*„ Ergo *cauſa finalis, ſeu motivum, et finis contritionis* IN GENERE *eſſe debent peccata ipſa*, ac proinde non ſola poena peccatis debita. „Ut Confeſſio, contritio, et ſatisfactio valeant infirmis, oportet quod diſplicentia ſit circumſtantionata, et maxime ut peccatum diſpliceat *propter Deum*; quod valde difficile eſt tunc, ideoque raro ad ſalutem ſufficiunt.„ *Guillelmus Vorillonius.*

Echius Eccleſiae adverſus Lutherum vindex fortiſſimus. Cum enim Lutherus ſub initia defectionis ſuae hoc *Eccleſiae* falſo imponeret, quod *attritionem ſervilem* vi Sacramenti fieri contritionem *illa* ſentiret: e contra ipſe Lutherus aſſereret, *timorem hujuſmodi malum eſſe*. adverſus utrumque Catholici reclamaverunt, imprimis Echius: *Hom.* enim 39. „Metum poenae, inquit, conſiderare quis poteſt oculo dextro, tanquam praecipuum illud, quod eum movet: et qui aliquid facit ex hujus modi timore, peccator eſt uſque ad eo, ut quamdiu manet in illo, gratiam Dei non acquirat. Quodſi vero oculo dextro praecipue ſuſpiciat ad Divinam bonitatem, ſiniſtro tamen deorſum videat evitationem poenae tanquam accidentaliter, et non praecipue, non hoc adverſatur charitati.„ *Hom.* 40. „Profecto *ſervilis timor*, inquit, *initium poenitentiae eſt*: quamvis enim timor non ipſa quidem poenitentia eſt, *bonum tamen magnum exordium eſt ejus.* Quicunque ad charitatem uſque pervenit, huic *timor initium ſuae efficitur poenitentiae.* Unde recte dicit Auguſtinus, *timorem hunc bonum eſſe*, et *utilem*, ſed *inſufficientem*.„ut ovum ovo, ita Echius ſimilis eſt Trid. ſeſſ. XIV. c. IV. parti poſter. *Echius.*

Vivaldus de contritione. cap. 118. „Vera, inquit, Sancta, Catholica contritio eſt haec, quoniam expedit Deum omnium Creatorem *ſuper omnia diligere*, non quidem verbo, neque lingva, ſed opere, et veritate. Ideo oportet deſerere peccata, non propter vanos reſpectus, ſed quia peccata *ſunt offenſa Dei*, vel ſunt *contra Deum ſuper omnia diligendum*.„Sermonem eſſe de contritione *ſacramentali* exemplo aliorum recenſitorum Doctorum, tenemus eouſque, donec adverſarii evincant, aliam fuiſſe ante Tridentinis *Materiam* Sacramenti paenit. a *ſancta Catholica Contritione* charitate Dei ſaltem initiali animata. Quod et de aliis ſententiis Doctorum intelligo, in quibus *ſacramenti* mentio non fit. Nam eas quoque de charitate *Sacramenti* loqui Nubes Synchronorum Doctohic producta evincit. quibus praecluditur illud effugium attritioniſtarum, qno ubicunque mentio contritionis fit, id ad juſtificationem *extraſacramentalem* trahunt. *Vivaldus.*

Joannes Daventria, *ad Art.* 12. *Confeſſionis Auguſtanae:* reſellens Lutheranorum errorem de fidei ad juſtificationem ſufficientia, „Catholici, inquit, tradunt non ſufficere ad peccatorum remiſſionem, ſi (peccator) *tantum timeat, et* peccatorum remiſſionem *ſperet;* ſed quod oporteat eum *ex toto corde dolore*, et *converti ad Deum*, ita ut *non tantum timeat, ſed et Diligat Deum.*„ *Joan. Daventria.*

Con-

Concilium Senonense. Concilium Sennonense, ubi dicitur „Bonum, ac laudabilem esse timorem gehennae; quia inducit ad poenitentiam veram. „Ab eo ergo distingvitur poenitentia.

Conc. Coloniense. Concilium Colonienſe anno 1536. *in Enchyridio* „*Fides*, inquit, *cum timore filiali conjuncta veram poenitentiam a falsa separat*, et discrimen facit inter contritionem impii, et vere poenitentis. Impius enim concepto timore servili ex metu suplicii, atque ibi consistens in desperationem adigitur. Sed quos in hoc dolore constitutos Deus clementer respicit, hi cum *ex timore per fiduciam misericordiae filialem gradum fecerint*, tum demum ad veram poenitentiam contristantur. Vides ergo quemadmodum *consideratio justitiae, et divini judicii Poenitentiam inchoet*, consideratio tamen *bonitatis Divinae ex* AMORIS AFFECTU (*a*) *procedens Poenitentiam formet*.., Plane confirmiter Tridentino sess. 6. c. 6.

Albertus Pighius. Albertus Pighius *Controversia* 9 *in Lutheranos disputans* „Haec est, inquit, Catholicae Ecclesiae, et nostra doctrina de poenitentia„ Tum postquam assignavit tres illius partes, Contritionem, Confessionem, et satisfactionem: „Contritionem, inquit, intelligimus displicentiam vehementem, et dolorem de peccatis eo respectu, *quod Divinam majestatem illis offendimus*. Non omnem cordis poenitudinem Contritionem intelligimus, qualis in poenitentia salutari requiritur. Qui enim EX SUI tantum AMORE, SUI COMMODI respectu, *nempe ob gehennae metum* de peccatis dolor procedit, etiam quantumvis vehemens, et immensus sit, non est, qui cor contritum facit, aut veniam impetrat. Contritio ergo, quam Deus in nobis respicit, est dolor Divinae offensae, non NOSTRI tantum, imo illius praecipue causa, quem offendimus: Cujusmodi ut sit, Dei amorem, necessario requirit.., go attritio servilis amor SUI est.

S. Thomas de Villa Nova. S. Thomas de Villa-Nova *in Dom. Passion. serm.* 1. „Contritio, inquit, est dolor voluntarie assumptus pro peccatis„ Tum explicans se: „Non de damno (addit,) vel de poena, vel de infamia, sed dolendum est de peccato prout est offensa Dei, sic ut, etiamsi nullum incommodum de peccato proveniret, neque esset infernus, aut judicium, etiam displiceret peccatum, *quia Deus fuit offensus*. Vera contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore, aut ex AMORE SUI. Unde S. Augustinus: oportet poenitentem non solum Deum timere judicem, sed et justum diligere. Unde attritio, et contritio non tam differunt, quia contritio est dolor intensus, et attritio est dolor remissus, sed magis quia contritio est dolor perfectus propter Deum, atritio est dolor imperfectus, et mixtus cum aliis respectibus..„

Academia Lovanienſis. Academia Lovanienſis *in confessione Catholica Art.* 4. „Contritio, inquit, est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus; non autem, ut quidam hoc Saeculo pernicioſe docent, terror conscientiae propter apprehensum gehennae suplicium peccatis debitum. Praeparat tamen hic terror, ac metus ad veram animi contritionem..„

Conc. Moguntiacum. Concilium Moguntiacum anno 1549. cujus jussu edita est *institutio ad pietatem christianam juxta Doctrinam Catholicam*. Ibi quippe post multa in hoc argumentum praeclara, „Jam non est difficile, quae ad

(*a*) In his verbis: EX AMORIS AFFECTU deprehendisse nos gaudemus sententiam nostram, qua dicimus, *initialem* charitatem Sacramento necessariam debere esse AFFECTIVE *super omnia*. Nempe *non intensione* actuali (ut extra Sacramentum) sed *voluntate, desiderio, affectu eandem bonitatem Divinam propter semetipsam diligendam esse*. Id quod charissime jam hic tradidit Paludanus, Guillelmus Parisiensis, Thomas Argentinensis, S. Bernardinus, Vivaldus, Daventria, Godescalchus Rosemundus: qui hanc initialem, et ex parte liberi arbitrii, sive voluntatis *remissa* charitate *contritionem ad delenda peccata insufficientem* asserit extra Sacram. poen. invicto argumento, non omnem charitatem mox perse justificare. Confer, quae diximus n. VIII *in Durando*: et n. XII in Guillelmo Parisiensi de charitate *praeparatoria*.

ad plenam, ac veram cordis contritionem requirantur, diſpicere. Principio enim invalida eſt Contritio, quae in ſolo timore ſubſiſtit; quae ut vera reddatur, eo uſque progredi debet, donec jam fide, ſpe, et charitate fulciatur: ut jam non tam doleat peccator, quod poenam meruit, quam quod Deum offendit.„

Joannes Beetz *expoſitione in 3 praeceptum decal.* c. 5. „Confeſſio debet eſſe voluntaria; ex hac conditione ſequitur, quod debeat fieri cum *vera contritione*, et in charitate, ſive ex timore filiali, et non ſervili.„ *Joan. Betz.*

Godeſchalcus Roſſemundus *in confeſſional.* Art. 2. „Attritio eſt displicentia, et dolor de peccatis etiam *propter Dei offenſam*, *non* tamen *ſufficiens ad delenda peccata*: et *differt a contritione* 1. ex *parte liberi arbitrii*, *quod* -- *imperfecte*, *et remiſſe dolet.* 2. ex parte Dei, quia dolor gratia informatus dicitur ſemper Contritio, licet multum non ſit intenſus.„ Quis haec conſiderans aſſerat, Omnem charitatem mox perſe juſtificare? *Godeſchalcus Roſemundus.*

Alphonſus Virveſius *Philippica adverſus Melanchtonem* „Juſtificatio, et reconciliatio ſunt idem: reconciliatio non poteſt eſſe ſine dilectione: ergo nec juſtificatio. *Dilectio, et charitas ſunt idem:* (*a*) non ergo poteſt eſſe ſine charitate„ *Et Philippica* 9 „ Non eſt vera poenitentia, quando illum *non poenitet offendiſſe Deum*, ſed SE IPSUM reatus INCOMMODO laeſiſſe; et haec eſt poenitentia, quae proprie -- ex timore ſervili oritur.„ *Alphonſus Virveſius.*

En Illuſtriſſima antiquitatis Ante Tridentinae luminaria nro ſupra quinquaginta: quae ex *Vitaſſio* q. 3. de Contritione. *Drouven* lib. 6. q. 4. *Juenin* de poenit. cap. 4. a. 2, *Inſtit. Lugdun.* de poen. Diſſ. 3. cap. 3. deſumpſimus, velut viros poſt ſcipturam, et Sanctos Patres ſummae in Eccleſia Dei auctoritatis, doctrina, et ſanctitate celeberrimos, ſcholarum ſui aevi Principes Doctrinae Eccleſiae illorum temporum teſtes omni fide digniſſimos, SS. PP. Diſcipulos, et ſectatores, ut mox patebit amplius, fideliſſimos. Qui non ſolum attritionis pure formidoloſae in Sacramento poenit. ſufficientiam, antequam naſceretur, praefocaverunt; ſed et cunctarum deinceps per nos proponendarum ſententiarum fundamenta Inconcuſſa ſuppeditarunt. a quibus ſtupendum eſt, medii aevi Caſuiſtas toto coelo deſciſcere potuiſſe.

Ex quibus palpare licet, quod initio hujus cap. ex Benedicto XIV propoſueramus, nempe: omnem antiquitatem ſub eodem objecto *Dei propter ſe dilecti* duplicem *contritionem* agnoviſſe. *perfectam intenſione*; quae ſui nominis vocabulum retinuit: et *imperfectam vera* tamen *charitate initiali*, et *benevola* animatam. Quam alii *contritionem ſimpliciter; alii cum addito imperfectam:* alii potiſſimum ab initio Soeculi decimi tertii Scholae Phraſi *attritionem* appellarunt, atque ad Sacram. poenit. uno ore conſtanter neceſſariam affirmarunt. Ruit itaque 1. opinio ſufficientiae attritionis ſervilis, quam recenſiti maximi Doctores conſtanter negarunt *juſtificationi* etiam Sacramentali eſſe parem; nec niſi *remotam*, et *valde remotam* ad *illam* diſpoſitionem eſſe agnoverunt. Ruit 2. heſternum illud commentum, quod contritio ſit *genus*, et complectatur in ſe velut ſpeciem dolorem charitate animatum, et attritionem ſervilem. Cujus nec vola, nec veſtigium eſt in omni antiquitate ante Tridentina. (*b*) Illi enim antiqui ipſam contritionem, COROLLARIA *ex Doctrina recenſitorum Doctorum.*

(*a*) Si *dilectio*, et *charitas* ſunt idem, go ex mente hujus auctoris veram charitatem exigit Tridentinum illis verbis ſeſſ. 6. c. 6. *Illumque ut omnis juſtitiae fontem* DILIGERE *incipiunt.*

(*b*) Commentum hoc volunt videre attritioniſtae in Trid. ſeſſ. 14. c. 4. Verum ego quo amplius conſidero cap. illud, hoc minus aliquid hujuſmodi ibi video. Nam Concilium poſteaquam cap. 3. definit, contritionem (Utique more Majorum acce-

si charitate non perfecta, sed initiali animata sit, *attritionem* appellarunt, tanto a fortiori attritionem servilem nunquam contritionis honore dignati sunt. 3*tio* Instruimur praemissis, veteribus certum fuisse, a Christo solum dolorem charitate perfecta, vel initiali animatum Sacramenti poen. MATERIAM esse statutam: Non vero *servilem attritionem.* Est enim prorsus incredibile, quin et paradoxum, quod innumeri illi Doctores *hanc* ad Sacram. poen. sufficientem soeculis omnino sedecim negassent, si Auctor Sacramentorum eam ad dignitatem materiae Sacramenti elevasset. 4*to.* Docemur, eos, qui ex veteribus *attritionem* in Sacramento sufficere affirmarunt, *charitate animatam* intellexisse; proinde modernorum attritionistarum servilium Prothoparentes prorsus non fuisse.

Attritio servilis non est materia Sacram. poen.

Haec ideo multorum veterum Doctorum auctoritate Demonstratum dedimus, quia attritionistae si una, alterave quantumcunque sublimis auctoritas (infra scripturam, et conc. Generale, quae aliquo modo explicant:) iis opponatur, solent ab illa *cum honore*, ut ajunt, recedere. At a praerecensitis ultra 50 antiquitatis testibus nescio sane *quanto cum honore* recessuri sint. Quod ut clarius fiat, placet antiquis summis Doctoribus Magistros suos SANCTOS PATRES adjungere, et sic doctrinam nostram TRADITIONE ECCLESIAE, cujus testes sunt *Patres*, indubiam reddere.

DOCTORUM ANTE TRID. MAGISTRI *SS. Patres charitatis Sacramentalis Vindices disertissimi.*

XIV. Jam Numero hic XI Angelicum. XII S. Bonaventuram, XIII S. Bernardinum, et S. Thomam a Villa nova charitatis in Sacramento Poenitentiae Assertores disertissimos, consequenter attritionis mere formidolosae juratos hostes laudavimus: quibus consentiunt sequentes ascendendo a junioribus ad antiquiores: ut pateseat, haereditatem verae hujus doctrinae *filios* sanctos, a *Patribus* suis Sacro Sanctis per manus accepisse.

Petrus Blesensis.

Petrus Blesensis *de confessione sacramentali*: „Nemo, inquit, de momentanea affluentia lacrimarum praesumat: nulla afflictio pia meritoria est ad salutem, nisi *ex Christi dilectione procedat.*„

S. Antoninus.

S. Antoninus *Consiliorum* dictus in Summa 4. p. tit 15. c. 5 „ Quia timor servilis non est in charitate, non sufficit ad salutem: ideo poenitentes, proecipue in infirmitatibus oportet admonere, ne ad poenitendum, et confitendum propter hujusmodi principaliter moveantur. Nam inutilis esset hujusmodi poenitentia.„ Utinam hoc consilium omnes sequamur.

Burchardus Wormatiens.

Burchardus Wormatiensis *lib.* 19. *Decr. Cap* 32. „Propter nudum gemitum, inquit, et propter nudum nomen poenitentiae nullus salvabitur; sed per veram confessionem, sed per Sacerdotis intelligentis consilium, et *per charitatis Affectum* peccatorum moles obruitur.

S. Bernardus.

S. Bernardus epist. XI.„ Sola, quae in filio est, charitas, inquit, non quaerit quae sua sunt: quamobrem pute de illa dictum,

lex

---

ptam) esse partem Sacramenti poen. Initio cap. IV. enarrat conditiones verae contritionis. quae non nisi charitate animatae conveniunt. Ut consideranti patet. In 2. p. ejusdem capitis IV. docet Trid. hanc contritionem pro *parte Sacramenti* Statutam aliquando charitate esse perfectam, et tunc perse ante Sacram. cum voto hujus justificare. (quibus verbis manifeste docet duplicem contritionem: ordinarie *charitate animatam*, aliquando *charitate perfectam.*) in 3*tia* demum parte per particulam adversativam (*illam vero contritianem imperfectam*) unice damnat Lutheri dogma, docetque attritionem servilem esse donum Dei, quin remote (ut hactenus vidimus) ad justificationem disponere medio charitatis actualis, quam proxime introducit exemplo Ninivitarum. Ut cap. 5. Copiosius visuri sumus. Verbo: in 3. p. cap. IV. Doctrinae Lutheri damnatio continetur, non materia Sacramenti poen. non species Contritionis Sacramentalis; nisi exemplo Ninivitarum timori charitas accedat.

lex Domini immaculata convertens animas. Quod ſola videlicet ſit, quae ab amore ſui, et mundi convertere poſſit animam, et in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec *amor privatus* convertunt animam: mutant interdum vultum, vel actus; affectum nunquam.„

Venerabilis Beda in cap. 13. 1. Cor. exponens illa verba Apoſtoli de neceſſitate charitatis.„ *Et ſi ſciero omnia ſacramenta, et omnem ſcientiam; et ſi habuero omnem prophetiam, et omnem fidem. ita, ut montes tranſferam, charitatem autem non habeam; nihil ſum.*„ Poſtquam dixerat abſque dilectione Dei ne ipſum quidem baptiſmum prodeſſe; ſic habet„ ſi dixit (Apoſtolus) nihil eſſe ſi non habeat charitatem, *non ſacramenta, et* ſcientiam, et prophetiam, et fidem. illa enim magna ſunt, etiam ſi ille nihil ſit, qui ea ſine charitate habuerit, et eorum veritatem in ſua iniquitate tenuerit.„ Nullum itaque eſt ſacramentum, quod abſque charitate non ſit inutile, et infructuoſum judicio V. Bedae. *Ven. Beda.*

Iſidorus Hiſpalenſis ſent. Lib. 2. cap. 3.„ *Sine amore charitatis*, quamvis quiſque recte credat, ad beatitudinem pervenire non poteſt; quia tanta eſt charitatis virtus, ut etiam MARTYRIUM (atque adeo ipſa ſacramenta) ſine illa nihil eſſe credantur.„ *Iſidorus Hiſpal.*

S. Greogorius Magnus in caput 27. Job.„ Sancta Eccleſia, inquit, ſimplicitatis ſuae, et rectitudinis regulas timore inchoat, ſed charitate conſumat; cui tum eſt funditus a malo recedere, cum ex amore Dei coeperit jam nolle peccare.„ Lib. autem 6. in 1. .Reg. Capite 15. „Salubriter, inquit, confiteri volentibus ſcriptura inſinuat dicens: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Quid enim eſt corde credere ad juſtitiam, niſi voluntatem dirigere *ad fidem per dilectionem* operantem? cum ergo quis cordis intentionem ad juſtitiam *per amorem* dirigit, hic certe jam ad ſalutem confitetur.„ *S. Gregorius M.*

S. Caeſarius Arelatenſis *quodam in ſermone, qui ipſi nunc tributur, qui olim erat inter Auguſtinianos Septimus de tempore.*„ Poenitentiam certam non facit, niſi odium peccati, et amor Dei.„ *Caeſarius Arelatens.*

S. Hieronymus in Math. „Mundos eſſe vult poenitentes (*inchoate* ſaltem, ut hic num. XVI. Videbimus) antequam a Sacerdote ſolvantur: mundi autem eſſe *ſine amore Dei* non poſſunt!„ ergo Initiali ſaltem charitate *mundos affectu* deſiderat poenitentes maximus Doctor.

S. Ambroſius Lib. 7. in Lucam c. 7. „Qui metuit, inquit, reprimitur, non emendatur.„ *S. Ambroſius*

S. Proſper Lib. epigramaton: „Nullus enim eſt inſons ſola formidine poenae: (*a*) qui Sanctum, et juſtum non amat imperium. *S. Proſper*

S. Hillarius cap. 4. in Evang. S. Mathaei, „Charitas, inquit, plurimum peccatorum tegit, et errorum noſtrorum ambitioſa apud Deum Patrem patrona eſt.„ *S. Hilarius.*

S. Baſilius M. in Regulis fuſius tract. Interrogatione: de charitate adverſus Deum: „*Sciendum eſt*, inquit, *hanc unam quidem virtutem eſſe, ſed tamen ejus vi, et efficacia mandatum quodvis perfici*, et comprehendi.„ En charitatem virtutum omnium finem, et formam extrinſecam! recole hic ad n. VI. notam noſtram. Clarius ſe explicat S. Baſilius epiſt. ad Elpidium: „Sine qua (charitate) *mancam*, et *imperfectam* eſſe cu- *S. Baſilius M*

(*a*) Chriſtiano Poëtae concinit Ethnicus Horatius libr. 1. epiſt. 16 de improbo dicens:

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes in te formidine poenae:
Sit ſpes fallendi: miſcebis Sacra prophanis.

Ratio eſt: nam ut ex Ambroſio vidimus, *qui metuit, reprimitur* a malo, *non emendatur*. timor non ſanat, non convertit cor, ſed coercet, intus tamen *mala voluntas* manet tecta, preſſa, non emendata, ſed *hoſtis*, ut Auguſtinus ait: ideo ceſſante coercente metu, illa in actum malum mox qua data porta ruit. en potiſſimam tot relapſuum cauſſam defectum verae charitatis!

cujusvis praecepti obſervationem, ipſe nobis Dominus declaravit.„ Confer hic n. XXII. Concludit praemiſſa S. Doctor ibi: „Quae omnia ubi mente recolo, ut meum affectum prodam, in horrorem quemdam, et terrificum ſtuporem incido, ne quando ob *animi inconſiderantiam*, aut meam *circa res vanas occupationem* a Dei dilectione excidens Chriſto ſim decori, ac opprobrio.„ Haec Divus. Quibus continuum virtualiter Dei amorem urgeri patet ex verbis: ob *animi inconſiderationem*, *circa res vanas occupationem*. Quibus a *continua* Dei charitate, non *a gratia ſanctificante* excidimus: et tamen timet Sanctus, ne ſic excidens *a continua Dei charitate* Chriſto ſit *dedecori*, *ac opprobrio*. Ergo praeceptum continuae charitatis agnoſcit. Si Magnus hic Eccleſiae Doctor horret, ne per imperfectiones quotidianas ab amore Dei continuo excidens *Chriſto ſit decori*, quanto magis id timere debemus nos, ſi actum charitatis aliquoties tantum in anno eliciamus, atque ipſum Sacram. poen. *cum manca, et imperfecta* ſervili attritione ſuſcipere non horreamus? Haec ſententia unius S. Patris plus me docet, quam magnum volumen rixoſae Scholaſteriae.

S. Petrus Chriſologus. S. Petrus Chriſologus ſerm. 94. Decretorie: „Coeleſtis creditor totum debitum charitate compenſat, et ad incrementum totius foenoris amoris ſolius exigit uſuram; Plectendus debitor, qui dilectione ſola ſuam negligit redimere cautionem. Homo! remanſit tibi, unde piiſſimo ſatisfacias creditori Abſolvi vis? ama: hoc operit multitudinem peccatorum„ En ſolam charitatem proximam diſpoſitionem ad debitum peccati in ipſo Sacramento expungendum.

S. Leo. P. M. S. Leo P. M. ſerm. 7. de jejun. 7. menſis.„ Tanta eſt ſub hujus geminae charitatis (Dei, et proximi) edicto utriuſque copula t ſtamenti, ut ſine iſtarum connexione virtutum nec lex quempiam inveniatur juſtificaſſe, nec gratia.„ go ex mente S. Doctoris idem eſt in utroque teſtamento juſtificationis medium, ſola nempe charitas: go ſola Contritio charitate animata eſt elevata ad rationem materiae Sacramenti poenit. Sine qua ſcilicet, aſſerente Sancto, ut in lege, ita ſub gratia nemo juſtificari poteſt. Abſoluta eſt negatio, go et Sacramentum includere debet.

S. Joannes Chriſoſtomus. S. Joannes chriſoſtomus Hom. 4. in. 2. ad corinth.„ Cum peccaveris, ingemiſce: non quod poenas daturus ſis: nihil enim hoc eſt, (ad proximam juſtificationem) ſed quod Dominum tam benignum, tam te amantem - - - offenderis„ Verum nihil illuſtrius tota habet antiquitas pro charitate Sacramentali Oratione illa S. Chriſoſtomi, qua hodiedum Graeci pro ipſa Sacramentali abſolutione utuntur. Quam Doctor Sorbonicus Drouven cit. c. L. 6. c. 3. ſic refert ex eucologio, ſive Rituali Graecorum:

Oratio condonatoria Super Confeſſos - - -

Altera Oratio Chriſoſtomi, Dominum precemur.

Dominator Domine Jeſu Chriſte Deus noſter, qui per Prophetam Nathan Deiparenti (Progenitor i Chriſti) Davidi - - pepercifti, eo quod dixit: *peccavi Domino*. Qui Petro negationem amare flenti condonaſti. Qui meretricem (Magdalenam) fervide lugentem - - ſuſcepiſti. Qui et Manaſſen in Babilone paenitentem, et in æreo animali tibi confitentem rurſum Regem in Sion conſtituiſti. Qui et Prodigum - ad te revertentem benigne amplexus es. Qui Publicani poenitentiam, et humilitatem prae ſuperbo Phariſaeo laudaſti, juſtificatumque declaraſti. Qui et in Cruce Latronis poenitentiam ſuſcepiſti. Qui dixiſti: *Jbcobi* 5. v. 17 *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Sicut vocaſti ita fidelis, et juſtus ex iſtis, ut dimittas nobis omnia, et ab omni inquinamento carnis, et Spiritus nos emundes, Tu optime, et valde miſericors Domine, cuncta,

eta, quae Filius meus Spiritualis N. *contrito corde* coram Te tenuitati meae Confeſſus eſt, in praeſenti, et in futuro Soeculo condona: et indemnatum coram Te adſtare concede. qui es benedictus in Soecula. Amen.„ Haec ibi. Quibus neceſſitas charitatis ad Sacram. poen. invictiſſime probatur. Quorſum enim Aureum Os ſub ipſa Sacramentali abſolutione recenſet illuſtriora illa in Sacris litteris Davidis, Petri, Magdalenae, Manaſſis, Filii prodigi, Publicani, Boni latronis poenitentiae exempla, quae de fide eſt cum charitate in Deum fuiſſe acta? niſi ut poenitentem ſuum ad ſimile *cor contritum* excitet, provocet, inflammetque. Hoc ſane nec attritioniſta negaverit.

In Conc. Arauſicano II. Can. ult. MULTI SS. PATRES ita definiunt: *ipſe* (Deus) *nobis - - amorem ſui prius inſpirat, ut et Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus.*„ An minus requires in poen. Sacramento?., *Conc. Araus. ſic. 2.*

S. Cyprianus de lapſis „Convertamur inquit, ad Dominum mente tota, et poenitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei miſericordiam deprecemur. Rogare qualiter debeamus, dicit ipſe: *Revertimini*, inquit, *ad me ex toto corde veſtro.* Ad Dominum toto corde redeamus. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus, Alto vulneri diligens, et longa medicina non deſit. Poenitentia crimine minor non ſit:„ *S. Cyprianus.*

S. Clemens Alexandrinus Lib. 4. Stromat. „*In charitate*, inquit, *conſumati ſunt omnes electi Dei: abſque charitate nihil eſt gratum Deo.*„ Ergo Deo non placet Poenitentia charitatis expers. *S. Clemens Alexandrinus.*

Tertulianus de Poenit. C. 4. docens, quo pacto ſit poenitendum, „Poeniteat, inquit, amaſſe, quae Deus non amat; quando ne nos quidem ipſi ſervulis noſtris ea, quibus offendimur, non odiſſe permittimus.„ Plures Patres per decurſum paſſim ſingulis capitibus dabimus, potiſſimum cap. XI. n. XII. XIII. et cap. ultim. *Tertulianus.*

XV. At enim inſtar OMNIUM PATRUM eſſe merito poteſt magnus ille amoris Divini Magiſter, et Doctorum Eccleſiae Aquila Auguſtinus, qui timoris in Sacramento poenitentiae inſufficientiam, et charitatis neceſſitatem multifarie docet. 1 enim aſſerit, *timorem* ad veterem, charitatem ad novam legem pertinere. Lib. contra Adamantinum c. 17.„ Breviſſima, et apertiſſima differentia duorum teſtamentorum, timor, et amor: illud ad Legem veterem, hoc ad novam pertinet.„ et *lib. De natura, et gratia c.* 57. *n.* 67.„ Sub lege eſt, inquit, *qui timore ſupplicii*, quod lex minatur, *non amore juſtitiae ſe* ſentit abſtinere ab opere peccati; nondum liber, nec alienns a voluntate peccandi.„ *S. Auguſtinus diſertiſſime.*

Aſſerit idem Doctor 2. Neminem poſſe dici odiſſe peccatum, niſi quantum juſtitiam diligit: epiſt. 145 Ad Anaſtaſium„ Tantum porro quisque peccatum odit, quantum juſtitiam diligit.„

Aſſerit 3. Deſiderium maleſaciendi non tolli, niſi contrario Deſiderio recte faciendi. *Lib. 2. contra adverſarium legis* c. 7.„ Deſiderium peccandi non exſtingvitur, niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi *fides per dilectionem operatur.*„ 4. *Sermone* 23. *in Ps.* 118. „Si non diligendo iſta facimus, nulla eſt juſtificatio. *Quid profuiſſet inter quantacumque tormenta mortem Confiteri, ſi charitas, in confitente non eſſet?*„ *Serm:* 1. *in Ps.* 103.„ Munus Sacramentorum in *Baptiſmo*, in *Euchariſtia*, in ceteris *Sanctis Sacramentis* quale munus eſt? Non ſe jactent, qui forte ſine charitate habuerint hoc munus Dei Sanctum; quia *Si habeam omnem prophetiam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.*„ (*a*)

(*a*) *Sacramenta* ipſa *ſine charitate nihil eſſe* aſſerit hic Auguſtinus, atque iterum in fine huj. nri. cui conſonant n. XIV. SS. Antoninus, Burchardus, Beda, Caeſarius, Hieronimus, Petrus Chriſologus, Leo M. Prius vero *ipſum Martyrium* ſine charitate infructuoſum docet Auguſtinus Iſidoro, et Beda adſtipulantibus. Atqui nemo unquam dixit, Sacramentum poenitentiae Martyrio majoris eſſe efficaciae. go hi Patres abſolute negant *etiam cum Sacramento* juſtificationem ſine charitate fieri poſſe. Id ipſum ajunt alii: Nam 1. *generaliter* loquuntur, ut Bleſenſis, Burchardus, Caeſarius,

5. Poenitentem a Sacerdote ſolvi non debere, niſi exemplo Lazari a Deo prius Suſcitatus jam vivat: in Ps. 101. Serm. 2. „Remiſſio peccatorum ſolutio eſt. Quid prodeſſet Lazaro, quia processit de monumento, niſi diceretur: *Solvite eum, et ſinite abire*? Ipſe quidem (Chriſtus) voce de ſepulchro ſuſcitavit; -- et proceſſit ille (Lazarus) *vinctus*. Non ergo pedibus, ſed virtute producentis fit hoc in corde poenitentis. *Cum audis, hominem poenitere peccatorum* ſuorum, *jam revixit*; cum audis, hominem confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulchro eductus eſt; ſed nondum ſolutus: quando ſolvitur? a quibus ſolvitur? *Quae ſolveritis*, inquit, *in terra..*, *etr Vitam* autem *eſſe animae* ſolam *dilectionem*, et *charitatem* Dei ait in Ps. 54. „Vita noſtra dilectio eſt: ſi vita dilectio, mors odium eſt.., 6. Dominari ibi cupiditatem, ubi non eſt charitas. In Enchir. cap. 117. „Regnat cupiditas carnalis, ubi non eſt charitas Dei„ 7. Voluntatem hominis non poſſe ita in medio conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit: quia aut juſtitiam diligit, et bona eſt; aut non diligit; et mala eſt: Lib. 2. de peccat. meritis cap. 18. „Mirum, ſi poteſt voluntas in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit. Aut enim juſtitiam diligimus, et bona eſt; aut ſi omnino non diligimus, non bona eſt., 8. Sacramenta nihil prodeſſe abſque charitate: Lib. 2. Contra Petilianum, num, 172. „Teneamus charitatem: ſine qua et *cum Sacramentis*, et cum fide nihil ſumus.„

Certam igitur *traditionem* tranſmiſerunt ad nos PATRES FLORENTINI decreto not. ad n. II. relato.

Accedunt plures alii Patres, te Doctores exemplo LAZARI *usi.*

XVI. Huic Patrum, et Doctorum ante Tridentinorum pro initiali charitate, et attritionis mere ſervilis inſufficientia militantium fortiſſimo, invictiſſimoque exercitui *ſubſidiarii* ſunt illi, qui docent: quemadmodum Chriſtus Lazarum ſua virtute primum a mortuis *reſuſcitavit*, dein a *Diſcipulis ſolvi* juſſit; ita poenitentem non aliter, niſi *jam charitate ſuo modo viventem Sacramentali abſolutione a peccatis ſolvendum* eſſe. Sane ſi poenitens Lazari exemplo *vivere* prius *debet*, quam a Sacerdote ſolvatur, nullum dubium eſſe poteſt, quin vera inchoata ſaltem charitate debeat animari. Atqui id plurimi veterum Patrum ſentiunt, urgentque: ex quibus vidimus numero priori Auguſtinum in Ps. 101 id ediſſerentem. Cui conſentiunt Irenaeus, Ambroſius, Auctor Libri *de vera, et falſa poenitentia* cap. 10. Eucherius Lugdunenſis, Gregorius Magnus *Hom.* 26. in Joannem, Eligius Noviomenſis; Beda, Nicolaus I. Hincmarus. Synodus Aquiſgranenſis. Chriſtianus Druthmarus in caput 10 Math. Radulphus Flaviacenſis Lib. 12. in Leviticum cap. 1. Ivo Carnotenſis; Patricius; Odo Cluniacenſis *ſerm. de Maria Magdalena*; Gerardus Cameracenſis, Brunus Sygnienſis in Joan. parte 2. cap. 9. Rupertus Lib. 10. in Joann: cap. 11. Goffridus Vindocinenſis ſerm. 5. Radulphus Ardens *Hom.* in Dominicam 1. poſt Paſcha. apud Vitaſſe de cont. q. 3. a. 6. ſect. 3.

Unde auctor Pentalogi diaphorici inter laxioris diſciplinae magiſtros nobilis ſcriptor, „Exemplum Reſurrectionis Lazari, inquit, quo Patres ſaepius utuntur, ſatis ſignificat, non dari tum temporis abſolutionem, niſi illis, qui credebantur perfecte contriti, et propterea emendationem vitae exigebant, quaſi perfectae Contritionis ſignum, ut ſic Sacerdos non abſolveret, niſi eum, quem prius Deus abſolviſſet.„ In quo ille plus juſto liberalior eſt. Illud enim largitur, quod ne ipſi quidem poſtulamus. Vitaſſe l. c.

Neque

Baſilius, Clemens Alexandrinus. 2. Negant fieri poſſe *converſionem cordis ad Deum ſine charitate:* ut Bernardus, Ambroſius, Cyprianus, Tertullianus. 3o Patres hi neque *ad conſilium* detorqueri, neque *per auxeſim*, neque de juſtificatione *extraſacramentali* locuti eſſe dici poſſunt. Haec ſola collectio omnem veritatis amatorem convincere, et litem noſtram dirimere debet.

Neque enim unquam credemus, Patres omnes citatos ad Sacramentalem, absolutionem *perfectam contritionem*, ut *necessariam* exegisse. Placet enim nobis doctrina Benedicti XIV hic n. 1. proposita: nempe omnes *Patres*, et *Doctores duplicem semper agnovisse contritionem* sub eodem objecto verae charitatis: unam *perfectam*, *quae se sola*, *et per se sanctitatem*, *ac justitiam affert*. Alteram *imperfectam*, quae *per se homini justificando impar* in Sacramento sufficit: quod ex hactenus dictis evidens esse censemus. Quis enim credat, tot Doctores, hic a n. V. citatos, qui *remissam*, *et initialem charitatem* in Sacramento sufficere magno consensu docent, ipsumque Tridentinum a Patrum doctrina recessisse? Id quod ex eorundem Patrum, qui *exemplo Lazari* utuntur, et *charitatem ad Sacramentum poen. necessariam asserunt*, doctrina evidenter colligitur. Iidem namque docent 1. *peccatores Sacerdotali absolutione a morte aeterna liberari*, *revivisere*. 2. *Sententiam Sacerdotis absolventis* PRIOREM ESSE DIVINA. Audiatur Augustinus serm. 351. „*Ecclesiae clavibus - - quodcunque in terra solvitur*, *etiam in coelo solutum promittitur*, *et nullo temporalis mortis periculo* MORS AETERNA VITATUR.„ S. Ambrosius L. 2. de poenit. cap. 7. adducto Lazari exemplo exprobrat Novatianis:„ *vos indignamini*, *et contra Ecclesiam congregatis Concilium*, *quia videtis* MORTUOS IN ECCLESIA REVIVISCERE, *et peccatorum venia indulta resuscitari*.„ Auctor Libr. de vera, et falsa poen. Verba Christi claves Ecclesiae tradentis explicans ait: „*Hoc est: ego Deus*, *et omnes ordines caelestis militiae*, *et omnes Sancti in mea gloria laudant*, *et confirmant*, *quos ligatis*, *et solvitis super terram*.„ S. Hilarius in Math. 16. „*O Beatus*, inquit, *coeli Janitor*, *cujus arbitrio claves aeterni aditus traduntur! cujus terrestre judicium praejudicata auctoritas sit in coelo*„ S. Bernardus serm. 1. in Natali Petri, et Pauli: „*Petro quid potentius? qui claves regni caelorum tam singulariter accepit*, *ut praecedat sententia Petri sententiam Coeli. Quodcunque ligaveris*.„ Consentiunt S. Cyprianus, Chrisostomus, Leo M. S. Eligius, apud Vitasse de poenit. q. 1. a. 3. Igitur citati Patres *eam charitatem* de necessitate Sacramenti poen. requirunt, eam item exemplo Lazari *ope charitatis praeviae resuscitationem*, quae stat cum *morte animae habituali* mox ope Sacramenti tollendae quae est *initialis charitas*. Secus conponerent *perfectam charitatem* (si *eam* ad Sacramentum poen. requirerent) cum *habituali morte animae* poenitentis. Quod nemo de *iis* asseret. Itaque exemplum a tot SS. PP. citatum Lazari a Christo *resuscitati*, atque sic *ab Apostolis soluti* eatenus tantum locum habere in Sacramento poen. existimamus, quod poenitens vera Dei *charitate initiali* saltem animari, a *peccatis*, et *creaturis* male amatis *ad Deum inchoate* minimum *amandum converti*, *affectum peccatorum positive exuere*, *voluntatem peccandi deponere*, ac *retractare* ope *imperfectae*, *ac benevolae*, sed AFFECTU SUPER OMNIA *charitatis* debeat ante, quam Sacerdotali absolutione a *peccati habitu*, *macula*, *culpa*, et *reatu solvatur*. Haec est *vita inchoata*, et *imperfecta animae*, quam parit inchoata, imperfecta, et *initialis charitas* Dei: Ut *charitas acris*, et intensa *parit vitam plenam* in gratia Sanctificante, et remissione peccatorum constitutam. Hoc dicit et S. Augustinus in Ps. 54. „*Vita animae dilectio Dei est*:„ quanta dilectio tanta vita. Perfecta dilectio juxta omnes perfecta vita. go inchoata dilectio inchoata vita; ergo qui *incipit diligere Deum affectu benevolo*, jam *vivit vita initiali*. Nec plus significat discursus ejusdem in Ps. 101.„ REMISSIO PECCATORUM SOLUTIO EST. (notetur haec sententia!) QUID PRODESSET LAZARO, QUIA PROCESSIT DE MONUMENTO (deponendo *affectum*, *et voluntatem peccati*, *avertendo se a creaturis*, *et convertendo ad Deum*,) NISI DICERETUR, SOLVITE EUM, ET SINITE ABIRE (plane absolvendo; et liberando *a peccati culpa*, et *reatu*?) IPSE QUIDEM CHRISTUS (*voce gratiae*, *et inchoatae charitatis* inspiratae) SUSCITAVIT Lazarum,

Qui non perfectam, sed initialem charitatem requisiverunt.

Sess. 6. cap. 6.

Exponitur exemplo Lazari Vita aeae inchoata ope charitatis initialis.

Ex S. Augustino.

zarum, ET PROCESSIT ILLE (ab affectu, et voluntate peccati ad Deum; *ſed* adhuc VINCTUS habitu, et reatu peccati jam retractati:) *Cum audis hominem poenitere peccatorum ſuorum, jam* REVIXIT (OPE CHARITATIS INCHOATAE: Nam eodem teſte in Pſ. 118. *Si non diligendo iſta facimus, nulla eſt juſtificatio.* Et Lib. 2. contra Petilianum *Teneamus charitatem, ſine qua et cum* SACRAMENTIS, *et cum fide nihil ſumus*) *Cum audis confitendo proferre Conſcientiam, jam de ſepulchro vitiorum eductus eſt*) AFFECTU et VOLUNTATE *ea retractando*, et deteſtando;) nihilominus haec *vita imperfecta eſt* teſte eodem maximo Doctore: *Non dum ſolutus* reatu, habitu, culpa peccati; *quando ſolvitur? a quibus ſolvitur? Quae ſolveritis*, inquit, *in terra ſoluta ſunt et in coelo.* „Ex quibus hoc conficitur Argumentum: Ut Lazarus a Chriſto *reſuſcitatus* vere, et *coram Deo ſolutus eſt* ab Apoſtolis; ita ejus exemplo poenitens a Chriſto ope *charitatis inchoatae* (non *perfectae:* haec enim *perfectam vitam* animae tribuit) *ſuscitatus*, et *procedens*, ſed adhuc VINCTUS, et de ſepuchro vitiorum eductus *ſolvi debet a Sacerdote:* Atqui eodem Auguſtino teſte ibidem: REMISSIO PECCATORUM SOLUTIO EST. Ergo Sacerdos ope *charitatis inchoatae* a Chriſto *ſuſcitatum*, jam inchoate viventem *procedentem* VINCTUM, et de ſepulchro vitiorum *eductum* peccatorem adhuc *ſolvere debet a peccatis.* REMISSIO PECCATORUM SOLUTIO EST. Ergo *excitatus*, et *eductus* peccator ab *affectu* vitiorum ope *initialis charitatis non dum ſolutus eſt a peccatorum habitu, reatu, et culpa.* Alias remiſſio peccatorum non eſſet ſolutio.

Imperfecta vita animae Sacramento neceſſaria.

XVII. *Initialem* hanc animae *vitam*, et *imperfectam* animae *vivificationem* Sacramento poenit. praemittendam conſtanter, innumeriſque locis docet Auguſtinus: Serm. 67.„ Quare jam confiteris in accuſatione peccati tui? niſi quia *ex mortuo vivus* factus es: Scriptura quippe ait: *a mortuo, quaſi non ſit, perit confeſſio.*„ hoc eſt dictu: ſimpliciter mortuo, et per initialem animae vitam, per charitatem inchoatam nondum viventi nihil prodeſt oris confeſſio. Hoc dicit Auguſtinus ibi ſequentibus„ Qui enim confitetur, foras prodit. Foras prodire non poſſet, niſi *reſuſcitatus* eſſet„ An putas his maximum Doctorem contritioniſtis praeluſiſſe perfectam reſuſcitationem ad Sacramentum requirendo? audi porro..„ Dixit ergo aliquis: quid prodeſt Eccleſia, ſi jam Confeſſor voce Dominica reſuſcitatus prodit? Quid prodeſt Eccleſia confitenti? cui Dnus ait: *quae ſolveritis in terra ſoluta erunt et in coelo.* Ipſum Lazarum attende: CUM VINCULIS PRODIT: jam vivebat confitendo, ſed NON DUM AMBULABAT VINCULIS IRRETITUS: Quid ergo fecit Eccleſia, cui dictum eſt: *quae ſolveritis, ſoluta erunt?* niſi quod ait Dnus continuo ad diſcipulos: *ſolvite illum, et ſinite abire.* „En Lazarum *vivum, reſuſcitatum, prodeuntem* foras: ſed tamen CUM VINCULIS prodeuntem, VINCULIS IRRETITUM, NON DUM AMBULANTEM: ideo ſacerdotali abſolutione adhuc ſolvendum, ut perfecte liber, perfecte vivus ſit.

Ex Auguſtino

Duplicem hanc vivificationem adhuc clarius tradit Doctorum ſol Auguſtinus ſerm. 44. de Verbis Domini:„ Videte genus reſuſcitationis: proceſſit Lazarus de monumento *vivus*: ſed *ambulare non poterat*; et Dnus ad diſcipulos: *ſolvite eum, et ſinite abire.* Ille ſuſcitavit Mortuum; illi ſolverunt ligatum. Ad quid pertineat, videte: non ne poſt objurgationes, poſt increpationes dimittuntur homines cogitationibus ſuis, et incipiunt ſecum volvere, quam malam vitam gerant; quam peſſima conſvetudine premantur. Deinde diſplicent ſibi, mutare vitam inſtituunt. RESURREXERUNT JAM ISTI, REVIXERUNT, QUIBUS DISPLICET, QUOD FUERUNT: ſed reviviſcentes ambulare non poſſunt. HAEC SUNT VINCULA IPSIUS REATUS. Opus ergo eſt, ut qui revixit, ſolvatur, et ire permitatur. Hoc officium diſcipulis dedit, quibus ait: *Quodcunque ſolveritis in ter-*

in terra, erit ſolutum et in coelo. En reſurrectionem imperfectam Sacramento neceſſariam! *cogitare incipiunt mala ſua: diſplicent ſibi, quod fuerunt: mutare vitam inſtituunt.* Qui ſunt characteres contritionis initiali charitate animatae, et propoſiti novae vitae. Haec tamen reſurrectio opus habet ſolutione ſacerdotali a VINCULIS IPSIUS REATUS. Ergo duplex haec vivificatio: *imperfecta* ope initialis charitatis Sacramento proemittenda: et *perfecta* ope Sacramentalis abſolutionis cauſſanda innegabilis eſt.

Concinit Moralium Parens hom. 26 in Evang. „Cauſſae penſandae ſunt, et tunc ligandi, atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum, quae culpa praeceſſerit? aut quae ſit poenitentia ſubſecuta? ut quos *omnipotens per compunctionis gratiam viſitat*, eos *Paſtoralis ſententia ſolvat.* Tunc enim vera eſt abſolutio Praeſidentis, cum aeterni arbitrium ſequitur Judicis. Quod bene quadriduani mortui reſuſcitatio ſignificat, quae videlicet demonſtrat, quia prius Dnus mortuum vocavit, et vivificavit dicens: *Lazare veni foras*: et poſtmodum is, qui vivens egreſſus fuerat, a diſcipulis ſolutus eſt: ex qua conſideratione intuendum eſt, quod illos debemus per Paſtolarem auctoritatem ſolvere, quos Auctorem Noſtrum cognoſcimus per reſuſcitationem vivificare.„ go datur *arbitrium*, et *vivificatio* aeterni Judicis, datur *viſitatio* Omnipotentis per *gratian compunctionis imperfecta*, et *inchoata* ope charitatis initialis, quae requirit perfectam ſolutionem per Paſtoralem auctoritatem. *Ex S. Gregorio M.*

Rem omnem Angelice explicat Doctor Angelicus in Joan. c. 11. Lect. 6. ſequentibus. „Dicunt quidam hoc miſterium proſequentes, quod ſicut Chriſtus Lazarum per ſeipſum vivificavit, vivificatum a diſcipulis abſolvendum mandavit: ita Deus interius vivificat animam per gratiam, remittendo culpam, et abſolvendo a reatu poenae aeternae: Sed Sacerdotes virtute clavium abſolvunt a parte poenae temporalis. Sed haec poſitio nimis parum attribuit Eccleſiae clavibus. Hoc eſt enim proprium Sacramentorum novae legis, quod in eis gratia conferatur. Sacramenta autem in diſpenſatione miniſtrorum conſiſtunt. Unde in Sacramento poenitentiae *contritio*, et Confeſſio ſe tenent materialiter ex parte ſuſcipientis Sacramentum: vis autem cauſſativa Sacramenti eſt in abſolutione Sacerdotis ex virtute clavium, per quas effectum Dominicae Paſſionis quodammodo applicat ad eum, quem abſolvit, ut remiſſionem peccatorum conſequatur. Si ergo Sacerdos non abſolveret niſi ſolum a poena, Sacramentum poen. non eſſet gratiae collativum, perquam culpa remittitur: et per conſequens non eſſet Sacramentum novae legis. Eſt ergo dicendum, quod ſicut in Sacramento Baptiſmi Sacerdos verba proferens, et exterius abluens miniſterium Baptiſmi exhibet Chriſto interius baptizante: Ita Sacerdos exterius virtute clavium miniſterium abſolutionis impendit, Chriſto per gratiam culpam remittente. Sed hoc dubium facere videtur, quod ad baptiſmum plerumque accedunt pueri non ante baptiſmum juſtificati, qui in baptiſmo remiſſionis gratiam conſequuntur: Sed ad abſolutionem conſequendam accedunt adulti plerumque antea per contritionem peccatorum remiſſionem conſecuti, ut ſic ſequens abſolutio nihil facere videatur ad peccatorum remiſſionem. Sed ſi quis diligenter conſideret ex utraque parte adultos accipientes, invenitur omnimoda ſimilitudo: contingit enim aliquos adultos, antequam actu Sacramentum baptiſmi conſequantur, habentes illud in voto remiſſionem peccatorum conſequi baptiſmo flaminis: et tamen baptiſmus ſequens quantum eſt de ſe remiſſionem peccatorum operatur, licet in iſto, cui remiſſa jam ſunt, hoc locum non habeat, ſed ſolum augmentum gratiae conſequatur. Si quis autem adultus ante baptiſmum non perfecte fuiſſet diſpoſitus ad conſequendam peccato- *Ex Angelico*

remiſſionem; in ipſo actu, dum baptizatur, remiſſionem conſequitur virtute baptiſmi, niſi ponat per fictionem obſtaculum Spiritui Sancto. Et ſimiliter eſt dicendum de poenitente. Si quis enim ante abſolutionem Sacerdotis *plene contritus fuerit*, conſequitur remiſſionem peccatorum eo, quod habet in voto, ut ſubjiciat ſe Eccleſiae clavibus, ſine quo vera contritio non eſſet. Si autem antea *non plena fuiſſet contritio ſufficiens ad remiſſionem*, in ipſa abſolutione remiſſionem culpae conſequitur, niſi ponat obſtaculum Spiritui Sancto.„ En totam doctrinam vitae Spiritualis exemplo Lazari poenitenti neceſſariae Augelico ore expoſitam! En *duplicem* ſub eodem charitatis motivo contritionem: *perfectam* ante uſum baptiſmi, et poenitentiae juſtificantem! Et *non plenam*, nec *ad remiſſionem peccatorum ſufficientem* ante, ſed in ipſo actuali uſu Sacramenti! Hac vivere debet omnis poenitens amando Deum. Vita enim animae amor Dei eſt. Sed jam hac inchoata dilectione Dei vivens poenitens adhuc Ligatus eſt non *affectu*, ſed *habitu* peccatorum; ideo ſolvendus eſt vere, ac proprie a culpa miniſterio Sacerdotis. (*a*)

Ini-

(*a*) Vivificatio poenitenti ad Sacramentum neceſſaria nequit intelligi De *attritione ſervili:* nam haec *vitam animae* non dat, nec cauſſat *reſurrectionem animae peccatis mortuae* etiam juxta ſuos Patronos; ſed ope Sacramenti *illa* cauſſari volunt adverſarii. Patres vero paritate Lazari uſi effectus illos adſcribunt charitati Sacramentali. Ut ex dictis liquet. Omnes enim Patres, qui exemplum Lazari urgent, charitatem ad Sacramentum poen. requirunt.

Varii modi veterum contritioniſtarum explicandi vim Sacrament poen.

1mus.

Neque praemiſſa vivificatio intelligi poteſt 1. eo ſenſu: quod *charitas* Sacramento praevia *deleat culpam;* ſubſequa vero *abſolutio Sacerdotalis* ſolvat *poenam aeternam.* Quae opinio a Vitaſſio tribuitur Hugoni Victorino, Hugoni Lotharienſi, Richardo Victorino, et quibusdam aliis veteribus. Sed rejicitur ab ipſis Contritioniſtis. Sic Juriſtarum decus D. Rajmundus de Pennafort L. 3. de poenit. n. 8. „Quidam, inquit, dicunt, quod *Deus* mundat animam *a macula peccati*, *Sacerdos* autem eam *ſolvit a vinculo aeternae poenae.* HOS NON INTELLIGO.„ Et D. Bernardinus Senenſis tom. 2. Serm. 27.„ Qui contendunt, Deum maculam dimittere ante Confeſſionem; Sacerdotem vero in confeſſione debitum aeternae mortis relaxare, AUDIENDI NON SUNT.„ Et recte. *Uno* enim *actu peccati* incurritur culpa, et poena aeterna. go etiam uno actu contritionis, vel abſolutionis debet remitti. Nec Scriptura, nec Patres diſtingvunt remiſſionem culpae, et poenae aeternae. Atque ut Drouven ait: *Dei perfecta ſunt opera.* Unde Auctor de vera, et falſa poen. cap. 9.„ *impietas eſt, & ab illo, qui pietas eſt, dimidiam ſperare Veniam.* Quin haec opinio vix, aut ne vix quidem conciliari poteſt cum Apoſtolo ad Rom. 8. dicente: *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Nam quibus remiſſa per Deum eſt culpa, ſunt in Chriſto Jeſu, amici, Filii, et Haeredes Dei: attamen, ut fert haec opinatio, iidem forent inimici, et damnationi aeternae obnoxii ante Sacerdotalem abſolutionem.

2das.

Nec 2. intelligi poteſt dicta vivificatio ita, ut contritio praevia deleat culpam, et poenam aeternam; *Sacerdos declaret abſolutum a Deo*, et ad communionem admittat Sententiam Dei ratihabendo, et publicando. Quam opinionem rejecta priori, tenuit Petrus Lombardus in 4. Sententiar. Diſt. 17. & 18. Petrus Comeſtor. Petrus Pictavienſis 3. p. ſent. c. 13. Bandinus in 4. Diſt. et 18. Innocentius III in Pſ. 2. Alenſis. et multi alii. Non inquam poſſunt ſic intelligi Patres paritate Lazari vivificationem animae Sacramento praemittendam docentes: ajunt enim cum tali vivificatione manere poenitentis VICULA REATUS: poenitentem IRRETITUM VINCULIS AMBULARE non poſſe; ideo SOLVENDUM: et SOLUTIONEM eſſe REMISSIONEM peccatorum. Quibus veri peccati realis remiſſio primo per abſolutionem Sacerdotalem intelligi neceſſario debet.

3tias.

Nec demum 3. intelligi exemplo Lazari poteſt Vivificatio animae per contritionem ita, ut abſolutio Sacerdotalis *partem poenae temporalis* remittat *cum augmento gratiae Sanctificantis.* Quae ſententia tribuitur Guillelmo Antiſiodorenſi, Alfonſo Toſtato, S. Rajmundo de Pennafort, S. Bonaventurae. At *ſolutio vinculorum* Lazari ad poenam remporalem conſtringi poenitus nequit. Nam qui ſoli poenae temporali obnoxius eſt, *plane vivit: vinculis reatus* irretitus non eſt, *ambulat* de virtute in virtutem, meretur de condigno. Ut patet in juſtis ſepties venialiter cadentibus, ac eo ipſo poenam tempotalem promerentibus. Quos tamen nemo dixerit *vinculis reatus irretitos ambulare* non poſſe. In hac 3tia opinione erat aliquando Angelicus *de vi clavium*, ut textus ejus luculenter docent. En ex iis aliquos. Opuſc. *de Forma abſolut.* cap. 2. adducto Lazari exemplo ait: „Per hoc oſtenditur, quod Sacerdos

Initialis itaque charitas exemplo Lazari vivificat animam imperfecte *affectum, cor, voluntatem* a creatura ad Deum *convertendo*, non vero *reatum culpae*, et *paenae aeternae* tollendo ante, quam Sacerdotali abſolutione poenitens (ut Lazarus *inſlitis*, ſive ligaturis Joan. XI. v. 44.) ab his quoque *plene ſolvatur*, et ſic *perfecte vivificetur*. Atque in hoc eſt paritas SS. Patrum a Lazaro ad poenitentes. Non vero in eo, quod minima charitas peccatori plenam, perfectamque animae vitam ante uſum Sacramenti reddat. Quae doctrina cum *vinculis reatus* poenitentis jam inchoate viventis charitate, a quibus juxta cit. SS. Patres Sacerdotali abſolutione ſolvendus eſt, conciliari nequit. Cui addo convincenem hanc rationem:

Charitas non NATURA, *ſed* EX GRATIA *juſtificat.*

XVIII. Charitas qnaecunque non juſtificat NATURA SUA. In humanis Rex perduellem contritum licet, et quantumcumque poenitentem, punit poena ordinaria abſque injuſtitia. Ita et in Divinis juſtificationem impii miſericordiae, et gratuitae Dei acceptationi adſcribit 1. ſcriptura. Luc. 17. *Cum feceritis omnia, quae praecepta ſunt, dicite: ſervi inutiles ſumus.* Ad Titum cap. 3. v. 3. „*Eramus et nos inſipientes, increduli, - - odibiles:* cum autem apparuit *Benignitas* Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiae, quae fecimus nos, ſed ſecundum *ſuam* MISERICORDIAM ſalvos nos fecit per Lavacrum regenerationis Spiritus Sancti; ut juſtificati GRATIA ipſius haeredes ſimus - - Vitae Aeternae.„ go opera, quae praecedunt, et diſponunt ad juſtificationem, ad baptiſmum, non merentur *regenerationem*, et *renovationem* Spiritus; ſed eam (non quidem excluſa debita diſpoſitione, ut heterodoxi ſomniant) confert *gratia*, et miſericordia Dei.

(*a*) 2.

---

eum non debeat abſolvere: in quo ſigna contritionis non videt; *perquam homo juſtificatur intus* culpa remiſſa.„ *in expoſit. orat. Dominicae* ad petit. 5*tam*: „Sciendum, quod in peccato ſint duo: ſcilicet culpa, et poena. Culpa remittitur in contritione, quae eſt cum propoſito confitendi, et ſatisfaciendi. Sed forte quis dicet: ex quo dimittitur peccatum in contritione, ad quid neceſſarius eſt Sacerdos? Adhoc dicendum eſt, quod Deus in contritione dimittit culpam, et poena aeterna commutatur in temporalem: ſed nihilominus manet adhuc obligatus ad poenam temporalem. Quando ergo confiteris, Sacerdos abſolvit te de hac poena temporali ex clavium virtute„ non in toto, ſed ex parte, ut, ſe explicat in ſuplem. q. 10. a. 5. in O. „Dicendum, quod confeſſio operatur praeſuppoſita contritione, quae culpam delet: et ſic confeſſio directe ordinatur *ad diminutionem poenae temporalis*.„ Haec dicerat Angelicus a Magiſtro ſuo B. Alberto M. in 4. Diſt. 18. a. 3. ita docente: „Remiſit Deus in contritione culpam: et relaxavit debitum aeternae mortis: et poſt completionem remanet id, quod commiſſum eſt miniſtris Eccleſiae, ſcilicet *relaxatio poenae purgatoriae*.„ Haec ſcripſi, ut videant adverſarii Angelicum Juniorem contritioniſtarum principiis fuiſſe imbutum. Subinde tamen ſenior totus quantus noſtras factus eſt, ut patet vel ex h. n. dictis.

In hoc erat junior D. Thomas.

Obſerva hic modos, quibus veteres contritioniſtae ſalvabant cum perfecta contritione vim clavium, et abſolutionis Sacramentalis. De poſtremo, quem 3*tio* retulimus, magnifice ait Gabriel Biël in 4. Diſt. 18. q. 2. a. 2. conc. 2. „Cum dicitur, quod hoc eſt nimis derogare Sacramento poen. quia per hoc non haberet cauſſalitatem ad primam gratiam: reſpondetur, quod in nullo derogatur Sacramento, ſed magis commendatur. Quoniam cauſſat effectum ſuum, ſive culpae deletionem IN VOTO, quod includitur in contritione, et ſic quodammodo operatur Sacramentum in contritione, antequam exhibeatur in opere. „Hoc Biël. Quae doctrina a Tudetano Epiſcopo in Tridentino propugnata ſeſſ. XIV. cap. IV. canonizata eſt: unde patet quod contritio perfecta non praejudicet Sacramento. Quia tamen ibi Organum Spiritus Sancti fatetur, *contritionem* ALIQUANDO *tantum contingere eſſe charitate* PERFECTAM; ideo hodie certi ſumus, *charitate imperfecta* animatam contritionem ſufficere Sacramento: de qua ejusdem capitis Initio Sermo. Mirandi tamen ſunt Attritioniſtae, quod poſt tam claram doctrinam Tridentini adhuc ſubmituant effectui Sacramenti poen. cum *perfecta contritione*. Nam et tunc Sacramentum operatur juſtificationem, utpote *voto* in charitate incluſum. imo *Sacramentum* operatur, quod *materia Sacramenti* operatur. Dequo cap. IX. Hinc acute arguit Drouven L. 6. q. 4. c. 4. a. 3. *nunquid abſurda res eſt, ubi de placando Deo, et amicitia Divina reconcilianda*

Perfecta charitas non praejudicat Sacramento.

(a) 2. Consentiunt Patres. S. Bernardus serm. 61. in Cantica: *meritum meum miseratio Domini.* S. Gregorius L. 9. mor. c. 14. *Si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalesco.* S. Augustinus Libr. de lib. arbitrio c. 16. „*Deus nulli debet aliquid*„ ex justitia rigorosa: bene vero ex fidelitate sua in promissis, ut in Ps. 83. idem Doctorum Lux infit: *Debitorem Deus ipse se fecit, non accipiendo, sed* PROMITTENDO. Hinc 3. decernit Tridentinum sess. 6. c. 8. GRATIS *nos justificari, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur. Si enim gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* 4. Quod pulcherrime explicat Bellarminus Libr. 1. de poenit. cap. 5. ad illam Calvini Calumniam, *quasi Catholici docerent, nos justa, et plena contritione emereri remissionem peccatorum,* relatis Tridentini verbis ita docens:„ *contritionem* DISPOSITIONEM *volunt esse Catholici,* non meritum remissionis peccatorum. „Et cap. 6.„ Neque enim quia requirimus confessionem, et Contritionem, ideo non gratis, et per Christum, sed ex operibus propriis justificamur: *illa enim opera non merita sunt justificationis, sed* DISPOSITIONES *justificandi.*„ Item Libr. 2. cap. 12. asserit: „Si Deus exinde gratiam conferat, id non *ex justitia,* sed ex mera *benignitate* proficisci. „Consentiunt apud Vitasse de contrit. q. 3. a. 6. sec, 3. Franciscus Victoria, Driedo, Fredericus Nausea, Cajetanus, Gaspar Casalius, Vega.

Hoc sensu GRATIS *justificamur.*

Ex quibus sponte fluit haec demonstratio: Charitas Dei vera, et stricte talis, ac contritio illa animata nequaquam *ex natura sua,* verum ex pura Dei *misericordia, et acceptatione* justificat. go illa tantum charitas per se ante Sacramentum justificat, cui Deus hanc gratiam misericorditer promisit. Atqui Doctores, et Patres hactenus magno numero laudati eo ipso, quod *ad Sacramentum poenit. mortuorum* initialem charitatem requirant, ignorarunt illud *privilegium,* et *acceptationem* Dei, qua promisisset Deus omni charitati etiam *minimae* gradu, et initiali mox ante usum Sacramenti per se justificationem. go id gratis asseritur. Certe contradicentibus tantis, tamque eximiis antiquitatis testibus incertum prorsus, dubiumque quam maxime est. go illi nemo prudenter salutis suae anchoram alligare praesumpserit. Quae opponere solent adversarii, habes hic n. XXI. circa finem.

Deus initiali Charitati non promisit justificationem extra Sacram

Concludamus igitur hac collectione alta consideratione omnium dignissima: Opera, quae praecedunt justificationem, non merentur justificationem secluſa speciali Dei acceptatione. Hoc ex dictis patet evidenter. Atqui inter opera JUSTIFICATIONEM SACRAMENTALEM *praecedentia summorum hactenus Doctorum, et Patrum testimoniis (potissimum considera* n. I. testimonium de antiquis Benedicti XIV. n. II. Morini. n. V. omnes. n. VIII. Scotum, Durandum, Paludanum, Guilelmum de Rubione, Guidonem de Monte Rocherii. Dionysium Cister. Capreolum Gersonem, Joannem Nider. n IX Guillelmum Pari-

Ergo illa non justificat extra Sacrm.

---

tractatur, suspectam ideo habere charitatem, quia metus est, ne opus adeo desideratum accelleret? quis unquam putavit Operarium aliquem ideo nom debere admitti, quia caeteris promptius, citiusque laborat? nos itaque ex hoc capite non rejicimus perfectam contritionem in Sacramento: sed ideo, quia veterum plurimi, ipsumque Tridentinum initiali charitate contenti sunt, et cumhac Sacramentum in re susceptum primam gratiamcaussat.

(a) Obvius, et literalis hic sensus Apostoli *non excludit* communem illam explicationem, qua dicitur Gentium Doctor *operibus justitiae in Judaismo factis* non meruisse justificationem: *imo includit*: nam si Apostolus non est meritus gratiam regenerationis per dispositiones proximas baptismo necessarias, minus est meritus per justitias suas in Judaismo factas. Nostra tamen expositio magis cohaeret antecedentibus: ubi peccata sua describit, ut totam suam justificationem *gratiae, et misericordiae* Dei adscribat.

Parisiensem, Albertum M. Alensem, Angelicum, Angelum a Clavisio. n. XI, et deinceps usque huc omnes) irrefragibili veritate demonstravimus, necessariam esse veram aliquam Dei charitatem, quam *initialem*, inchoatam, et benevolam Scholae appellant. Ergo *hanc* se solam extra Sacrm. plenam, et perfectam animae vitam non mereri, tenendum est eo usque, donec serviliſtae *promissionem*, et acceptationem Dei *inchoatae* charitati perfectae justitiae *per se* emerendae paribus auctoritatibus evincant. Quod tamen ut hactenus non praestiterunt, ita deinceps ruente jam undique ad interitum attritionismo non praestabunt in aeternum.

XIX. Haec de mente ante Tridentinorum Theologorum, et SS. Patrum ad Sacramentum poenitentiae initialem charitatem, et inchoatam vivificationem *cum vinculis peccatorum* consistentem requirentium; sufficientiam vero servilis attritionis eo ipso negantium. Quod si tamen quis urgeat, Patres, et Doctores ante Tridentinos omnes vitam animae plenam, perfectamque contritionem ad Sacramentum poenitentiae requisiviſſe, (quorum nos multos vidimus hic not. postrema: *Et Vitasse de poenitentia q. 3. a. 5.* plures recenset ex Doctoribus tam *ante*, quam *post Tridentinum*, addens, eam opinionem *in Tridentino* ab *Episcopo Tudetano* defensam, *a nullo* hactenus Concilio *Generali*, aut *Summo Pontifice proscriptam*, in se tamen *veram non est*, quin *multo probabiliorem habendam nostram*, quae *ad Sacramenti poenitentiae valorem initiali charitate contenta est.* De qua nos cap. IX.) Si quis inquam Urgeret *Doctores*, et *Patres ante Tridentinos* omnes *contritioniſtas* (*a*) fuisse, quamquam ex dictis toto hoc Capite convinci de falsitate luculenter possit, ita tamen pro nostra *inchoata charitate* adversus *attritioniſtas formidolosos* hoc *assertum non concessum* intorquemus. *A majori ad minus invictum* semper *in eodem genere* reputatum *est argumentum.* Nam qui plus, etiam minus in eadem specie requisierunt, requirendumque suo exemplo nobis tradiderunt. Igitur a *contritioniſtis* evidens nobis suppeditatur argumentum ad *initialem charitatem* requirendam; nisi manifeste doceant *attritioniſtae*, illos non quoad *modum* duntaxat, *gradum*, et *perfectionem*, verum etiam *quoad substantiam charitatis* ad Sacramenti valorem requisitae *morem* duntaxat, et *disciplinam* suae aetatis, non *Sacramenti necessitatem*, *Divinamque institutionem* secutos fuisse. Nempe aeque, Si non magis premunt *attritioniſtas*; *Contritioniſtae*, *ac Initialiſtae;* quia ambo veram cha-

Si qui ex Patribus, et Doctoribus perfectam in Sacramento charitatem requisiverunt, ii quoque serviliſtas nobis cum premunt.

A majori ad minus: a contritione ad initialem charitatem urget argumentum.

(*a*) Solent *Serviliſtae Contritioniſtas* velut *Rigoriſtas* contemnere, et generaliter Doctores ante Tridentinos *illis* accensere. Ideo Laboravimus hoc capite, ut hujus praejudicii falsitas manifesta veritate pateſcat; Si qui tamen *tales* erant, eorum rationibus aeque, imo magis, ac nostris urgeri *serviliſtas*, hoc nro demonstramus. Initialiſtas tamen non urget contritioniſtarum auctoritas: nam hoc Capite innumeros recensuimus ex *antiquis*, qui Decreto Tridentini sess. 6. c. 6. per nos cap. II. declarando juncti et certitudinem absolutam faciunt de *sufficientia initialis charitatis*, et nos velut fulgentissimae stellae praecedentes ad verum sensum decretorum ejusdem sess. 6. c. 6. et sess. 14. cap. 3. et 4. intelligendum deducunt, certissimosque reddunt, magnum hoc concilium, totius *antiquitatis* compendium, ut *Hanc* deserere, ita sufficientiae attritionis servilis, aut amoris concupiscentiae favere nec potuisse, nec voluisse. En fructum inaestimabilem antiquitatis ante Tridentinae! Profecto sine ejus notitia nunquam attritioniſtae convincentur. Nam illi, ut suis locis videbimus, Decreta Tridentina pro se miris ratiunculis, in quibus sunt interminabiles, trahunt. Quodsi autem viderint, Doctores ante Tridentinos uno ore pro charitate Sacramentali stare; addamus vero, Tridentinum ab antecedentium, et coaevorum Patrum, ac Doctorum doctrina recedere in novam, et singularem unius Granatensis opinionem nec potuisse, nec voluisse: Hoc argumentum omnem vere Catholicum convincere debet. Haec notavimus, ne cui forte nimium critico haec antiquitatis monumenta congessisse aut minus utile, aut taedioſum videatur. Sane videbimus Cap. VI. Inventores attritionis servilis propter vanissimas, et futilissimas ratiunculas omnes ante se Doctores neglexisse. go eo reducendi sunt Filii, unde Parentes male recesserunt, si redire velint in viam veritatis.

ritatem Dei ad Sacramenti valorem requirunt, metus pure ſervilis ſufficientiam aeque horreſcunt. Nemo prudenter inficiari poteſt ex hactenus dictis, totam retro antiquitatem ante Tridentinam ſive contritioniſtarum, ſive initialiſtarum claſſi accenſendam eſſe: ergo fateri debent attritioniſtae, ſibi totam antiquitatem ante Tridentinam adverſari. Fruſtra clamant, antiquos Doctores contritionis ad Sacramentum Poenitentiae neceſſitati faventes de vi Sacramentalis abſolutionis admodum *jejune* ſenſiſſe, eam *meram declarationem remiſſionis peccatorum a Deo factae* exiſtimando: Eſto enim id de quibusdam negari nequeat, (non de omnibus, ut videre eſt ex hactenus dictis.) alii tamen *perfectam contritionem* cum *vera peccatorum remiſſione* compoſuerunt, et nos ipſi cap. IX. pulcherrimis modis conponemus ideo duntaxat, ne *hoc titulo* rejici *contritioniſtarum* opinio debeat. Alii longe plures Doctorum ante Tridentinorum, ut vel primo aſpectu ſalva ſit judiciaria poteſtas Sacerdotis abſolventis, *attritionis initiali charitate animatae novum explicandi modum* introduxerunt, ſecutique ſunt jam a prioribus introductum: Nemo omnium eorum hoc titulo, aut *metu Sacramenti* poenitentiae *praevertendae per charitatem*, ad *attritionem mere ſervilem confugit.* Ut ex hactenus dictis conſtat, conſtabitque porro quoque luculentius. Igitur attritioniſtae totam antiquitatem ante Tridentinam habent ſibi adverſariam: Quin doctrina eouſque vigente convincuntur manifeſte, fruſtra ſe *ſyſtema attritionis formidoloſae* introduxiſſe: fruſtra duplici contritioni perfecta, et initiali charitate animatae ut *materiae Sacramenti* Poenitentiae *metum ſervilem* (quod Eccleſia ſaeculis prope 16. aut ignoravit, aut deteſtata eſt) *addidiſſe:* Haec collectio clarior mox erit ſolutione earum difficultatum, quae ex antiquitatibus ante Tridentinis pro *attritione mere ſervili* adduci poſſunt. Prius tamen dicta illuſtrare juvat S. Scripturae Oraculis.

Serviliſtae nullam cauſ-ſam habuerunt refor-mandi doctri-nam ANTIQUORUM.

Patribus, et Doctoribus citatis conſentit

SCRIPTURA.

XX. Dum in antiquitatibus ante Tridentinis ad Sacramentum poenitentiae charitatis neceſſitatem hactenus cum ſummo ſolatio contemplaremur, vidimus una a Patribus, et Doctoribus illis maximis pro neceſſitate charitatis Sacramentalis citatos ſequentes S. Scripturae textus: Joël 2: v. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, a S. Cypriano, Joanne Daventria, Joanne Gerſon, et Gabriele Biël.

Si Charitatem non habeam, nihil ſum 1. ad Cor. 13. a V. Beda, et S. Auguſtino.

Scriptura in poenitente etiam cum Sacramento veram contritionem exigit.

Ex quibus ſic arguere licet: Si teſte Illuſtriſſimo Martyre Cypriano, (*a*) et ſummis illis Doctoribus *in Sacramento pnenitentiae* locum habet,

(*a*) Non evades, ſi aſſeras, S. Cyprianum loqui *de publica poenitentia.* Ut enim legenti ſermonem *de Lapſis* fit manifeſtum, duo copulative requirit Sanctus: *Ut delictum ſuum confiteantur:* et *ad Dominum toto corde convertantur.* Quis tibi perſvadeat, *publice poenitentibus* naceſſariam fuiſſe *converſionem ad Dominum toto corde:* non item hodie *privatim* poenitentibus? Unus eſt finis, unus Spiritus Dei, et Eccleſiae *in publica*, et *privata* poenitentia, *converſio* peccatoris *ad Dominum.* Deſiit ceremonia ſolennis poenitentiae: remanſit ſubſtantia, *converſio ad Dominum toto corde* et tunc, et nunc intenta, ut praeclare notat Auguſtinus ſerm. 58. de tempore dicens: *Quaſi nos, quando poenitentiam ſvademus, hoc dicamus, ut unuſquiſque magis ſibi capillos ſtudeat auferre, et non peccata dimittere, et veſtimenta potius evellat, quam mores.* go non tam ceremoniam, et diſciplinam externam, quam *emendationem, et converſionem ad Dominum* reſpexit et olim Eccleſia in poenitentibus, ut hodie. Neceſſaria igitur erat charitas *ſolenniter* poenitentibus teſte Auguſtino, qui ſerm. 7. de tempore ſic eos exhortatur: *Nunc jam ad vos loquor poenitentes, qui poenitentiam in*

Sicut in ſolenniter, ita in privatim poenitent.

habet, urgetque illud Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, locum pariter habebunt caetera *ejusdem ſenſus* Veteris Teſtamenti ex vera charitate ortam contritionem, et virtutem poenitentiae requirentia Divina Oracula; qualia ſunt Deuter. 4. v. 29. *Cum quaeſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto Corde quaeſieris eum, et ex tota tribulatione animae tuae.*

1. Reg. 7. *Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum, ſervite illi ſoli, et eruet vos de manu Philiſtiim.*

3. Reg. 8. *Si reverſi fuerint ad te in univerſo corde ſuo, et tota anima ſua, propitiaberis populo tuo.*

2. Paralip, 30. *Dominus Bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum ſuorum.*

Ezech. 18. *Convertimini, et agite poenitentiam*: Haec enim Divina Oracula, ut illud Joëlis, aeque exigunt *veram* in poenitente *contritionem extra Sacramentum perfectam, in Sacramento initialem*; ergo *ſi Joëlis textus* teſte Cypriano, et laudatis Doctoribus *ad Sacramentum poenitentiae pertinet*, aeque omnia citata, et alia ejusdem commatis, et Spiritus veteris Teſtamenti oracula *pro Sacramento Poenitentiae veram, etſi non perfectam, charitatem exigunt*, urgentque. Atque ita plane intelligimus Tridentini ſeſſ. 14. c. 4. illa manifeſta verba: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum* HIC CONTRITIONIS MOTUS *neceſſarius*. Ex quibus patet, ut in Veteri, ita in Novo Teſtamento, etiam in Sacramento poenitentiae requiri converſionem hominis ad Deum „*ex toto corde*„, *ita ut fiat*„ *novum Cor, novuſque Spiritus*„. Quod S. Auguſtinus brevi ſententia clare aſſerit dicens in Ps. 32. *Deus converſis ad ſe donat peccata, non converſis non donat*: Atqui converſio peccatoris ad Deum nulla ratione fieri poteſt ſine charitate: ut enim docet Doctor Mellifluus ſerm. 2. in Capite Jejunii: Cor ex quatuor affectibus, amore, et timore, gaudio, et triſtitia coaleſcit. „Totum enim, inquit, Cor hominis in his quatuor affectionibus eſt, et de his accipiendum puto, quod dicitur: *in toto corde tuo convertaris ad Dominum*: Convertatur proinde *amor tuus*; ut nihil omnino diligas, niſi ipſum, aut certe propter ipſum. Convertatur etiam ad ipſum *timor tuus*; quia perverſus eſt timor omnis, in quo metuis aliquid praeter eum, aut non propter eum. Sic *gaudium* tuum, et *triſtitia* tua aeque *convertatur ad ipſum*. Hoc autem ita fiet, ſi non niſi *ſecundum Eum doleas, aut laeteris*. *Totum* igitur *Cor noſtrum ad Deum convertitur, dum nihil perinde cupit, quam ipſo perfui, nihil* perinde *metuit, quam ab ipſo ſeparari*: dum de nulla re magis, quam de ipſius gaudet hono-

Conſentit Tridentinum ſeſſ. 14. c. 4.

Exigit 2. *Scriptura veram converſionem cordis.*

Quae ſine charitate fieri nequit.

Eccleſia accepiſtis, et agitis: vos modo ſatis DEBETIS AMARE DEUM; *et a timore jam* AD DILECTIONEM TRANSIRE: *quia ſic legimus in evangelio de peccatrice illa, cui multum dimittitur, multum diligit.* Neceſſaria *hodie* eadem charitas eſt in *privatim* poenitentibus teſte eodem maximo charitatis magiſtro Libr. 83. qq. q. 36. *Juſtitiae non ſerviliter, ſed liberaliter ſerviendum eſt: id eſt* CHARITATE *potius, quam* TIMORE. Rationem dat in expoſitione Epiſtolae ad Galatas: quia *non auferuntur peccata, niſi gratia fidei, quae per dilectionem operatur.* Et tract. 6. in Joan. *non prodeſt, ſi quis tradat corpus ſuum utique pro nomine Chriſti, ita ut ardeat, ſi illud non faciat charitate.* Et in Pſ. 118, *non prodeſt inter quantacunque tormenta martirii confiteri, ſi charitas non eſt in confitente.* Concinit S. Proſper in ſent. c. 172. *Nihil Spiritus timoris, ubi non eſt Spiritus charitatis.* Nulla igitur eſt differentia inter *publicam* olim, et *privatam* hodiernam poenitentiam niſi *accidentalis* in tempore, in durationc, in ſtationibus, caereriſque caetemoniis: nulla *ſubſtantialis* in dolore charitate Dei formato. go converſio ad Dominum ex toto corde, quam requrit S. Cyprianus *a Suis* poenitentibus, *in noſtris* quoque aeque neceſſaria eſt. go ille Joëlis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, aliique veteris teſtamenti dolorem charitate animatum in poenitentibus requirentes textus in hodierna quoque poenitentia Sacramentali locum plane habent quoad neceſſitatem *charitatis*: non tamen quoad gradum, et intenſionem *ejus.*

honore.„ Et Epiſt. 11. ait de charitate., quod ſola ſit, quae ab amore ſui, et mundi convertere poſſit animam, et in Deum dirigere.„ Hoc vero ipſum ratio demonſtrat tam evidenter, ut qui id non videt, media in luce caecutiat. Quid eſt enim cor niſi amor? in corde ſaltem praecipuum locum amor obtinet. Totum ergo cor a creatura non convertitur ad Deum, ubi amor, qui prius erat creaturae, in amorem Dei non mutatur. Quod ipſum vidimus clare aſſeri ab Alenſi n. XI. Angelico ibi. a Scoto XII. Biël ibi. Gerſone XIII. S. Bernardo XIV. Ambroſio ibi. Auguſtino XV. go *converſio cordis* neceſſaria in Sacramento *charitatem* exigit. Clariſſime Angelicus libr. 4. contra Gentes cap. 72. *mens noſtra debite ad Deum converti non poteſt ſine charitate.*

3. *Docet Scriptura, nos ſine charitate* NIHIL ESSE.

XXI. Rurſum ſi teſtibus Auguſtino, et Beda (*a*) illud Apoſtoli 1. ad Cor. 13. „*Si charitatem non habeam, nihil ſum*: ad Sacramentum poenitentiae neceſſitatem actualis charitatis urget, infero 1. Ergo cauſſa noſtra finita eſt. Nam ſi Patres hi citatum textum de charitate actuali in Sacramento poen. neceſſaria accipiunt, quis nobis aliam theologiam obtrudere potuit? Infero 2. Si cit. Apoſtoli locus charitatem actualem in Sacramento poen. urget, pari jure urgebant et illa ibid. cap. 16. v. 22. *Siquis non amat D. N. J. Chriſtum, ſit anathema.* Et illud 1. Joann. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* Item Joann. 14. v. 23. *Siquis diligit me, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus.* Atque etiam Lucae 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Verbo: *omnia* Novi Teſtamenti *charitatis praecepta ad Sacramentum quoque Poenitentiae ſuo modo pertinebunt.* Nunquam enim dabunt attritionitae diſparitatem, quare primum Apoſtoli textum magna illa Luminaria Auguſtinus, et Beda de Sacramento quoque poenitentiae intellexerunt, nos vero non deberemus ita intelligere poſteriores? qui ejusdem cum priore ſenſus, et Spiritus ſunt. confer cum his dicta nro hic XV. ubi et *Sacramentum*, et ipſum *Martyrium* ſine charitate nil eſſe vidimus ex Auguſtino. Enim vero totam oeconomiam initialis, et inchoatae charitatis videor mihi clare videre in illo Joann. 14. *Si quis* DILIGIT *me, et Pater meus* DILIGET *eum. et ad eum* VENIEMUS, *et manſionem apud eum* FACIEMUS. An obſecro? Deus eum, qui *inchoate, benevole*, et *affectu duntaxat ſuper omnia incipit* Divinam habere charitatem, an inquam eum Deus *mox diligit infuſa charitate habituali?* Id aſſerunt attritioniſtae, ſed non Divinus Secretarius Joannes. *ſiquis*, inquit, *diligit me* in *praeſenti* actuali charitate vera; *et Pater meus diliget eum in futuro*: ſcilicet vel dando ei copiam confeſſionis faciendae, vel augendo in illo charitatem actualem, et ſic per alterutrum medium *ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus*: omnia in futuro. Non eſt igitur quaevis Dei dilectio digna Deo manſio, *proxima* dico *juſtificationis diſpoſitio*: Sed ad eum, qui *Deum incipit amare*, Deus *ampliori charitate*, vel *Sacramentalis* poenitentiae *vi*, et efficacia *venturus* manſionem illam ſe dignam *facturus* eſt in futuro. Qui ſenſus liiteralis, et obvius eſt Joannei textus. Confer notata ad Dnrandum n. VIII. et n. XII Guillelmum Pariſienſem.

Oeconomia, ſive progreſſus initialis charitatis.

Adverſarii ut omnem charitatem *perſe* juſtificare evincant, illud, et ſimilia identidem magnificant: *ego diligentes me dilego.* Prov. 8. Sed

(*a*) Fruſtra excipis contra duos hos Sanctos Doctores, quod Soli manifeſtam veriratem non faciant. Nam cap. V. n. XXXII Echius hanc ſententiam vocat CATHOLICORUM. Igitur ejus aetate *Comunis* erat *Catholicorum* ſenſus, doctrinam Apoſtoli 1. ad Cor. 13. ad Sacram. poen. plane pertinere. Id quod ex hactenus pro charitate Sacramentali laudatis Patribus ante Tridentinis facili ratiocinio elici poteſt. A nro enim VIII. hoc cap. uſque huc cit. Doctorum, et Patrum textus ejus indolis ſunt, ut ex iis quiſque inferre valeat, eorundem judicio textum Paulinum et de Sacramento poenit. intelligendum eſſe. Adde cap. V. n. XXXIII ex Angelico Inſignem doctrinam de natura inferiorum virtutum. Aliam item hic a nro XXII exponendam.

certe inefficaciter: an enim *unam tantum* dilectionem, eamque perfectam solam *habet Pater* coeleſtis? Nae id exemplo etiam terreni Patris palmariter falſum eſt, rebellem ſibi filium utcumque poenitentem non ſtatim ad intimam amicitiam, et ad jus Haereditatis admittentis, verum ſenſim aucta filiali teneritudine ſe ſe ei communicantis. Ita agit Deus cum poenitente. Vidimus hic n. XI. ex Angelico (ante finem) *amorem poſſe eſſe tam parvum, ut non ſufficiat ad rationem charitatis.* c. n. XII. ex Guillelmo Pariſienſi, dari amorem charitatis *praeparatorium.* 3. n. XVI. XVII. exemplo Lazari admittendam eſſe *vivificationem imperfectam cum vinculis* peccatorum conſiſtentem. Ex quibus neceſſario colligimus, Deum pro menſura dilectionis noſtrae nos diligere: perfectam itaque charitatem per ſe juſtificare: initialem vero *affectum* dumtaxat a peccato ad Deum convertere: non vero *reatum*, non *vincula* Lazari per ſe, ſed in Sacramento dumtaxat Apoſtolica ſolutione accedente tollere. Tantum itaque abeſt, ut initialem charitatem per ſe juſtificare concedamus, ut potius ſine illa Sacrm. poen. nullum eſſe contendamus cum M. Auguſtino omnibus, qui audire volunt, intonante L. de poen. cap. 22. *Quid eſt homo in hac vita, antequam diligat Deum, niſi injuſtus, et impius?* Et in epiſt. ad Gal. *non aufert peccata, niſi gratia filei, quae per dilectionem operatur.* Et L. 15. de Trinit. cap. 18. *niſi tantum impertiatur cuique Spiritus Sanctus, ut eum Dei faciat amatorem, a ſiniſtra non transfertur ad dextram.* Vanam, et eluſoriam in his eſſe diſtinctionem *in*, et *extra Sacram.* n. XV. verbis cubitalibus conteſtatus eſt Auguſtinus. Ubi ei plures ex Patribus conteſtes collegimus. Nulla igitur in his eſt ad effugium rima.

XXII. Ad hanc attritionis ſervilis *Epocham ante Tridentinam* pertinet breviter nunc quidem (olim pro dignitate rei propitio Numine) exponenda ſententia da operibus noſtris *virtualiter* ad charitatem Dei referendis. Qua ſcilicet *Evangelica* doctrina nullum puto eſſe in univerſa, qua late patet, Theologia ad vitam Sancte inſtituendam medium efficacius: nullum ad evertendam in Sacramento ſufficientiam attritionis ſervilis argumentum potentius. Et jam aedificii hujus lapides angulares in praemiſſis jecimus colligendo not. ad n. v. hic Doctores Veteres: nempe Angelicum, Scotum, Joannem Nider, Baſſolium, Vorillonium hujus opinionis Patronos. Qui eam a Magiſtris ſuis SS. Patribus acceperunt. En eorum nonnullos:

Relationem virtualem operum ad Deum praeceptam docent

SS. Patres.

Origenes L. 8. contra Celſum: „Ex verbi, inquit, Dei praeſcripto vivendum, quantum poſſibile eſt, et quantum ex ejus praeſcripto vivere datur. Datur autem. Cum ſive manducemus, ſive bibamus, omnia in gloriam Dei facimus. Atque *his conditionibus nos Deus - - in hanc vitam produxit.*„ S. Baſilii M. magnifica teſtimonia vidimus n. XIV. h. En alterum adhuc expreſſius libr. Reg. fuſius diſput. reſp. 5. „Chriſtianus in omni actione tum parva, tum magna ad Dei voluntatem directa perficit praeceptum illud: ſive manducatis, ſive bibitis, omnia ad gloriam Dei facite.„

Origenes.

S. Baſilius M.

S. Ambroſius in cap. 1. Malach. „Qui eſt chriſtianus, ſemper debet Patri ſuo, ac Domino ſuo laudes dicere, et in ejus gloriam omnia procurare, ſicut ait Apoſtolus dicens: ſive manducatis, ſive bibitis, in gloriam Dei facite.„

S. Ambroſius.

Theodoretus in cap. 10. Epiſt. ad Corint. „Omnia in gloriam Dei facite. Pulchre *omnia* comprehendit; ut unus omnium ſit ſcopus Dei gloria, ita etiam praecipit Dominus.„

Theodoretus.

S. Bernardus ſerm. 2. De divers. breviter, et convincenter: „quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei.„

S. Bernardus.

Os Aureum Hom. 22. „Paulus praecipit, omnia in gloriam Dei ut faceremus. Sive enim editis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis, ad gloriam Dei facite.„ Ergo illud 1. ad Cor. 10. v. 31. *Sive manducatis*

S. Chriſoſtomus.

OMNIA IN GLORIAM DEI FACITE: praeceptum esse affirmant Sancti.

S. Prosper. S. Prosper L. de vocat. Gent. c. 6. „Homo etiamsi in bonis operibus agat, male adhuc vivit, si non in Gloriam Dei vivit. Hoc enim proprium, ac praecipuum est piorum, ut in Dno glorientur.„

S. Gregorius. Moralium Parens. L. 25. mor. cap. 7. illud Levitici 6. v. 12. *Ignis in altari meo Semper ardebit*: explicans ait: „altare Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere; *quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam* INDESINENTER *accendere*.„

Augustinus. XXIII. Ut in aliis, ita in hoc Aquila Doctorum est Augustinus. serm. 34. „Vide si aliquid voluit dimittere in te, unde ames te, qui tibi dicit: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua. Quid remanet de corde tuo, unde diligas teipsum? quid de anima tua? quid de mente tua? EX TOTO: TOTUM EXIGIT TE, qui fecit te.„ Et serm. 259. „Fratres! obsecramus vos in nomine Jesu Christi, ut omnis intentio Vestra - - non dirigatur, nisi ad illam vitam, quae nobis cum Angelis est futura: ubi perpetua quies, sempiterna laetitia, indeficiens beatitudo, nulla perturbatio, nulla tristitia, nulla mors.„ Quibus verbis amoris Magister *continuam* Dei charitatem stricte talem in coelo futuram hic mortalibus conveniente modo mox exponendo inchoandam, continuandamque magnifice inculcat. Est nempe hoc *Primum* doctrinae Augustinianae, imo naturalis, et Divinae legis principium, *finem, ad quem conditi sumus, summum, et incomutabile bonum* Deum *diligendum esse toto corde, tota mente, tota anima*, ita ut quidquid aliud diligendum in vita venerit, IN ILLIUS *dilectionem referatur*. Hoc docet Augustinus duobus mox relatis suis textibus. Et L. 1. Doctrin. Christ. Cap. 22. *Alterum* Augustini principium est: In omnibus actionibus deliberatis a creatura rationali SOLUM DEUM PRO FINE habendum esse; quia nullum reperire est bonum creatum, inquo creatura BEATA sit. Libr. 1. Conf. c. 1. et De Civit. Dei libr. 12. c. 1. Id quod Aquilinus Doctor ab illo accepit, qui raptus in tertium coelum didicit, omnium praeceptorum, et actionum *finem*, decus, et ornamentum esse Dei charitatem: 1. ad Timoth. 1. 5. *Finis praecepti est charitas*. Hinc contra Julianum Libr. IV docet, opera *officio* (Hodie dicimus *in suis motivis intrinsecis*, et *fine proximo*) opera inquam *officio* bona, *non recto fine ultimato*, defectu *relationis ad Deum*, esse *prava pravitate extrinseca* tenente se ex parte *operantis*, non *ipsius operis intrinsece*. Adscribendum namque est litteris cubitalibus, Augustinum agnoscere virtutes inferiores *officio*, in *suis motivis intrinsecis* esse *bonas*: Sic libr. contra Julian. affirmat elemosinam a Gentili ex *naturali compassione* distributam *officio* esse *bonam*. Ita et libr. de Patient. asserit patientiam, aliaque christianae pietatis officia a Schismaticis, vel Haereticis exercita non esse *peccata, et culpanda*. Attamen Enchir. c. 121 intonat: „Quod ita fit, ut non referatur ad charitatem, non dum sit, quemadmodum oportet fieri: quamvis fieri videatur.„ Et libr. de Gratia, et lib. arbitr. c. 18. „Haec praecepta dilectionis talia, et tanta sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene; Si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene.„ De illa charitate loquitur maximus Doctor, cujus ibi c. 17. Encomia describit: quam ex Apostolo Roman. 8. refert: *quis nos separabit a charitate Christi*. Ad quam toto corde consectandam nos ex 1. ad Cor. 12. v. 31. excitat: *Et Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro* c. 13. v. 1. *si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, nihil sum*. Quae ibi v. 4. *patiens est, benigna est, non inflatur, - - omnia suffert*. v. 8. *quae nunquam excidit*. v. 13. *major autem horum est charitas*. De illo item loquitur: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Quae nisi de *vera*, Actuali *charitate Theologica*

Cujus principia

Primum.

Secundum:

logica intelligantur, in tota ſcriptura Sacra *de hac* vix ullum reperiemus veſtigium. Nam et alia loca, ut haec, detorqueri poterunt ad ſenſus a charitate actuali alienos. Ex quibus praecluditur illud effugium, quod princeps Doctorum Eccleſiae de charitate *habituali*, aut de *inproprie*, *et latiori quodam ſenſu* accipiendo amore Dei loquatur. qui et libr. de cor. et grat. c. 3. decretorie ſtatuit: „*Praecipit Apoſtolus dicens*: OMNIA VESTRA IN CHARITATE FIANT. Cujus doctrinae Auguſtinianae hic verus ſenſus eſt teſtibus Lovanienſibus Doctoribus coram Apoſtolica ſede ſententiam ſuam exponentibus a 1677. (apud Cl. Berti Auguſtinian. Siſt. vindic. Diſſ. 3. Cap. 1. §. V) *Omne opus, ut plene bonum ſit, et ne veniali ter quidem in eo peccetur, debet ex tali charitate* (de qua Scripturae loca mox cit) *procedere, ac per ipſam referri ad Dominum Deum, ut opus* BONUM *ſit tam ex parte* OPERIS, *quam ex parte* OPERANTIS. *Utriuſque enim rectitudo eſt neceſſaria ad plenitudinem bonitatis, ſive* UT OPERANS NULLUM IN CURRAT PECCATUM, NE QUIDEM VENIALE. Cui declarationi aquievit Supremus Sanctae inquiſitionis ſenatus deputatis Lovanienſibus abſque ulla cenſura praedictae doctrinae dimiſſis. Igitur et attritioniſtas aquieſcere neceſſe eſt. 1. ad Cor. 16. v. 14.

XXIV. Ajunt hi: Auguſtinus, et alii Patres docent praemiſſis relationem ad Deum IMPLICITAM operum in eo conſiſtentem, *ut opera noſtra* NATURA SUA *ſint bona, et ad Deum referri apta, quia nulla pravitate mixta.* Inquiunt enim *eo ipſo, talia ad Deum dirigi ut auctorem totius honeſtatis moralis.* Tu Lector! Sede hic arbiter, et ſtatue 1. An adducta hactenus *Sanctorum* oracula hunc ſenſum *implicitae relationis* quoquomodo obvie, et litteraliter admittant? Statue 2. Quod ovum ovo ſimilius ſit, ac effugium hoc cum ſequenti ppone a Clero Gallicano 1700 damnata, et digniſſima, quae a tota Eccleſia diris infernalibus devoveatur: *Praecepto amoris Divini ſatisfit per aliorum praeceptorum obſervationem.* Statue 3tio: An effugio illo non tollatur e medio totum quantum charitatis praeceptum? Sane ſi ſufficit ad ſalvandam Evangelii, et *Sanctorum* de charitate doctrinam, ut opera noſtra *natura ſua* ſint bona, *nulla pravitate mixta*, non video, qua ratione convincent adverſarii eos, qui praeceptum charitatis univerſim ſublatum vellent? afferent enim hi ore adverſariorum: Opera noſtra ſufficit eſſe *natura bona*, nulla pravitate mixta: amplius non tenemur; ut vos non teneri putatis Scripturae, et PP. virtualem relationem urgentibus textibus. Et cur obſecro attritioniſtae urgent *ſuos* ad actus *propriae charitatis Theologicae* aliquoties in anno eliciendos? quia ipſi in hoc ſcripturam, et Patres charitatis mandatum urgentes in ſenſu proprio, litterali, et obvio accipiunt. At Scriptura, et Patres nullibi afferunt Deum *aliquoties in anno* diligendum, ſed continuo, ſemper, die, ac nocte: Deuter. 4. v. 5. 6. 7. 8. Marci. 12. v. 30. Luc. 10. v. 17. rumina Patres cit. et deinceps citandos. *Exertunt relationem* IMPLICITAM.

Addita ratio: (eo ipſo quod opera noſtra *natura ſint* bona, ad Deum dirigantur ut Auctorem totius honeſtatis moralis) nihil habet praeter verba: neque enim magiſtri noſtri SS. Patres opera noſtra *ad auctorem honeſtatis moralis* tantum referenda praecipiunt, verum ad Deum *in ſe*, et *nobis bonum*; ad *finem noſtrum ultimum*: ad *charitatem* proprie talem hic inchoandam, in patria aeternum continuandam. Et recte. Nam *auctorem honeſtatis moralis* poſſumus diligere etiam explicite pure naturaliter, et ſteriliter. Inſpice ppones Bay 34. et 36. et ſi diligamus ſupernaturaliter fide praelucente a gratia excitati, adhuc actus ille, ut ut jam ſupernaturalis, non erit *Dei finis noſtri ultimi* amor, non erit *charitas Theologica*: ſed manebit *virtus moralis* amor *honeſtatis moralis*. Quemadmodum diligere Deum *nobis bonum* eſt amor concupiſcentiae, Spei, non charitatis. Potiſſimum, quia ſi opera noſtra moralia ſint *natura* bona, *referibilia* tantum erunt ad Deum, *Amor auctoris honeſtatis moralis non eſt charitas proprie dicta.*

um, non reipſa *relata*. At Scripturam, et Patres magnum charitatis mandatum tam ſollicite urgentes eo trahere, ut opera noſtra moralia *referibilia* ſint ad charitatem, non etiam reipſa *relata*, eſt *virtutes* inferiores; non *charitatem* urgere: eſt charitatis mandatum evacuare: eſt obvium, et litteralem Scripturae, et PP. ſenſum ad placitum ſine fundamento gravi detorquere. Sibi ergo habeant adverſarii *implicitam* relationem mox explicatam.

Tertium prin eip. Auguſtini: SOLO DEO FRUENDUM.

XXV. Haec lucem accipiunt a Tertio theoremate S. Auguſtini huc pertinente: nempe: *ſolo Deo* FRUENDUM, *Creaturis* UTENDUM *eſſe*. FRUI Auguſtino eſt *rei alicui inhaerere* PROPTER SEMETIPSAM: UTI vero, *in uſum venire* VELUT MEDIUM AD ASSEQUENDUM *id*, *quo* FRUENDUM *eſt*. Unde L. 1. Doct. Chriſtian. c. 4. et L. XI de Civit. Dei c. 25. docet perverſitatem eſſe *fruendis uti velle* (quod faciunt illi, qui *Deo*, et rebus Sacris *ad* aſſequenda *temporalia*, *quae principaliter* reſpiciunt, velut *mediis* utuntur) et *utendis frui*. (Qui *temporalia propter ſe*, propter voluptatem, commoditatem, et guſtum illis inditum quaerunt in eo conquieſcendo, et ad Deum non referendo. e. g. honores quaerentes ut aliis emineant: divitias, ut nihil eis deſit: edentes, quia ſapit, bibentes quia bonum eſt vinum. &c. Confer pponem 8am ab Innocentio XI. 1679 damnatam: *Comedere*, et *bibere ob ſolam voluptatem omni caret culpa*. Ejus commatis eſt etiam ppoo 9a ibid) et libr. IV contr. Julian. c. 22. decernit paucis omnia: *Sine amore creatoris nullus bene utitur creaturis*. Unde natum illud axioma Chriſtianum: *ut temporalia ſint in* USU, *aeterna deſiderio*. Perverſitas ergo eſt rebus etiam per ſe licitis ſenſu Auguſtini *frui*, conquieſcere, illa ad Deum non referrendo.

go omnia ad Deum referenda:

Procedunt haec etiam de virtutibus charitate inferioribus: nam et illa in *amore*, etſi licito, SUI tamen manent, quamdiu ad charitatem non referuntur. Recole hic n. VIII. Joan Nider. n. XIII. S. Bernardinum, S. Thomam a Villa nova, Pighium, Virveſium. n. XIV. S. Bernardum; qui ideo rejiciunt ſufficientiam timoris gehennae in Sacramento, quia timor in *amore ſui* fundatur, et quieſcit. Qui cap. III. n. XXI. XXII. plures habent ſuffragatores. Ex quibus palpare licet, quam verum ſit illud *Sanctorum* effatum: „Creaturam rationalem *aut Dei*, aut *mundi amatorem* eſſe.„ Cur item inferiores virtutes non ſufficiant ad Sacram. poen. quia manent in *amore Creaturae*: ideo non convertunt cor ad Deum. Quod ſolo amore Dei fit. quin cap. V. videbimus, tam timorem, quam alias virtutes eſſe Oſtiarias ad introducendam charitatem. Igitur ut *diſpoſitiones ſine forma*, ad quam tendunt, ita *illae* ſine charitate *imperfectae* ſunt: quia *via ad charitatem* ſunt, nec proinde iis FRUI ſenſu Auguſtini, ſed UTI duntaxat licet. Ideo nro XIV hic S Baſilius omnem praecepti obſervationem ſine relatione ad charitatem *mancam*, et *imperfectam* non dubitat dicere. Cui conſentit hic S. Proſper n. XXII. Auguſtinus n. XXIII. conf. c. v. n. XXVII. et c. VII. not. ad n. IX.

Ipſae etiam virtutes charitate inferiores.

S. Leo P. ſerm. de jej. 7. mens.

Angelicus agnoſcit praeceptam

XXVI. Auguſtinum preſſo pede in his ſequitur Angelicus ejus diſcipulus, qui Lect. 3. in epiſt. ad Coloſſ. de illo c. 3. v. 17. „Omne, quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti, gratias agentes Patri per ipſum- Ita ait: *Quidam dicunt, quod hoc eſt Conſilium;* SED HOC NON EST VERUM. Ne vero aſperum putetur hoc praeceptum, ejus conditiones exponit luculenter. Nam q. unic. de charit. a. 2. ad 2. ita illud emollit: „Omnia ACTU referre ad Deum non eſt poſſibile in hac vita: ſicut non eſt poſſibile, quod ſemper de Deo cogitetur; hoc enim pertinet ad perfectionem patriae. Sed quod omnia *virtute* referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, *ad quam* OMNES TENENTUR. Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quod ſicut in cauſſis efficientibus virtus primae cauſſae manet in omnibus cauſſis ſe-

Relationem virtualem:

sequentibus; ita etiam intentio principalis finis VIRTUTE manet in omnibus finibus secundariis. Unde quicunque *actu* intendit aliquem *finem secundarium*, *virtute intendit principalem* finem. Sicut medicus dum colligit herbas actu, intendit conficere potionem, nihil fortasse de sanitate cogitans; *virtualiter* tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat: Sic igitur cum aliquis seipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus, quae propter Ipsum facit, manet *virtute* intentio ultimi finis, qui Deus est. Unde in omnibus mereri potest, si charitatem habeat. Hoc igitur modo *Apostolus praecipit*, quod *omnia in gloriam Dei referantur*. Haec Angelicus: quae luculenta est *relationis virtualis* descriptio. Ex qua discimus, facta *Principali intentione* actiones subalternas ut fines secundarios *virtute* ad principalem dirigi. Sic rusticus pius praemissa recta intentione matutina, laborat ut pecuniam aquirat, pecuniam quaerit, ut se alat. Hi tamen secundarii fines *virtute principalis* intentionis matutinae eo diriguntur, ut Deo serviat, Deum amet. Ad hanc itaque *virtualem* relationem requiritur, ut praemissa fuerit *actualis*: non revocata per mortale peccatum, aut plura venialia: nec per diuturnam applicationem mentis ad opera, quae nos a Deo avocare nata sunt; proinde ut intentio principalis adhuc *virtute* sua perduret, et in subsequas actiones influere apta sit. Secus *quod charitate caeptum est*, *cupiditate terminabitur* dissipata principali intentione. *Quae explicatur.*

Ex his corruit sufficientia *relationis habitualis* (quae est *inclinatio*, et *promptitudo in habente gratiam Sanctificationem* se, suaque ad Deum referendi) de qua idem Scholarum decus 2. Dist. 38. q. 1. a. 1. ad 4. ita decernit: „Ad hoc, quod alicujus actionis finis sit Deus, non oportet, quod agendo illam actionem aliquis de Deo cogitet. Nec iterum sufficit, quod in *habitu* tantum Deum habeat: quia sic etiam actum venialis peccati in Deum aliquis ordinaret, quod falsum est. Sed oportet, quod *prius fuerit cogitatio de fine*, qui est Deus, et quod *ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit ita*, *quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur*.„ *Rejicit Habitualem.*

Aeque corruit sufficientia relationis *negativae* tantum. Audiatur idem Doctorum lumen in 2. Dist. 40. a. 5. ad 7. „Hoc, quod dicitur: *Omnia ad gloriam Dei facite*: potest intelligi dupliciter: vel *affirmative*, vel *negative*. Si *negative*, sic sensus est: nihil contra Deum faciatis, et hoc modo praeceptum est; et hoc praeceptum praeteritur vel per peccatum mortale, vel per veniale. - - Si autem intelligatur *affirmative*, hoc potest esse dupliciter: aut ita, quod actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostrae cuilibet, non quidem *in actu*, sed in *virtute*, secundum quod virtus primae ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus: sicut et virtus Finis ultimi manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis. ET SIC ADHUC PRAECEPTUM EST: et contingit omissionem ejus esse *venialem*, vel *mortalem*. Vel ita, quod *ordinatio actualis* in Deum sit conjuncta *cuilibet actioni* nostrae, et SIC EST CONSILIUM.„ Habes hic *affirmativam actualem semper* relationem consilium esse: *affirmativam virtualem* praeceptum sub *veniali* quidem, si pauciores in vita morali actiones non referantur: plures vero referantur: nam *nec discessisse censetur* etiam a Fine suo, *qui mox rediturus est*. Et leges etiam Divinae admittunt parvitatem materiae, et Hae potissimum *in sensu* humanae inbecillitati *accomodo* intelliguntur ab omnibus: cum praesertim de eo, qui pauciores actiones non refert, adhuc verum sit: quod *hic homo Universim i.e. majori parte actionum suarum Deum pro fine habeat*. Secus dicendum de eo, qui majorem partem actionum, et vitae suae, aut illustriores actiones, ex quibus multae aliae pendent, e. g. electionem vitae, referre non pensi habet. *Item pure negativam.* *Et affirmativam actualem.* *Quando, et quomodo contra hoc praecept. peccatur?*

Jugum hoc non eſt grave amanti.

XXVII. Sic explicata doctrina *jugum* humeris noſtris majus cenſeri non debet: nam mandata Dei *diligentibus* „deſiderabilia ſunt ſuper aurum, et topazion.„ Et dulciora ſuper mel, et favum.„ Equidem „durum videtur, quod Deus imperavit, inquit Auguſtinus Serm. 47. de divers. Sed non eſt grave, et durum, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat„ et in Pſ. 47. „Quidquid difficile eſt inpraeceptis, *leve eſt amanti*: nec ob aliud recte intelligitur dictum: *onus meum leve*: niſi quia dat Spiritum Sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus noſtris.„ Conſonat Angelicus 3. p. Diſt. 40. a. 4. „Lex Evangelica ad mandata ducit ex amore, qui omnia levia facit, etiam ea, quae aſpera, et gravia videntur.„ Haec ſi attendiſſent mediae aetatis caſuiſtae, praeceptum charitatis Divinae velut onus quoddam ad menſes, et annos non dilataſſent.

Evaſio adverſarior. rejicitur.

XXVIII. Ais: Quae congeſſimus, probant unice, vitioſum eſſe *poſitive contra charitatem*, non vero *ſine charitate* agere. At ſi vera ſit evaſio, omnia praecepta charitatis in fumum abibunt: explicari enim poterunt, id inculcare, ne *contra charitatem poſitive* agamus: quae eſt relatio *negativa* Angelico, ut vidimus, inſufficiens. Cum potiſſimum Patres ex mandato magno charitatis urgeant relationem affirmativam *virtualem*. Ita Origenes in Mathaeum: „Toto Corde diligere nihil aliud eſt, quam amare ſecundum totam operationem, et cogitationem.„ Auguſtinus L. 1. Doctr. Chriſtian. c. 22. „Cum ait, *tota corde, tota anima*, nullam vitae noſtrae partem reliquit, quae vocare debeat, et quaſi locum dare, ut alia re *frui* velit; ſed quidquid aliud diligendum venerit in animam, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.„ Angelicus 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. „Sub praecepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet, UT OMNIA REFERANTUR IN DEUM: et ideo *praeceptum charitatis implere* homo *non poteſt, niſi omnia referantur in Deum*.„ igitur ſi haec idem ſignificant, ne quid *poſitive contra charitatem* agamus; praecepto charitatis ſatisfaciemus inferiorem virtutum exercitio. At non ita erudimur a veteribus. Quibus juvat addere duo luminaria Concilii Trident. alterum Hoſium Cardinalem Praeſidem Sanctae Sinodi, qui in Confeſſ. Fidei Cath. cap. 76. ita ait: „*Ad* hanc ergo Dei *charitatem*, ſive dilectionem *referimus caetera praecepta omnia*, adeo ut perſvaſum habeamus, proximos quoſque diligendo, niſi *propter Deum*, et *in Deo* charos habeamus, non modo nos officio noſtro functos non eſſe, verum etiam *peccati* gravis (ſenſu ſuperius audito) reos factos.„ alterum Ambroſium Catharinum nobiliſſimum Concilii Theologum, qui Coment. in cap. 10. 1. ad Cor. explicans illud: *omniam in gloriam Dei facite*: affirmat„ Hoc *eſt praeceptum*, quod ſervari debet ab *omnibus*, et *in omnibus*, ut ſaltem *virtualiter* habeat quis in animo, ſe velle in gloriam Dei facere, quaecunque facit.„ Recole Inſt. Lugd. de Actibus Human. Diſſ. II. a. 11. Cl. Lubi part. 1. cap. VI. a n. 255. qui n. 261. pro hac ſententia citat nobiliſſimos Theologos: Leonardum Van-Roy Ord. Erem. de act. Hum. c. 1. q. 2. Aurelium Piette ejus Ord. decus, tom. 2. q. 2. Jacobum Chmel ord. S. Benedicti de off. hom. erga Deum. Alexand. Natal. tom. 2. Theol. Mor. l. 3. Reg. 57. Contenſon tom. 5. diſſ. 2. c. 1. Bernard. de Rubeis de charit. Merbeſium, Patuzzium.

Si omnia, multo magis poenitentiam ex charitate agere debemus.

XXIX. Haec ſufficiunt, ut hoc argumentum ſit evidens, et ineluctabile: omnia opera noſtra tenemur ex charitate *virtuali* agere: ergo a fortiori poenitentiam noſtram cum charitate ſaltem *initiali*. Tam antecedens, quam conſequens clariſſima eſt Sanctorum Patrum Doctrina: Auguſtinus in Pſ. 51. „Opus eſt, inquit, ut opera noſtra ex

chari-

charitate procedant.„ In Pſ. 67. „Ea ſola bona opera dicenda ſunt, quae fiunt per dilectionem.„ Ep. 186. Charitas ſola bene operatur„ epiſt. 77. „Sola charitas non peccat„ Senſu nempe, quem ex Lovanienſibus audivimus h. n. XXIII. Moralium Parens Hom. 17. in evang. „Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non maneat in radice charitatis„. Mellifluus Doctor libr. de praecept. et diſpens. c. 14. „Ut interior oculus vere ſimplex ſit, duo illi arbitror eſſe neceſſaria: Charitatem in intentione: et in electione veritatem„. Angelicus 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. „Sine charitate poteſt quidem aliquis *actus bonus* eſſe *ex ſuo genere* (ſive quoad ſubſtantiam, et ex motivis ſibi intrinſecis) *non* tamen PERFECTE BONUS: *quia* DEEST DEBITA ORDINATIO AD ULTIMUM FINEM.„ plane conformiter Lovanienſibus Laudatis. Atque hic verus eſt ſenſus Spiritus Sancti Deut. 4. v. 5. et ſeqq. Marc. 12. v. 30. Luc. 10. v. 27. Math. 22. v. 35. Hoc arcanum de caelo attulit Paulus nervis omnibus inculcans ad Rom 8. v. 35. „Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti?„ 1. ad Cor. 10. v. 31. „Sive manducatis - - omnia in gloriam Dei facite„ C. 13. v. 1. et ſeqq. „Si charitatem non habeam, factus ſum velut aes ſonans. Nihil ſum, nihil mihi prodeſt.„ Cap. 16. v. 14. „Omnia veſtra in charitate fiant„ ad Coloſſ. 3. v. 17. Omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti.„ Quae quia praecepta eſſe vidimus *ex Sanctis* pro omni tempore *in ſenſu virtuali*, urgentiſſime ſequitur, praecepta eſſe tanto fortius pro tempore Sacramenti poen. ſuſcipiendi. (*a*) Caetera huc pertinentia ex cap. XIII. uberius

(*a*) 1. Exponendo piam, Sanctam, et Evangelicam de virtuali operum ad Deum relatione, indeque neceſſario fluente charitate Sacramentali doctrinam quamquam non niſi Patrum, Summorum Doctorum, et Scripturae Sacrae ore locutus fuerim, praevideo tamen me pro induſtria charitatis Divinae illuſtratae a quibusdam *Bajaniſtae* elogium relaturum. Obteſtor igitur Neophitum noſtrum, alioſque veritatis ſtudioſos *per manſvetudinem Chriſti, ne moveantur tentationibus iſtis*. Etſi enim ultro concedam, juratum pietatis, et charitatis hoſtem praemiſſam ſententiam, per noviſſimos novatores impracticabilem, odioſamque reddere voluiſſe; fidenter tamen affirmo, nullas tenebras magis diſtare a plena luce, quam *noviſſimorum Errorum* deliria ab expoſita perme veritate: Imo ſi recalumniari expediret, quod abſit, *his* attritioniſtas *in omni charitate per ſe juſtificante* propiores videri poſſe, quam *Initialiſtas* ad Sacram. poen. *charitatem inchoatam* requirentes. Quod ut cunctis fiat manifeſtum, neceſſarium iſtic eſt ad conſtabiliendam dictorum, quin toto opere dicendorum veritatem mentem Bay, quantum iſtuc attinet, exponere. Errorum ejus radix, et fundamentum eſt ppo ejus 38. *Omnis amor Creaturae rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.* Nunquid ajunt non nulli, ſimilia docuimus a nro XXII uſque huc, potiſſimum XXIX? *w*. Non nos, ſed Sancti, ſed Evangelium, ſed Theologi orbi erudito probati. An hos omnes Bajaniſtas facient attritioniſtae? Ut ſoli regnent? Non equidem a Domino. Unam, eandemque proponem damnatam eſſe in ore Haeretici, veram in ore Catholici, norunt eruditi ex illis, et ſimilibus: *Unus in Trinitate paſſus eſt. Pater major me eſt.* &c. Id plane in praeſenti doctrina accidiſſe is ſolum dubitat, qui in Bajanis ſenſibus plane peregrinus eſt. Ditiſſimae penus Theologicae vir Laurentius Berti Ord. Erem. S. Auguſt. in hac, et ſimilibus ſententiis ab Animo Bajaniſmi accuſatus quatuor diſſertationibus *Auguſtiniani ſiſtematis vindicias* ſcripſit, in quarum Prima praefatae proponi 38 tres Haereticos ſenſus ineſſe demonſtrat. Quos hic compendio exhibere eſt omnem erroris fuliginem a pia opinione noſtra abſtergere.

Praemiſſis non nocet error Bay.

Radix errorum ejus ppoo 38.

2. Itaque primus ſenſus Haereticus pponis 38*ae* eſt, quo Bajus per *laudabilem charitatem* HABITUALEM, ſive GRATIAM SANCTIFICANTEM intellexit. Atque in hoc ſenſu damnatam eſſe, evincit laudatus Theologus illuſtriorum Theologorum teſtimoniis. Quorum praecipui ſunt:

1mus Ejus ſenſus de charitate habituali.

Gabriel Vaſquez S. I. decus 1. 2. Diſp. 190. cap. 1. „Michael Bajus, inquit, docuit, nullum opus fieri bonum, niſi auxilio gratiae Spiritus Sancti inhabitantis, et juſtificantis actu animam ex vera charitate erga Deum: omnemque amorem rationalis creaturae dividebat ipſe in vitioſam cupiditatem, qua mundus diligitur„ (mortaliter) et in laudabilem charitatem, qua diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum Deus amatur„ Habitualiter.

tius ſumenda ſunt. quin piam hanc, vereque Evangelicam doctrinam toto opere noſtro ut *Stellam polarem* identidem reſpiciemus, quo eam Sanctis

---

Franciſcus Svarez S. I. Theologorum Princeps L. 1. de gratia c. 4.

Aloyſius Turrianus ex eadem S. I. Illuſtris Theologus *tr. contra errores Bay* Cap. 3. „Manifeſte docuit Bajus, *quemlibet actum bonum Sanctificare hominem ut formam: omnem actum honeſtum eſſe formam ſanctificantem.* Cap. 5.„ aſſerit ppone 35 *omne, quod agit peccator, peccatum eſt*, quia exiſtimabat, nihil poſſe hominem facere SINE AUXILIO GRATIAE INHABITANTIS. Unde ex doctrina ejus ſequitur, omnia opera infidelium eſſe peccata; quia ſine fide nemo poteſt eſſe juſtus. go nec facere opus honeſtum ex mente hujus Doctoris.„ Et c. 6. „exiſtimabat, quodlibet opus, quo praeceptum impletur, eſſe *ſanctitatem formaliter.* Non admittebat aliam gratiam praeter ſanctificantem.„ His conſentiunt

Guillelmus Eſtius 2. Sent. Diſt. 25. §. 6.

Joannes Gonet Diſp. 1. de Statu naturae purae a. 3.

Ludovicus Bail in opere *de Beneficio Crucis.*

Vincentius Contenſon Theologiae mentis L. 8. diſſ. 2. c. 1.

Franciſcus Macedo Nobilis Scotiſta *in Cortina* p. 247. „In eo errore erat Bajus, ut nullum opus bonum admitteret *ſine fide perfecta, et gratia ſanctificante.* Qui error alienus eſt a ſententia S. Auguſtini, qui tantum requirit FIDEM, ET GRATIAM INCHOATAM, et ante juſtificationem bona opera admittit.„ Totidem verbis nos a Bajo diſtingvimus.

Hendricus Noriſius Cardinalis Vindiciar. c. 4. §. 5. „Bajus nullos actus bonos ex gratia Dei ab infidelibus fieri volebat eo, quod gratiam admittebat Spiritus Sancti inhabitantem in anima; qui cum in infidelibus non inhabitet, hinc arbitrabatur, nullum in iis Divinae gratiae auxilium reperiri.„ Hic vir hic eſt, quem adverſarii ſui Janſeniſtam, Bajaniſtamque proclamarunt vulgato infami illo diſticho:

Si merito Tyrio fulget Noriſius Oſtro:
Debuit Iprenſi trina corona dari.

Eum tamen Benedictus XIV ille magnorum Ingeniorum juſtus aeſtimator, et Protector *ſplendiſſimum Romanae Eccleſiae lumen* Authenticis litteris nuncupavit. Arroſit et Bertium Anonimus, ut innuimus. Qui tamen in orbis capite Romae, Sedente, et protegente eodem Benedicto opera ſua, et vindicias tanta eruditionis celebritate edidit, ut hodie inter primi ſubſelii Theologos numeretur. Praeclariſſimis tantorum virorum exemplis animati, recteque factorum conſcientia Securi cum dulci, quia pro Charitate, patientia ad privatas attritioniſtarum criſes reſpondere poſſumus: *mihi pro minimo eſt, ut a vobis judicer. Qui enim judicat me, Dominus eſt.*

2dus ſenſus de charitate perfecta.

Horrendae ex his ſenſibus ſequalae.

3. Secundus ſenſus haereticus Bajanae proponis 38 eſt de Charitate ACTUALI ACRI, INTENSA, PERFECTA, ET REGNANTE SOLA admittenda, ut ſenſus ſit: omnis amor - - vel eſt *actualis perfecta Charitas.* vel *acris actualis mortifera cupiditas.* Patet ex propone 63. et 64. Utrumque hunc ſenſum haereticum agnoſcunt Franciſcus Macedo illis verbis mox cit. *Sine fide perfecta*, et *gratia Sanctificante.* Vitaſſe de contrit. q. 3. a. 6. ſect. 3. Drouven de re Sacram. L. 6. q. IV. c. 4, a. 3. ſect. 3. cum comuni. Utrumque nos toto corde deteſtamur. Rationem contra primum ſenſum audivimus ex Turriano, et Franciſco Macedo. Contra 2dum aeque obvia eſt, nam ſi omnis amor aut *perfecta Charitas*, aut mortifera cupiditas eſt, go 1. tolluntur peccata venialia juſtorum. 2. omnes *diſpoſitiones* ad juſtificationem perfecta Charitate inferiores erunt *peccata mortalia*, utpote ex cupiditate mortifera ortae. 3. aeque talia erunt omnes *virtutes morales.* et 4. *Naturales*: ut amor patriae, parentum, proximi: ſobrietas, temperantia, Caſtitas, patientia etc. Quae niſi vana gloria, aut alio malo fine corrumpantur, ſolo lumine naturali, et ſine gratia ſupernaturali, in ſe bona, non tamen praemii ſupernaturalis meritoria agnoſcunt probe docti. confer propones Bay 34. et. 36. Verbo; quidquid Charitas perfecta non eſt, omnia illa tam in infidelibus, quam in baptizatis Bajo volente immunda, flagitioſa, utpote a praedominante cupiditate mortifera corrupta erunt. Quod non ſolum Chriſtianae, ſed omnes bene moratae aures perhorreſcunt. Imo vero 5to Bajus ut Sacramentorum Baptiſmi, et poenitentiae in re abſolutam neceſſitatem inveheret, ipſam Charitatem habitualem, et perfectam actualem commaculavit ſociando illas cum reatu peccati mortalis. Id quod diſcimus ex Suarez 3 p. q. 85. diſp. 4. ſect. 2. a. 1. „Bajus fatebatur quidem, gratiam, et Charitatem (Habitualem) in eodem momento infundi, in quo homo habet actum contritionis, et dilectionis (perfectae) peccata vero non ſtatim remitti quoad culpam, donec Sacramentum baptiſmi, vel poenitentiae reipſa recipiatur. Illa Sententia ſupponit falſos errores: Scilicet quod peccatum nunquam remittatur uſque ad rea-

Sanctis, Filiis Dei, et domeſticis fidei quoquomodo perſvadeamus. *In hoc enim* magno praecepto charitatis modo expoſito rite adimplendo

lem ſuſceptionem Sacramenti; et conſequenter ſine hac ſuſceptione non poſſe hominem ſalvari: item poſſe eſſe hominem in ſtatu peccati mortalis, imo et condemnari cum *habitibus* gratiae, et *Charitatis*,, Haec Suares. Cui conſentit Bellarminus L. 2. de poen. cap. 13. aſſerens Bajum docuiſſe,, Cathecumenis, et poenitentibus quamvis *perfecte* convertis, et *Charitate flagrantibus* non remitti peccata, niſi cum baptizantur, vel reconciliantur miniſterio Sacerdotum.,, Rem extra controverſiam ponunt damnatae ppones ejus 31*a*: „Charitas *perfecta*, et ſincera, quae eſt ex corde puro, et conſcientia bona, et fide non ficta tam in Cathecumenis, quam in poenitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.,, 32*a*.,, Charitas illa, quae eſt *plenitudo legis*, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.,, 33*a*. „Cathecumenus *juſte*, recte, et *Sancte* vivit, et mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remiſſionem peccatorum, quae in baptiſmi lavacro demum percipitur.,, Ejusdem commatis ſunt ppones 70*a*, et 71*a*. Ubique enim exprimitur charitas *perfecta* vel expreſſe, vel aequivalenter: *quae eſt plenitudo legis*: *Juſte, et Sancte vivit*. Id quod non convenit *initiali* charitati. Haec enim *diſpoſitio* duntaxat eſt ad *plenitudinem legis*, ad *Sanctam vitam*: non ipſa eſt *plenitudo*, ſed *inchoatio* legis: non eſt *Sancta vita*, ſed *via* ad illam.

Bajus componit charitatem perfect. et habitual. cum peccato mortali.

non nos.

4. Quamquam vero nos praemiſſum errorem ut peſtem haereticam horreamus, profitentes cum Conc. Tridno Seſſ. XIV. cap. IV. *charitatem, dum perfectam eſſe contingit*, mox ante uſum, cum *voto* tamen *Sacramenti, hominem Deo reconciliare:* hanc vero *reconciliationem* ipſam eſſe juſtificationem impii: inqua juxta ejusdem ſeſſ. 6. c. 7. *Cum remiſſione peccatorum ſimul accipit homo fidem, ſpem, charitatem habitualem*, aliarumque virtutum habitus infuſos ita, ut neque actualis *perfecta*, neque *habitualis charitas* cum peccato mortali unquam Sociari poſſit; aſſerimus nihilominus, ea, quae in damnatis Bay pponibus de *perfecta*, et *habituali* charitate Apoſtolicis oraculis definita ſunt, ad *initialem charitatem* noſtram extendere, eſſe argumentari a *majori ad minus*, a *meridie ad crepuſculum*, a *forma ad praeparationem*. Confer Guillelm. Pariſiens. n. XII. Vis clariora? quod Charitatem *imperfectam* Sacramento poen. neceſſariam his damnationibus involvere noluerit S. Pius V. Bajanarum pponum profligator, luce meridiana clarius conſtat ex his: 1. quia *illam* ipſe Pius V. damnando pponem Bay 64, et 64 expreſſe firmat. 2. quia *illam* Tridnum recenter tunc abſolutum ſeſſ. 6. c. 6. expreſſe tradidit. 3. ita etiam Catechiſmus Concilii ab ipſo S. Pio V. recentiſſime tunc confirmatus. de quibus ſuo loco.

Damnatio pponum Bay ad initialem charitatem extendi nequit

Haec ut ut palmaria ſint, urgent tamen attritioniſtae contra nos potiſſimum priorem partem pponis Bajanae 70. „Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu damnationis aeternae poteſt habere VERAM CHARITATEM; et charitas etiam *perfecta* poteſt conſiſtere cum reatu damnationis aeternae.,, Atqui, inquiunt, charitas initialis eſt VERA charitas juxta nos. go in prima parte praefatae pponis damnatum eſt, *eam* cum reatu aeternae damnationis componi poſſe. At enim 1. Vix alphabetum verae Theologiae noſſe cenſemus eum, qui exiſtimaret, in damnatis pponibus *ſingula ſeorſive* commata, et non *totam* in ſua *latitudine* pponem eſſe ſtigmatizatam. Jam vero in pponis 70*ae* parte altera manifeſte adeſt *perfecta* charitas. Igitur per *veram* charitatem *perfectam* intellexit Novator. Id quod evidens fit 2 Ex Apologia Bay; quam is S. Pio V. pro damnatis ſuis pponibus obtulit: in qua loquens de ppone ſua 31*a* ait: „*Hoc dici adverſus eos, qui in Cathecumenis, et poenitentibus ante remiſſionem peccatorum contra Conc. Tridnum nullum omnino* CHARITATIS INITIUM agnoſcunt,, Rurſum „*quanta potui diligentia oſtendere conatus ſum*, BONUM ANIMI MOTUM, *qui ante remiſſionem peccatorum in peccatoribus reperitur, etiam in Scripturis Sacris nomine dilectionis, ſeu charitatis intelligi. Hoc etiam docet Auguſtinus L. 2. contra duas epiſt Pelag. c. 9. ubi loquendo de* IMPERFECTA BONI CUPIDITATE *ait: Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas?* Haec Baji, collectio manifeſte vera eſt de ea charitate, quam nos INITIALEM dicimus. Ut conſideranti ſatis patet. Atqui tamen Bajus Iſta refert, et intelligit de ppone ſua 31*a*. inqua dicit: *charitas perfecta ſtat cum peccato mortali*. go manifeſte delirat *in eo*, quod *omnem motum charitatis*, quam nos *initialem* dicimus, et cum Tridno, cum Auguſtino, cum Doctoribus ante Tridentinis, cum nobiliſſima SS. Patrum corona *praeparationem* ad Sacram. poen. neceſſariam docuimus, ille *perfectam eſſe charitatem* aſſerat. En Petram erroris Bay! *charitatem initialem cum perfecta confundere*, et eosdem utrique effectus adſcribere! Si Bajus haec diſtinxiſſet, et quae in Apologia colligit, ea de initiali charitate intellexiſſet, effectus item, quos in pponibus 31. 32. 33. 70, 71. *perfectae* charitati adſcribit, ad *initialem* reſtrinxiſſet, procul dubio *atrum Tau* evaſiſſet, ut tota hodie Schola Auguſtiniana, ejuſque ſequaces.

Bajus male confudit charitatem initialem cum perfecta.

Quid aliud, oro, agunt attritioniſtae, dum ideo rejiciunt *charitatem initialem* a Sacramento poen. ut *neceſſariam*, quia aſſerunt, omnem charitate animatu m dolorem juſtificare ante Sacrm. niſi cum Bajo confundunt charitatem *initialem* cum *perfecta*?

Ut et Attritioniſtae.

do teste aeterna veritate *Universa lex pendet, et Prophetae.* Ut enim ex B. Basilio n. XIV. didicimus, *virtualis* hujus operum omnium ad charitatem

ritatem

atque utrique eundem effectum *per se justificandi impium* adscribunt? in quem finem primum exscribunt mox relatas ppones Bay; tum relata verba apologiae ejus; indeque inferunt: go omnis charitas initialis, et *non dum super omnia* per se justificat. Vide *tractatum Tyrnaviensem* (*) *de poenitentia* n. 48. ubi posteaquam hic Auctor ex relatis pponibus, et apologia Bay asseruisset, Novatorem hunc nomine *charitatis perfectae* non intellexisse actum intensissimum, vel diuturnum, sed remissum licet, momentaneum, ex motivo tamen charitati Theologicae proprio elicitum, quae vera, sed *initialis*, et NONDUM SUPER OMNIA charitas vocatur; infert, *dubitari vix posse, quin* CONTRITIO QUAEVIS *ex motivo charitatis Theologicae elicita* (procul dubio et *initialis*, et *nondum super omnia*, ut ipsus praemisit) *ad justificationem sufficiat etiam extra actualem Sacramenti susceptionem.* Quam consequentiam toto corde horremus. Et si de *initiali* charitate formata contritione intelligatur, ei opponimus hactenus hoc capite citatos Doctores, SS. Patres, et rationes. Si de *amore* Dei NONDUM SUPER OMNIA, in fine harum notationum n. 12. ducti auctoritate Angelici, et Seraphici Doctorum negabimus *illum* esse actum verae charitatis Theologicae, atque adeo nedum *extra*, sed et *in Sacramento* justificando impio parem inficiabimur. Nempe aliud est ad perfectionem charitatis non requiri *durationem*, aut *intensionem humanitus summam*: aliud non requiri *appretiationem omnibus infra Deum amoribus* extra Sacram. practice, et *effective*, in Sacramento *affective* majorem. De quibus cap. IX. copiose. Confer not. ad Conc. Colonienſe n. XIII. hic.

5. Quod vero ad Bay doctrinam, et damnationem attinet, *testificor coram Deo, et Jesu Christo* omnibus inquirentibus veritatem! ex iis prorsus non sequi dictam sequelam, quod omnis charitas etiam *initialis*, minus quod amor Dei *non super omnia*, aut omnis boni imperfecta cupiditas per se ante Sacramentum justificet; Verum illud unice, quod Bajus Imperfectam charitatem, de qua in apologia sua, cum perfecta (de qua in propositionibus suis agit) male confuderit. Quae profecto distingvere debet omnis vere Antibajanista, ut effugiat damnatam pponem Bay 63.„ *Illa distinctio duplicis justitiae; alterius, quae fit per Spiritum charitatis inhabitantem: Alterius, quae fit ex inspiratione Spiritus Sancti quidem cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, et in eo charitatem diffundentis, qua Divinae legis justificatio impleatur. similiter rejicitur.„* Et 64am „*Item et illa distinctio duplicis vivificationis: alterius, qua vivificatur peccator, dum ei poenitentiae, et vitae novae propositum, et inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, et palmes vivus in vite Christo efficitur; pariter comentitia est, et Scripturis minime congruens.„* Quomodo, obsecro! distingvent haec attritionistae, Si omni charitati justificationem ante Sacram. adscribunt? volunt quidem distingvere: at aliter in suis principiis nequeunt, quam si *Imperfectam justitiam, et vivificationem* adscribant actibus *fidei, Spei, timori servili, amorique concupiscentiae.* Quae apud ipsos dispositiones necessariae ad Sacram. poenit. sunt. At illa non sufficere ad Sacram. poen. consequenter nec *imperfectam vivificationem* Sacramento poen. praeviam causare posse, nube Doctorum, SS Patrum, et Scripturae evicimus. (Confer dicta a. n. XVI.) deinde nos *duplicem* hanc *justitiam, et vivificationem* IN IPSA CHARITATE, IN QUA NEGAVIT BAJUS, per *initialem*, et *perfectam* charitatem conformiter antiquorum menti pulcherrime explicamus; go magis recedimus a Bajo, quam attritionistae. Idquod ad evidentiam patet ex sequenti doctrina Cl. Drouven saepe cit. l. 6. q. IV. c. 4. a. 3. §. 3.

Quae distingvere oportet.

Et quidem in ipsis charitatis gradibus.

„Est et aliud (verba sunt eximii Doctoris Sorbonici) ejusdem rei clarissimum monumentum, IN FORMA DOCTRINAE, quam Gregorii XIII. P. M. temporibus (quis dubitet illo probante?) jubente *Francisco Bonhomo* per utramque Germaniam Apostolico Nuntio facultas *Lovanienſis* eo fine edidit, *ut Sedis Apostolicae judicio congrueret, damnatisque sententiis ex adverso consisteret.* Sic autem habet *doctrinae forma* de charitate: „Falsum est, hominem in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis existentem posse habere veram charitatem. Etsi enim ante ju-

Ex forma doctrinae sub Gregorio XIII.

(*) Cl. hic Auctor sub hoc titulo Satis notus inter nos est, ideo sufficiet eum *sic* deinceps a me citari, qui veritatem unice quaero, nec de ullo, nisi cum honore meminisse volo. Servilis tamen opinionis principia aevo ejus Scholae communia, atque in illo velut novissimo attritionista collecta satagam in dubium revocare: ut conentur alii meliora, videntes, castra servilia non esse inexpugnabilia. Quod sane ipsum quoque hodie velle puto, si adhuc potest; ne, luce Sacramentalis charitatis in dies clarius per orbem eruditum jam refulgente, nos soli in tenebris attritionis servilis, vix jam hodie bona fide, permaneamus; neve in nos cadat illud: *Absolvuntur Magistri, condemnantur Discipuli.*

ritatem *relationis vi, et efficacia mandatum quodvis perficitur, et comprehenditur. Sine qua* omnia opera noſtra, ut ut in ſe bona, *manca ſunt*, et

---

ſtificationem *inſit* in poenitente *amor aliquis juſtitiae, eaque dilectio, qua Deum diligere incipit tanquam totius juſtitiae fontem;* is tamen amor, qui charitatis praeſtantiam aſſequitur, ſeu PERFECTA illa, et ſincera CHARITAS, quae eſt ex corde puro cum aeternae damnationis reatu non conſiſtit„ En! in hac materia diſtingvere inter *initialem*, et *perfectam* charitatem eſt *forma doctrinae Apoſtolicae!* eſt judicio Sanctae Sedis congruere! eſt damnatis ſententiis ex adverſo conſiſtere!

Ibidem Cunerus inſenſiſſimus Bay adverſarius ſic eum alloquitur:„ charitas, quia in ea omnes Divinam concipiunt amicitiam, non ſuſtinent fidelium aures, quod ſine culpae remiſſione inveniatur. Ubi ſi propoſueris, an dilectio, ſeu amor Dei a culpae remiſſione ad tempus ſeparari poſſit? (Nempe dum Sacram accedat, vel dilectio perſe augeatur) *omnes toto corde confitebuntur*.., Ex quibus diſcimus, tempore Bay *charitatem* De ſola *perfecta charitate, et amicitia* Divina uſurpatam fuiſſe. 2. Communem tunc fuiſſe opinionem, imperfectam, et initialem Dei dilectionem culpae mortalis remiſſionem non operari ante Sacramentum. *Ex Cunero.*

Sed quid ultra quaerimus teſtes? habemus confitentem Reum Ipſum Bajum, qui apud Drouven loc. cit. a. 1570, triennio poſt damnatas a S. Pio V. 1667. primum ponnes ſuas, in Scholis Lovanienſibus ita ſe explicat: „Quod in Cathecumenis, inquit, ſit bona voluntas, dilectio, amor, apud omnes eſt extra controverſiam. Sed difficultas ex eo naſcitur, quod non diſtinxerim inter bonam voluntatem, et charitatem ſecundum conſvetum modum loquendi ſcholae: Charitas enim a ſchola non aliter accipitur, quomodo Paulus accipit 1. ad Timoth. 1. *Charitas de corde puro*; hoc eſt de *charitate perfecta*, quae eſt actus, vel habitus, quem operatur Spiritus inhabitans, et propitius. Habent quidem Catechumeni dilectionem, qua incipiunt Deum amare, ut loquitur Concilium Tridentinum: habent bonam voluntatem, amorem, et INCHOATAM CHARITATEM; licet non perfectam. Auguſtinus quodam loco iſta non diſtingvit, ſed dicit, *bonam voluntatem, dilectionem, amorem, et charitatem in ſcripturis indifferenter accipi.* Peccatum eſt igitur in eo, quod ſecutus Auguſtinum non ſervaverim conſvetum uſum loquendi Scholae.„ Habes hic Bajum *confitentem* errorum ſuorum fontes 10. Quod non diſtinxerit charitatem *perfectam* ab *imperfecta*; et ſic utrique eosdem effectus adſcripſerit. Atqui in hoc pares ſunt attritioniſtae *minimae* charitati initiali effectum juſtificandi impium attribuentes: diſſimiles tamen in eo, quod Bajus *perfectae* charitati remiſſionem peccati mortalis negaverit: illi et *imperfectae* attribuant. Non ſunt igitur attritioniſtae Bajaniſtae. At certe aeque periculi plenum eſt in re ſalutis, juſtificare impium cum initiali charitate, quod faciunt attritioniſtae; ac condemnare juſtum cum charitate perfecta, quod fecit Bajus errans. Nos inter utroſque medii ſumus: nam cum *Bajo poenitente*, cum *Cunero*, cum *forma Doctrinae Gregorii* XIII diſtingvimus probe *initialem* charitatem *a perfecta*: huic *juſtificationem per ſe*, illi *in Sacramento* attribuimus. Quae doctrina, ut ex his patet, tunc communis erat, ac potiſſimum Tridentinum Seſſ. 6. c. 6. de *vera initiali charitate* omnes intelligebant. Quod hic pro cap. II. alta mente repoſtum volumus. 2*dum* Fontem errorum ſuorum ait Bajus, quod ſecutus ſit Auguſtinum non diſtingventem inter *bonam voluntatem, amorem, dilectionem, et charitatem initialem*, et perfectam. Nempe accidit Baio, quod Origeni, aliiſque, utpote qui doctrinae ſuae magnitudine elatus alios prae ſe deſpiciens *comunem uſum ſui temporis ſcholarum neglexit;* ideo in abſurda quaeque prolapſus eſt *e male intellecto Auguſtino*; Quem poſt ſcripturam in patrocinium erroris vocare omnibus errantibus familiare eſt. In hoc quoque lugemus, quod attritioniſtae nedum ante Tridentinorum, ut hactenus vidimus, ſed et Tridentino proximiorum, ut hic ex *forma doctrinae Gregorianae*, ex Cunero, et ex ipſo Bajo poenitente elucet, *Scholarum*, Doctorum, et Patrum *uſu neglecto* non diſtingventes inter initialem, et perfectam charitatem, utramque a Sacramenti poenitentiae materia neceſſaria excluſerint. Auguſtinus una nobiſcum quomodo *illa* diſtingvat ſub eodem objecto, confer hoc cap. n. XV. cum cap. IX. n. XIV. Item hic not. 13. *Ex ipſo Bajo poenitente.*

Quae omnia cum doctrinam initialis charitatis a Bay erroribus luculentiſſime diſtingvant, et univerſim illam in plena luce conſtituant, ferree ſequitur, 1*mum*, et 2*dum* Senſum errorum Bay, Apoſtolicaſque conſtitutiones in eos intortas ſalva ſinceritate, quae in graviſſimo hoc momento, ubi de valore Sacramentorum agitur, cumprimis neceſſaria eſt, nobis opponi nullatenus poſſe. Videſis Drouven cit. loc. *Igitur praemiſſi duo ſenſus Bajan. ponum initiali charitati non nocent.*

6. Hactenus initialem charitatem; jam *relationem* virtualem conſtabiliamus. Igitur tertium haereticum ſenſum ejusdem Bajanae pponis 38 proponit laudatus amaeniſſimus Theologus Berti Diſſ. 1. cap. 1. §. 1. n. 3. Quod ſcilicet judice Bajo omnis amor aut Laudabilis eſt *charitas actualis* (praeſcindendo: vehemens, an re- *3tius ſenſus Bajanae pponis, quod*

et *imperfecta*. Haec ſola eſt vera Theologia Evangelica, ſine qua cum tota noſtra Scholaſteria *Chriſto dedecori* ſumus, ac *opprobrio*. En quam neceſſa-

Charitas ſit motivum intrinſecum generale omnium virtutum.

miſſa) aut vitioſa *cupiditas actualis* vehemens, vel remiſſa ita, ut omnes actiones humanae vel ab illa *intrinſece*, eſſentialiter, ac ſubſtantialiter dignificentur, virtuoſaeque reddantur tanquam ab unico, et generali intrinſeco motivo omnium virtutum: vel abſente hac charitate actuali eo ipſo a cupiditate actuali intrinſece corrumpantur. Pernitioſiſſimus enimvero eſt hic ſenſus. Illo nempe objecta *intrinſeca*, et motiva *proxima propria* omnium virtutum tolluntur, ſolaque charitas actualis VIRTUS GENERALIS conſtituitur ita, ut quidquid non animatur charitate actuali, eo ipſo *intrinſece*, *ſubjective*, et *objective* vitioſum ſit. Quod manifeſte haereticum eſt. Fides namque docet, praeter virtutum reginam charitatem (quam *ſpecialem* virtutem habet) duas alias Theologicas fidem, et ſpem, omnes item morales virtutes in ſuis *praeciſe objectis materialibus*, *et formalibus intrinſece* (etiam non relatas *extrinſece* ad charitatem ut *finem extrinſecum* virtutum) honeſtas, laudabiles, et fide praelucente ſupernaturales eſſe. Conſtat item apud omnes, ACTUALEM in omni actione CHARITATEM exercere non hujus infirmae naturae, ac VIAE, ſed PATRIAE COELESTIS eſſe praerogativam. Ut vidimus ex Angelico h. n. XXVI.

Hunc ſenſum Bajanae pponi 38 attribuit apud Laud. Berti Diſſ. 1. §. 2. Nicolaus Gavardi Tom. IV. Scholae Aegidianae q. 5. de virtutib. a. 7. ad 26. Ipſe vero Bertius ibidem §. VII. hunc haereticum eſſe ſenſum multis probat, citans Joannem Martinez de Ripalta diſp. 3. adverſus Bajum Sect. 4. aſſerentem Bajaniſtarum doctrinam eſſe: *nullum eſſe virtutis actum, qui non ſit Dei propter ſe amor. Virtutes non aliter eſſe diverſas, quam diverſitate, et multiplicitate actuum charitatis. Deteſtationem peccati ortam ex timore ſervili vitioſam eſſe. Peccare, qui peccatum formidine poenae deteſtatur: ac talem deteſtationem nulla ratione, ne remote quidem diſponere ad juſtificationem.* Citat item ibi Berti Ripaltae conſentientes Ludovicum Bail in art. 38 Baji. Honoratum Turnelium De gratia q.4.a.2. Anonimum adverſarium ſuum, qui hunc maxime ſenſum haereticum in Bajo inſectatur, et probat ppone ejus 25. „Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.„ Et 40. „In omnibus actionibus ſuis peccator ſervit dominanti cupiditati.„ Quae Berti ab adverſario ſuo gratanter audit. Eundem ſenſum ſatis produnt et ppones Bay 16. 25. 27. 28.

Quod amplius eſt, *dominantem* hanc in *peccatoribus cupiditatem* evertere *libertatem a neceſſitate* ſenſiſſe Bajum patet ex ppone 40 juncta pponi 41„ Is libertatis modus, qui eſt a neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in ſcripturis, ſed ſolum nomen libertatis a peccato.„ et 54. 65. 66. „Sola violentia repugnat libertati hominis Naturali„ 67. „Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.„

Janſenius conſentit Bajo.

7. Confer jam haec cum pponibus Janſenii 1. 2. 3. et 4*ta*, et certo deprehendes, Janſenium in omnibus Bay veſtigia fuiſſe ſecutum. Imo teſte Turnelio De Gratia q. IV. Edit. Venet. p. 389.„ Videtur Janſenius „Non alio conſilio opus ſuum ſucepiſſe, quam ut doctrinae Bay Apologiam adornaret, quin memorant non nulli, opus ſuum *Bay Apologiam* primum inſcripſiſſe; at ſubinde titulum mutaſſe, quod praevidiſſet, concitandam in ſe Romanam indignationem.„ Haec Turnelius.

Maxime Queſnellus.

Quesnellum utriuſque ex aſſe diſcipulum fuiſſe, hujus ppones cum illis collatae extra dubium Statuunt. Bajanae 38*ae* paralella eſt Queſnelli 41*a* „Non ſunt, niſi *duo amores*, unde volitiones, et actiones noſtrae naſcuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quem Deus remuneratur: Et amor, quo nos ipſos diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, et propter hoc ipſum eſt malus.„ Haec ppoo et de *Habituali*, et de *perfecta actuali* charitate intelligi obvie poteſt. Potiſſimum tamen *de intrinſeco* omnium actionum *principio*, ac *motivo unico generali* intelligendam eſſe elucet ex pponibus ejus 45. 46. „Cupiditas, aut charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum facit.„ et 47. Ubi amor *principium* INTERIUS actionum ponitur. Quod non aliud eſt, quam *motivum intrinſecum Univerſale*. 48. „*Sine charitate* dicimur *nihil eſſe* poſſe, *niſi tenebrae*, niſi *peccatum*. concordant 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. Oratio impiorum *dicitur eſſe novum peccatum*. 60. Solum timorem ſuplicii *ducere in deſperationem*. 66. Venientes ad Deum *per timorem beſtiis* Comparat. Quid plura? Dominante concupiſcentia tolli libertatem clare docet 38*a*. „*Peccator non eſt liber niſi ad malum ſine gratia liberatoris*. Similiter ſonant 1. 2. 3. 4. 5. 6. quin poene omnes. Ex quibus evidentiſſimum fit, hunc quoque Novatorem ſolam *Dei charitatem pro univerſali virtute*, et motivo *intrinſeco* omnium actionum ita habuiſſe, ut *illa abſente* contraria illi *cupiditas* omnes virtutes inferiores, quin omnes actiones humanas intrinſece corrumpat, peccamino-

neceſſario iſta dicantur! Hic ſane, ſi uſpiam alibi, locum habet illud: *porro unum eſt neceſſarium*, ſcire nempe amare Continuo *Jeſum*, *et hunc*

laſque reddat: imo libertatem quoque ad bene, ac ſalutaliter agendum tollat.

Bajanis, et Quesnellianis pponibus ſimiles ſunt ab Alexandro VIII. a 1690 damnatae 7. 8. 9. 11. 12: proinde triplici praedeſcripto ſenſu peſtiferae cenſendae.

Nos nec habitualem, nec perfectam charitatem requirimus.

8. Horrenda haec inferorum Monſtra qui Patronis *virtualis* operum, ac virtutum inferiorum ope charitatis ad Deum *relationis* appingere non dubitaret, nae is omnem antiquitatis florem h. a. n. XXII uſque ad XXIX incluſive laudatum haereſeos fuligine aſpergeret. Quod cum ne Adverſarii quidem noſtri velint, patiantur ſibi perſvaderi, *virtualis relationis* Defenſores Antetridentinorum Doctorum, ac SS Patrum Diſcipulos eſſe, a recenſitorum vero Novatorum deliriis toto coelo diſtare. Neque enim 1. requirimus *Habitualem*, aut *perfectam actualem* charitatem ſive ad Sacram. poen. (quod ex toto opere conſtat) ſive *ad relationem* operum ad Deum, ſed virtualem duntaxat n XXVI explicatam. Quin et ad eam *intentionem actualem*, cujus deinde *virtute* ſubſequae actiones ad Deum referentur, contenti ſumus *charitate actuali* non actu intenſa, verum *inchoata*, modo haec *affective* ſit *ſuper omnia*: ſuper omnes inquam omnium creaturarum amores etiam licitos *praedominans affectu*, *ac deſiderio*; ne ſecus in nos cadat illud fulmen: *qui amat Patrem, aut Matrem - - pluſquam me, non eſt me dignus.* 2. Nedum cum S. Auguſtino n. XXIII luculenter conteſtati ſumus, *virtutes inferiores* in ſuis *motivis intrinſecis* abſque *relatione* in Deum eſſe bonas, et ſupernaturales (id quod diſtinctivum eſt Doctrinae Patrum ab erroribus Bajanis) verum id demonſtramus etiam manifeſte duobus inconcuſſis principiis ab incomparabili Bertio diſſ. 3. c. 1. n. XXXIII. mutuatis. Quarum primum eſt. Ut n. XXVI. ex Angelico didicimus, dum *relationem habitualem* rejecimus, ſicut aliud eſt CUM CHARITATE HABITUALI, aliud EX CHARITATE ACTUALI operari: (alias habens charitatem habitualem vel non poſſet peccare venialiter, vel ipſum veniale peccatum ad Deum referret. Quod falſum eſt, ut ibi ait Angelicus) ita aliud eſt EX CUPIDITATE ACTUALI, EX AFFECTU PECCATI: aliud CUM PECCATO HABITUALI operari. EX CUPIDITATE ACTUALI factum opus *intrinſece* malum eſt, quia cupiditas EX QUA eſt *cauſſa* operis *intrinſeca intrinſece influens* in opus, illudque *intrinſece* vitians. ut elemoſinas dare, orare, *ut videaris ab hominibus*: Sic Auguſtinus L. Contra Julian. et S. Proſper *in Sententiis* docent, pleraſque (non omnes, ut n. XXIII vidimus) Ethnicorum virtutes *vana gloria*, inſatiabilique laudis cupiditate fuiſſe infectas, confitente Cicerone pro Archia Poeta.„ Nullam virtus aliam mercedem deſiderat praeter illam laudis, et gloriae.„ (Heu quot praeclariſſima opera hodiedum inficit vaniſſimae gloriolae, plauſus, et aeſtimationis ſitis! Ethnicis in luce Evangelica non meliores Chriſtiani! Scriptum eſt: *receperunt mercedem ſuam.* Math. 6.) Ex adverſo autem operari CUM CUPIDITATE HABITUALI, cum *peccato mortali* in actum *poſitive* non influente non inficit opus ipſum: quia *cupiditas habitualis* tunc non eſt cauſſa operis, non influit in opus, ſed eſt *extrinſeca* operi, et *concomitans*: ideo operantem vitioſum relinquit, opus ipſum nullo modo inficit. Quae doctrina eſt Venerab. Bellarmini de Gratia, et lib. arbitr. L. 5. cap. 9. ita definientis: „Non poteſt opus inquinari a malitia cauſſae, niſi quando a malitia procedit. Nam ſiquis ex bono naturae operatur, opus erit ſimpliciter bonum. Atque hoc modo elemoſina hominis impudici bona eſſe poterit, ſi fiat miſericordiae cauſſa, non impudicitiae. Per accidens enim opus illud eſt hominis impudici: per ſe autem miſericordis.„ Ita diſcurre de infideli, et omni peccatore *habituato*. Qui omnes non ſemper operantur *ex affectu* peccati: ſed ſaepe ſecundum illud juris naturae principium, *quod tibi vis fieri, alteri feceris*. Hinc patet, cur Bajus omnia omnium opera, deficiente charitate, dixerit eſſe peccata; quia falſe, et erronee putabat, deficiente charitate cuncta fieri EX dominante concupiſcentia in omnes actus intrinſece influente. Sicut ita ſordet apud Catholicos *timor ſerviliter ſervilis* EX AFFECTU AGTUALI peccati.

Virtutes ad charitatem non relatas admittimus eſſe bonas.

Aliud eſt EX *cupiditate, aliud* CUM *cupiditate operari.*

Diſtinguenda hic ſunt duo praecepta.

9. Alterum principium, quo manifeſtum fit, omiſſionem *relationis virtualis non corrumpere opus* inferioris virtutis in ſe, ſed *omittentem relationem peccare* leviter, vel graviter, ut dictum n. XXVI in fine, ſequentibus paritatibus exhibemus. Fac tibi praeceptum eſſe, ut Titii egeſtatem ex duplici capite: et quia id *boneſtum eſt*, et *ex charitate* Dei liberali ſtipe ſubleves: te vero ex priori duntaxat motivo illi ſubvenire. Quis, ambo te! elemoſinam tuam *intrinſece* malam, et vitioſam affirmet? Peccaſti eam non referendo ad Deum, ut juſſus eras. Sed hoc peccatum omiſſionis ita *tibi elemoſinario* inhaeſit, ut *elemoſinam* tuam ut *virtutem moralem* non vitiarit. Sic qui incidente in diem jejunii feſto Sacrum audit, ſed legem jeiunii frangit, recte operatur Sacro audito, peccat non jeiunando. Sic puer in diluculo uſus ra-

Crucifixum. Quam Divinam ſcientiam quantum veteres coluerunt, tantum heſterni attritioniſtae prodiderunt, non ſolum de neceſſitate virtualiter

tionis ſi actum fidei, et Spei tantum eliciat, in hoc implet rite praeceptum: ut ut peccet omittendo actum charitatis. Ita et qui *virtutem moralem* rite explet, non peccat, minus *illam inficit*, aut vitioſam reddit: ipſe tamen *Reus eſt omiſſionis relationis* in Deum. Cur haec? rationem dat illuſtre decus ſcholae Auguſtinianae Bertius L. cit. quia hic concurrunt *duo praecepta diſparata* de duabus virtutibus *diverſa motiva propria intrinſeca*, et *fines* habentibus exercendi; ſcilicet unum elemoſinam, ut virtutem moralem faciendi: aliud priori *extrinſece* ſuperadditum, virtutem illam moralem ad Deum referendi. go poteſt unum praeceptum ſine altero quoad ſubſtantiam, et intrinſeca virtutis moralis conſtitutiva ita impleri, ut tamen peccet operans omiſſione alterius praecepti. Atqui haec duo praecepta ſemper in omni exercitio virtutis charitate inferioris adeſſe contendimus. Primum enim praeceptum virtutes morales quoad *ſua intrinſeca motiva, et fines proximos* ſuis temporibus exercendi ita exacte, ut illis *in eſſe virtutis inferioris* nihil deſit, non negant adverſarii. Quod gratanter audimus. Alterum extrinſecum de omnibus virtutibus, quin ſingulis moraliter actionibus humanis, ſive deliberatis *virtualiter* ſaltem ad Deum referendis ita nos hic a n. XXII uſque huc ſtabilivimus, ut illud ſalva Patrum, et ſcripturae auctoritate negari non poſſe videatur.

Quaedam difficultates ſolvuntur.

10. Ais: nondum intelligo, qui poſſit praecipere Deus fidem ſpem, aliaſque inferiores virtutes, ſi eas ſine virtuali charitate exercens venialiter peccet? Cum potiſſimum 2. Damnatum ſit ab Alexandro VIII nro 10. et 13. *vitio non carere eum, qui intuitu beatitudinis aeternae* operatur. Quin 3. videtur ex hac opinione ſequi, quod Deus ſolam coronet charitatem. Quod damnatum eſt in ppone Queſnelli 56. denique 4: Si timens ſerviliter vitium etiam *extrinſecum* habet, quomodo diſponetur ad charitatem? ij. Quando urget praeceptum inferiorum virtutum, urget etiam praeceptum *extrinſecum* omnia ex virtuali ſaltem charitate faciendi, ut a n XXII probatum eſt. Si hoc negligat agens, ipſe defectus ſui cauſſa eſt. Ad 2. Amor ſui ordinatus non excludit ſtudium beatitudinis propriae. Hic tamen finis *ſecundarius* duntaxat nobis eſſe debet: *primarius* gloria Dei. Ut docet et Antoine de Gratia. Cap. 7. a. 8. Quare nobis merces aeterna eſt ipſe Deus *in ſe, et nobis bonus*, juxta illud: *ego ero merces tua magna nimis.* Vide h. n. XXV. *procedunt haec.* Ad 3. aſſerit Antoine l. c. a. IV. Obj. 7. Virtutem moralem imperio, et motivo charitatis nobilitatum plus mereri, quam ſolum actum charitatis Divinae; quamvis indigeat imperio charitatis tamquam conditione ad merendam beatitudinem. Ita Evangelium elemoſinae Dei intuitu factae vitam aeternam promittit Math. 25. v. 34. „Venite benedicti - - eſurio enim, *et dediſtis* MIHI: i. e. propter me, mei amore. ad 4. Teſte illuſtri Theologo Vincentio Contenſonio Theolog. mentis Tom. V. Diſſ. 2. cap. I. In omni actione primum *Finis* intenditur, dein *media* ad finem ordinantur. Igitur et Deus inſpirans timorem ſervilem una inſpirat *finem* timoris, *bonam voluntatem perveniendi ad charitatem.* Cui ſi inſiſtat timens cooperando huic gratiae, Deus adaucta hac bona voluntate, et per timorem remoto negative impedimento, affectu nempe actuali ad peccatum, miſericorditer introducet per oſtium timoris veram, et proprie talem charitatem. Ex quo ex adverſo videre eſt, quod cum timore ſervili praeſcindi nequeat a charitatis affectu, et deſiderio. Taliter enim praeſcindens non cooperatur Deo ad introducendam charitatem; Et ſic ſemper manebit in ſterili timore. Deus enim nolenti *finem* timoris non dabit charitatem. Quia teſte Tridentino ſeſſ. 6. c. 8. dat hanc *Secundum propriam cujusvis cooperationem.* Sed timens praeſcindens *a charitate* non cooperatur *ad eam* conſequendam. go eam non conſequetur. Bene vero cooperans remotae gratiae ad eam.

Sententia ad meritum vitae aeternae requirens actum a charitate imperatum doctrinam noſtram confirmat.

11. Porro cum P. Antoine hic mentionem fecerimus, annotare expedit, Illum *de Gratia Cap.* VII. *a.* 4. *aſſert.* 5. *ad merendam beatitudinem*, vel ejus augmentum praeter *habitum gratiae ſanctificantis* requirere cum S. Bonaventura, Scoto, Bellarmino, et aliis multis, *ut actus eliciatur, vel imperetur a charitate: ſive ut fiat ex motivo, vel imperio actualis charitatis.* Quae ſententia multum affinis eſt noſtrae. Certe pleraque ejus argumenta noſtram confirmant: placet experimentum capere. Ait 1. Chriſtum promittentem operibus bonis aeternam mercedem addere: *propter me: in nomine meo: diligentibus Deum.* Sic Math. 10. 39. c. 19. v. 29. Marci 9. v. 40. 1. ad Cor. 2. v. 9. Jacob 1. v. 12. quae conditio ex his locis ſemper in ſcriptura, et Patribus de praemio aeterno loquentibus ſubintelligi debet. Et ita docet Angelicus 1. 2. q. 114. a. 4. ad 3. Haec refellunt, ſive explicant illam opinionem, quod praeter charitatem inferioribus quoque virtutibus promiſſa ſit vita aeterna. Ex quibus nos ſic arguimus: vita aeterna promiſſa eſt operibus ex charitate factis: at gratia ſanctificans eſt *ſemen* vitae aeternae, et *jus* ad illam. go nemo ſperare poteſt gratiam ſantificantem ſine charitate *extra Sacrm. perfecta; in* Sacramento *praeparatoria.* (XII) 2. Citat Antoine

tualiter continuae charitatis nihil ſcire volentes: verum Sacramentum quoque poenitentiae: illum inquam Sacro Sanctum Divini amoris

toine pro ſe ad Galat. 3. „In Chriſto Jeſu neque Circumciſio aliquid valet - - ſed fides, quae per charitatem operatur.„ Et Auguſtinum Lib. de Gratia, et lib. arbitr. c. 18. „Haec praecepta - - charitatis - - tanta, et talia ſunt, ut quidquid ſe putaverit homo facere bene, ſi fiat ſine charitate, nullo modo fiat bene.„ Ex quibus ut ille neceſſitatem actualis charitatis *ad meritum* vitae aeternae; ita nos *ad Sacramentalem juſtificationem* plane inferimus. 3. Addit rationem: Nam virtutes ſine charitate actuali non habent *proportionem* cum vita aeterna in fruitione Dei conſiſtente. Quae ratio pro nobis palmaris eſt: nam virtutes inferiores aeque non habent *proportionem* cum charitate habituali: aptiſſimam vero charitas initialis, et praeparatoria. Ex his ſuis rationibus deducit ille, ſolas virtutes charitate imperatas mereri vitam aeternam: illâ vero deſtitutas utiles in eo eſſe, quod valeant ad vitanda peccata, ad impetrandas gratias actuales exercendi actus charitatis. Haec ille in juſtis. Quae noſtra ſacimus addendo: quod Eaedem inferiores virtutes charitate deſtitutae in peccatoribus vitent, et ſuperent tentationes: Excludant *negative* affectum peccati: Diſponant, et introducant charitatem initialem; haec aucta, vel ope Sacramenti habitualem. Ex quibus patet, doctrinâ P. Antoine *de merito* noſtram mirifice confirmari.

12. Quomodo vero cum praemiſſis Ejus principiis conveniat amor ſpei, ſive concupiſcentiae, quem in Sacramento ſufficere docet *in Speculativa*? Ipſe viderit. In *Morali* de Poenit. cap. 1. a. 1. q. VI. ℣. 2. Poſteaquam pro aliquo amore extra Sacram. non juſtificante ponit ſex rationes (quae initialis charitatis noſtrae neceſſitatem evincunt) ibidem in fine favet *amori Dei benevolo propter ſe*, licet *non ſuper omnia ex hoc motivo*, ſed ex motivo ſpei, ſeu concupiſcentiae. Quam ſententiam *amoris Dei propter ſe* NON SUPER OMNIA, *ſed* ex motivo Spei *appretiative ſuper omnia* Drouveni Gloſſator Patuzius de poen. q. IV. cap. IV. a. 3. adſcribit Edmundo Simonet; qui Magiſter Patris Antoine fuiſſe perhibetur. Nos illis ex hactenus dictis opponimus n. IV. Joan. Nider. Navarrum. n. XI. Alenſem. Angelicum. XII. Scotum, Paludanum. XIII. Thomam Argentinenſem, S. Bernardum, Vivaldum. etc. qui cum ipſo Sacramento poen. charitatem *ſuper omnia* requirunt. Et qualis obſecro! hic amor Dei NON SUPER OMNIA? quo timor gehennae IN AMORE SUI fundatus major ſit? Sane hunc amorem Dei NON *ſuper omnia* nedum in Sacramento ſufficientem, ſed et veri nominis charitatem eſſe pernego. Ita enim inſtruor ab Angelico Doctore in ſuplem. q. 5. a. 3. *Amor poteſt eſſe ita remiſſus, ut non ſufficiat ad rationem charitatis.* Talis eſt amor Dei *non ſuper omnia*. ut idem Angelicus luculenter conteſtatur 2. 2. q. 24. a. 12. in O. *Propria ratio charitatis conſiſtit in hoc, quod diligatur Deus* SUPER OMNIA, *et quod homo totaliter ſe illi ſubjiciat, omnia ſua referendo in ipſum.* Et ibidem q. 184. a. 3. Ad 3. *Dicendum, quod ſicut homo habet quandam perfectionem ſuae naturae ſtatim, cum naſcitur, quae pertinet ad rationem SPECIEI: Eſt autem alia perfectio, ad quam per augmentum adducitur: ita eſt etiam quaedam perfectio charitatis pertinens ad IPSAM SPECIEM CHARITATIS, ut ſcilicet Deus* SUPER OMNIA DILIGATUR. go manifeſte ſequitur, amorem Dei *non ſuper omnia* non pertinere *ad ſpeciem* charitatis, ſed eſſe velut *embrionem inanimatum* ad charitatem futuram, ſi animetur affectu *ſuper omnia*. Conſpirat Doctor Seraphicus in 4. Diſt. 16. a. 2. q. 1. in O. *Dico, quod adhoc, quod aliquis habeat charitatem, neceſſe eſt, quod diligat Deum ſuper omnia:„* nempe *objective* ipſum Deum, *formaliter* propter ſe, *appretiative* ſuper omnia alia, quidquid non eſt Deus, idque *affective*, vel *effective*, ut not. ad n. XIII. in conc. Colonienſi, et n. XXV. v. *procedunt haec* diximus. Ex quibus ſequitur, timorem gehennae (cum ex concupiſcentia coeli procedat) appretiative *ſuper omnia* cum amore Dei propter ſe *non ſuper omnia* conjunctum eſſe *magis* amorem *ſui*, *ſuae* quietis, *ſuae* felicitatis, quam Dei: utpote amore Dei hoc in cauſa appretiative evidenter majorem. Talis enim coelum *ſuper omnia* deſideratum praeponit Deo *nondum ſuper omnia* dilecto. In quo eſt ſumma deordinatio ſtante jam, et evicta neceſſitate virtualis ſaltem omnium operum ad Deum relationis. a. n. XXII uſque huc et c. XIII. An igitur talem magis *ſui*, quam Dei amatorem dignum ſtatues Sacramentali juſtificatione? aut, quod alii vellent, etiam extra Sacramentali? quin potius in talem plane invectum puto Salvatorem dicentem Lucae 14. v. 26. *qui non odit animam ſuam*, ideſt, qui ſe, et ſua commoda, caelum ipſum *ſibi bonum* magis appretiative, quam me amat, *non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Amor Dei propter ſe non ſuper omnia inſufficiens in Sacram.

Quia non eſt Charitas.

13. Ais: Quomodo ergo verum eſt illud Auguſtini a Bajo relatum effatum: *quid eſt Boni Cupiditas, niſi charitas?* ℣. Varia eſt ejus ſignificatio: Nam 1. Boni *infiniti propter ſe* cupiditas appretiative, et intenſive *ſuper omnia* eſt charitas perfecta. De qua cap. IX acturi.

Boni cupiditas alia eſt charitas perfecta.

ris canalem, quo Sangvis JESU mira charitate in Cruce effuſus pari dilectionis exceſſu in animas noſtras defluit, omni ex parte poenitentis, praeviae verae charitatis affectu evacuantes. Quod toti antiquitati ante Tridentinae horridum, et paradoxum viſum eſſe hactenus vidimus.

EXPENDUNTUR MONUMENTA ANTIQUITATIS ANTE-TRIDENTINAE PRO ATTRITIONE SERVILI MILITANTIA.

XXX. Anne vero *attritionis merae formidoloſae* fundamenta in *antiquitatibus Ante-Tridentinis* ſparſim *reperibilia* negligemus? quin imo ut veritatis ſtudioſos decet, excuſſimus omnia intemerata illa fide, qua fidelibus conſcientiam erroneam ingenerare nefas grande duceremus! *nihil* tamen *invenimus ante Tridentinum pro attritione pure ſervili, quod vel ſpeciem verae probabilitatis, taceo moralis certitudinis praeſeferret.* En omnia, quae in hanc rem invenimus! 1. Svarez in 3. p. D. Thomae Tom. 4. diſp. 20. Sect. 1. cenſet, complures e veteribus Scholaſticis una cum

---

Alia initialis. 2. Boni *infiniti propter ſe* cupiditas *initialis*, affective tamen *ſuper omnia* eſt charitas initialis. cap. XVI. n. X. Sacramento poen. neceſſaria. (hic per totum) Haec eſt charitas proprie talis, ut ex Angelico, et Seraphico vidimus, ſicut infans eſt verus homo: in ſe actu initialis gradu, et intenſione; eſt tamen *ſuper omnia*, quia de praeſenti nihil Deo praeponit ſive actu, ſive affectu, Deum vero omnibus praeponit affectu, voluntate, deſiderio diligendi Deum ſuper omnia etiam intenſione actuali, et reali in futuro. Huic adverſarii ut perfectae charitati, vim juſtificandi extra Sacram. attribuunt; ideo eam Sacramento neceſſariam inficiantur. Neutrum credam ante, quam cunabula virorum officia praeſtent (vide modo cit. Angelici Doctrinam) aut crepuſculum, vel aurora plenae lucis effectus cauſſet. (Confer n IV. hic Guill. Pariſienſem, et Angelum a Clavifio.) Imo cum omnes hactenus recenſiti a nobis Antiqui veram charitatem ad Sacram. requirant, multi vero eorum addant *ſuper omnia* talem eam eſſe debere, invicte inferimus, charitatem initialem *affectu* tantum ſuper omni extra Sacrm. non juſtificare.

Alia amor Dei non ſuper omnia. 3. Boni *infiniti propter ſe* cupiditas *non ſuper omnia*; qua nempe *appretiative* major eſt timor gehennae, et deſiderium coeli, eſt amor Dei *tendens*, ſed actu *inſufficiens* ad rationem verae, ac poprjae charitatis. Ut hic not. 12. evicimus. Cl. Drouven hunc amorem ſic ſe habere ait ad charitatem etiam initialem, ſicut *punctum* ad *lineam*. Ego ſic concipio, ſicut *Semen*, vel manendo in paritate Angelici, ſicut *faetum Inanimatum*. illud germinare in plantulam: hic animari debet, et naſci, ut ſit reipſa homo. Ita amor Dei *non ſuper omnia* primum germinet, animeturque oportet in charitatem ſuper omnia initialem, mox ampliori motu creſcat in perfectam.

Alia ineffi-cax voluntatis complacentia. 4. Boni *infiniti propter ſe* cupiditas fere *ſpeculativa*, infirma, et inconſtans voluntatis in Dei perfectionibus complacentia cum *affectu* peccati adhuc conjuncta, ſed jam aliquo levi conatu volens, et deſiderans, ut non placeat peccatum; jam leviter reſurgens, jam iterum in peccatum relabens eſt *gratia ad ſerium Dei amorem* diſponens, *vagae coruſcationi*, aut *diſperſae ſcintillae* ſimilis: ideo per humilem orationem (cap. XII. n. XXXIV. v. *illi quoque peccatores*) in voluntate, velut in fomite generoſa reſolutione ſeriae emendationis figenda, ut ſic igniculus *initialis* charitatis peccatis refrigeratam animam ſenſibiliter, et ſalutariter urere aptus evadat.

5. Huc pertinet illa quoque pia praevia illuſtratio, qua Deus inſpirans peccatori timorem ſervilem, aliaſque inferiores virtutes, una inſpirat *finem* earum, ut iis velut *mediis* ad charitatem perveniat. De quo hic not. 10. ad 4*tum* meminimus. Haec adhuc *remotior* eſt *diſpoſitio ad charitatem* priore. *prius* enim Deus immittit *illuſtrationem*: dein ſequitur voluntatis cooperatio debilis, mox fortior adjuvante timore ſervili, qui dein introducit charitatem initialem, haec creſcit in perfectam. En quam multiplices habeat ſenſus vere Catholicos illa ppoo: *Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas.* Avertant igitur Superi, ut *omnem motum amoris Dei propter ſe* ſive cum Bajo perfectam charitatem: ſive cum attritioniſtis per ſe juſtificare ante Sacramentum: ſive etiam cum Sacramento ſufficere dicamus. Denique

Alia amor ſpei. 6. Boni *infiniti* cupiditas *nobis bona*, et a bonitate Dei *in ſe* hic et nunc abſtracta eſt *amor ſpei*, ſive concupiſcentiae. De quo nos cap. III. copioſe acturi.

Haec neceſſaria ſunt cuivis veritatem inquirenti, ut inter Bajanas ſirtes, et ſerviles caribdes media charitate noſtra Sacramentali, ſive initiali in hac materia progredi tute poſſit; Praeoccupanda vero hoc loco erant, ut omnibus criminationibus via praecludatur, firmaque fundamenta ſtatuantur deinceps dicendis.

cum *Angelico* contra Magiſtrum ſententiarum docuiſſe *Attritionis formidoloſae in Sacramento poenitentiae ſufficientiam.* 2. Teſte Morino Lib. 8. cap. 3. n. 13. Saeculo 14 *Scotus*, Saeculo 15 *Almainus*, 16 *Sylveſter* tradiderunt, ad gratiam in Sacramento poenitentiae obtinendam non plus requiri, quam *voluntariam Sacramenti ſuſceptionem ab affectu peccati mortalis alienam*, ſive ut *nullus obex ponatur gratiae per Sacramentum ſuſcipiendae.* 3. Quorum opinionem Nicolaus de Orbellis, Petrus Tartaretus, Nicolaus de Niſſe ita emolliverunt, ut opus eſſe cenſuerint *aliquali attritione.* Haec *tract. Tyrnavienſis* pro *antiquitate attritionis ſervilis* De poenitentia nro III.

Momenta adverſariorum pro antiquitate attritionis ſervilis.

Ex Tra. Tyrnavienſi.

XXXI. Porro ut omnia huc congeramus pro ejusdem opinionis vetuſtate adverſariorum arma, ex Vitaſſio de poenit. q. 3. a. 6 Sect. 2. urgeri poſſunt ſequentia: 4. *Durandus* in 4. diſt. 17. q. 1. n. 8. in eo Attritionem a contritione diſtingvit, quod *Attritio ex timore poenae, contritio* autem *ex timore Divinae offenſae procedat:* idem repetit q. 2. Jam vero diſt. 18. q. 2. n. 6. et 7. de *attritione* affirmat, quod ſupervenient Sacramento, virtute clavium fiat ſufficiens, et *in contritionem* evadat. Haec enim ſi conjugantur, quis inde non exiſtimet ſequi, *Attritionem ſervilem* ad Sacramentum eſſe ſatis. Ita et *Roffenſis ad art.* 4. *Lutheri p.* 401 Ait„ contritionem duobus modis poſſe *comparari*, vel per *timoris*, vel *per amoris viam.* p. 404 priorem, quae charitatis eſt expers, *Attritionem* vocat, alteram nominat *Contritionem:* Art. autem 11. ad Sacramentum *ſolam exigit attritionem.* 5. *Lutherus* identidem Catholicis vitio vertit, quod *attritionem ſolo timore conceptam* ad Sacramentum poenitentiae ſufficere, *contritionemque fieri docerent.* Quod Haereſiarcha ex cerebro ſuo extudiſſe non videtur: fuit igitur ſententia haec Ante Tridnum pervulgata. 6. in Conc. Tridentino Theologi jam decretum adornaverant *de ſufficientia attritionis*, cui ſolus Epiſcopus *Tudetanus* interceſſit, ne canonizaretur. 7. Quin et *Granatenſis* pro *ſufficientia attritionis ſervilis* coram Patribus peroravit. A Theologis igitur *Granatenſis* eam opinionem accepit; cum ea ſit opinionum conditio, non ut fungorum inſtar una nocte matureſcant, ſed tenuibus initiis natae ſenſim adoleſcant, et ſic jam *robuſtae Patronorum, et rationum auctoritate* in publicum prodeant. Haec univerſim ſunt arma Adverſariorum pro attritionis ſervilis antiquitate Ante-Tridentina. Quae ſi luculentiſſime diſſolverimus, velint, nolint illi, confiteri cogentur, *opinionem ſuam recentius commentum* eſſe. Itaque

Et Vitaſſio.

XXXII. Ad I. *Complures illos ex veteribus Scholaſticis* non moramur; quia *anonimi* ſunt: baptizentur, producantur nomina, textuſque Doctrinae eorum, tunc reſpodebimus eis. Interea opponimus *Svarezio* exercitum *Veterum Doctorum, et Patrum* hoc capite per nos productum pernegantem *attritionis pure ſervilis in Sacramento poenitentiae ſufficientiam;* ac nomine *attritionis* dolorem *inchoata*, attamen *vera charitate* animatum intelligentem. In hac ipſa ſententia fuiſſe *Angelicum* quoque, proinde *eum* ad caſtra attritioniſtarum pure ſervilium trahi ſine ſumma injuria non poſſe, ſpero cunctis evidentiſſimum fore, quicunque hoc, et ſequens II Caput noſtrum vel obiter percurerint. *Svarezium* opinionem *attritionis ſervilis* illuſtrare ab antiquitate quoque voluiſſe, certum eſt; attamen ipſus eam *ſolum probabilem* vocat, *poſſeque eſſe falſam*, utpote *nec valde antiquam, nec multum communem, ideoque eam in articulo mortis diſvadet*, ut ſuo loco viſuri ſumus. Quae ſane dicturus non erat, ſi pro illa *complures e veteribus Scholaſticis cum Sancto Thoma* habuiſſet. Denique toto hoc capite docuimus, *ante Tridentinis aliam longe viſam eſſe attritionem, quam attritioniſtis recentioribus*: quae duo qui non diſtingvit, et ſic antiquos *attritioniſtas* in modernae opinionis ſulcimen-

Diſſolvuntur.

Angelicus ſine injuria ad caſtra attritioniſtarum ſervilium trahi nequit.

tum adducit, aut fallit, aut fallitur manifeste. Audiatur Angelicus in suplem. q. 1. a. 2. ad 2. „*Attritio*, inquit, *dicit accessum ad perfectam contritionem*; unde in corporibus *attrita* dicuntur, quae aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc sunt comminuta. Sed *contrita* dicuntur, quando omnes partes tritae sunt simul per divisionem ad minima; et ideo *Attritio* significat in spiritualibus *displicentiam de peccatis, sed non perfectam*; *contritio* autem *perfectam*„ Quibus verbis evidens est, *Angelicum attritionem a contritione sub eodem objecto Dei propter se dilecti, ex eoque ortae displicentiae peccati per majorem, vel minorem gradum intensionis distingvere, non per diversitatem objecti*, ut moderni attritionistae. Dum igitur Angelicus ad Sacramenta mortuorum sufficere asserit *Attritionem*: signanter Dist. 6. q. 1. a. 3. et dist. 22. q. 2. art. 1. illis verbis„ *Quando aliquis ad Confessionem accedit attritus, et non plene contritus, si obicem non ponat, sibi gratia, et remissio peccatorum datur*: Per *attritionem* intelligit dolorem de peccato *initiali, et imperfecta charitate* animatum, ut excludat *contritionis perfectae* necessitatem. Secus sibi e diametro contradiceret, cum ut vidimus hic n. XI. et XVII *charitatis motum* ad Sacramentum poenitentiae verbis cubitatibus requirat, *attritionis* vero pure formidolosae sufficientiam rejiciat. Itaque aut unum saltem textum ex Angelico producant *servilistae*, quo is *sufficientiam metus servilis* in Sacramento docet; aut cessent imponere lectoribus suis nomine *attritionis*, tempore, et in mente Angelici longe aliud, quam apud hodiernos *attritionistas*, ut hactenus demostravimus, significantis. Hac observatio de omnibus Doctoribus Ante-Tridentinis (qui attritionem in Sacramento poenitentiae sufficere affirmant) vera est. In speciei

Itanec Scotus.

XXXIII. Idem est responsum ad 2. Atque inprimis observo, ex mente objectionis *Scotum, Almainum, et Sylvestrum* idem in hoc docuisse. At demonstravimus jam nos ad oculum, *Scotum ad poenitentiae Sacramentum initialem charitatem* manifeste *requirere*. Recole hic n. VI. VIII. potissimum vero n. XII clarissimos Scoti textus. Quamquam porro ex illis mens ejus evidentissima sit, quia tamen eum varii varie trahunt; ideo adjungo hic testimonium S. *Bernardini Senensis* S. quoque *Bonaventuram* citantis, quibus nemo mentem *Scoti* clarius affecutus est. Ita ergo differit S. Bernardinus *Serm. in Fer. 3, post Dom. 1 Quadrag.* „Secundum Bonaventuram displicentia rationis in vera contritione mensuratur secundum quantitatem charitatis. Ad hoc, quod aliquis habeat charitatem, necesse est, ut super omnia diligat Deum. Ex his aperte elici potest, quod qui conteritur principaliter propter timorem inferni, et non propter amorem Dei, non est in statu salutis: quia non dolet amore Dei, sed amore SUI; ut si cessaret damnatio ex perpetrata culpa, cessaret et contritio illa. Sed secundum Scotum in 4. Dist. 20. Licet ad veram contritionem concurrat timor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans. Unde etsi in peccatore initiet timor poenae, superveniens tamen amor talem timorem debet repellere. „Haec S. Bernardus ex Scoto luculentissime.

Idem est de Almaino, et Sylvestro, qui attrionem charitate initiali formatam intellexerunt.

Noster ergo est Scotus totus, nostri debent esse omnes Scotistae, si germani esse velint Scoti Discipuli. De Almaino, et Sylvestro jam non laboramus, cum idem cum Scoto sensisse ferantur; notari tamen potest, *Sylvestrum Prieras* a Vitassio q. 3. de contrit. Art. 6. Sect. 2. pag. mihi 312. poni inter eos auctores, qui docent, *Attritionem, et contritionem specie non differre, sed tantum gradu, possequ Attritionem ita intendi, ut contritio apellari mereatur.* Id quod initialis charitatis est; ut patet. Ex quibus evidens est, objectos hoc loco Doctores ad Sacramentum poenitentiae requisivisse *affectum a peccato posi-*

positive alienum: qui sine *initiali charitate haberi nequit.* Item requisiviſſe, ut nullus ponatur gratiae obex etiam *negativus*, qui eſt charitatis omnis carentia.

XXXIV. Ad III. cit. hic Doctores *per* aliqualem *attritionem charitate animatam* intellexerunt: id manifeſtum eſt de *Nicolao de Orbellis:* ita enim is diſcurrit apud Vitaſſe q. 3. *de Contrit. Art.* 5. *Sect.* 3. n. XIX. „videtur (inquit q. 4. de poenit) opinio eſſe Magiſtri, quod in ſolvendis culpis, vel retinendis ita operatur Sacerdos Evangelicus, ſicut olim legalis in illis, qui contaminati erant a lepra: ſed iſtud nimis videtur derogare Sacramento poenitentiae; nam ſi per illud nunquam deletur *peccatum*, ſed neceſſe eſt ipſum prius deleri per contritionem ad hoc, ut digne ſuſcipiatur Sacramentum poenitentiae, tum *nunquam eſſe poſſet ſecunda tabula poſt naufragium;* quia nunquam liberaret jam naufragum a periculo ſubverſionis.„ Ubi palpare eſt, hunc authorem rejicere tantum perfectae contritionis ad Sacramentum poenitentiae neceſſitatem, non initialem charitatem. Idem eſto Judicium de Tartareto, qui ibidem n. XX. ita pronunciat Diſt. 19. „Requiritur aliqua operatio voluntatis ad hoc, quod aliquis recipiat Sacramentum poenitentiae, ſcilicet: quod habeat *attritionem: Et hic actus poſtquam eſt informatus gratia, vocatur contritio.*„ Atqui *attritionem* informatam gratia fieri, et vocari *contritionem*, proprium eſt attritioni initiali charitate formatae, ut communis opinio *antiquorum* ibidem tradit. Patet porro *Tartareti*, et *de Niſſe* quoque haec mens ex eo etiam, quod a Vitaſſio q. 3. a. 6. ſect. 2. citentur ambo inter eos Doctores, quibus *Attritio eſt dolor de peccato* PROPTER DEUM *non dum adjunctam habens gratiam ſanctificantem; quam dum Sacramenti vi conſecutus eſt, Contritio nuncupatur.* Ubi pro hac ſententia citantur Innocentius V. Paludanus, Guido de monte Rocherii, Gerſon, Bernardinus, Biel, *Petrus Tartaretus Lib.* 4. *Diſt.* 19. *Nicolaus de Niſſe Tract.* 6. *de poenit:* ex quibus elucet 1. *Tartaretum*, et *de Niſſe* cum S. Bernardino, et aliis antiquis *attritionem* vocaſſe *initiali charitate animatum dolorem.* Elucet 2. toto oſtio ab errare eos a vero, qui dum apud Ante-Tridentinos Doctores legunt *attritionis* nomen, mox eos *modernorum attritioniſtarum ſervilium* praecurſores, et parentes eſſe arbitrantur (ut jam monuimus.) At plane Falſe, et erronee, et contra notitiam antiquitatis Ante-Tridentinae: nam ut toties dictum, et probatum in ſuperioribus eſt, antiqui illi *attritionem imperfecta, et initiali charitate formatam eſſe debere* docebant, et *a Contritione non objecto, ut moderni ſerviles attritioniſtae;* ſed *ſolo gradu, et intenſionis defectu* diſtingvebant. rediſis ad n. h. V. VI. VII. VII. Hoc ſolum notaſſe, refutaſſe eſt, quid quid adverſarii *ex antiquitatibus ante Tridentinis* pro ſe allegant, et *imperitis* ad fucum faciendum obtrudunt grandi cum injuria veritatis: Nam *hi* neſcientes diſtingvere *antiquorum*, et *modernorum attritionem;* legentes vero vocabulum *attritionis* antiquis quoque familiare fuiſſe, confirmantur mire in opinionis formidoloſae ſufficientia. Ex adverſo autem detecta hac diſtinctione *antiquorum*, et *modernorum attritionis:* prodit manifeſte *novitas opinionis formidantis.* Itaque ſtabilire hanc diſtinctionem *antiquorum, et modernorum de notione attritionis* eſt funditus evertere totam *heri* cuſam *opinionem ſervilem.*

Pariter ſenſerunt Nicolaus de Orbellis.

Tartaretus item.

Et de Niſſe.

XXXV. Ad 4. *Durandus*, et *Roſſenſis* (quibus addi poteſt *Guido de monte Rocherii*, et plures alii) loquuntur de *radice, initio*, et *origine*, non *de forma ultima attritionis, et contritionis.* Nempe *utraque* poteſt oriri vel *a ſubjecto habente ſanctificantem gratiam*, vel *a peccatore*, et ab hoc quidem dupliciter: 1. ut *a charitate actuali incipiat, et in ea termine-*

Attritio, et contritio pt ORIRI *a timore, modo terminetur in charitate. Imo ordinarie ſic fit.*

minetur. 2. ut *originem*, et *primum motivum habeat solum timorem servilem*, *cui* tamen actui subinde *accedat motivum*, *et forma charitatis.* Ajunt itaque citati Doctores, necessarium non esse, ut *attritionem*, *vel contritionem praecedat gratia sanctificans*, *sed sufficere*, *ut eam causet*, et *terminet*. Quin et ut causet, *neutram excludere remotam causam*, et *principium*, *metum servilem*, *modo subinde accedat proximum motivum charitatis in attritione initialis*, *in contritione perfectae*, *acris*, *ac vehementis.* Ita *Roffensis* varios enumerat gradus, quos percurrere debet attritio, antequam veniae consequendae par, idoneaque sit. Ita plane, sicut Tridentinum sess. 6. c. 6. inter *remota justificationis principia* enumerat fidem, timorem, spem, *proximum* tamen addit, ut *Deum tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiant.* Et sess. 14. cap. 4. attritionem COMUNITER *ex turpitudinis peccati consideratione*, vel *ex gehennae*, et *poenarum metu concipi* asserit; innuens, interdum *eam* ex tenui charitate oriri posse: nam quod *charitate formari*, *terminarique debeat*, convincit subjectum exemplum *Ninivitarum*, qui *timore concussi misericordiam consecuti sunt*, utique *a timore ad charitatem gradum faciendo.* Unde et Angelicus *timorem servilem* ponit *remotum principium justificationis*; *filialem* vero *proximum* 3. p. q. 85. art. 3. differens de timore, qui vulgo statuitur principium poenitentiae, ita ait: „De poenitentia possumus loqui, quantum ad actus, quibus Deo *operanti* in poenitentia *cooperamur*, quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis Cor: 2us Actus est motus fidei. 3us est motus *timoris servilis*, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur: 4us actus est motus spei, quo quis sub spe veniae consequendae assumit propositum emendae: 5us actus est *motus charitatis*, quo alicui peccatum displicet secundum se ipsum, et non jam propter supplicia: 6us actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam voluntarius offert. Sic igitur patet, quod *actus poenitentiae a timore servili procedit*, *sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato*; *a timore autem filiali*, *sicut ab immediato*, *ac proximo principio.*„ Illustrat haec junior amoris Magister S. Franciscus Salesius, qui *Lib.* 2. *De amore Dei cap.* 8. laudat poenitentiam, quam parit gehennae metus, et tamen, statim subjicit, *eam non sufficere*, nisi *amore Dei suffulciatur.* „Poenitentia, inquit, quae Divinum amorem non excludit, quamvis adhuc sine eo sit, *bona est*, *et optanda poenitentia*, *sed imperfecta*, *et quae salutem nobis dare non potest*, *donec ad amorem provecta sit.*„ Iam audivimus S. Bernardinum ex Scoto asserentem „Licet ad veram contritionem concurrat timor humilians, debet tamen sequi amor inflammans. Unde etsi in peccatore initiet timor paenae, superveniens tamer amor timorem debet repellere.„ (*a*) Confer Alensem n. XI. Biel XII. Robertum de Sorbona. ibi. Echium XIII. Con. Moguntinum. &c. XXXVI.

(*a*) Hac doctrina illustribus Sanctorum Patrum testimoniis firmata una satis facimus aureae illi antiquitati, quam in Bibliotheca Excellentissimi D. Com. & Praelati Gratiosissimi exhibet Codex in pargameno litteris Gothicis Manuscriptus, cum hoc titulo: *Manipulus Florum Conscriptus*, *et collectus a quodam Theologo.* Ubi sub voce *Contritio* haec leguntur: *Alia est compunctio*, *sive contritio*, *quae per amorem* NASCITUR: *Alia*, *quae* NASCITUR *per timorem. Quia aliud est supplicia fugere*; *aliud praemia desiderare.* Non paucis interjectis laudat *Hugonem*, cujus verba haec refert: *Contritio est compunctio animi cum lacrymis* ORIENS *ex recordatione peccati*, *et timore Iudicis.* Haec ibi. Cujus doctrinae hic planus sensus esse mihi quidem videtur: *Alia Contritio sola charitate* ORITUR, *et consummatur*: *Alia* ORDINARIE REMOTE NASCITUR EX TIMORE, *crescit*, *et perficitur charitate.* Sensum hunc innuit *ly* NASCITUR, quo utitur Anonimus. Non enim dicit *Consistit*, *perficitur*, aut quid aliud: sed NASCITUR: ergo de *origine*, de *remoto principio*, ac *radice*, non *de termino*, *fine*, et *forma Contritionis* loquitur. Illustrat hanc expositionem testimonium *Hugonis* ab eodem citati: quem superius Num. XII. inter hostes *sufficientiae Attritionis servilis* citavimus; quin alii passim eum *Contritionistam* censent esse. Quem citans *Anonimus* sufficientiae attritionis servilis in Sacramento poenitentiae Fautor, aut Praeoursor non est; sed contritionem saepe *a timore*, ut *remoto principio* oriri

XXXVI. Ad 5. Manifeſtam hanc calumniam Lutheri propulſarunt Theologi Catholici. *Javellus* enim (apud Vitaſſe) *Philoſoph. Chriſtian. Tom. 2. part. 5. cap. 5.* de Sacramento poenitentiae ita ait: *Quinto iisdem Eccleſiaſticis imponit Lutherus, quod dixerunt, attritionem fieri contritionem. Et hoc ex* EODEM IMPERITIAE FONTE *traxit: nam Sacri Theologi in 4. Diſt. 17. determinant, id poenitus eſſe impoſſibile*, ſcilicet *attritionem* pure *ſervilem fieri contritionem.* Idem tradit *Viguerius in ſuis de Sacramento poenitentiae inſtitutionibus cap. 6.* quod opus teſte Vitaſſio a Sacra Facultate Pariſienſi approbatum fuit. Ita vero is inquit: „Sciendum eſt, quod ſi *attritio* dicatur dolor de peccatis voluntarie aſſumptus propter *timorem ſervilem*, ſic quod principium ejus ſit timor ſervilis, ut ſcilicet ſit *deteſtatio peccatorum propter metum poenae*, vel *propter Deum non ſumme dilectum*, tunc *attritio* NUNQUAM FIT CONTRITIO, nec ex attrito aliquis fit contritus, niſi ad hunc ſenſum, quod poſt *attritionem venit contritio*, ſicut dicimus, ex mane fit meredies, et ex injuſto fit juſtus *conſecutive.* Si vero *attritio* dicatur dolor voluntarie aſſumptus *propter Deum ſumme dilectum*, ſed *non cum ſufficienti*, et requiſita *intenſione*, ſive gradu; Sic *Attritio per continuationem, vel applicationem abſolutionis fit Contritio*: Et ſic intelligitur id, quod a Doctoribus communiter dicitur, quod virtute clavium ex attrito fit contritus.„

Teſtibus Antiquis ex ſerviliter attrito nunquam fit contritus.

fit vero ex attrito initiali charitate. Ita docent Javellus: Viguerius.

Conſentit Vivaldus: „Quotieſcunque inquit (*in Candelabro aureo tit. de Attritione*) invenitur in Doctoribus, *Attritus cum Sacramento fit contritus*, eſt intelligendum de *attritione perfecta*, id eſt, de ea, *qua propter Deum pure dolemus de peccatis.*„

Vivaldus

Molanus item *in Theologia practica de Contrit. Nro 40.*, Saniores Scholaſtici cum aſſerunt, *virtutem Sacramenti ex attrito contritum hominem facere*, loquuntur *de attritione, quae adjunctum habet affectum*, quo poenitens *incipiat diligere Deum tanquam omnis juſtitiae fontem.*„ Igitur *moderni attritionaſtae* opinionem ſuam tempore Lutheri in Scholis Catholicis viguiſſe, ex ejus calumnia inferre nequeunt, niſi pariter a Javello, et aliis antiquis vapulare velint. Quibus adde auctores *hic a n.* XI. citatos, ſolum *timorem poenae ad Sacramentum poenitentiae inſufficientem clare aſſerentes.* qui per conſequentiam doctrinae aſſerere debuerunt, attritionem ſervilem non fieri contritionem; ſi enim fieret, jam in Sacramento poenitentiae ſufficeret: ergo.

Molanus cum aliis.

ergo ex Lutheri imperitia non ſequitur, ILLUD PRIUS EJUS *tempore, Scholae opinionem fuiſſe.*

Imo vero *non metum inferni*, ſed *contritionem* (ſive *perfecta*, ſive *initiali charitate* formatam) tunc *pro parte Sacramenti* poenitentiae a Doctoribus habitam, traditamque fuiſſe Luthero compertiſſimum erat: eam enim doctrinam ab eo ſugillatam fuiſſe, evidens eſt ex tribus ejus propoſitionibus a Leone X damnatis; quarum quinta ſic habet: *Tres eſſe partes poenitentiae, contritionem, Confeſſionem, et ſatisfactionem, non eſt fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis Sanctis Chriſtianis Doctoribus.* Sexta vero hujus tenoris eſt: *Contritio, quae paratur per diſcuſſionem, collectionem, et deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat Annos ſuos in amaritudine animae ſuae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, faeditatem, amiſſionem aeternae Beatitudinis, ac aeternae Damnationis aquiſitionem: haec Contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.* Septima. *Veriſſimum eſt proverbium, et omnium doctrina* DE CONTRITIONIBUS *hucusque data praeſtantius: de caetero non facere ſumma poenitentia: optima poenitentia nova vita.* Ex quibus elucet, Luthero conſtitiſſe,

doctrina Eccleſiae de CONTRITIONE *conſtitit Luthero, ſed non placuit.*

poſſe admittit; ita tamen, ut *finem*, et *formam ultimam* ejus *charitatem* non neget, imo ſupponat ex communi *tunc* ſententia, et ex Hugone a ſe laudato. In quo conſentit cum citatis a nobis hic ſummis Doctoribus SS. Thoma, Bernardino, Scoto, et reliquis, qui *remotum* principium contritionis ponunt *timorem* formam *charitatem*.

se, sed non placuisse ejus temporis Doctorum, et Ecclesiae *de Contritione ut parte Sacramenti* poenitentiae sententiam: Et *hanc* aeque, ac *servilem metum* calumniatum fuisse. Si conjecturae verosimili ex combinatione errorum Haeresiarchae locus mihi sit, censeo Lutherum, quia *timorem servilem actum bonum* negabat, *nec volebat distingvere cum Catholicis inter proximam*, et *remotam* justificationis *dispositionem*, nec audiebat Ecclesiam docentem, *metum remote disponere*, et *introducere charitatem*, sive *contritionem*, *cujus ope fieret proxime justificatio*; (confer nro hic XI not. in Alensi, item Biel n. XII. Echium n. XIII. Concilium. Colonienſe. ibi) ut Ecclesiae sententiam apud suos abominabilem redderet, dogmatizasse, sive calumniatum fuisse: *Catholicorum opinione attritionem servilem actum suo judicio* MALUM *in Sacramento poenitentiae sufficere, et fieri Contritionem.* Quod *ejus commentum* cum tunc ex dictis fuerit falsissimum, stupendum, et horrendum est, posterioribus *attritionistis servilibus* quoad 2*dam* partem probari potuisse. (*a*)

Opinio Initialistarum canonizanda erat in Tridno, ni Tudetanus obstitis set.

XXXVII. Ad 6*m*. Nostra plane, sive *initialistarum* sententia probanda, canonizandaque fuerat comuniori in Concilio Tridentino Theologorum opinione, et parato illo Decreto cum hac expresse addita ratione: *attritionem sufficere in Sacramento*, *cum* SINE ALIQUO IN DEUM DILECTIONIS MOTU VIX ESSE QUEAT: Monente vero *Tudetano* Antistite 1. *falso id dici*, quod attritio sine amore Dei vix esse queat. 2. Variare auctores, an haec attritio Sacramento constituendo satis esset, *ideoque Decretum tollendum esse, sublatumque reipsa fuisse.* Ita narrat Pallavicinus Cardinalis *Hist. Tridentini Lib.* 12. *Cap.* 10. *n.* 26. Ex quibus infero 1. Theologos illos Decreti suppressi Formatores non fuisse *attritionistas serviles*, sed *initialistas*: quia

Rejecto Decreto illo in Tridentino rejecta est sufficientia attritionis servilis.

existimabant, *attritionem sine amore Dei vix esse posse*: Sensu nempe Doctorum, quos hactenus laudavimus, accipiebant illi *attritionem charitate initiali animatam.* Quam rationem ut negavit Tudetanus, nempe *attritionem sine amore Dei esse non posse*, reformatum, suppressumque est Decretum. Igitur communi Concilii Decreto *rejecta est sufficientia attritionis dilectione Dei vacuae. Notent hoc sibi attritionistae.* 2. Monuit pariter *Tudetanus*: *variare* auctores, an haec *attritio* in Decreto illo formato descripta, consequenter *aliquem dilectionis in Deum motum includens satis esset in Sacramento.* Tanto ergo certius erat omnibus tunc, *attritionem mere servilem certissime non sufficere. Hoc quoque expediet notare servilistis.* Variabant porro sententiae Auctorum de attritionis etiam aliquo amore Dei animatae sufficientia; quia alii charitatem perfectam (quorum Dux erat *Tudetanus*) alii communiter *initialem* a priori gradu, non objecto diversam exigebant. *Hae duae sententiae ante* (ut hactenus vidimus) consequenter *et sub Concilio vigebant*, ut cap. V. n. XXX visuri sumus: nec volebat Concilium damnare *Contritionistas.* Tanto ergo minus damnavit *initialistas:* damnasset vero utrosque, si *attritionis servilis sufficientiam* declarasset. Igitur attritionistarum jactata decisio a Concilio Tridentino facta fundamento omni caret.

Rejectum decretum illud est, ne damnarentur Contritionistae.

go nec damnati sunt initialistae.

go jactata sufficientiae attritionis servilis declaratio fictitia est.

Ne-

(*a*) Non dico, *attritionistas* docere, *actum malum* esse *proximam dispositionem* in Sacramento: nam *illi* metum *servilem* actum *honestum esse*, cum Ecclesia defendunt. Sed quod Lutherus telle Javello *ex imperitia contra omnes antiquos* asseruit, opinione sui temporis Doctorum *attritionem servilem in Sacramento fieri contritionem*, atque adeo *proximam justificationis Sacramentalis dispositionem esse posse*, hoc inquam Lutheri imperitum commentum, et calumniam ab attritionistis probari potuisse, ut innegabile, ita summe mirandum est. Audiatur Vitasse de contritione q. 3. a. 6. Sect. 2. *Lutherus*, inquit, *id olim Ecclesiae vitio vertebat, quod absurde prorsus vellet reconciliari homines, qui ipsum non amarent, eosque jus sibi usurpare ad Divinam hereditatem, qui timore adhuc servi, nondum amore Filii essent. Hanc quidem calumniam ab Ecclesia egregie depulerunt multi tum fidei nostrae Vindices: sed illam tamen adjuvant adversarii nostri. Quod non leve Crimen esse ait Lupus in Epist. ad Norisium c. 4. de quo etiam Castorienſis cap. 26. n. 2.* haec Vitasse.

Nequis porro ex hac ratione *Tudetani* (variare auctores, *an attritio etiam cum aliquo in Deum dilectionis motu ſatis ſit ad Sacramentum*) inferat, *initialiſtarum ſententiam* Patribus *in praxi dubiam*, ideoque rejectam fuiſſe; obſervo, illam rationem Theologorum Decreti formatorum: *cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat*: valde late patuiſſe; includebat enim *quemlibet amorem Dei exiguum, et non ſuper omnia in Deum*: eumque *nobis*, vel *iuſe bonum*. Utraque igitur ſententia haec decreto rejecto refixa eſt. Ideoque et nos amoris quidem ſpei, ſive *Concupiſcentiae ſufficientiam* rejiciemus: Amorem vero *charitatis* exigemus *non perfectum* illum quidem *gradu*, et *intenſione actuali*, attamen verum, ſincerum, quin et *ſuper omnia talem*, quo ſcilicet et *objective Deum ipſum*, et *formaliter propter ſemet ipſum, intrinſecam* inquam *ſuam bonitatem* tam *nobis, quam inſe bonum*: et *ſubjective* non *tenuiter*, non *aliqualiter*, non *remiſſe*, ſed *affectu*, *deſiderio*, et *in praeparatione animi ſuper omnia* ea, *quidquid Deus non eſt*, diligamus, diligereque perfecte optemus. Qui non eſt *aliqualis* duntaxat *dilectionis in Deum motus*, ſed *affective*, et in *praeparatione animi ſummus, et praedominans*. Etenim charitatem etiam initialem *affective* eſſe debere *praedominantem*, ſive *ſuper omnia*, docent hic n. IV Joannes Nider. Navarrus. n. XI Alenſis, Angelicus. XII Paludanus. XIII. Thomas Argentinenſis, S. Bernardinus, Vivaldus. etc. quod plane modo ex Javello h. n. audivimus.

Ad haec: paratum illud decretum valde late patebat.

Amor enim NON ALIQUALIS, SED AFFECTIVE SUPER OMNIA *neceſſarius eſt in Sacramento.*

XXXVIII. Ad 7m. Cit. Purpuratus Hiſtoricus Lib. Laud. haec ait: „*Theologorum mens fuit, ut error haereticorum timorem paenae tanquam inhoneſtum improbantium condemnaretur, non item ut de ſcholaſtica quaeſtione* (an talis timor abſque ullo amore ſufficeret in Sacramento) *judicium ferrent. In Patrum Conventu pauci id attigerunt*, (velut quaeſtionem, de cujus falſitate nemo dubitaret:) ALIQUOD DUNTAXAT VESTIGIUM REPERIO OPINIONIS NEGANTIS NECESSITATEM AMORIS IN IIS, QUAE GRANATENSIS DISPUTAVIT. At *diſputare* non plane ſignificat *pro ſufficientia attritionis ſervilis determinate* ſtare. Nam DISPUTANDO potuit Argumenta quaedam proferre tentaminis cauſſa. Quae tamen *diſputatio* communiter *rejecta eſt*, *Plurimis pro initiali*, *Tudetano cum quibusdam pro perfecta charitate ſtantibus*. Ex ambigua igitur *diſputationis* voce nec *probabiliter* extundi poteſt, *Granatenſem ſufficientiae attritionis ſervilis opinionem affirmantem a Theologis affirmantibus accepiſſe*: quin vix id quidem, eum ſcilicet aſſirmanti ſententiae *poſitive inhaeſiſſe*, et ſic *modernorum attritioniſtarum Prothoparentem* extitiſſe. Sed *veſtigium aliquod*, ſive *ova* quaedam ab eo hic *poſita* eſſe *apparet*, *ſerius*, ut ſuo loco videbimus, *per alios timide excluſa*, ſenſimque poſtea enutrita. Sane, ut argumentum aequo jure in adverſarios rejiciamus, ſi *Granatenſis* pro attritionis ſervilis ſufficientia, velut *opinione* jam tum ſibi *probabili* peroraſſet, haec *opinio probabilis* fungi inſtar unica nocte in cerebro ejus maturuiſſet. Cum, ut hactenus vidimus, *nullus ex antiquis Doctoribus* pro illa, omnes contra eam eo uſque depugnaverint.

Ex diſputatione ſolius GRANATENSIS *argui nequit*, EUM *opinionem negantem amoris neceſſitatem a Theologis accepiſſe.*

Ex hac vero obſervatione palpare quiſque omnibus ſenſibus poteſt: *Tridentinum ſufficientiam attritionis ſervilis nec definiviſſe, ut Attritioniſtae praetendunt, quin nec definire potuiſſe.* Avertant enim ſuperi! ut Organum Spiritus Sancti Generale Concilium (quod unice ex verbo Dei ſcripto, et tradito communi Theologorum et Patrum conſenſu certo, evidenterque probato ſuas ſolet proferre maturo conſilio definitiones) ad ſolius *Granatenſis* diſputationem, in *Patrum Conventu paucis id attingentibus*, ad *aliquod* duntaxat poſitum *veſtigium*, quidpiam definiverit. Quae ſola ratio in actis Concilii ab Eminentiſſimo Hiſtorico indubia fide relatis fundata jactatam ab Attritioniſtis opinio-

Igitur praetenſa declaratio ſufficientiae attritionis ſervilis Tridno eſt injurioſiſſima.

nis

nis ſuae a Concilio deciſionem ſus deque vertit. Confer Tridentinum ſeſſ. quintae *initio*, et ſeſſ. 18 *in Salvo Conductu proteſtantibus dato.* Utrobique Concilium *decretorum ſuorum fontes* Statuit *Scripturam Sacram, traditionem, Probata concilia, Eccleſiae conſenſum, SS. Patrum auctoritatem.* Haec certo deerant in Tridentino *Sufficientiae in Sacramento attritionis ſervilis.* go *declaratio* ejus per attritioniſtas jactata eſt chimerica, et concilio Generali longe injurioſiſſima.

Conſentiunt hactenus dictis Morinus.

XXXIX. Illuſtrantur amplius praemiſſa reſponſa noſtra. 1 *Morinus*, ille Pharos, et Scrutator ſummus antiquitatis rei Sacramentariae, quo ſcilibet nemo diligentius ad antiquarum ſcholarum de hoc negotio placita colligenda incubuit, *Lib.* 8. *c.* 4. *n.* 7. haec decretorie aſſerit: „Antiqui Scholaſtici omnes ad annum uſque 1500, ut Patres praeteream, longe copioſius, liberalius, ac magnificentius de *obligatione dilectionis Divinae ſtatuerunt*, ut vel ex ipſis Recentioribus colligitur, dum eos refutant.„

Farvaquius:

Fidenter etiam *Farvaquius in quaeſtione quodlibetica adverſarium ſuum appellat dicens*: „Ante Concilium Tridentinum, inquit, nullus e ſchola Theologorum Scholaſticorum prodiit, qui doceret, *Attritionem ſervilem* ſaltem poenitenti cognitam ſufficere obtinendae in Sacramento reconciliationi. Quod ſi forte neges (addit) concedo, ſi vel unius Auctoris profers teſtimonium, et magnam pro praeſtito beneficio referes gratiam. Hactenus enim ſolertiſſime quaeſivi; et non inveni.

Jam vero tam univerſales propoſitiones Doctiſſimi hi viri neque protuliſſent, neque ab adverſariis ſuis potentiſſimis, atque pro *attritione formidante* omni opum vi depugnantibus impune tuliſſent, niſi illi manifeſta facti, et hiſtoriae litterariae veritate defenſi fuiſſent; ergo relatà *a. n.* XXX. iſtic adverſariorum antiquitatis monumenta *nullum praebent attritioni ſervili Ante Tridentinum praeſidium.* 2. Id ipſum firmatur ingenua adverſariorum confeſſione. *Dominicus Soto*, quem attritionis ſervilis alterum Prothoparentem videbimus, *in* 4. *Diſt.* 18. q. 3. *Art.* 2. *Doctrina* (*inquit*) *haec de attritione, quae in Sacramento fit contritio, quamvis ſit vera* (*ſuo judicio*) *non eſt tamen multum vetus. Patres enim antiqui ſolam contritionem agnoscebant neceſſariam ad Confeſſionem.* Et diſt. 19. q. 2. Art. 6: *Non eſt, inquit, Evangelica aſſertio, aut Eccleſiaſtica definitio, neque apud Auguſtinum, aliumve ipſius claſſis auctorem reperitur.* Conſentit *Andreas Vega* illuſtris Scotiſta, et in Tridentino magni nominis Theologus: quem adverſarii ſuum eſſe gloriantur, is vero Lib. 6. in Concilium Tridentinum cap. 28. *Eandem dilectionem Dei eſſe diſpoſitionem ad juſtitiam, doctrina eſt Chriſti, Apoſtolorum, et SS Eccleſiae Doctorum.* Et cap. 10. *Dilectionem Dei eſſe neceſſariam ad juſtificationem, apud omnes tractatores Theologos, quos legerim, receptiſſimum eſt.* Haec nobis ſufficiunt, ut ſervilis opinio cunctis horribilis ſit.

Andreas Vega.

Charitatis ad Sacramentum neceſſariae teſtes luculentiſſimi.

Haec eſt prima epocha attrit. ſervilis. in qua illa nullum habet praeſidium.

XL. En itaque primam Epocham attritionis ſervilis! nempe: *Omnem retro Ante-Tridentinum Concilium antiquitatem!* demonſtratum ſcilicet ex hactenus dictis eſt, *in illa* nullum eſſe *attritioni ſervili probabilitatis, minus* vero *moralis certitudinis* praeſidium. nam *antiqui* illi I. *Attritionis* nomen ipſum ſaeculis circiter 12 ignorabant: *duplicem* interea quoque *agnoſcentes contritionem:* alteram *perfectam, imperfectam* alteram, ſive *tenui, et inchoata charitate animatam.* Nro hic I. II. III. 2. Poſteaquam autem *attritionis vocabulum inventum*, atque a Theologis civitate donatum eſt, eo nomine multi intellexerunt *dolorem* etiam *perfectum charitate a non habente charitatem habitualem*, elicitatem. Nro. IV. hic. 3. Alii, et communiter dolorem *initiali charitatem animatum.* Nro. V. IX. 4. Qui vero per illud vocabulum *timorem mere ſervilem* intelligebant, illi ejus in Sacramento poenitentiae ſufficientiam clare, con-

ſtan-

ſtanterque pernegarunt. n. XI. XII. XIII. Idque 5. Suffragente ſibi conſtanti Patrum doctrina. a n. XIV uſque ad XIX. Quin et 6. Scripturae auctoritate. a n. XX. uſque ad XXIX. 7. Cui veritati quid quid ex antiquitatibus Ante-Tridentinis contrarium *pro attritionis formidoloſae* in Sacramento *ſufficientia* a Patronis ejus congeritur, cuncta illa perſpicue diſſolvi poſſunt. a n. XXX. Idque 8. Ingenue confitentibus ipſis adverſae ſententiae Principibus. n. XXXIX.

Sequitur proinde, eam NOVAM, *atque eo ipſo* FALSAM *eſſe.*

XLI. COROLLARIUM. Exquibus luce meridiana clarius ſequitur, *opinionem attritionis ſervilis* vere NOVAM *eſſe, eoque nomine* manifeſte FALSAM. Ratum namque eſt apud omnes veritatis ſectatores illud Tertuliani *de praeſcriptione c.* 31 effatum: *Id eſſe DOMINICUM, et verum, quod prius traditum; id autem EXTRANEUM, et FALSUM, quod POSTERIUS INVENTUM.* Teſte item Lirinenſi in Commonitorio: *Nullum certius eſt FALSITATIS argumentum, quam NOVITATEM: Cum VERITAS UNA, EADEMQUE, atque IMMUTABILIS OMNIBUS SAECULIS ſit.* Hinc *Le Drou p.* 478. *merito* infert, non ſervari ab adverſariis illud *Deuter.* 23. v. 7 praeſcriptum: *Interroga Patres tuos, et dicent tibi.* Et Chriſtianus Lupus Epiſt. ad Noriſium Cap. 4 urget illud: ADULTERINUM, QUODCUNQUE POSTERIUS.

Nemini fas eſt Patrum dogmaticas traditiones transgredi.

Igitur attritioniſtae hoc *traditionis, et antiquitatis Ante-Tridentinae* invictiſſimum *pro nobis antemurale* nunquam in aeternum ſuperabunt. Audiamus iterum Tertulianum libro *de praeſcript.* ab Eccleſia ſemper probato: *Nobis nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed nec eligere, quod aliquis ex ſuo arbitrio induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi ex ſuo arbitrio quidquam elegerunt, ſed acceptam a Chriſto diſciplinam fideliter poſteris aſſignarunt.* S. Auguſtinus *contra Julian.* cap. 7. de SS Cypriano, Baſilio M. Gregorio Nazianzeno, et Ambroſio teſtatur: *Quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Mox ſubjungit. „Illorum Secutus ſum veſtigia: quod ſentiunt, ſentio: quod tenent, teneo: quod praedicant, praedico„ S. Fulgentius lib. de verit. praed. „Dignum eſt, ut in quibuſvis ſententiis, in quibus nubilo quodam obſcuritatis ambigimus, SS Patrum definitionibus haereamus, quos praeveniens miſericordia Dei gratis illuminavit, ut crederent, et ſequentes - - docerent.„ S. Bernardus Epiſt. 7. ad Hugonem: „Non quaerimus pugnas verborum: novitates quoque vocum juxta Apoſtolicam doctrinam evitamus: Patrum tantummodo opponimus ſententias, ac verba proferimus, non noſtra. Nec enim ſapientiores ſumus, quam Patres noſtri.„ Innocentius I Pontifex epiſt. ad Victritium proteſtatur dicens: *non noſtra - - inperantur, ſed ea, quae Apoſtolica, et Patrum doctrina ſunt conſtituta. Scriptum namque eſt Paulo monente: State, et tenete traditiones, quas tradidimus vobis.* Zoſimus P. apud Ivonem Carnotenſem epiſt. 60 ſimiliter: *Contra ſtatuta Patrum immutare* ALIQUID, tanto magis materiam Sacramenti, *nec hujus quidem ſedis poteſt auctoritas. apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.* Et Gregorius VII Libr. 3. epiſt. 10. *Videntes*, inquit, *principales, ac proprias lucrandarum animarum cauſſas* (de diſciplina ille: nos de materia Sacramenti id ipſum aſſerimus:) *diu prolapſas, et ſvadente diabolo conculcatas, concuſſi periculo, et manifeſta perditione gregis Dominici ad SS. Patrum*, eorumque diſcipulorum *decreta, doctrinamque recurrimus,* NIHIL NOVI, NIHIL ADINVENTIONE NOSTRA *ſtatuentes, ſed primam, et unicam Eccleſiaſticae diſciplinae regulam, et tritam Sanctorum viam relicto errore repetendam, et ſectandam eſſe cenſuimus.* Concordat Concilium Conſtantienſe in praefat. his verbis: *Cum plerumque*

Nec ſummis Pontificibus.

rumque in rebus dubiis ad utramque partem rationes plurimae adducantur, ad tollendas lites, et contentiones opportuna cenſetur VETERUM *auctoritas, et quae ab antiquo facta legitur Sanctorum definitio Patrum. Sic enim ſcriptum eſt: interroga generationem priſtinam, et diligenter inveſtiga Patrum memoriam.* Praeiverat Conc. Conſtantip. IV. Act. 10. can. I. definiens: „Ut rectam, Regiamque Divinae juſtitiae viam ſine erroris offenſa teneamus, SS. Patrum decreta, velut inextinctae quaedam, ſemperque lucentes faces ſequenda ſunt.„ Quis ignorat ſolennem illam Concilii Tridentini deçlarationem, qua decernit, ipſum Concilium Generale, *Eccleſiamque* Univerſam *in ſubſtantia ſacramentorum* (qualis eſt materia, et forma eorum) *immutare* NIHIL POSSE. Etſi idem ſeſſ. 4. *ad coercenda petulantia ingenia ſtatuit, ut nemo prudentiae ſuae innixus in rebus fidei, et morum contra unanimen ſenſum Patrum ſcripturam Sacram interpretari praeſumat*: an fas eſt vel cogitare, *ipſum* attritionis in Sacramento ſufficientiae contra OMNEM retro ANTIQUITATEM aut favere voluiſſe, quin vel potuiſſe? ſed de ſenſu Tridentini mox pluribus. interim.

Seſſ. 21. Cap. II.

Adverſarios noſtros illis Galeſii P. Verbis *Ep.* 5. interpellamus: *Ubi eſt, quod ſcriptum eſt*: terminos Patrum tuorum ne transgrediaris? *et* interroga Patres tuos, et annunciabunt tibi: ſeniores tuos, et dicent tibi? *Quid ergo tendimus ultra definita Majorum? aut cur nobis non ſufficit - - qualiter ab Orthodoxis Patribus ſingula vel vetita, vel praecepta ſunt, vel aptata Catholicae veritati? Nunquid aut ſapientiores illis ſumus? aut poterimus firma ſtabilitate conſtare, ſi ea, quae ab illis conſtituta ſunt, ſubruamus?* Merito aſſerit S. Hormisdas P. cauſſ. 25. q. 1. Can. 9. „Prima ſalus eſt - - a conſtitutis Patrum nullatenus deviare.„ Similia inculcant ibi can. 13. 14. 15. 16. Haec coram Deo ſedula, atque a praejudiciis libera mente ſi meditati fuerint adverſarii, victas indubie manus dabunt evidenti huic demonſtrationi: *opinio attritioniſtarum toti antiquitati Ante-Tridentinae contraria eſt. go eo ipſo falſa eſt.* Tam antecedens, quam conſequens ex hactenus dictis luce meridiana clarius fulget: Sed una adverſarios graviſſimo opinionis ſuae horrore percellere debet. Ego ſane artubus omnibus contremiſco recogitans: opinione attritioniſtarum *Chriſtum attritionem ſervilem elevaſſe ad eſſe materiae ſufficientis Sacramenti poenitentiae: hunc tamen favorem Eccleſiam*, veritatis Cuſtodem, et Magiſtram *Mille, et amplius annis ignoraſſe, donec a Junioribus attritioniſtis edoceretur.* Conſimiliter *Doctores Ante-Tridentinos*, ipſoſque *SS Patres* fuiſſe *Rigoriſtas*, dum poenitentibus in ipſo Sacramento *legem importabilem* (attritioniſtarum opinione) *charitatis* impoſuerunt; nec contenti fuerunt *ſuavi jugo attritionis ſervilis.* Quae tamen ſequalae negari non poſſunt, ſi vera ſit attritionis ſervilis opinio. Quodſi vero ſequelas has quis neget, ut negandae, imo abominandae ſunt omnibus veritatis, et antiquitatis ſtudioſis, ſequitur tertium longe immanius abſurdum in Caput Adverſariorum; nempe: Eos *materiam Sacramenti poenitentiae* DOLOREM PERFECTA, *vel* INITIALI CHARITATE *formatum mille, et amplius annis in Eccleſia Dei unice vigentem uſu grandi, et horribili (a) in metum pure ſervilem commutaſſe, reformaſſe.* Hoc negari nulla ratione poteſt ex hactenus dictis. Omnium proinde alte inſculptum cordibus ſit illud *Stephani Papae contra Rebaptiſantes* Reſctiptum: *Nihil innovetur* etiam circa objectum, et motivum doloris in Sacramento Poenitentiae neceſſarii, *niſi quod traditum eſt* a Patribus, et Theologis uſque

Minime omnium privatis attritioniſtis.

Horrendae ſequelae ex opinione ſervili.

(a) Neminem attritioniſtarum nos formalis peccati arguimus; Vidimus tamen *in introductione* n. X doctrinam Sanctorum: nempe ignorantiam, quae orando ſuperari poteſt, invincibilem non eſſe. Item n XII. et XIII ignorantiam vincibilem facile irrepere. Noſtrum eſt de mortuis bene ſentire, ſed de viventibus, ut praeincere ris certa ſalutis media non negligant, ſatagere. noſtri haec ſumma laboris eſt.

uſque ad tempora Concilii Tridentini. Ut ex dictis liquet. Nos interim Zelo uſti ſalutis animarum, integritatiſque Sacramenti Poenitentiae exaltamus vocem *cum Jeremia Propheta cap.* 6. v. 16. atque *ad attritioniſtas ſerviles*, omneſque veritatis amatores, quantum poſſumus, inclamamus: STATE SUPER VIAS, et VIDETE, ET INTERROGATE DE SEMITIS ANTIQUIS; QUAE SIT VIA BONA juſtitiae ope Sacramenti conſequendae, ſalutiſque obtinendae, et AMBULATE IN EA, et INVENIETIS REFRIGERIUM ANIMABUS VESTRIS. Concludimus hoc Caput praeclariſſimo teſtimonio Echii recte ante Tridentinum ita Lutherum exagitantis L. 1. de poenit. cap. 5. *Vel fallitur Lutherus: vel vult fallere. Fatentur enim hoc* CATHOLICI *cum S. Paulo:* SI QUIS CHARITATEM NON HABUERIT, NIHIL ESSE. *Fatentur, ſiquis vellet ſtare* IN TIMORE SERVILI *tantum, quod* VERAM POENITENTIAM NUNQUAM ADIPISCERETUR. „Haec hactenus vidimus. Pergit porro: *Sed per hoc non probat Lutherus, quin* TIMOR SIT INITIUM POENITENTIAE. *Volumus ſolum, quod timor poenae valeat* AD PARANDAM POENITENTIAM; *quia* TIMORE CONCIPITUR, *et ita timor ſit* INITIUM *poenitentiae.* NEMO CATHOLICUS VULT TIMOREM ESSE POENITENTIAM.„ Haec decretis Tridentinis ſplendidiſſimam Facem praemoſtrant. Ut deinceps ALTERA EPOCHA attritionis ſervilis exhibebit. *Monitum ad attritioniſtas*

CAPUT SECUNDUM.

Oſtenditur, Tridentini Concilii Seſsionem ſextam ATTRITIONI SERVILI *e diametro oppoſitam eſſe.*

I. Patroni Servilis *attritionis* contendunt, *ſententiam ſuam* nedum a Concilio *Tridentino probatam*, verum etiam *implicite*, et *virtualiter definitam* eſſe: ideo eam *moraliter certam* contendunt, conſequenter opinionem *charitatis initialis* nec *ſpeciem probabilitatis* habere volunt. An haec cum veritate affirmari poſſint? id nunc pro rei magnitudine expendamus. Magnum hoc Concilium in duabus potiſſimum ſeſſionibus, nempe *ſexta*, et 14*ta* agit de *diſpoſitionibus ad juſtificationem adultorum* in *Sacramentis mortuorum*, baptiſmi, et poenitentiae obtinendam neceſſariis. Utriuſque ſeſſionis decreta ſuo ordine excutienda ſunt. *Secunda epocha attritionis ſub* TRIDENTINO.

Itaque ſeſſione 6. c. 6. haec ait: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divina gratia, et adjuti fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quae Divinitus revelata, et promiſſa ſunt: Atque illud inprimis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae eſt in Chriſto Jeſu; et dum peccatores ſe eſſe intelligentes a Divinae juſtitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore,* ILLUMQUE TANQUAM OMNIS JUSTITIAE FONTEM DILIGERE INCIPIUNT, *ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, et deteſtationem, hoc eſt per eam poenitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet. Denique dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vitam, et ſervare Divina mandata.* Quibus verbis Concilium inter diſpoſitiones ad juſtificationem impii per Sacramenta baptiſmi, et (quod eodem teſte *eſt Laborioſus baptiſmus*) poenitentiae requirit 1. Gratiam Divinam. 2. Fidem. 3. Timorem juſtitae Divinae. 4. Miſericordiae ejus conſiderationem. 5. Spem. 6. ſuper haec omnia, UT DEUM TANQUAM OMNIS JUSTITIAE FON- *Decretum Tridentini.* *Diſpoſitiones ad juſtificationem requiſitae.*

TEM DILIGERE INCIPIANT. Tota difficultas eſt in horum poſtremorum terminorum recta ſignificatione eruenda. Si docuerimus, iis *initialem charitatem* Patres Tridentinos intellexiſſe, confidimus, opinionem *initialis charitas* omnibus probatum iri. Id vero multiplici argumentorum genere evincimus. Atque imprimis nullam difficultatem patimur in voce *diligere*. Teſte enim Auguſtino L. 15. de Trinit. c. 18. *dilectio, ſive charitas unius rei eſt utrumque nomen.* Item L. 14. de Civit. Dei c. 7. *Scripturae Sacrae non aliud dicunt amorem, aliud dilectionem, vel charitatem.* Et patet ex illo Joan. 21. v. 15. *Simon Joannis* DILIGIS *me plus his? ait illi: etiam Domine, tu ſcis, quia* AMO *Te.* Ubi de vera charitate et Chriſtum interrogaſſe, et Petrum reſpondiſſe indubium eſt. Ergo in Deum *dilectione, amore*, et *charitate* ferri, idem eſt. Audiatur Canoniſtarum decus S. Rajmundus *in ſumma l. 3. tit. de poenitentiis* §. XI. ita differens de oeconomia juſtificationis: *Praecedit gratia* actualis. *Sequitur* DILECTIO, *quoniam qui gratiam habet, diligit. Sequitur Contritio. Qui enim diligit, conteritur. Sequitur remiſſio, et iſte proceſſus colligitur de poen. diſt. 1.* OMNIS, QUI NON DILIGIT, MANET IN MORTE. Et *Auguſtinus: ſine charitate quomodo veram cordis contritionem quis habere poterit?* ubi Sanctus *dilectionem, contritionem, charitatem* pro *Amore Dei ſuper omnia* ſumit. Obſervant acutiores Theologi teſte P. Bonifacio Schneidenbach P. Lujd Continuatore T. 8. de virt. c. IV. n. 100. A ſeculo 12 uſque ad debellatum Bajum eum fuiſſe Scholae uſum, ut nomine *charitatis ſolam Divinam juſtorum amiciciam* intelligerent; *Sedatis vero turbis Bajanis retentam eſſe diſtinctionem charitatis in habitualem*, quae *amicitia Dei* eſt, et *inhaerens juſtitia*, ſive *gratia Sanctificans*, qua juſtus, amicus Dei conſtituitur, *Trident. ſeſſ. 6. c. 7.* In *actualem perfectam, ſeſſ. 14. c. 4 in medio.* Quae eſt *proxima diſpoſitio* ad illam etiam extra Sacramentum, cum *voto* tamen *Sacramenti* conſequendam. Et in *actualem inperfectam*, quae *talis diſpoſitio* eſt *in Sacramentis* mortuorum *ſeſſ. 6. c. 6.* (*a*) Ideo nos quoque *charitatem, amorem, dilectionem* Dei *inchoatam, initialem, benevolam*, et *inperfectam* pro Sinonimis, et pro eadem re uſurpamus, ut nempe *diſtinctam* a charitate *actuali perfecta*, et *habituali*: attamen pro vera Dei *ſuper omnia* charitate actuali, intenſione, et gradu perfectionis deſtituta, ideo in Sacramentis mortuorum ad juſtificationem *praeparatoria.*

Quid ſit diligere?

Triplex charitas, ejuſque notio.

Quid fons juſtitiae? niſi cumulus virtutum.

II. Magis implicatum eſt, quid velint illa: *Deum tanquam omnis juſtitiae fontem.* Qua in re cum cap. I viderimus multitudinem SS. Patrum, ac Theologorum Ante-Tridentinorum ad Sacramentum poeniten-

(*a*) Ex hac obſervatione ſequitur, triplicis charitatis: *habitualis, actualis perfectae, et imperfectae, ſive initialis* doctrinam eſſe Sanctorum Patrum: utpote A Saeculo 12 vigentem: modernarum item Scholarum, utpote *Sedatis turbis Bajanis retentam*, ſive poſtliminio in uſum revocatam. Videatur praef. Commentarii in ppones Bajanas, quod Illuſtriſs. *Cunerus Petri* Epiſcopus Levardienſis edidit. de quo nos cap. 1. n. XXIX. not. 5. Interim fatendum eſt, apud quosdam Doctores *amorem* magis late patere quam *charitatem*, ſumique poſſe pro *dilectione Dei propter ſe non ſuper omnia*: ut teſtatur Angelicus in 4. Diſt. 17. q. 2. a. 5. „*Contritio — habet duplicem dolorem: unum rationis, qui eſt diſplicentia peccati commiſſi: et hic poteſt eſſe adeo parvus, quod non ſufficiat ad rationem contritionis: ut ſi minus ei diſpliceret peccatum, quam debeat diſplicere* SEPARATIO A FINE. *Sicut etiam amor poteſt eſſe ita remiſſus, quod non ſufficiat ad* RATIONEN CHARITATIS. Verum ex hoc ipſo textu invictum fluit pro nobis argumentum, *amorem, dilectionem, contritionem* in Sacramento poen. *verae charitatis Dei ſuper omnia* neceſſariam eſſe: per quam nempe peccator *a Fine ſuo* averſus, ope Sacramenti ad *eundem finem ſuum* (qui eſt DEUS IN SE, et NOBIS BONUS. cap. III. a n. XXI) reverti debet. Quam *reverſionem* contritione, dilectione, et amore *charitatis ſuper omnia* fieri debere innuit hic Angelicus, atque ita Angelice nos manducit, qualem *amorem*, et *dilectionem* requirat in poenitente Tridentinum decretum ſeſſ. 6. c. 6 a ſe pridem antea, ut mox videbimus, Angelice delineatum, et a Conc. Generali adoptatum. Sed et in ore Eccleſiae *amor Dei* eſt *dilectio* ejus *ſuper omnia*: ita enim orat Dom. 5. poſt Pent. *Infunde cordibus noſtris tui amoris affectum, ut ſe ſuper omnia diligentes.* etc.

nitentiae veram *charitatem* requirentium; attritionis vero ſervilis, amoriſque Concupiſcentiae ſufficientiam concordi ſuffragio rejicientium: perſvaſiſſimi ſumus, Generale concilium eorum veſtigiis inſiſtendo praedictis verbis veram, etſi non intenſam *charitatem* ut proximam diſpoſitionem ad juſtificationem Sacramentalem exigere. Confer cap. 1. n. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. cit. Doctorum, et Patrum Ordinatam, invictamque aciem. A quorum doctrina Conc. Tridentinum receſſiſſe, ne cogitari quidem ſine ſcelere poteſt. go cauſſa noſtra finita eſt.

Accedunt rationes veritatis ſtudioſum convincentes. Nam Sacrae litterae exhibent nobis JUSTITIAM ut UNIVERSALEM VIRTUTEM, ſive *cumulum omnium virtutum.* Math. 5. v. 6. *Beati, qui eſuriunt, et ſitiunt* JUSTITIAM. v. 10. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter* JUSTITIAM. Tobiae 13. v. 8. *convertimini peccatores, et facite* JUSTITIAM *coram Domino.* Job 29. v. 14. JUSTITIA *indutus ſum.* pſ. 4. v. 2. *Cum invocarem, exaudivit me Deus* JUSTITIAE *meae.* Sapient. 15. v. 3. *Noſſe te conſumata* JUSTITIA *eſt.* Et ſic infinita talia loca adduci poſſunt. Unde S. Ambroſius in illud Math. 1. v. 19. *Joſeph autem cum eſſet juſtus. Juſtitia*, inquit, *communis eſt Virtus.* Et Hieronimus in eundem locum: *Juſtum vocari attendito propter omnium virtutum perfectam poſſeſſionem.* Quem *virtutum omnium cumulum* quia poenitens in juſtificatione ſuo modo conſequi a Deo debet, ideo *a Tridentino* jubetur *earum* FONTEM diligere, ut hac *dilectione* PRAEPAROTORIA ad juſtificationem, derivet in ſe *rorem* JUSTITIAE *ex* FONTE INCREATAE JUSTITIAE. ita Concilium (cujus verba ipſa Tridentinum uſurpat) Arauſicanum 2. Can. 22. *Si quid habet homo veritatis, atque* JUSTITIAE, *ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi quibusdam guttis irrorati non deficiamus in hac vita.* Pulcherrime S. Hieronimus explicans illud Iſai XI. v. 2. „*Requieſcet ſuper eum Spiritus timoris Domini*: ait: *Super hunc florem, qui de radice Jeſſe per Mariam conſurget, requieſcet Spiritus Domini,* - - NEQUAQUAM PER PARTES, UT IN CAETERIS SANCTIS, *ſed juxta Evangelium eorum, quod Hebraeo Sermone conſcriptum legunt Nazaraei*: DESCENDET SUPER EUM OMNIS FONS SPIRITUS SANCTI: *Dominus autem Spiritus eſt.*„ go *fons juſtitiae* ipſe Deus eſt: et quemadmodum *in ipſo* (Chriſto) *complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare corporaliter*, ita in nos in juſtificatione deſcendit *per partes*, ut ait S. Hieronimus; ſi tamen illum *praevia dilectione praeparatoria* diligendo dignos nos reddamus, in quos *fons* ille Divinus JUSTITIAE, ſive omnium virtutum deſcendat. Conſentit Auguſtinus L. de Catechiz. rudib. c. 27. *Amandus eſt Deus, ſicut amatur Sapientia, et veritas, et Sanctitas, et juſtitia, et charitas in* IPSO FONTE INCORRUPTIBILIS, ET IMMUTABILIS SAPIENTIAE. Et in Pſ. 61. Ait: *Cum ſis injuſtus, eſſe non potes juſtus, niſi convertendo te ad juſtitiam manentem, a quo ſi recedis, injuſtus es, ad quem ſi accedis, juſtus es.* Fuſiori dein calamo demonſtrat, JUSTITIAE FONTEM eſſe Deum, qui eſt SUA JUSTITIA, SUA BONITAS, *ſummum denique* BONUM NOSTRUM PROPTER SE *diligendum.* Notatu digniſſima ſunt ſequentia ejusdem amoris Divini Magiſtri verba: *Tranſcende creaturas, vade illuc, ubi ſemel locutus eſt Deus, et ibi invenies* FONTEM JUSTITIAE, *ubi eſt* FONS VITAE. Quibus conficitur, diligere *fontem juſtitiae*, eſſe diligere *cumulum Omnium perfectionum Divinarum*, ſive *Deum* Omnium *perfectionum* tam *ſibi* eſſentialium, quam *nobis* in juſtificatione modo nobis proportionato communicandarum *fontem* ut *in ſe* eſt perfectiſſimus, *nobis* vero Beneficentiſſimus. Quae duo praedicata Dei *in ſe*, et *nobis Boni* veram notionem charitatis exhibent. Ut invicte docebimus cap III a n XXI.

Cur fontis juſtitiae vocabulo utatur Tridnum?

Nomine FONTIS *intelligitur Deus in se, et nobis Bonus.*

Illustrantur dicta: in Scriptura nomine *fontis* intelligitur *Deus in se, et nobis Bonus*: Baruch 3. v. 12. *Dereliquisti* FONTEM *Sapientiae*. Ps. 35. v. 10. *Apud te est* FONS VITAE. Eccli. 1. v. 5. FONS SAPIENTIAE *Verbum Dei in excelsis*. Isai. 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de* FONTIBUS *Salvatoris*. Igitur et Tridentinum nomine *Fontis justitiae* exprimere voluit, poenitenti Deum *in se, et nobis bonum* diligendum esse. Sed singulariter considerauda istic est emphatica illa Jeremiae 2. v. 12. et 13 exprobratio: „Obstupescite caeli super hoc, et portae inferi desolamini vehementer! dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: *me dereliquerunt* FONTEM AQUAE VIVAE: et foderunt sibi cisternas, - - quae continere non valent aquas.„ Quibus juxta comunem interpretum sensum *duplex malitia peccatoris* exprimitur, nempe *avertentis* se *a Deo in se, et nobis* Bono: et *convertentis* se ad amorem creaturae, mundi, et siliquarum ejus. Ergo quia contrariorum eadem est ratio, organum Spiritus Sancti, Conc. Tridentinum *fontis justitiae* vocabulo usum est, ut doceret, duplici malitiae duplici contraria virtute redeundum poenitenti ad Deum necessario esse: nempe *odio creaturae* male amatae, et *amore Dei* peccato odio habiti. Ideo addit Concilium: *Libere moventur in Deum- -Fidem ex auditu concipientes: a Divinae justitiae timore- - in spem eriguntur: illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium, et detestationem.* En *aversioni* a Deo, et *conversioni* ad Creaturam (quae exprobrat peccatoribus Jeremias) oppositas duas virtutes, *amorem Dei*, et *odium peccati*: quas a poenitentibus exigit Tridentinum! Atqui per omne peccatum fit *aversio a Deo in se, et nobis Bono*: ut nemo negat, et contestatur Jeremias. go pariter in omni vere poenitente requiritur *conversio*, et *regressio* per *charitatem* ad *fontem aquae vivae* Deum *in se, et nobis* bonum. go *diligere fontem justitiae* manifeste amorem Dei *in se, et nobis bonum* exprimit: ut *derelinquere fontem aquae vivae* offensam *Dei in se*, et nobis Boni significat. Hoc argumentum ab *iisdem scripturae, et Tridentini Verbis* ad *eumdem sensum* utrobique intelligendum ineluctabile putamus. Sane quemadmodum perdita illa lingva, et natio est, in qua *iisdem verbis* Majorum, *non eundem sensum* exprimunt, intelliguntque nepotes; ita misere alteratam nominalibus Sophismatibus esse Theologiam summ vel invitis fateri coguntur attritionistae, dum *iisdem* in scriptura, et Tridentino *verbis* manifeste per nos exhibitis, atque in paralellum appensis *alium* appingunt Tridentino Concilio *sensum* ab illo, quem ipsissimis verbis scripturae locis mox citatis nec ipsi negare valent. (*a*) Sed pergamus.

III.

Nequit intelligi justitia vindicativa.

(*a*) Ipsis Grammaticis deridendos sese exponerent, qui per *dilectionem justitiae fontis* justitiam Dei peccatorum VINDICATIVAM intelligerent. Poena enim, et *justitia puniens* peccata in *vero obvio sensu timeri*, non *diligi* intelligitur. Sed et praemiserat concilium timorem illis verbis: *Divinae justitiae timore ut liter Concutiuntur.* Unde si et posterioribus verbis *de justitia vindicativa* sermo esset, superflua battologia repeteretur id ipsum, quod prius sufficienter dictum fuerat. Adde, quod Patres hanc *justitiam* opponant *timori* supliciorum, go eam non intelligunt *vindicativam*, sed *charitatem*. Augustinus *l. de Spiritu, et littera c. 8. Quicunque faciebant, quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiae, timore poenae faciebant, non amore* JUSTITIAE: *Ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere.* Et c. 14. ibid. *Mandatum si fit timore poenae, non amore* JUSTITIAE, *serviliter fit, non liberaliter, ideo nec fit.* S. Gregorius *in libr. Reg. L. 2. c. 3. Conversio peccatoris vera tunc est, cum caro nostra per iniquitatis odium cohibetur a perpetratione facinoris, et per amorem* JUSTITIAE *mens se extendit ad intentionem bonae operationis.* S. Isidorus libr. 2. Sent. c. 21. *Ille mercedem boni operis percipit, qui amando* JUSTITIAM *facit; non is, qui eum solo metu poenarum invitus custodit.* Quibus locis *justitia* significat in mente Patrum *amorem charitatis*. go et in mente Conc. Tridentini.

III. Porro quid illa verba velint: *tanquam omnis juſtitiae fontem*? Nemo magis nobis declarare valet, quam Eminentiſſimus Cardinalis Pallavicinus, qui juſſu Alexandri VII Hiſtoriam Concilii Tridentini *ex intimis ſcriptis Archivi Apoſtolici* ſibi communicatis ſumma fide, et induſtria ſcripſit. Hic itaque Purpuratus Hiſtoricus Lib. 8. c. 13. illa verba narrat adjecta fuiſſe, quia *Archiepiſcopus Turritanus, Claudius Jajus S. I Praepoſitus Generalis, Lippomannus Coadjuior Veronenſis, et Pius Franciſcanorum Praeſes admonuere, ut* ALIQUIS CHARITATIS ACTUS *inſereretur. Ideo Viſum eſt cum fide, et Spe jungere aliquem dilectiones actum: quia ſi poenitentia tota eſſet ex timore, ſine amore juſtitiae, et dolor eſſet ex timore tantum, et non propter Dei offenſam, infructuoſa eſſet.* Mox vero demonſtrabimus, dolere propter *offenſam Dei* actum eſſe charitatis. Ergo teſte Pallavicino *diligere fontem juſtitiae* ad *charitatem* pertinet, et fine ejus actu *poenitentia infructuoſa eſſet.* Ubi obſervamus, Pallavicinum actum *charitatis, dilectionis, amorem juſtitiae, dolorem propter Dei offenſam* pro Sinonimis accipere.

Ex Pallavicino

Patres actum charitatis in juſtificatione requiſiverunt, ne infructuoſa ſit poenitentia.

IV. Longe fortius concludit, quod Eminentiſſimus hic ſcriptor refert eodem Lib. 8. c. 14. Cum ſcilicet obſervaſſent Patrum quidam, in Seſſ. 6. c. 6. *recenſeri* CHARITATEM *inter* DISPOSITIONES, *quae* PRAEPARANT ANIMUM AD JUSTITIAM *ſuſcipiendam*: poſtea vero c. 7. ejusdem Seſſ. *Eandem* CHARITATEM *ſtatui velut ipſius* JUSTITIAE FORMAM: et hoc quaſi contradictorium eſſe objeciſſent, *reſponderunt*, inquit, *decreti Formatores: in primo loco c. 6. Sermonem eſſe* DE QUODAM ACTU CHARITATIS, *cum ſit aliqua* DILECTIO *in homine*, NON QUIDEM OBTINENTE, *ſed* EXOPTANTE JUSTITIAM: *At in 2 c. 7 ſignificari habitum charitatis.* Ex quo ſequitur evidenter, ejusdem charitatis *initium* hoc loco requiri a Tridentino *inter diſpoſitiones ad juſtificationem*, cujus *forma, et habitus* impium *juſtificat* formaliter. At impius juſtificatur formaliter *habitu verae*, et ſtrictae *charitatis*. Ergo hujus *charitatis* Dei *Actus quidam*, ſive *initium*, et *inchoatio* a Tridentino requiritur ut PRAEPARATIO *ad juſtificationem conſequendam* illis Verbis: *illumque tanquam omnis juſtitiae fontem diligere incipiunt.* Sequitur 2do. (et hoc Novellus cordi ſuo alte inſculpat adverſus omnes attritioniſtarum verboſitates) ergo Tridentinum agnovit *actum quemdam charitatis, inchoatum* ſcilicet, qui *ſe ſolo non juſtificet*, dum illum recenſuit *inter diſpoſitiones, quae praeparant animum ad juſtitiam ſuſcipiendam.* Id enim, quod *praeparat* animum *ad juſtitiam ſuſcipiendam, per ſe non juſtificat.* Talis eſt actus quidam *debilis, inchoatus*, et *imperfectus charitatis*, de quo teſte Pallavicino in cap. 6. Seſſ. hujus 6 eſt ſermo. Ergo datur aliquis Actus *charitatis imperfectus ſe ſolo non juſtificans, non obtinens, ſed exoptans juſtitiam*, ut Pallavicinus ait. Ergo non omnis Actus *charitatis* eſt *perfectus*, et *juſtificans* ſtatim, ut oritur; ſed aliquis talis Actus *charitatis* eſt etiam *initialis, inchoatus*, et *praeparativus* ad juſtificationem, ſi vel augeatur extra Sacramentum, vel forma accedat Sacramenti. go Falſum eſt, quod charitas ratione ſuae *ſubſtantiae*, et *objecti formalis* Dei *propter ſe* dilecti, et non ratione *gradus*, et *intenſionis* extra Sacram. juſtificet. Falſum eſt, quod *magis*, et *minus* ut *ſpeciem* (quod admitto) ita *vim, efficaciam*, et *cauſſalitatem* charitatis non mutet. Ex dictis enim datur charitas in Sacramento *praeparatoria* ad juſtificationem: quae ejusdem cum *perfecta* objecti, et Speciei eo ipſo quod *in Sacramento* ut praeparatoria teſte Pallavicino neceſſaria ſit, per ſe juſtificando impio impar eſt. Tridentinum loqui *de*, et *in Sacramento*, clarum erit ex n. h. VII. et ſeqq.

Charitas INITIALIS *eſt diſpoſitio*, HABITUALIS *forma juſtitiae.*

V.

V. Insuper teste Dominico Soto, qui ut Orator Tridentino interfuit, et cui velut attritionis servilis Protoparenti (ut infra videbimus) omnis hac in re fides habenda est, teste inquam Dominico Soto in 4. Dist. 14. q. 2. a 5. Synodus Tridentina Sess. 6ta c. 6. *hunc ordinem sex nostrarum actionum* ad justificationem praeparatoriarum *ex hoc loco* (3. p. 9. 85, a. 5.) *S. Thomae desumpsit, ubi contra Lutheranos dicentes sola nos fide justificari, decrevit, proximam dispositionem esse motum* CHARITIS, *et poenitentiae.* Id ipsum confitetur sapientissimus Bossvet de Doctr. Trid. circa dilect. p. 90. *Non immerito diximus, tam esse Sacrosanctae Synodi Tridentinae cum S. Thomae doctrina consensionem, ut ex hac illa quodammodo contexta esse videatur.* Conferamus igitur S. Thomam cum Tridentini Sess. 6. c. 6. Is proinde (praeter ea, quae cap. 1. ex illo congessimus invicta veritatis argumenta; quae hic relegere ne pigeat, ut luce meridiana clarior sit charitatis in Sacramento poen. necessitas) 3. p. q 84. a. 10 disputat, et quaerit: *Utrum Sacramentum poenitentiae possit iterari?* Ne quis putet Angelicum de *poenitentia* ut *virtute* loqui, primum sibi objicit: *videtur, quod Sacramentum poenitentiae non debeat iterari: dicit enim Apostolus: impossibile est eos, qui semel etc.* Ubi refutat eorum errorem, qui credebant, charitatem semel habitam non posse amitti. Haec autem ibi ait, quae ad rem nostram mire faciunt: *Cum enim ad veram poenitentiam* CHARITAS REQUIRATUR, *sine qua non delentur peccata.* Luculentissime vero praeivit Tridentino decreto ibid. 3. p. q. 85. a. 5. Ubi quaerit: *Utrum principium poenitentiae sit ex timore?* Respondet vero sequentibus: *Primum principium est Dei operatio convertentis cor secundum illud Threnor. Ut. Converte nos Domine ad te, et convertemur. Secundus Actus est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur. Quartus est motus Spei, quo quis sub Spe veniae consequendae assumit propositum emendae. Quintus Actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum se ipsum, et non propter suplicia. Sextus Actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam voluntarius offert. Sic igitur patet, quod Actus poenitentiae a timore servili procedit sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato: A timore autem filiali, sicut ab immediato, et proximo principio.* Haec est Splendidissima Christianae poenitentiae Sacramentalis pictura a D. Thoma divinis plane coloribus delineata, atque a Tridentino Sess. 6. c. 6. fere iisdem verbis Canonizata. Ergo nemo jam dubitare potest, Tridentinum illis verbis: *illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt*, a D. Thoma mutuatis *veram*, sed *initialem charitatem* intellexisse in Sacramento poenitentiae necessariam.

Auctoritas D Thomae hic ineluctabilis.

Qui ad Sacram. poen. charitatem requirit.

VI. Prosequitur ibidem Tridentinum post enumeratas sex recensitas poenitentiae conditiones: *Ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, ac detestationem.* Hoc est, quod modo dicebamus ex D. Thoma: *Quintus Actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum se ipsum*, quia est peccatum, *ideest, quia est offensa Dei. Et non propter supplicia.* Odisse peccatum quia est *offensa Dei* ad charitatem Dei pertinere, et ad rationem poenitentiae requiri, pluribus in locis asserit Angelicus: in supl. q. 3. a. 1. ad 4. *Malitia in culpa mortali mensuratur ex eo, in quem peccatur, in quantum est* EI INDIGNA: *et ex eo, qui peccat, in quantum est ei* NOCIVA. *Et quia homo debet DEUM MAGIS, QUAM SEIPSUM DILIGERE, ideo debet PLUS ODIRE CULPAM, in quantum est OFFENSA DEI, quam in quantum est nociva sibi.* Hanc Doctrinam repetit 2. 2. q. 93. a. 5. ad 1. inquiens: *Dicendum, quod ad eandem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum, et refugere aliud. Et ita sicut ad* CHRITATEM *pertinet*

Odium peccati ut offensae Dei ad charitatem pertinet.

net DILIGERE DEUM, *ita etiam* DETESTARI PECCATA, PER QUAE ANIMA SEPARATUR A DEO. Rurſus ibid. a 7. ad 2. *Liberum arbitrium poteſt ſimul in duo moveri ſecundum quod unum ordinatur ad aliud. Motus autem Liberi arbitrii in peccatum ordinatur ad Deum; propter hoc enim homo deteſtatur peccatum, quia eſt CONTRA DEUM, CUI VULT ADHERERE. Ideo Liberum arbitrium in juſtificatione impii ſimul deteſtatur peccatum, et convertit ſe ad Deum, ſicut etiam corpus ſimul recedendo ab uno loco accedit ad alium.*

His poenitus ſuffoditur ſyſtema ſervilis attritionis. Ex his enim conſtat, juſtificando impio praeter timorem juſtitiae Divinae, ſive gehennae, neceſſarium eſſe *odium*, et *deteſtationem* peccati. Conſtat 2do: *hoc odium*, et *deteſtationem* peccati ad *charitatem* pertinere; quia *contrariorum eadem eſt ratio*, ideo *odium* peccati, a quo *recedit*, eſſe *amorem* Dei, ad quem poenitens odiendo peccatum accedit. Conſtat 3tio: poenitenti recedenti a peccato, ſive *voluntatem peccati excludenti* (quod Tridentinum ſeſſ. 14. c. 4. expreſſe requirit) neceſſarium eſſe, ut *deteſtando peccatum, convertat ſe ad Deum, ſicut corpus recedendo ab uno loco accedit ad alium*, ut ait Angelicus: Ita impius, a peccato per *odium recedendo*, ad Deum *per charitatem* accedat oportet. Non ſufficit ergo ad excluſionem voluntatis peccati fugere malum *ſuum metuendo infernum*, et *concupiſcendo coelum* accedere ad *bonum* hominis *proprium*, ad *beatitudinem* inquam *ſuam*; quia nec fuga, nec metus inferni, nec Amor ſpei, ſeu *concupiſcentiae* reſpicit Deum *in ſe bonum*, ſed ſolum *nobis bonum*. Angelicus autem ait: *ad eandem virtutem pertinere proſequi unum oppoſitorum, et refugere aliud: Et ideo ſicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita etiam deteſtari peccata, per quae anima ſeparatur a Deo.* Clarius ad huc loquitur Angelus Scholae L. 4. contra gentes c. 72. *Primum, quod in poenitentia requiritur, eſt ordinatio mentis, ut ſcilicet mens* CONVERTATUR AD DEUM, *et* AVERTATUR A PECCATO, *dolens de commiſſo, et proponens non committendum: Quod eſt de ratione* CONTRITIONIS. *Haec vero mentis reordinatio ſine gratia eſſe non poteſt. Nam mens noſtra debite ad Deum converti non poteſt ſine* CHARITATE. Igitur *converſio peccatoris* involvit *dolorem* de *amiſſa juſtitia*, *amicitia* Divina, et *fine ſuo ultimo* Deo perdito: *odium* praeſentis ſtatus ſui, ſive deteſtationem peccatorum: *receſſum* ab uno termino, et *acceſſum* ad alium terminum. Unde ſicut *peccando averſus eſt a Deo*, et *conversus ad* creaturas, ita *poenitendo* oportet eum *averti a* creaturis ut *fine hactenus ſuo*, et *converti ad Deum* in ſe *bonum*, ut *finem ſuum*, Eum quaerendo, deſiderando, in Eum motu *proſecutionis* ferendo, atque ut *per Chriſtum nova Creatura fiat, novum cor induat*, novum Spiritum obtineat, anhelando. At haec omnia actus ſunt initialis *charitatis*: non *attritionis formidoloſae*: per hanc enim peccator *recedit* quidem negative a peccato: at *non convertitur* ad Deum *in ſe bonum*: quia hunc propter ſe *non amat ne initialiter* quidem: go *priorem* ſuum *finem*, quem peccando ſibi conſtituit, *non poſitive immutat*, quia *novum finem* Deum *ſibi non ſtatuit*: hoc enim deberet facere charitate amando: quod tamen non facit. go attritus formidans vere *non convertitur ad Deum*: Sed ad ſummum *ad coelum*, quod deſiderat, ideſt *ad ſuum bonum*, verbo: AD SE IPSUM. Recole cap. 1. n XV. et ejus not. Ais: attritum *converti ad ſtatum habitualem gratiae ſanctificantis*. Verum ſi hunc *actu amet*, jam amat in *amicitia Divina amata* ipſum Deum amicum ſuum futurum. Si autem *ſtatum habitualem* amicitiae Divinae *non actu*, ſed *habitu tantum*, et poſtquam illum habuerit, velit amare, chimeram chimerarum inſequitur, *abſque amore charitatis actuali amorem habitualem* conſequi volendo. Nam ut *haec omnia urgent*, Deus adultis non dat *habitum* ſine *actu* charitatis.

Per quod VOLUNTAS PECCANDI excludi debet.

Conditiones verae converſionis.

De Sacramento loquitur Tridentinum.

VII. Sed audiamus porro quoque Tridentinum. Quod mox citatis verbis subjungit: *hoc est per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* Ex his certissimi reddimur, Tridentinum conditiones, de quibus agimus, requirere ad justificationem *Sacramentalem.* Et quis, amabo te! si persvadeat, Tridentinum neglexisse explicare ordinarium *per Sacramenta mortuorum* justificationis modum? Solumque de raro casu justificationis extrasacramentalis egisse? Cum potissimum Tridentinum in praemio ejusdem sess. 6. declaret, se *exponere intendere veram doctrinam justificationis, quam Christus docuit, Apostoli traderunt, et Catholica Ecclesia perpetuo retinuit.* Quae institutis in nova lege Sacramentis, magis conveniunt *justificationi Sacramentali ordinariae,* quam *extraordinariae* per charitatem *perfectam* raro, sive ut Tridentinum sess. 14. c. 4. ait: ALIQUANDO duntaxat contingenti. Sed et vidimus Angelicum loqui de poenitentia Sacramentali: Ut patet ex quaestione praemissa: *Utrum Sacramentum poenitentiae iterari possit? An principium poenitentiae sit ex timore?* Et nunquid Auctor Sacramentorum Christus *instituens Sacramentum nativam poenitentiae ideam,* et *ordinem conversionis creaturae ad Creatorem* turbavit? aut pervertit? *Alleviasse intensionem* contritionis per Sacramentum poenitentiae, ut quae *in raro casu* ut *virtus* justificabat dum *perfecta* erat; cum *inchoata* Dei *charitate* formata ad justificationem in Sacramento poenitentiae sufficeret, ex hoc ipso loco, quem edifferemus, Tridentini Concilii scimus: *Dispensasse* in *conditionibus aliis virtutis poenitentiae,* potissimum in charitatis necessitate, per quam poenitens a *creatura* male amata *ad Deum in se bonum, ad finem ultimum,* ad *Patrem,* ad *amicum,* ad *Sponsum suum* redire debet; poenitus ignoramus. Imo e Cathechismo Tridentini de Sacram. poenit. §. 37 docemur, quod Sacramentum poenitentiae *perficiat Contritionem.*

Dispositio necessaria in baptismo, est magis necessaria in poenit. Sacramento.

VIII. Quod vero quidam ajunt, Tridentinum loqui de dispositionibus ad *baptismum,* non ad Sacramentum *poenitentiae* necessariis, vix solvi meretur. Tridentinum enim, ut patet ex omnibus capitibus Sess. 6tae, agit *de justificatione adultorum.* In cap. 6 exemplum ponit justificationis per baptismum. An vero minor requiritur dispositio ad Sacramentum *poenitentiae,* quam ad *baptismum?* imo vero quanto *enormiora* sunt peccata *post foedera* baptismi perfide *violata,* tanto *major requiritur amor Dei* recedenti per *Sacramentum poenitentiae* ab amore creaturarum. Primus baptismus, inquit Venerabilis Bellarminus, est *aquae frigidae, secundus poenitentiae est laboriosus, et* AQUAE FERVENTIS (*charitate*) *atque excoquentis pellem.* Quin et Tridentinum sess. 14. cap. 2. poen. Sacram. post SS Patres *laboriosum baptismum* vocat. Tam poenitentiae, quam Baptismi Sacramentum est *mortuorum;* ergo aeque requirit *charitatem initialem.* Quia ut iterum illustrat D. Thomas 3. p. q. 86. a. 3. *Peccatum mortale non potest sine vera poenitentia remitti: ad quam pertinet deserere peccatum, in quantum* EST CONTRA DEUM. (et non tantum in quantum est nocivum peccatori, ut superius vidimus) *quod quidem commune est omnibus peccatis mortalibus. Ubi autem est eadem ratio, est idem effectus. Unde non potest esse vere poenitens de uno peccato, qui non poenitet de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum,* QUIA EST CONTRA DEUM SUPER OMNIA DILECTUM (*quod requiritur ad rationem verae poenitentiae*) *sequeretur, quod de omnibus paeniteret.* Ergo ad rationem verae poenitentiae sive in Baptismi, sive in poenit. Sacram. requiritur dolor de peccato, ut peccatum *est contra Deum super omnia dilectum.* Et hic enim loquitur Angelicus de Sacramentali poenitentia, ut constat ex articulo praecedente, ad quem se hic remittit.

IX.

IX. Addunt Patres Tridentini: *dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, et inchoare novam vitam.* Quam illam novam vitam? niſi *juſtitiae, et amicitiae Divinae.* Quam *inchoare proponendo* deſiderant, anhelant, quia amant amore inchoato: ut iterum docet Angelicus de veritate q. 7. a. 11. ad 3. *Ejusdem rationis eſt, quod voluntas feratur in appetitum contrarii, et in deteſtationem alterius. Nullus autem habens uſum Liberii arbitrii poteſt inchoare novam vitam, quae eſt per gratiae infuſionem,* NISI AMET, *et appetat gratiae bonum. Et ideo oportet, ut* DETESTETUR OMNE MALUM REPUGNANS. Quam doctrinam Angelicus accepit a Magiſtro ſuo Auguſtino Serm. 33. dicente: *quisquis vetus peccatum vis extingvere, mandato novo extingve cupiditatem, et amplectere charitatem.* Urgent Tridentini Patres: *Servare Divina mandata.* Atqui maximum Divinorum mandatorum eſt de *Deo ex toto corde diligendo.* Ergo quicunque juſtificari voluerit, ex mente Tridentinorum Patrum non *vage*, non *vacillanter*, non *inconſtanter*, ſed *firmiter, ſerio*, ACTU intendat oportet *obſervantiam*, et *executionem* magni mandati *Divinae charitatis.* Haec autem SINCERA *voluntas amandi Deum*, nec formari, nec concipi poteſt *ſine actuali amore Dei.* Sicut enim *velle peccare peccatum eſt actuale*, ita *velle Deum amore, inchoatus amor Dei eſt.* Ergo in *firmo propoſito ſervandi mandata Dei* neceſſario *amor initialis Dei* includitur. Audiatur ordinis Epiſcopalis illuſtre decus Boſſuet: *Eſt igitur teſte ſcriptura, et Synodo interprete omnino neceſſarium, ut qui ad juſtificationem praeparantur, cor gerant non inane, ſed firmum, ac verum propoſitum ſervandi omnia mandata: in quibus maxime conprehendi primum illud, maximum omnium mandatorum, quo Dominum Deum noſtrum diligere toto corde, toto mente, ac totis viribus, hoc eſt propter ſemetipſum jubemur, nemo negaverit. Ut profecto conſtet, juſtificationis propoſitum nullum eſſe poſſe, niſi cum vera Dei ſimme, ac ſuper omnia diligendi voluntate conjunctum. An autem ſine aliqua inceptae, et inchoatae dilectionis ſcintilla ſtare poſſit implendi Divini de ſumma dilectione mandati voluntas? Certo credimus, dubitare poſſe neminem.* Haec ille. Ita velle amare amor eſt inchoatus. Ut docet et Gregorius M. in cap. 27. Job: *Cum quis cordis intentionem ad amorem dirigit, hic certe jam ſalutem confitetur.* Quia in amando intentio, et propoſitum pro facto reputatur: Ut diſcimus ex ſincera confeſſione Andreae Vega (quo Patrono attritioniſtae gloriantur) Libr. 6. in Conc. Trident. affirmantis: *Qui omnia mandata Dei ſervare proponit, Deum ſuper omnia aeſtimat, et illum omnibus antefert.* et cap. 32. *Propoſitum ſervandi Divina mandata dilectio Dei ſuper omnia videtur eſſe, aut certo non eſt ſine illo.* Quin et Dominicus Viva in curſu Theologico de Sacr. poen. q. 2. a. 4. n XXII. ita diſſerit: *Tridentinum ſolum requirit amorem Dei inchoatum, qui includitur in propoſito ſervandi in poſterum ejus mandata. Quis enim neget, hujuſmodi propoſitum eſſe aliqualem, et inchoatum Dei amorem? cum enim inter praecepta detur praeceptum dilectionis, qui proponit ſervare omnia praecepta, proponit etiam ſervare praeceptum dilectionis, atque adeo INCHOATE, ET IN CAUSSA DEUM DILIGIT.* Fruſtra ergo negas *charitatem formalem* in Sacramento, ſi *eam in propoſito inchoatam* eſſe admittere debes coactus a veritate decreti Tridentini!

Firmum propoſitum paenitentis involuit initialem charitatem.

Teſtimonio Boſſueti.

Andreae Vega, quin et Dominici Vivae.

X. Conſentiunt dictis illuſtres adverſarii. Doctor eximius Svareſius p. 3. diſt. 4. a. 8. docet: *Diligere Deum, ut omnis juſtitiae fontem non eſt diligere amore concupiſcentiae, ſed eſt diligere Deum ut AUCTOREM GRATIAE, et omnium ſupernaturalium bonorum: Quomodo CHARITAS DILIGIT IPSUM, etiamſi propter ſeipſum maxime diligat.* Et poſt paululum: *Nec vero dicit Concilium hunc amorem pertinere ad ſpem, ſed potius PRAESUPPONERE SPEM, et poſt conceptam ſpem per eum erigi hominem, et quaſi SUBLEVARI AD DILIGENDUM DE-*

Dicta firmantur teſtimonio Svarezii.

DEUM UTIQUE PROPTER SEIPSUM. Nam amor concupiſcentiae non ſequitur proprie ex ſpe, ſed ad illam potius ſupponitur. Idem eximius Doctor in 3. p. diſp. 4. ſect. 8 demonſtrat hominem non poſſe Deo ex ſuo ſatisfacere pro peccato; quia id poſſet maxime per actum charitatis, qua diligeret Deum ſuper omnia: At per id non: quia, inquit, *Actus amoris* (Utique initialis in Sacramento) *eſt diſpoſitio, non autem formalis cauſſa noſtrae juſtificationis ex Trid. ſeſſ. 6.* c. 6. Subſcribit Tannerus tom. 4. diſp. 6. q. 2. dub. 4. n 74. „illis verbis: *illumque velut omnis juſtitiae fontem diligere incipiunt: certum eſt*, inquit, *ſermonem eſſe de AMORE CHARITATIS; tum quia conſtat S. Thomam, cujus veſtigia ſequi voluit Concilium, de hoc amore locutum; Tum quia amor concupiſcentiae erga Deum natura ſua prior eſt Spe, non poſterior. Qui proinde ex Spe non oritur, ſed ſpem antecedit. Eademque eſt communis mens et ſententia Doctorum.* Hoc ipſum teſtatur Prothoparens ſervilis opinionis Domicus Soto *de natura, et Gratia* cap. 12. *nos* inquit, *agnoſcimus fidei motum primum eſſe neceſſarium. At quoniam probabile eſt, quod qui credit, non diligat; adjicimus, cum illo neceſſarium eſſe actum praeterea ſpei, et charitatis.* Et cap. 18. *quemadmodum actus fidei informis ſaltem natura antecedit gratiam, ita et neceſſe eſt antecedat actus ſpei, et charitatis.* Tum addit verba haec Sinodi, ne putes eum de juſtificatione extraſacramentali loqui. Sed et Vega *libri 6. in Conc. Tridentinum cap. 28.* aſſeverat, Patres verba ſua retuliſſe *ad dilectionem Dei ſuper omnia: quia communiter credunt Scholaſtici, dilectionem iſtam diſponere ad juſtitiam, et illud veriſſimum apparet.* Veriſſima, et communis haec, ut vides, ſententia Doctorum ab imis fundamentis ſuffodit ſyſtema amoris concupiſcentiae, et *initialis charitatis* opinionem conſtabilit.

Tanneri.

Teſtantis de communi Doctorum ſententia.

XI. Concludunt Patres Sanctiſſimi ſaepe cit. ſeſſ. 6. c. 6 dicendo: *De hac diſpoſitione ſcriptum eſt*: accedentem ad Deum oportet credere - - - *et* confide Fili, remittuntur tibi peccata tua. *Et* poenitentiam agite, et baptizetur unusquiſque in remiſſionem peccatorum. *Et* Docete omnes gentes, baptizantes eos - - - docentes eos ſervare quaecunque mandavi vobis. *Denique* praeparata corda veſtra Domino. Haec Tridentinum de praeparatione ad juſtificationem, ut h. n. VII. et VIII. evicimus, Sacramentalem. At omnes hi textus ſcripturae urgent charitatem: Urget 1*mus:* teſte enim Auguſtino epiſt. 52 ad Macedonium: *Imus* ad Deum *non ambulando, SED AMANDO.* go *accedentem* proxime *ad Deum oportet credere* fide charitate viva. Urget 2*dus*: nemini enim non Lutherano vel incidet, Chriſtum a Paralitico Math. 9. v. 2 ad remiſſionem peccatorum fidem, vel ſpem mortuam, et otioſam exegiſſe; cum ipſe conteſtetur de Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam delexit multum.* Urget 3*tius* act. 2. v. 38. Jam enim illi, ad quos loquebatur Petrus, *compuncti* erant v. 37. et quidem dolere de offenſa Dei, de Chriſto Crucifixo v. 23. cujus offenſae enormitatem toto cap. illo exprobrat eis Princeps Apoſtolorum, inculcat vero v. 21. *omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* His charitatis motivis *compunctos* jubet amplius *poenitere*, et *baptiſari.* Igitur nec Petrus, nec batizandi illi erat attritioniſtae formidoloſi. 4*to* Textu jubentur baptizandi doceri *ſervare quaecunque mandata ſunt nobis.* At omnium mandatorum compendium, et anima eſt lex charitatis. *Quidquid Dei lege prohibemur*, inquit Auguſtinus de perf. juſt. c. 5. *et quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur, et jubemur, ut duo iſta* Dei et proximi dilectionis praecepta *compleamus. Imo tota ſcriptura, adeoque Dei cum hominibus providentia non aliud ſpectat.* „*In his duobus mandatis univerſa lex pendet, et Prophetae. Super omnia charitatem habete. Quia charitas operit multitudinem*

Concludit Trident. c. 6 textibus ſcripturae charitatem exigentibus.

nem peccatorum. go baptizandi, et quod eo redit, Sacram. poen. ſuſcepturi debent ſaltem velle ſervare legem charitatis. Quae voluntas, et propoſitum ipſa eſt charitas initialis, ut hic n. IX demonſtratum dedimus. go.

Ex his vero ita colligimus: Textus ſcripturae a Tridentino diſpoſitiones ad Sacramenta mortuorum explicante relati omnes charitatem requirunt. go eandem quam maxime requirit ipſum Tridentinum. Secus citati ad eodem textus ad rem non eſſent. Quod vel cogitare impium foret.

XII. Sed decretorius hanc in rem eſt extremus textus eodem cap. 6. a Tridentino citatus: *proeparate corda veſtra Domino* 1. Reg. 7. v. 3. quam oro *praeparationem* ad juſtificationem exigit hic Spiritus Sanctus per os Samuelis Prophetae a Judaeis idololatris? *Verae charitatis* ſine dubio: praemiſſum enim ibidem eſt: *Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtri: praeparate corda veſtra Domino.* En praeparationem ad poenitentiae Sacrm. neceſſariam! *reverti ad Dominum ex toto corde.* Per quae verba utriuſque teſtamenti paginae propriae charitatis praeceptum explicant. Ut conferenti Deut. 6. v. 5. cum Math. 22. v. 37. Marc. 12. v. 30. Luc. 10. v. 27. evidens fit. Igitur Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. citando 1. Reg. 7. v. 3 eandem praeparationem verae charitatis initialis ad juſtificationem Sacram. a nobis exigit, quam perfectam Samuël a ſuis exigebat. Hoc eſt dictu: praemiſſis particulis: *praeparate corda veſtra Domino* docet magna Sinodus manifeſte hanſtam a Doctoribus Ante-Tridentinis CHARITATEM ad Sacram. poen. PRAEPARATORIAM. Adjuvat nos plane Angelice Angelicus Doctor in hac neceſſaria doctrina. Qui in 2. Sent. Diſt. 3. q. 4. ad 1. ait: *Dicendum, quod actus charitatis poteſt dici dupliciter. Vel qui eſt ex charitate* (habituali) *vel qui eſt ad charitatem* (habendam) *non ſicut meritorius*, vel *generativus, ſed ſicut PRAEPARATORIUS. Et ſic actus charitatis ante charitatem habitam haberi poteſt, ſicut facere juſte ante habitum juſtitiae.* Eandem doctrinam repetit ibidem Diſt. 26. q. 1. a. 3. ad 2. *Dicendum, quod ſicut aliarum virtutum actus dupliciter conſiderari poſſunt; vel ſecundum quod ſunt a virtute: vel ſecundum quod antecedunt virtutem: ita etiam de charitate. Poteſt enim aliquis etiam charitatem* (habitualem) *non habens diligere proximum, et Deum etiam ſuper omnia, ut quidam dicunt, et hoc diligere intelligitur actus charitatis ſub praecepto directe, et non ſolum ſecundum quod a charitate* (habituali) *procedit.* En quomodo *praeparet* ſe homo per charitatem *initialem* ad amicitiam Divinam. Haec ſane fiction *prioritatis naturae*, et *non temporis* eludi nequeunt. Sermo enim eſt de *actu charitatis*, qui non ſit *generativus*, nec *meritorius* (quia impius amicitiam Divinam non meretur) ſed tamen eſt ad amicitiam Divinam *praeparatorius.* Si *praeparatorius*, ergo *per ſe non juſtificans*, niſi vel augeatur, vel *forma Sacramenti* accedat. Ergo datur *aliquis actus charitatis* ad amicitiam Divinam mare *praeparatorius*, non juſtificans. Quam nos *initialem charitatem* apellamus. Ergo falſum eſt omnem actum *charitatis etiam imperfectae* juſtificare. Recole ex cap. 1. n XII doctrinam Guillelmi Pariſienſis, qui hanc *charitatem praeparatoriam* ante Angelicum docuit, ac huic excolendam reliquit. Suffragantur Durandus, et Joannes Nider, ibidem citati. quin Gerſon ſententiam Guillelmi vocat *comunem* n. XIII. ſed et Doctor Seraphicus D. Bonaventura paſſim pro contritioniſta habitus, in 4. Sent. Diſt. 17. p. 2. a. 2. q. 4. explicans illam Auguſtini ſententiam: *Nemo poteſt confiteri, niſi ſuſcitatus: a mortuo quaſi non ſit, perit Confeſſio:* Reſpondet adſtruendo *charitatem diſpoſitoriam*; ait enim: *dicendum, quod vocat* SUSCITATUM.

Charitas ad juſtificationem praeparatoria demonſtratur.

DISPOSITUM PER CHARITATEM, *qui jam incipit ſuſcitari, cum atteritur per dolorem, et in Confeſſione plerumque* RECIPIT VITAM. En charitatem! qua non prius, quam *in Confeſſione* recipitur *perfecta vita*: prius vero *diſponitur* ad reſuſcitationem. Igitur de hac veritate CHARITATIS PRAEPARATORIAE nefas eſt dubitare, quam ab his Scholae luminibus acceptam Tridentinum ſeſſione 6. c. 6. et 7. conſecravit.

Evaſio adverſariorum praecluditur.

XIII. His illa quoque evaſio adverſariorum praecluditur, qua ajunt diſpoſitiones ad gratiam *habitualem* fieri per actus *fidei*, *timoris*, *concupiſcentiae*, et *ſpei*. Vidimus enim ex Tridentino inter diſpoſitiones ad juſtificationem recenſeri *inchoatum amorem fontis juſtitiae*: Vidimus hic ex Angelico, Seraphico, aliiſque Ante-Tridentinis ſummis Doctoribus, dari *charitatem praeparatoriam* ad *charitatem habitualem*. Ergo *proxima diſpoſitio* ad gratiam *habitualem* fit per charitatem *inchoatam*, ſive *praeparatoriam*. Ita nempe ſingulis *virtutibus acquiſitis* praeeunt *actus proprii illarum virtutum*. Actus caſtitatis praecedunt caſtitatem: actus juſtitiae juſtitiam aquiſitam, et ſic de caeteris. Nemo ignorat *ex repetitis actibus generari habitum*. Gratia Sanctificans, et virtutes infuſae non generantur quidem actibus, ut docet D. Thomas, ſed tamen et illas, actus antecedentes praecedunt non ut *generativi*, aut *meritorii*, ſed ut *diſpoſitorii*, et *praeparatorii*. Et quidem ni *actus antecedentes*, et *praeparatorii* ad *gratiam habitualem*, et amicitiam Divinam ſunt *ejusdem generis* cum *ea*, ad *quam diſponunt*, nempe charitatis *inchoatae*, et *praeparatoriae* ad charitatem *habitualem*. Ut vidimus cap. 1. n. IX in Guillelmo Pariſienſi, Angelico, Angelo a Claviſio, n XII rurſus in Guillelmo Pariſienſi. etcr. Ex recte: Nam *juſtitia ad juſtitiam*, *caſtitas ad Caſtitatem*, non vero ad miſericordiam, temperantiam, aut *aliam diſtinctam virtutem* immediate diſponunt. Ergo nec *fides*, nec *ſpes*, aut *timor diſponunt ad habitualem charitatem ſufficienter*, et *proxime*, ſed charitas *inchoata* ut Tridentinum, ſive *praeparatoria*, ut Angelicus, aliique Doctores citati docent, debet eſſe *proxima diſpoſitio ad charitatem habitualem*.

Actus fidei, timoris, ſpei non ſufficienter diſponunt ad juſtificationem.

Ex Angelico non omnis charitas juſtificat.

XIV. Doctrinam hanc clariſſime illuſtrat admiranda Lux hujus materiae idem Angelicus 2. 2. q. 19. a. 8. quo loco ſic objicit in argumento praeluſorio: *perfectum, et inperfectum non diverſificant ſubſtantiam rei: ſed timor initialis, et filialis differunt ſecundum perfectionem, et imperfectionem charitatis, ut patet per Auguſtinum.* En praecipuam rationem adverſariorum aſſidue inclamantium: *Magis, et minus non mutant eſſentiam rei.* Perfecta, et imperfecta charitas ſunt ejusdem ſpeciei, et ad tertiam virtutem theologicam aeque pertinent. Ergo ſicut perfecta, ita et imperfecta charitas juſtificat per ſe ante Sacramentum. Accipe jam ſolutionem Angelicam: *Sic*, inquit in. O. *non accipitur initialis timor, ſecundum quod diſtingvitur a timore ſervili, et filiali, ſed accipitur ſecundum quod competit ſtatui incipientium, in quibus inckoatur quidam timor* (initialis) *per inchoationem charitatis. Non tamen ineſt eis timor filialis perfecte, quia nondum pervenerunt ad perfectionem charitatis.* En ex mente Angelici *initialis timor* (in quo eſt *inchoata charitas*) non eſt *timor filialis perfecte*, in quo eſt *charitas perfecta*: Non eſt inquam quoad *effectum*, licet ſit quoad *objectum*, ut ſtatim ſubjungit: *Et ideo timor initialis hoc modo ſe habet ad filialem, ſicut charitas imperfecta ad perfectam. Charitas autem perfecta, et imperfecta non differt ſecundum eſſentiam,* (quia habent idem objectum Deum propter ſe dilectum) *ſed ſecundum ſtatum.* Quid ſignificant haec ultima duo verba: Charitas perfecta, et imperfecta differunt *ſecundum ſtatum*? duo ſunt ſtatus hominis Chriſtiani: *juſti*, et *peccatoris*. Ergo charitas perfecta, et

Initialis charitas nondum eſt perfecta.

imper-

imperfecta differunt *secundum effectum*, quod perfecta faciat juſtum; imperfecta adhuc per ſe quidem non juſtificet, ſit tamen *praeparatio a ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiae conſequendum*, ſive ut ait Angelus Scholae, charitas imperfecta *competit ſtatui incipientium diligere Deum, ut omnis juſtitiae fontem.* Hinc jam evidens eſt, *majorem*, et *minorem charitatem* non differre *ſpecie, et objecto*, differre tamen *effectu, vi, et efficacia.* Sic in humanis major, et minor calor, aut lux non differunt ſpecie, tamen effectu, et cauſalitate prorſus diſtincta ſunt; in eo tamen conveniunt, quod *inchoatus* calor, aut lux diſponant ad majorem *gradum*, majoremque effectum cauſandum accedente ſuo augmento. Ita et *imperfecta charitas* eſt *diſpoſitio, et praeparatio proxima ad juſtificationem*, ſi accedat *forma Sacramenti eam perficiens*, vel *major gradus charitatis* extra Sacramentum.

Charitas perfecta, et imperfecta NON ESSENTIALITER, *ſed* EFFECTU, *et* EFFICACIA *differunt.*

XV. Cum tam ſplendida ſint D. Thomae teſtimonia de *incipiente charitate per ſe non juſtificante*, ſed ad juſtificationem impium *diſponente*, et *praeparante*, eaque ratione verba Tridentini, de quibus agimus, interpretanda eſſe docentis, mirandi ſunt adverſarii, quod illum invitum plane, ut patet, ad ſua caſtra trahere nitantur. Sed fruſtra. nam nullo negotio ſolvi poſſunt, quae illi ex eodem Angelico contra charitatem *inchoatam*, et *praeparatoriam* proferunt. Tale eſt ex 3. p. q. 70. a. 4. *Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiae, et vitare omne peccatum mortale. Minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas mille auri, et argenti.* In toto enim articulo agit Divus de *charitate ſanctificante*, et *habituali*, quae judaeis per circumciſionem conferebatur: Docetque per circumciſionem non ſolum remiſſum eſſe peccatum originale, ſed collatam etiam fuiſſe gratiam ſanctificantem ſufficientem ad omnia Mandata Legis adimplenda, et ad omnem concupiſcentiam reprimendam: quia *minima charitas* habitualis *plus diligit Deum, quam cupiditas mille auri.* Inſpiciatur fons, aut ſaltem quaeſtio ejus: *Utrum circumciſio conferret gratiam juſtificantem?* Et Luce meridiana clarius apparebit, hunc textum inchoatae charitati *actuali* per ſe non juſtificanti male opponi. Sed ut evidentiſſimum ſit D. Thomam, et ex illo Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. expreſſe requirere *veram charitatem inchoatam*, exſcribamus adhuc textum ejus ex 3. p. q. 84. a. 5. Ubi quaerit: *Utrum Sacramentum paenitentiae ſit de neceſſitate ſalutis?* Ibique 2do loco objicit: Proverbior. 10. dicitur: *Univerſa delicta operit charitas. Ergo habendo charitatem poteſt quiſque ſalutem conſequi ſine poenitentiae Sacramento.* Numquid hoc eſt argumentum, quo attritioniſtae ex Sacramento poenitentiae eliminatam volunt omnem vel minimam charitatem? quia *charitas operit univerſa delicta.* Ergo, inquiunt, *charitas* non requiritur ad Sacramentum poenitentiae, quin hoc illa evertit, vel, ut mitius loquamur, antevertit. Audiamus nunc reſponſum D. Thomae: *ad 2dum dicendum, quod ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas non liberat hominem a peccato; requiritur enim charitas, quod homo doleat de offenſa in amicum commiſſa, et quod amico ſtudeat ſatisfacere. Requiritur etiam fides, ut per virtutem paſſionis Chriſti, quae in Sacramentis Eccleſiae operatur, quaerat juſtificari a peccatis.* Hic ſane loquitur S. Doctor *de Sacramento* poenitentiae: Ad id vero *charitatem* expreſſe requirit, ut plane Tridentinum loco ſaepe notato. Cujus alioquin perpetuum principium eſt, *actum virtutum* omnium ſive aquiſitarum, ſive infuſarum *praecedere debere habitus* earum. *Nihil prohibet*, inquit 2. 2. q. 113. a. 1. ad 3. *aliquos multa in bonos uſus convertere, et habitum liberalitatis non habere. Sicut* (nota generalem ſententiam) *et aliarum virtutum opera faciunt homines, antequam habitum virtutis habeant.* quid clarius? Demum ex ſupl. q. 5. art. 3. urgen-

Objectio ex D. Thoma ſolvitur.

Minima charitas habitualis excludit Omne peccatum. Quia amicitia Dei eſt.

Actualis charitas ad Sacram. poenitentiae neceſſaria.

gentur haec: *dicendum, quod quantumcumque parvus sit dolor, modo ad rationem contritionis sufficiat, omnem culpam delet.* At Angelicum loqui *de, et in Sacramento*, patet ex sequentibus ejus verbis ibidem: *Dicendum, quod* MEDICINAE SPIRITUALES *habeant efficaciam* INFINITAM *ex* VIRTUTE INFINITA, QUAE IN EIS OPERATUR, *sicut patet ex* BAPTISMO, *quo et magna, et parva solvuntur.* Evidens itaque est, Divum loqui *de contritione* SACRAMENTALI. Et sane cum Angelicus ad Sacram. poen. *charitatem* Verbis cubitalibus requirat, ut hactenus docuimus; mirum esset illum omni charitati vim justificandi tribuere. Sic enim poen. Sacram. nunquam primam gratiam caussaret. A qua sententia Angelicum longissime abesse, nemo negare potest propter claros Ejus textus cap. 1. n. IX. et XVII. relatos.

Sess. 6. c. 6. illustratur ex c. 7. ibid.

XVI. Haec ex sess. 6. cap. 6 pro initiali charitate dicta illustrant, et confirmant PP. in Spiritu Sancto congregati ibidem cap. 7. quod pariter ditissimas habet venas aureas Sacramentalis charitatis. Effodiamus eas. *Hanc dispositionem, seu praeparationem* (Cap. 6. descriptam, et a nobis hactenus enarratam) *justificatio consequitur. Quae non est sola peccatorum remissio, sed Sanctificatio, et renovatio interioris hominis per* VOLUNTARIAM *susceptionem gratiae, et donorum. Unde homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus.* Genuina haec est justificationis impii imago. Quae consistit nequaquam in vacua remissione peccatorum, sed in *renovatione, et Sanctificatione interioris hominis per* VOLUNTARIAM *susceptionem gratiae* Sanctificantis, *et donorum*, ideest habituum omnium virtutum. go voluntas *vult, desiderat* antecedenter *gratiam* Sanctificantem, et dicta *dona* virtutum habitualium *gratiae actuali excitanti*, vocanti, *adjuvanti cooperando*, (*a*) illabentia in se Divina charismata anhelando, reciproca in eorundem fontem charitate amplectendo. En charitatem praevie inchoatam, sensim crescentem proficientem, tandem consumatam. *Unde homo ex injusto fit justus* (hic *justus* significat ornatum Gratia Sanctificante, et donis omnium virtutum. go et illud: *Justitiae fontem diligere incipiunt* cumulum omnium perfectionum ut *Deo* sunt *intrinsecae*, et *nobis* comunicabiles) *ex inimico amicus.* Hic est vis: Duo hostes possuntne in sinceram amicitiam mutuo coalescere, nisi prius levioi benevolentia, mox sensim crescente reciproco amore sese prosequi incipiant? Minime omnium judicio. go nec amicitia inter Deum, et impium redintegrari potest, nisi *amantem Deum* per gratiam actualem excitantem, illuminantem, adjuvantem *homo redamet* primum quidem tenuibus, mox vividioribus initiis, demum etiam in Sacramento *affective* saltem alios amores poenitentis superante charitate. Hoc plane palmare est.

Imago justificationis impii exhibet charitatem initialem.

Ex inimico nequit fieri amicus sine praevia charitate.

XVII. Sed fodiamus amplius venas aurae charitatis ejusdem cap. 7. *Hujus justificationis caussa sunt: Finalis gloria Dei. Efficiens Deus. Meritoria Jesus Christus. Instrumentalis Sacramentum baptismi.* go evidens est, ut hoc, ita cap. 6. agi de justificatione Sacramentali. Confer. h. n. VII. *Formalis justitia Dei:* cumulus ille *intrinsecarum* perfectionum, de quibus h. n. II. *qua nos justos facit* ex fonte illo Divinae justi-

(*a*) Solent nobis objectare adversarii, quod nos Gratiam praevie excitantem ad charitatem, initialem charitatem vocemus. Atenim Gratia actualis excitans, adjuvans non est *vaga, et generalis* ad quodcunque opus salutare, sed est *specialis, et determinate* ad charitatem sensim, primum remote, mox proxime illabentem inchoandam excitans, et praeparans. Cui si sequatur consensus hominis, hoc complexum ex Gratia Dei, et cooperatione nostra resultans recte vocari potest charitas initialis. Cujus aliquin caussa principalis est Gratia actualis, secundaria homo juxta illud Apostoli: *non ego, sed* GRATIA *Dei* MECUM.

juſtitiae nos rore, ac guttis juſtitiae irrorando; Ut ait Arauſicanum ibi. *Juſtos* inquam facit non *extrinſece*, non *imputando nobis juſtitiam Chriſti*, ut Lutherus dogmatizabat; ſed *qua renovamur* intrinſece *Spiritu, juſtitiam recipientes unus quiſque ſuam, dum merito paſſionis Chriſti per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris.* Vides, cap. 6. praecipi juſtificando diligendum *fontem illius juſtitiae*, quae ex c. 7. *formalis juſtitia noſtra* eſt; qua *renovamur Spiritu*, quae *diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*: Qua, ut 2. Petri 1. v. 4. dicitur, efficimur *Divinae conſortes naturae.* At haec de *intrinſecis Dei perfectionibus* juſto ex *fonte* illo infinito roris inſtar comunicatis intelligi debent: imo de *perſona Spiritu Sancti* juxta piam hodie ſententiam animam juſti peculiari modo inhabitantis. *Templum Dei eſtis, et Spiritus Dei habitat in vobis.* 1. ad Cor. 3. v. 16. 17. Cap. 6. v. 19. 2. ad Cor. 6. v. 16. go Tridentinum c. 6. vere praecipit diligendam eſſe paenitenti juſtitiam Divinam illam, quae eſt *intrinſeca Dei* perfectio *Deo bona*, et nobis finito modo in juſtificatione comunicanda: ideo *nobis* quoque *bona.* At diligere *intrinſecam* Dei perfectionem nos ſanctificantem, ideo et *Deo*, et *nobis bonam* procul dubio charitas ſtricte talis eſt. go.

Eam juſtitiam diligere jubemur c. 6. quae c. 7. eſt formalis juſtitia noſtra participata.

XVIII. Pergit Tridentinum ibidem: *in juſtificatione cum remiſſione peccatorum haec omnia ſimul infuſa accipit homo fidem, ſpem, charitatem.* Ex quo ſic: in *voluntaria ſuſceptione gratiae, et donorum,* (ut praemittitur ibi; item mox: *juſtitiam recipientes unusquiſque ſuam - - ſecundum propriam cujusvis diſpoſitionem, et cooperationem*) in *voluntaria* inquam ſuſceptione nihil recipit homo, niſi cujus initia praemittit, quod inchoat, *vult, deſiderat.* Secus non erit *voluntaria* ſuſceptio, et *ſecundum propriam cujusvis cooperationem, et diſpoſitionem facta.* go qui vult conſequi ut fidem, et ſpem, ita charitatem *habitualem*, debet praemittere *actualem*, eam VOLENDO, ANHELANDO praevie. Ita velle amicum fieri Dei, charitas inchoata eſt: h. n. IX. Pulcherima hanc in rem eſt doctrina Guillelmi Pariſienſis de Sacramento poen. c. 6. *Qui quaerit amare Deum, utique jam amat, licet non eo amore, quem quaerit* perfectum. *Cum enim quaerit amare Deum, utique deſiderat amare Deum. Qui autem* DESIDERAT, AMAT. *Amat ergo amare Deum, et non amat illum, niſi propter Deum. Amor, quo iſte amat Deum; et amor, quem quaerit; et quo nondum amat Deum, ſunt unius, et ejusdem, videlicet Dei: et ſecundum idem, et propter idem. Sunt ergo unius, et ejusdem ſpeciei; et non differunt niſi ſecundum majus, et minus.* Haec Guillelmus Pariſienſis, quam ille doctrinam a Patribus haereditavit, nempe ab Auguſtino epiſt 45 ita docente: *Juſta vita, cum voluntas, adeſt: quia eam ipſam plene velle juſtitia eſt; nec plus aliquid perficienda juſtitia, quam perfectam* voluntatem *requirit. Vide, ſi labor eſt, ubi velle ſatis eſt.* Et l. 8. Confeſſ. c. 8. in amore *facultas ea eſt, quae voluntas. Et ipſum velle facere eſt.* Conſentit illuſtris ejus diſcipulus S. Fulgentius epiſt. ad Eugipium: *dilectio nullatenus diligeretur, niſi dilectio habeatur, qua ipſa dilectio diligatur. Equidem poteſt a nobis diligi dilectio, etiam cum petimus, ut augeatur in nobis: Sed non diligit ejus augmentum, qui non habet initium.* Ratio horum eſt, quia quicunque actus ita a ſola voluntate pendent, ut non indigeant externis inſtrumentis, et facultatibus, illi eo ipſo producuntur, quod voluntas eos velit, et deſideret. Poteſt quis velle ambulare, ſcribere, largas elemoſinas dare, quin reipſa haec effective praeſtet, ſi vires deſint. At eo ipſo quod quis ſincere velit amare, jam amat initialiter: in hoc enim velle ſufficit; Ut advertit ipſe Ethnicus ſapiens Seneca dicens: *quodcunque ſibi imperavit animus, obtinuit.* go qui *vult* charitatem habitualem, non otioſam illam attritioniſtarum, utpote raro, et vix ſemel, iterumque in anno in actum exeuntem, quam

Voluntaria ſuſceptio habitus charitatis importat actualem.

ſuo loco examinabimus, ſed noſtram actuoſam, pugnacem, concupiſcentiis praedominantem, atque in actus ſubſequos virtuali er ſaltem influentem c. 1. n XXII: is inquam volendo taliter operatem habitum charitatis, jam eo ipſo amat initialiter: praeſertim ſi tali habitui *obtinendo cooperetur*. Sic *velle*, et *cooperari* ad obtinendam caſtitatem, humilitatem, patientiam, manſvetudinem, aliaſque virtutes *habituales* eſt earundem virtutum actus ponere. go et in ſincera, et ſeria *voluntate*, et *cooperatione* ad obtinendam charitatem habitualem manifeſte continetur charitas actualis ſaltem initialis. Sive ut docet Billuart de poen. Diſſ. IV. a. 7. §. 2. Peccator in inſtanti juſtificationis pro priori vere elicit *actum charitatis*, quia charitas habitualis, ut vidimus ex Tridentino, non ipſi infunditur *modo* quaſi *mortuo*, ſed eam actu *humano voluntario*, et *libero* recipit, in amicitiam Divinam *voluntarie* conſentit, quin praevie *cooperatur*, eam deſiderat, *vult*, anhelat. Haec autem in amicitiam Divinam antecedens, voluntaria, actualis conſenſio, et cooperatio eſt actualis charitas ejusdem cum habituali ſpeciei, et praeparatoria ad illam. Noſter eſt in hoc quoque Angelicus totus, qui 1. 2. q. 113. a 3. in O ita docet: *Deus ita infundit donum gratiae ſanctificantis, quod etiam ſimul MOVET liberum arbitrium ad DONUM GRATIAE ACCEPTANDUM in his, qui ſunt hujus motus capaces.* et a. 4. ad 1. *motus filei non eſt perfectus, niſi ſit charitate informatus, Unde ſimul in juſtificatione impii cum motu fidei EST ETIAM MOTUS CHARITATIS. Movetur autem liberum arbitrium in Deum ad hoc, quod ei ſe ſubjiciat. Unde etiam concurrit actus amoris Filialis* (qui eſt ipſa charitas) *et actus humilitatis.* Ex quibus ferree ſequitur, in Sacramento quoque locum habere debere illud: *Ego diligentes me diligo*, teſte Decretalium collectore S. Rajmundo h. n. I. cui cap. 1. not. ad n. XV. praecipuos Eccleſiae Patres vades praemiſimus. go quum attritioniſtae textus ſcripturae charitatem exigentes ad juſtificationem *extraſacramentalem* reſtringunt, a Doctrina SS. Patrum, et Tridentini manifeſte recedunt, novamque nobis Theologiam obtrudunt, eo ipſo rejiciendam. *Introd. n. II. not. 3. Cler. Gallican.*

Unire poenitentem Chriſto eſt charitatis.

XIX. Rationem dictorum ſuorum dat ibi Concilium: *Nam fides, niſi ad eam ſpes, et charitas accedat, neque unit perfecte cum Chriſto.* infero: IN *juſtificatione* exigitur charitas habitualis, ut *perfecte* uniat cum Chriſto. go etiam AD *juſtificationem* praevia exigitur charitas actualis, ut antecedenter uniat *inchoate* poenitentem cum Chriſto. Non enim ſequetur unio perfecta, et habitualis, niſi praecedat inchoata in converſione impii a creatura male amata ad Deum *in ſe* bonum, ut *finem ſuum* pie amundum ſita, et charitati actuali propria. Ut SS Patres c. I. not. ad n XV. congeſti uno ore docent. Ratio in promptu eſt: Nam *fides* per ſe, ſine charitate *credit* ſolum *revelata* a Deo: ejus exiſtentiam, Trinitatem, remuneratorem, ſanctificatorem per media a Deo ordinata, non fidei propria. Alias ſola fides juſtificaret. Timor *ſimpliciter ſervilis* fugit tantum *nociva ſibi*: cui connexum purum, et nudum charitate deſiderium ſpem antecedens quaerit *Bona ſibi*. Ideo *mercenarium* eſt. Spes perſe *expectat futura* promiſſa a Deo: ac licet ipſa *promiſſa* ſint ipſe *Deus in ſe, et nobis bonus*, ſpes tamen in ſuo conceptu *ad illum* fertur ut OLIM a ſe *poſſidendum*, non ACTU, niſi ſpei accedat *charitas*. *Quae* ſola Auguſtino eſt *motus animi ad fruendum* actu *Deo propter ipſum*. *Frui* eſt *uniri*: *propter ipſum* exprimit intrinſecam Dei bonitatem, et charitatem a puro deſiderio, ſive concupiſcentia mercenaria diſtingvit.

Con-

Continuat Tridentinum. *Neque corporis ejus vivum membrum efficit.* ideſt: ſola charitas vivificat animam peccato mortuam. Atqui jam cap. I. n. XVI. XVII. invicte demonſtravimus, ad juſtificationem Sacramentalem receſſariam eſſe praeviam vivificationem imperfectam exemplo Lazari ope charitatis initialis cauſſandam. Ibi dicta haec in clara luce ponunt. *Qua ratione veriſſime dicitur: fidem ſine operibus mortuam eſſe, et otioſam.* go niſi etiam in juſtificatione Sacramentali fidei charitas accedat, fides poenitentis mortua erit, et otioſa. Quod confirmat concilium: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio, neque praeputium,* ideſt nec antiqua, nec nova lex *aliquid valet*, go nec juſtificationem confert ut proxima diſpoſitio, niſi *fides, quae per charitatem operatur.* Atqui Attritioniſtae in eo ponunt *novae legis* praerogativam unam ſingularem, quod *in ea* Sacram. poen. ſine fide *per charitatem operante,* ſed cum ſola fide, timore, et ſpe, et hujus amore *valeat* ad juſtificationem. go in hac doctrina aperte contrarii ſunt Tridentino, quin ipſi Apoſtolo, cujus eſt textus ille ad Galat. 6. v. 15.

Ita et vivificare inchoate.

XX. Concludit organum Spiritus Sancti dictum cap. 7. *Hanc fidem* charitate operantem *ante baptiſmi Sacram. ex Apoſtolorum traditione Catechumeni ab Eccleſia petunt, quum petunt fidem vitam aeternam praeſtantem. Quam ſine ſpe, et charitate fides praeſtare non poteſt: unde ſtatim verbum Chriſti audiunt: Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Ex his ſequentia colligo: 1. go Catechumeni, et a majoritate rationis poenitentes *ex Apoſtolorum traditione* fidem charitate operoſam inchoare debent. Petere enim inchoare eſt. Ut dictum h. n. IX. 2. Si ita, go fides, timor, amor concupiſcentiae, ſpes ſine charitate ad Sacramenta mortuorum ex traditione Apoſtolorum non ſunt ſufficiens diſpoſitio. 3. Utriuſque ratio eſt, quia ſicut *vitam aeternam*, ita *jus ad eam*, charitatem inquam habitualem, Filiationem Dei, Divinaeque naturae conſortium *fides ſine ſpe, et charitate* actuali *praeſtare non poteſt.* 4. Ut *baptizandi*, ita *poenitentes ex verbo Chriſti* obligantur *ſervare mandata.* Horum primum, et maximum eſt de charitate actuali, vel virtuali. Cap. 1. n XXVI. go *utrique* illud ante Sacramentum ſuſcipiendum adimplere tenentur. Secus ut alii eorum actus, ita ipſa Sacramentorum ſuſceptio cum ſola fide, ſpe, timore *manca erit, et imperfecta.* Ibi n XXV. aut ſaltem firmum propoſitum magni praecepti adimplendi habere eos oportet. Quod ipſum charitas initialis eſt. h n IX. Haec ex cap. 7 Seſſ. 6. Trident. Conc. argumenta ſufficientiam ut fidei, ita ſpei in Sacramento evertunt, neceſſitatem charitatis conſtabiliunt.

Baptizandi fidem charitate animatam petere, et inchoare debent: go et poenitentes.

XXI. Quae ipſa eſt doctrina *Sanctorum.* Audiatur Angelus Scholae Quaeſt. diſp. q. 7. a 10. ad 1. *motus fidei non eſt perfectus, niſi charitate formatus.* An igitur motus ſpei perfectus erit ſine charitatis motu? Credat, qui omnia. *Unde ſimul in juſtificatione impii cum motu fidei eſt etiam motus charitatis.* go et cum motu ſpei. *Movetur autem liberum arbitrium ad Deum ad hoc, ut ei ſe ſubjiciat*, velut *fini*, quod eſt effectus charitatis. go cum motu fidei, ſpei, timoris, aliarumque inferiorum virtutum (eadem enim omnium eſt ratio, quae *fidei*, quia in ſe ſunt imperfecti) adeſt ſemper una motus *charitatis* virtutem inferiorem *ad finem* virtutum referendi. Cui motui ſi non cooperetur eum accipiens, virtutes quidem inferiores in ſe manent *bonae*, ſed *imperfectae*, itaque in Sacramento inſufficientes. Recole dicta cap. 1 n XXIX not. 10. ad 1. et 4. Pergit Angelicus: *Unde etiam concurrit actus timoris filialis*, (quae ipſa eſt charitas) *et actus humilitatis.* Nempe quia in omni peccato intervenit ſuperbia (Eccli. 10. v. 15. *initium peccati eſt ſuperbia*) amor ſui, et creaturae, odium, et contemptus Dei (ſaltem interpretative talis) ideo his vitiis contrarias virtutes in poenitente exigit

Ut fidem, ita ſpem inſufficientem habent SS. PP.

Angelicus.

exigit Angelicus. go ut fidem, ita ſpem, et timorem inſufficientem ſtatuit. Clarius adhuc inculcat inſufficientiam ſpei Auguſtinus tr. 83. in Joan. *De fide quam multa nobis mandata ſunt? quam multa DE SPE? ſed intueamur, quod ait Apoſtolus*: plenitudo legis charitas. *Ubi ergo charitas eſt, quid eſt, quod poſſit deeſſe? ubi autem non eſt, quid eſt, qaod poſſit prodeſſe?* go nec ſpes, nec timor cum Sacram. prodeſt. *nemo diligit, qui non credit.* FRUSTRA QUIDEM, SED TAMEN POTEST SPERARE VENIAM, QUI NON DILIGIT. *Nemo autem poteſt deſperare, qui diligit.* go generaliter *in*, et *extra* Sacram. ita inſufficiens eſt juſtificationi *ſpes*, ſicut *fides*. Quia *omnes virtutes* inferiores teſte S. Proſpero *ſent. ex Auguſt. delib. n. 7* inquiente: *Dilectio Dei, et proximi ſpecialis virtus eſt Piorum, atque Sanctorum. Cum caeterae virtutes et bonis, et malis poſſint eſſe comunes.* Fruſtra recurris ad juſtificationem *extra Sacramentalem*: Cum diſtinctionem hanc SS. PP. non tradant. Nec nos eam amplectimur, qui ſecundum SS. PP. judicamus. Enimvero Sacram. poen. virtutum inferiorum *naturam* non immutat. Teſte Mellifluo ſem. 10: *Dicit fides: parata ſunt magna: dicit ſpes*: MIHI *illa ſervantur.* go *in*, et *extra* Sacram. officium *fidei* eſt *credere Deo* revelanti: *Spei expectare* cum fiducia Bona nobis a Deo promiſſa *ut futura.* At nec fides, nec ſpes *unit* nos *de praeſenti* Deo in ſe bono, nec *convertit poſitive* a creatura male amata ad Deum *ut finem* noſtrum: nec vivificat animam vel imperfecte ut *extra*, ita *in* Sacramento, ſed haec officia ſunt utrobique charitatis. Cap. 1. n. XV. XVI. XVII. go haec utrobique neceſſaria eſt. Neque enim vel concipi poteſt, quomodo perficiatur ad Sacram. poen. neceſſaria poſitiva *converſio* impii ad Deum *finem* ſuum, *vivificatio* item, et *unio* cum Deo *habitualis* per charitatem *habitualem*, niſi praecedat *initialis* ſaltem? nec enim illa efficit fides, timor, ſpes: quia ultra naturam illarum haec ſunt. Nec ipſum Sacramentum poenit. Cujus ſolum eſt *habitis* omnibus ad agendum *diſpoſitionibus* (quas inter praecipuam, ac proximam eſſe charitatem initialem omnia hactenus dicta urgent) gratiam ſanctificantem cauſſare: Hoc eſt dictu: *charitatem* inchoatam *perficere*, non ſuplere. Quod brevi commate complexus eſt Catechiſmus Romanus de poen. § 37 dicendo: *Confeſſio contritionem perficit.* At quod *ſupleat* abſentem, hoc in nullo Probato antiquo authore hactenus reperi: ut ut per omnes antiquitates ſedulo quaeſiverim. Hoc eſt inventum recentioris poſt Tridentinum aetatis, verbo commentum attritioniſtarum.

Auguſtinus.

Proſper.

Sola charitas convertit poſitive, unit Deo, et vivificat initialiter impium.

XXII. Hactenus dicta uno verbo complectitur Tridentinum, dum ſeſſ. 6. cap. 6m. et 7m. ibidem Canone 3tio explicans definit: *Si quis dixerit, ſine praeveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, DILIGERE, aut POENITERE poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Tota hic juſtitiae conſequendae oeconomia in nuce proponitur. Gratia Dei actualis, fides, ſpes, et *charitas*: *quae*, ut cap. 6. prius dixerat, *Deum ut juſtitiae fontem diligere incipiamus*, neceſſaria ſtatuitur. Haec tam clara ſunt, ut ipſe. P. Svarez loc. h. n. X. laud. hunc Canonem explicans, priorem ſuam ſententiam iterato confirmet dicens: *interrogo, an in hac definitione loquatur Concilium de dilectione charitatis? Exiſtimo certe neminem negaturum.* Et ita a veritate convictus loquitur attritionis naſcentis, ut videbimus, illuſtrator. Cujus verba ad mentem ſeſſ. 6tae cap. 6. *de charitate inchoata* intelligenda ſunt. Ex his evaneſcit illa quoque evaſio adverſariorum, qua ajunt, Tridentinum ſeſſ. 6tae c. 6to recenſere omnes diſpoſitiones ad juſtificationem, non quia neceſſariae ſunt ſingulae earum ſemper, ſed quia ordinarie habentur. Ergo Concilium agit de *diſpoſitionibus non neceſſariis?* Sed arbitrariis? An hanc

Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. et 7. illuſtratur ex can. 3. ibid

Teſtimonio Svarezii de charitate eſt ſermo.

Inanis evaſio adverſariorum praecluditur.

sequelam Catholicae aures ferant? An non abuti illa poterunt hostes fidei ad convellenda, et contemnenda Sacrosancti Concilii Decreta? Sed demus adversariis, admittamus tantisper, non omnes dispositiones c. 6. enumeratas esse necessarias: An propterea *initialis charitas* expungenda? minime omnium. Canon 3*tius* modo cit. habet gratiam actualem, fidem, spem, *charitatem*. In spe misericordiae Divinae considerationem, et contrariorum pari ex ratione timorem gehennae contineri, ex hactenus dictis liquet. *Charitatem initialem* ad justificationem requirit Concilium Tridentinum utroque loco cit. Idque teste Pallavicino *ne infructuosa esset poenitentia, si tota esset ex timore*: requisiverunt *eandem* Formatores Decretorum eodem teste, *non obtinentem, sed exoptantem justitiam*. Quibus praeivit multis locis Doctor Angelicus, *eundem in justificatione ordinem*, et *gradum virtutum* longe ante praemonstrans, quem subinde Tridentinum sequeretur. Ubique charitas *inchoata, praeparatoria, dispositiva* ad justitiam habitualem etiam in Sacramento occurrit, et inculcatur. Unum adhuc textum Angelici, quia brevissimum, exscribamus. 3. p. q. 85. a. 6. *Sed contra est, quod poenitentia procedit ex fide, spe, et charitate. Ut jam dictum.* citans Art. 5*tum* hic a nobis Nro V laudatum. Addamus ex 4. sent. Dist. 17. q. 3. a. 4. quaestiunc. 1. hanc ejus doctrinam irrefragibilem: *confessio*, inquit, *est actus virtutis, et pars Sacramenti. Secundum quod autem est actus virtutis, est actus meritorius proprie; et sic CONFESSIO NON VALET SINE CHARITE· quae est principium merendi.* Procul hinc omne effugium. Nam ut vidimus cap. I n. XXIX not XI, principium merendi est *charitas actualis*: quae ex mente Angelici *ibidem* in justis meretur de condigno vitam aeternam. In peccatoribus extra Sacramentum, dum *perfecta* est, de congruo justificationem. *Tridentinum sess.* XIV. *c.* IV. In Sacramento vero, dum initialis est, praeparatoria, et dispositoria proxime ad eandem justificationem est. Hic n XII. Cum igitur ex n. V. h. Tridentinum in decreto sess. 6. c. 6 Angelicum secutum sit, negari nullatenus potest, decretum Tridentini de vera charitate intelligendum esse. Aeque decretorium est illud ex quaest. 7. suplem. a. 1. ad 2. *Confessio praesupponit charitatem, qua quis vivus efficitur* (imperfecte exemplo Lazari.) *CONTRITIO autem est, in qua datur CHARITAS.* Ergo nisi Tridentinum, et Angelicum Praeceptorem ejuremus, *charitatem inchoatam justificationi praeire* fatendum est etiam in Sacramentis mortuorum.

Charitas dispoo necessaria, non tant. saepe interveniens.

XXIII. Ais: modo cit. loco 3. p. q. 85. a. 6. Angelus Scholae asserit: *Actus, et habitus charitatis simul sunt tempore cum actu, et habitu poenitentiae, et cum habitibus aliarum virtutum.* Ergo justificationem non praecedit charitas *inchoata*, et *praeparatoria*, sed *actus charitatis* ubioritur, statim adest *simul tempore habitus* charitatis: go omnis charitas causat justificationem. Respondeo: Ibidem ita prosequitur S. Doctor: *In justificatione impii simul est motus Liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per charitatem formatus: et motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus poenitentiae. Horum tamen duorum actuum primus* (nempe motus in Deum fidei charitate formatus) *naturaliter praecedit secundum*: (nempe motum in peccatum poenitentiae.) *Nam actus virtutis poenitentiae est contra peccatum EX AMORE DEI. Sic igitur poenitentia non est simpliciter prima virtutum nec ordine temporis, nec ordine naturae: quia secundum ordinem naturae praecedunt ipsam VIRTUTES THEOLOGICAE.* Habes hic, quod virtutes theologicae, et fides charitate formata tempore praecedant motum poenitentiae: quia motus, et actus poenitentiae est *ex amore Dei*: Causa autem debet praecedere suum effectum. Habes 2*do*: quod virtus poenittentiae exigat *motum in Deum, qui est actus fidei per charitatem formatus*. Ergo exigit *charitatem*. Quae si sit *inchoata*, acceden-

Alia objectio ex D. Thoma solvitur.

cedente *forma Sacramenti* ſufficit ad juſtificationem cauſandam. Nam *vis clavium*, ſive virtus Sacramenti imperfectionem charitatis ſuplet juxta illud: *Confeſſio contritionem perficit*: id quod expreſſe docet Angelus ſcholae cap. 1. n XVII. Extra Sacramentum Charitas debet augeri, ut juſtificationi par ſit. Ut videbimus. Ergo hinc nihil extundi poteſt contra *charitatem inchoatum*.

Juſtificatio quo modo momentanea? quomodo ſucceſſiva?

Sed ut res tota ſit in plena luce, duo tempora diſtingvenda ſunt. 1*mo*. illud *momentum*, quo habitis omnibus ad agendum requiſitis cauſatur gratia Sanctificans. Hic omnia uno momento peraguntur, et ſimul ſunt: actus fidei, ſpei, et charitatis, Remiſſio culpae, infuſio gratiae ſanctificantis, et omnium virtutum: quia ut Angelicus 3. p. q. 113. a. 8. docet: *juſtificatio impii non eſt ſucceſſiva*. Verum 2*do*: a felici hoc *momento* diſtingvenda ſunt *antecedentia* illa *tempora*, quibus fit *praparatio ad futuram juſtificationem*. Hic ſane *non momento* res agitur. Ut enim corpus recedendo ab uno loco, non ſtatim pervenit ad alium, quae paritas eſt Divi Thomae 1. 2. q. 113. a. 7. ad 2. ita homo ab *extremo impietatis* per fidem, gehennae, turpitudinis peccati, miſericordiaeque Divinae conſiderationem, ſpem, ad Dei charitatem longiori ſtudio pervenire debet. Sed et charitas ipſa *parvis initiis ſcintillae inſtar* primum ordinarie orta *paullatim inchoatur*, augetur, et perficitur; Ut iterum luculentiſſime tradit Angelicus 1. 2. q. 113. a. 10. *Eſt*, inquit, *iſte comunis, et conſvetus curſus juſtificationis, ut Deo movente intus animam homo convertatur in Deum primo quidem CONVERSIONE IMPERFECTA; ut poſtmodum ad PERFECTAM DEVENIAT. Quia CHARITAS INCHOATA MERETUR AUGERI, ut aucta mereatur perfici. Sicut Auguſtinus docet.* (a) *Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet, ut ſtatim quamdam perfectionem juſtitiae aſſequatur, ſicut in converſione Pauli. Et ideo converſio Pauli tanquam miraculoſa in Eccleſia commemoratur celebriter.* Ergo charitas non ſtatim eſt perfecta, ſed primum *inchoata*, dein *aucta*, tandem *perficitur*, uſque adeo, ut Angelicus *ſubitaneam charitatis perfectionem* in Paulo, (idem eſt in Davide, Bono Latrone, et aliis Sanctis repente converſis) *miraculoſam* vocet. Imo vero teſte eodem Angelico in ſuplem. q. 5. a. 3. *Amor poteſt eſſe ita remiſſus, quod non ſufficiat ad rationem charitatis.* En ſubjungit incomparabilis Boſſvet de doctrina Tridentini n. 35. *En*, inquam, *Amor non juſtificans, et non conterens, eo, quod ad rationem CHARITATIS non devenerit. Non quidem quod ſit alterius generis, aut alterius objecti, ſed quod IN EODEM GENERE, et OBJECTO SIT REMISSUS.*

Ordinarie charitas non ſtatim eſt perfecta.

Sed tenuibus initiis, ſuccreſcit.

XXIV. Lucem haec accipiunt a duplici principio Angelici: quorum alterum habet 2. 2. q. 23 a 1. in O. „Dicendum, quod non quilibet amor habet rationem amicitiae: ſed amor, qui eſt *Benevolentia*: quando ſcilicet amamus aliquem, *ut ei bonum velimus*. Sed *nec benevolentia ſufficit ad rationem amicitiae;* ſed requiritur *quaedam mutua amatio*: quia

Notio initialis charitatis:

Sive benevolentiae.

(a) En verba Auguſtini L. de nat. et gratia c. 70. CHARITAS INCHOATA, INCHOATA JUSTITIA EST: *Charitas provecta, provecta juſtitia eſt: charitas magna, magna juſtitia eſt.* Adverſarii ut e manibus noſtris inchoatam charitatem *praeparatoriam* excutiant, et omnem charitatem *per ſe* juſtificare evincant, INCHOATAM JUSTIAM hic ab Auguſtino aſſertam intelligunt de *juſtitia* SANCTIFICANTE *in* INFIMO GRADU. At non ita D. Aquinas: qui *inchoatam charitatem, et inchoatam juſtitiam* intelligit de *converſione* IMPERFECTA, quae AUCTA ad PERFECTAM deveniat. Et pro hac ſua ſententia citat Auguſtini textum modo laudatum. go judicio Auguſtini, et Angelici charitas *inchoata, et aucta* non dum eſt *perfecta*, nec juſtificat, niſi in tertio ſuo gradu, ubi *inchoata, et aucta* demum PERFICITUR. go aperte falſum eſt, omnem charitatem *per ſe* juſtificare: cum judicio duorum Eccleſiae, et Theologiae Luminarium charitas *inchoata*, et *aucta* non ſit *perfecta*: nec proinde juſtificet.

quia amicus est amico amicus. „Alterum tradit in qq. disp. q. 24. a 15. et in 4. Dist. 17. q. 2. a. a. 5. „*non qualiscunque*, inquiens, *motus voluntatis est sufficiens praeparatio ad gratiam: sicut nec qualiscunque dolor sufficit ad remissionem peccati: sed oportet esse aliquem modum determinatum: qui quidem homini notus esse non potest*.„ Similiter loquuntur de necessitate *intensionis* charitatis extra Sacramentum justificantis cap. 1. n. VI Scotus: et ibi n. IX. Alensis. (a) Ex his speramus, cuilibet praecipua doctrinae nostrae capita perspicua fore. Scilicet 1. amorem *benevolentiae* esse Dei *propter se*, *in se*, *et Nobis Boni*. 2. Hunc tamen amorem *benevolentiae*, quem *initialem*, et inchoatam charitatem vocamus, *non sufficere ad rationem amicitiae:* consequenter ad justificationem (in qua amicitia Divina perficitur) *per se*, *et extra Sacram:* go necessarium esse *in Sacramento*. 3tio. Ad esse *perfectae charitatis* necessariam esse *intensionem* quandam *voluntatis* in amando Deo. Quibus verbis intelligimus, satis non esse ad perfectionem charitatis perse justificantis, ut *objectum* ejus *perfectissimum*, excellentissimumque *propter se* sit; Secus ubicunque adesset perfectissimum hoc amoris motivum, adesset *perfecta* charitas: id quod falsissimum esse patet exemplis cap. 1. ad n. XXIX. not. 13. n. 3, 4, 5*to* relatis. igitur necesse ulterius est, ut *motivo illo* voluntas quoque perfecte, intenseque moveatur. Nam ut differit Patuzius Ethic. Christ. tom. 6. Diss. 3. de charit. Cap. 2. §. 3. Justificatio peccatoris necessario importat *conversionem*, sive *motum* voluntatis ab amore creaturae prave dilectae ad amorem *Summi Boni* ut *ultimi finis* toto corde dilecti: ejusmodi autem *recessus* a creatura male amata, et accessus ad Deum *finem* sum fieri neutiquam potest, nisi charitas voluntatem *perfecte* moveat, ita videlicet, ut amor creaturae *illicitus* contrario *Valentiore* charitate exstinquatur, absorbeatur, et eradicetur: *licitus* vero charitati aeque majori, et proinde *praedominanti* Subjiciatur. An putandum est ardentes saepe creaturarum amores a minima charitate actuali repente consumi, aut superari? id putant quidem attritionistae, sed non probant. Enim vero ex eo, quod *motivum* charitatis *perfectum* sit, sequitur quidem, quod potens sit illud ad perfecte movendam voluntatem, edomandosque contrarios noxios amores acceden-

Et perfectae in motivo PROPTERSE, et INTENSIONE VOLUNTATIS *sitae.*

(a) Clamabunt ad haec procul dubio attritionistae, quod si charitatis perfectae *modus*, et *gradus homini notus esse nequeat*, igitur semper ignorabimus, an praecepto charitatis, et contritionis satisfecerimus? et quae inde animorum anxietates divexabunt conscientias mortalium? Verum hanc invidiam non curarunt Angelicus, Scotus, et Alensis: quorum haec est doctrina: Imo Spiritus Sancti contestantis: *Nescit homo, an amore, vel odio dignus sit. Cum timore, et tremore salutem vestram operemini.* Nos interim suis locis plura de signis perfectae contritionis, et praedominantis charitatis dabimus. Sed et cap. 1. n. XII not. ad Guillelmum Parisiensem singulare in hac re caepimus solatium, pie ab illo credere jussi, quod CONANTIBUS *praesto sit Divinae beneficentiae auxilium*, quo in casu defectus Sacerdotis, et Sacramenti in re suscipiendi (nam si hujus copia adsit, illo utendum: Tridentinum sess. 13. Can. XI.) ad perfectionem charitatis, et justificationem eluctemur. Totum ergo hic momentum in *pio conatu* situm est. Ad quem dum nos excitamus poenitentes nostros, secuti in hoc scripturam, et Patres gravissimos, plures olim laudaturi, tutiora, et *viciniora saluti* amplectimur. Exadversos autem Adversarii nullum in perfecta charitate gradum, et intensionem requirentes, vereri possunt, ne *suos* virtute perfectae charitatis in casibus necessitatis privent. Sane in humanis quoque lento, ac remisso amore nemo ardentem alterius amorem merebitur: et qui nos speremus pertenui nostro amore extrasacramentali *mutuam* Dei *amationem*, ardentissimam quidem hanc ut *Patris*, *ut hospitis*, ut *Benefactoris*, ut *Sponsi* animae nostrae? Et quanta obsecro haec est in Deum illiberalitas, deobligare poenitentes suos, ut nec *tantum* intensive ament Deum suum, *quantum* peccando odio habuerunt? Hoc ne est Deum *ex toto corde*, *tota anima*, *totius viribus*: Sive ut Haebraeus Math. 22 habet: *ex toto valde tuo* diligere? longe igitur majores anxietates *ex negligentia gradus*, *et incensionis charitatis* extrasacramentalis nasci merito debent, quam quae nobis *ad intensionem ejus*, modo humano, *conantibus* objiciuntur.

dente *nisu*, *conatu*, *intensione*, et *cooperatione* acri voluntatis gratiae Divinae. At non sequitur, quod semper perfecte moveat actu voluntatem. Nam voluntas humana libera etiam a perfectissimo motivo ut *potest se nullatenus moveri sinere*; ita potest se moveri sinere et *perfecte* addito *perfecto conatu* suo: et *imperfecte minori nisu* suo gratiae praestito. Si igitur voluntas pro sua libertate cooperetur Gratiae, et *motivo* charitatis perfecte, ita, ut motus voluntatis charitate praeventae juxta cathech. Rom. de Sacram. poen. §. 36. doctrinam sit *acris*, *vehemens*, adeoque *intensa*, *ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aequari* ACTU possit: erit perfecta charitas, et contritio *perse* justificans. Si autem dolor animi *ex eodem motivo perfectae* charitatis *affective* dumtaxat, *desiderio benevolo*, et initiali motu voluntatis sit *Super omnia*; erit charitas initialis in Sacramento justificans. Si vero ex eodem motivo charitatis motus animi non *sit Super omnia* ne *affective* quidem, sed illo major sit motus timoris, aut amoris spei tam actu, quam affectu; tunc motus ille erit *amor Dei non super omnia*: *qui non sufficit ad rationem charitatis*, ut ex Angelico audivimus. Ac proinde insufficiens erit justificando poenitenti nedum *extra*, sed et *in Sacramento*. Hoc postremum evictum habes cap. 1. ad n. XXIX. not. 12. atque haec de mente Concilii Tridentini sess. 6. c. 6. et 7. nec non Can. 3 dicta, illustriumque Patrum testimoniis roborata charitatem Sacramentalem extra dubium Statuunt.

Nec non amoris Dei PROPTER, SED NON SUPER OMNIA.

Dilectio Justificatoris solius rejicitur.

XXV. Attritionistae solida Patrum, et Doctorum ante-Tridentinorum auctoritate destituti, ne expositis claris Tridentini decretis obruantur, superfugia quaerunt. Quorum aliqua jam hic n. VIII. XII. XIII. XIV. XVI evertimus. Praecipue vero magnificant istud: per *justitiae fontem deligere* Conc. intelligit amorem *Justificatoris*, et *justitiae nostrae*; proinde *Dei nobis Boni*. et quomodo hoc probant? quis Sanctorum, aut illustrium Antiquorum Doctorum hunc sensum excludendo *amorem Dei in se Boni a justificatione*, ad nos transmisit? nullum hactenus id docentem inveni; ut ut antiquos attritioni servili ad speciem favere visos, et praetensos cap. 1. a n XXX diligenter excusserim. go dum assertum suum evincant, illud pro paradoxo habebimus, opponimusque sensui huic 1. ex cap 1. n. XI. Angelicum, in cujus ibi ore *AMOR JUSTITIAE charitatem* significat. go et in ore Tridentini: quod Angelici Mente, ac voce locutum fuisse isto decreto, modo vidimus. Opponimus 2. Doctores illos maximos cap. 1. n XXV collectos, qui timorem (idem est de amore spei) in amore *sui* fundamentum in Sacramento insufficientem habent. An putare possumus Tridentinum illustria illa verae Theologiae columina deseruisse, ut venturis olim serviliis praeluderet? Apage cogitationes ejusmodi! 3*tio*. quidquid hoc cap. II de vero decreti illius sensu eruendo ex purissimis sapientiae fontibus produximus, praetensam illam attritionistarum expositionem manifeste jugulat. Ut per singulos Nros considerauti patet. 4*to*. Qui sub praeciso *Justificatoris* tantum sensu *Deum*, et *justitiam ejus sibi comunicandam* diligit, nae is RIVULUM duntaxat in se derivandum JUSTITIAE diligit; *fontem* vero ipsum praescindendo negligit, non coronat. Quem sensum nec verba, nec Majestas Concilii Generalis patiuntur. 5*to*. Et qualis obsecro! is *amator* tibi erit, qui in *Patre*, *hospite*, *amico*, *Benefactore* SUA propria praecise commoda, utilitatesque diligit? Hoc sane et publicani, et impii, quin omnes verae amicitiae hostes faciunt quam qui maxime. Haec proinde communi *ingenuorum* sensui repugnans Theologia commiserationem potius, et horrorem, quam verba ulteriora meretur. Ad alia progrediamur.

XXVI.

XXVI. Eadem veritas Sacramentalis charitatis eruitur manifeſte etiam ex cardine controverſiae, quae Eccleſiam inter, et Proteſtantes exarſerat. Neque enim negabant illi, *charitatem* juſtificationis *effectum*, comitemque eſſe, ſed inficiabantur *illam* hanc praeire ut neceſſariam diſpoſitionem debere, vim omnem juſtificandi impium *fidei* charitate vacuae tribuentes: ut patet ex auſu illo temerario Lutheri, quo illi Apoſtoli textui: *arbitramur juſtificari hominem per fidem* ad Rom. 3. v. 28 addidit: *Solam*. Contra quos definivit Tridentinum cit. cap. VI. et VII. ſeſſ. 6. et can. 3. 9. 12. 13. 14 ibidem, juſtificationi praeter fidem, *ſpem* quoque, ac *charitatem initialem* ut *neceſſariam diſpoſitionem* jungendam eſſe. Id quod ſi negent attritioniſtae, Proteſtantes clamabunt. Quorum nomine Kemnitius 1. p. *examin. tit. de Praepar. ad juſtific. Quartum*, inquit, *vitium eſt, quod officium proprium fidei tribuunt Patres Tridentini noſtrae charitati, non fidei. Unde quintum vitium eſt, quod fingunt dilectionem Dei in nobis debere praecedere reconciliationem cum Deo.* Quocirca pro certo tenendum eſt, locis laud. Tridentini ſermonem eſſe de vera, ut ut non perfecta charitate. En *ſalutem ex inimicis noſtris!* Fruſtra repones: Haeterodoxos aſſeruiſſe ſolius fidei in juſtificatione ſufficientiam. go id ſolum negaſſe Tridentinum. Nam Concilium ita negat ſolius fidei ſufficientiam, ut luculenter aſſerat charitatis actualis, ſicut *Spei* neceſſitatem teſtibus ipſis hoſtibus fidei Tridentino ſincronis. Quibus proinde contra ſe veritatem confitentibus magis in hoc credendum, quam attritioniſtis poſtea natis verba Tridentini *ad amorem concupiſcentiae*, aut ad charitatem *habituatem* ut *effectum* juſtificationis, ut ſua ſtet opinio, nullo cum fundamento detorquentibus.

Confeſſione Proteſtantium.

XXVII. Tridentini mentem luculenter explicat etiam tuba ejus Catechiſmus Romanus p. II. cap. 5. n. 8. *Quibus gradibus ad Divinam poenitentiae virtutem aſcendatur? Primum Dei miſericordia nos praevenit, et corda noſtra ad ſe convertit, ut precatur propheta inquiens: Converte nos Domine ad Te! et convertemur. Deinde per FIDEM ad Deum animo tendimus.* Mox *motus TIMORIS conſequitur ex poenarum acerbitate. Deinde accedit SPES impetrandae a Deo miſericordiae. Poſtremo CHARITATE corda noſtra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis, et ingenuis filiis dignus oritur: atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei majeſtatem laedamus, peccandi conſvetudinem omnino deſerimus. Hiſce igitur gradibus ad hanc praeſtantiſſimam poenitentiae virtutem pervenitur.* Ad hanc inquam virtutem: quam toto illo capite partem Sacramenti ait: et de qua nro 4. aſſerit: *Monendi ſunt fideles, ut omni contentione, et ſtudio in intima animi poenitentia, quam VIRTUTEM dicimus, elaborent,* SINE QUA EA, QUAE EXTRINSECUS ADHIBETUR, PARUM ADMODUM PROFUTURA EST. *Intima autem poenitentia eſt illa, cum ad Deum nos ex animo Convertimus, et commiſſa a nobis ſcelera deteſtamur, et odio habemus.* Haec plane confirmia ſunt relatis hactenus principiis Angelici Doctoris. Quis vero credat, ita locuturum Catechiſmum? ſi pro ſufficientia attritionis formidoloſae in Tridentino vel vola fuiſſet, vel veſtigium? an putare poſſumus Catechiſmum Tridentini tam ſubito deſeruiſſe recentem tum doctrinam Concilii? nefas hoc ſit vel cogitare. Suo vero loco demonſtratum dabimus, Catechiſmum hunc *comunem tunc in Eccleſia doctrinam, omni erroris ſuſpicione alienam, eamque fidelibus tradendam* complecti. Plura ex Catech. Romano huc ſervientia dabimus paſſim alibi.

Ex Catechiſmo Romano.

Tridentinum explicat ejus Catechiſmus.

XXVIII. Accedunt rationes Theologicae. Quarum 1ma ſit. Diligere Deum propter *intrinſeca ſua praedicata* eſt amor charitatis. Atqui eſſe Deum *fontem omnis juſtitiae*, ſive omnis ſanctitatis, omniumque virtu-

Rationibus Theologicis. 1ma.

virtutum, est intrinsecum praedicatum Divinum: go diligere Deum ut *omnis justitiae fontem* est amor charitatis. Sane *praedicata Divina nos respicientia*, ut esse omnipotentem, Sanctitatis, et justitiae fontem, etc. duo dicunt: scilicet *perfectionem* Dei infinitam *sibi* ab aeterno *bonam*: et nobis in tempore misericorditer communicatam, vel communicandam, proinde et *nobis bonam*. Sub utroque *copulative* respectu praedicata Divina tam *in se*, quam *nobis bona* esse objectum charitatis Theologicae, demonstratum dabimus cap. III. n. XX, et seqq. Ex adverso autem attritionistae nunquam evincent, a Tridentino praecipi, ut poenitens incipiat diligere Deum *omnis justitiae fontem NOBIS* solum bonum, non *in se* bonum. Sic enim diligeret *suum* dumtaxat bonum, *suam justitiam*, non *fontem ipsum suae* justitiae, sed *rorem*, et *rivulum* in se derivandum. Quod terminis ipsis Sinodi Tridentinae contrarium est. Adde, quod si voluisset magna Sinodus hanc praecisionem *tradere*, debuisset eam *exprimere*, ne in errorem induceremur sensu verborum obvio. Quod quia non fecit nec natis tunc attritionistis ejus praecisionis inventoribus; et quia, ut cap. 1. vidimus, antiquitas omnis amoris purae *concupiscentiae*, Dei *nobis tantum boni* in Sacramento poenit. sufficientiae contradicit; ideo stare cogimur in obvio sensu decreti Conciliaris *fontem ipsum justitiae IN SE*, et non *nobis* dumtaxat bonum diligendum praecipienti.

2da. In justificatione praescindi nequit ab amore Dei IN SE boni.

XXVIII. *2da* ratio. Etsi concederemus adversariis praefatam distinctionem praedicatorum *in se*, et *nobis* bonorum; haec tamen praecisio nequit prudenter fieri tempore *justificationis nostrae*. Nam justitia, et justificatio nostra est *amicitia nostra cum Deo*. Amicitia essentialiter est amor, et *unio duorum propter se*, non *propter sua* primario. Igitur qui amat, et quaerit justitiam Dei *sibi justificando* Bonam, necessario anhelat *unionem Dei secum*. Quae *unio* Dei cum homine justificando necessario involvit *amorem propter se extremorum*. In quo est propria charitas. Nemo enim vel concipere potest *unionem duorum liberam sine charitate extremorum se amanter unientium*. Igitur sicut Deus se uniens justificando vera hunc charitate diligit, ita justificandus Deum antecedenter vera inchoata saltem charitate diligat oportet. Secus *unio* Dei secum nunquam perficietur. Illustratur idipsum *3tia.* *3tia* ratione: qui vult justificationem *suam*, quaerit juxta 2. Petr. 1. v. 4. *Divinae naturae consortium*: vel secundum piam modernorum sententiam *specialem in se Spiritus Sancti inhabitationem*. Item *Filiationem Divinam*, ut ait Apostolus ad Rom. 8. *accepistis Spiritum adoptionis Filiorum Dei*. In quibus omnibus *terminus amoris nostri* est ipse Deus *in se* bonus *amicus noster* futurus, naturam suam *nobis* finito modo communicaturus, nos specialiter inhabitaturus, *ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*: nos in Filios Paterna plane charitate adoptaturus. go amor justitiae, et justificationis nostrae *nobis bonae* necessario est amor *Dei in se, et nobis Boni*: go est amor verae, et stricte talis charitatis pro termino *unionis* necessario respiciens, et importans justitiam Divinam, *naturam, personamque* Spiritus Sancti, et amorem Dei Paterne justificando communicandum. Qui igitur vult fieri Filius Dei, videat, ne de eo queratur Deus per Prophetam: *Si ego Pater, ubi est honor*, et amor meus?

XXIX. *4ta* ratio sit: omnes tres virtutes Theologicae suo modo versantur circa *Deum in se*, et *nobis* bonum. Nempe Fides credit existere *Deum in se, et nobis bonum*. spes cum fiducia expectat a se olim possidendum Deum *in se*, et *nobis* bonum. *Charitas* inchoat aeternum continuandam fruitionem, et unionem cum Deo *in se, et nobis bono*. Haec nemo negaverit. Quibus positis sic ajo: quantuncunque quis credat Deum *in se, et nobis bonum*; nisi fidei accedat charitas aliqua, *4ta.*

nun-

minquam juſtificabitur etiam cum Sacramento, ut definit Tridentinum c. 7. ſeſſ. 6. go etiamſi perfectiſſimo conatu *purae ſpei charitate vacuae* quis *ſperet a ſe Deum olim poſſidendum*, vel concupiſcat *ſibi bonum*, nunquam tamen juſtificabitur. ratio eſt, quia juſtificatio impii eſt *unio* Hominis cum Deo. At ex eodem cap. 7. ſeſſ. 6. Sola charitas nos *unit cum Chriſto*: ſola *vivum chriſti membrum efficit*. Sine charitate ut *Fides*, ita ſpes *mortua eſt, et otioſa*. Sola charitas *vitam aeternam praeſtat*, ſola *ſervat mandata*, ſola *chriſtianam juſtitiam* confert *proxime*: Spes vero, ut fides remotior dumtaxat eſt diſpoſitio. cap. 6. ſeſſ. 6.

XXX. Quinta ratio ſit obvium hoc argumentum: Qui peccavit contra *fidem*, et *ſpem*, debet neceſſario elicere *eosdem virtutum actus ad juſtificationem etiam in Sacramento*. Ergo etiam (quod in omni mortali peccato ſit) qui peccavit *contra charitatem, ſine ejus actu etiam in Sacramento non poteſt juſtificari*. Aeque enim a Tridentino *ut ſpes*, et *fides*, ita *charitas inchoata ut diſpoſitio ad juſtificationem requiritur*. Aeque non capio, quomodo *habitus charitatis* infundatur juſtificando ſine praevio *actu initialis charitatis*, ſicut habitus fidei, et ſpei non recuperantur ſine earum actibus confeſſione etiam attritioniſtarum. In obvia hac paritate nullam verofimilem hactenus potuerunt attritioniſtae dare diſparitatem. Ait quidem Tournelius *de contritione a. 3. object. 4ta contra 2dam concluſionem*: fidem, et ſpem eſſe *radicem*, et *fundamentum* juſtificationis ex Tridentino ſeſſ. 6. c. 8. charitatem vero *finem*, et *formam juſtificationis*. At mihi ſane haec non ſatisfaciunt. Quaero enim: quid ſit eſſe radicem, et fundamentum *juſtificationis*, niſi *neceſſariam*, et *eſſentialem* diſpoſitionem ad conſequendam *juſtificationem*? (a)

Habitus fidei, et ſpei recuperantur actibus ſuis. go et habitus charitatis.

Diſparitas Turnelii refellitur.

(a) Si quis contenderet ſcholaſtice, inter eſſe *radicem*, et *neceſſariam* ad Sacramentum *diſpoſitionem* diſtingvendum eſſe: nobis perinde eſt. Stabit enim noſtrum argumentum et tunc: quod ſcilicet Tridentinum cap. 6. cit. neceſſariam diſpoſitionem requirat ad juſtificationem ut fidem, et ſpem, ita charitatem initialem. go ſine actu charitatis habitum charitatis conſequi impoſſibile eſt, ſicut habitum fidei, et ſpei ſine actibus fidei, et ſpei.

R. P. Dominicus Viva de Sacrm. poenit. q. 2. a. 5. n XXIII diſparitatem ad poſitam paritatem dans ait: *Praecipitur actus Fidei, et ſpei ad infuſionem fidei, et ſpei habitualis, quia per fidem exercet Deus ſuum magiſterium, et inſtruit hominem de Fine ſupernaturali, et mediis ad illum: per ſpem vero erigit ad media ponenda, ut finem ſuum ſupernaturalem arduum homo conſequatur.* Ergo etiam, infero ego, exigitur charitas inchoata, ut *per eam reducat* Deus ad ſe hominem peccato ad creaturam converſum. Quae *converſio* impii a *creatura ad Deum* et *neceſſaria* in Sacramento, et *actus charitatis* eſt. *Hic n* VI. deinde ut initiali charitate diſponatur poenitens ad recipiendam *voluntarie* habitualem charitatem, quae ex Tridentini ſeſſ. 6. c. 7. datur *ſecundum propriam cujuſvis diſpoſitionem, et cooperationem*. h. n. XI. XII. XXI. item ut poenitens *uniatur* cum Deo. *n.* XIX. ut denique juſtificandus ſervet, et expleat primum, et maximum mandatum charitatis. n. XVIII *hic*. Pergit porro Viva: *Ad infundendam charitatem habitualem Deus ſolum extraſacramentum requirit charitatem actualem: in Sacramento contentus eſt pura attritione*: audio poſtulatum. En rationem ejus: *Aliter nihil conferrent Chriſti merita, niſi defectum aliquem in nobis ſuplerent.* Haec ille. In noſtra quoque ſententia Sacramentum ſuplet defectum non *charitatis*, ſed *intenſionis, et perfectionis* ejus ita, ut *in Sacramento* ſufficiat *initium, et inchoatio* ejus, quae *extra illam* ut *perfecta, acris, et vehemens* juſtificat. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. juncto ſeſſ. 14. cap. 4. Catech. ejus de Sacramento poenit. §. 36. 37. Hoc praemiſſo ajo: Adductam rationem Patris Viva mihi quidem horribilem eſſe: Si enim illo docente ideo non requiritur in Sacramento poen. actus charitatis, quia *aliter nihil conferrent Chriſti merita, niſi defectum aliquem in nobis ſuplerent*, ſequitur invicte 1mo: poenitentibus in veteri teſtamento, qui perfecta tantum charitate poterant juſtificari: 2do quin et nobis in lege gratiae ſive dum extraſacramentum perfecta charitate juſtificamur, ſive dum ad Sacramentum ipſum perfectam charitatem adducimus, tunc inquam nihil nobis conferre Chriſti merita. Ideo 3o. Cavendam nobis omni ſtudio eſſe omnem charitatem (quia juxta P. Viva illa in minimo gradu juſtificat. l. cit.) ne *nihil conferant nobis Chriſti merita, ſi PRAESENTE CHARITATE defectum in nobis aliquem non ſuplerent*. Sed de his abſurdis ſequelis

Reſponſa P. Viva refelluntur.

At Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. aeque requirit *charitatem inchoatam*, ut *fidem, et ſpem* ad obtinendam juſtificationem; igitur ut fidem, et ſpem, ita *charitatem inchoatam radicem, et fundamentum juſtificationis eſſe*, dicique oportet. Diſtingvenda adhaec eſt *charitas Habitualis* ab *actuali Illam*, id eſt: *Charitatem habitualem finem*, et *formam juſtificationis* agnoſcimus. *Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7 verbo* Formalis: *hanc* diſpoſitionem neceſſariam eſſe ad illam conſequendam hactenus docuimus. Recole hic n. IV. X. XI. XII. et cap. 1. n. XVIII. Neque enim capere poſſumus, quomodo nos *redamet* miſericors Deus dando *charitatem habitualem*, niſi nos Eundem *amare incipiamus charitate actuali ſaltem inchoata?* Unde nos charitatem actualem ſicut extra Sacramentum (*auctam* quidem *tunc*, et *perfectam*) ita cum Sacramento *inchoatam* ad juſtificationem neceſſariam contendimus. Nam et in Sacramento neceſſarius eſt *amor noſter inchoatus*, ut ejus ope *convertamur* ad Deum, *cap. 1. n.* XI. *in Alenſi, et Angelico. n.* XV *in Auguſtino: ut uniamur* Deo: hic n. XIX. et

ſic

---

non attinet plura dicere. Comunis enim ſententia a nullo, quod ſciam, alio negata docet, charitatem et initialem, et perfectam vim juſtificandi impii *ex meritis Chriſti*, et ex *miſericordia* Patris *illa* gratuito acceptantis habere. De quo recoledicta cap. 1. n. XVIII. conſer Trid. ſeſſ. 6. c. 7. cauſſa inquit, *meritoria* juſtificationis eſt *dilectiſſimus D. N. I. Chriſtus, qui cum eſſemus inimici*, atque adeo omnis meriti quibuſcunqe operibus noſtris incapaces, *propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ſua ſanctiſſima paſſione nobis juſtificationem promeruit* dependenter tamen a diſpoſitionibus cap. ibi 6. recenſitis (inter quas eſt charitatis actus, ut toto hoc capite docuimus) nobis conferendam. Si item *charitas* in Sacramento facit, ut nihil nobis conferant Chriſti merita, cur *illam* urget Apoſtolus 1. Joan. 3. v. 14. *qui non diligit, manet in morte.* Et ad Cor. 13. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt.* go nec Sacram. poenit. De quo nos cap. 1. n. XV. XX. et h. n. I. Tam *merita Chriſti*, quam *charitatem* in Sacramento poen. componit Angelicus 3. p. q. 85. a. 3. dicens „*Poenitentia eſt cum fide Paſſionis Chriſti, per quam juſtificamur a peccato, et cum ſpe veniae, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem*„ go charitas non evacuat, quin nobis applicat in Sacram. poen. merita paſſionis Chriſti juxta illud: *adimpleo ea, quae deſunt paſſionum Chriſti.* ad Col. 1. v. 24.

Ait rurſum laudatus Theologus, *Scripturae loca intelligi poſſe de charitate habituali, non de actuali; aliter infantes poſt baptiſmum eſſent in morte.* Quae ratio penitus ad rem non eſt; ſecus dicendum erit, quod ad juſtificationem adultorum *nulla diſpoſitio* neceſſaria ſit, ne fides quidem, ut in parvulis. Fateri igitur debet laudatus Theologus cum certa omnium ſententia infantes in eo privilegiatos ab Auctore Sacramentorum eſſe, ut abſque omni diſpoſitione propria (cujus alioquin incapaces ſunt) per baptiſmum habitum charitatis conſequantur. Tridentinum ſeſſ. 7. Canone 13. de baptiſmo. At in adultis ad Sacramenta mortuorum idem Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. plures diſpoſitiones, inter eaſque *charitatem initialem*, ut fidem, et ſpem: capite vero 7 *voluntariam ſuſceptionem gratiae, et donorum: propriam cujuſque diſpoſitionem, et cooperationem; fidem per charitatem operantem* requirit eo, quod *vitam aeternam fides, SINE SPE, ET CHARITATE praeſtare non poſſit.* go ab infantibus ad adultos nulla eſt inſtantia, nulla paritas.

Caeterum cit. Theologus, ut vidimus h. n. IX. admittit, Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. exigere *intialem charitatem in propoſito ſervandi mandata Dei contentam.* go fruſtra *eam* negat *in attritione. Propoſitum* enim *ex dolore* Sacramentali dimanat, atque *utriuſque* idem *objectum* eſt. Dicam proinde, quod *charitas propoſiti* dignificet etiam *dolorem* adhuc in *propoſito perſeverantem.* Ait tamen ad cap. 6. Conc. Trid. 1. *Ipſum odium peccati, quamvis ex mero MOTIVO POENARUM, eſt aliqualis dilectio Dei, et charitas inchoata.* Sit ita (quamvis ego id negem: dequo vide hic n. VI. ubi Angelicus *odium* peccati repetit a *charitate, quia eſt offenſa Dei, et non propter ſuplicia*, non *quia nociva ſibi*) aſſummo, et dico: fruſtra negare attritioniſtas inchoatam charitatem, ſi eam in odio Peccati contineri fatentur: nam *odium, et deteſtationem peccati* ibi verbis luculentiſſimis requirit concilium. Ait 2: *poſſe dici*, quod Concilium exigat amorem ſpei. At nos oſtendimus hactenus, *debere dici*, quod Concilium exigat veram charitatem. Confer n. h. I. III. IV. V. VI. XI. XV. &c. addit 3. ibi enumerari actus, qui *ordinarie ſolent* praeire juſtificationem, non qui *neceſſario praeeunt.* Quod hic n. XXII refutatum habes. Caeteras adverſariorum difficultates ſuis locis viſuri. Ex his enim advertent charitatis Studioſi, eas nullo negotio ex principiis noſtris ſolubiles eſſe.

ſic *redamemur* a Deo *amantes* primum initiali actuali; mox in Sacramento habituali charitate. *Ego diligentes me diligo.* Hic n. II. XI. itaque aſſentiri non poſſumus Tournelio l. cit. aſſerenti, quod in Sacramento *charitatem inchoatam ſupleat* ipſum *Sacramentum.* Ex Tridentino enim ſeſſ. 6. c. 6. jam ſcimus, Charitatem *inchoatam* eſſe *diſpoſitionem* ſive *praeparationem:* n. XII hic: Ex eadem ſeſſ. c. 7. diſcimus, Sacramentum eſſe *cauſam inſtrumentalem* juſtificationis noſtrae: Nemo dubitat cauſſam inſtrumentalem non aliter, quam *habitis praevie neceſſariis diſpoſitionibus effectum* ſuum *praeſtare.* Tantum igitur abeſt, ut Sacramentum ſupleat vicem *charitatis inchoatae*, ut potius ipſum Sacramentum effectum ſuum *ſine* praevia *initiali charitate*, ut *diſpoſitione neceſſaria*, quin ut Sacramenti materiae proximae, contritionis nempe initialis vivificatoria *praeſtare non poſſe*, evidens eſſe videatur. Ex eodem principio corruit etiam paritas a Sacramentis *vivorum* ad Sacramenta *mortuorum.* Quamquam enim toto corde confitear, omnia Sacramenta gratiam *ex opero operato* cauſſare, tamen etiam in *vivorum* Sacramentis ad augendam gratiam Sanctificantem motum aliquem actualis charitatis, *ut diſpoſitionem* neceſſariam eſſe ſvadent dicta cap. 1. ad n. XXIX not. XI. quae cap. XII. a n VIII. cap. XIII. n. XXVIII. et paſſim illuſtrabuntur. Aeque corruit Tractatus Tyrnavienſis de poenit. Diſp. 2. a. 3. aſſertum: nempe ſtante *attritione ſervili* (quam defendit) *excludente voluntatem peccandi* (de quo ſuo loco viſuri) *omiſſionem praeciſe charitatis non eſſe obicem juſtificationis.* Si enim, ut Duce Angelico Doctore ex Trident. ſeſſ. 6. c. 6. didicimus, *charitas inchoata neceſſaria* ad *juſtificationem* etiam *Sacramentalem diſpoſitio eſt*, quin *doloris* in Sacramento neceſſarii ut *materiae anima* eſt, ut cap. 1 a multis Antiquis audivimus, et deinceps audiemus, ſequitur invicte, omiſſionem charitatis initialis *obicem* NEGATIVUM juſtificationis, quin valoris Sacramenti poenit. eſſe. Aut igitur praejacta S. Thomae principia attritioniſtae expugnent oportet, aut fateantur denique, Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. illis verbis: *illumque tanquam omnis juſtitiae fontem diligere incipiunt*, de *vera chatitate initiali* loqui, illiſque verbis a Sacroſancto hoc Spiritus Sancti organo *attritionem ſervilem*, antequam naſceretur, praefocatam, atque praeeverſam fuiſſe.

Fruſtra aſſeritur, charitatem ipſo Sacramento ſupleri.

XXXI. Enim vero tam luculentum eſt hoc Concilii Generalis decretum, ut acutus Theologus Tourneli quia illud cum attritione ſervili conponere non potuit, tenebris Metaphiſicis involvere, *ne initialem charitatem* fatericogeretur, non dubitaverit, quaeſt. 5. de contritione a. 3. ad obj. contra ſecundam concluſionem haec Scribens: *Fatemur Concilium praeter fidem, et ſpem exigere dilectionem Dei: ſed qualis illa ſit, non aperte explicat. Quia generali potius voce dilectionis uſi ſunt Patres, non charitatis, non amoris ſuper omnia, ne rem dirimerent controverſam. Hanc equidem dilectionem diſtingvunt a ſpe. At quis certo aſſerere poteſt, an eam diſtingvant tanquam rem a re? vel tantum ut effectum a cauſa? partem a toto? proprietatem a natura?* Haec eſt tota Doctoris maximi non tam ſolutio, quam involutio Decreti Conciliaris. Quibus dictis liberum ſibi putat penes *amorem concupiſcentiae* manere. Hoc eſt dictu: in *dubio graviſſimo de valore Sacramenti* ſententiam *minus tutam* cum *praeſentiſſimo periculo nullitatis Sacramenti* poenitentiae, et cum urgentiſſimo ſalutis animarum diſcrimine tradere. Sed tentemus evolvere involutiones ejus. *Fatemur*, inquit, *Concilium praeter fidem, et ſpem exigere dilectionem Dei.* Quid ultra inquirimus? habemus *dilectionem Dei*, eamque praeter *fidem*, et *ſpem.* Ergo certe non *ſpei. Sed qualis illa ſit, non aperte explicat.* Quomodo non aperte explicat, dum

Difficultates Cl. Turnelii

Evolvuntur.

Quo fatente dilectio a Tridentino requisita distincta est a spe: ergo non est amor spei.

eam praeter *fidem*, et *spem* requirit? Sed en rationem, cur non videatur aperte explicare: *Quia generali potius voce dilectionis usi sunt Patres, non charitatis, non amoris super omnia.* At nos difficultatem in hoc non patimur, posteaquam ex S. Augustino, aliisque momentis hic n. I evicimus, quod *amor*, *dilectio*, et *charitas unius rei sit utrumque nomen*: advertimus item, D. Thoma Teste, *displicere homini peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum requiri ad rationem verae poenitentiae:* Decretum vero Tridentini ex eodem Angelico delineatum esse. Ex his enim certissimum nobis jam est, *dilectionis* nomine *charitatem*, et *amorem super omnia*, sed *inchoatum* Patres Sanctissimos intellexisse. Cum potissimum *charitatem Dei Super omnia ad Sacramentum poen.* requirat veneranda *antiquorum Theologorum* cohors. *Toto cap.* 1. A quibus desciviſse Tridentinum, vel cogitare *Generali Concilio injuriosum* putamus: certe recessum hunc nunquam evincent attritionistae: et nos sumus in *possessione antiquitatis.* igitur invicta est *conditio nostra.* Sed audiamus Tournelium: *Hanc equidem dilectionem distingvunt a spe.* En alteram confessionem *dilectionis* distinctae a *spe.* Ergo certe *non SPEI. At quis certo asserere potest, an eam distingvant tanquam rem a re: vel tantum ut effectum a causa: Partem, a toto, proprietatem a natura?* Quid tum postea? scis fatente Temetipso, *dilectionem* a Tridentino requisitam esse *distinctam a spe.* Modum distinctionis hujus praetendis Te nescire: An propterea, quia *modum* hujus *distinctionis* ignoras, confundere debes hanc *dilectionem*, a *spe* fatente Temetpiso *distinctam*, cum *amore spei?* Status quaestionis est: an *dilectio* a Tridentino requisita sit amor *concupiscentiae*, aut *charitatis* initialis? non est *concupiscentiae;* quia fatente Teipso est *distincta a spe.* Ergo certo est *charitatis inchoatae:* quam scilicet An elicus a Tridentino *in hoc decreto* canonizatus toties in praemissis citatus clarissime requirit. Si corticem dumtaxat verborum Tridentini consideras, ambigere potes de propria significatione vocis *diligere*: at si Augustinum *h. n.* I. si Angelicum toties h. cit. si ipsos Adversarios: Vegam, Vivam, Svaresium, Sotum, Tannerum *n.* X. *hic* relatos consulas, certissimus eris, *dilectionis* vocabulo *charitatem* plane esse intelligendam.

go est charitas.

Turnelius post omnem sollicitudinem, quomodo dilectio a spe distinguatur? manſit spei-ſta.

XXXII. Caeterum dictus Theologus Tournelius operosa hac sollicitudine, quomodo *dilectio* a Tridentino requisita a *spe* distingvatur? non tam *initialem charitatem* eruere, quam *amorem concupiscentiae* palliare, et commendare videtur. Id eruo e *dictis*, et *factis* ejus. E *dictis* quidem. Quaerit enim: an illa *dilectio* Tridentina non distingvatur a *spe*, *ut effectus a causa.* Hic cubat Tournelianus *amor concupiscentiae.* Nam, ut ex Tannero vidimus, *amor concupiscentiae* praecedit *spem*, et *hanc* causat, dirigit juxta illud: *nihil volitum*, speratum, *nisi concupitum.* Et haec est comunis sententia, ut Tannerus ait, et deinceps videbimus. Igitur operosa hac distinctionis quaestione *amorem* concupiscentiae *spem praecedentem*, et dirigentem obtrudere nobis animus fuerit Tournelio. E *factis* vero: quia Tournelius post omnem sollicitudinem praemissam mansit denique cum *amore spei* ab *amore concupiscentiae causato.* Unde Billuart Aemulus ejus (*a*) Diss. 4. de contrit. a. 8. exprobrat Tournelio, quod hanc dilectionem Tridentinam *amorem spei* vocet: *Debuisset*, inquit, *dicere amorem concupiscentiae: sed forte timor cohibebat mentem, ne habeatur purus, putusque attritionista.* Hoc igitur novum Systema *amoris SPEI*, reipsa *purae concupiscentiae* vocandum omni argumentorum genere agrediamur, ut eo e fundamentis efosso, regnet in cordibus nostris, et in praxi Sacramentali amor charitatis initialis.

CAPUT

(*a*) Ubi Turnelius a principiis Scholae Thomisticae recedit, presse illum insequitur Billuart recentissimus illustris Thomista.

CAPUT TERTIUM.

In examen vocatur amor Spei Tournelianus.

1 Honoratus, atque in pleriſque aliis, potiſſimum vero ab omnigena eruditione Eccleſiaſtica vere *Honorandus* Tournelius q. 5. de contrit. imperfect. art. 3. conclus. 1ma. Statuit: *Contritionem imperfectam, ſeu attritionem, aliquem ſaltem inchoatum amorem Dei includere debere: quo nempe poenitens diligere incipiat Deum tanquam fontem totius juſtitiae.* Haec ipſa eſt noſtra ſententia tota hac opella adſtruenda. Quam ille ſuam theſim, imo noſtram ſententiam evincit his ſcripturae teſtimoniis. Math. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua.* 1. Joan. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Cor. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema.* Et plura hujuſmodi ſcripturae teſtimonia adducit ex Deuter. 4. v. 29. Iſaiae 55. v. 7. Joël. 2. v. 12. Ex quibus infero: illis verbis: *illumque tanquam omnis juſtitiae fontem diligere incipiunt*, Eam *dilectionem* ſaltem *inchoatam* in poenitente concilium requirit juxta Tournelium, quam citata a Tournelio *in vim aſſertionis ſuae* ſcripturae requirunt oracula; Atqui citatos ab eodem textus *univerſa Patrum*, et *Theologorum* veneranda *antiquitas* de dilectione Dei *ut in ſe*, et *nobis boni* ſemper intellexit. Ergo ex mente Tournelii illis verbis: *illumque tanquam omnis juſtitiae fontem diligere incipiunt*, Tridentinum requirit in poenitente *amorem charitatis ſaltem initialem* Dei *in ſe*, et *nobis boni*. Ergo judicio Tournelii Cauſa noſtra finita eſt. Major enim propoſitio noſtra fluit ex probationibus praemiſſis Tournelii. Qui ad probandum initialem amorem Dei in poenitente neceſſarium praemiſſos textus ſcripturae adducit. At illi *ad rem* non eſſent, niſi de illo amore Dei loquerentur, cujus *initium* in poenitente ad Sacramentum poenitentiae *neceſſarium* eſt. Minor aeque certa eſt. Oſtendant enim attritioniſtae unum Sanctum *Patrem*, unum ante Tridentinum *Theologum*, qui illos textus *non de amore* charitatis *Dei propter ſe* intellexerit? Quin ipſi attritioniſtae *illos* ita intelligunt, ideoque non ad Sacramentalem, ſed ad extra Sacramentalem juſtificationem eos pertinere ajunt. Quae minor propoſitio inde etiam luculentiſſima veritate certa eſt, quod ex illis, ſignanter e Veteri Teſtamento adductis textibus *convertimini ad me in toto corde veſtro* Joël. 2. et aliis Eccleſia doceat, ad juſtificationem in Veteri Teſtamento *charitatem perfectam* neceſſariam fuiſſe. Quos ſcripturae textus quia Tournelius pro *amore initiali in Sacramento poenitentiae neceſſario* adducit, nolit, velit, fateatur oportet, in Sacramento *eandem objective charitatem* (etſi *non intenſive* propter vim Sacramenti poenitentiae) *neceſſariam* eſſe, *quae fuit in Veteri Teſtamento.* Illi enim textus ex mente Tournelii *non quoad intenſionem*, ſed *quoad objectum pertinent ad Sacramentum poenitentiae:* alias adduci pro theſi ſua a Tournelio non poterant. Item ſicut illud Math. 22. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum: Veram* proximi *propter Deum*, et non ex alio motivo ortam *charitatem* praecipit; ita primum ejus membrum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* perfectam Dei *propter bonitatem ſuam intrinſecam* charitatem nobis inponere Fidei dogma eſt ipſis etiam rudibus e Catecheſi notiſſimum. Cum itaque ex hoc textu inferat Tournelius *neceſſitatem initialis amoris* in Sacramento poenitentiae, negare jam nequit, hunc initialem amo-

Ex principiis Turnelii

Adſtruitur charitas initialis.

rem

rem *vere charitatis Dei propter se dilecti esse debere.* Hoc unicum argumentum omnes attritionis purae formidolosae Patronos ad sententiam *initialis charitatis* amplectendam convertere aptum est, si absint praejudicia. (*a*) Sed audiamus porro Tournelium.

Impugnatur amor spei.

II. Is laudato loco conclusionem secundam hanc ponit: *Sufficit ad justificationem in Sacramento poenitentiae obtinendam AMOR, qui dicitur SPEI: quo Deus diligitur quia bonus nobis, nostra beatitudo, finis ultimus.* Huc igitur tandem recidunt splendidissima illa scripturae oracula, charitatem Dei *propter se* magnificis verbis inculcantia, ut juxta Tournelium significent amorem *SPEI NOBIS BONI!* Quam recte dicit de eo Billuart de poen. Diss. 4. a. 8. *ipsum una manu destruere, quod altera aedificat.* Ergo si illum audiamus, Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. posteaquam Fidei, et spei officia in justificatione impii explicuisset illis verbis: *disponunitur ad justitiam fidem ex auditu concipientes - - - - in spem eriguntur, fidentes Deum sibi per Christum propitium fore:* Sequentibus inani duntaxat battologia prius tantum dicta repetit, nec novi quidquam statuit, dum ait: *illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt.* Ideſt juxta Tournelium *sperare incipiunt, considere, desiderare, concupiscere Deum sibi bonum incipiunt.* Verbo idem his dicit, quod prius jam satis dixerat: *in spem eriguntur.* Estne hoc interpretari in obvio sensu litterali, et non potius deridendum exponere heterodoxis Sacrosancti Concilii decretum? distinguit Tridentinum et hic, et can. 3. ejusdem sessionis in poenitente

tres

(*a*) Turnelio per omnia Consentit Antoine *in Speculativa*, ubi *de poen. t. Cap.* II *de Contritione a.* 7. requirit in Sacramento poenitentiae praeter metum gehennae ALIQUEM DEI AMOREM. Cujus probationes evincunt, *hunc Dei amorem* INITIALEM CHARITATEM esse debere; ut consideranti rationes nostras hic n. I ad Opinionem Turnelii allatas evidens fit. Enimvero in vim assertionis suae adducit Antoine 1 illud Joelis 2: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Atqui eundem textum Is ipsus ibid. a. 5. §. 3 de *conversione charitate animata* intelligit. go textum illum jam nequit applicare de Conversione *amore Spei* animata. Nam quod ille, similesque textus *extra Sacramentum* de *amore charitate* animato, *in Sacramento* de *amore Spei* loquantur; id paradoxum putamus, utpote omni *Scripturae, et PP.* auctoritate destitutum assertum. 2 citat pro se Tridni sess. 6. c. 6. at hunc locum nos cap. II *de Initiali charitate* a PP. Tridentinis Scriptum esse, invictissime demonstrasse confidimus. 3 laudat pro Sua opinione auctoritatem Cleri Gallicani a. 1700. Verum Doctissimus hic Clerus decretum Tridui explicat eo plane sensu, quo Nos. Nam requirit amorem justitiae fontis *praeter fidei, et spei* actus. go certe non amorem *Spei.* Denique inculcat, ut poenitens *primi, et maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, curam gerat, ad illudque exequendum sese excitet, ac provocet.* At *primi mandati cura* CHARITATIS INITIALIS, non amoris *Spei* Studium palam significat. cap. II. n. XVIII. go 4. addit rationem: quia *amor Spei* non tollit a Sacramento poenitentiae vim reconciliandi. go est dispositio proportionata ad Sacramentum poenitentiae. Sed nos nube Theologorum Ante-Tridentinorum, et SS. Patrum cap. I, et II stabilivimus *initialem*, et *praeparatoriam* charitatem solam esse dispositionem proportionatam ad Sacramentum poenitentie, nec ei tollere vim reconciliandi. Urget 5. Homo per peccatum *Conversus ad creaturam* per Sacramentum poenitentiae debet *Converti ad Deum.* go debet Eum amare *ut finem suum.* Quod argumentum evincit luculenter initialis charitatis necessitatem: qua sola amatur Deus ut *finis noster.* Amor enim solius *Spei* est amor *sui, suae quietis*, non *Dei.* ut c. I. clarorum virorum testimoniis comprobavimus; et h cap. n. XXI XXII XXIII extra omne dubium statuemus. Concludit 6 ex damnata ppone Innocentii XI de valore Sacramenti nefas esse sequi sententiam probabilem minus rutam relicta tutiore. At hoc ipsum pro nobis invictum est. Nam *opinio* necessitatis in Sacramento poenitentiae initialis charitatis et *probabilis* est, ut hactenus vidimus: et *tutior* est: ut per se patet. go haec unice in praxi sequenda est: cum potissimum opinio *amoris Spei* parum, aut nihil distet ab opinione *attritionis pure servilis*, ut videbimus hic n. XVIII. Ex quibus luce meridiana clarius constat, ut Turnelium, ita Antoine, omnesque *speistas* splendida verba dare; re tamen ipsa manere *serviliſtas pure formidolosos*, nisi admittant necessitatem *initialis charitatis* in Sacramento poenitentiae. Quam ab ipsis vel invitis argumenta eorum pro *amore Spei* adducta extorquent. ut ex his ipsis evidens est.

tres virtutes Theologicas: *Siquis dixerit, ſine praeveniente Spiritus Sancti inſpiratione hominem credere, Sperare,* DILIGERE, *aut poenitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. Quibus Fidem, ſpem, charitatem* ad juſtificationis gratiam conſequendam *neceſſariam eſſe,* innegabiliter ſtatuit. recole cap. II. n XXII. Attritioniſtae *dilectionem* ad *ſpem* reducunt, et *cum illa confundunt*, ne *initium charitatis* ad Sacramentum poenitentiae *Neceſſarium* eſſe fateri debeant. Si hoc licet *Catholicis* Doctoribus, licere quoque ſibi putabunt *Haeterodoxi* noſtri *ſpem* ad *fidem* reducere, eaque ratione totam juſtificationem *informi fidei* adſcribere: cum Attritioniſtae eam *informi ſpei* attribuant.

III. Hoc ut palam fiat, *duo deſideria, Concupiſcentiae,* ſive *amores* diſtinqui debent. Primus praecedit, et dirigit *ſpem*, Juxta illud Auguſtini Enchir. c. 8. *Spes ſine amore eſſe non poteſt.* Et S: Thomae de veritate q. 28. a. 4. *ſimul eſt motus amoris cum motu ſpei, ſeu deſiderii. Sicut enim aprehenſum movet amorem, ita amor movet deſiderium, ſeu ſpem.* Nempe primo *fides illuminat intellectum* impii, *intellectus excitat amorem* purae concupiſcentiae, *amor* hic movet *deſiderium*, ſeu *ſpem* ad conſequendam *rem amatam.* Hic adhuc manemus in ſpe, ſive in amore *ſpei informis*, quia hucdum nulla eſt *charitas Dei propter ſe ne inchoata* quidem; ſed amatur Deus *ſperanti bonus.* Hic eſt amor purae concupiſcentiae, *ſui, ſuorum commodorum*, ut vidimus cap. 1. et hic n. XXI. XXII. ideo *Mercenarius.* n. XXIV hic. Alia eſt *ſpes*, ſive *deſiderium Dei propter ſe AMATI*, quo *amato* Deo *uniri, fruique* volumus. De quo intelligendum illud Apoſtoli: *cupio diſſolvi, et eſſe cum Chriſto.* Et illud Pſalmiſtae: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, et deficit anima mea in atria tua.* Item *Trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Indica mihi, quem diligit animo meo? Surge amica mea, et veni, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Liber Canticorum plenus eſt hujuſmodi deſideriis animae amantis ad Sponſum ſuum coeleſtem vibratis. Sed *haec ſpes*, hoc *deſiderium* eſt effectus *amoris Dei propter* ſe dilecti. Siquidem quo *ferventiore Charitate* homo proſequitur *infinitam Dei bonitatem*, eo *ferventiori deſiderio rapitur in ejus poſſeſſionem.* Cum tanta ſit humani cordis *amplitudo*, ut explere eam, et ſaturare ſolum *infinita bonitas*, quae Deus eſt, *queat*, juxta illud Auguſtini: *Feciſti nos Domine ad te, et inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Bonis hos amores, et deſideria, purae *concupiſcentiae*, et *charitatis* probe diſtingvunt Patres, illum ut *mercenarium*, et ſui commodi tantum ſtudioſum imperfectum habent; hunc unice commendant. Audiamus Auguſtinum *Serm.* 173 *cap.* 10. „*Aliud eſt timore poenam, aliud amare* JUSTITIAM. *Amor* CASTUS *in te eſſe debet, quo* DESIDERES *videre non coelum, non campos liquidos, non fulgores, nitoreſque gemmarum, ſed* DESIDERA VIDERE DEUM TUUM, *amare Deum tuum, quia dictum eſt*: videbimus eum ſicuti eſt. *Ecce propter quam viſionem fac bonum: ecce propter quam noli facere malum: ſi enim amas videre Deum tuum, ſi in hac peregrinatione illo amore ſuſpiras, ecce probat te Deus tuus, quaſi dicat tibi: ecce fac, quod vis, imple cupiditates tuas, non hic te punio, non te in gehennas mitto, faciam meam tantum tibi negabo.* SI EXPAVISTI, AMASTI. *Si hoc, quod dictum eſt, faciem ſuam negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam poenam putaſti*, GRATIAS AMASTI. Quibus verbis amorem *purae concupiſcentiae* coeli, et beatitudinis ejus mercenarium habet Doctorum Sol: amorem vero *caſtum* appellat Dei *in ſe, et nobis* copulative *Boni*: qui eſt *finis* noſter *ultimus*, et objectum magni praecepti charitatis. Conſpirat Meliſſuus *Serm.* 8. *de diverſis*: *Nunquid* MERCENARIUM *eum quis aeſtimet*,

Deſiderium ſpei, et charitatis diſtinguendum.

Ad Philip. 1. *v.* 23. *Pſal.* 44. *Cant.* 1. *v.* 3. 6. *Cap.* 2. *v.* 14. *Cap.* 8. *v.* 1. 2. *et ſeqq.*

met, *qui* PATERNAE *inhiat Haereditati? Eamque toto affectu expetit, et expectat? quam nimirum* FILII *mercedem esse, non mercenarii, Propheta testatur:* cum dederit, *inquit*, dilectis suis somnum; ecce Haereditas Domini, Filii merces Fructus ventris.,, et post paululum: *neque enim* SUUM *aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tanquam privato sui ipsius amore desiderat anima, quae ejusmodi est; Sed* TOTA PERGIT IN DEUM: *unicumque ei, ac perfectum desiderium est, ut introducat eam Rex in cubiculum suum, ut ipsi adhaereat,* IPSO FRUATUR. Haec igitur est *spes, ac casta concupiscentia amati*, quam *amor Dei inse dilecti* producit, animat, et perficit. Sicut *Virtutes omnes* a *regina charitate* splendorem accipiunt, ac perfectionem, ita potissimum *spes*, quae *sola* et in *peccatoribus esse potest*, sed *charitas sine spe esse non potest*, spes inquam a charitate ad Dei possessionem comparandam excitatur, et inflammatur. Si attritionistae hanc *spem charitate* animatam ad Sacr. poen. necessariam esse volunt, fateantur oportet, cumprimis necessariam esse charitatem Dei *propter se dilecti*; quae hanc *spem charitate formatam* praecedit, informat, et *inflammat. Ut omnes fatentur qui quietismum insectantur.* (a) At quum adversarii ad hoc Sacram. nul-

Concupiscentia serviliter servilis.

Simpliciter servilis:

Casta charitate aata.

(a) Ad Queitismum evitandum triplicem distinquamus concupiscentiam. Primam *interessatam*, et *serviliter servilem*, qua Deo *propter Bona* temporalia, vel *propter caelum* serviunt multi, *non servituri, si illa non daret*, nec promitteret. Haec est *Judaica*; qua carnales Judaei Deum diligebant: quos imitantur illi Christiani, qui *interprospera* Deo utcunque serviunt, tacti vero adversis in blasphaemias, murmura, et impatientias prorumpunt. Ut sperabat Tentator de Jobo cap. 1. v. 10. et 11. *non ne tu vallasti eum, et operibus ejus benedixisti? - - Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta, quae possidet, nisi in faciem benedixerit* (*maledixerit*) *tibi.* Quod non fecit Job, faciunt multi Christiani. *Altera* est concupiscentia *imperfacta*, *Simpliciter servilis*: qua ita desideramus coelum, et Deum *nobis* Bonum, ut non attinganius *in se Bonum*; praescindamus tamen ab omni affectu *ad peccatum*, et ab omni hypotheli, si Deus caelum non promisisset. Hic est amor spei Turnelianus, licitus ille quidem actus purae spei, sine tamen *ulla charitate etiam initiali.* 3tia Est Concupiscentia *casta charitate saltem initiali* animata, qua Deum diligendo *propter se* desideramus ut *Summum Bonum, se se nobis* comunicantem, atque ut *ultimum finem nostrum*, et beatitudinem nostram, qui nos propter se creavit, et nos SEIPSO beatificare vult juxta illud: *omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Hanc *mercedem*, hoc *praemium*, hanc *retributionem*, hoc *regnum* sperabant Sancti: hanc commendat unice scriptura: nempe visionem Dei *in se*, et *nobis* Boni juxta illud: *ego erò merces tua magna nimis. Videlimus eum,* SICUTI *EST.* Hic amor, *si perfectus* est, justificat: si *initialis*, disponit in Sacramento proxime ad justificationem: nobisque praecipitur maximo illo mandato: *diliges Dnum Deum tuum*, prioribus particulis *infinita bonitas*, per *TUUM* illa *nobis promissa*, et *nostra felicitas* exprimitur. Quare neque cum Turnelianis solam nostram felicitatem nobis unice hic et nunc propositam: neque cum Pseudomisticis Deum *in se Bonum*, sed *ad nos non pertinentem* respicere debemus: sed Deum *summe in se perfectum*, *nobis* tamen *sese misericorditer comunicantem* desiderare oportet. Atque hoc sensu eum ut *ultimum finem nostrum* Omnibus actionibus nostris spectandum esse cap. XIII. potissimum videbimus, ut huic *ultimo fini* alii fines subordinentur, atque ab illo dignificentur. Quod exemplo artificis vitam suam in labore transigentis illustrari potest: Laborat is *immediate*, ut opera sua pecuniam lucretur: *mediate*, ut pecunia sibi ad vitam necessaria procuret. Si hic sistit, se tantum amat, *ipse sibi ultimus finis* adaequate *est.* Quia laborem, et pecuniam tantum ad commoda sua, *ad se* inquam unice, totaliterque refert. Heu quot sunt tales etiam ex bene caeterum moratis Catholicis! Instruendi proinde sunt, ut *laborem*, et *pecuniam* illo meritam ulterius *ad Deum referant*, nempe: ut Divinae *ordinationi* eos in hunc statum ponenti *obsequantur*: ut *vitam*, valentudinemque suam *Dei servitio impendendam conservent*: ut his vitae adminiculis adjuti *Deo servire*, Deum *amare in vita*, *Consequi in patria* queant. Hic vitae, laborum, desideriorumque nostrorum debet esse finis. Si infra hoc aliquid actionibus nostris spectamus, non Deum, sed creaturam, nosmetipsos, nostrum commodum intendimus: in nos cadit illud 1. ad Cor 13. *si linguis hominum loquar, et Angelorum - - - charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* totus nempe scopus vitae nostrae esse debet *charitas* Dei *viae* proportionata: et eadem *charitas* Dei *in coelo* perfecta. Qui coelum, quin Deum *desiderantibus bonum pure concupiscunt*, similes sunt famelicis mensam Regis anhelantibus absque ullo benevolo in Regem eos refecturum amoris affectu. *Nolite errare Fratres mei dilectissimi!* Deus namque mensam suam tantum *diligentibus se paravit.* 1. ad Cor. 2. v. 9. ut ex dictis cap. 1. n. XXIX. not. XI vidimus.

ullam Dei charitatem, ne inchoatam quidem neceſſariam velint, ferree ſequitur, eos *informi ſpei amori* ut proximae diſpoſitioni in Sacramento poenitentiae juſtificationem attribuere. Qua in re ut fucum faciant imperitis, magnifico verborum apparatu quaſi novi aliquid, et aliis melius dicturi ſplendide primum de *amore* Dei *initiali ut neceſſario* differunt. Ut vidimus concluſione prima Tournelii h. n. I. Tandem tamen, dum ſe explicant, hunc *amorem initialem* ad ſpem reſtringunt. Hoc eſt: cum *ſolo, et informi ſpei*, et eum praecedente *amore concupiſcentiae* manent. Quod nemo vel rigidiſſimorum attritioniſtarum unquam negavit. Cum qui dolet ex metu gehennae, eo ipſo actu dolet de amiſſione beatitudinis, et amat, ideſt ſperat, deſiderat *Deum ut beatitudinem ſibi bonam.* Sed haec ſpes eſt *informis*, quia et *in peccatoribus* affectum peccati retinentibus reperibilis eſt. Qui *Deum ſibi bonum*, coelumque ſperare poſſunt, quin peccati affectum poſitive excludant. Quia inter *ſpem hanc*, et *peccatum* non datur *oppoſitio directa*, ſicut inter *amorem Dei propter ſe*, et *peccatum.*

IV. Imo vero Tournelius ipſam *ſpem* in juſtificatione Sacramentali debilitat, enervat, ac fere evacuat praemiſſis ſuis duabus concluſionibus. Evinco. Juxta S. Thomam 1. 2. q. 25. a. 1. *Spes ſupra deſiderium addit quemdam conatum, et quamdam elevationem animi fortem, ac firmam ad conſequendum bonum arduum.* Juxta Apoſtolum ad Rom. 4. v. 20. 21. 22. et ad Haebr. 6. v. 19. *Spem quaſi anchoram habemus animae* TUTAM, AC FIRMAM. Quia v. 18. *impoſſibile eſt mentiri Deum.* Ex quibus colligunt omnes Theologi, ſpem eſſe motum *efficacem*, et *praevalidum* ad alta tendentis, *ardua aggredientis*, omniaque *obſtacula devincere*, et *perrumpere conantis* invicti animi. Ergo et *deſiderium*, ſive *amor concupiſcentiae*, cui *ſpes* inhaeret, et qui hanc generat, et animat, *efficax*, *fortis*, *ardens*, *praevalidusque* ſit, eſt neceſſe. Alioquin ſi *amor concupiſcentiae*, qui velut cauſſa *ſpem praecedit*, et dirigit, *initialis*, *langviduſque* ſit, *ſpes* quoque, quae ſuccedit, *langvida*, *torpida*, et *inefficax* erit. Jam vero Honoratus Tournelius cit. h. n. I. prima concluſione *aliquem, ſaltem inchoatum, et initialem* dumtaxat *amorem* in juſtificatione Sacramentali requirit; huncque *aliquem, ſaltem inchoatum, et initialem amorem* concluſione 2. h. n. II. *ſpei* vocat, et *ſufficere* ſtatuit, ut vidimus. Ergo evidens eſt in ſyſtemate Tournelii SPEM ab *aliquo, ſaltem inchoato, et initiali* ipſam praecedente, generante, et animante amore purae concupiſcentiae excitatam, et cauſſatam non niſi *aliquam, ſaltem initialem*, et *inchoatam* eſſe poſſe, ac Tournelio in juſtificatione Sacramentali ſufficere debere. Cum tamen ut dicebam, ſpes juxta omnes Theologos *conans ad ardua, fortis*, et *efficax* eſſe debeat. Videant attritioniſtae recentiores, qui hunc Ducem ſequuntur, ne in Sacramentali juſtificatione exterminata per eos omni etiam *initiali charitate*, quin SPE *quoque* ENERVATA, et debilitata, cum *ſola*, et *informi fide* cum haeterodoxis maneant!

Spes debet eſſe firma, non initialis.

V. Reſpondet Tournelius a 3. in ſolut. object. contra 2dam concluſion. *Amorem illum* (ſpei) *incipientem appellari, tum quia ab eo ad amorem vere charitatis homo gradum facit: tum quia non ita perfectus eſt, ac amor verae charitatis.* Sed haec difficultatem non ſolvunt, ſed involvunt. Nam ad 1mum: Si Tournelius intelligit, *Ex amore ſpei ad amorem verae charitatis* INITIALIS ACTUALIS ad juſtificationem neceſſariae *hominem gradum facere*: tunc ruit concluſio ſua 2da *Ad juſtificationem in Sacramento poenitentiae ſufficere ſtatuens amorem ſpei.* Si autem intelligat, *ex amore ſpei hominem gradum facere ad amorem verae charitatis* HABITUALIS, ita ut *amor ſpei* ſit *diſpoſitio ſufficiens* in Sacramento ad conſequendam *charitatem habitualem*, tunc falſa erit ſua concluſio 1ma praeceptis *verae charitatis* ab eodem probata, quod homo juſtificandus in Sacramento

dili-

diligere incipere debeat Deum tanquam omnis justitiae fontem. Falsa erit magnifica illa contestatio Tournelii identidem confitentis, praeter *fidem*, et *spem* ad justificationem *aliquam Dei dilectionem* requiri. Ad 2*dum* dico: *amorem spei* (nisi illum Tournelius extenuet) *in sua Linea* ita perfectum esse, sicut charitatem *in sua*. Imo cum homini conaturale sit in bonum suum ferri, et rapi, spes plerumque ardens, et perfecta est. Si autem Tournelius intelligat, amorem spei ideo esse *initialem*, quia disponit ad *habitualem charitatem* in Sacramento, hoc sensu nego spem ullam vim habere ad proxime consequendam habitualem charitatem: Nam teste Tridentino sess. 6. c. 8. *Nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera,* ergo nec spes, *ipsam justificationis gratiam promerentur,* aut *ad eam proxime disponunt* praeter charitatem. Nam *dispositio proxima* debet esse *ejusdem speciei cum eo, ad quod disponit.* Id solum verum est ex Tridentini sess. 14 cap. 4*ti* posteriori parte, quod attritio formidolosa, ita et amor spei DISPONAT *ad gratiam charitatis initialis actualis* impetrandam, haec vero *initialis charitas* in Sacramento ad *gratiam habitualem*, ut suo loco explicabimus, et probabimus. Igitur vel fateatur Tournelius hanc *initialem charitatem* ad Sacramentum necessariam, vel agnoscat se dum amorem *initialem* ad Sacramentum requirit, eumque *amorem spei* vocat, *spem ipsam extenuare, enervare,* ac propemodum *evacuare.*

Responsiones Tournelii refelluntur.

VI. At enim proculdubio Tournelius tam graves, tamque urgentes adducit rationes pro suo *amore spei* in Sacramento sufficiente, ut haec nostra argumenta penitus evanescant? Imo vero confirmantur, et consolidantur. Ostendo. Celeberrimus Theologus 2*dam* suam conclusionem superius descriptam his verbis probat: *Ex dictis hactenus sequitur, nec indiget ulteriori probatione.* (a) Subsisto hic, et assumo pro me.

Et argumenta P. Antoine.

(a) P. Antoine *De Contritione a.* 8 pro *amoris spei* in Sacramento *sufficientia* sequentia adducit momenta: 1. Ex institutione Sacramenti poen. *Joan.* 20 Sacerdotes vere absolvunt poenitentes a peccatis. At si requiretur vera, et proprie dicta contritio charitate orta, hac semper remitteretur peccatum; ac proinde Sacerdotis absolutio nunquam illud delere posset; nec poenitentia esset Sacrm. *mortuorum*, sed *vivorum*. go debet sufficere *amor spei*. 2. Omnis contritio ex *amore Dei propter se super omnia* concepta, etsi sit in gradu remisso, per se ante Sacrm. justificat: est enim charitas perfecta: Habens totam essentiam charitatis in *apprehensione*, et *motivo propter se* sitam: unde *intensio* est quid *accidentale* actui. Actus enim duo habentes idem objectum *materiale*, et *formale*: e. g. duo actus *fidei*, et *spei* diversae intensionis sunt ejusdem *essentiae*, et *speciei*. go et *ejusdem efficaciae*. 3. Si ad Sacram. poen. requiratur contritio aliquali charitate animata, moribundi hac ante Sacram. justificabuntur, consequenter perire nunquam poterunt. At Conc. Tridentinum sess. 14. cap. 7. Causs. 26. q. 6 can. *si Presbiter*. Coelestinus I. epist. ad Eppos provinciae Viennensis. Augustinus epist. 180 ad Honorat. Maxime solliciti sunt, ne moribundi defectu Confessariorum pereant. go supponunt amorem spei *extra Sacram.* non justificantem *in Sacram.* sufficere. 4. Tridentinum sess. 14. cap. 3. docet contritionem *generatim* sumptam esse materiam Sacramenti; quam cap. 4. mox dividit In contritionem *charitate perfectam*, et *attritionem* Servilem. go utraque est *materia* Sacramenti. 5*to*. Tridentinum eadem sess. cap. 4 ait, Contritionem *aliquando* tantum esse charitate perfectam, et *tunc* justificare ante Sacram. go contritio, quae in Sacramento ordinarie justificat, est imperfecta; sive amor spei. 6*to*. Idem Conc. sess. 7. in praemio asserit, quod per Sacramenta Ecclesiae *omnis vera justitia vel incipit, vel caepta augetur, vel amissa reparatur. et ibi can. 6to, et* 8: Sacramenta *continent gratiam, quam significant, eamque ex opere operato causant.* quae omnia falsa essent, si ad Sacramenta *baptismi*, et poenitentiae requireretur contritio perse justificans. Porro cum totum systema *amoris spei* innitatur opinioni asserenti *minimam intensione charitatem, eaque animatam contritionem per se ante Sacram. justificare*; placet addere rationes Patris Antoine, ex *a.* 5. *de contritione.* §. 2. quibus hanc opinionem urget. Ait enim 7. Scriptura, et PP. *charitati* absque distinctione inter *perfectam*, et *remissam*, justificationem, et remissionem peccatorum tribuere. 8. intorquet in nos Bajanas propones. 9. Laudat Angelicum in 4. Dist. 17. q. 2. a. 5. docentem: *quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* 10. Addit rationes. Tum quia charitas remissa justificat in

me. Quin e prima concluſione h. n. I. Tournelii ſequitur, 2dam ejus concluſionem. n. II. de *ſufficientia amoris ſpei* penitus falſam eſſe.

caſu neceſſitatis. go et ordinarie. Tum quia valde eſt *proportionata* diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum, et charitatem habitualem, avertens hominem a Creatura, et convertens ad Deum. Haec praecipua ſunt argumenta *Speiſtarum*, et *Serviliſtarum*; quae in antiquitatibus Ante-Tridentinis nullum fundamentum habent; quin exiis ſolvi plene poſſunt, ideo manifeſtum ſit, ea ad Sacroſanctam antiquorum doctrinam reformandam tardius ab attritionistis eſſe adinventa. Quamquam vero de iis in ſequentibus cap. multus nobis ſermo futurus ſit, placet tamen ad ea hic in cumulo breviter ex jam dictis reſpondere. Itaque quod 1 erat: C. M. n. m. cap. enim 1. n praeſertim XVI. et XVII nube SS. PP docti ſumus, *vivificationem imperfectam* ope *charitatis initialis* cauſſatam ſtare debere cum *vinculi* reatus *Sacerdotali abſolutione* vere, ac primo *ſolvendis*. Rem omnem Angelice exponit Doctor Angelicus ibi legendus. Ad 2*um*. Nego charitatem remiſſam ante Sacramentum juſtificare: eo ipſo enim, quod *veteres* ad Sacramentum *charitatem aliquam* requiſiverint (recole c. 1. n. II. II. IV Navarrum. Joan. Nider. n. V omnes. n. XI Alenſem, Angelicum. n. XII. Scotum. Paludanum. Joan. Bacho. Pariſienſem, Bonaventuram. XIII. Argentinenſem, Gerſonem, Bernardinum, Vorillonium, Echium, Vivaldum, Conc. Colonienſe. n XIV. et XV. praecipuos Eccleſiae Patres) ignoraverunt, omnem, initialem, et remiſſam charitatem perſe ante Sacr. juſtitiam habitualem operari. Ad rationem additam, quod charitas *remiſſa* ſit charitas *perfecta* habens idem objectum materiale, et formale cum *perfecta*, quaero: an *mane* reſpectu *merediei* (qua inſtantia utitur cap. 1. n. VIII Paludanus) aut *calefactio* ad *arſionem*, *illuminatio* ad *irraditionem*, *crepuſculum* ad *lucem* (qua ibi n IX Pariſienſis) aut *aurora* reſpectu *merediei* (qua ibi Angelus a Clavifio) an inquam haec *initia* idem *objectum* habentia cum *finibus* ſuis praedictis ſint *perfecta?* Affirmabis proculdubio *in ſe*, et in *ſuis objectis*: negabis ratione *finium ſuorum*, ad quos tendunt. Ita diſcurrimus de charitate *remiſſa*, et *initiali*, *perfectam* eſſe concedentes in *ſuo objecto* eodem cum perfecta: negantes *vi*, *efficacia*, *et energia ſua* cauſſandi perſe juſtificationem. Ut enim *aurora* nequit cauſſare plenam lucem, niſi augeatur, ita initialis charitas. Ex quibus paritatibus una perſpicis, quid ſentiendum ſit de illa ppone: *intentio eſt quid accidentale actui*: in *ſuo eſſe phiſico*. Conc. in *eſſe cauſſae*, et in *producendo certos effectus*. Nego. Sic *ſcintilla* ejusdem eſt ſpeciei cum *igne*; nec tamen comburit lignum viride, niſi augeatur. Quod in *phiſicis*, aeque in *moralibus* veriſſimum manet. Sic, ut vidimus cap. 1, n. XII not. ad Pariſienſem, Pater Lunatici Marci 9. v. 23. Sanitatem Filii, quam *imperfecta fide* non potuit, *perfecta* impetravit. Falſiſſimum igitur eſt, quod *duo actus ejusdem ſpeciei* ſint ejusdem *efficaciae* ſive in *phiſicis*, ſive in *moralibus*: cum potiſſimum charitas quaevis non *natura* ſua, ſed *miſericordia* Dei cauſſet juſtificationem cap. 1. n. XVIII. eam vim *initiali* charitati non videtur poenitus conceſſiſſe Deus, ſi veteres Doctores, et PP. ibi laudatos, ut debemus, audiamus. Ex quibus ſuapte corruit, quod 3. loco objectatur. Ex Auguſtino ad Sacram. poen. *charitatem* verbis cubitalibus requirente: cap. 1. n XV. et tamen in abſentia miniſtrorum de ſalute moribundorum trepidante ferree ſequitur, ignotum ei fuiſſe, quod attritioniſtae hodie tanta fiducia jactant de omni charitate *perſe* juſtificante. Idem eſt de aliis PP. Ad 4*tum*: Rotunde negamus figmentum illud de *contritione* GENERATIM *ſumpta*. *Contritionis* enim vocabulo *dolorem charitate animatum* intellexiſſe omnes uſque ad natos attritioniſtas, evincimus cap. 1. not. ad n II. Igitur Tridentinum quoque ſeſſ. 14. cap. 3. more *Majorum* contritionem charitate formatam pro materia Sacramenti poen. ponit. quam initio cap. 4. explicat. in medio ejusdem cap. aſſerit eam aliquando *perfectam* eſſe, et ante Sacramentum juſtificare. In fine cap. ejusdem agit de *attritione ſervili*, quam non materiam Sacram. ait: ſed *diſponere*, et introducere charitatem actualem (exemplo Ninivitarum) Sacramento neceſſariam. Hunc ſenſum Tridentini quicumque non admittit, fateri cogitur ſumma cum injuria in Generale Concilium, quod Organum Spiritus Sancti communem (ut ex cap. 1. patet) omnium ante ſe Doctorum ſententiam deſeruerit, et prodiderit. Audiamus unum Echium mentem Eccleſiae Ante-Tridentinae ita exponentem l. 1. de poen. c. 5., Vel fallitur Lutherus, vel vult fallere Catholicos. Fatentur enim hoc *CATHOLICI* cum S Paulo: *ſi quis charitatem non habuerit, nihil eſſe. Fatentur, ſi quis vellet Stare in timore ſervili tantum, quod VERAM POENITENTIAM NUNQUAM ADIPISCERETUR. Sed perhoc non probat Lutherus, cum timor ſit initium poenitentiae. Volumus ſolum, quod timor poenae valeat AD PARANDAM POENITENTIAM! quia timore CONCIPITUR:* et ita *timor ſit initium poenitentiae. NEMO CATHOLICUS VULT TIMOREM ESSE POENITENTIAM.* Haec malleus Lutheri Echius recte Ante-Tridentinum Conc. Quibus commentum *contritionis ſeuevatim ſumptae a Tridno pro materia Sacramenti poen. declaratae*, et quae inde male ſuſtentantur, *attritionis ſervilis*, et *amoris ſpei* poſterius conſarcinata ſiſtemata poenitus convelluntur. Conf. c. 1. n. XXXVI. et

Evidens enim est, in textibus Sacrarum Litterarum a Tournelio pro 1*mae* Conclus. probatione adductis sermonem esse de magno *charitatis Divinae*

---

seq. Ad 5*tum*. Nego illatum. Jam enim c. I. et II docuimus, *charitatem imperfectam*, sive initialem necessariam esse Sacramento, quum perfecta deest. De amore *spei* nemo veterum meminit, nisi rejiciendo ejus in Sacramento sufficientiam. Conf. ex cap. 1. n. VIII Joan. Nider. n. XII Robertum de Sorbone. n. XIII. S. Bernardinum Joa. Daventria. Albertum Pighium, S. Thomam de Villa nova. quorum auctoritate omnis spes *spei*starum in ventum abit. ad 6*tum*. Ea omnia plene salvantur initiali nostra charitate, ut ad 2*dum* diximus. ad 7 Eadem scriptura, et PP ad justificationem *Sacramentalem* requirunt charitatem. cap. 1. a n XIV usque XXII. ad *extra Sacramentalem* charitatem *intensam*, *acrem*, et *vehementem*. cap. IX a n. XII usque XX. Igitur ut haec duo salvemus, scire oportet, quod scriptura, et PP non *omnem in singulis textibus de charitate doctrinam* tradant; verum in quibusdam locis VIM, ET EFFICACIAM; in aliis vero textibus CONDITIONES, MODUM, INTENSIONEM charitatis exprimunt. Sic Prov. 8. v. 17. Ezech. 18. et 33. 1. Petr. 4. Joan. 14. 1. Joan. 4. ad Rom. 13. v. 10. ad Colos. 3. v. 14. et multis aliis locis *indefinite*, *et illiminate* exprimitur VIS, ET EFFICACIA charitatis. At ne forte erremus OMNI charitati per se vim *justificandi* tribuentes, aliis locis clare explicatur, *qualis*, et *quanta* debeat esse charitas *per se* justificans: ut Deut. 6. v. 5. *ex toto corde*, *tota anima*, *tota fortitudine*. Math. 22. v. 37. addit *in tota mente*. Marci 12. v. 30. *ex tota virtute tua*. Lucae 10. v. 27 *ex omnibus viribus tuis*. Quin negatur justificatio charitati *sine his conditionibus*: ut Deut. 4. v. 29. *Cum quaesieris Dominum*, *invenies eum*; SI TAMEN *toto corde quaesieris*, ET TOTA TRIBULATIONE ANIMAE TUAE. Sic 3. Reg 8. v. 48. 49. Jerem. 6. v. 26. *Luctum unigeniti fac tibi*. Amos 8. v. 10. Zach. 12. v. 10. Nahum 2. v. 7. exigit *genitum columbae*. Quis igitur salutis suae studiosus *omni charitati sine ulla distinctione* (quod nec scriptura, nec PP asserunt) per se justificationem tribuat? ita loquuntur et SS. PP. ut suis locis videbimus. Repones: Praefata scripturae, et PP. Oracula *appretiationem* dumtaxat exigunt: secus 1. requireretur intensio *humanitus summa*. 2. Semperque anxii foremus de charitate nostra. Cum 3. Intensio necessaria explicari nequit. go frustra asseritur. R. Exigunt appretiationem *speculativam*. N. *practicam* intellectus, et voluntatis *respectivam* omnibus amoribus nostris tam licitis, quam illicitis extra Sacram. *Effective*, in Sacramento *affective* majorem cap. IX n. XI. et X II explicandam. Conc. Quae ipsa est *intensio* a nobis requisita. Sequelam 1*mam* negabimus cap. IX. n. IX. *ejus* enim viator capax non est, cum quaevis charitas semper possit fieri major. Ut ibi videbimus. Ad 2. *Anxii* quidem esse non debemus, sed nec *certi* de charitate nostra esse possumus. Unde Ecclesia nulli lapsorum mortaliter lapsorum, *quantumcunque contritus videatur*, indulget comunionem sine *praevia Confessione*: Sacerdotibus vero *necessitate urgente* celebrantibus praecipit, ut *quamprimum confiteantur*. Tridentinum Sess. XIII cap. VII. an haec certiora sunt apud adversarios? Heu quoties nobis utrique blandimur de svavitate, de appretiatione summa charitatis nostrae! quum interim ea omnia evanidas, et inefficaces fuisse velleitates, proximus e levi tentatione relapsus invincte docet. Jam cap. I. n. XII not. ad Parisiensem observavimus, Deum *conantibus* perfectionem, et intensionem charitatis non denegare. Quod 3*tium* erat, intensionem charitatis clare explicat Catechismus Romanus de poenit. §. 36 statuens, ut contritio illa animata extra Sacrament. justificans *acris*, *vehemens*, adeoque *intensa* sit, *ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine conferri possit*; sive ut Richardus Attrebatensis cap. V. n XXX citandus ait: *adeo sit vehemens, ut aliquo modo aequet illum libidinis aestum, quo flagitium perpetratum est*. cui ex PP. plures dabimus suffragatores cap. IX. et passim alibi. Insurgit P. Antoine: praefata Catechismi verba *manifestam exaggerationem continere*: idque probat ejusdem Catechismi §. 37: Ubi etiam minus efficax contritio *vera esse posse* dicitur. 2. Ex §. 34 sic loquente: *ipsa contritio nunquam Deo grata, et accepta esse non potest. Nam inquit propheta*: cor contritum, et humiliatum Deus non despiciet. *Quin etiam statim, ut eam mentibus nostris concipimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui, Prophetae verba declarant: dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti injustitiam peccati mei*. Dein si minus intensa charitas justificat *in casu necessitatis*, cur non *ordinarie?* Haec Antoine, quae sane manifestum continent erga privatam opinionem suam partialitatis studium. Videbimus enim cap. IX, declarante Clemente XIII Catheciſmum continere *doctrinam* COMUNEM *in Ecclesia*, PROCUL AB OMNI PERICULO ERRORIS, *palam* POPULO TRADENDAM. Ergo in eluctabilem ejus auctoritatem *manifestae exaggerationis* scomate eludere, est insolubilem nodum Gordium audacter dissecare. Neque dictam elusionem vel tenuiter juvant adjectae ratiunculae: §. enim 37 ociectus agit de contritione *Sacramentali*, ideo *remissiori*. §. 34 jugulat *remissae contritionis* efficaciam. Haec enim qualis esse debeat? Explicat testimonio Coronati Vatis: at hujus contritionem oppido intensam fuisse, docent illa Ps. 6.

Tournelius textus charitatis pro Sacramento usurpat.

Divinae praecepto. Hoc quicunque negare auſit, exterminat, et evacuat magnum charitatis mandatum, negat univerſam legem, et Prophetas; Scriptum eſt enim: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis Univerſa lex pendet, et prophetae.* Si hoc Oraculum: *Diligens Dominum Deum tuum*, et alia, quae Doctor Sorbonicus pro 1ma Concluſione ſua adſert, veram Dei *propter ſe* charitatem non praecipiunt, nullum eſt in univerſa Sacra Scriptura teſtimonium, quo Deum *propter intrinſecam ſuam Excellentiam vera, et ſtricte tali charitate amare jubeamur.* Igitur ex his textibus de *charitate Dei* plane loquentibus ineluctabiliter, et invincibiliter ſequitur, *amorem ſpei* in juſtificatione Sacramentali (ad quam illos textus adducit Tournelius) penitus non ſufficere. Imo recte contrarium, amorem *initialem ſaltem* charitatis neceſſariam eſſe.

Qualis hic reſtrictio admitti poſſit?

VII. Vidit Doctiſſimus vir gravem hanc difficultatem. Ideo eam levigare, aut declinare ſtuduit, poſt auctoritates ſaepe dictas ſcripturarum pro prima concluſione adductas haec ad verbum ſubjungens: *Scio quidem, ſcripturae teſtimonia, ſi ad litteram urgeantur, non imperfectum modo, ſed etiam perfectum, ac verae charitatis amorem Dei, et converſionem peccatoris extra Sacramentum exprimere. Verum illa cum aliqua reſtrictione, et accomodate ad efficaciam Sacramenti poenitentiae debent exponi; ita ut contritio perfecta ex amore perfecto neceſſaria ſit ad gratiam juſtificationis extra Sacramentum obtinendam: imperfecta vero ex amore Dei non ita perfecto ſufficiat cum Sacramento, quod inſtituit Chriſtus in ſubſidium infirmitatis humanae.* At his ſane non ſolvit difficultatem. Etenim, nomine *amoris Dei non ita perfecti* vel intelligit amorem *initialis charitatis?* vel *ſpei*, et purae *concupiſcentiae*, quae eſt fundamentum ſpei? Si primum noſtram ſententiam ſequitur. Sed tunc deleat ſecundam ſuam concluſionem de *amoris ſpei ſufficientia*. Si ſecundum: prorſus non ad rem citat textus ſcripturae de amore charitatis, et non purae concupiſcentiae hactenus ab Eccleſia Dei conſtanter intellectos. Ediſſerant nobis attritioniſtae Tournelii in hoc ſequaces! quis unquam SS. *Patrum*, aut *celebrium Theologorum* illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* de *amore purae concupiſcentiae*, et non *verae charitatis* intellexit? et quia id non oſtendent in aeternum, velint, nolint, fateri coguntur, oraculum illud amorem verae charitatis praecipere, nec proinde ex illo ſufficientiam amoris ſpei extundi poſſe, ſed *initialis ſolum amoris verae charitatis* pro Sacramento poenitentiae *propter hujus efficaciam*, et Tridentini deciſionem: *illumque tanquam omnis, juſtitiae fontem diligere* INCIPIUNT.

VIII. Deinde praefata Tournelii reſponſio verbis quidem tectis, ſed ſubinde, potiſſimum 2da concluſione ſua ſatis manifeſtatis hoc vulti citatus textus: *Diliges* Dominum Deum tuum, et alii ejus commatis

---

v. 7. *laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrimis meis ſtratum meum rigabo.* Pſ. 37. *Rugiebam a gemitu cordis mei: dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum non eſt mecum.* Pſ. 101. *Cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miſcebam. Ego ſicut faenum arui.* Quod additur de caſu neceſſitatis, et ordinario, nos in hoc nihil diſtingvimus. cap. 1. n. XII not ad Pariſienſem. Caeterum, Antoine *de contritione a.* 5. §. 3. *obj.* 12 admittit, Contritionem *ſine magno peccatoris conatu* eſſe non poſſe *appretiative ſummam*, ideo contritionem charitate perfectam *magnis peccatoribus* non ineſſe, quin ſit etiam *valde vehemens, et intenſa.* Quod ſolum volumus. Nam in iis, qui ſalutis magnam curam gerunt, flammas veteris charitatis faciliori conatu reaccendi, ſi forte extincta humana fragilitate ſit, non negamus. cap. IX. n. XV. Ad 9*num* Reſponſum habes cap. II. n. XV. Ad 10*mum* jam diximus, remiſſam charitatem in caſu quoque neceſſitatis augéri debere, ut perfecta, et per ſe juſtificans ſit. Ex altero ſequitur dumtaxat, charitatem remiſſam *in Sacramento* neceſſariam eſſe diſpoſitionem eo, quod *proportionem* habeat ad charitatem habitualem. Haec clariora fient ex dicendis potiſſimum cap. IV. et IX. Hic compendio dumtaxat ſolvere voluimus adverſariorum argumenta, ne illis nimirum fidant illi, qui libris melioribus deſtituti ſunt.

extra Sacramentum significant *veram charitatem*, *in Sacramento* poenitentiae *amorem concupiscentiae.* Audio, sed non capio! ideo rursum urgeo attritionistas, ut mihi ostendant, ubi scriptum sit, illum, et similes textus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: *Extra Sacramentum* significare *veram charitatem Dei? in Sacramento amorem concupiscentiae*, sive spei? Spem a charitate per diversum objectum formale specie distinctam esse scio: alia item esse praecepta spei, alia charitatis, novi. Sed in uno hoc textu: *Diliges Dominum*: *Extra Sacramentum charitatem*, *in Sacramento spem*, *et ejus amorem* tantum praecipi, ita, ut non praecipiatur *charitas* in eodem textu contenta, hoc misterium est attritionistarum, initialis amoris studiosis absconditum!

IX. Sed enim, subjungit Tournelius, *illa* scripturae oracula *cum aliqua restrictione*, *et accomode ad efficatiam Sacramenti debent exponi:* haec ne est *aliqua restrictio*, et *accomodatio?* mutare objecta praeceptarum virtutum? mutare sensum scripturae a Spiritu Sancto de vera charitate intellectum? ad opiniones nostras fulciendas novos, ac hactenus inauditos Divinis litteris sensus fingere? charitati concupiscentiam, amori spem substituere, ut textus scripturae invita omni antiquitate firmandis cogitationibus nostris accomodati deserviant? Si *restrictione* opus est, illa *intra eandem speciem*, intra *idem objectum charitatis* fiat oportet. Nam praeceptum *charitatis* ad aliam virtutem *spei*, et *concupiscentiae* restringere, *mutare est virtutem praeceptam essentialiter:* mutare est sensum verum scripturae ad alienum, a Spiritu Sancto non intentum. Si *restrictione* opus est, eam jam nobis fecit Tridentinum praecipiens, ut in Sacramento *incipiamus* Deum diligere *initiali illa charitate*, quae dum *perfecta est*, ante *usum* Sacramenti, sed *cum voto ejus* justificat. Ultra hanc nulla hic restrictio fieri potest sine detorsione sensus a Spiritu Sancto intenti.

X. Quod autem innuit Tournelius, se violentas has textuum scripturae *restrictiones*, atque a proprio sensu ad suam opinionem *accomodationes* facere propter efficaciam Sacramenti poenitentiae; repono: Tametsi MODUM *charitatem* Dei cum *vi clavium* componendi ignoraremus, non propterea textus scripturarum ad sensus a Spiritu Sancto non intentos, atque a comuni Ecclesiae intellectu alienos restringere, aut accomodare, hoc est, ut, quod res est, dicamus, detorquere possemus. Multa enim in misteriis fidei *quoad modum* ignoramus: ut quomodo Trinitas Personarum in unitate naturae Divinae subsistat? quomodo salva sit Libertas humana cum gratia efficaci? et in similibus ignorantiam fateri summis quoque Theologis tanto majori laudi est, quanto in maximis laudabilior est humilitas. Sufficit nobis scire ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 4. *contritionem*, dum *perfectam esse* contigerit, *Ante* quidem, sed *cum voto Sacramenti* reipsa suscipiendi justificare. Ex quo certissimi efficimur, *quamcumque ardentissima*, tanto *magis initiali charitate formatam Contritionem* Sacramento poenitentiae *non praejudicare*, imo illo Casu per Sacramentum *Gratiam sanctificantem*, *securitatem Conscientiae*, et spiritus *suavitatem*, ac *dulcedinem* mire Augeri. De *modo* perfectam Contritionem cum vi clavium componendi c. IX a n XXXII eas dabimus verosimilitudines, quae metum omnem ex hoc Capite natum attritionistis eximere debent.

XI. Ait quidem Tournelius post conclusionem 2am, *Charitatem in quocumque gradu* hominem Deo *reconciliare.* At hoc quotiescumque cónsidero, semper mihi magis, magisque paradoxum videtur. Speroque ita visum iri omnibus, quicumque solutiones saltem nostras praecipuis Adversariorum h. not. ad n. VI argumentis datas libera

a praejudiciis mente evolverint. Ne tamen interea quoque ſuſpenſi animo maneant, recolant quae ex Benedicto XIV Cap. 1 n. 1 jam vidimus, *Omnes Theologos Ante Tridentinum attritionis Nomine nunquam dolorem intellexiſſe aliunde excitatum, quam ex motivo Charitatis initiali, et benevolo.* Recolant totum Caput Primum, et ſecundum: ubi ex omni antiquitate evidentia protulimus charitatis in Sacramento poen. neceſſariae argumenta. Reflectant ſe ad SS Patres, ad Concilia, ipſumque Tridentinum, et Catecheſim ejus: Omnia haec docent, *contritionem, et virtutem poenitentiae materiam* eſſe *Sacramenti poenitentiae.* Et ita docent ante natam opinionem attritionis mere formidoloſae, et amoris ſpei ab iisdem eoipſo praefocatam. Docent ergo, *charitatem Dei aliquam* incipientem, quae eorum ſenſu *contritioni ineſſe debet*, impium ante uſum Sacramenti Deo non reconciliare. Niſi itaque omnem *antiquitatem* ejuremus, niſi obſcuram *auroram diem*, niſi *ſcintillam exurendo viridi ligno aptam* dicamus, nec *initialem charitatem ſine Sacramento juſtificando impio parem dicere poſſumus.* Sed de hoc multus nobis ſermo deinceps quoque erit potiſſimum cap. X. et XI.

XII. Accedit his teſtimonium luculentum Tournelii (libenter enim utimur argumento e domo adverſariorum hodierni Ducis) qui cit. q. 5. a. 2. ingenue confitetur, *Tridentinum nihil definiviſſe de ſufficientia attritionis ex ſolo poenarum timore conceptae.* Jam obſervavimus, timorem gehennae includere ſpem beatitudinis. Quo ſuppoſito infero: ergo ruit *certitudo illa moralis*, quam ex *definitione Tridentini attritioniſtae* hactenus *magna cum fiducia*, ſed *nullo fundamento* jactarunt. Item infero: Ergo *nulla eſt neceſſitas* ad AMOREM SPEI *reſtringendi textus ſcripturae Charitatem Dei luculenter praecipientes. Nulla eſt neceſſitas vocem ipſam* AMORIS SPEI in Theologia *BARBARAM*, ut ait Billuart. *heri privatim natam*, nullo *Concilii Generalis*, aut *SS. Patrum uſu conſecratam retinendi*: Nulla eſt neceſſitas claram Tridentini definitionem: *illum tanquam omnis juſtitiae fontem diligere incipiunt*, contra vim praecedentium verborum ſpem prius diſtincte exprimentium *ſuperflua*, et Sacroſancto Concilio *indigna repetitione AD SPEM reſtringendi*, iiſque *amorem concupiſcentiae* ad arbitrium ideo duntaxat intelligendi, ut quoquomodo *exulet* a juſtificatione Sacramentali *omnis initialis charitas:* ut *regnet attritionis* formidoloſae nuper inventa opinio.

Fatetur Turneli, Trident. nihil definiviſſe deſufficientia attritionis.

XIII. At enim, inſurgit attritioniſta, nec *initialis charitatis neceſſitatem definivit Tridentinum.* Fateor per *claram*, *et expreſſam definitionem.* Neque enim id fuit neceſſarium; cum teſte Benedicto XIV Sententia *initialis charitatis* Ante-Trident. in *omnium Theologorum animis regnum tenuerit.* conf. cap. I. n. I. et ſeqq. Quin et in Concilio Tridentino, loquitur Pallavicius L. 12. c. 10: *Aliquod duntaxat veſtigium comperio opinionis negantis neceſſitatem amoris in iis, quae Granatenſis diſputavit.* Ut cap. 1. n. XXXVIII vidimus. Unde etiam elucet, in Tridentino duos tantum Antiſtites extrema tenuiſſe: Granatenſem (an ex ſua opinione? aut tentaminis cauſſa? incertum) pro attritione formidoloſa *diſputaſſe:* Tudetanum *una cum ſuis* pro perfectae cuntritionis neceſſitate decertaſſe. Patres reliquos omnes *mediam viam iniviſſe, amorem* nec *perfectum*, nec *nullum*, ſed *initialem*, et *inchoatum neceſſarium ſtatuendo.* Cujus ſane doctrinae luculentiſſimum teſtimonium eſt praeter Canonem 3. citatum illud Trid. pro quo hic in evidentem lucem ponendo depugnamus: *illumque tanquam omnis juſtitiae fontem diligere incipiunt:* Idque etiam judicio Tournelii, conclus. 1ma ſaepius cit. exclamantis: *En amor initialis, ſeu inchoatus, et imperfectus, quem Synodus requirit ad juſtificationem* (inferius illico intelligit: *tum in Sacramento, tum extra Sacramentum*)

PP. Tridentini ſtabant pro neceſſitate charitatis initialis.

perinde, ac actus fidei, et ſpei: quos neceſſario praerequiri nemo negaverit. Quid moramur evidentiam cauſae noſtrae? Tournelio teſte Tridentinum *perinde requirit amorem initialem*, ac actus *fidei*, *et ſpei*. Ergo *amorem* hunc *initialem* requirit *ultra*, et *ſupra actus fidei, et ſpei*: ergo *amor* hic *initialis* non eſt actus *ſpei*, aut praecedens ſpem *amor concupiſcentiae*, ſed ſequens *actum fidei*, *et ſpei* amor *initialis tertiae virtutis Theologicae charitatis*. Refert dein Tournelius, illas particulas: *illumque tanquam* etc teſte Pallavicino adjectas fuiſſe urgentibus Theologis, *ne, ſi poenitentia tota eſſet ex timore, ſine amore JUSTITIAE, et non PROPTER DEI OFFENSAM, infructuoſa eſſet*. Ergo ex mente Theologorum Tridentinorum, *ſi poenitentia ſit ex timore*, et *ex timori connexa ſpe beatitudinis*, eamque praecedente *amore concupiſcentiae*, et *non progrediatur* ultra ad *amorem JUSTITIAE*, et *dolorem PROPTER OFFENSAM DEI* (qui eſt contritio charitate formata) *infructuoſa erit*, conſentiente hic Tournelio. Qui his addit Dominicum Soto in hac ipſa ſeſſ. 6. Oratorem Concilii, et L. 2. de natura, et gratia c. 13. teſtantem, Synodi mentem fuiſſe declarare, *ACTUM DILECTIONIS DEI, ſicut fidei, et ſpei natura debere antecedere gratiam habitualem, ſeu Sanctificantem*. Ergo *amor initialis* praecedens gratiam habitualem non eſt *Spei*, ſed *ſicut fidei, et ſpei*: ergo *charitatis initialis*. Ergo judice ipſo Tournelio *fontem juſtitiae diligere incipere* eſt *amor initialis charitatis*. Nihilominus

Aliae difficultates Turnelii

XIV. His ſuis argumentis pro ſaepius dicto Tridentini decreto de *initiali charitate* intelligendis, ne illa ineluctabilia ſint, Art. 2. l.c. haec opponit Tournelius: Primum. Dubium adhuc, eſſe ait, an Concilium requirat amorem *charitatis, aut ſpei?* quia Concilium non exprimit *motiva dilectionis*, an ſit Deus, quatenus *fons omnis juſtitae?* An *quatenus in ſe abſolute juſtus* eſt? Secundo: dubium eſt: an requirat amorem *ſuper omnia*? An eo minor ſufficiat? Ut advertit Andreas Vega L. 6. c. 29: *Synodus* inquit, *non ſtatuit hoc loco, an dilectio Dei, quae diſponit ad juſtitiam, ſit ſuper omnia. Temperatum eſt prorſus a verbo SUPER OMNIA, tantumque eſt definitum, dilectione Dei diſponi peccatores ad juſtitiam*. Tertio: dubium eſt, an Tridentinum loquatur de juſtificatione *in*? vel *extra* Sacramentali? Quarto: a Concilio addi: *poenitentes moveri adverſus peccata per odium aliquod. Non per odium perfectum, quod ſit ex charitate*. Quinto: *definitiones* Concilii *in Canonibus contineri*; in *Capitibus exponi*, et *declarari*. At *Canon nullus adfertur*, qui expreſſe ſtatuat amoris neceſſitatem. Sexto: teſte Pallavicino L. 8. caput ipſum 6, quod laudata continet verba, primo ſic efformatum fuiſſe, ut nullam omnino contineret dilectionis Dei mentionem: Sed multorum reclamationi, ac votis Synodum *amoris mentionem* addidiſſe. Haec ſunt, quibus Tournelius Decreti Tridentini mentem *in dubium* vocat, ut locus ſit *amori ſpei* ab eodem aſſerto. Quae ſi luculenter a nobis fuerint diſſoluta, ſperamus indubie, Tournelii Sequaces *amorem ſpei* e praxi Sacramentali exterminaturos.

Solvuntur.

Itaque univerſim: Agnoſcit Tournelius in his *dubium*. At *in dubio*, potiſſimum in *Sacramentis tutius eſt ſequendum*. Ergo in his relicta *minus tuta amoris ſpei* ſententia, *initiali charitati ut tutiori* adhaereat oportet. In ſpecie ad primum, Luculenter reſpondimus cap. II. n. II. et ſeqq.

Charitas affective ſuper omnia exponitur.

XV. Ad ſecundum dicimus *amorem*, quem requirimus, *initialis charitatis*, eſſe ſuper omnia *affective*. Eſt enim amor *Dei propter ſe*, et *in ſe boni*. *Objectum* ejus *idem eſt*, quod *charitatis perfectae*: Deus nempe *propter ſuam Excellentiam ſuper omnia diligendus*, et nunc *inchoate* jam *dilectus*; ergo *affective*, *affectu*, et *objective ſuper omnia*. At quia *infinite*

per-

perfectus; et *omni amore vehementi*, *acri*, et *intenſo* digniſſimus Deus *hic*, *et nunc remiſſe*, *imperfecte*, *tenuiter*, et *initialiter* tantum diligitur, ideo *effective* non *ſuper omnia*. Sive *amor initialis* non efficit remiſſionem peccati, niſi *vel intendatur* extra Sacramentum, vel accedat *forma Sacramenti* ſuplens, quod *amori inchoato deeſt*. Vega pro uobis eſt: ſi enim eo teſte *definitum eſt*, *dilectione Dei diſponi peccatores ad juſtitiam*, quia 1. *dilectio*, et *charitas* Dei idem eſt. cap. II. n. I. quia 2. charitas natura ſua eſt *ſuper omnia*. Cap. 1. not. 12 ad n. XXIX. quia 3. Angelicus ad juſtificationem etiam Sacramentalem charitatem maniſeſte requirit; cujus mentem Tridentinum ſecutum eſt. Cap. II. n. X. go etſi non clara definitione, ineluctabili tamen demonſtratione certiſſimi ſumus, ut *timorem* gehennae, ita *amorem Spei* poenitus non ſufficere. Vide Vegam cap. I. n. XXXIX. et cap. II. n. X. Ad Tertium. Fruſtra hoc objicit Tournelius, cum ipſe art. 3. Concl. 1ma admittat, Tridentinum loqui de juſtificatione tam *extra*, quam *in Sacramento*. Ut patet et ex verbis Concilii: *Moventur adverſus peccata per odium aliquod*, *et deteſtationem*, *hoc eſt per eam poenitentiam*, *quam ante BAPTISMUM agi oportet*. *Denique dum proponunt ſuſcipere baptismum*. Quartum plane confirmat Sententiam noſtram *initialis amoris*. Teſte enim Auguſtino Epiſt. 144. *Tantum quisque peccatum odit*, *quantum juſtitiam diligit*. Ergo *perfectus amor perfecte*, *initialis imperfecte*, et *odio aliquo* tantum *effective*, licet *affective* ſuper omnia *odit peccatum*. Quibus verbis utens Concilium noſtram Sententiam plane exprimit. Ad quintum ajo: In Canonibus Concilii exprimuntur *Articuli fidei*, in Decretis *veritates Theologicae*. Hanc nos producimus *pro initiali amore charitatis* ex ſeſſ. 6. c. 6. *illumque tamquam omnis juſtitiae fontem diligere incipiunt*. Quem locum putamus nos evidenter vindicaſſe ab omnibus dubiis, quae opponi poſſunt. *Canonem clarum* non quaerimus opponere atritioniſtis; quia agnoſcimus, *non dum clare deciſam eſſe hanc materiam* ab Eccleſia: ideo argumentis duntaxat Theologicis urgentiſſimis diſvademus *praxim attritionis pure formidoloſae*, et quod in idem recidit, *amoris Spei*. Si attritioniſtae deſiderant, Canonem quoque contra ſe, habent illum ejusdem Seſſ. tertium: *Siquis dixerit*, *ſine praeveniente Spiritus Sancti inſpiratione*, *atque ejus adjutorio hominem credere*, *Sperare*, *DILIGERE*, *aut POENITERE poſſe*, *SICUT OPORTET*, (a) *Ut ei juſtificatio-*

nis

(a) Magnus theſaurus latet in his vocibus: POENITERE SICUT OPORTET. Quibus Tridentinum poſt Arauſicanum Con. poenitentiam noſtram circumſcribit. Arauſicani conc. verba ſunt iſta: *nullus poteſt diligere Deum*, *ſicut oportet*, *aut credere in Deum*, *aut operari propter Deum*, *niſi gratia eum*, *et miſericordia praevenerit*. Quid igitur volunt illa verba: *Sicut oportet* in ore duorum Conciliorum? id magnifice illuſtrat S Auguſtinus, cujus illa eſt phraſis, Enchir. c. 121 docens, *Omnis praecepti finis eſt charitas*, *id eſt*: *ad charitatem refertur*. *Omne praeceptum*, *quod ſit vel timore poenae*, *vel aliqua intentione carnali*, *ut non referatur ad illam charitatem*, *quam diffudit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris*, *non dum fit*, *QUEMADMODUM FIERI OPORTET*, *quamvis fieri videatur*. Alias id explicat per particulam *recte*: ut inquit contra Iulianum: *Hoc tantum RECTE ſit*, *quando ſit PROPTER IPSUM*: *id eſt quando gratis amatur Deus*. Alias utitur verbis: *agere ſicut agendum eſt*. ut l. de corrept. et gratia c. 2. Interdum id ipſum ita edifſerit l. 2. oper. imperf. *agere ex animo*, *et cum bona voluntate*. interdum ſic: *BONUM BENE facere*: *quando timore poenae*, *non amore juſtitiae ſit bonum*, *nondum BENEFIT BOMUM*. Rurſum duo adverbia *vere*, *et bene*, conjungit l. 2. ad Bonif. c. 9. *Ut bonum VERE BENE*, *id eſt non mali Carnalis formidine*, *ſed boni Spiritualis delectatione faciamus*. Qui et de Iudaeis ait: *Dei praecepta ſervabant*, *imo non ſervabant*, *ſed ſervare videbantur*. *Neque enim in iis fides per dilectionem operabatur*. Haec Auguſtinus. Atqui in ſiſtemate Turneliano nulla intervenit charitas actualis, nec gratis amatur Deus, verum Spe beatitudinis poenitenti bonae: nec amore juſtitiae, nec fide per dilectionem operante agit poenitens, ſed *Spe boni* coeleſtis, *ſuae* quietis, *ſui* commodi, ut hic n XXI manifeſte demonſtrabimus. Ergo in Siſtema-

nis gratia conferatur, anathema sit. Cujus Canonis scopum primarium agnoscimus cum Tournelio eum fuisse, ut adstruatur sine *gratia actuali* hominem opus Salutare ponere non posse, minus *Deum diligere*, aut JUSTIFICARI posse. Sed enim *illud* definiendo, canon una explicat, quibus gradibus, et actibus homini *justificationis gratia conferatur.* Nempe *credendo, sperando, diligendo*, poenitendo. Ergo ex hoc Canone ratione Theologica inferimus innegabiliter, sicut *fidem, spem*, et *poenitentiam*, ita in medio harum dispositionum positam a Canone *Dei dilectionem*, ut ab aliis quatuor dispositionibus distinctam (non igitur Spei, sed *verae charitatis in* Sacramento *initialis, extra perfectae*) *ad justificationem* esse evidenter *necessariam.* Ad 6*tum*: Ex *reprobato* per Concilium *decreto reprobandum extunditur argumentum.* Sufficit nobis, decretum, *quod hodie stat approbatum a Concilio*, aperte praecipere, ut justificandus *Deum tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiat, dilectione*, ut hactenus ostendimus, a *fide*, et *Spe* distincta. ergo *Charitatis initialis.* Quibus sane *amor Spei* a Tournelio assertus suffossus est. Redisis ad cap. II. n. III. et hic n XIII.

SS. Patres charitatem initialem agnoscunt:

XVI. His accedunt pulcherimae SS. Patrum auctoritates a Tournelio art. 3. cit. pro prima sua conclusione adductae; quibus ita evidenter demonstrat vir longe doctissimus *initialem*, et *inchoatum in Sacramento amorem* in prima sua Conclusione assertum, ut una stabiliat *amorem* illum *initialem Charitatis* esse debere, subruatque *amorem Spei* in 2*da* Conclusione pro sufficienti a se propositum. Ac primum notari cupimus doctrinam Angelici, qui 1. 2. q. 26. a. 4 haec habet: *Id quod amatur amore amicitiae, simpliciter, et per se* (propter bonum amati) *amatur. Quod autem amatur amore concupiscentiae, non simplicite, et secundum se amatur, sed amatur alteri* ut bonum amantis. *Et per consequens amor, quo amatur aliquid, ut ei* amato *sit bonum, est amor simpliciter: amor autem, quo amatur aliquid, ut sit bonum alterius* amantis, *est amor secundum quid.* Qua doctrina Angelica posita, petimus a Tournelii sequacibus demonstrari nobis id, quod citati a Tournelio pro initiali amore Patres loquantur de amore *concupiscentiae*, sive *Spei:* de amore soli *amanti* poenitenti; et non etiam Deo *amato bono:* de amore inquam non *simpliciter tali*, sed improprie, et *secundum quid*, ut ait Angelicus. Ostendant Tertulianum L. de poenit. c. 3. in poenitente exigentem, *ut intelligat, quid boni sit Deus?* velle, ut poenitens intelligat, *quid boni sit Deus non in se*, sed *quid boni sit* tantum poenitenti? Ostendant S. Cyprianum tractatu de Lapsis velle, ut reconciliandi *ad Dominum toto corde convertantur*, non *in se*, sed tantum *reconciliandis* bonum. Ostendant S. Augustinum sermone 7. de temp. illis verbis: *Poenitentiam certam non facit nisi amor Dei, et odium peccati*, de amore concupiscentiae loqui. Illis item L. de gratia Christi c. 26. *Ubi non est dilectio, nullum opus bonum imputatur, nec recte bonum opus vocatur*, ad justitiam proxime disponens: et L. 21. de Civit. Dei c. 16 *tunc victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.* His, inquam, verbis Doctorum Doctorem de amore concupiscentiae, et non verae Charitatis intelligendum esse. Ostendant S. Gregor. M. in cap. 15. Lib. 1. Reg. in poenitente cum Confessione oris *fidem per dilectionem operantem* exigentem

te, et cum amore Spei Turneliano poenitentia non *ut oportet*, non *recte*, non *bene*, non *vere* agitur. Haec demonstratio omnino palmaris est, probatque evidenter, sufficientiam amoris Spei in Sacramento, Augustino, Arausicano, et Tridentino aut ignoram, aut manifeste falsam fuisse visam. Quam sumpsimus ex incomparabili Praesule Antonio Godeau Theol. mor. p. 1. tr 2. Sect. 2. c. 7. Confer tamen ad cap. 1. XXIX. not. 8. et 9. ne putes, nos virtutem inferiorem non *ut oportet* factam, intrinsece malam censere.

tem de dilectione *non ſimpliciter tali*, ſed *improprie*, et *ſecundum quid*, ſive *concupiſcentiae* accipiendum eſſe. Nos eosdem a Tournelio citatos textus Patrum *in ſenſu obvio, connaturali, proprie*, et *ſimpliciter* tali, ideſt *de dilectione charitatis* intelligimus; ſumus ergo *in poſſeſſione veritatis*; et *relevamur ab onere probandi*; quia ubique praeſumptio militat *pro ſenſu obvio*, et *ſimpliciter tali*. Attritioniſtae vel probent *ſenſum* ſuum *improprium*, et ſecundum *quid*, amoris *concupiſcentiae* in iis contineri, vel fateantur, hujuſmodi Patrum textibus ita probari *initialis* in Sacramento *dilectionis Dei neceſſitatem*, ut una *amoris concupiſcentiae*, vel *ſpei* ſufficientia evertatur. Et reipſa evidenter evertit *ſufficientiam amoris ſpei*, ſive *concupiſcentiae* Magnus charitatis Magiſter Auguſtinus, dum in Enchiridio explicans illud Apoſtoli: *nunc manet fides, ſpes, charitas. tria haec: major autem horum eſt charitas*, ita differit: *Jam porro charitas, quam duabus iſtis, fide, ac ſpe majorem dixit Apoſtolus, quanto in quocunque major eſt, tanto melior eſt, in quo eſt: nempe illud eſt chariſma melius, quod nos aemulari Apoſtolus volebat. Cum enim quaeritur, utrum homo ſit bonus? Non quaeritur quid credat, aut quid ſperet, ſed quid amet? nam qui recte amat, procul dubio recte credit, et ſperat: qui vero non amat, inaniter credit, etiamſi vera ſint, quae credit. INANITER SPERAT, etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere quae ſperat, niſi et hoc credat, et ſperet, quod ſibi petenti donari poſſit, ut amet.* (atqui amor ſpei, ſive concupiſcentiae eſt actus purae ſpei, non amoris charitatis, de qua cum Apoſtolo Auguſtinus certo agit; go *inanis* eſt, quia non amat charitate.) *Quamvis enim ſperare ſine amore* (concupiſcentiae) *non poſſit, fieri tamen poteſt, ut id non amet, ſine quo ad id, quod ſperat, non poteſt pervenire. TANQUAM SI SPERET VITAM AETERNAM, ET NON AMET JUSTITIAM, SINE QUA NEMO AD ILLAM PERVENIT.* Hic ſane jugulatur *amor ſpei*, quo ſperatur unice *vita aeterna*, non amatur *juſtitia*, ideoque *neminem ad illam ſine hac pervenire* clare pronunciatur. Fruſtra hic recurritur ad diſtinctionem illam: *Extra Sacramentum: non in Sacramento.* Nam *inanitas ſpei* comparatur inanitati *fidei: haec* vero et in Sacramento *inanis* eſt, go et *illa*. Deinde univerſalis eſt locutio: *NEMO ad illam* (vitam aeternam) *ſine hac* (amore juſtitiae) *pervenit.* Idem repetit ſumus Doctor Serm 138. *Multa ſunt Dei dona, quae tamen habent et mali. Sed quia charitatem non habuerunt, reſpondebit omnibus illis: NON NOVI VOS.* Et Serm. 350 magnifice commendat charitatem dicens: *Sine qua dives pauper eſt.* (credo ego *divitem* Sacramentis *pauperem* eſſe Spiritu) haec *humana* eſt *in CHRISTIANIS AD CONFITENDUM: Divina in Chriſto ad ignoſcendum.* In confirmationem dictorum citat 1. ad Cor. 13. *Si linguis hominum loquar*, ſequentes octo verſus: in quibus *actus* charitatis deſcribuntur. Tum exclamat: *quanta iſta eſt charitas! SACRAMENTORUM SALUS Sola eſt, quam conſcientia mala non pungit: in veritate reſpirans.* quibus verbis maximum Doctorem ad Sacramentum poenit. *Charitatem* requiſiviſſe, certum ſtatuo. recole alios clariſſimos ejus textus cap. I. ii. XVI.

Maxime Auguſtinus.

XVII. Denique Tournelius ſaepe cit. art. 2. in fine ſolutionis obj. contra 2dam Concl. poſt aquam objeciſſet ſibi Dominicum Soto, Melchiorem Canum, Comitolum, Becanum, et Sanchezium ſententiam pure formidoloſae attritionis *dubiam*, et *incertam* eſſe confitentes, ſolutionis loco hoc ſibi ſtatuit principium: *Auctores illam tantum rejiciunt attritionem, quae non dolet de peccatis, quia ſunt offenſa Dei: quod motivum abſolute neceſſarium eſt in omni vera, et ſupernaturali attritione.* Recte, et ſapienter: nec ipſe plus deſidero in attritione, quam ut dolor ſit de peccatis, *quia ſunt offenſa Dei*: atqui *dolere de peccatis, quia ſunt offenſa Dei*, eſt *actus verae Dei charitatis* teſte omni exceptione majore D.

Dolere de offenſa Dei eſt actus charitatis.

Thoma 1. 2. q. 93. a. 5. ad 1mum: *Dicendum, quod ad eandem virtutem pertinet, prosequi unum oppositorum, et refugere aliud: et ideo sicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita etiam detestari peccata, per quae anima separatur a Deo.* En ex mente S. Thomae *ad charitatem pertinet* diligere Deum, et *detestari peccata*, quae separant a Deo. Clarius hoc ipsum docet 3. p. q. 84. a. 5. *Ad secundum dicendum, quod ex quo aliquis peccatum incurrit, CHARITAS, fides, et misericordia non liberant hominem a peccato sine poenitentia: requiritur enim CHARITAS, QUOD HOMO DOLEAT de OFFENSA IN AMICUM COMMISSA, ET QUOD AMICO STUDEAT SATISFACERE.* Decretorium hoc est: Ad veram poenitentiam requiritur *charitas, qua peccator doleat de offensa in Deum amicum ante suum commissa.* Et ne tibi subrepat, Angelicum de virtute solum poenitentiae, et non etiam de Sacramento loqui, prosequitur: *requiritur etiam ipsa fides, ut per virtutem passionis Christi, quae IN SACRAMENTIS ECCLESIAE OPERATUR, quaerat justificari a peccatis.* Eandem doctrinam tertio repetit Angelicus in suplem. q. 3. a. 1. ad 4. *Malitia in culpa mortali mensuratur ex eo, in quem peccatur, in quantum est ei indigna. Et ex eo, qui peccat, in quantum est ei nociva. Et quia homo debet MAGIS DEUM, QUAM SEIPSUM DILIGERE, ideo PLUS DEBET ODIRE CULPAM, INQUANTUM EST OFFENSA DEI, quam in quantum est nociva sibi.* Habes hic, dolere de peccato *inquantum est offensa Dei*, actum esse *charitatis Dei*: dolere de peccato *in quantum est nociva sibi*, actum esse *amoris concupiscentiae*, sive *spei*: hoc tamen odium peccati *ut est nociva sibi*, consequenter amorem *spei* ad justificationem non sufficere; quia ut ait Angelus Scholae: *homo debet magis Deum, quam seipsum diligere, ideo plus debet odire culpam, inquantum est offensa Dei, quam in quantum est nociva sibi.* Cum igitur fateatur Tournelius, in omni vera attritione motivum hoc absolute necessarium esse, ut poenitens *doleat de peccatis, quia sunt offensa Dei:* et cum ex mente Angelici dolere de peccatis, *ut sunt offensa Dei*, sit *actus verae charitatis*, nec sufficiat *dolere de peccato ut est nocivum sibi*, qui est *actus amoris spei*; ferree, invicteque sequitur, *amorem spei* Honorati Tournelii proprio suo principio cum doctrina Angelici confrontato *justificando peccatori in Sacramento poenitentiae insufficientem esse.* Cum (ut decretorie concludit idem Angelicus 3. p. q. 84. a. 10 quaerens: An Sacramentum poenitentiae sit iterabile?) *ad veram poenitentiam* CHARITAS REQUIRATUR, SINE QUA NON DELENTUR PECCATA. conf. cap. II. n. VI.

Sistema Tournelii nihilo melius est aliorum attritionistarum opinione.

XVIII. Ex his vel me tacente quisque videt, opinionem *amoris spei* Tournelianam nihilo meliorem esse *illa attritione, quae concipitur ex solo poenarum metu, sine ullo ad Deum offensum respectu*: quam merito rejici ait Tournelius l. cit. obj ultima loquens de Dominico Soto. Nec item illa, *quâ quis non detestaretur peccatum, quia est offensa Dei, sed pure, et simpliciter propter metum gehennae. Quam speciem attritionis certum est non sufficere.* Ut iterum ipsius ibidem de Comitolo agens ingenue confitetur. Cur obsecro hujusmodi attritio non sufficit? *quia est sine ullo ad Deum offensum respectu*: sive quia *non detestatur peccatum, Ut est offensa Dei.* Recte ait vir Honoratissimus. At vidimus modo plane ex D. Thoma, *respectum ad offensum Deum, et detestari peccatum quia est offensa Dei*, esse actum *verae charitatis.* Quam charitatem etiam in minimo gradu inchoatam quia Tournelius non admittit in attritione ad justificationem in Sacramento esse necessariam, suamquoque opinionem *omni ad Deum offensum respectu* destitui est necesse, et detrudi ad eorum classem, qui dolent de peccato, *quia est nociva sibi*, sive *propter solum metum gehennae, et poenarum.* Cedo! attritionistae illi pure

re formidoloſi, quorum opinionem Soto, et Comitolus ut *nuper natam* referunt, negabantne *Spem* ad juſtificationem eſſe neceſſariam? minime: erant enim Theologi Catholici, quibus notiſſimum erat, Tridentinum Seſſ. 6. c. 6. et can. 3 ut fidem, ita SPEM Clariſſimis verbis adjuſtificationem requirere: et ſi id negaſſent, Dominicus Soto eorum opinionem non dixiſſet *veram*. Cujus verba ſunt haec apud Tournelium: *Doctrina haec de attritione, quae in Sacramento fit Contritio, licet ſit vera, non eſt tamen ita multum vetus.* Nec Comitolus dixiſſet: *neque uſque adeo certum eſt, attritionem poenitentis eſſe ſatis*: ſed aperte pronunciaſſet, certiſſimum eſſe, attritionem pure formidoloſam *ſpe* a Tridentino ad juſtificationem clariſſime requiſita deſtitutam eſſe plane inſufficientem. Quid multis? *timor gehennae*, et poenarum *abſque ſpe Divinae miſericordiae* nonne peccatores in deſperationem inducit, ut Cainum, et Judam? Certiſſimum proinde mihi eſt, attritioniſtas illos pure formidoloſos *Spem* a juſtificatione Sacramentali non excluſiſſe. Nec plus admittit Tournelius, quam *amorem Spei* ſibi bonum, *amorem concupiſcentiae ſpem praecedentis*, et dirigentis. De *amore initiali benevolo charitatis ad Sacramentum neceſſario* nec vola apud eum, nec veſtigium. Ergo attritio Tourneliana aeque eſt ex ſolo poenarum metu ſine ullo ad *Deum offenſum reſpectu*, ac illorum rigidorum antiquorum attritioniſtarum, *quam merito rejecit, et non ſufficere* ipſe Tournelius confitetur. Patet id ipſum ex laudato principio Doctoris Angelici 3. p. q. 84. a. 5. *Dicendum, quod ad eandem virtutem pertinet proſequi unum oppoſitorum, et refugere aliud.* Ergo rigidiſſimi quoque attritioniſtae a Tournelio *merito rejecti* dum timore *refugiunt* gehennam, *eadem virtute ſpei* proſequuntur, deſiderant, et concupiſcunt *Deum ſibi bonum.* Hoc ipſum, nec hilo plus praeſtat amor ſpei Tournelianus. Ergo auctor ejus manet in claſſe rigidiſſimorum formidoloſorum attritioniſtarum, quorum dum Tournelius rejicit opinionem, ſuam quoque iisdem argumentis ſuffodit, evertitque manifeſtiſſime.

XIX. Sed juvat arma mutuare ex inſtructiſſimo Armamentario ipſiuſmet Tournelii: qui a. 3. cit. poſt 2*dam* conclus. in ſolut. obj. adverſus 1*mam* conclus *Gehennam adaequate ſumptam*, aſſerit ſapienter, *complecti poenam damni* (ſive privationis viſionis Divinae) *et ſenſus*, ideſt tormentorum inferni. Et addit: timor iſte gehennae adaequate ſumptae *non eſt abſque amore ſpei.* Nam ex S. Thoma 1. 2. q. a. 5. a. 2. *timor mali naſcitur ex amore boni contrarii, atque in ipſo fundatur.* Haec eſt doctrina Honoratiſſimi Tournelii, quam amplector ſine ullo addito. Sed cupio, ut Tournelii ſequaces demonſtrent 1*mo*: rigidos illos attritionis pure ſordoloſae aſſertores a Tournelio *merito rejici* aſſertos per metum *gehennae*, aut *poenarum*, gehennam *inadequate*, ideſt *poenam ſenſus tantum intellexiſſe*, et *non etiam damni.* Demonſtrent inquam eos, *refugiendo* poenam ſenſus, eadem virtute *Spei* non fuiſſe proſecutos *Deum ſibi bonum?* Hoc inaeternum non oſtendent: quia eorum attritio *Spe* deſtituta ad *deſperationem*, non ad *juſtificationem* diſpoſuiſſet. ut prius diximus. Demonſtrent 2*do*: Tournelium cum ſuo *amore Spei* omni initiali Charitate deſtituto plus velle, quam gehennam adaequate ſumptam refugere; *Deum* vero *ſibi bonum* amore concupiſcentiae proſequi. Demonſtrent inquam, *amorem Spei* Tournelianum habere *aliquem reſpectum ad Deum offenſum.* Quem *actum Charitatis* eſſe: actum vero *concupiſcentiae* odiſſe peccatum *in quantum eſt nociva ſibi* ex Angelico vidimus. Cum itaque evidens ſit, *rigidos* illos attritioniſtas a Tournelio nihil diverſum ſenſiſſe, neque Tournelium ad attritionem plus requirere, quam metum gehennae *adaequate ſumptae*, qui judicio ejusdem *non eſt abſque amore Spei*, et quem nemo unquam negavit Catholicorum, ideo Tournelium in illorum attritioniſtarum numero habebimus, qui

non

non deteſtantur peccatum *quia eſt offenſa Dei*, (quia nec *initialem admittunt amorem Charitatis* in attritione) ſed pure, et ſimpliciter *propter metum gehennae adaequate ſumptae* cum amore Spei. Imo compendii Cauſa *attritionem omni initiali Charitatis amore vacuam* uno vocabulo *formidoloſam* appellabimus; et nomine *amoris initialis Charitatem inchoatam* intelligemus. Alio argumento urgeamus opinionem Turnelianam.

Siſtema amoris SPEI evertit veram coeleſtis beatitudinis notionem.

XX. Syſtema *amoris ſpei, Dei nobis boni* evertit notionem *verae beatitudinis coeleſtis*, eamque detrudit ad *ideas craſſas*, et *animales* vulgi imperiti: ergo eo ipſo meretur, ut ex tota Theologia, et praxi Sacramentali aeterno exilio eliminetur, exterminetur. Ant. demonſtro auctoritate Eminentiſſimi Cardinalis Noailii *in Inſtr. Paſtorali De amore Dei* apud Vitaſſe *de poenit. q. 3. a. ſect. 3* ex Auguſtino deplorantis, *non paucos eſſe Chriſtianos rudes, et ſenſibus omnia metientes*, qui beatitudinem etiam aeternam fingunt *craſſe, ut ſenſibus ſuis congruam*. His ſedes beatorum videtur eſſe tantum locus *omnibus deliciis affluens*, unde exulat omne malum, affluit vero omne bonum. Neque *altius* quodquam ſapiunt. Alii paulo *purius*, ſed tamen ad huc *confuſe* de ea cogitant: Qui nempe apprehendunt felicitatem coeleſtem ſub *imagine ſummi cujusdam boni, a Deo quidem proficiſcentis, ſed a Deo veluti diſtincti*. Haec idea frequentior eſt, imo qui non ſunt Theologi, fere ſic concipiunt *amorem Dei nobis boni, praeciſum ab amore Dei inſe boni*. Tertii generis ideam coeleſtis beatitudinis fingunt *ſpeiſtae*, ſive *concupiſcentiſtae*, qui aeternam felicitatem fingunt in *Deo videndo, et amando*, ita tamen in *illum* feruntur amore ſpei velut *terminum ſuae felicitatis*, quae *ex Deo in eos redundet*, ut Deum *inſe bonum* nec minimo proſequantur actuali *affectu*, putant ſi, hunc affectum *in Deum in ſe bonum juſtificare ante Sacramentum*. Hanc notionem exhibet amor ſpei, Dei nobis boni.

Falſae ideae de coeleſti beatitudine.

Vera idea Illius incharitate ſita.

Quarta notio beatitudinis coeleſtis, eaque vere Theologica eſt *initialiſtarum, et virtualiſtarum* omnia *ad Deum ut ſummum in ſe bonum, et* FINEM SUUM *propter ſe aeternum diligendum virtualiter ſaltem referentium*. Hi id *ſperant* in futuro, quod *amant* in praeſenti: Deum ſcilicet ut *inſe, et nobis bonum, utrumque conjungendo*, quin *ipſam bonitatem Divinam nobis bonam* ulterius *ad Deum in ſe bonum referendo*. Amant nempe Deum propter *ſuam intrinſecam amabilitatem*, quam cognoſcunt eſſe *finem ſuum*; ideo in eum amore inardeſcunt, *eique cupiunt inhaerere, ab ipſo unice timentes ſeparari*. Horum menti obverſatur Deus ut objectum ſpei olim poſſidendus *tanquam ſupremum omnium bonum, nequaquam tamen a nobis ſeſe abſtrahens, ſibique ſoli felix eſſe volens*, ſed velut omnis recti, boni, virtutis, *juſtitiae, felicitatisque noſtrae fons, ultimus omnium finis*, qui *ſuos SEMETIPSO propria ſua beatitate, et felicitate nobis communicata velit aeternum eſſe felices*. Ideo ad infinitam hanc bonitatem *ſibi, nobisque bonam* animus eorum ita rapitur, ut cuncta *diſtincta ab illo* propria ſua *commoda velut nulla, nec vera deſpicientes, omnem ſuam felicitatem in illo amando, et poſſidendo ponant*, omnia ſua *ad illum ultimatim referant*, in illum toti quanti tendant, *propter Eum operentur* omnia, ſcientes nihil eſſe felicius, pulchrius, beatius, quam *illi ſervire*, illo *frui*, illum ſemper contemplari, et amare: neque ſe *ſub tam bono Deo amato, et poſſeſſo miſeros eſſe poſſe timent*, quin aeternum felices fore certiſſimi ſunt. Ideo hunc amorem Dei aeternum duraturum *modo in via inchoant*, ſtudio omni unice *affectant*, ejus poſſeſſionem quaerunt, idque cavent, ac ſolum metuunt, ne eum amittant, in odium Dei tam amabilis incurrendo. *Haec vera eſt notio totius vitae*, et *felicitatis Chriſtianae inchoatae in vita, perfectae in patria. Idem enim amor charitatis quoad ſubſtantiam*, utut *accidentaliter* perficiendus, eſt *in*

patria,

patria, qui hic inchoatur juxta illud: *Charitas nunquam excidit.* Ita *totum praemium noſtrum eſt amare hic Deum, et totum praemium noſtrum erit in Coelo amare, et poſſidere amatum Eundem in aeternum.* Verbo hi Deum *ſicuti* eſt reipſa, *in ſe*, et *nobis bonum* abſque ulla *praeciſione* ita *ſperant, ut ſpei* amorem *charitatis* depraeſenti adjungant, nec ſpem ſuam *vacuam*, ſed charitate formatam eſſe debere opere, et veritate contendant. Cum igitur ſpem ad juſtificationem Sacramentalem omnes Catholici neceſſariam eſſe affirment, quaero, quae ex deſcriptis neceſſaria? ad quod

Quam ad Sacram. requirunt Scriptura.

XXI. Reſpondeo, et ajo: *Notionem ſpei, et beatitudinis coeleſtis TERTIAM*, tanto magis *primam, et ſecundam ad Sacram poen. non ſufficere, ſed requiri quartam.* Demonſtratur 1: Ex S. Scriptura: quae ad *omnem* juſtificationem *charitatem* exigit cap. 1: n. XX. XXI. XXII. cap. II. n. I cap. III. n. I. 2: Ex Tridentino: cujus Decretum de vera charitate in Sacramento neceſſaria vindicavimus toto capite II. et hoc III. 3: Conſentiunt Patres, quos laudavimus cap. I a n. XVI. uſque XX. et hic n. XVI. Quibus accedunt 4: S. Auguſtinus *in Ps.* 53. *Quid eſt gratuitum? ipſe propter ſe, non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi* ALIQUID ALIUD, *jam non gratis amas Deum* (*a*) Idem S. Auguſtinus *Lib.* 83. q. 34. „Si propter alia, quae amanda ſunt, amor amatur, non recte amor dicitur. Nihil enim aliud eſt *amare*, quam *propter ſe ipſam rem aliquam appetere. Et ſoliloq. L.* 1 c. 12. *Quod non propter ſe amatur, non amatur.* S. Proſper in ſententiis propoſitione 20: *Qui Deum*, inquit, *ideo colit, ut aliud magis, quam ipſum promereatur, non Deum colit, ſed illud, quod aſſequi concupiſcit.* S. Bernardus *Serm.* 3. *et* 8. *de Diverſis:* aſſerit, ſolam eſſe charitatem, quae hominem ad Deum convertere queat: id enim praeſtari non poſſe neque *timore* ſervi, neque *mercenarii privato amore*, aut cupiditate *Qui timet*, inquit, *ire ad portas inferi, et qui Deum cupit videre PROPTER QUIETEM SUI, uterque* profecto *quaerit, quae ſua ſunt. Sola, quae in filio eſt charitas*, inquit Lib. de Diligendo Deo c 12. *non quaerit, quae ſua ſunt. Quamobrem puto de illa dictum, Lex Domini immaculata convertens animas:* Quod ſola videlicet ſit, quae ab amore ſui, et mundi convertere poſſit animum, et in Deum dirigere. Nec timor quippe, *nec amor privatus* convertunt animam: *mutant interdum vultum, vel actum, AFFECTUM NUNQUAM.* S. Bernardinus Senenſis Serm. in feriam 4. poſt Domin. 1. Quadag. „Duodecimum periculum peccatori in extremis imminet, quod eſt charitas: ſive dilectionis privatio. Ad hoc enim, ut diſplicentia ſit grata Deo, neceſſe eſt, quod ſit debite circumſtantionata, et maxime circumſtantia *principii*, et *finis*. Et feria 6. Serm. 13. „Dolor, in quantum eſt diſplicentia rationis, in vera contritione men-

Tridentinum.

SS. Patres.

Qui amorem DEI NOBIS BONI rejiciunt.

S. Auguſtinus.

S. Proſper.

S. Bernardus.

S. Bernardinus.

(*a*) Fruſtra ſunt, qui *amorem coeli, Dei nobis Boni* vellent diſtingvere ab amore *rerum creatarum, ſuae quietis, commodi:* et *hunc* quidem *mercenarium* libenter admitterent, non vero amorem *ſpei, coeli, Dei nobis Boni.* nam Auguſtinus (cui ſuffragantur alii SS. PP. et Doctores antiqui hic laudandi) *gratuitum* amorem vocat Dei PROPTER SE: at amor Dei *nobis boni, Datoris Caeli* non eſt amor Dei *propter ſe.* Ut patet. go eſt amor Dei *propter aliud, ut det tibi aliquid aliud:* nempe *quietem aeternam.* go amor *coeli, Dei nobis Boni* eſt amor *mercenarius.* Hoc dicunt omnes antiqui mox citandi, ſi oculo dextro, praejudiciis vacuo, et veritatis cauſſa conſiderentur (qui enim interminabiles rixas fovent ideo, ne hactenus male ſenſiſſe, et modo victi eſſe videantur, cum illis nihil habere volumus, ſed pro illis orare debemus, ut docilem animum nacti, ad SS PP doctrinam *convertantur*, et *nobis cum* pro charitate Dei *exercecantur*) ideo amorem Dei *nobis boni, et coeli, quietis, commodi noſtri* paſſim pro Sinonimis accipimus.

S. Thomas a Villa nova. ſuratur ſecundum quantitatem charitatis.„ S. Thomas a Villa nova Serm. 1. in Dom. Paſſionis „vera contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore, *aut ex amore ſui*.„

Suffragantur Doctores antiqui. Biël. XXII. 5. Suffragantur Doctores antiqui. *Biel in 4. diſt.* 14. q. 2. „Diſplicentia peccatorum *ex amore ſui praeciſe, quia ſunt ſibi mala, non ſufficit* ad peccati remiſſionem.- Conſiderato, quod peccata ſunt Divinae Majeſtatis offenſiva, incipit peccati odium, et *nolle peccaſſe propter Deum finaliter ſuper omnia dilectum*.- Et illa poenitentia neceſſaria eſt ad peccati deletionem,- *quae non poteſt eſſe ſine dilectione Dei ſuper omnia*.„ *Vivaldus de veritate contritionis cap. ult.* *Vivaldus.* „Quidam vero cuſtodiunt ſe ipſos a vitiis, et peccatis *timentes exulare a gaudiis aeternae vitae.* Ideirco omnes, qui *propter ſimiles reſpectus retrahuntur a peccatis, non ſunt dicendi contriti, NEC VERE POENITENTES, ſed ſunt MERCENARII, QUAERENTES COMMODUM PROPRIUM*.„ *Albertus Pighius controverſia* 9. *Albertus Pighius.* „Contritio, quam Deus in nobis reſpicit, eſt dolor offenſae, *non noſtri tantum, imo illius praecipue cauſa, quem offendimus:* Cujusmodi ut ſit, neceſſario Dei amorem, ex quo procedat, praerequirit.„ *Alphonſus a Caſtro Hom.* 3. *in Ps.* 32. *Alphonſus a Caſtro.* *TIMOR* praeſtare poteſt poenitentiae INITIUM; ſed ſola charitas praeſtare poteſt complementum.- Si ad poenitentiam *ſolus timor* gehennae *impulerit* peccatorem, *nunquam* ille *juſtificabitur: etiamſi huic timori conjungatur PRAEMII AETERNI amor, et DESIDERIUM, verum non efficiet poenitentem, nec poenitentia, quae ſolum ab his duabus radicibus oritur, valebit ad remiſſionem obtinendam:* Nam ILLUD DESIDERIUM EX SUI IPSIUS AMORE *procedit, quo homo ſibi bonum optat.* &c. *Petrus Soto in inſtructione Sacerdotum, de Sacram. Poenitentiae, lect.* 14. *Petrus Soto.* ait: ad contritionem, quae remitendo peccato ſit ſufficiens, Requiri, et ſufficere, ut ex vera Dei charitate, et *dilectione ejus ſuper omnia emanet.* *Macharus Havermans diſquiſitionis Theologicae Sect.* 3. *Macarius Havermans.* ubi poſtquam notavit, *novum* eſſe, ac *recens* hoc *amoris concupiſcentiae nomen*, addit: Si eo intelligatur *amor propriae commoditatis*, id non eſſe ad Sacramenti effectum ſufficiens; *ſi* autem *amor Dei propter IPSIUS AMABILITATEM*, controverſiam eſſe de nomine; tum enim amorem illum a charitate non diſtingvi. Adde ex cap. I Joann. Nider n VIII. Angelicum n XI. Robertum de Sorbona XII. Bernardinum. Joann. Daventria, Albertum Pighium n. XIII S. Thomam a Villa nova. Concil. Moguntiacum ibid. qui *amorem* ſolius *ſpei* expreſſe rejiciunt. Quibus ſuffragantur reliqui omnes cap. I. cit. qui *charitatem* requirunt.

Accedunt rationes Theogicae. 1. XXIII. Ex quibus ſic argumentor 1: vel *amore ſpei*, et *concupiſcentiae* Dei nobis Boni, coeli. &c. amatur *Deus* etiam, et quidem *primario propter ſe*: vel non? ſi primum, amor eſt a charitate ſaltem initiali. Si non amatur, *quaeritur proprium commodum, et propria felicitas.* Ergo eſt *amor mercenarius*, et *intereſſatus* ex laudatis auctoritatibus juſtificando impio inſufficiens. 2. 2: Ordo rectus poſtulat, ut quod *magis amabile* eſt, illud *primum ametur*, et alia inferiora *propter illud* amentur: atqui *prae nobis amandum* eſſe *Deum*, et *nos propter Deum in ſe dilectum*, nemo Chriſtianorum dubitat. Ergo *felicitatem noſtram in Deo* amato, et *propter Deum amatum*, aeternumque amandum *quaerere debemus.* At in ſpeiſtarum opinione nullo modo amatur *propter ſe prima illa amabilitas.* Unde 3: *amor* ille *ſpei*, vel *concupiſcentiae non eſt amor Dei propter ſe*, ergo eſt proprie duntaxat *ſui*, *amor privatus*, nimirum *propriae quietis;* ac proinde homo ſic affectus *in ſe* ſemper *haeret*, aut ſaltem *in ſe recidit, nec ſupra ſe erigitur.* Atqui *cor* hominis tamdiu *perverſum* eſt, quamdiu *ſuperiori bono*, Deo in ſe

2.

3.

Bono

Bono *addictum non eſt.* Ergo *amor ſpei* non eſt hujusmodi, qui hominem *vere ad Deum convertere poſſit.* Sive quod idem eſt: ad veram poenitentiam etiam Sacramentalem neceſſaria eſt vera ad Deum converſio, qua homo per peccatum averſus a Deo FINE SUO, et converſus ad amorem creaturae redeat ad amandum Deum. ut cap. 1. n. XX ediſſeruimus. At poenitens ſpeiſta avertitur quidem a priore fine ſuo, illicito creaturae amore, ſed non convertitur ad Deum *in ſe* Bonum, ſed ad *ſibi* Bonum, ad coelum, ad quietem ſuam quaerendam, et amandam. go convertitur AD SE IPSUM. go priorem finem peccato ſibi conſtitutum, amorem creaturae, non immutat, quia manet in amore creaturae, SUI ſcilicet. Hoc dicunt omnes cit. Doctores hic n. XXI. et XXII. Hoc aſſerit S. Bernardus epiſt. II. de amore ſpei: *Qui ſic Deum amat, non tam Deum amat, quam ſe ipſum:* Nam ut continuat Tract. de diligendo Deo cap. 7. *quid quid propter aliud amare videaris, id plane amas. QUO AMORIS FINIS TENDIT, non per quod tendit.* Atqui *Amor ſpei tendit ad BONUM SUUM* a nantis; nempe ad coelum, quietem ſuam aeternam: ideo amat *Deum ſibi bonum*: ergo nullo modo amat Deum, ſed *ſuum bonum. ſuam quietem ut ſeparatam per intellectum a Deo in ſe bono*: quem nullatenus attingit. Ergo amat ſe. Sed *amor ſui* nec in Sacramento ſufficit, ergo nec ſpei, vel concupiſcentiae. Audiamus S. Franciſcum Saleſium, Eccleſiae ad exponendam veram Divinae charitatis notionem caelitus datum, L. XI. de amore Dei c. 18. *qui*, inquit, *unius dumtaxat mercedis intuitu obſequeretur Deo. non Deum, ſed ſe dumtaxat diligere convinceretur.* Rationem praemittit ibidem: *mercedem quippe Domino, Benefactori beneficium, Haereditatem Patri, privatam utilitatem Deo praepotenti, creaturam creatori, ſeipſum denique Deo ſuo anteponeret.* Ne recurras ad timorem, aut Spem *ſerviliter Servilem*, do tibi, ut has virtutes ab omni *affectu* tam actuali, quam conditionato ad peccatum perfectiſſime depures; ita ut illae verae ſint *in ſe*, in *motivis proximis*, Laudabilesque virtutes omni vitio intrinſeco vacuae: quamdiu tamen *in ſe* manent, nec ad charitatem initialem aſſurgunt, timor unice fugit MALUM SUUM: *Spes* charitatis expers quaerit ſolum BONUM SUUM: go de talibus plane verum eſt, ut docet Junior amoris Magiſter, quod *unius dumtaxat mercedis intuitu* poſitive hic et nunc unice intento (licet non excludendo *finem ultimum omnium virtutum charitatem*, attamen de de ea nec cogitando, minus ad eam actionem referendo) *obſequatur Deo:* go *non Deum, ſed ſe dumtaxat diligere convincitur.* quia *mercedem Domino, Benefactori beneficium, haereditatem Patri, privatam utilitatem Deo praepotenti, coelum Creatori, ſeipſum Deo ſuo anteponit.* Ratio hujus doctrinae eſt, quia etſi Spes, ut timor mere ſervilis in *ſuis objectis*, et *motivis proximis* bona ſit, et Laudabilis; niſi tamen ad charitatem ut FINEM omnium virtutum referatur, in amore SUI, SUAE quietis, in qua per ſe fundatur, conquieſcit ut in *ultimo fine.* Quod ſervile, mercenarium, inordinatum, et Sacramento poenit. inſufficiens habent cit. PP. et DD. Confer h. n. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI.

Amor Spei eſt amor SUI.

go convertit ad ſeipſum.

Non ad Deum in ſe bonum.

XXIV. COROLLARIUM I. Ut amor charitatis Dei nequit praeſcindere *a bonitate Dei IN SE bona*, ita nequit *a bonitate NOBIS bona.* is enim error damnatus eſt in propoſitione I. et II Anno 1669 ab Innocentio XII. 1ma: *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, et ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor poenarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem: Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.* Item 2da: *In ſtatu vitae contemplativae, ſive unitivae amittitur omne motivum intereſſatum ti-*

Charitas complectitur Deum tam in ſe, quam nobis bonum copulative.

moris

moris, et Spei. Hic etiam erat error *Fenelonii.* Quem antequam nasceretur, praefocavit Hugo a S. Victore l. 2. *de Sacramentis cap.* 8. dicens: *Sed forte mercenarius eris, si diligis Deum, et servis ei, ut praemium ab illo accipias? dicunt hoc stulti quidam, et tam stulti, ut seipsos non intelligant. Diligimus*, inquiunt, *Deum, et servimus ipsi, sed non quaerimus ipsum, ne mercenarii simus. etiam IPSUM non quaerimus: dabit, si voluerit, sed nos non quaerimus: In tantum enim excutimus manus ab omni munere, ut etiam ipsum non quaeramus, quem diligimus: pura enim, et gratuita dilectione diligimus; nihil quaerimus. Ipse cogitet, si quid dare voluerit. Nos nihil requirimus. Audite homines sapientes! Diligimus, inquiunt, ipsum, sed non quaerimus ipsum. Hoc est dicere: diligimus ipsum, sed non curamus de ipso. Ego homo diligi sic non vellem a vobis. Si me sic diligeretis, ut de me non curaretis, ego de vestra dilectione non curarem. Quomodo, inquiunt, mercenarii non sumus, si Deum propter hoc diligimus, ut praemium ab ipso accipiamus? qui hoc dicunt, virtutem dilectionis non intelligunt. Quid est enim diligere, nisi ipsum velle habere? non ALIUD AB IPSO, sed IPSUM, hoc GRATIS. Si aliud quaereres ab ipso, gratis non amares. Nunc autem non aliud quaeris pro eo, quod amas; et tamen aliquid quaeris, et desideras eo ipso, quod amas, alioquin non amares, si non desiderares. Sed aliud est PRO IPSO: aliud IN IPSO. Si pro IPSO aliquid amas, mercenarius: Si IN IPSO amas, et IPSUM amas, FILIUS ERIS.* Luculentissima haec est descriptio *casti* amoris, et mercenarii. *Si aliud quaereres pro ipso* Deo, gratis non amares. Speistae non Deum in se Bonum, sed *aliud pro ipso*, sibi Bonum, *caelum, suam felicitatem*, verbo *se* quaerunt, ut cap. I. et hic n. XXII vidimus. Igitur mercenarii sunt, servi sunt. Ex adverso qui Deum *in se*, et *nobis Bonum* quaerunt amando, *Filii* sunt, *gratis* diligunt Deum. Igitur *vera Dei charitas includere debet bonitatem Dei tam IN SE, quam NOBIS bonam.* Sequitur ex dictis: Nam si *alterutrum disjunctive non sufficit*, ergo *utrumque copulative necessarium* est, ut vera sit charitas, in Sacramento *initialis*, extra *perfecta.* Atque haec est expressa mens Sanctorum. S. August. Lib. 3. de doctrina Christiana. cap. 10: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum. AD FRUENDUM* exprimit *bonum nostrum: PROPTER IPSUM intrinsecam ejus bonitatem.* S. Bonaventura *in* 3. *Dist.* 27. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 2: *Duplex*, inquit, *est motus in charitate: videlicet motus AMICITIAE, quo quis desiderat Deo placere, et servire; motus CONCUPISCENTIAE, quo quis desiderat Deum videre, et habere.* Et duplex hic motus charitatis est *finis*, ac *beatitudo nostra inchoata in vita: consumata in patria, FRUI DEO PROPTER IPSUM.* Teste Angelico 2 2. *q.* 27. *art.* 1. *ad* 1. *charitas tendit ad ultimum finem sub ratione finis ultimi.* Et Lib. 3. ad Hanibalem: *Charitas respicit Deum sub ratione FINIS.* Unde Deum *propter se amare: ad eum omnia nostra referre: eum pro fine habere*, idem esse, *patet luculenter.* 2. Charitas *habitualis* et *viae*, et *patriae* diligit Deum *tam in se*, quam *nobis bonum*, ut nemo negat; atqui *disposito* debet esse *ejusdem naturae cum eo, ad quod disponit.* Ergo et *actualis* amor Dei *disponens ad justificationem* utramque Dei bonitatem respicere debet, *primario INTRINSECAM DEI, secundario, et consequenter NOS* beantem. Quod fit, dum Deum summe *in se perfectum, sed se nobis hic charitate, olim et visione* perpetua *communicantem* diligimus. 3. Hoc tradunt variae Catecheses. *Parisiensis* 1722. *Lingonienses* 1698. *Rhedonenses* 1582. *Svessionenses* 1679. *Montis Pessulani, Noviodunenses.* Et complures aliae testibus *Instit. Lugdunens. de poenit. Diss.* 3. *a.* 4. *propositione* 2. Accedit 4. declaratio facultatis *Parisiensis* 1717. et 1718. (quam facultates *Rhemenses*, *Nannatenses*, et aliae suas fecerunt) statuentis: *in adultis ad justificationem in Sacramento poenitentiae obtinendam*

Erro Fenelonii.

Quem evertit Hugo a S. Victore.

Item S. Augustinus.

S. Bonaventura.

Angelicus.

Atque haec charitas debet esse finis omnium actionum nostrarum.

Id docent variae catecheses.

Declaratio Univers. Parisiensis.

dam praeter actus fidei, et ſpei neceſſarium eſſe amorem Dei, quo Deum tanquam omnis juſtitiae fontem diligere incipiamus. De quo nos capite II. Tum ad rem hanc declarat: *Hic amor fertur in Deum quum ut IN SE SUMME BONUS EST, tum ut eſt SUMMUM BONUM NOSTRUM: quae DUO complectitur charitas inter virtutes Theologicas tertia: ſicut ex Sacris Litteris liquet, et SS Patres docuerunt.* Inclita ergo Univerſitas praelaudata ſcripturae, et Patribus contrarios eſſe cenſet duos amores natura ſua diſtinctos, quorum altero diligeretur Deus *ut in ſe bonus*, altero ut ſummum *bonum noſtrum*, noſtraque beatitudo. Quod ex hactenus dictis manifeſte liquet. (*a*)

XXV. COROLLARIUM II. Objectum charitatis in Patria conſumatae, hic inchoatae in amore Dei *in ſe*, et *nobis* Boni a n. XXI hic deſcriptae eſt etiam objectum materiale ſpei Theologicae ADEQUATE, et SINE PRAECISIONE ſumptae: nempe *id* nunc *ſperamus, quod* olim *poſſidebimus*. At olim poſſidebimus Deum *in ſe*, et *nobis* Bonum: *videbimus Eum ſicuti eſt: ego ero merces tua magna nimis.* Spes Doctori Angelico 2. 2. q. 17. a. 1. *eſt virtus, qua ſperamus bona aeterna.* Hajmoni *expectatio futurae beatitudinis*: Sive qua *firmiter expectamus futuram noſtram beatitudinem* in *viſione*, et *amore* Dei *in ſe*, et *nobis Boni* conſiſtentem: et *media ad illam conſequendam neceſſaria.* qualia ſunt: gratia

Idem objectum ſpei, et charitatis Deus in ſe, et nobis Bonus.

Differentia ſpei, et charitatis.

(*a*) Haec tam gravia, atque in Praxi adeo neceſſaria evincunt, affectum illum: *O Deus ego amo Te, nec amo te, ut ſalves me:* in Officio Rákotziano, et paſſim in aliis libris precatoriis D Franciſco Xaverio adſcriptum tam alienum eſſe a mente Sanctiſſimi Indiarum Apoſtoli, quam ipſam haereſim Fenelonianam. Ut P. Scheidenbach Continuator P. Lujdl expreſſe docet. Optandum igitur, ut in novis editionibus corrigeretur ſic:

Menda	*Emenda.*
O Deus! ego amo Te:	O Deus! ego amo te,
Nec amo Te, ut ſalves me;	Non *ſolum* ut Tu ſalves me;
Aut quia non amantes Te	Aut quia non amantes te
Aeterno punis igne.	Aeterno punis igne.
Tu tu mi Jeſu - -) manent.	
Innumeros dolores - -)	
Cur igitur non amem Te?	Cur igitur non amem Te?
O Jeſu amantiſſime!	O Jeſu amantiſſime!
Non ut in Coelo ſalves me,	Non *unice* ut ſalves me.
Aut ne aeternum damnes me.	Aut ne aeternum damnes me.
Nec praemii ullius ſpe,	nec praemii *ſolius* ſpe,
Sed ſicut tu amaſti me,	Sed ſicut tu amaſti me,
Sic amo Te, et amabo Te,	Sic amo Te, et amabo Te:
Solum quia Rex meus es,	Quia Tu *Summum bonum* es,
Et ſolum quia Deus meus es.	Et *totum bonum meum* es.

Alii efferant, per me, melius; ego ſenſum vero Theologicum ſuggero.

Feneloniani pariter ſurſuris eſt illa contritio, quam ſaepe in libellis, et foliis piis ita legimus: *Doleo de peccatis meis, NON quia infernum promeritus ſum, ſed UNICE quia te ſummam bonitatem omni amore dignisſimam* offendi. etc. Dicere debent ab atritione progrediendo ad contritionem: *non SOLUM* quia coelum amiſi, infernum promeritus ſum, ſed *MAXIME* propter infinitam tuam bonitatem. etc. quis enim ſanae mentis non doleat de inferno promerito, et coelo amiſſo? Et, timor, et ſpes oſtiaria debet eſſe charitatis, et contritionis. cap. V. Atque, ut hactenus vidimus, charitas Theologica, conſequenter et contritio illa animata ferri debet in Deum NOBIS, et IN SE Bonum copulative. Si a Bonitate IN SE praeſcindamus, erimus Speiſtae: Si bonitatem NOS reſpicientem excludamus, Feneloniſtae. h. n XXIV.

tia Dei, remiſſio peccatorum, gratia finalis. (a) Charitas eſt *unio cum Deo* amato hic inchoata, olim conſumata. Tam *ſpes*, quam *charitas* reſpicit *unionem* noſtram cum Deo *in ſe*, et *nobis* Bono: ſed charitas *inchoat* hanc unionem aeternum continuandam. Spes *eandem unionem praeſolatur* ut olim in Patria *futuram*. Hinc Auguſtino ſpes eſt *futurorum bonorum*, quae ipſe Deus ſunt. *Praemium virtutis* (inquit l. 22. de Civit. Dei c. 30.) *ipſe erit, qui ſeipſum, quo melius, et majus nihil eſſe poſſit, promiſit.* Charitas *eſt motus ad fruendum Deo PRAESENTI propter ipſum.* Spes in Patria ceſſabit ſuccedente EXPECTATIONI modernae aeternae Dei poſſeſſione, et amore. *Charitas* vero *nunquam excidit*, quin in Patria immenſum perficietur. En differentiam ſpei a charitate, quantum ad praeſentem materiam. Nempe ſpes eſt *expectatio* OLIM *poſſidendi:* charitas *praeſens unio* ejusdem *Dei in ſe, et nobis Boni.* Haec eſt expreſſa doctrina Angelici 2. 2. q. 23 a 6. ad 3. *dicendum, quod idem bonum eſt objectum charitatis, et ſpei: ſed charitas importat UNIONEM ad illud bonum; ſpes autem quamdam DISTANTIAM ab eo.* Vide Inſtit. Lugdun. de virtutib. Diff. 1.

Porro ſpes Chriſtiana ſaepe in via eſt *informis*, et *charitate vacua*, ut fides. Patet ex eo, quia in peccatoribus non niſi contrario ſibi vitio *deſperatione*, aut *praeſumptione* extinguitur. Sic in humanis vinculatus ſperat libertatem, et peccans coeleſtem beatitudinem ſub conditione futurae poenitentiae a ſe agendae. Unde S. Proſper *in ſent. ex Aug. delibat. n. 7.* ait: *Dilectio ſpecialis virtus eſt piorum - - cum caeterae virtutes et bonis, et malis poſſint eſſe comunes.* Interim ut fides, ita ſpes charitate formata et eſſe poteſt, atque ut ſit reipſa, ſcriptura, et Patres omni ſtudio commendant. *Spes*, inquit Apoſt. ad Rom. 5. *non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* At ſpes haec charitate formata poſterior eſt charitate, et effectus ejus. Ut dixi hic n III. Unde S. Ambroſius: *ex Fide*, inquit, *eſt charitas, ex charitate ſpes.* Et Auguſtinus: *Si et credit, et diligit, bene agendo, et praeceptis bonorum morum obtemperando, efficit, ut etiam ſperet ſe ad id, quod diligit, eſſe venturum.* Ex adverſo de ſpe impiorum ita pronunciat

Spem charitate animatam requirit ſcriptura, et PP.

(a) Temporalia bona non ſunt ſtricte objectum ſpei Theologicae, nec deſiderari, aut peti a Deo poſſunt, niſi *ſub conditione: ſi, et in quantum* conducunt, et *media* ſunt ad vitam aeternam conſequendam, ut vidimus cap. 1. n. XXV ex Auguſtino. Ideo monet evangelium Mat. 6. *ne ſolliciti ſitis, quid manducetis, aut quid induamini: quaerite primum regnum Dei* tanquam principalem, et ultimatum *finem, et juſtitiam ejus* cumulum omnium virtutum, ac cumprimis *charitatem* Dei ut *medium* eſſentialiter coeli, et regno Dei obtinendo neceſſarium: *caetera* media temporalia, et ſecundaria *adjicientur vobis* ex Dei miſericordia, qui ſvavi ſuae providentiae innixos deducens ad *finem ultimum* adjiciet (non quidem excludendo *curam* noſtram, ne otioſi ſimus, ſed nimiam duntaxat ſollicitudinem) etiam *media*; quibus tendendo ad *finem* indigemus. Hoc ſenſu orat Eccleſia *Sola coeleſtia nos deſiderare. Ut temporalia ſint uſu, aeterna in deſiderio. Ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia.* Magna haec eſt ethicae chriſtianae pars, quam ſic ediſſerit Auguſtinus: *Deus gratis ſe vult diligi, hoc eſt caſte amari: non propterea amari, quia dat aliquid praeter ſe, ſed quia dat ſe. Qui ergo invocat Deum, ut dives fiat, Deum non invocat; hoc enim invocat, quod vult ad ſe venire.* Ex quo diſcimus, eum, qui petit temporalia, ut *media* ad obtinendum Deum, ad liberius, et expeditius ſerviendum Deo, *Caſte*, et *gratis* amare Deum, quaerere ipſum Deum ut FINEM *mediis* illis temporalibus. Ex adverſo autem eum, qui petit temporalia non referens illa ad Deum, ſed ambiens fieri dives, magnus, potens, ſublimis, honoratus in mundo, non Deum invocare, deſiderare, amare, ſed divitias, honores, quae *vult ad ſe venire.* Hoc poſterius rarius fit a modice etiam piis: putant enim temporalibus abundanter adjutos expeditius ſe ſervituros Deo. Sed fere *philaucia* in iis agit, *et mentitur iniquitas ſibi* Ideo univerſim in his oportet nos Divinae providentiae commendare, quae ſcit, quid nobis magis expediat, et ad ſalutem conducat. In *pane noſtro quotidiano* panem *animae* Euchariſtiam, gratias actuales, etc principaliter, ſecundario *corporalem* ut media ad vitam aeternam oramus.

ciat Sapiens prov. 24. *ſpes impii eanquam tanugo eſt, quae a vento tollitur: et tanquam ſpuma gracilis, quae a procella diſpergitur: et tanquam fumus, qui a vento diffuſus eſt.* Et recte ſane. Qua enim *firmitate* poteſt ſperare beatitudinem aeternam, quae eſt praemium bonorum operum, atque inprimis charitatis, qui bibit ut aquam iniquitatem? videatur auro, cedroque digniſſima *Theologia Moralis* Illuſtriſſ. Antonii Godeau Eppi Vencienſis. p. 1. tr. 11. c. III. *Spes charitate vacua, quam miſerabilis.*

XXVI. Ex his, quae theorematum inſtar apud Theologos haberi debent, clareſcit, quam nudus, et miſerandus ſit Turnelianus *amor ſpei.* Non enim eſt *Spes* haec *Sanctorum*, quia non eſt charitate formata, ne minima quidem; ut ipſi adverſarii confitentur. go eſt *informis*, ut fides mortua, et otioſa. Quae 2. nec poteſt dici vere, et proprie *ſpes*, niſi forte *media*, et *dimidiata*. Eſt enim objectum ejus *Deus nobis tantum Bonus*: ut ipſi volunt. At objectum beatitudinis, et Spei Theologicae eſt Deus *in ſe, et nobis* Bonus olim poſſidendus. Ut hic in evidenti luce collocavimus. 3. Nec recte vocatur *amor*. Nam ut cap. II. n XXVIII notavimus, amor eſt praeſens *unio duorum* propter intrinſecam bonitatem extremorum. Spes eſt, *expectatio futurae unionis, ſive beatitudinis*. *Amor* ad *charitatem* pertinet, quin haec *duo* idem ſunt Sanctis. cap. II. n I. at Speiſtae nullam *unionem* Dei *in ſe* Boni *actualem* requirunt in ſuo ſiſtemate. go proprio *amoris* vocabulo fruſtra utuntur. Reſtat igitur 4. ut ſiſtema hoc ad purum *deſiderium*, et *concupiſcentiam* ſpem praecedentem, et dirigentem (*hoc cap. n* III) detrudatur. Et ſic Turnelius, ejuſque ſequaces vere *mercenarii*, ſuaeque unice commoditatis, ac quietis ſtudioſi eſſe manifeſte convincuntur. *Ibi.* et *n* XXII hic. *Talis eſt amor ſpei Turnelianus.*

XXVII. Adverſariorum multos retinent in ſua opinione illa, et ſimilia ſcripturae verba: *inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas PROPTER RETRIBUTIONEM* Ps. 118. item ad Haebr. 11. v. 26. *aſpiciebat IN REMUNERATIONEM.* Putant illi in his *amorem ſpei* charitate vacuae, *purae*, et *merae* mercedis aeternae gratia factum opus contineri, et probari. At falluntur toto oſtio. Illa enim, quin quaecunque in ſcriptura coeleſtis beatitudinis deſiderium exprimunt, ut Ps. 16. *ſatiabor, cum apparuerit gloria tua. Venite benedicti - - poſſidete paratum vobis REGNUM. Repoſita eſt mihi corona juſtitiae etc.* idem ſignificant, ac illa: *cupio diſſolvi, et eſſe cum Chriſto.* ad Philip. 1. v. 23. *quando apparebo ante faciem Dei mei!* Ps. 83. (confer h n III Auguſtinum, et Bernardum) et Ps. 72. *Deus cordis mei, et pars mea, Deus internum!* In quem locum Auguſtinus ſic mire ad noſtrum propoſitum diſcurrit: *Factum eſt cor caſtum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud praemium. Qui aliud praemium petit a Deo, et propterea vult ſervire Deo, charius facit, quod vult accipere, quam ipſum, a quo vult accipere. Quid ergo? Nullum praemium Dei? Nullum praeter ipſum. Praemium Dei eſt ipſe Deus. Hoc amat, hoc diligit. Si aliud dilexerit, non erit cuſtos amor. Recedis ab igne immortali: frigeſcis, corrumperis.* Ex his diſcimus 1. Sanctos, et ſcripturam nomine *retributionis, mercedis, caeleſtium bonorum* Deum ipſum ut in ſe eſt, *ſibi, et nobis Bonum* non amore *concupiſcentiae*, et *ſpei*, ſed *charitatis* deſideraſſe, reſpexiſſe. diſcimus 2. Deſiderium coeli aliud a Deo *in ſe, et nobis Bono* non eſſe *Caſtum* amorem, ſed purum putum *mercenarium* concupiſcentiae *affectum*, eſſe *receſſum ab igne immortali*, eſſe *frigus*, et *corruptionem*. Quia talis, qui pro *alio praemio, quam pro Deo ipſo, ſervire vult Deo, charius facit id, quod vult accipere, quam ipſum, a quo vult accipere.* Atqui Speiſtae deſiderant, amant coeleſtem *Propter retributionem eſt*

Propter Deum operari.

bea-

beatitudinem *aliam* a Deo *in se*, *et nobis* Bono; quia in suis principiis nullo modo amant Deum ut *in se bonum charitate*, sed *sibi* dumtaxat *bonum amore spei*. go Speistae non *gratis* amant Deum, sed mercenarie, et charius faciunt caelum, ut sibi bonum, quam Deum in se bonum. Paritas est a *Filio* haereditatem Patris absque ullo amore Patris desiderante. Cui similes sunt speistae. At de tali Filio per omnia vera sunt verba Augustini, quod non *gratis* amet Patrem: Quod *chariorem* facit *haereditatem*, quam Patrem: quod *aliud* praemium petat, non Patrem: quod ideo *recedat a Patre*, *frigescat*. go eadem dicta Doctorum Aquilae verissima etiam sunt de poenitente cum *amore spei*. Discimus 3. charitati non repugnare *mercedem*, et *retributionem* aeternam *suo modo* a nobis sperari: Nam cum objectum charitatis sit *Deus in se*, et *nobis Bonus*, laudabiliter desideratur id, quod Deus charitatis nobis amanter et promisit, et largitur. Talis est vita aeterna diligentibus se decreta. Patet ex Tridentino sess. 6. cap XI commendante eos, qui operando, *ut in PRIMIS glorificetur Deus*, *mercedem QUOQUE intuentur aeternam*. Quibus verbis gloria Dei *principalis*, merces aeterna *secundarius* finis operum statuitur.

Verus amor spei charitate animatus.

XXVIII. Valde itaque differunt: *unice*, *principaliter*, hic, et nunc *tantum*: et haec: *secundario*, *consequenter*, *etiam*, *praemisso fine principali* propter retributionem *quoque* aeternam agere. Hi posteriores agunt *Principaliter* propter Deum, *secundario* propter mercedem a Deo sibi repromissam sub conditione dilectionis ejus. go sic operando diligunt Deum *in se*, *et nobis* Bonum, nos beatos reddentem, suam beatitudinem nobiscum comunicantem. go hi *caste*, *et gratis* amant Deum, ut vult amoris Magister, non aliud, sed ipsum Deum sibi in praemium petentes, idque *principaliter* ut *tantum in se bonum* aeternum amare possint: *secundario*, *et reductive* ut *et ipsis* sub tam amabili Deo amato aeternum bene sit. Haec est spes Christiana charitate Dei animata, quam sic pulchre describit junior amoris magister S. Franciscus Salesius l. 1. de amore Dei c. 17. *Spei amor est amor cupiditatis*, *sed cupiditatis rectae*, *qua Deum non ad nos*, *nostramque utilitatem referimus*, *sed illi ut felicitati nostrae ultimae adhaeremus. Hoc amore nosmetipsos cum Deo amamus*, *sed non Deo nos aut anteponimus*, *aut aequamus. Nostri amor cum Dei amore conjungitur*, *sed Dei amor est VALIDIOR. Amor proprius hic sane adest*, *sed veluti COMES*, *non ut causa PRAECIPUA. Adest nostra utilitas*, *sed HUIC DEUS ANTEPONITUR. Ut summum bonum nostrum Deum amantes non illum ad nos trahimus*, *sed nos ad illum imus. Non nos Dei finis sumus*, *sed ille finis noster. Non ille noster est*, *sed nos sui sumus.* Considerent coram Deo adversarii nostri, an hunc *amorem spei* eorum exigat opinio? et si affirment, tunc Fratres nostri sunt in charitate Sacramentali. Quia *amor hic spei* Dei *charitate* ut principali *fine* est animatus. Ut consideranti verba S. Salesii patet.

At Enim illi, quia *unice*, *principaliter*, et hic et nunc *tantum* retributionem sibi bonam quaerunt, et desiderant, vere *mercenarii* sunt, *servi*, non Filii, *semetipsos pro fine* suo habent, se, suaque commoda amant *primario*, ut vidimus ex nube Doctorum hic n XXI. et XXII. quia *aliud* praemium petunt a Deo, quam ipsum *Deum in se bonum*. Etsi enim speista Turnelianus credat, coelum a Deo in se, et nobis bono provenire, erga Deum tamen *in se* bonum *negative* se habet, nullo affectu benevolo Eum prosequendo; sed *unice* coelum sibi bonum desiderando: go *hic et nunc coelum sibi bonum* praefert Deo *in se bono*: quin Deum datorem coeli subalternat, et negligit prae coelo magis, imo hic et nunc unice desiderato. Paritas est in Filio ad Patrem

Patrem negative se habente, haereditatem vero unice desiderante: ideo de eo absolute verum est, quod is *appretiative*, *et intensive* hic et nunc praeferat, et praeaestimet haereditatem *Patri*, licet *hunc* nullo odio prosequatur; sufficit enim adesse *mercenarii* non *positive* amare *Patrem*, sed *haereditatem*. Quod et Speista plane. atque unice facit, go *aeque mercenarius* est.

XXIX. Haec est imago amoris Spei Turneliani omni etiam initiali charitate vacui; proinde *coelum sibi bonum* pro *fine suo* statuentis, de Deo autem *in se bono* ut objecto charitatis, velut sua opinione ad justificationem Sacramentalem non necessariae hic et nunc praescindentis: atque adeo *suum bonum* hic et nunc *magis appretiative*, *et intensive*, quin *unice* diligentis, quia solo amore spei sibi bono agentis. Enimvero *appretiatio*, et *finis* hominis est *effectus amoris* ejus, ut nemo negat. Paenitens Turnelianus *Deum propter se* nullo modo amat, sed caelum *sibi bonum*. go caelum, suum bonum prae Deo in se bono *appretiative* amat, et *pro fine suo* habet. Vis clariora? idem poenitens Speista Turnelianus a patrato scelere usque huc *creaturam appretiative plus Deo* amabat, et *pro fine* habebat. Id enim est effectus peccati gravis, quamdiu non retractatur. Inpraesentiarum dum poenitentiam agit cum amore spei charitate vacuo, jam non amat *positive* creaturam peccando male amatam; quin poenitet eum illam amasse: go convertit *appretiationem*, et *finem* suum: Quo? non ad Deum *propter se*: quia Eum charitate non amat ne levissime quidem. go convertit ad aliam creaturam, quam amore spei amat, nempe ad caelum sibi bonum. go poenitens speista caelum, suum bonum *appretiative* ut *finem suum* amat prae Deo, quem nullatenus amat. Nulla hic est ad effugium rima: nisi dicant, in amato Deo *sibi bono* converti amorem, *appretiationem*, et *finem* ad Deum. At jam nos hic n XXI. XXII summis auctoritatibus praeoccupavimus, amorem *Dei nobis boni* non esse *proprie amorem Dei*; sed *propriae quietis*, non quidem jam malum *intrinsece*, quia tamen *unice suaae*, ideo *imperfectum*. Quin cap V docebimus, hunc amorem spei, ut timorem mere servilem inferni, imparem esse ad *positive* convertendum affectum a peccato ad Deum: Sed *negative* dumtaxat reprimere affectum actualem peccati tectum, et repressum, remanente habituali affectu, et *fine* priore. Audiamus hic brevem sententiam Angelici l. 4. contra gentes. cap. 77. *Mens nostra debite ad Deum converti non potest sine charitate.* Augustinum ep. 145. *Tantum quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit.* Mellifluum Serm. 3. de diversis: Et *qui timet ire ad portas inferni, et qui DEUM CUPIT VIDERE PROPTER QUIETEM SUI, uterque perfecto QUAERIT QUAE SUA SUNT.* et libr. de dilig. Deo cap. 12. *Sola, quae in Filio est charitas non quaerit, quae sua sunt. Quamobrem puto de illa dictum: lex Domini convertens animas. Nec AMOR PRIVATUS convertunt animam, mutant interdum vultum, vel actum, AFFECTUM NUNQUAM.* go sub amore spei charitate vacuo nulla sane est *appretiatio* Dei: quin *finis* peccato olim constitutus non *efficaciter*, non *positive* mutatur, et *novus* sub amore spei inefficaciter assumptus, est in *amore sui*, licito quidem jam, quia a desiderio spei profecto, sed tamen *Deum propter se* charitate non attingente, quia hoc vires purae spei excedit. Ut de timore servili dicemus pluribus cap. V.

Amor spei Turnelianus nihil habet charitatis:

Suum bonum plus Deo appretiative amat.

Convertit se ad caelum sibi bonum.

Affectum ad peccatum negative tantum excludit.

Nec finem peccato constitutum positive mutat.

XXX. Audiant jam Speistae, quid de hoc puro, et mero, charitate vacuo spei amore, quietem suam *pro fine* habente statuat laudatus Junior amoris Magister S. Franciscus Salesius l. de diligendo

Deo cap. 17: *Haec eſt impietas non ferenda.* (non ſpei, non *intrinſeca* operi: nam hoc in ſe bonum eſt, ut actus ſpei: ſed *operantis* in *ſuo bono* conquieſcentis, nec ad charitatem aſſurgentis: Ut dictum cap. I n XXIX not. 8. 9. 10 ad 1. et 4.) Pergit porro Sanctus: *Perfectioni igitur non adverſatur Paradiſum cupere, et propter illum agere; verum illi opponitur propter Paradiſum DUMTAXAT agere, illumque ADSE referre, non ad* DEUM, *cui gratis eſt ſerviendum, ideſt propter ipſum, ut ejus aeterno amore fruamur, et fruendo illum perfecte amemus.* Atqui adverſarii noſtri *propter Paradiſum DUMTAXAT* agunt, *illum ad ſe* referunt, non ad Deum propter ſe diligendum. go *non gratis* Deo ſerviunt, quia non pro aeterno ejus propter ſe amore, ſed pro aeterna ſua quiete. Ut vidimus hic n XXI. XXII. Tum concludit Divus: *Chriſtiani hominis vita CURSUS eſt CHARITATIS, quae in illo per baptiſmum diffunditur, et per alia Sacramenta augetur, bonis operibus roboratur, et in caelo completur, ubi ſola manet veluti in regno, cujus lex charitas. Inquit S. Auguſtinus.* go datur *praeceptum* omnia opera noſtra *ex charitate ſaltem virtuali* agendi, ad Deum *in ſe* bonum referendi. *Omnia veſtra in charitate fiant.* 1. ad Cor. 16. *Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* ad Coloſs. 3. *Finis legis charitas.* 1. ad Timoth. 1. (recole cap. 1. a n. XXII.) Eſt *novi teſtamenti character.* Ut Auguſtinus ep. 120 ad Honoratum ait: *Quis cultus ejus, niſi amor ejus? hoc colitur, quod diligitur. Ut hoc ſit pertinere ad teſtamentum novum, legem Dei habere non in tabulis, ſed in cordibus ſcriptam, hoc eſt intimo affectu juſtitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur.* Conſpirat Angelicus: *Vetus lex dicebatur LEX TIMORIS, nova lex amoris.* Perfectio, et *forma extrinſeca* virtutum. Auguſtinus de morib. Eccles. c. 6. *Ut breviter complectar, quam de virtute habeam notionem, virtus eſt charitas, qua id, quod diligendum eſt, diligitur. - - Hoc Deus eſt, cui ſi diligendo aliquid vel praeponimus, vel aequamus; nos ipſos diligere neſcimus:* l. 4. Contra Julianum c. 8. *abſit, ut virtutes verae cuiquam inſerviant, niſi illi, vel propter eum, cui dicimus: Deus virtutum converte nos. Virtutes - - niſi ad Deum retuleris, etiam ipſa vitia ſunt potius* (extrinſecae relationis omiſſione) *quam virtutes* perfectae: ut ipſe ſeipſum explicat epiſt. 56. *non quod alia bona non ſint* in ſuis objectis, et motivis intrinſecis, *ſed SUMMUM id dicitur, quo cuncta referuntur. Quid erit optimum hominis, niſi cui inhaerere eſt beatiſſimum? id autem eſt ſolus Deus, cui inhaerere certe non valemus, niſi dilectione, amore, charitate.* (a) *Quod ſi virtus ad beatam vitam ducit, nihil omnino eſſe virtutem affirmaverim, niſi ſummum amorem Dei.* Quin et Angelicus 1. 2. q. 25. a. 7. docet, poſſe actionem bonam eſſe *officio*, ſed non *perfecte* bonam, ſi deſit *ordinatio debita ad finem ultimum.* Rationem dat Scholaſticorum decus: quia tunc bona eſt actio, cum *omnem ſuam perfectionem* habet: mala vero, ſi *illi aliquid* deſit. Nam *bonum ex integra cauſſa, malum ex quolibet defectu.* Primus actionis defectus eſt, ſi objectum ſit malum. Ex hoc capite virtutes charitate inferiores *in ſe, intrinſece* ſunt bonae. Secundus defectus eſt, ſi actioni, vel virtuti *circumſtantia extrinſeca FINIS* deſit. Haec ſemper vitiat *extrinſece* actiones omnes humanas, et virtutes, niſi ad charitatem *virtualiter* ſaltem referantur: cap. 1. n XXVI. Nam ratio aeternae, et incommutabilis legis Divinae vult *omnia ordinata*, ideſt ad finem illum referri, a quo, et in cujus gloriam cuncta ſunt creata. *In gloriam meam creavi eum.* Hinc Auguſtino virtus eſt *ordo amoris*, quo nempe Deum finem noſtrum ſuper omnia affective, non intenſive, continuo moraliter, et virtualiter amamus. A quo ordine quidquid deficit, *vitium* erit, operantis, non operis. de quo cap XIII plura.

Nec gratis Deo ſervit.

Praeceptum virtualiter continuae charitatis negligit.

Quod datur.

Novi Teſtamenti charácter.

Et forma virtutum eſt.

(a) go dilectio, amor, charitas ſinonima ſunt conſtanter Auguſtino. Quod in his materiis clavis eſt rectae intelligentiae.

XXXI. Haec sufficientiam *amoris spei* in Sacramento poen. ad nihilum redigunt. Nam si Apostoli monitu 1. ad Cor. 10. *sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: In quibus praeceptum strictum contineri, evicimus cap. 1. a n XXII: si inquam ipsas actiones infimas, naturales, ac nobis, bestiisque communes ex *charitatis motivo* agere jubemur, quis nobiscum in maximo justificationis Sacramentalis opere dispensavit, ut id solum ex *amore spei, commodi, et quietis nostrae* fructuose agamus? caelum, et terra peribunt ante, quam id mihi persvadeam contradicentibus praecipuis Ecclesiae Patribus, eorumque Germanis Discipulis totius antiquitatis ante Tridentinae testibus. *Cap.* I. ipsoque Tridentino Concilio. cap. II.

go amor spei Turnelianus undique nutat.

Concludamus hactenus dicta verbis immortalis memoriae Theologi, et Episcopi Joannis Merbesii, qui tom. 1. Quaest. 10 totam hanc doctrinam nostram complectitur, ita differens: „Dico tertio: Sancti Deum gratuito amore diligere, et mercedem pariter intueri possunt. Ita Vates Regius pari ad amorem veritate Deum affatus est, cum cecinit: *Inclinavi cor meum ad justificationes tuas in aeternum propter retributionem.* Ps. 118. Pari gratuiti amoris ardore ante illum *Moyses grandis factus negavit se esse filium filiae Pharaonis, eligens magis affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* ad Heb: 11. v. 24. Quod ut liquido perspiciatur, advertendum est, *totum hujus vitae, et viae meritum ex gratuito Numinis amore esse suspensum; et totum alterius vitae, seu patriae praemium in eodem gratuito aeterni Dei amore esse repositum,* ita *ut tota merces gratuiti amoris sit gratuitus amor*: adeo ut *omnes Sancti nullum aliud meritum obtineant in terris, quam ut Deum summo, et gratuito amore* brevissimo hujus vitae curriculo *prosequantur*, et *nullum aliud reportent bravium in coelis*, quam ut *Eundem Deum suum* per totam aeternitatem *gratuito etiam amore, sed ardentiori, sed continentiori, sed defaecatiori diligant.*„

Vera imago spei Christianae ex Merbesio.

„Ergo *totum meritum facit gratuitus amor*, ergo *totum praemium facit gratuitus amor.* go gratuitus amor *nulla privatae mercedis, quae sit extra Deum, contagione inquinatus* cum mundo, et hujus mundi principe luctatur in hujus corporis tabernaculo, et amore gratuito donatur coronandus in coelo. *Gratuitus ille amor Sanctorum felicitatem inchoat in terris, et ille ipse amor eandem felicitatem consummat in coelis:* Deus denique, qui charitas est, coronat Sanctos suos aeterna charitate, eos in se transformat, ut una charitate ardeant, una charitate luceant, et ipse Deus sit omnia in omnibus, et omnia, et in omnibus Christus; qui nihil habuit antiquius, quam ut magno pietatis Sacramento, et adorandi cruoris pretio, et Sacrorum Mysteriorum commercio inextinctum Divini amoris ignem tam in terris, quam in coelis accenderet.„

„Ex hac doctrina conficitur, quod *propter mercedem*, sive retributionem *operari non est oculos a Deo adse reflectere*, vel *aliquid extra Deum*, quod valde vitiosum est, vel *etiam IPSUM DEUM tanquam UTILEM SIBI MERCEDEM* (tantum, praescindendo ab ejus INSE charitate) *expectare*, ut amor ejus, et opus amoris ultimo tandem ad nos ipsos terminetur. Absit, ut ita Christianus *propter retributionem* operetur! sed hoc est *propter retributionem* operari, ut *operis boni, quod propter justitiam, hoc est Deum gratis dilectum operaris, Deus ipse magis adhuc gratuito diligendus in aeternitate sit merces: amor enim amoris retributio erit:* quod non est imperfecte, sed perfectissime servire Deo, et omnibus Christianis omni virium contentione praedicandum est.

eſt, inculcandum, commendandum. Nam cum omnes Chriſtianos ſe ſe ad unam Chriſti voluntatem componere oporteat: nec Chriſtus aliud voluerit, aut ſpectaverit in diebus carnis ſuae, quam ut homo diligeret Deum, *non illo ſpurio amore concupiſcentiae*, quo, cum retorqueatur in noſtra commoda, et in noſmetipſos, *non Deum, ſed nos diligimus:* profecto *totus Chriſtiani hominis curſus ab primi Divini amoris inſpiritione ad Supremum vitae halitum nonniſi Divinae charitatis cenſus eſſe debet:* ut qui per nimiam Chriſti charitatem redemptus eſt, et revocatus ad vitam, per charitatem etiam, et in ea, et ex ea vivat, et ſic velut alter Moyſes in oſculo Domini moriatur. *Jeſus* enim, ut ait S. Auguſtinus, *non opus erat, ut veniret, niſi propter Charitatem.* Fons eſt, quem voluit Dominus hic ponere, ne deficiamus in via, et abundantius eum bibamus, cum ad Patriam venerimus. *Charitas igitur non quaerit, quae ſua ſunt,* ſed *quae Jeſu Chriſti:* et *per hoc ſecernuntur a filiis perditionis omnes Sancti,* qui diligunt Dominum Jeſum in incorruptione. „Haec incomparabilis Merbeſius.

Sibi itaque habeant attritioniſtae *praeciſiones mentales* (ex Philoſophia, ubi ipſa *animalitas* a *rationabilitate* ingeniorum unice excruciandorum cauſſa diſtinguitur, ad Theologiam traductas) (*a*) *motivorum ſpei*, et *charitatis*. Quin dilatemus omnes affectus, ſinusque amoris noſtri, et quidquid Deus eſt, id totum in cumulo ſine praeciſione ulla diligamus: memores illius amantiſſimae promiſſionis: *Ego!* non creatum a me coelum tibi bonum, ego *in me*, et *tibi* infinite bonus, *ego ero merces tua magna nimis.* Gen. 15.

Sed ut ad Cl. Turnelium redeat oratio: noveram, me in commenda *charitatis initialis* praxi parum, aut nihil profecturum, quamdiu opinio *amoris ſpei* regnum tenuerit; ideo Siſtematis hujus principia inſuperabilibus difficultatibus eſſe obnoxia, demonſtrare neceſſitatem mihi impoſitam vidi, unice ideo, ut viam planam redderem charitati Sacramentali: Non certe ut exiſtimationi eruditiſſimi Doctoris Sorbonici quidquam detractum velim: quem in pleriſque aliis (*b*) ut ſummum Theologum, ut eruditionis Sacrae compendium, quin ut Magiſtrum meum colo: atque ut in omnium Sacrorum virorum manibus, et amoribus ſit, deſidero. Sed jam a Tridentini ſeſſ. 6. unde *amor ſpei* nos paulum digredi coëgerat, ad ſeſſ. 14 tranſeamus, in ea quoque charitatis Sacramentalis neceſſitatem quaeſituri.

CAPUT

(*a*) Abuſum Philoſophiae magna detrimenta verae Theologiae eſt intuliſſe, antiqua querela ipſorum etiam SS. Patrum; nullis tamen lacrimis deplorari pro dignitate poſſunt vulnera illa, quae poſt Tridentinum uſque ad Saeculi hujus medium regnans in ſcholis multis, (non omnibus) Theologia *nominalis*, et *pure ſpeculativa*, neglecta ſcripturae, et PP auctoritate, pleraque Chriſtianorum dogmatum capita ex ratione emetiens, veritatibus Catholicis cauſſavit. Quas inter merito nominandam eſſe materiam Sacramenti poenitentiae toti antiquitati in contritione charitate initiali animata conſiſtentem, hactenus dicta indubium reddunt.

(*b*) Paſſim hodie deſeritur Turnelius etiam in iis, quae pendent a *ſcientia media*; cujus ille eſt noviſſimus Illuſtrator. Si quis ſibi ſumeret laborem, *in Turnelio* reformandi *ſcientiam mediam*, et *amorem ſpei*, emendandique omnia, quae in univerſa ejus Theologia e duobus his principiis deducuntur, Nae is numeris omnibus abſolutum daret *in illo* Orbi univerſo Theologum. Interim deſiderium hujus laboris ſatis temperant illuſtres Theologi Vincentius Contenſon, Carolus Billuart, Laurentius Berti, Inſtitutiones Lugdunenſes, Carolus Vitaſſe, et plures alii hic paſſim laudati; quorum utiliſſimis operibus poſteriori hujus Soeculi parte Theologia tota auream faciem induit, ac potiſſimum charitas Sacramentalis aurorae inſtar ſplendidius in dies reſulgeſcit.

CAPUT QUARTUM.

Concilium Tridentinum Seſsione XIV *Capite III, et Capitis IV parte priori materiam Sacramenti poeniten-tiae* contritionem charitate formatam *ſtatuit: proinde* ſuffi-cientiam attritionis pure ſervilis *ſuffodit.*

I. Caput hoc fundamentum eſt ſequentis Capitis V*ti*. Nam cum attritioniſtae praetendant, opinionem ſuam a Tridentino ſeſſ. XIV cap. IV*ti* parte poſteriore canonizatam, ſive deciſam eſſe, antequam id in examen vocem, aſſero: Concilium capite III, et initio IV*ti* *contritionem charitatem formatam* pro materia Sacramenti poen. *ex Divina inſtitutione* declaraſſe. Quod ſi evicero, corruet ſuapte nullo alioquin fundamento nixum attritioniſtarum aſſertum; cum nec cogitari prudenter poſſit, organum Spiritus Sancti Concilium Gene-rale in eadem ſeſſione et *contritionem charitatem animatam* pro *neceſſaria* Sacramenti poen. *materia* declaraſſe, et *ſufficientiae attritionis pure ſervi-lis* favere ſive voluiſſe, ſive potuiſſe. Exſcribamus textus Conci-lii, ut ante oculos mentis noſtrae aſſidue verſentur. Capite III ita magnum Concilium decernit: *Sunt autem quaſi materia huius Sacra-menti ipſius poenitentis actus, nempe CONTRITIO, confeſſio, et ſatisfactio.* De *neceſſaria* materia ſermonem eſſe, elucet ex ſequentibus verbis: *Qui quatenus in poenitente AD INTEGRITATEM SACRAMENTI, ad plenamque, et perfectam peccatorum remiſſionem ex* DEI INSTITUTIONE *requiruntur, hac ratione partes Poenitentiae dicuntur.* Tota difficultas in eo eſt, quid Concilium intelligat nomine *Contritionis?* nos more Majo-rum, ut omnibus hactenus capitibus contemplati ſumus, dolorem cha-ritate animatum intelligimus. Quae ſententia et *tutior* eſt, utpote Sacramenti paen. integritati mediante Charitate certo conſulens. Nec ſolida eiprobabilitas negari poteſt, ut mox invicte docebimus. go unice tenenda eſt. Ex adverſo autem adverſarii docent (utor verbis P. Antoine de Contrit. a. 8. ſect. 2. Resp. ad objection 3.) *contritionem in his locis* (cap 3. et initio 4) *ſumi GENERICE, et abſtrahendo A MOTIVO. Hanc autem ſic definitam* contritionem *dividi in contritionem charitate per-fectam, et imperfectam, quae attritio dicitur.* Quam *attritionem* ibi in ſolutione inſt. 3. *ex timore poenarum ortam*, omni charitate *Dei propter ſe dilecti* vacuam, proinde *mere ſervilem* ait. Cuius doctrinae nullum hactenus in omni antiquitate ante Tridentina vidimus veſtigium. Igitur eo ipſo rejiciendam omnino eſſe, velut ad ſufficientiam attritionis ſervi-lis defendendam a poſteriori aevo infeliciter inventam, ſequentia in-vincibiliter, et ineluctabiliter probant:

Decretum Tridentini cap. 3. de materia Sa-cramenti poen.

II. Enim vero vidimus cap. 1. n. I ex Luce antiquitatis Bene-dicto XIV, ab omni retro antiquitate duplicem agnitam eſſe *contritio-nem* ſub eodem objecto formali *Dei propter ſe dilecti: perfectam, et im-perfectam* gradu, et intenſione charitatis. Vidimus 2. ibi n II, ante natum attritionis vocabulum Saeculis ultra decem in Eccleſia Chriſti dolorem *aliqua Dei charitate* animatum pro *neceſſaria* Sacramenti poen *materia* habitum fuiſſe. Vidimus 3. ibi a n IV, Ipſum *attritionis* vo-cabulum in ſcholis civitate donatum pro dolore *initiali charitate* for-mato uno ore fuiſſe uſurpatum. Tanto itaque magis vocem *contritio* nemo omnium Antiquorum, niſi pro *dolore charitatis* uſurpaſſe oſtendi

Nomine contritionis do-lorem charitate forma-tum intelligi elucet. Ex hacteuus dictis.

unquam potest. Cui ergo disinteressato persvadebunt adversae opinionis Patroni, Tridentinum deserta veteri omnium Saeculorum traditione vocem *contritio* generice, et *sine motivo* usurpasse? Vidimus 4. ibi a n. XI usque ad XVII Venerandos *antiquitatis testes* Theologos ante Tridentinos, *eorumque magistros* SS. Ecclesiae Patres, et Doctores ad Sacramenti poen. valorem *charitatem* uno ore exigere: *servilem* vero *metum* ut insufficientem rejicere: consentiente iis 5to: ibi a n. XVIII usque ad XXII Sacro-Sancta *Scripturae* auctoritate. An his omnibus neglectis novam opinandi viam ingressum est organum Spiritus Sancti Tridentinum, ut attritionistis nondum tunc natis praeluderet? Credat, qui statim omnia. Potissimum 6. cum viderimus c. I. not. ad n. II. testibus Dominico Soto, Andrea Vega, Vivaldo, Bellarmino, aliisque, referente Vitasio, INNUMERIS, *ante*, *sub*, et *post* Tridentinum usque ad ortos servilistas vocem *contritio* pro *dolore charitate Dei* animato fuisse in Ecclesia Dei uno ore usurpatam. Invicte proinde sequitur, pro eodem pariter a Tridentino hoc cap. usurpatam esse. Vidimus adhaec 7. ibi a n. XXX usque ad finem cap. *Sufficientiae attritionis servilis* ante Tridentinum nullum esse fundamentum, quin vix vestigium. Igitur Tridentinum sub nomine *contritionis* ut partis Sacramenti necessariae *metum servilem* non inclusit, nisi dicatur, deserta *antiqua traditione* novam nobis Theologiam obtrusisse. Quod vel cogitare horrescimus. Quod amplius est, vidimus 8. toto cap. II, ipsum Tridentinum sess. 6. inter dispositiones ad Sacram poen. necessarias *charitatem initialem* exigere. Vidimus 9. ibi a n XII admittendam esse summis Doctorum testimoniis *charitatem* ad hoc Sacram *praeparatoriam*. Nisi igitur *charitatis* quoque vocabulum adulterare ausint adversarii, nomine *contritionis* aliud, quam dolorem *charitate* formatum intelligere nequeunt. Praesertim 10. Cum viderimus toto cap. III, ipsum sistema Speistarum undique rimas agere, quia nullo fundamento nixum.

Ex scriptura. III. Haec quamquam ineluctabilia sint veritatis studioso, multa tamen, graviaque adsunt momenta, quae decretorie evincunt vocabulum *contritio* hoc loco a Tridentino pro dolore *charitate* animato usurpatum esse. Atque id primum docet scriptura Sacra. ex qua sic:

Tridentinum hoc loco declarat, *CONTRITIONEM (sine addito) EX DEI INSTITUTIONE* materiam esse Sacramenti poen. atqui *contritio* sine addito *EX DEI INSTITUTIONE* exprimit dolorem *charitate* formatum. Evinco, si dubitas. Sic Ps. 50. v. 19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor CONTRITUM, et humiliatum Deus non despiciet.* Ps. 33. v. 19 *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde.* Graecus habet: *CONTRITO.* Ps. 146 v. 3. *Qui Sanat CONTRITOS corde.* Isai 57. v. 15. *Haec dicit excelsus - - et in Sancto habitans, et cum CONTRITO, et humili Spiritu. - - ut vivificet cor CONTRITORUM.* et cap. 66. v. 2. *ad quem respiciam, nisi AD CONTRITUM Spiritu?* Ex quibus hoc argumentum per se fluit: His locis scripturae ly *contritio* ex *Dei institutione* significat unice dolorem *charitate* formatum. Atqui teste Tridentino *contritio EX DEI INSTITUTIONE* est materia Sacramenti poenitentiae. Ex adverso autem si adversarios audiamus, contritio *ex Dei institutione, ad plenam, et perfectam peccatorum remissionem requisita* declarante Tridentino sess. 14. cap. 3. est sumpta *generice*, et *abstrahendo a motivo*. Ubi obsecro te! hujus Theologiae *in scriptura*? in *Patribus*? in *antiquis Doctoribus* vel vola? vel vestigium? quae scriptura? quae traditio vocem *contritio generice* sumpsit, et *abstrahendo a motivo*? Ve-

re

re dixit Auguſtinus l. de quant. animae c. 7. *Auctoritati credere M. gnum compendium eſt, et nullus labor: a qua qui recedunt, in varias, noxiaſque opiniones labuntur, ut emergere inde, ac liberari aut nunquam, aut aegerrime queant.* Repeto argumentum meum: Teſte Tridentino *contritio ex Dei inſtitutione* eſt materia Sacramenti poen. Atqui teſte ſcriptura *Dei inſtitutionis* indice, contritio eſt dolor de peccatis charitate Dei animatus. go teſte Tridentino, et Scriptura Sacra contritio qua dolor charitate Dei formatus eſt materia Sacramenti poenitentiae.

IV. Illuſtrat hoc argumentum mirifice id, quod refert Lucas cap. 4. v. 16. *Venit* Jeſus *Nazareth, et intravit in Sinagogam. et ſurrexit legere*, v. 17. *et - - invenit locum, ubi ſcriptum erat* Iſai 61 v. 1. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, SANARE CONTRITOS CORDE.* v. 19 *praedicare captivis remiſſionem, DIMITTERE CONFRACTOS IN REMISSIONEM, praedicare annum Domini acceptum* (Iubilaeum a Servitute diaboli) *et diem retributionis.* v. 20. *et cum plicuiſſet librum*, v. 21. *caepit dicere ad illos: quia hodie impleta eſt haec ſcriptura in auribus veſtris.* Ex quibus haec colligo: apud Iſaiam c. 61. v. 1. per *CONTRITOS CORDE* certo intelligitur *dolor charitate formatus*, nullo alio in V. Teſtamento exiſtente quoad adultos juſtificationis remedio. Ut fatentur omnes. Atqui teſte apud Lucam aeterna Sapientia: *Hodie*, ideſt: per Chriſtum, et in nova lege, Sacramento poen. inſtituto *impleta eſt* plene, adaequate *haec ſcriptura in auribus noſtris:* in quantum nempe poenitentia olim *ut virtus* ab Iſaia commendata, a Salvatore in *ratione Sacramenti* inſtituta, elevata, et divulgata *impleta*, et perfecta eſt; *Cum claves caeli Eccleſiae tradidit, eaque faciliori ratione omnium hominum ſaluti conſuluit Redemptor, confeſſione contritionis perfectionem ideſt intentionem ſupplente:* ut doctrinaliter eruitur e Catechiſmi Romani de poen. §. 36. et 37. go innegabile eſt, hic a Chriſto praedici, virtutem poenitentiae a ſe ad rationem Sacramenti elevandam eſſe poſt reſurrectionem; ejuſque materiam nunc pro tunc deſignari verbis illis: *contritos corde*, ut in ore Iſaiae, ita in Chriſti *dolorem charitate formatum* ſignificantibus. Sane nemo negaverit, Chriſtum dictis verbis: *Sanare CONTRITOS CORDE*, Sacramenti poenitentiae materiam deſignaſſe: nam poenitentia *ut virtus* jam ab initio inſtituta erat; quia ut Tridentinum ait: quovis *tempore ad remiſſionem peccatorum neceſſaria erat.* go quia Auctor Sacramentorum utitur verbis Iſaiae, aſſeritque, *hodie impletam eſſe hanc prophetiam in auribus noſtris*, aliquid plus Iſaia Chriſtus dicit; go loquitur de *materia Sacramenti.* Imo dictis verbis Auctor Sacramentorum poen. Sacrm partialiter inſtituit. Quod pulchre concordat cum Tridentino ſeſſ. 14 cap. 1 dicente: *Dnus Sacrm poen. tunc PRAECIPUE inſtituit, cum a mortuis excitatus dixit* Joan. 20: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* etc. Dedita opera additum eſt: *tunc PRAECIPUE*: quia Joan. 20 inſtitutus eſt actus JUDICIALIS in Confeſſione, et abſolutione conſiſtens: Lucae 4 MATERIA ejus per *Contritos Corde* deſignata. Fateor, plura alia dogmata h. l. a Chriſto Iudaeis propoſita fuiſſe: ut Meſſiae adventum completum, Redemptionem generis humani. &c. At Sacramenti poen. inſtitutionem, ejusque materiae deſignationem verbis cit. contineri, nec attritioniſtas puto negaturos. Nam omnibus quidem *evangelizavit*, et *pro omnibus mortuus eſt* Dominus: at adultorum SOLOS *contritos corde ſanaturum* ſe ut in veteri, ita in nova lege, go et per Sacram poen. Salvator hic abſque ambagibus pronunciat. Nulla igitur hic eſt ad evadendum rima: niſi forte aſſerant adverſarii, tam Iſaiam, quam Salvatorem de Contritione *in genere, et abſtrahendo a motivo* locutos; ut ajunt loqui Tridentinum

Quo

Quo commento majus, et horribilius orbis Theologicus non vidiſſet. Nam Iſaias certo loquitur de contritione *charitate* animata; nullo tunc alio remedio peccati pro adultis exiſtente. Redemptor loquitur in ſenſu Iſaiae: *hodie completa eſt HAEC prophetia.* Tridentinum loquitur in ſenſu Chriſti, definiens, *contritionem ex Dei inſtitutione eſſe materiam Sacramenti poen.* Ubi unquam Chriſtus locutus eſt de contritione *in genere, et abſtrahendo a motivo?* nuſpiam certe. At de *contritione charitate animata* evidenter locutus eſt laud. Lucae c. 4 go fatendum eſt, eodem loco *contritionem charitate formatam EX DEI INSTITUTIONE* materiam Sacramenti hujus eſſe deſignatam.

A PP. de Sacramento poen. intellecta.

V. Non mea eſt haec doctrina, quamquam alioquin toto corde mea, ſed innumerabilium illorum Sanctorum PP. eorumque diſcipulorum veterum Doctorum, quos praemiſſis tribus jam capitibus noſtris pro *charitate Sacramentali* laudavimus, qui nempe charitatis in ſcriptura oracula *ad Sacram poen.* pertinere contendunt. Ex quibus illud 1. ad Cor. 10. v. 31: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite:* ad Sacrm. poen. ex motivo charitatis agendum pertinere docet Joannes Nider c. 1. n VIII.

Illud Joël 2. v. 12. *convertimini ad me in toto Corde veſtro:* de Sacramento poen. uſurpant Joannes Daventria c. 1. n XIII. S. Cyprianus n. XIV.

Similiter illud 1. ad Cor. 13: *Si charitatem non habeam, nihil ſum* Ven. Beda c. 1. n XIV. S. Auguſtinus ibi n. XV. Echius n XLI. eam ut comunem ſui temporis tradens ſententiam.

Exemplo Lazari vita initialis charitatis vivendum eſſe poenitenti abſolvendo, docent innumeri PP. et Doctores, c.I n. XVI. et XVII.

1. Joan. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte* de Sacramento quoque poen. intelligit S. Raimundus de Pennafort c. II. n. I. recole cap. I. n XX. et XXI. ubi his plures conteſtes invenies.

Quin et a Conc. Tridentino.

VI. His accedunt textus ſcripturae a Conc. Tridentino pro Sacramento poen. laudati., qui veram contritionem *charitate animatam* exhibent. Quorum alios ex ſeſſ. 6. c. 6 elucidavimus cap. II. n. XI. et XII.

Eadem ſeſſ. 6. cap. XIV ita in Spiritu Sancto inſtruit idem Concilium: *Docendum eſt, in* Chriſtiani hominis poenitentia *contineri non modo ceſſationem a peccatis, et eorum deteſtationem, aut cor* CONTRITUM, *et humiliatum, verum etiam eorum Sacramentalem Confeſſionem ſaltem in voto, et ſuo tempore faciendam, et Sacerdotalem abſolutionem. - - - de qua poenitentia Scriptum eſt: Quae ſecundum Deum triſtitia eſt, poenitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Ideſt: triſtitia Dei cauſſa, et ex charitate facta, vera, et ſtabilis eſt poenitentia. Ex quibus ſic arguo: Tridentinum *cor contritum*, et *triſtitiam propter offenſam Dei* aeque requirit in Sacramento *in re*, ac *in voto*: atqui *in voto* juxta omnes requiritur *cor contritum*, et triſtitia *verae charitatis*; go et *in re* eadem charitate formatus dolor requiritur *quoad ſubſtantiam*, licet *quoad modum intenſionis* minor juxta id, quod ipſum Tridentinum c. 4. ſeſſ. 14 tradit de contritione perfecta. De qua nos h. n. XXII.

Rurſum hic ſaltem textus Ps. 50. *Cor contritum, et humiliatum non deſpicies* (ut de aliis brevitatis ſtudio taceam) cit. inquam textus a Spiritu Sancto inſpiratus, et a coronato Vate conſcriptus eſt in exemplum *contritionis ſpecificae, charitate* animatae. go et a Tridentino eodem ſenſu relatus eſt ſeſſ. 6. c. 14. Quis enim dicat Tridentinum ſenſum a Spiritu Sancto intentum deſeruiſſe? Si igitur Tridentinum

ſeſſ.

ſeſſ. 6. c. 14. cit. textu vera charitate animatam contritionem requirit *in re*, UT *in voto* Sacramenti poenitentiae, neceſſario ſequitur, quod et ſeſſ. 14 cap. 3 de eadem *ſpecifica contritione* loquatur. Secus organum Spiritus Sancti in duabus his ſeſſionibus, et capitibus non eodem ſenſu, nec conformiter loqueretur. Quod nemo dicet.

VII. Atque hanc ſolam eſſe veram, atque Eccleſiae menti conformem Theologiam, eluçet ex ppone 5 Lutheri a Leone X damnata in his verbis: *Tres eſſe partes poenitentiae*: CONTRITIONEM, *confeſſionem, et ſatisfactionem, non eſt fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis Sanctis Chriſtianis Doctoribus.* Cujus pponis cum contrarium verum eſſe debeat, conſequens neceſſarium eſt, eam nobis *contritionem* pro neceſſaria Sacramenti poen. parte agnoſcendam, defendendamque eſſe, quae *fundata ſit in Sacra Scriptura, et in antiquis Sanctis chriſtianis Doctoribus.* Talem eſſe noſtram (de qua depugnamus Tridentinum ſeſſ. 14 c. 3. loqui) *charitate Dei formatam*, cuncta hactenus dicta. ſpecialiter hic a n. II congeſta convincenter docent. go cum Leone X, et cum Eccleſia Dei loquimur, quum pro contritione charitate Dei animata ut parte Sacramenti ex Sacris litteris, et antiquis Sanctis Eccleſiae Doctoribus depugnamus. *Ex Confeſſione,*

At adverſarii unde deducent ſuam *genericam* contritionem, et *abſtractam a motivo*? quae ſcriptura? qui Patres? qui antiqui Doctores hic unquam locuti ſunt? vere diceret hodie adverſariis Lutherus: *contritionem* IN GENERE, et ABSTRACTAM a motivo a Tridentino ſeſſ. 14 cap. 3 pro materia Sacramti poen. ſtatui *non eſt fundatum in ſcriptura, et in antiquis Sanctis Chriſtianis Doctoribus.* Quae aſſertio ut certa veritas eſt, ita ſiſtema attritioniſtarum, et ſpeiſtarum falſum, falſiſſimum reddit, et Concilio Tridentino longe omnium injurioſiſſimum.

VIII. Vis adhuc clariora? Obſervo, Tractatum Tyrnavienſem de poen. n 25 citatam Lutheri ppnem 5 ſic referre: *Novi Auctores*, ut *Magiſter ſententiarum*, *S Thomas, et horum Imitatores tres partes faciunt poenitentiae, nempe contritionem, confeſſionem, et ſatisfactionem. Quae diſtinctio deduci non poteſt ex ſcriptura, neque ex antiquis Religionis Chriſtianae Auctoribus.* Unde hoc argumentum fluit: ea fuit opinio tempore Lutheri Catholicorum, eaque ſententia Tridentini ſeſſ. 14 cap. 3 de contritione ut parte Sacramenti, quae Magiſtri ſententiarum, D Thomae, et Diſcipulorum Eorumdem. Hoc confitetur Lutherus. At dictos veritatis Magiſtros contritionem charitate formatam unice, et *in ſpecie* pro materia Sacramenti poen. habuiſſe evidens eſt ex dictis. De Magiſtro ſententiarum Petro Lombardo meminimus cap. 1. n. II, quod confeſſionem *in charitate* fieri debere docuerit: (a) Quod item dolorem attritionis a contritione *per maius*, et *minus* ſub *eodem objecto charitatis* diſtinxerit cum communi omnium prope Scholarum, et Doctorum uſque ad a 1240. Qui omnes contritionem *cum ſuo motivo charitatis* pro materia Sacramenti poen. habuerunt. De Angelico Doctore vidimus cap. 1. n. IX, XI. Cap. item II. et III luculentiſſime. go cum ipſe Lutherus hos Doctores, ut teſtes, et Magiſtros *doctrinae Eccleſiae ſui temporis* circa partes poen. ſtatuat, invictiſſime ſequitur, Eccleſiam ante Tridentinam tempore Lutheri, et per conſequens ipſum Tridentinum ſeſſ. 14 c. 3 ad mentem Magiſtri ſententiarum, et Doctoris Angelici contritionem *cum ſuo motivo charitatis* pro parte Sacramenti declaraſſe. *Et damnatione Lutheri.*

(a) Si Lombardus fuit *Contritioniſta*, nos eam opinionem reſellemus mox n. XXII. et XXIV. Hic contritionem *genericam* jugulamus ex *confeſſione*, et *damnatione* Lutheri Lombardum teſtem *communis* ſententiae contritionis *ſpecificae* ante Tridentinae citantis ita, ſicut D *Thomam*, et *eorum diſcipulos*. De quibus toto c. 1. *vidimus*.

Ex erroribus ejus.

IX. His par est sequens demonstratio. Nemo ignorat, Conc. Tridentinum decretis suis hujus sess. 14 errores circa Sacram poen. Lutheri potissimum damnare voluisse. Ut patet ex praemio ejusdem sess: *Quamvis in decreto de justificatione multus fuerit de poen. Sacramento propter locorum cognationem necessaria quadam ratione sermo interpositus; tanta nihilominus circa illud nostra hac aetate diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicae utilitati retulerit de eo exactiorem, et pleniorem definitionem tradidisse, in qua demonstratis, et convulsis Spiritus Sancti praesidio universis erroribus, Catholica veritas perspicua, et illustris fieret. Quam nunc Sancta haec Sinodus Christianis omnibus servandam proponit.* Jam vero dictus Haeresiarcha de Sacramento poen. principaliter deliravit circa materiam ejus negando *contritionem charitate animatam in sensu veterum* esse PARTEM ejus. Ut vidimus hic n VII. et VIII: ejus vero loco partes Sacramenti asserendo *incussos conscientiae terrores. et fidem*, qua poenitens credere debeat ejus opinione, se esse vere absolutum. Hoc luculenter elucet ex ipso cap. 3. de quo agimus, sessionis 14, ubi Sancta Sinodus *damnat eos, qui poenitentiae partes incussos conscientiae terrores, et fidem esse contendunt.* Id ipsum elucet amplius ex pponibus ejus a Leone X fulmine Vaticano ictis, quarum XI est: *nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi*: Quodcunque solveris. *Hic, inquam*, CONFIDE, *si Sacerdotis obtinueris absolutionem, et CREDE fortiter te esse absolutum, et absolutus vere eris; quidquid* SITDE *CONTRITIONE.* XII. *Si per impossibile confessus non esset contritus, - - si tamen* CREDAT *se absolutum, verissime est absolutus.* XIV. *Nullus debet Sacerdoti respondere, se esse contritum, nec Sacerdos requirere.* Similiter sonant ppones ejus V. VI. VII. X. Quibus Lutherus universim contritionem omnem, quoad substantiam, specificam, et cum suo motivo a scriptura, et PP. eorumque discipulis Doctoribus antiquis ad Sacramenti poen. integritatem necessariam traditam rejecit, et partem esse Sacramenti negavit, novasque partes *adae* post naufragium tabulae, *terrores conscientiae, et fidem* confixit. Cui errori a Tridentino sess. 14 caput 3 oppositum esse verba ipsa clamant Igitur capite h. 3 sensu Lutheri dogmati contrario contritionem *specificam*, et cum *suo motivo charitatis* a scriptura, et PP. assertam, et ad *justificationem partialiter* concurrentem, utpote exemplo Lazari *vivificantem* (cap. 1. n. XVI. XVII.) partem Sacramenti poen. decerni evidens est.

Ex silentio Lutheri de contritione generica.

Ex adverso autem neque in Libris Lutheri, aeque in pponibus ejus a Leone X damnatis ullum exstat vestigium, aut mentio de contritione *generica*, et *abstrahendo a motivo.* Quam certe intactam non reliquisset Reformator, si tunc opinio illa *contritionis genericae* ut partis Sacramenti nata fuisset. Ex quo Lutheri silentio colligimus, eam tunc inauditam fuisse inter Catholicos Doctores, nec proinde de illa Tridentinum c. 3 loqui A cipe paritatem cap. 1. n XXXI obj. 5. relatam, et n. XXXVI explanatam. Quamvis Catholici Doctores aevo illo metum poenarum *remotam* tantum ad Sacrm poen. *dispositionem* docerent, *ibi*, negarentque *attritionem servilem* in Sacramento fieri *contritionem*, quia tamen Haereticus metum poenarum vitiosum esse tenebat, calumniabatur Catholicos Doctores, quasi hi docerent, actum malum fieri in Sacramento contritionem, proximamque dispositionem Quid igitur non esset Calumniator? si tunc ab *attritionistis servilibus* audivisset, ut hodie palam docent: Contritionem a Tridentino sess. 14 c. 3 accipi *generice, et abstrahendo a motivo*: eamque c. 4 dividi in perfectam per se justificantem Sacramento non necessariam, et attritionem servilem, quae sola necessaria sit pars Sacramenti. Igitur ex silentio Lutheri invictum est argumentum.

Conc.

Conc. Tridentinum h. c. 3 de contritione *generica*, velut nondum tunc nata non agere. Sed de Lutheri erroribus mox plura.

X. Ante Lutherum controverſiam movit circa Sacramentum poen. Vicleſus, qui *contritionem charitate animatam* ſolam novit, quam quia cum abſolutione Sacramentali componere neſcivit, maluit neceſſitatem abſolutionis, quam charitate formatae contritionis negare. Cujus ppoo 7. in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. XIV a 1418 damnata eſt in ſequentibus: *Si homo fuerit debite contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua, et inutilis.* Hic certe locus erat ad Scandalum fidelium, et ad errorem Haeretici hujus opprimendum, ut explicarentur miſteria attritioniſmi, docereturque Novator phraſi modernorum attritioniſtarum, Sacramenti poen. partem neceſſariam non eſſe contritionem charitate animatam, ſed *generice* dumtaxat, et *abſtrahendo a motivo*, ideſt hanc, aut metu tantum ſervili formatam. Nihil tamen horum factum legimus praeter damnationem Vicleſi. Quoties hodiedum objectari ab adverſariis audimus: omnem contritionem charitate etiam minima animatam nimium actuoſam eſſe, praevertereque vim abſolutionis Sacramentalis. Hic clamor contritionem *genericam, et ſufficientiam attritionis ſervilis in* in Sacramento peperit. Quem tamen clamorem quia Concilium Conſtantienſe in Vicleſo non audivit, nec Tridentinum audiviſſe, minus ſecutum fuiſſe obtruſa nobis *contritione generica*, credemus in aeternum. *Ex damnatione Vicleſi.*

XI. Id ipſum evincit inſtantia a Conc. Florentino ita plane, ut Tridentinum definiente. *Quartum Sacram.* inquit, *eſt poenitentia; cujus quaſi materia ſunt actus poenitentis, qui in tres diſtinguuntur partes: quarum prima eſt cordis contritio: ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de caetero.* Hic *cordis CONTRITIO, dolere de peccato COMMISSO* fatentibus ipſis adverſariis (cap. 1. not ad n. II) ſignificat dolorem charitate formatum. Audiatur attritionis ſervilis alter Dunmvir Melchior Canus part. 5. de poenit. *contritio ponitur pars Sacramenti, quia eſt certa materia. Quod autem attritio ſufficiat, non eſt adeo certum: et ideo* CONCILIUM FLORENTINUM, COMMUNISque *ſententia tenens certum, dimittens incertum ponit contritionem eſſe partem hujus Sacramenti.* Ingenua haec confeſſio adverſariorum Principis digna eſt, ut ejus reverentia omnes attritioniſtae abjecta novitia opinione veritatem noſtram amplectantur. Fatetur enim ſerviliſtarum Parens, vocabulum *contritionis* a Conc. Florentino *ſpecifice* pro dolore charitate formato acceptum eſſe. Ergo Serviliſtae nunquam evincent, eandem vocem DOGMATICAM a Tridentino *generice, et abſtrahendo a motivo* eſſe uſurpatam. Sic enim Tridentinum *receſſiſſet* a mente Conc. Florentini. Quod abſit cogitare. Sed ſi quis attritioniſtarum hunc *receſſum* admittere non horreſceret, incumberet ei onus fide acceptabilium Patrum, et Doctorum ſincronorum demonſtrandi, vocem *contritio* a Florentino, et antiquis Doctoribus pro *dolore charitate formato* uſurpatam, uſque ad Conc. Trid. vel *in eo* veterem illam ſuam ſignificationem communi Catholicorum conſenſu ammiſiſſe, aliamque *genericam*, et *abſtrahendo a motivo* induiſſe. Quod quia ad Kalendas Graecas praeſtabitur, fateamur oportet, eundem terminum *contritio* more Majorum, et Conc. Florentini uſurpaſſe et Tridentinum cap. 3. ſeſſ. 14. *Ex Conc. Florentino.*

XII. Dices 1. Florentinum quod tutius eſt, ſecutum fuiſſe; Tridentinum quod certius. 2. a Conc. Florentino uſque ad Tridentinum poterat haec, ut multae aliae veritates, in clariori luce poni. Reſp. Haec comenta ſunt, non probata, quibus contritio generica, et ſine motivo accepta in perniciem animarum innititur. *Objectiuncula.*

im ever-

im evertit modo cit. Cani illuſtre teſtimonium, et quidem mox poſt Conc. Tridentinum editum: qui proinde in Tridentino nullum opinionis ſuae fundamentum vidit; ſecus eam non apellaſſet *incertam*. Ad 2. rurſum quaero: qui ſint nominanter illi Patres, et Doctores ante Tridentini, per quos vox *contritio* ab antiqua ſua ſignificatione uſque ad Tridentinum in novam hanc, et *genericam* detruſa eſt ita communiter, ut *hanc* jam Tridentinum cit. c. 3 uſurpare potuerit? hic ſane et verboſiſſimi adverſarii haerebunt. Confer tu interim, quae ad objectiones attritioniſtarum diximus cap. 1. a n XXX.

E teſtimonio ſincronorum Auctorum.

XIII. Quibus accedit Confeſſio ſincronorum Tridentino Auctorum, conteſtantium, tempore Conc. Tridentini voce *contritio* unice dolorem de peccatis *propter Deum* fuiſſe ſignificatum. Qui ſunt apud Vitaſſe de contrit. q. 3. a 6 ſect. 3 Dominicus Soto alter Prothoparens attritionis ſervilis L. 2 de nat et Grat. et in 4. Diſt. 18. Andreas Vega aeque Fautor ejusdem opinionis L. 13 in Conc. Tridentinum. Petrus Soto in Scholiis ad Conf. Vitemberg. Vivaldus de contrit. cap. 118. *aliique*, ut ait Vitaſſe, *innumerabiles*. Imo et Bellarminus l. 2. de poen. cap. 10. Id quod patet ex teſtimonio etiam Cani mox laudato. Vide c. 1. n. XXXIX Morinum, Farvaquium, Dominicum Soto, Vegam, et n. XLI Echium. Quibus cap. ſeq. viginti quatuor Tridentino coaevos Doctores addemus vocem *contritio* a Tridentino pro parte Sacramenti declaratam pro dolore *charitate* formato intelligentes. Ex quibus infero, et ajo cum cit. Vitaſſe: Multitudine, auctoritate, et rixis Serviliſtarum ſerius poſt Conc. Tridentinum invaluiſſe hanc theologisandi rationem: *contritio eſt nomen genericum, et dividitur in contritionem charitate perfectam ante uſum Sacramenti, cum voto tamen ejus juſtificantem; et in attritionem ſervilem in Sacramento poen. ſufficientem.* Quae doctrina in nullo probato Auctore legitur uſque ad natos poſt Tridentinum attritioniſtas: verum haec apud ſummos quoſque ante Tridentinos (ut ex cap. 1 luculenter patet) et ſub Tridentinos (ut cap. ſeq. videbimus) Doctores: *Contritio eſt dolor peccatis ex motivo charitatis. Alia eſt initiali charitate animata Sacramentis mortuorum neceſſaria, quae et ATTRITIO INITIALIS ſaepius vocatur: alia charitate perfecta ante, cum voto tamen Sacramenti juſtificans.* Hanc eſſe mentem Conc. Tridentini et hactenus, et cap. ſeq. clare videbimus. Interim ut paululum adhuc in c. 3 maneamus, quod hic *contritio* nequeat intelligi *generica*, et *abſtracta a ſuo motivo*, ſed *ſpecifica*, et charitate formata, illuſtro ſequentibus rationibus Theologicis.

Ex rationibus Theologicis:

1. Tridentinum quaeſtiones Scholae non decidit.

XIV. 1. Certum eſt, et cap. ſeq. ex Pallavicino audiemus, quod Conc. Tridentinum *Scholaſticas quaeſtiones* decidere noluerit, verum *dogmata* dumtaxat *fidei contra haereſes* graſſantes elucidare intenderit. Ut elucet hic ex n. IX. atqui quod Chriſtus *contritionem in genere, et abſtractam a motivo* in charitate perfectam, et attritionem ſervilem diviſibilem ad eſſe materiae Sacramenti elevaverit, id non *dogma fidei* eſt, ſed miſera *opinio* dumtaxat *Scholae*. Ut manifeſtum eſt ex innumeris Doctoribus, quos hactenus quatuor his capitibus laudavimus pro initiali charitate Sacramentali velut pro aris, et focis ſuis depugnantes. go quod *opinionem* hanc contritionis *genericae* Tridentinum cit. c. 3 affirmative deciderit, merum commentum eſt ipſis Principibus attritioniſtarum (hic n. XI. XII. XIII) ignotum, et ſerius a ſerviliſtis ultra Parentes ſuos ſapientibus confictum.

2. Vocum dogmaticarum veterem ſignificationem non immutavit.

2. Vocum *dogmaticarum* ſignificationem antiquam ſcripturae, et Patrum venerando uſu *conſecratam* non ſolent Concilia alterare, aut ab illa abſtrahere, verum eas voces in antiquo *Sacro ſuo ſenſu* velut praeſcri-

ſcriptione ſaeculorum extra controverſiam poſito ſemper, et ubique uſurpant. Ut cuivis in Hiſtoria Eccleſiaſtica non plane peregrino notum eſt. Talis eſt vox *contritio* a Scriptura, a PP. a Conciliis, a Doctoribus antiquis uſu omnium ſaeculorum uſque ad Conc. Tridentinum pro dolore charitate formato uſurpata. (hic a n 11 uſque huc) go eandem vocem Tridentinum quoque cit. c. 3 in antiquo ſuo ſenſu uſurpaviſſe credendum eſt eo uſque, donec attritioniſtae contrarium evidenter demonſtrent. Nam (quod 3tio urget adverſarios) Dum nos eandem vocem in antiquo ſuo ſenſu intelligimus, ſumus in poſſeſſione antiquae veritatis a ſcriptura, et PP traditae (toto cap. 1) go juxta R. I. *in dubio melior eſt conditio poſſidentis: et poſſeſſio relevat ab onere probandi*, rejicimus onus probandi in adverſarios 1. Quod Tridentinum ſeſſ. 14 c. 3 loquatur de contritione *generica, et abſtrahendo* a motivo. 2: Quod nomine contritionis ſine addito intelligi poſſit in ſenſu obvio *attritio ſervilis*. 3: Quod *minima* charitas per ſe juſtificet. Ideo 4to *attritio ſervilis* ſola ſit *neceſſaria* materia Sacramenti poenitentiae. Ideo enim adverſarii commenti ſunt *contritionem genericam*, ut illi includant *attritionem ſervilem* in ſiſtemate *minimae* charitatis *per ſe* juſtificantis unice in Sacramento poen. neceſſariam. Pro qua opinione ne unus quidem Auctor *Ante Tridentinus* proferri poteſt. go nec Tridentinum ita locutum credi poteſt.

3. *Nos ſumus in poſſeſſione antiqui ſenſus.*

XV. 4ta ratio ſit: *Contritio generica*, et *abſtracta a motivo* periculoſe ſtatuitur. Nam ſi *contritio* generice, et abſtrahendo a motivo ſumatur, non plus ſignificat, quam *dolorem ſine ſuo motivo*. Et reipſa dolor *in genere* de peccatis eſt *GENUS* includens in ſe nedum contritionem *charitate* formatam, et attritionem *ſervilem*, quin et dolorem *ſupernaturalem propter poenas temporales* praelucente fide apprehenſas. At dolorem ſupernaturalem *de poenis temporalibus* ſufficere in Sacramento, comuni hodie eruditorum conſenſu *falſum* eſt. Nemo vero inficiabitur, doctrinam illam venenatam eſſe, ex qua falſa ppoo prono alveo fluit, go contritionem, ſive dolorem de peccatis *in genere* ex Divina inſtitutione partem eſſe Sacramenti, evidenter falſum eſt. Et quam hiulce, quam majeſtate Conc. Generalis inconvenienter ſonat haec ppoo: *Dolor de peccatis ſine motivo in genere ex Dei inſtitutione eſt pars Sacramenti!* ubi hoc ſcriptum? vel traditum eſt?

4to *Contritio generica non plus ſignificat, quam dolorem in genere ſupernaturalem.*

Dices: Ad excludendam ſufficientiam doloris ſupernaturalis propter *poenas temporales*, et doloris *naturalis* Concilium cap. IV dolorem de peccatis dividit in contritionem *perfectam*, et attritionem *ex metu GEHENNAE*. Reſp. Ex iis, quae dicit cap. IV de attritione, quod debeat eſſe *donum, et impulſus Spiritus Sancti*, &c. refelli quidem ſufficientiam doloris *naturalis*; non tamen doloris *ſupernaturalis ob poenas TEMPORALES*: huic enim conveniunt, quae ibi *de attritione* dicuntur: quod nempe COMUNITER *concipiatur vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex Gehennae, et POENARUM meu*: quod debeat eſſe *cum ſpe veniae, donum, et impulſus Spiritus Sancti: quod diſponat ad Gratiam*. Cum enim Tridentinum addat COMMUNITER, inferet quis cum antiquis: go *interdum* dolor *ex poenarum* non inferni, ſed *temporalium* ſolum metu recte, utiliterque concipi poterit, et hic dolor poterit eſſe *cum ſpe veniae, donumque Dei* &c. go fide praelucente ſufficiet in Sacramto. Quam collectionem ſufficienter redarguere nequibunt ex Tridentino in ſuis principiis attritioniſtae. Nos vero dato *initio* ejuſmodi doloris, exemplo Ninivitarum eodem cap. IV relato exigimus tali dolori formam charitatis ſaltem initialis ad Sacramentum poen. *Quo requiſito* ſufficientiam et doloris ſupernaturalis *ob poenas tem-*

Ex quo ſequitur, ſufficere dolorem ob poenas temporales.

temporales, et attritionis *servilis* ex solo metu gehennae una jugulamus, et sic contritionis *specificae* necessitatem constabilimus. Sit itaque

5ta ratio Virtus poen. requirit charitatem.

XVI. *5ta* ratio: quae palam prodit inanitatem *contritionis generi-cae.* Virtus poenitentiae ex institutione Divina est materia Sacramenti poen. At virtus poenitentiae involuit, et requirit charitatem. go contritio in genere, et abstracta a motivo suo nequit dici pars Sacramenti poen. ex institutione Divina cap. 3 saepe cit. declarata. 1a ppoo colligitur ex praemio sess. 14 Conc. Tridentini: *quamvis in decreto de justificatione* (sess. 6. c. 14) *multus fuerit de POENITENTIAE SACRAMENTO propter locorum cognationem necessaria quadam ratione sermo interpositus.* Nec obscure ex cap. 1 sess. 14. Clarissime ex D Thoma 3 p. q. 86. a 6. ad ult: *Dicendum, quod ACTUS POENITENTIAE VIRTUTIS habet, quod sine eo non possit fieri remissio culpae in quantum est inseparabilis effectus gratiae, quae operatur in omnibus Sacramentis.* Et Catechismus Romanus de poen. postquam n. 2. affirmasset, virtutem poenitentiae esse, *cum non solum admissi sceleris caussa intimo animi sensu dolemus, verum UNIUS DEI CAUSSA in eo maerore sumus.* Mox n. 3. asserit: *primum quidem de ipsa, ut virtutis parte agendum est. - - - quia hujus virtutis actiones tanquam MATERIAM PRAEBENT, in qua poenitentiae Sacramentum versetur; ac nisi prius, quae sit virtus poenitentiae, intelligatur, Sacramenti etiam vim ignorari necesse est.* Concondat ibi n. 7. 8. 9. 10. Ubi rationem reddit, cur virtus poen. ad rationem Sacramenti elevata sit? Ut nempe *nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, dum dixit:* Si impius egerit poenitentiam &c. *MINUS DUBITARE liceret.* Quibus verbis contrittonem *minus intensam* verbis Sacramentalibus *perfici*, remissionemque peccatorum operari extra dubium statuitur. Minor 1mi argumenti evincitur clarissimis Angelici textibus: 3 p. q. 84. a 10: *Ad veram poenitentiam CHARITAS requiritur; sine qua non delentur peccata.* ibi q. 85 a 2. ad 1. *Si in actu poenitentiae consideretur sola displicentia peccati praeteriti, hoc immediate ad CHARITATEM pertinet: sed intentio operandi ad deletionem peccati praeteriti requirit specialem virtutem sub CHARITATE.* ibid. a 3. ad 4. *Poenitentia est cum fide Passionis Christi, per quam justificamur a peccato, et cum spe veniae, et cum ODIO vitiorum, quod pertinet ad CHARITATEM.* ibi a. 5. in O: *Quartus motus* poenitentiae *est CHARITATIS, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum* (quia est offensa Dei) *et non iam propter suplicia.* et q. 86 a. 3 in O: displicere peccatum *quia est contra Deum super omnia dilectum, requiritur ad rationem verae poenitentiae.* Constanter Angelicus *odium* peccati *charitati* tribuit. Atqui odium peccati aeque requiritur *in*, quam *extra Sacramentum.* go hic consvetae huic distinctioni attritionistarum non est plane locus. Quia igitur *virtus poenitentiae* a Christo ad esse *materiae* Sacramenti poenit. elevata necessario *charitatem* in se continet, contritio *generica*, et *sine motivo* pars ejus *Divinitus instituta* haberi, aut a Tridentino declarali prorsus non potuit. Sane quemadmodum futile esset dicere, in veteri lege contritionem *in genere* in remedium peccati esse institutam, ita pariter futile est asserere Christum instituendo Sacram poen. contritionis *motivum* pro Sacramento aut *immutasse*, aut ab eo *abstraxisse*. aut *arbitrio* poenitentium *reliquisse*. Omnia nempe haec refellit Moralium Parens Lib. 3. Past. Curae admonit. 14: *Admonendi sunt, qui flagella metuunt, ut si malis veraciter carere desiderant, aeterna suplicia perhorrescant; neque in hoc suplicionum timore permaneant, sed ad AMORIS gratiam nutrimento CHARITATIS excrescant.* Cui Augustinum Serm. 7. De tempore adjungo ita ad poenitentes loquentem: *Nunc jam ad vos loquor poenitentes, qui poenitentiam in Ecclesia accepistis, et agitis, vos modo de-*

betis

Quae est materia Sacramenti.

betis AMARE *Deum, et a timore jam ad* DILECTIONEM *transfire: quia ſic legimus in Evangelio de Peccatrice: Cui multum dimittitur, multum diligit.* An amabo te! *publici* poenitentes debent amare Deum, privati, et *ſecreti* non debent? Et adjunctum Magdalenae exemplum dilectionem hanc *verae charitatis* eſſe debere evincit, refellitque luculenter ſupterfugia illa, quibus P. Antoine de contrit. a 8. §. 2. obj. 5. Auguſtini textus eludere nititur. Cujus irrefragibile pariter illud principium eſt, quod ipſum *Martirium* ſine charitatis actu ad juſtificationem *non profit.* Ut c. 1. XV ſatis vidimus. Quis autem martirio Sacramentum poen. efficacius eſſe unquam audivit?

XVII. His accedit ratio celeberrimi Theologi Vincentii Contenſonii Theol. ment, et cord I. XI part. 3. Diff. unic. cap. 1. quam ſic propono: Datur lex naturalis, et Divina in illo principio fundata: *diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, illatas proximo injurias non ſolum metu poenae, aut ſpe praemii, ſed ex ſincerae charitatis motivo reparandi. go a fortiori datur lex naturalis, et Divina illatas peccato injurias Deo ex vera charitate reparandi in illo principio fundata: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* go peccator tenetur Sacr. poen. ex motivo, et actu charitatis peragere. Ratio paritatis eſt, quia etſi in proximo injuriante e. g. in Filio Patrem laedente timor poenarum, et ſpes ſint actus honeſti, non ſunt tamen contrarii injuriae, et offenſae, nec convertunt cor laedentis ad laeſum, nec ſunt amor ejus, ſed ſui commodi. Quae ratio pro poenitente aeque urget. Conſequentiam breviter, et clare docet Angelicus 3. p. q. 84. a 7. in O. *Hujus Sacramenti materia praeexiſtit a natura. Ex naturali enim ratione homo movetur ad poenitendum de malis, quae fecit.* Et ad 1. *dicendum, quod de jure naturae eſt, quod aliquis poeniteat de malis, quae fecit, quantum ad hoc, quod doleat ea feciſſe.* Atqui dolere *de peccato commiſſo* eſt actus charitatis (ut mox videbimus) et aeque neceſſarium *in*, ſicut *extra* Sacram; cum ex Angelico ſit materia Sacramenti. go aeque requiritur ad reconciliationem Sacramentalem, ſicut ad virtutem poenitentiae.

6ta ratio: injuria non reparatur niſi charitate.

Confirmantur dicta ex eo, quod cum Deum colere, et affectu charitatis diligere praecepto naturali teneamur, dolere pariter de *peccatis* ut ſunt *injuria*, et *offenſa* ejus, et quidquid ei diſplicet, noſque ab eo ut FINE noſtro ultimo, et centro amoris noſtri avellit, deteſtari, et pro illata injuria ſatisfacere, eodem praecepto naturali urgeamur. At haec omnia ſunt actus charitatis: et legem hanc naturalem charitatis, et contritionis Chriſtus inſtituens Sacram. poen. non immutavit, nec abrogavit, quin perfecit. h. n IV. go peccator dictis actibus charitatis, et contritionis *in*, et *extra* Sacram debet Deo reconciliari. go contritio *charitate animata* de *jure naturae* manet Sacramenti poen. materia. Cui contrarium Tridentinum ſtatuere non potuit. Sane quocunque alio motivo, niſi charitatis, vellet Petrus reconciliari inimico, praecepto naturali, et Divino diligendi inimicum, et proximum non ſatisfaceret. go etiam ſive metu inferni, ſive ſpe praemii coeleſtis velit attritioniſta in Sacramento reconciliari Deo, nil aget amicitia Dei recuperanda dignum: cur? quia *injuria*, et *offenſa* ut proximi, ita Dei non niſi contrario affectu charitatis ex lege naturali, et Divina (quam Sacram non immutavit) repareri ut *extra*, ita *in* Sacramento poteſt. Ita celebris Contenſon quoad ſubſtantiam.

Idque jure naturali.

Solent adverſarii affirmare, quod qui ponit Sacram cum attritione *ſervili*, aut *amore ſpei*, exhibeat Deo *par*, aut *aequivalens charitati.* go reconciliatur Deo. Quod aſſertum ſuo loco digne examinabimus.

Sacramento attrit. ſervili non exhibetur aequivalens charitati.

bimus. Hic breviter quaero: in Sacramento ſine charitate quid exhibetur Deo *aequivalens* charitati? Non metus, aut amor ſpei: haec enim non ſunt majoris efficatiae *in*, quam *extra* Sacram. non ipſum Sacram: hujus enim eſt poſitis praeviis diſponibus (quas inter eſt charitas initialis ex hactenus dictis) gratiam ſanctificantem cauſſare. recole cap. 1. ad n. XXIX not. XI. et c. II. n. XXX. h n. XVI. Quaero item, quid in tali caſu ſuplet charitatem? Sacramento amat nos Deus infundendo gratiam habitualem; At ſolum diligentes ita diligit. c. II. n. 1. quid item compenſat *injuriam*, et *offenſam* Dei jure naturae reparandam? et ſi hoc poſtremum jure naturae, et Divino reparandum eſt, niſi illud *aequivalens* jure pariter naturae, et Divino ſtatutum exhibeatur, pro commento hoc *aequivalens* habendum merito eſt. Quaero demum: in Sacramento meticuloſo quid vivificet imperfecte? c 1. n. XVI. XVII. quid item uniat praevie animam cum Deo? (cap. II, n. XIX) cuncta haec charitatis initialis in Sacramento officia eſſe hactenus docuimus. Igitur charitati in ſiſtemate attritioniſtarum nihil *aequivalens* invenimus. Sed jam a cap. 3 ſeſſ. 14 ad cap. IV ejusdem ſeſſ. conſiderandum tranſeamus.

Decretum cap. 4. prioris partis.

XVIII. Sic itaque decernit Concilium: *Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentiae actus habet, animi dolor eſt, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de caetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum HIC contritionis motus neceſſarius: et in homine poſt baptiſmum lapſo ita demum praeparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia Divinae miſericordiae, et voto praeſtandi reliqua conjunctus ſit. Declarat igitur Sacra Sinodus, hanc Contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, et vitae novae propoſitum, et inchoationem, ſed veteris etiam olium continere juxta illud: projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus preevaricati eſtis, et facite vobis cor novum, et Spiritum novum Et certe qui illos Sanctorum clamores conſideraverit: Tibi ſoli peccavi, et malum coram te feci. Laboravi in gemitu meo. Lavabo per ſingulas noctes lectum meum. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae: et alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi prolam ante actae vitae olio, et ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. Docet praeterea, etſi contritionem hanc aliquando perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacram. actu ſuscipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Heec eſt 1a pars hujus cap. Altera ab illis verbis: *illam vero contritionem imperfectam*: de attritione agit. Adverſarii, ut hic n. I. vidimus, contritionem c. 3 generice ſumptam, aſſeruut c. IV dividi *in perfectam charitate*, et *attritionem ſervilem*. Pater tamen Antoine *de contrit. a.* 8. *Sect.* 2. *in obj.* 3. *et inſt.* 1. *ſolutione* ab initio cap. IV usque ad voces Prophetarum *incluſive* ſumit omnia *generice*. In ejus proinde opinione Concilium agit de contritione *perfecta* ab illis vocibus: *Docet praeterea etſi contritionem hanc*: uſque: *non eſſe adſcribendam*. Deinceps vero de *bonitate timoris* poenarum a verbis: *illam vero contritionem imperfectam*. (a) Ego vero ab initio c. IV uſque *manaſſe* video *contritionem charitate animatam* ut partem neceſſariam Sacramenti. A verbis: *Docet praeterea*: uſque *non eſſe adſcribendam* video

Agit de contritione charitate animata, ut parte Sacramenti.

con-

(a) Cum P. Antoine ſit Speiſta, hic non dicit agi de *ſufficientia* attritionis *ſervilis* in Sacramento, ſed tantum de ejus *bonitate*. Quod tamen ſatis probat ibi §. 1. prob. 4a uſque ad finem §. ex quo Ejus facto manifeſtum ſit, ſerviliſtarum argumenta nulla eſſe ſine amore ſpei: itaque ſpeiſtas eſſe ſerviliſtas. ut de Turnelio obſervavimus c. III. n. XVIII. Cum nullus unquam ſerviliſtarum ſpem neceſſariam in Sacramento negaverit.

contritionem *charitate perfectam.* Deinceps: *illam vero contritionem imperfectam* video tradi nedum bonitatem attritionis *servilis*, sive *metus poenarum* cum Antoine, sed et explicari exemplo Ninivitarum, quomodo attritio servilis disponat ad justificationem Sacramentalem *introducendo charitatem actualem.* Hoc postremum cap. seq. edisseram. illud vero prius evinco his momentis:

Charitatem exprimunt verba concilii

XIX. Ac PRIMUM quidem verborum ipsorum Concilii attenta meditatio exhibet contritionem *charitate ANIMATAM* Sacramenti *materiam NECESSARIAM. Contritio*, inquit, *quae primum locum inter dictos* cap. 3 *poenitentis actus habet.* quibus verbis qualis *in specie* esse debeat Contritio cap. 3 pro Sacramenti materia Divinitus instituta? explicare aggreditur. ait autem: *est dolor animi.* ad veram enim Contritionem requiritur animi dolor, maeror, afflictio, contusio, et confractio cordis, ut mens, quae per superbiam peccato obdurauerat, per poenitudinem hanc conteratur, et emolleſcat. Id quod Contritionis charitate animatae officium esse vidimus cap. I. n I. clare Angelicus in supl q. 3. a. 1. *omnis dolor in amore fundatur. amor charitatis, in quo dolor fundatur contritionis, est maximus saltem appretiative*: unde infert dolorem Sacramentalem debere esse maximum eodem saltem modo. clarissime 3. p. q. 84. a. 5. ad 2. *ex quo alijuis peccatum incurit, requiritur charitas, quod doleat de offensa in amicum Commissa, et quod amico studeat satisfacere.* Additur 2do: *ac detestatio de peccato.* Verus enim dolor odium, ac detestationem parit peccati. Sicut peccatum est amor Creaturae, ita poenitentia est odium, et detestatio peccati. et sicut in omnibus actionibus *prosecutivis* amor invenitur, ita in *aversativis* odium adesse oportet. *Ejusdem rationis* est, inquit Angelicus 2. 2. q. 25. a. 6. ad 2: *odire malum alicujus, et diligere bonum ejus.* et 3. p. q. 85. a. 2. ad 1. *Si in actu poenitentiae consideretur sola DISPLICENTIA peccati praeteriti, hoc immediate ad charitatem pertinet* atqui ex verbis Concilii Contritio ut materia Sacramenti debet *detestari* peccatum. go hoc ad charitatem pertinet. Vide plura hic n. XVI. et cap. II. n. VI. ubi haec veritas invicte probatur. Additur 3 *de peccato COMMISSO*: non solum de *poena*, et *ammissione coeli*, sed vel maxime *de peccato commisso, de offenso Deo.* Sive ut explicat illustris Theologus Contenson l. h. n XVII c. vere contritus ideo dolet, quia Deum *fontem aquae vivae peccatis suis dereliquit, foditque sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas* (cap. II n. II) hoc est: vere contritus peccatum sub ratione formalis *injuriae* Deo illatae detestatur, ut *ad Deum ultimum finem* animum suum revocet, a quo peccando recesserat. Noster est hic quoque totus Angelicus Doctor: *quantitas*, inquit 1. 2. q. 3. a 1. ad 4. *displicentiae debet esse 2dum quantitatem malitiae, malitia autem in culpa mortali mensuratur ex eo, IN QUEM PECCATUR, in quantum est ei INDIGNA: et ex eo, qui peccat, in quantum est EI NOCIVA. Et quia homo debet magis Deum, quam seipsum diligere, ideo debet plus odire culpam, in quantum est OFFENSA Dei, quam in quantum est NOCIVA sibi.* Atqui attritionista servilis in Sacramento absolute non odit culpam *in quantum est offensa Dei*, sed ab hoc praescindit, uniceque odit eam *in quantum est nociva sibi.* go attritionista servilis plus amat se, quam Deum: Nec habet veram displicentiam peccati. Ad rem non est hic solita attritionistarum distinctio plus *intensive*, non *appretiative.* Hanc enim Angelicus istic non vidit: accedit, quod dum nihil cogitans de inferno amo actu Deum, amo et *appretiative, et intensive:* go etiam dum nihil cogitans de Deo, doleo de peccato ut *nocivo mihi*, ex Angelico amo *me tam appretiative, quam intensive.* Quod enim non cogi-

Dolor, ac detestatio

De peccato commisso.

Ut injuria Dei:

Detestatio offensae ad charitatem pertinet.

to, id nullo vero ſenſu amo actu. Perinde futilem hic eſſe diſtinctionem *in*, et *extra* Sacramentum inde claret ad oculum, quod cum teſte Angelico *homo debeat magis Deum, quam ſe diligere*, ideoque *plus odiſſe offenſam Dei*, quam *malum ſuum*, horrore plenum. eſſet dicere, quod *homo in Sacramento poſſit magis ſe diligere odiendo culpam ut nocivam ſibi, quam ut offenſam Dei.* Quod tamen ex mente Angelici facit attritioniſta non dolens *de offenſa Dei*, ſed tantum de *malo ſuo.* aeque urget ex Angelo Scholae 1. 2. q. 71. a 6. ad 5. *A Theologis conſideratur peccatum praecipue ſecundum quod eſt offenſa Dei; a Philoſopho autem ſecundum quod contrariatur rationi. et ideo Auguſtinus convenientius definit peccatum ex hoc, quod ſit contra legem aeternam, quam ex hoc, quod eſt contra rationem.* Cui unquam perſvadebunt adverſarii, quod Tridentinum *peccatum commiſſum* non Conſideraverit cum Angelico, et Auguſtino in ratione *Theologica*? Sane cum dicebat David Pſ. 118. *iniquos odio habui, et abominatus ſum*, intellexit iniquos, et iniquitatem ſub ratione *formali*, ut *iniquos in Deum*, ut *offenſam Dei.* go et Concilium *dolorem, et deteſtationem de peccato* eadem ratione intellexit. addo his Angelicam illam ſententiam 3. p. q. 86. a 3. *Ad rationem verae poenitentiae requiritur, quod ſit dolor de peccato, ut eſt contra Deum ſuper omnia dilectum.* go *dolor*, et *deteſtatio de peccato commiſſo* manifeſte *ad charitatem* pertinet. Addit 4to Concilium: *cum propoſito non non peccandi de caetero.* Sine quo omnis poenitentia falſa, et ficta eſt ut queritur Pſaltes pſ. 77. *Lingua ſua mentiti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo.* et Jerem. 3. *Non eſt reverſa ad me praevaricatrix in toto corde ſuo, ſed in mendatio.* Sic qui amico offenſo vult reconciliari primum dolet de injuria amici. Secundo: deteſtatur peccatum ſuum praecipue ut amico ſuo indignum, injurioſum, offenſivum. Tertio: ferree proponit, et cavet, ne amore omni digniſſimam ejus perſonam deinceps ullo modo offendat, ne rurſum reſtabiliendam dulcem ejus neceſſitudinem difrumpat. quae omnia verae charitatis ſunt officia. ita agendum poenitenti cum Deo jubet Tridentinum. go charitatem manifeſte exigit. Confer c. II. n. IX. ubi hanc in rem decretoria invenies.

Ita et propoſitum non peccandi de cetero.

Concludamus haec brevi ratiocinio. Tridentinum c. 4 Contritionem, quae eſt prima pars Sacramenti poen. definit, quod ſit *animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de caetero.* Atqui teſte Angelico omnia haec: *dolor*, ac *deteſtatio de peccato commiſſo*, *propoſitum non peccandi de caetero* ſunt officia charitatis. go Tridentinum contritionem *charitate animatam* primam partem Sacramenti poen. definit, et declarat. deinde iisdem plane verbis definiens Conc. Florentinum contritionem, eam charitate animatam intellexit non inficiantibus adverſariis. ut hic n. XI, et XII evictum eſt. go et Tridentinum. Hinc ſane non evadent attritioniſtae, niſi ab auctoritate tam Angelici, quam Conc. Florentini, atque etiam a Prothoparentis ſui Cani n XI citati uno auſu recendant. Quanto id quidem cum *reverentia*, et *honore*, ut illi loqui amant? (*a*) aliis relinquimus judicandum. Nos interea

go Con. intellexit contritionem ſpecificam.

XX. Audiamus proſecutionem decreti Tridentini. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum HIC Contritionis motus neceſſarius.* nota ly *HIC contritionis motus*, quam deſcripſit ibi, et de qua dixit: quod *primum locum inter dictos poenitentiae actus habeat.* go illum con-

Sive motum ejus, quae ad juſtificationem ſemper neceſſaria fuit.

(*a*) Nihil frequentius ab attritioniſtis audire eſt, quam ab hoc, illoque S. Patre *recedo cum reverentia.* at ſiquis congeſtas hactenus a nobis pro charitate Sacramenti ex omni antiquitate auctoritates conſideraverit, in receſſu illorum ab his *parum* ſane *reverentiae* inveniet.

contritionis motum primum locum inter poenitentis actus requirit ex *Dei institutione*, qui quovis tempore *in specie*, et quoad objectum *formale propter Deum in se bonum super omnia dilectum* ad peccatorum veniam necessarius fuit: illum inquam motum *charitatis*, qui cum perfectus est, justificat ante usum Sacramenti; ut definit c. 4 illis verbis: *etsi contritionem HANC* ideſt hactenus descriptam *aliquando charitate perfectam esse contingat.* Quae duo membra si invicem conferantur, manifeste prodit, Concilium initio cap. 4 agere, et loqui de *motu* initiali charitate animatae contritionis ut parte necessaria Sacramenti poen. In medio de charitate perfecta contritione ante Sacramentum justificante. Extra controversiam enim est, ante institutionem Sacramenti poen. ad impetrandam veniam peccatorum necessariam fuisse perfectam contritionem charitate formatam. Cujus *motus inchoatus*, et *initialis* initio cap. 4 statuitur pars Sacramenti. Illustratur haec doctrina ex sess. ejusdem cap. 1, ubi asseritur, *virtutem poenitentiae* charitate animatam, de qua Ezechiel 18. Lucae 13. Actor. 2 est sermo, *fuisse quovis tempore* ad justificationem necessariam; a Christo vero dum Joan. 20 praecipue Sacramentum poen. instituisset. ad esse materiae Sacramenti elevatam. Ut hic n. IV, et XVI pluribus probatum est.

Resp. Turnelius de contrit. q. 5. a. 3 inter solut. obj. contra 2. conclus. ad instabis 1: *Concilium loqui de VIRTUTE poenitentiae, quae omni tempore necessaria fuit ad veniam peccatorum, atque ex motivo charitatis perfectae oriri debet. Quod de SACRAMENTO poen. quis affirmet omni tempore necessarium fuisse? Repono.* Loquitur Concilium de *virtute* poen tantum. Nego. Ut elevata ad esse materiae Sacramenti. *Concedo.* Nemo dicit *Sacrm* omni tempore necessarium fuisse ad veniam peccatorum: sed *materiam ejus esse* contritionem, et poenitentiae virtutem vera charitate animatam, ante Sacramenti institutionem justificantem, dum *perfecta* erat: HUIUS inquam *motum initialem* elevatum esse ad esse materiae *necessariae* Sacramenti. Dum vero perfecta est, justificare *ante usum*, cum *voto* tamen Sacramenti. Hic est verus sensus totius c.4 partis prioris. et constat h. ex n.II.III.IV.XVI.XVII. *Refellitur evasio Turnelii.*

Resp. 2 Antoine de contrit. a. 8. Sect. 2. ad obj 2. Hic *Contritionem* sumi *generice*, et *sine motivo*, ut contritio est praecise animi *dolor*, ac *detestatio* de *peccato* cum *proposito* non peccandi de caetero *praescindendo a motivo.* Quae ego assumo pro me, et dico: Concilium definit Contritionem, quod sit *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero.* Atqui omnes has voculas *charitatis* esse officia, evidenter demostravimus h. n. XIX. go falsum, falsissimum est, contritionem a Trid. sumi sine motivo. Et hoc satis etiam evinci potest ex ipso P. Antoine *de contrit* a. 1. *dico* 2. Ubi contritionis *essentiam* in his tribus statuit. At virtutis alicujus essentia *sine suo motivo* vix concipi potest. Virtus enim maxime definitur ex motivo suo.go contritio tribus illis dotibus affecta est SPECIFICA. *Et Antoine.*

XXI. Sequamur porro filum decreti Tridentini: *Et in homine*, inquit, *post baptismum lapso ita demum praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divinae misericordiae, et voto praestandi reliqua conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Quaero hic: an *fiducia Divinae misericordiae*, et *votum* praestandi reliqua Sacramento necessaria sine *suo motivo* accipiantur? non credo adversarios id affirmaturos. Nec ego de prius dictis. Utrumque evincunt sequentia: *Declarat igitur Sancta Sinodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum, et inchoationem, sed veteris etiam odium con-* *Conc. loquitur de contrit cum suo motivo.*

continere. Quibus quae ſint *reliqua* illa, *quae ad rite ſuſcipiendum hoc Sacram. requiruntur*, explicat organum Spiritus Sancti. At haec omnia charitatis eſſe effectus, jam evincimus cap. II de *novae vitae propoſito, et inchoatione* n. IX: De *veteris odio* ibi n. VI. In horum confirmationem adducit Concilium exempla contritionis, quam Prophetae verbo, et exemplo ſuo praedicarunt Ezechiel 18. Pſ. 50. et 6. Iſai. 38 hic n. XVIII relata. Quae judicio etiam adverſariorum a Spiritu Sancto, et a Prophetis edita ſunt *cum ſuo motivo* charitatis, non *in genere*, et abſtrahendo a motivo: et ſi quis hoc negare auderet, funditus everteret omnia in Veteri Teſtamento exempla *ſpecificae* contritionis. Omnia enim hujus Spiritus ſunt, ut patet ex commate illo Tridentini: *Et alios hujus generis.* Infero itaque: Ergo et Concilium citata exempla contritionis non ſumit *generice*, ut Antoine l. c. ad obj. 3. inſt. 1. fingit; ſed in ſenſu Spiritus S, et Prophetarum *ſpecifice* cum *ſuo motivo* charitatis. Perabſurdum enim cunctis viſum iri non dubitamus, dicere, quod Concilium *ſenſum* Spiritus Sancti, et Prophetarum quoad citatos textus ſcripturae deſeruerit, aliumque *genericum*, et *abſtractum a ſuo motivo* finxerit in gratiam attritioniſtarum, ne neceſſitati charitatis Sacramentalis faveret. Sane ipſum Tridentinum ſeſſ. 4 *Decret. de uſu Sacrorum libr: Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuae prudentiae innixus in rebus fidei, et morum - - Sacram ſcripturam contra eum ſenſum, quem tenuit Eccleſia, aut contra unanimem conſenſum Patrum interpretari audeat.* At quae unquam *Eccleſia*? quis SS. PP. uſque ad Concilium Tridentinum dicta Prophetarum contritionis exempla in ſenſu *generico*, et *abſtractive a motivo* unquam accepit? imo contrarium hactenus palpavimus per omnia ſaecula uſque ad Concilium Tridentinum. go nulli mortalium unquam perſvadebunt attritioniſtae, Tridentinum contra dictum decretum ſuum citatis Prophetarum oraculis novum illum ſenſum *genericum, et ſine motivo* affinxiſſe abſque antecedente ulla PP auctoritate. go certiſſime tenendum eſt, Tridentinum hoc loco *contritionem* more Prophetarum, *SS PP*, et *antiquorum Doctorum* cap. I *recenſitorum* SPECIFICE *cum ſuo motivo* accipere, citatiſque Prophetarum textibus confictum ab attritioniſtis *contritionis genericae* commentum, antequam hoc naſceretur, praefocaſſe.

Ut Sancti Veteris Teſtamenti.

go contritio generica gratis fingitur.

Non omnis contritio ſpecifica eſt perfecta.

XXII. His conſectum confido, Tridentinum c. 4 initio verbis hactenus expoſitis agere de contritione *ſpecifica* charitate animata. Jam probandum aſſumo, quod eadem parte prima c. 4 non agat tantum de charitate *perfecta* contritione; ſed de *initiali, et Sacramentali* ſimul, et de *perfecta.* Id quod manifeſte eruo 1 Ex ipſis verbis Concilii: *Et certe qui illos Sanctorum clamores conſideraverit: Tibi ſoli peccavi. Laborari in gemitu meo: recogitabo omnes meos in amaritudine animae meae, et alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam ante actae vitae odio, et ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. Docet praeterea, etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat.* &c. Ex quibus colligo 1 ſub eodem *objecto*, et *motivo* charitatis deſcriptam c. 4 contritionem in voluntate Prophetarum, qui eam primi elicuerunt, *PERFECTAM* fuiſſe; quia *contritio eorum* ex *VEHEMENTI* ante *actae vitae odio*, et *INGENTI peccatorum deteſtatione manavit.* non omnis go *contritio charitate animata PERFECTA* eſt, niſi VEHEMENS, et INGENS peccatorum *deteſtatio* adſit. Colligo 2 cur in nobis *contritio* ALIQUANDO dumtaxat PERFECTA ſit? nequaquam ideo, quia raro attigit *motivum* charitatis. Ut attritioniſtis placet. Hoc enim communi mortalium ſenſui adverſatur. Quotus enim poenitentium ſine aliquo *in Deum propter ſe dilectum*

lectum affectu ad Confeſſionem accedit? Saltem *Pater noſter* recitat quivis eorum; in quo affectus charitatis contineri meditanti patebit.(a) ideo ergo in nobis *rara* eſt contritio *perfecta*, quia deficit *vehemens*, *et ingens* illa peccatorum deteſtatio, quae *Sanctorum* contritionem PERFECTAM fecit. Colligo 3. Falſum eſſe, quod Tridentinum de *intenſione*, et *gradu* neceſſario *perfectae* contritionis non meminerit. Nam praemiſſis *Sanctorum* exemplis addit, eorum odium, et deteſtationem erga peccata ex *vehementi*, *et ingenti* affectu manaſſe; et ſic nos docet, quomodo et nos eorum exemplo ad *perfectionem* contritionis pervenire valeamus, nempe pari *ingenti*, *et vehementi* peccatorum deteſtatione. An enim alia nobis via pingetur ad perfectam contritionem ab illa, qua ad eam *Sancti illi* ſunt eluctati? Minime Colligo 4. Dum in *vehementi illo*, et *ingenti* peccatorum deteſtatione deficimus, non habemus contritionem *perfectam*; quia remiſſius agimus affectus illos, quam Sancti: et ſi remiſſa contritio eſſet *perfecta*, haec non eſſet *rara*, nec *aliquando contingeret*, ſed ſaepe. Nec etiam habemus, *remiſſius diligendo Deum propter ſe*, attritionem *formidoloſam*; quia ex *eodem motivo* agimus contritionis, quo *Sancti illi* citati, ſola *intenſione*, et gradu *remiſſius* diligentes eandem *propter ſe* bonitatem Divinam. go manifeſte ſequitur, nos *contritionem charitate imperfectam* elicere, dum *Dei propter ſe affectu* remiſſius amamus, et dolemus. Colligo 5. ex duobus, qui eandem contritionis formulam recitant, poſſe contingere, ut unus *perfectam* eliciat contritionem; alter ipſis verbis vix *initialem*. Rationem dat Natalis Alexander de poenit. c. 4. de contrit. a. 7. Regula 7: Quia contritio, et charitas Dei eſt *motus*, *et actus voluntatis in Deum propter ſe*: qui *motus* iisdem verbis in uno poteſt fieri *perfecte*, ſi adſit *vehemens* in Deum affectus: in alio cum *minori* intenſione *initialiter*: in 3tio labia duntaxat, non cor, non voluntatem, non affectum movente, *vix imperfecte*. Unde monet maximus hic Initialiſta, non omnes, qui actus contritionis ex

Sed ordinarie initialis.

(a) In his Voculis: *Pater noſter* Filialem in Deum ut *Patrem* affectum: in *Sanctificetur nomen tuum* deſiderium *amandi* a ſe, et ab omni Creatura Deum: in *adveniat regnum tuum* deſiderium *unionis* animae amantis cum Deo amato: in *Fiat voluntas tua* conformationem voluntatis noſtrae cum Divina: In *dimitte nobis debita noſtra* dolorem, odium, et deteſtationem de peccatis commiſſis: in *ſicut et nos dimittimus* charitatem proximi propter Deum contineri nemo negaverit: et patet ſalutari eorum praxi, qui his affectibus meditandis quotidie plures inſumunt quadrantes. Experiamur! et videbimus, omnis perfectionis nucleum eſſe Dominicam Orationem, ſi meditatione frangatur Si igitur *omnis motus* animi *in Deum* PERFECTA charitas eſt, ſequitur 1. Omnes, qui Pater noſter recitant, *perfecte* contritos eſſe. 2. Contritionem nequaquam *raro*, vel *aliquando*, ſed valde frequenter, ſub omni oratione Dominica *perfectam* fieri. Atque adeo 3. falſiſſimam eſſe illam adverſariorum doctrinam, qua contritionem charitate ſpecificam in Sacram. poen. jugum grande minis, quo onus confeſſionis immenſum aggravaretur, eſſe praetendunt: ideoque eam a Sacramento eliminarunt. Aut itaque contra Tridentinum fateantur, *perfectam contritionem* non *aliquando*, quin frequentiſſime, et facillime elici poſſe; aut praeter *eam*, inchoationes quasdam Divinae charitatis, ut ante ignem ſcintillas, ante diem auroram, ante lucem crepuſculum, admittant eſt neceſſe, ſicut pleraſque, ſi non omnes actiones perfectas quum naturales, tum ſupernaturales actus in eadem ſpecie imperfecti praecedere conſveverunt. Caeterum affectibus Dominicae orationis poſſe elici contritionem tam perfectam, quam initialem patet ex doctrina Natalis Alexandri *hoc n. colligo* 5. Sane hi affectus: *Pater noſter - - dimitte nobis debita noſtra!* Nihil minus habent, quam illa perfecta contritio Davidis: *Peccavi Domino*: aut Filii Prodigi: *Pater! peccavi in coelum, et coram Te*: vel illa Publicani: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Nos tamen his omnibus ſine ſeria applicatione potentiarum, imo ſine debita attentione recitatis vix initialem contritionem elicere cum Natali Alexandro mox cit affirmo: quia nempe Deus non verba, ſed *cor* intuetur; nec aeſtimat, *quid* dicatur, ſed *ex quanto*, nec penſat penſum, ſed *affectum*.

libellis, vel foliis legunt, contritos fieri. Juvant equidem tales formulae; ne in *motivis* actuum Theologicorum simplices errent; at seria mentis meditatione, et applicatione opus est, ut ex iis in *vehementem* Dei charitatem, et *ingentem* peccatorum detestationem prorumpamus. Ex qua doctrina in praxi panis instar quotidiani necessaria elucet, cur Tridentinum doceat, *contritionem HANC*, cujus naturam initio cap. 4 describit, *ALIQUANDO* tantum *charitate perfectam* esse: Quia scilicet contritio licet pro *motivo* habeat Dei *propter se* bonitatem, raro manat *ex ingenti, et vehementi peccatorum detestatione.* Ideo *ordinarie* charitate *imperfecta, et initialis* ad summum est. Utinam non saepe sit *evanida*, et *inefficax* mentis *velleitas*! quibus teste Bernardo apud Contensonium l. cit. *plenus est infernus*, eorum potissimum, de quibus exprobrat Deus: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Quantum ergo diligentiae adhibendum est Pastoribus animarum, ut doceatur populus Christianus, *de profundis*, profundissimo, et affectuosissimo cordis motu per breves intimi animi jaculatorias preces *clamare ad Dominum* potius, quam longa inattenta oratione! *in meditatione exardescet ignis* ad veram quoque contritionem, non in labiali formularum ejus recitatione. Sed hoc occasionaliter tantum notari volo. Interim ut ad propositum meum redeam:

go contritio male dividitur in perfectam, et attritionem servilem.

Vel ex 1 hoc argumento ex meditatione verborum cap. 4 desumpto (hic a n. XIX) evanescit id, quod asserunt adversarii (hic n. 1.) ideo a Tridentino cap. 3. et initio cap. 4 sess. 14 vocem *contritio GENERI'E* sumi, quia mox ibi cap. 4 contritionem dividit Tridentinum in *perfectam*, parte vero posteriori ejusdem cap. in *attritionem* servilem. Cujus asserti falsitatem manifeste vidimus hic a n XIX. Evicimus enim evidenter, ab initio cap. 4. usque *illam vero contritionem imperfectam* sermonem fieri de contritione *charitate animata*: contritionemque HANC, de qua ibi ab initio cap. egit, ALIQUANDO tantum esse *perfectam.* go eo ipso agnoscit Tridentinum, contritionem, cujus naturam ibi explicuit, et de qua illustria Prophetarum exempla laudavit, *in nobis* non semper, imo *aliquando* tantum esse *perfectam.* go sub eodem motivo charitatis manifeste duplicem tradit ibi contritionem: charitate *perfectam*, et charitate initiali *imperfectam.* Hanc Sacramenti poen. materiam necessariam: Illam ante usum Sacramenti justificantem. go palam contrarium est Tridentino, omnem contritionem charitate animatam eo ipso semper *perfectam* esse. Cum cap. 4 contestetur, id *aliquando* tantum contingere. Cujus doctrinae Magistros statuimus summos illos Doctores, qui *contritionem* ab *attritione* charitate animata per *magis, et minus* distingvunt cap. 1. n. I. II. V. VIII. IX. X. go admitti debet contritio initiali charitate animata ut pars Sacramenti poen. a Tridentino sess. 14. cap. 3. et initio 4 asserta. Quae veritas

Sed admitti debet initialis.

Quam negavit Lutherus.

XXIII. Probatur 2 ex errore illo Lutheri, quo non tantum timorem gehennae, et poenarum, proinde attritionem *servilem* negabat esse actum bonum, et utilem, ac vel *remote* parare ad justificationem, ut cap. 1. n. XLI ex Echio vidimus: quin quod ad praesentem scopum nostrum palmare est, effutiebat Haeresiarcha: *Timorem etiam charitate mixtum reddere hominem magis peccatorem.* Quibus verbis contritionem *initiali charitate* animatam rejiciebat. Colligitur ex damnata a Leone ppone 4. *Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem: qui se solo satis est facere poenam purgatorii, et impedit introitum regni.* Et in assert. a. 6. rejicit *illam Theologiam, quae inter ODIUM, et GRATIFICANTEM amorem medium fingit.*

Hoc

Hoc medium eſt initiali charitate animata contritio per ſe non gratificans. Ad haec ſerm. de poenit. *Ego* inquit, *peccatum eſſe aſſero, quidquid ante gratiam* (ſanctificantem) *ſit ab homine: tantum abeſt, ut praeparet ad gratiam.* go aperte rejicit charitatem *initialem* (quae eſt *preparatoria* ad gratiam ſanctificantem. Cap. II. n. XII) afferens, *eum, qui ſibi contritionem parare vellet in amaritudine animae ſuae, reddi hypocritam, et magis peccatorem.* Verbo Lutherus *duplicem contritionem* in ſenſu VETERUM negavit ppone 7 a Leone X damnata his verbis: *Veriſſimum eſt proverbium, et OMNIUM doctrina de CONTRIONIBUS HUCUSQUE TRADITA praeſtantius: de caetero non facere ſumma poenitentia.* Ut autem in fine n. prioris vidimus, VETERES duplicem contritionem ſub eodem motivo charitatis *per magis, et minus* diſtingvebant, quos hic ſugillat Haereticus. Eam pariter diſtinctionem rejiciunt attritioniſtae, utpote qui omnem contritionem charitate animatam, *perfectam* eſſe volunt. Quibus ego non objicio Fuliginem Lutheraniſmi: nam is tam perfectam, quam imperfectam contritionem rejecit, ut modo vidimus. Horreſco tamen dicere! attritioniſtas negando *contritionem imperfectam, MATERIAM* Sacram poen. *neceſſariam* exterminaſſe. Nam *Tridentinum HANC UNICE declarat, ex inſtitutione Divina eſſe materiam NECESSARIAM hujus Sacramenti.* Quae 3a erit ratio contra diviſionem contritionis in *perfectam, et attritionem ſervilem.*

XXIV. Haec aſſertio mea ex hactenus dictis manifeſte patet. Nam Lutheri erroribus oppoſuit Tridentinum ſeſſ. 14 decreta. Et primo quidem illi, quo is negabat contritionem *in ſenſu Veterum*. Tridentinum ſtatuit cap. 3 contritionem *ſpecificam* more Majorum eſſe partem Sacramenti. Ut patet a n. hic II uſque ad XVII. Mox cap. 4 initio naturam, et requiſita contritionis enarrat. Quae omnia contritioni *ſpecificae* conveniunt. a n. XVIII uſque ad XXI. Tum contritionem eouſque deſcriptam docet *ALIQUANDO* perfectam eſſe: quibus manifeſte innuit, contritionem *ſpecificam*, et charitate animatam aliam eſſe *perfectam*, aliam *initialem.* Ut elucet ex n. XXII. Addit porro cap. 4: *Perfectam aliquando charitate contritionem hominem Deo reconciliare prius, quam Sacram. poen. actu ſuſcipiatur.* Quibus *eam* Sacramento *utilem* quidem, non tamen *neceſſariam* eſſe materiam nemine negante confitetur. go contritionem charitate initialem unice neceſſariam materiam eſſe, clare docet. Demum in 2. p. cap. 4 timorem mere ſervilem, ex eoque ortam *attritionem* mere *ſervilem*, declarat eſſe actum honeſtum, et utilem, utpote *donum Dei* et Spiritus Sancti impulſum: Imo ad juſtificationem ipſam poenitentem parare, et diſponere *remote*: non *perſe*, ſed *ope charitatis* Sacramentalis, quam timor immediate introducit exemplo Ninivitarum: in quibus timor charitatem actualem, haec vero juſtificationem cauſſavit. Hanc expoſitionem decretorum Tridentini cap. 3. et 4. neceſſario exigunt enarrati hic n. IX, et XXIII Lutheri errores, quibus decreta haec Tridentinum opposuit. n IX. at Lutherus de contritione *generica*, et *ſine motivo* nec ſomniavit. go de hac Conc. non egit. Exadverſo autem Haereticus *duplicem* contritionem *ſpecificam* more Majorum, et nominanter *initialem*, ſive *charitatem timore mixtam*, atque ad juſtificationem *praeparatoriam* aperte negavit; ut mox vidimus. go Tridentinum damnans his decretis dictos Lutheri errores, dum contritionem *ſpecificam* pro parte Sacramenti declaravit, *perfectam* vero *neceſſariam* non eſſe innuit, (utpote quam ante Sacramenti uſum juſtificare clare docet) ſolam contritionem *initiali charitate animatam* materiam Sacramenti *neceſſariam* evidenter expreſſit. Soli-

Tridentinum vero materiam neceſſariam Sacramenti declaravit Seſſ. 14. cap. 3. et 4.

tum

tum hic effugium attritioniſtarum a l *attritionis ſervilis ſufficientiam* cap. ſequens refellet: interim recole cap. 1 n XXXI obj. 5 ſolutionem ibi n XXXVI, et n ibi XXXIX: ut non cito credas, Tridentinum p. 2. cap. 4 faviſſe attritionis ſervilis ſufficientiae *contra omnes ante ſe Doctores.* Nos pergamus in probanda aſſertione noſtra.

Et Can. V ibid.

XXV. A Tridentino ſeſſ. 14 cap. 4 initio contritionem *initialem* unice pro *materia* Sacramenti poen. *neceſſaria* declarari elucet etiam ex Canone V ibi, qui eſt compendium cap. 4. Praemittamus deſcriptionem charitatis *initialis*, eaque animatae *contritionis* ex Angelico in 3. Diſt. 34. a. 8. *Timor initialis accipitur 2dum quod competit ſtatui incipientium; in quibus inchoatur quidem timor per inchoationem charitatis; non tamen ineſt eis timor Filialis perfecte; quia nondum pervenerunt ad perfectionem charitatis. Ideo timor initialis ſe habet hoc modo ad Filialem, ſicut charitas imperfecta ad perfectam.* (go qui omnem motum charitatis *perfectam* charitatem aſſerit, palam deſerit Angelicum Doctorem Sed pergamus) igitur timor *initialis* aliquid participat a *Filiali*, aliquid a *ſervili* ſine ſervilitate: ut ibi ad 2 docet Angelicus: *actus ejus* (timoris) *manet cum charitate imperfecta in eo, qui non ſolum movetur ad bene agendum ex amore juſtitiae, ſed etiam ex timore poenae.* Itaque timor charitatis, et contritio *initialis* eſt timor charitate in eodem actu mixtus: et ille habet initialem contritionem, qui movetur partim ex timore poenarum, partim ex charitate Dei. Quo poſito poſteaquam Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 3. et 4. nec non Canone IV decreviſſet *contritionem ſine additio* partem eſſe Sacramenti, Can. V ſic eam deſcribit, damnans una pponem Lutheri VI inter Leoninas: *Siquis dixerit, eam contritionem, quae paratur per diſcuſſionem, collectionem, et deteſtationem peccatorum; qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animae ſuae, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amiſſionem vitae aeternae, et aeternae damnationis incurſum cum propoſito melioris vitae, non eſſe verum, et utilem dolorem, nec PRAEPARARE ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam - - - anathema ſit.* Haec contritio eſt *initialis* mixta *timore, et charitate.* Nam ponderare *ammiſſionem vitae aeternae, et aeternae damnationis incurſum*, timoris eſt. *Deteſtari peccata, recogitare annos ſuos in amaritudine animae ſuae: ponderare peccatorum ſuorum* ut offenſae Divinae *gravitatem, cum propoſito melioris vitae*, charitatis. h. n. XIX. Hunc dolorem Tridentinum vocat *ſine addito contritionem, et PRAEPARARE ad gratiam.* go *contritionem initialem* definit eſſe unice *neceſſariam* materiam Sacramenti poen.

De attritione ſervili mens Concilii.

XXVI. Ex adverſo autem de attritione *ſervili* (quamdiu manet talis ſine charitate, de quo mox) aſſerit cap. 4 poſteriore parte 1. quod non facit hypocritam. 2. quod ſit donum Dei, et Spiritus Sancti impulſus. 3. Viam ad juſtitiam *PARET.* 4. Diſponat ad Gratiam in Sacramento impetrandam. Quae omnia et fidei conveniunt, cum et haec ſit fundamentum, et *diſpoſitio* ad Gratiam Sanctificantem. Sed multum intereſt inter *PARARE*, et *PRAEPARARE* ad gratiam. *Praeparare* ſignificat plenam, et *proximam* diſpoſitionem, cui ad agendum nihil deſit. Eſther 1. v. 5. *Juſſit convivium praeparari.* Prov. 8. *Quando praeparabat coelos, aderam.* Eccli. 2. v. 1. *Praepara animam tuam ad tentationem.* E contra *parare* magis late patet, et quamvis interdum ſinonimum prioris ſit, ſaepius tamen accipitur pro *remota* diſpoſitione ejus, qui eouſque parum, aut nihil egit: Sic illud Math. 3 *Parate viam Domini* de iis dicitur, qui nihil interea paraverant viae Domini. Igitur Canone V contritio initialis definitur eſſe *proxima* ad juſtificatiouem Sacramentalem

PRAE-

PRAEPARATIO: capite autem 4to Attritio ſervilis dicitur tantum *donum Dei, et Spiritus Sancti impulſus*, quo poenitens viam ſibi *remote* ad juſtitiam PARAT, *proxime* ad gratiam *charitatis actualis*, et hac mediante ad juſtificationem *exemplo NINIVITARUM*; Quos timor proxime ad actualem charitatem introducendam, hac mediante ad juſtificationem paravit, et diſpoſuit. Hunc ſenſum verba ipſa Concilii exhibent: nam *parat, et diſponit* ambigua ſunt, tam remotam, quam proximam diſpoſitionem ſignificare apta: diverſa tamen vox Canonis V *praeparare*, et exemplum *Ninivitarum* evincunt voces *parat, diſponit* de remota diſpoſitione eſſe intelligendas. Ex quibus elucet, ipſam c. 4ti partem poſteriorem neceſſitati charitatis Sacramentalis ſuffragari. Certiora dabit natura timoris cap. ſeq. exponenda.

XXVII. Dices cum Antoine *de contrit. a.* 8. *ſect.* 2. *in obj.* 3. *inſ.* 3 *ſolutione:* Tridentinum adducit exemplum Ninivitarum ad probandam dumtaxat *bonitatem timoris* poenarum: non vero ad *neceſſitatem charitatis* Sacramentalis. Reſp. Hoc qua fiducia aſſeritur, longe majori cum fundamento negatur. Nam ad bonitatem timoris ſufficiebat dicere, quod 1. Non faciat hypocritam. 2. Quod ſit donum Dei, et Spiritus S impulſus. Accedit, quod cum Lutherus imperite cavillaretur Catholicos, horum opinione *attritionem ſervilem* in Sacramento fieri *contritionem*, cap. 1. n XXXVI. Tridentinum ad hanc calumniam refellendam, atque ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti ad praeſocandos attritioniſtas voluit praeter *bonitatem*, *officium* quoque timoris explicare. Quod aſſerit eſſe *introducendi charitatem actualem* exemplo *NINIVITARUM*. Sane ſi to *parat, et diſponit* ſignificaret *proximam* diſponem in Sacramento, inſtantia Ninivitarum non eſſet ad rem: nam eos timor non *diſpoſuit immediate* ad gratiam ſanctificantem, ſed *remote* dumtaxat, ope charitatis actualis, quam *proxime* introduxit, et hac mediante juſtificationem. Sed et ſine fundamento diceretur, *omnium* plane Ninivitarum *actualem charitatem* a timore introductam mox *perfectam* fuiſſe: cum *illa* ordinarie parvis initiis caepta ſenſim adoleſcat. c. II. n. XXIII. igitur et in nobis timor *ordinarie initialis charitatis* oſtiarius eſt, et ſic contritionis initialis in Sacramento neceſſariae occaſio. Ut cap. ſeq. invicte docebimus.

Exemplum Ninivitarum concit n ceſſit. charitatis

XXVIII. Dices 2. Tridentinum capitis IVti parte poſteriore *timorem* appellat *contritionem imperfectam*, et *attritionem*: go *contritio* ut pars Sacramenti recte dividitur in charitate *perfectam*, *et attritionem ſervilem*. Reſp. Magna hic tangitur difficultas, quid organum Spiritus Sancti intellexerit hoc loco per *contritionem imperfectam*, et *attritionem?* quamquam vero de 2a p. cap. IVti ſequenti cap. differere ſtatuerimus, ne hoc nimium diffundatur; quia tamen haec difficultas 1am p. c. IV Tridentini illuſtratura eſt, ideo eam hoc loco complanemus. Itaque objectis vocabulis attritionem *ſervilem* intellectam putant apud Vitaſſe *de contrition. q.* 3. *a.* 6. *ſect.* 2 Farvaquius, Queraſſius, Pallavicinus, Ritthovius, aliique communius. Quorum ratio eſt, quia hoc loco Tridentinum damnat Lutherum *timorem MALUM*, et *COACTUM* dogmatizantem: Ut cap. ſeq. pluribus edifferemus, timorem mere ſervilem bonum, et honeſtum, quin ſupernaturalem actum eſſe; attamen ad Sacram poen. *remotam* dumtaxat diſpoonem, *proximam* vero ad charitatem actualem Sacramento neceſſariam evicturi. In hac opinione conceſſo ant. objnis neganda eſt conſeq. Ipſum enim Tridentinum cap. III, et initio IV, nec non Canone V ſeſſ. 14 Materiam Sacramenti *contritionem* ſine addito vocat: hic vero poenarum metum *attritionem*, et *contritionem* cum re-

Quid Tridentinum intelligat nomine contritionis imperfectae, et attritionis?

1a Sententia.

ſtrictione *imperfectam.* go luculenter diſtingvit materiam Sacramenti a poenarum *metu.* Sane ex omni antiquitate, quae ſub coelo eſt, nullus Doctorum, aut SS PP uſque ad natos ſerviliſtas produci poteſt, qui *timorem ſervilem CONTRITIONEM ſine addito* appellaſſet. Ideo nec Tridentinum ita appellare ſive voluit, ſive potuit.

2a *Sententia.* Altera ſententia, quae eſt Chriſtiani Lupi, apud Vitaſſe l. c. aſſerit, Tridentinum Concilium nomine *contritionis imperfectae, et attritionis* intellexiſſe charitate non juſtificante, ſed *initiali* animatam. Et ſunt hujus opinionis rationes veroſimiles, oppidoque plauſibiles. Nam 1. Lutherus peccatum eſſe dicebat, quidquid ab homine fieret ante juſtificationem: proinde non timorem ſolum *ſervilem*, ſed et *initialem* charitatem rejiciebat, ut h. n. XXIII clare vidimus. go Tridentinum et *timoris ſervilis, et initialis charitatis* vim, ac efficaciam vindicare contra Haereſiarcham voluiſſe cenſendum eſt, ut plena illius eſſet doctrina utrique errori hujus oppoſita. 2. Concilium addit: *Si voluntatem peccandi excludat*: at voluntas peccandi ſola charitate poſitive excluditur. ut cap. III. n. XXIX vidimus. go Tridentinum loquitur de *contritione* charitate *imperfecta* animata extra Sacram. juſtificando impio impari, cum Sacramento autem ſufficiente. Item de *attritione* more Majorum *gradu* ſolo, et *intenſionis* defectu a contritione perfecta diſtincta. De qua cap. 1. n I. II. V. VIII. IX. &c. copioſe egimus. 3. Haec contritio imperfecta vel oritur ex *inchoato amore juſtitiae fontis*, de quo cap. II. ac proinde eſt *dolor*, ac *deteſtatio* peccati commiſſi: et ſic ad charitatem pertinet, ut h. n XIX oſtendimus: atque id exigit connexio, et conſequentia doctrinae Concilii ſeſſ. 6. c. 6. et ſeſſ. 14 cap. II, et hic hactenus a nobis ſtabilita: vel ſi his dotibus caret, erit mera fuga poenae, purus, nuduſque timor, honeſtus quidem in ſe, ſed Sacramentalis contritionis nomine a nullo antiquorum honeſtatus. Atque hae rationes probabiles ſunt, et facile poſſunt propugnari. Ut ait Vitaſſe l. c. In qua opinione verba illa decreti Tridentini: *viam ad juſtitiam PARAT, ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam DISPONIT proximam diſpoſitionem* ſignificant, quod nempe proprium eſt contritionis, et attritionis inchoata charitate animatarum. In hac ſententia diſtingvo objectionem: Tridentinum *timorem CHARITATE ANIMATUM* appellat *contritionem imperfectam, et attritionem*: Concedo. Timorem *mere SERVILEM.* Nego. Apud veteres enim contritio *imperfecta*, ſive *attritio*, initiali charitate animatam ſignificat. cap. 1. n I. II. &c. a qua dicendi ratione nihil eſt, cur receſſiſſe Tridentinum dicamus: imo duplex error Lutheri ratione 1a hic relatus exigebat, ut Majorum et vocabulum *attritionis*, et per id ſignificatam charitatem initialem magna Sinodus conſtabiliret. Etſi igitur uſu ſerviliſtarum *contritio imperfecta, et attritio*, mere ſervili timore animatum dolorem denotet; initialiſtae tamen illis vocabulis dolorem initiali charitate formatum intelligunt juxta ea, quae cap. 1. n. I. II. et hic n II, et XIII tradita ſunt: niſi circumſtantiae timorem *ſervilem* intelligendum exigant. Quem ſenſum nos quoque retinebimus, *attritionem initialem* pro *charitate animata imperfecta GRADU contritione* paſſim uſurpaturi.

3a *Sententia.* Tertia ſententia duas praedeſcriptas opiniones conjungit, et conciliat, aſſerens *contritionem imperfectam*, et *attritionem* a Sinodo Oecumenica accipi in ſenſu *ADAEQUATO ORIGINIS*, et *FINIS*: ideſt pro dolore poenarum metu *orto*, ſed FINE, ac FORMA *charitate* animato. *Ortum, radicem*, et *originem* exhibent illa verba: *illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati*

con-

consideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu communiter CONCIPITUR. go *contritio imperfecta, et attritio* Tridentino non est *timor gehennae, et poenarum*, sed *QUAE* a timore gehennae, et poenarum *CONCIPITUR.* Cur? quia *conceptio, radix, et origo* haec attritionis exemplo Ninivitarum charitate *animari, formari*, terminarique debet. Ineluctabilia sunt in hanc rem illa Concilii verba: *HOC enim TIMORE utiliter concussi Ninivitae - - poenitentiam egerunt, et misericordiam impetrarunt.* At *timor* Ninivitarum certo erat charitate animatus, utpote tunc sine Sacramento poen. justificans: go et *attritio* illa talis debet esse, de qua loquitur Concilium, et quam eandem *specie* (licet gradu distinctam) ait esse debere cum Ninivitarum timore: *HOC timore concussi Ninivitae. Hoc timore*, quem Concilium contritionem imperfectam, et attritionem vocat: qui ut in Niniviris, ita in nobis *timore* oritur, sed *charitate* perfici debet, qui idcirco *imperfecta* est dum *CONCIPITUR*: contritio est *fine*, et *forma* sua charitate: ideo *attritio* vocatur exemplo Durandi, Rossensis, et aliorum cap. I. n. XXXV expositio sensu. Non pigeat recole traditam ibi doctrinam huc plane pertinentem.

Hac opinione palam, manifesteque traditur *attritio initialis* timore orta, sed charitate formata. ut considerati patet. Damnatur duplex error Lutheri altera hic sententia relatus. Nam dum commendatur attritio metu *orta*, charitate *formata*, *tam* radix *timor servilis* probatur, quam forma ejus initialis charitas. *Bonum enim ex integra causa, malum ex quolibet defectu:* hoc est dictu: attritio initialis non poterat a Concilio probari, si *origo* ejus *metus servilis* esset malus. Singularem vero attentionem meretur, quod Concilium hunc dolorem, quem in medio capitis vocat *contritionem imperfectam*, sive *attritionem*, in fine cap. appellet absolute *contritionem: sed et falso docent contritionem esse extortam, et coactam, non liberam, et voluntariam.* Frustra sunt attritionistae clamantes: hic metum servilem *contritionem* absolute a Tridentino nominari. Nam *exemplum Ninivitarum* (quo timoris servilis aeconomiam explicat, et *QUORUM timori charitate FORMATO* similem a nobis exigit Concilium) hanc *contritionem imperfectam, et attritionem*, in fine absolute *contritionem* vocatam *metu conceptam*, sed *charitate FORMATAM* a Sinodo intelligi, evidens est. Nec deficit optima ratio: nam quum Sacrum Concilium cap. III definivisset, Sacramenti poen. materiam esse *contritionem* sine addito, capite IV*to* contritionem eandem Sacramenti materiam dividit in *charitate ortam*, et *metu conceptam*, sed charitate formatam. De prima agit parte 1 cap. IV*ti*: de altera parte secunda ejusdem cap. IV*ti*, docens, contritionem qua partem Sacramenti non necessario *CONCIPI*, et *ORIRI* debere ex *charitate:* quin *communiter ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennae, et poenarum CONCIPI*, modo *exemplo Ninivitarum* charitate terminetur, ut *fine*, et *forma* omnium virtutum, atque ipsius etiam metus servilis. Hinc dolorem metu *ortum*, sed charitate formatum sufficere ait Sacramento poen: eumque dolorem jam more Majorum cap. I. n. XXXV expositio *attritionem*, *contritionem imperfectam ORIGINE*: jam absolute *contritionem* sensu Tridentini ut sufficientem Sacramenti materiam appellat.

Distinctio contritionis ab attritione ex mente Contensonii.

Atque haec est sententia praeclarissimi Doctoris Contensonii Theolog. mentis, et cordis L. XI. P. 3. diss. unic. cap. 1. nempe a Tridentino sess. 14 cap. 4*ti* initio *contritionem* intelligi eam, quae charitate et *incipit*, et *definit* absque timoris actualis interventu: parte vero posteriori ibidem *attritionem* vocari illum dolorem, qui poena-

narum *metu*, vel ex consideratione *turpitudinis* peccati *concipitur*, *incipitque*, ita tamen, ut his *initiis* accedat *forma* perfectiva *charitas* a timore introducta exemplo *Ninivitarum*. Quae doctrina 1 mire concordat cum antiquorum loquendi modo cap. 1. n XXXV. et not. ibidem expositio. 2. Susdeque vertit opinionem attritionistarum: si enim Contensonium audiamus, Tridentinum nihil definivit de *SUFFICIENTIA* attritionis *servilis*; quia sess. 14 cap. 4ti parte priori agit de contritione charitate *orta*, *et formata*: parte vero posteriore de attritione metu quidem poenarum *orta*, sed charitate *terminata*. Ex quo sequitur, loqui de attritione charitate animata; eamque pro parte Sacramenti declarasse: hocque facto virtualiter a sensu contrario attritionis *servilis* sufficientiam rejeciisse. 3. Admodum verosimilis est haec opinio: Nam illi *Sanctorum* clamores: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci!* ac reliqua parte priori cap. 4. relata *doloris* exempla solam charitatem ut *motivum* contritionis exprimunt, nec ibi alterius *motivi* vel vola est, vel vestigium. Ex adverso quod Conc. in p. posteriori loquatur de attritione ex *poenarum* quidem metu *orta*, patet ex phrasi Concilii *CONCIPITUR*: quod vero velit eam charitate animandam, evincit exemplum *Ninivitarum*: exemplum item Durandi, et Roffensis c. 1. n. XXXI, nec non Guidonis de Monte Rocherii n XXXV laudatorum, qui attritionem vocant metu *ortam*, sed charitate *terminatam*. Hos secutum fuisse Tridentinum, nemo unquam refellere par erit. Unde elucet 4. in praeclara hac opinione contritionem ab attritione in *radice*, *et origine* dumtaxat distingvi; *formaliter* vero, et *terminative motivo ultimo charitatis* utramque convenire, dicique posse partem Sacramenti poen. Sic explicatam Contensonii sententiam nostram facimus, addendo, quod tam *contritio* charitate orta, et terminata; quam *attritio* metu *orta*, sed charitate *formata* duplex statui debeat: *perfecta*, et *initialis* charitate. Nam Tridentinum *perfectam* contritionem ibi declarat exemplo *Sanctorum*, ex *vehementi quodam ante actae vitae odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse*. go si in contritione charitate orta respectu nostri desit *ingens*, *et vehemens* illud odium, et detestatio peccatorum, clarum est, contritionem nostram *initialem* dumtaxat fore. Ideo et Conc. addit *contritionem hanc* aliquando *tantum charitate* illa ingenti, et vehementi Sanctorum *perfectam esse*.. Sed et Ninivitarum poenitentia metu orta, charitate formata *ensim* perfecta fuit, et extra Sacram justificans: cur? quia, ut Jonae 3. describitur: *praedicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majori usque ad minorem*. Et edicente Rege *Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam: et operiantur saccis, et clament ad Dominum in FORTITUDINE*. &c. *Et vidit Deus opera eorum, et misertus est*. Si igitur *attritio* nostra metu orta vera quidem charitate fuerit animata, sed Ninivitarum hanc poenitentiam non fuerit assecuta, tunc sufficiet in Sacramento, utpote initialis, docente Tridentino *perfectam contritionem hominem reconciliare Deo, priusquam Sacram. in re suscipiatur*.

Quae opinio refellit sufficientiam attritionis servilis.

Attritionem vero initialem constabilit.

Ex quibus omnibus sequitur, Tridentinum verbis *contritionis imperfectae, et attritionis* sufficientiae *initialis charitatis* favere, nihil vero attritionis *servilis*.

Quam exigit Tridentinum et sess. 6ta.

XXIX. Sed et palpare e praemissis licet, quam pulchre conveniant decreta Conc. Tridentini invicem. Nam cum sess. 6. c. 6 statuisset, poenitenti Deum ut *omnis justitiae fontem* diligere incipiendum esse *vera*, sed *initiali* charitate, ut cap. 11 in evidenti luce posuimus: per consequentiam doctrinae sess. 14 cap. 3. et 4 nomine *contritio-*

tritionis ut materiae Sacramenti poen. neceſſariae eadem initiali charitate animatam intellexiſſe magnam Sinodum, omnia noſtra argumenta cap. II deprompta invictiſſime urgent. Non pigeat recolere ibi n. II, et ſeqq. ubi nomine *Fontis juſtitiae* Deum *in ſe* bonum intelligendum demonſtratum dedimus. et n. XII, ubi charitatem *praeparatoriam* conſtabilivimus: quam in Sacramento neceſſariam eſſe. evincunt et clariſſimae auctoritates *Sanctorum* n *ibi* XVIII. XXI. XXII. XXIII. Quae et ſiſtema *contritionis genericae* ad ſuſtentandam attritionis ſervilis ſufficientiam (*a*) ſine fundamento inventum evertunt, et contritionis *initialis* neceſſitatem evincunt.

XXX. Meditemur porro ſequentem collectionem. Ex regulis ſanae *critices* credendum magis eſt teſtibus *ſincronis*, quam longe poſterioribus. *ſincroni* ſunt Catechiſmi Romani Formatores Tridentino praeſentes, et de ejus mente certiſſimi. An putandum eſt, S. Carolum Borromaeum, Catechiſmi hujus et perficiendi promotorem, et perfecti Reviſorem immortaliter vel hoc ſolo facto de Eccleſia meritum paſſum fuiſſe, ut in illum alienum aliquid a mente Sacroſancti Concilii irreperet? Aut S. Pium V. et Clementem VIII confirmaturos opus illud, ſi reipſa irrepſiſſet? Quis dubitet? tam Formatoribus, quam Reviſoribus, ipſisque Confirmantibus Chriſti Vicariis id cumprimis in voto fuiſſe, ut in opere iſto ad formandam *plebem perfectam* a Concilio decreto, ſumma Pontificum cura elaborato mens, et doctrina Tridentini ad vivum exprimeretur, fidelique populo exhiberetur? (*b*) Haec itaque Catecheſis, *De Sacramento poenitentiae* rejicit et contritionem *genericam*, et attritionis ſervilis ſufficientiam: *initiali* vero contritioni *ſpecificae* unice favet. *Contritionem* enim a Tridentino partem Sacramenti poen. declaratam n. 13 ſequentibus coloribus (qui aureae charitatis ſunt) depingit: n. 2. *Cum non ſolum admiſſi ſceleris cauſſa intimo animi ſenſu dolemus - - verum UNIUS DEI CAUSSA in eo maerore ſumus.* n 3 ſic deſcriptam Contritionem *tum ad virtutem pertinere, tum Sacramentum eſſe* dicit. n

Et Catech. Romanus.

(*a*) Ideo finxerunt adverſarii contritionem *genericam*, ut ſolam attritionem *ſervilem NECESSARIAM* materiam Sacramenti poen. evincant. Juxta illos enim Tridentinum cap. 4 contritionem *genericam* dividit in charitate *perfectam*, et attritionem *ſervilem*. Illa, ajunt, juſtificat ante uſum Sacramenti ex declaratione ibidem Concilii, go materia Sacramenti poen. *ex inſtitutione Divina* manet ſola attritio *ſervilis*. Quis unquam Doctorum ante Tridentinorum ita locutus eſt? Nos ex adverſo ita colligimus: ſufficientiae attritionis ſervilis omnis antiquitas PP. et Doctorum ante Tridentinorum contradicit. Contritionem perfectam ipſum Tridentinum declarat juſtificare ante uſum Sacramenti. go materia *neceſſaria* Sacramenti manet ſola attritio initiali charitate formata. Utra ex his collectionibus ſit verosimilior? ipſis attritioniſtis dijudicandum deferimus. Si dixerint, antiquos vim attritionis ſervivilis in Sacramento non expendiſſe: quamquam id ex toto cap. 1 falſum eſſe pateat, videant tamen, qui talia comminicuntur, ne id ipſum aſſerant Haeterodoxi de ſuis reformationibus. Suſpecta eſt ipſa novitate ſua doctrina illa, quam antiquitas ignoravit. confer c. 1. n XLI.

(*b*) Solent attritioniſtae honeſtare receſſum ſuum aCatech. Romano, quod principiis *Scholae Thomiſticae* abundet. in exemplo adducunt opinionem aquae in ſacrificio altaris *primum in vinum* convertendae. de Sacram. Euch. §. 17. et alia quaedam. Eſto id in *Speculativis*, quae Tridentinum non attigit. At in *practicis*, atque *a Tridentino deciſis* receſſum *ab Hoc* Catechiſmi nunquam evincent. Deinde in pure *ſpeculativis* quoque *illo tempore* principia D. Thomae *in Scholis* unice regnaſſe, norunt eruditi; donec poſteriori aevo *acuendi ingenii*, et *exercitii* cauſſa ab Angelico Doctore palam recedere non dubitarunt novarum opinionum Cuſores. At pro materia Sacramenti poen. contritioni initiali attritionem *ſervilem* ſubſtituere et *practicum* eſſe, et menti Angelici, Tridentini, ac Catecheſis ejus *contrarium*, hactenus omnia dicta clamant. Rediſis ad introduct. noſtrae n. VII, et IX.

4 *sine qua ea, quae extrinsecus adhibetur, parum admodum profutura est.* n. 7. *Eam ad justitiam pertinere*, ut peccator *pro sceleribus admissis Deo satisfaciat.* n. 8 Ejus ut virtutis postremum gradum esse, ut *corda nostra charitate accendantur.* n. 10. Hanc poenitentiam in numerum Sacramentorum a Christo relatam esse, *ut nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, cum ait* Ezechiëlis 18. v. 21: Si impius egerit poenitentiam: *minus dubitare liceret, et conscientiae nostrae ob fidem, quae Sacramentorum virtuti merito habenda est, pacatiores redderentur.* At Ezechiel certo loquitur de contritione *perfecta.* go satis docet Catechismus, ejus *perfectionem*, non *speciem*, non *motivum* virtute Sacramenti supleri, et sic initialem contritionem cum Sacramento sufficere. n. 14 Asserit, vere absolvi a Sacerdote *ETIAM illum, qui prius ARDENTISSIMAE contritionis vi*, cum voto confessionis, *peccatorum veniam a Deo consecutus* erat. (*a*) Quibus verbis manifeste *duplicem* distingvit sub *eodem motivo* contritionem: *ardentissimam*, per se *ante*: et minus ardentem *cum Sacramento* justificantem. n. 16 cum exposita materia Sacramenti poen. *initiali contritione* Sacerdotem vere absolvere a peccatis, et non absolutum a Deo tantum declarare docet. go initialis contritio non justificat ante usum Sacramenti: quod privilegium soli *ardentissimae* contritioni prius tribuit. go falsum est omnem *specificam*, et charitate animatam contritionem *perfectam* esse, et per se justificare. n. 21 de Sacramentali contritione intelligit illa D. Joannis Chrisostomi: *Poenitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre. In corde ejus CONTRITIO, in ore confessio, in opere fructuosa satisfactio.* An ipsum Aureum Os vocem contritio *generice*, aut pro attritione servili dicetur accepisse? n 25 ait: *contritio illius tantum doloris proprium est nomen, quo ex amissa Dei gratia, atque innocentia afficimur.* An non charitatis est dolere de amissa Dei amicitia? n. 26. Eam, cordis *compunctionem*, et *scissionem* vocat veterum phrasi, de illa usurpans illud Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro: Scindite corda vestra.* At Joëlem de contritione *specifica* charitatis agere nemo negat. go cum contritione *Prophetarum* justificativa nostram *Sacramentalem SPECIE* convenire, et sola *INTENSIONE* differre evidens est.

Luculenter distingvens duplicem contritionem charitate animatam.

Perfectam, et initialem:

Porro n 27 De perfectione contritionis magnifice disserit dicens: *Cum perfecta contritio sit charitatis actio, quae ab eo timore, qui Filiorum est, proficiscitur, patet, eundem contritionis, et charitatis modum esse statuendum. At quoniam charitas, qua Deum diligimus, perfectissimus est amor, hinc fit, ut contritio vehementissimum animi dolorem conjunctum habeat. Ut enim maxime diligendus est Deus, ita, quae nos a Deo alienant, maxime detestari debemus. In quo observandum est, eodem loquendi genere CHARITATIS, et CONTRITIONIS magnitudinem in Sacris litteris designari. de charitate dictum* Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *de contritione clamat Dnus per Prophetam* Joël 2: Convertimini ad me in toto corde vestro. Sermonem esse non de *appretiatione* Speculativa, sed practica in *intensione voluntatis* sita, patet ex sequentibus ibidem: *quemadmodum teste S. Bernardo nullus finis, et modus charitati praescribitur* (MODUS *enim, inquit ille l. de dilig. Deo circa med. diligendi Deum, est* IPSUM DILIGERE SINE MODO) *ita peccati detestationi*

nullus

(*a*) Pulcherima est glossa editionis meae *Bassani* 1709 ex Alex. de Ales 4. p. q. 77. membr. 6. in haec verba: *Talis contritus absolvitur nunc pro nunc: ut patet de Principe solvente reum primum auctoritative, dein per ministrum executive.* Quis igitur timeat *Sacramento* etiam cum perfectissima contritione? At eam necessariam non esse, et Alensis, et Catechismus mox relati clare docent.

nullus modus definiatur. Sit - non ſolum maxima, ſed vehementiſſima, atque adeo perfecta, omnemque ignaviam, et ſocordiam excludat. Etenim ſcriptum eſt Deut. 4. Cum quaeſieris Dnum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen *toto corde* quaeſieris, et in *tota tribulatione* animae tuae. *Et apud Jerem.* 29. v. 13. Cum quaeſieritis me in toto corde veſtro, inveniar a vobis. Haec ibi. At contritionem eſſe ſine *fine*, ſine *modo*, *maximam*, *vehementiſſimam*, *omnem ignaviam*, *et ſocordiam* excludentem ſignificat non ſolam *appretiationem intellectus*, ſed *et intenſionem* practicam *voluntatis*. go Catechiſmus Rom. ad *perfectionem* charitatis, et contritionis *intenſionem practicam* potentiarum palmariter exigit. Addit tamen providentiſſime ibid. n. 28. *Quamquam ſi id minus nobis conſequi liceat, ut* deſcripto modo *PERFECTA ſit, vera tamen, et efficax contritio eſſe poteſt.* Quibus *PERFECTAM* contritionem a *vera, et efficaci*, hoc eſt dictu *in Sacramento ſufficiente* clariſſime diſtinxit. Eandem doctrinam repetit n. 36. *Primum docendum eſt, Confeſſionis inſtitutionem nobis ſummopere utilem, atque adeo neceſſariam fuiſſe.* Cur obſecro, ſi contritione charitate animata in Sacramento quoque opus ſit? imo duplici nos onere gravatos quererentur attritioniſtae, contritionis ſcilicet, et confeſſionis. Accipe rationem: *ut enim concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, et intenſam eſſe debere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine aequari, conferrique poſſit.* En contritionem *perfectam* ante Sacramenti uſum, et in Veteri Teſtamento juſtificantem! Quid vero cum Sacramento levaminis in tam raro, et difficillimo contritionis gradu? accipe ex n. 37. *Ex fidei Catholicae doctrina omnibus credendum eſt, quod ſi quis ita animo affectus ſit, ut PECCATA ADMISSA doleat, ſimulque in poſterum non peccare inſtituat, ei vi clavium ſcelera omnia remitti: de quo dubitandum, nemini eſt, cum a Conc. Florentino decretum legamus, poenitentiae effectum eſſe abſolutionem a peccatis.* Atqui *dolere de peccatis admiſſis*, et *propoſitum non peccandi in poſterum* eſt actus charitatis. Ut hic n. XIX in evidenti Luce poſuimus. Idque evincit inſtantia ex Conc. Florentino a Catechiſmo adducta. Hoc enim Concilium nomine *contritionis* ut materiae Sacramenti *charitate animatam* intellexiſſe, rurſum patet ex n. h. XI. go manifeſtum eſt, quod Catechiſmus Romanus in Sacramento poen. contritionem charitate animatam (idque ex fidei Catholicae doctrina) requirat, a *perfecta* ideſt *vehementi*, *acri*, et *intenſa* ſolo gradus, et intenſionis defectu diſtinctam.

Illam per ſe.

Haec in Sacramento juſtificantem.

Ex quibus clare patet, quod demonſtrandum h. n. XXIII ſumpſimus, a Chriſto *ſolam initialem* contritionem pro *materia* Sacramenti poen. *NECESSARIA* elevatam eſſe: conſequenter *hanc* per ſe, et ante uſum Sacramenti non juſtificare: charitate vero *perfectam utilem*, non neceſſariam Sacramenti materiam dici poſſe: attritionem denique *ſervilem* manere diſpoſitionem ad introducendam charitatem actualem in Sacramento poen. neceſſariam.

XXXI. Ais: Tridentinum non dicit contritionem aliquando charitate *INTENSA* eſſe perfectam, ſed *charitate* dumtaxat. go quavis *minima*, et *initiali* eſt perfecta. Reſp. id luculenter exprimit Concilium per *li HANC*, de qua hactenus egit, innuens contritionem charitate animatam duplicem ſe agnoſcere. Exprimit 2. ibi adductis Prophetarum clamoribus ex *vehementi*, et *ingenti* peccatorum deteſtatione ortis. Ut h. n. XXII ſatis declaravimus. Id ipſum 3. *doctrinaliter* explicat Catechiſmus interpres Tridentini mox expoſitus afferens, contritionem perfectam n. 14 *ardentiſſimam* 27. *vehementiſſimum* animi dolorem. *Maximam, omnem ignaviam, et ſocordiam exclu-*

Occurritur adverſariis:

excludentem. 36. *Vehementem, acrem, intenſam, cum ſcelerum magnitudine aequandam, et conferendam ESSE DEBERE.* Et haec poſtrema particula *DEBERE* excludit evaſionem de *conſilio*, *praeceptumque* ad oculum exprimit.

Catechiſmo praeluxerunt SS. PP.

XXXII. Tridentino, et Catechiſmo ejus in aſſerenda *intenſione* perfectae contritionis praeiverunt luculenter SS Patres: quorum aliquos tantum hic laudabimus. S. Ambroſius libr. ad Virg. laps. cap. 8. *Quanta putas, et qualis neceſſaria poenitentia? quae aut aequet crimina, aut certe excedat.* Fere has voces uſurpat Catech. Rom. n. 36. ut vidimus. Conſonat Auguſtinus Enchir. cap. 65. *De criminibus quantumvis magnis remittendis non eſt deſperanda miſericordia agentibus praenitentiam SECUNDUM MODUM ſui cujuſque peccati: In actione poenitentiae - - non tam conſideranda eſt MENSURA temporis, quam DOLORIS.* D. Chriſoſtomus Hom. 27 in Geneſim adducto exemplo Boni Latronis, *ubi*, inquit, *viderit* Deus *voluntatis noſtrae firmum propoſitum, et FERVENTI nos deſiderio ad ſe accedere, non tardat, neque differt* veniam, *ſed accellerat.* Et hom 7 in 2 ad Timoth. *charitatis FERVOR quocunque inciderit, omnia perimit. Ubi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala.* Non *omni* ergo charitati, ſed *fervidae, acri*, et *vehementi* tribuunt PP remiſſionem peccatorum extra Sacram. S Gregorius M. Hom. 33. in Evang. agens de Peccatrice ait: *quid eſſe dilectionem credimus, niſi ignem? et quid culpam niſi rubiginem? unde dicitur:* dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: *ac ſi aperte diceretur: incendit plene peccati rubiginem, quia ARDET VALIDE per ignem amoris.* go a contrario qui non *valide ardet* igne amoris, ſed *initialiter* duntaxat, et *imperfecte*, nequit *incendere PLENE*, ſive *exurere* extra Sacram peccati rubiginem. go tali opus eſt Sacramento. Atque hic ſenſus manifeſte colligitur ex his verbis Chriſti Lucae 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata MULTA, quoniam dilexit MULTUM, cui autem MINUS DIMITTITUR, MINUS diligit.* Senſus obvius eſt: Remittuntur ei peccata multa, quoniam *dilexit multum: qui autem minus diligit, ei minus dimittitur.* Qui ſenſus coincidit cum doctrina Catech. Romani contritionem perfectam adeo *acrem, et intenſam* eſſe debere, ut cum *ſcelerum magnitudine aequari, conferrique poſſit.* Neque hic recurri ad ſolam *appretiationem* poteſt. Nam cui extra Sacram. *minus dimittitur*, e. g. peccatum mortale in *infimo gradu*, is juxta etiam adverſarios debet diligere *appretiative ſuper omnia*: go qui vult ſibi dimitti peccatum mortale longe gravius: e. g. ut octo, is juxta *exemplum Magdalenae*, et *dictum Chriſti*, debet *PLUS* diligere. (Secus remiſſionem acciperent ambo eadem dilectione; quod manifeſte repugnat illi: *cui autem minus dimittitur, minus diligit*) atqui dilectione *appretiative ſuper omnia* non aliud eſt *PLUS*, quam diligere ſuper omnia *intenſive acriter, vehementer*, ut dilectio peccati magnitudini, contritionis modus menſurae offenſae Divinae, converſio ad Deum averſioni, *triſtitia ſecundum Deum* voluptati ex ſcelere hauſto quadantenus conferri poſſit.

Non mea haec eſt doctrina, ſed hauſi eam ex *Richardato Atrebatenſi* Praeſule, magno Belgii, et Conc. Tridentini Lumine: qui in inſtit. Sacerd. cap. 24 haec ait: *2a dos contritionis* perfectae, *quod ſit adeo vehemens, ut aliquo modo aequet illum libidinis aeſtum, quo flagitium perpetratum eſt.* Cui cap. ſeq. plures conteſtes dabimus. Nihil itaque novi finxit, quin ſcripturae, SS Patrum, Concilii Tridentini, ac Doctorum aevi ſui ore locutus eſt Catechiſmus Romanus, dum duplicem ſtatuit contritionem *ſpecificam*: perfectam acrem, vehementem, et cum ſcelerum magnitudini comparandam per ſe juſtifi-

can-

cantem: et *initialem neceſſariam* Sacramenti *materiam*. Inſpice cap. 1. n. XVII Angelicum, qui uno, eodemque textu ponit, et diſtingvit contritionem *perfectam*, et *Sacramentalem* a choro SS. PP ibi n XIV laudato acceptam, et per Concinnatores Catechiſmi Romani ad nos Sacri inſtar *depoſiti* transmiſſam.

XXXIII. Ex his ſuapte corruit arx illa adverſariorum, in quam ſe ultimo recipiunt, affirmantes, *omnem motum* charitatis *perfectam* reddere *contritionem*, et ante Sacramenti uſum juſtificare, nec proinde materiam Sacramenti mortuorum eſſe poſſe. Eaedem enim auctoritates, quae charitati juſtificationem tribuunt, eaedem inquam ad natifragorum tabulam charitatem exigunt: eaedem ad extrasacramentalem juſtificationem *intenſionem* charitatis requirunt. Ut cap. 1 a n. XIV. c. III not. ad n. VI Reſp. ad 7. et toto hoc cap. palpare eſt. go Patribus, Scripturae, et Tridentino manifeſte contrarium eſt aſſerere. *omnem motum* charitatis *perfectam* reddere *contritionem*, poenitentemque *per ſe* juſtificare. Igitur adverſarii dum omni charitati eoſdem effectus tribuunt, miſcent quadrata rotundis. Nos ut amphibologiam, et aequivocationem omnia confundentem evitemus, diſtingvamus 1 charitatem *habitualem* ab actuali. *Illa* cum ſit amicitia Divina, et forma ſanctificans, *Tridentinum ſeſſ.* VI *cap.* 7. formaliter juſtificat impium. De habituali hac charitate loquitur ſcriptura illis: *omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt. Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in illo. charitas operit multitudinem peccatorum.* Diſtingvamus 2 in charitate actuali *intenſam*, et *perfectam*, ab *initiali*. Illi Tridentinum per ſe juſtificationem tribuit h. n XXII. hanc cum tota antiquitate PP. et Doctorum materiam Sacramenti poen. eſſe declarat. Diſtingvamus 3 in charitate initiali vivificationem *imperfectam* a *perfecta*. *Illam* cap. 1. a n XVI expoſitam charitati inchoatae plane tribuimus, atque ad Sacram poen. neceſſariam contendimus: Hanc extra Sacram penitus negamus. Itaque hanc propoſitionem: charitas tollit omne peccatum, diſtingvo juxta praemiſſa ſequentibus: charitas *habitualis*, et actualis *perfecta*, concedo. Actualis *imperfecta*, ſubdiſtingvo: quoad actum, et affectum ad peccatum, concedo: quoad *Habitum* peccati *in*, et *cum Sacramento*, rurſum concedo: *per ſe*, nego. Eo ipſo enim quod charitas *initialis* ſit *PRAEPARATIO NECESSARIA* ad Sacram poen. cap. II. n. IV. XII. XIII, et XIV invicte ſtabilitata, clarum eſt, eam *per ſe* vi juſtitiae efficiendae non pollere. Hujus ſenſus videtur eſſe illud Joan. 14: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, et ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus.* Quibus verbis dilectio Dei *PRAEPARATIO* ad *futuram* Dei in nos *adventum*, non *formalis*, et *praeſens* Ejus in nos per gratiam ſanctificantem adventus depingitur. Illud: *ego diligentes me diligo*, attigimus cap. 1 n. XXI, aſſerentes, nos a Deo diligi pro menſura dilectionis noſtrae perfecte, vel imperfecte. Illud: *qui non diligit, manet in morte*, in Sacramento intelligit Canoniſtarum decus S. Rajmundus cap. II. n. I. go et ſimilia ejus commatis de Sacramento intelligi debent, ſi ſermo in iis ſit de charitate *initiali*, et non *perfecta*, vel *habituali*. His diſtinctionibus (quae in PP. traditionis Divinae Teſtium conſtanti doctrina fundantur) ſalvantur omnes textus ſcripturae charitati Divinae juſtificationem tribuentes.

Ergo non omnis contritio charitate animata eſt perfecta

XXXIV. Ais: *Temerarium* eſt *generales* ſcripturae textus ad particulares ſenſus *reſtringere*. At ſcriptura generaliter affirmat, charitate peccata deleri, et omnem Dei amatorem viciſſim a Deo amari abſque ulla diſtinctione charitatis habitualis, et actualis, perfectae, et imperfectae. go. Reſp. Temerarium eſt, *ſcriptura*, et PP. *traditione*

Textus ſcripturae ad lucem traditionis intelligendi.

ne non praelucente. Concedo. *His exigentibus.* Nego. Imo repono argumentum, et dico: si quis neglecta PP auctoritate generales scripturae sententias, ut jacent, absolute, sine modificatione, et sine collatione ad alios textus vellet intelligere, nae is in varios, oppidoque crassos errores suo, non scripturae, vitio impingeret. Sic palam Lutherizaret is, qui ex his Joan. 6. *Qui credit in me, habet vitam aeternam.* ad Rom. 10. *Omnis qui credit in eum, non confundetur.* Et cap. 3. v. 28. *arbitramur hominem justificari per fidem*: cap. 5. v. 5. *spes non confundit.* 8. v. 24. *spe salvi facti sumus*, et similibus inferret, fidem, et spem *per se* impium justificare ideo, quia cit. loc. fides, et spes *in omnis*, et *charitate formata*, actualis, et habitualis non distigvitur. Cur id obsecro? quia haec alibi scriptura, et PP traditio probe discernit; quibus neglectis scripturae nudam litteram sequi nefas est Catholico. Pari nos jure utimur circa generales *de charitate justificante* scripturae textus, eos de charitate *habituali*, vel actuali *acri*, et *intensa*: vel si initialis sit, *cum Sacramento conjuncta* intelligimus SS Patrum, Doctorum ante Tridentinorum, et Concilii Tridentini doctrina hactenus per nos deducta, et deinceps continuanda nobis praelucente. Imo id ipsum scriptura ipsa exigente, ut cap. III. not. ad n. VI. Resp. ad 7 in evidenti luce collocavimus. Id quod illustratur sequentibus:

Ex notione perfectae charitatis eruitur initialis.

XXXV. Enimvero qui *motum* quemvis *Charitatis perfectam charitatem* esse praetendunt, *notionem* perfectae Dei charitatis scire nolunt. Eam exhibet nobis dilectus Christi Apostolus e corde Salvatoris, dum in pectore ejus recumberet veram amandi Dei artem hausturus, sibi amanter comunicatam. Utinam eam omnes addiscamus. Ita autem tradit 1. Joan. c. 4. v. 18. *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem. Quoniam timor poenam habet, qui autem timet, non est perfectus in charitate.* (a) Illa itaque est

(a) Ne in Pseudomisticorum deliria impingamus, quasi justi in hac vita nihil timendum haberent, contra monitum ps. 33. v. 10. *timete Dominum omnes Sancti ejus*: sciendum ex Doctore Angelico in 3. dist. 34. q. 2. a. 10: *Timor servilis quantum ad servilitatem totaliter tollitur charitate adveniente: Remanet tamen secundum substantiam timor poenae. Verum timor ille diminuitur charitate crescente maxime quantum ad actum: quia quanto aliquis magis diligit Deum, tanto minus timet poenam: primo quidem quia minus attendit ad proprium bonum, cui contrariatur poena. 2do quia firmius inhaerens magis confidit de praemio, et per consequens minus timet de poena.* Sensus igitur Apostoli ex Tirino in hunc locum est: *timor servilis*, anxius tam culpae, quam poenae, qui oritur ex amore proprio, quem vincere, et pellere debet amor Dei, non est in charitate perfecta. *quoniam timor poenam*, tormentum, et cruciatum habet, quamdiu *servilis*, aut *initialis* est ob imminens malum. ideo taliter timens non est perfectus in charitate, quia perfecta charitas parit in amante laetitiam, et voluptatem ob praesens bonum, quo gaudet; remanente tamen *timore filiali* in via (et habitu ejus Sancto in patria.) imo hic timor filialis cum charitate crescit; quia ut art. cit. docet Angelicus: *quanto aliquis magis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere, et ab eo separari*, exemplo proborum filiorum. Itaque sic crescit timor. 1: Peccatori per gratiam repraesentatur Dei justitia peccata variis poenis, et inferno plectentis. Si hoc solum timeat *absque affectu positivo ad peccatum*, et de bonitate Dei *in se* non cogitet, erit *timor* bonus *simpliciter servilis*. S. Thomas l. cit. a. 2. *timor servilis essentiam suam habet ex comparatione ad proprium objectum, quod est poena aeterna, quam fides indicat; et ideo essentia ejus bona est: quia refugere poenas aeternas non est nisi bonum. Hic timor est laudabilis quantum ad hoc saltem, quod Deum timet: et 2dum hoc a Spiritu Sancto est.* 2: Taliter timens honeste, et bene, incipit aliquomodo imperfecte amare Deum: et hic est *timor initialis*. Unde Angelicus l. c. a. 8. *timor initialis accipitur 2dum quod competit statui incipientium, in quibus inchoatur quidem timor per inchoationem charitatis, non tamen ineft eis timor filialis perfecte: quia non dum pervenerunt ad perfectionem charitatis. Ideo timor initialis se habet hoc modo ad filialem, sicut charitas imperfecta ad perfectam.* Timor igitur initialis aliquid participat a timore filiali,

eſt perfecta charitas, quae ita Dei bonitatem amat, ut timori ſimpliciter ſervili locum nullum relinquat. Sive dum ſuppremo Numini ita cor conſecramus, ut tametſi nulla peccantibus poena luenda foret, ejus nihilominus offenſionem cane, et angve magis abhorremus: ſive ut amoris Divini maximus Magiſter Auguſtiſſimus epiſt. 120 docet: *quam non delectat iniquitas, etſi proponeretur impunitas.* Id quod amplius declarat tr. 9. in epiſt. Joan. *Ergo*, inquit, *timor non eſt in charitate.* Sed in qua charitate? non in inchoata: In qua ergo? ſed perfecta, *inquit*, charitas foras mittit timorem. *go incipit timor, quia initium ſapientiae timor Dni. timor quaſi locum praeparat charitati. Cum autem caeperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei praeparavit locum. quantum enim ILLA creſcit, ILLE decreſcit. Et quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor, timor. Minor charitas, major timor. - - - opus eſt ergo, ut intret timor primo: per quam veniat charitas. Timor medicamentum, charitas ſanitas.* Ex quibus diſcimus oeconomiam *charitatis* a timore pure ſervili, ad *initialem* charitatem timore mixtam, hinc ſenſim ad *perfectionem* eluctantis, ibique tandem ſine timore anxio, pure ſervili, vel initiali inter amplexus coeleſtis Sponſi dulce quieſcentis cuſtodientes delicias ejus timore Filiali.

Hic jam ego attritioniſtas ipſos oro, atque obteſtor, ut coram Deo, non *mentiente iniquitate*, ſincere nobis fateantur: an praedeſcriptam *perfectam charitatem* non ſolum in ruſticis, idiotis, magnisque peccatoribus, ſed et in iis, qui ſpirituales videntur, quin et in ſe ipſis frequenter experiantur? Ah miſeros nos! quoties conamur *totum animum, affectus omnes Dei amoribus conſecrare*, et tamen vix *aliquam* verae conpunctionis *ſcintillam* in nobis experimur! Quoties jam a caeleſtis beatitudinis, jam ab aeternorum inferni tormentorum, jam a miſericordiae, bonitatis omnis juſtitiae fontis conſideratione horrorem peccati, amorem Dei, verbo: *contritionem aliqualem ſaltem ſinceram* mendicamus, et in nobis excire ſatagimus! quoties iterum iterumque idipſum. ſi forte melius ſuccedat, tentamus! et tamen cum Apoſtolo exclamare cogimur: *non quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. Infelix ego! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ſive *totos* nos *tentatione excaecatos, carne depreſſos*, ad *amandum Deum inſipidos, ſtupidoſque* miſere experimur. Quoties poenitentes vereri, ac trepidare audimus, ne forte cum *non debita* de peccatis *contritione* ad naufragorum unicam tabulam confugerint! Quoties induratis peccatoribus *infinitam* illam Dei optimi maximi *bonitatem*, ſanctitatem, majeſtatem meditandam proponimus! et tamen conſideratione etiam aeternae inferorum fornacis eos ad ſincerum, etiamſi non intenſum Dei amorem, et propoſitum ſerium non amplius peccandi juvare debemus! An fortaſſe ſoli attritioniſtae ſunt illi mortalium omnium longe

Ad Rom. 7. v. 26.

---

aliquid a ſervili, *remota tamen ejus ſervilitate*, ut ibi ad 2*dum* ait Angelicus: *actus ejus manet cum charitate imperfecta in eo, qui non ſolum movetur ad bene agendum ex amore juſtitiae, ſed etiam ex timore poenae.* Provoco hic ad conſcientiam intimam ſingulorum! Speroque fore, ut omnes confiteamur, ordinarie hoc initiali timore nos concuti, et moveri. Huic ſuccedit 3 *Filialis timor*, quo timetur culpa, *ut ſeparativa a Deo amato* juxta S. Thomam 2.2. q. 19. a. 6. *Separari a Deo eſt quaedam poena, quam charitas maxime refugit. Unde hoc pertinet ad timorem caſtum*, ſive filialem, vel amicitiae. In hoc ceſſat tota ſervilitas; manet tamen *quoad ſubſtantiam timor* etiam in actu. Quinimo ipſa charitas perfecta interdum imperat timorem inferni e. g. exurgente tentatione, exardeſcente concupiſcentia, vel alia paſſione, aut ad humilitatis exercitium. Qui actus tunc a charitate imperante perfectionem conſequitur. Ex quibus luculenter patet, in via perfectam charitatem excludere *ſervilitatem* dumtaxat timoris, non ipſum timorem quoad ſubſtantiam, quaſi juſti nihil timendum haberent.

ge feliciſſimi, qui mox, ut Divinae charitatis objectum vel *imperfecte*, vel *inchoate*, et initialiter ſibi propoſuerint, nulla interpoſita mora fulguris inſtar in ardentem Dei amorem timore, et anxietate omni expertem inflammeſcant? Equidem ſi hanc me Divinam artem edocuerint, hoc in puncto attritioniſtam me fore ſpondeo. At quia et attritioniſtae flebiles Adae filii ſunt, *tenebris intellectus*, et *voluntatis* circumdati, *paſſionum* item *caecitate* ad ſupernaturalia palpantes potius, et repentes, quam volantes; ac ſenſibilibus magis, quam puro fidei lumine ſpiritualibus tangi, moverique apti, nolint, velint, fateri coguntur, raro et in illis inveniri *charitatem* Dei anxio *timore vacuam.* Atqui omnis *charitas Dei, ſervili timore mixta* imperfecta eſt in Linea charitatis. Quia ut ex dilecto Diſcipulo audivimus. *timor non eſt in charitate, et qui timet, non eſt perfectus in charitate.* Quod ipſum clare vidimus ex Angelico *hic in not.* et luculenter docet Benedictus XIV Synod. Dioeces. L. 7. c. 13. n. 5 in haec verba: *Alia eſt contritio ſupernaturalis, et efficax omnem excludens voluntatem peccandi, quae nihilominus aliis nominibus dicitur imperfecta. Et* 1mo *quidem poteſt contritio eſſe imperfecta, quia ſcilicet etſi concipiatur ex eodem* MOTIVO CHARITATIS, *ex quo concipitur contritio perfecta, ad* ISTIUS *tamen* INTENSIONIS GRADUM *non pertingit, ſed eſt tenuis, debilis, et remiſſa.* 2do *Alia eſt imperfecta, quia ex motivo concupiſcentiae Dei nobis boni peccata deteſtatur.* 3tio *Nomine imperfectae contritionis intelligitur dolor conceptus unice propter peccatorum turpitudinem, aut ſolum metum poenarum, et gaehennae, abſque ulla Dei dilectione.* Addit vero ad propoſitum noſtrum: *Verum haec eadem contritio imperfecta poteſt ita moveri ex timore gehennae, ut ſimul conjungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus ſcilicet voluntas, quae peccata odit propter ſupplicia, ſimul fertur quodammodo in Deum, ut objectum diligibile, eumque incipit amore, quamvis non dum amet amore* PERFECTAE *charitatis. Difficile tamen eſt explicare hunc amorem initialem; niſi dicamus, eum eſſe verum actum amoris, ſed debilem, tenuiſſimum, atque in minimo gradu. Ac proinde haec* 4ta *Species contritionis imperfectae videtur fere concidere cum prima ex enumeratis, neque in alio ab ea differre, niſi quod illa ſit ex ſolo charitatis motivo, haec vero admixtum etiam habeat timorem poenarum.* Habes hinc *charitatem* TENUEM, et REMISSAM, nec non *timore gehennae, et poenarum* MIXTAM *imperfectam eſſe charitatem.* Igitur non omnem actum ex objecto, et motivo Dei *propter ſe* dilecti ortum perfectum eſſe charitate. Diviſio itaque Contritionis ab attritioniſtis facta in charitate perfectam, et puram attritionem formidoloſam *manca* eſt. Sed tertia contritio admitti neceſſario debet, *charitate* quidem *orta*, ſed quia *tenui*, et *remiſſa*, aut *timore* gehennae *mixta* eſt, ideo imperfecta.

1 *Joan.* 4. v. 18.

Oeconomia juſtificationis non fit in momento.

XXXVI. Eadem *imperfecta charitate Contritio* ut magis noſcenda, exhibeatur, conſideremus juſtificationis peccatoris maximum Dei opus. An putamus hic momento omnia peragi? imo vero ordinarie, et exceptis caſibus miraculoſis Pauli, Boni Latronis, et quorumdam aliorum (cap. II. n. XVI.) hocce miſericordiae, ac bonitatis Divinae ſtupendum opus longiori tempore peragitur. Pluribus enim *motibus gratiarum concutienda* ſunt ante peccatorum *corda*, quam *ex funeſto* peccatorum *Sepulchro* ad *vitam rejurgant Divinam. Dixit Deus* verbo unico, *et facta ſunt* omnia in momento. Dixit Salvator mortuo: *Lazare, veni foras, et prodiit, qui erat mortuus* in momento: Sed peccatoris reſuſcitatio non momento peragitur, quia *non ſolo Dei verbo*, ſed et peccatoris *cooperatione* peragitur. *Qui creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te.* Quanta opus eſt *Lucta Spiritus*, et carnis, ut amata creatura deſerta incipiant coeleſtia, aeternaque ſapere! majo-

Ps. 32. v. 9.

Joan. 11. v. 43.

re

re gratiarum vi, ut amplius ſapiant: Maxima, ut unice vita vivatur Divina. Audit impius eloquenti oratione, aut Sacra lectione repraeſentari ſibi ſempiternos gehennae ardores: recogitat peccatorum ſuorum multitudinem, et gravitatem, ſuam in Deum horrendam ingratitudinem, Dei infinitam juſtitiam, miſericordiam, bonitatem: Inter ſpem, et metum fluctuat: Hinc juſtitia terret, inde miſericordia allicit. Experitur in ſe horrorem aeterni incendi, orientem *in Deum* ſuper omnia diligendum *affectum*, *cordiſque* ab *amore* creaturarum male amatarum aliqualem *averſionem*. En *initia* imperfectae Dei *charitatis!* ſtatuit cum Deo reconciliari ope Sacramenti poenitentiae; parat ſe; et inter haec frequentes Divinae dilectionis actus robuſtiores elicit. En *proficientem charitatem!* Quae tamen ordinarie aut timore gehennae mixta, aut remiſſior eſt, quam ut impium ante Sacramentalem abſolutionem ad juſtificationem perducat. Quod igitur *ſe ſola* praeſtare nequit, accedente *Sacramenti forma* juſtificationem, et gratiam habitualem operatur vi Sacramenti *contritionem perficiente*. Ut ait Catechiſmus Romanus §. 37. de poen. Oeconomia, quam deſcripſimus, juſtificationis mire conſonat cum principiis Doctoris Angelici. Confer cap. II. n XIV: ubi clariſſime diſtingvit *inchoationem charitatis* timore mixtam a *perfecta* charitate. Et ibidem n. XXIII. ubi *communem, et conſvetum* juſtificationis *curſum* eſſe aſſerit, ut homo *convertatur ad Deum primo CONVERSIONE IMPERFECTA, poſtmodum ad PERFECTAM deveniat: quia charitas INCHOATA meretur AUGERI, ut AUCTA mereatur PERFICI.* en charitatem *inchoatam, auctam* nondum *per ſe* juſtificantem: *et perfectam* juſtificantem! Igitur attritioniſtae palam contrarii ſunt Angelico, dum omnem *contritionem charitate* etiam *minima, et inchoata PERFECTAM* aſſerunt, et *per ſe* juſtificare; ideoque contritionem dividunt in *charitate perfectam*, et *puram attritionem:* imo hoc ſuum figmentum Tridentino allinunt, putantes organum Spiritus Sancti pro materia Sacramenti poen. contritionem *genericam*, et ſine *motivo* nobis obtruſiſſe. Audiant illi Angelum Scholae contritionem *ſpecificam* materiam Sacramenti neceſſariam verbis omne ſupterfugium excludentibus docentem 3. p. q. 86. a. 2. in O: *Offenſa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis eſt averſa a Deo per converſionem ad bonum aliquod commutabile. Unde requiritur ad remiſſionem Divinae offenſae, quod voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis praedictae, et propoſito emendae. Quod pertinet ad rationem poenitentiae ſecundum quod eſt virtus: et ideo impoſſibile eſt, quod peccatum remittatur ſine poenitentia ſecundum quod eſt virtus. Sacramentum autem poenitentiae perficitur per officium Sacerdotis.* Quid eſt obſecro! *ſine poenitentia ut virtute impoſſibile eſſe remitti peccata?* niſi *virtutem poenitentiae a Chriſto elevatam ad eſſe materiae neceſſariae Sacramenti poenitentiae*, ſicut *officium*, ſive verba *Sacerdotis* ad eſſe *formae*. Et de quali virtute poenitentiae hoc aſſerit Angelus Theologiae? de illa plane, quae *directe contraria* eſt *offenſae* Divinae: de illa, quae *voluntatem* poenitentis immutat *avertendo a creatura*, et *convertendo ad Deum finem ſuum*: de illa, quae *deteſtatur averſionem* ſuam *a Deo*, et *offenſam* ejus: *cap. II n. VI.* de illa, quae *proponit emendam. ibi. n IX.* at cuncta haec effectus charitatis eſſe, luculenter jam vidimus l. hic cit. nec non hoc cap. IV a n. XIX uſque ad XXI. go teſte Angelico *virtus poenitentiae charitate animatae* eſt *materia* NECESSARIA *Sacramenti* poenitentiae. go contritio *generica*, et ſine *motivo* a Tridentino pro materia Sacramenti poen. definita eſt *monſtrum Theologicum* in Scholis mediae aetatis Ariſtotelicorum Nominalium quorundam Theologorum ad aetatem ante Tridentinam SS PP. et

Discipulorum eorundem non respicientium natum. Quid dubitas? an Sacra Sinodus in hoc *SS. Patrum compendium D. Aquinatem* deseruit? imo secuta est. *cap.* II. *n* V. X. etsi in hoc deseruisset, horresco vel cogitare! Omnes SS Patres, totamque antiquitatem nihili duxisset, ut ex hactenus dictis sole clarius ostendimus.

go Tridentinum sess. 14. c. III. *et initio* IV *sufficientiam attritionis servilis evertit.*

XXXVII. COROLLARIUM. Claudamus hoc caput sequenti illatione: Tridentinum sess. XIV. cap. III. et initio IV*ti* ab imis fundamentis suffodit, praefocavitque sufficientiam in Sacramento poen. attritionis servilis: Cui proinde cap. IV*ti* altera parte tam favere, quam contradicere sibi Organum Spiritus Sancti nec voluit, nec potuit. Demonstro veritatem. Quod enim magna Sinodus cap. III *contritionem charitate animatam* pro materia necessaria Sacram. poen. statuat, evicimus hoc cap. 1: Ex omni antiquitate Ante-Tridentna n. II: quam Tridentinum secutum est. 2. Ex Sacrarum litterarum oraculis Divinam institutionem exhibentibus: quae Concilium explicuit. a n III. usque ad VI. 3. Ex damnatione doctrinae Lutheri, et Vichlefi: a n. VII usque X. quam Sinodus confirmavit. 4. Ex Concilio Florentino n XI. et XII. quod Tridentinum non deseruit. 5. Testimonio sincronorum Concilio Doctorum: n XIII: qui prae attritionistis posterius natis audiendi sunt. 6. Urgentissimis rationibus Theologicis: a n XIV usque ad XVIII.

Rursum quod Generale Concilium initio cap. IV*ti* explicet naturam *contritionis specificae* charitate animatae, in praeclara luce collocavimus 1: E consideratione verborum Concilii; quae charitatem significant. n XIX XX. 2. Ex oraculis Prophetarum: a quorum sensu a Spiritu Sancto inspirato oecumenica Sinodus non praescidit. n. XXI. 3. Ex Distinctione contritionis perfectae, et *initialis*, quam Concilium aperte tradit. a n. XXII. imo 4: *hanc* solam pro *necessaria* materia Sacramenti poen. agnoscit. a n. XXIV. 5. Quae proinde initiali charitate animata contritio nullatenus negari potest. a n. XXVIII. 6. go falsissimum manet, omnem etiam initialem motum charitatis perfectam reddere contritionem. a n XXXIII. go admitti debet contritio, vel attritio initiali charitate, ut necessaria Sacramenti poen. materia a Tridentino declarata.

Transitio, et Connexio seq. cap.

Haec quamquam indubia sint, ut tamen dissipemus commentum illud adversariorum, quo asserunt, novissimam Sinodum Generalem sufficientiam attritionis servilis decidisse, aut ei saltem faviisse, id jam in examen vocemus oportet. Praemitto hoc argumentum: Aliquam contritionem pro materia Sacramenti poen. declaravit Tridentinum; ut consideranti cap. III. et IV saepius cit. evidens est. non *perfectam* charitate: quia hanc raro contingere, et tunc ante usum Sacramenti justificare declarat. Nec attritionem *formidolosam*, quin hanc *remotam* dispositionem ad Sacram, *proximam* vero ad charitatem actualem Sacramento necessariam tradit. go contritionem *initialem*. haec collectio ut invincibilis fit, alterum membrum minoris propositionis in luce meridiana collocabit sequens

CAP.

CAPUT QUINTUM.

Tridentinum ſeſſ. XIV capitis IVti parte poſteriore attritionis ſervilis in Sacramento poen. ſufficientiam non definit, neque attritioniſtis quidquam favet.

I. Tridentini Conc. verba initialiſtas inter, et attritioniſtas controverſa haec ſunt: *Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur: quoniam ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu comuniter concipitur; ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniae, declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; verum etiam donum Dei eſſe, et Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento poen. per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento poen. impetrandam diſponit. Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitae ad Jonae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, et miſericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos ſcriptores, quaſi tradiderint, Sacram poen. abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre. Quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit: ſed et falſo docent, contritionem eſſe extortam, et coactam, non liberam, et voluntariam.* Haec Sacra Sinodus.

Decretum Tridentini ſeſſ. 14. cap. 4. p. poſter.

Quae quidem contra Lutherum, ejusque primos aſſeclas metum gehennae, et poenarum, indeque *ortum* dolorem vitioſum, hypocriticum, coactum, et non liberum eſſe dogmatizantes decreta eſſe quamquam cap. priori n. XXIII viderimus, pro clariori tamen luce appendamus in paralellum decreto huic virulentum dogma Lutheri de timore, ex eoque orto dolore, quod is evomuit *ſerm. de poen t.* ita blaſphaemans: *Haec contritio facit hypocritam, et magis peccatorem: quia ſolum timore praecepti, ex dolore damni id facit. Et tales omnes indigne abſolvuntur, et comunicantur. et ſi libere deberent, remoto praecepto, et minis poenarum confiteri, certe dicere deberent, ſibi non diſplicere vitam illam praeteritam, quam ſic coguntur diſplicere confiteri: Imo quo magis timore poenae, et dolore damni conteruntur, eo magis peccant, et afficiuntur ſuis peccatis, quae coguntur, non autem volunt, odiſſe. Et haec eſt contritio, quam ipſi vocant extra charitatem non meritoriam: alii vocant attritionem proxime diſponentem ad contritionem. Sic enim opinantur ipſi, quam opinionem errorem ego judico.* Ita Lutherus blaſphaemabat, vel delirabat potius: quae totidem fere verbis mox relatis damnat Tridentinum, ut conferenti patet. Quam merito, expendamus breviſſime:

Erroribus Lutheri oppoſitum.

II. *Haec contritio facit Hypocritam, et magis peccatorem: quia ſolum timore praecepti, et dolore damni id facit.* Dolorem ex ſolo timore, et damno *contritionem* appellat, nullo ſibi SS PP. aut Doctorum ante Tridentinorum praelucente. Ut patet toto cap. I. dein timorem ex ſolo damno *hypocriticum* appellat: contra apertam doctrinam Angelici docentis 2. 2. q. 16 a. 2: *timor reſpicit poenam, per quam homines attrahuntur ad Deum.* Et a 4. ibi: *Timor ſervilis reſpicit Deum, ſicut principium inflictivum poenarum. At attrahi ad Deum, Fugere poenam a Deo infligendam*, nec hypocritam, nec magis peccatorem facit. Secus omnia praemia virtutum, et poenae vitiorum tam Divino, quam humano jure decretae malae eſſent, et peccatores pejo-

Errores Lutheri circa timorem.

res facerent. Quod ipsarum etiam barbararum gentium sensu falsissimum est. Addit Haeresiarcha, *tales indigne absolvi*, supponitque, sua aetate cum timore servili absolutos esse fideles: quod putidum mendacium *ex imperitiae fonte haustum* esse vidimus cap. 1. n XXXVI.

Breviter refelluntur.

Rationem dat, cur tales sint hypocritae: quia *si libere deberent remoto praecepto, et minis poenarum, confiteri, certe dicerent, sibi non displicere vitam illam praeteritam, quam sic coguntur displicere confiteri. Imo quo magis timore poenae, et dolore damni conteruntur, eo magis peccant, et afficiuntur suis peccatis, quae coguntur, non autem volunt odisse.* Quibus verbis loquitur de timore *serviliter servili* affectum ad peccatum de praesenti conditionatum retinente: atque hunc quidem Ecclesia malum docet; sed in eo hallucinatur Reformator, quod timoris *substantiam* bonam, a *servilitate*, quae mala est, non distingvat, et sic omnem timorem rejiciat contra doctrinam Angelici 2. 2. q. 19. a. 4 in O docentis: *Timor servilis secundum suam substantiam bonus est; sed servilitas ejus mala est.* Nec nocet ejus argumentum, quod huc recidit: *Timens, remoto praecepto, et minis poenarum, NON DOLERET; go hic et nunc sub praecepto, et minis coacte dolet.* Nam hypotheses *mere possibiles* nihil ponunt in esse: nec Deus juxta eas judicat, sed juxta *praesentem* hominis *dispositionem*, ut patet ex illo Sap. 4. *Raptus est, nec malitia mutaret intellectum ejus.* Quibus docemur, vidisse Deum, justum, si porro viveret, corrumpendum: attamen actu *placens Deo asseritur.* go etiam actu vere, et sincere timenti, et fugienti poenas non obest *hipothesis* non futuri timoris, et doloris *remoto praecepto, et minis poenarum.* Deus enim judicat *praesens* cor, non *futurum.* Atqui poenitentes *ACTU* minas, et poenas *libere* meditantur, *cum possent negligere*: vere, et sincere, absolute, et sine ulla conditione, et restrictione eas evitare satagunt: libere item se se excitant earum consideratione ad dolorem verum, et sincerum, non fictum: go eorum dolor *actu sub minis poenarum* liber est, non coactus, verus non hypocriticus. Hypocrisis enim est aliud exterius simulare, aliud animo fovere. Timens ut vere se vult liberare a poenis, ita externe, et interne vere dolet de peccato ut caussa poenarum, idque ita, ut nihil cogitet de hipothesi illa ficta, *si non esset poena.* Hic enim affectus est *serviliter servilis*, quem una cum Luthero damnamus: pernegamus tamen, omnem timorem ita esse affectum: nam ut ex Angelico vidimus, Timor unice *fugit poenam*, et respicit Deum ut *vindicem malorum*: ut spes Largitorem Bonorum: At spes etiam charitate vacua, affectu ad peccatum *si non esset praemium*, non necessario, nec semper est vitiata; go nec timor.

III. Singulari autem consideratione digna sunt illa Lutheri verba: *Et haec est contritio, quam ipsi vocant extra charitatem non meritoriam. alii vocant attritionem PROXIME DISPONENTEM AD CONTRITIONEM. Sic enim opinantur ipsi. Quam opinionem errorem ego judico.* Quibus clare exponit Catholicorum suae aetatis de timore mere servili doctrinam, quod scilicet sine charitate non sit meritorius justificationis, sed *proxima sit dispositio ad contritionem* materiam Sacramenti poen. quam doctrinam ab Haeresiarcha errorem vocatam Tridentinum consecravit illis verbis: *viam sibi ad justiam parat: ad Dei gratiam in Sacramento poen. impetrandam disponit.* Ex ore igitur inimici discimus, ly *DISPONIT* ut sensu Theologorum ante Tridentinorum, ita oraculo Concilii Oecumemici non significare *proximam dispositionem* ad gratiam *Sanctificantem*, sed *ad contritionem*, atque adeo ad *charitatem actualem* in Sacramento poen. necessariam. Id quod illustratur doctrina Lutheranorum; A quibus magistri sui error, quia non scripturae solum, et Patribus, sed et ipsi rationi contrarius

succes-

ſucceſſive viſus, ad mentem Doctorum Ante-Tridentinorum reductus eſt, referente Eminentiſſimo Theologo Cardinali Bellarmino l. 2. de poen. cap. 7: *Poſtea receſſerunt Lutherani ab illa ſententia; et jam communiter docent, timorem poenae eſſe utilem, atque inde poenitentiam INCHOARI.* Haec ipſa eſt mens cap. I. n. VIII Joannis Nider. n. XI Roberti Pulli, Alenſis, Angelici. n XII Scoti, Joan. Bacho, Dionyſii Ciſtercienſis, Gabrielis Biel, Hugonis Victorini, Roberti de Sorbona. n. XIII Joannis Gerſon, S Bernardini Sen. Guillelmi Vorillonii, Echii, Joan. Daventria, Conc. Senonenſis, Alberti Pighii, S. Thomae de Villa Nova, Academiae Lovanienſis, Conc. Moguntiac. Joan. Betz, Alphonſi Virveſii. cap. III. n. XXII Alphonſi a Caſtro, Macarii Havermans. quid tempus perdo? omnium Ante-Tridentinorum.

Lutherus a Jus deſertur.

Moderni Lutherani concordant cum antiquis Doctoribus noſtris.

Ex quibus ſolis inſtar meridiani ſplendeſcit haec collectio: ſi docentibus Lutheranis, atque in hoc Parentis ſui errorem ad mentem Ante-Tridentinorum Doctorum corrigentibus, a timore poenarum *inchoatur* dumtaxat poenitentia, quis Catholicorum aſſerere auſit, timorem *ſervilem* in Sacramento poen. *proximam* eſſe *diſpoſitionem*? an hoſtes Fidei magis, quam domeſtici conſulere debent Sacramenti poen. integritati, valori, et reverentiae? An putandum eſt, aut magna illa luminaria verae Theologiae Ante-Tridentinae, Doctores inquam maximos mox recenſitos timoris ſervilis naturam non intellexiſſe? vel non examinaſſe? aut Concilium generale Tridentinum eorum doctrinam deſeruiſſe? quibus item hodie aſſurgendum? An attritioniſtis heri natis? vel potius ſummis illis SS. PP. diſcipulis Tridentinum antegreſſis? aut illi fere coaevis? Equidem quod me attinet, tres, quatuorve probatos Doctores Ante-Tridentinos clare loquentes, aliis ejus aevi non repugnantibus, praeferre non dubito caſtris omnibus multitudine dumtaxat ſua (ut mox ex rationibus eorum videbimus) terribilium attritioniſtarum. Confer Cleri Gallicani declarationem introd. n II notatione.

Qui doctrinae Tridentinae facem praeferunt.

Eorumdem Doctorum Ante-Tridentinorum auctoritate manifeſte defendimur a nota *Lutheraniſmi*; quae quidem fuligo (quaſi initiali ſtae circa timorem ſervilem cum Luthero convenirent) ipſos objicientes atre admodum, miſereque obfuſcat. Nam ſi veri *illi* Theologi Ante-Tridentini Luthero non praeluſerunt, nec nos idem cum illa retro ſentire argui ſincera fide poſſumus; utpote qui *illis* per omnia conſentimus. Neque inter tenebras, ac lucem major eſt diſparitas, ac Lutherum, qui *omnem timorem* abſolute damnabat velut acerbum coactum, et hypocriticum (ut mox vidimus) conſequenter in juſtificationis opere nullum locum *ei*, quia actui ſuo judicio malo, debat; ac nos, qui mere *ſervilem* actum bonum, et ſalutarem, attamen ad juſtificationem *remotam* dumtaxat diſpoſitionem cum mox cit. illuſtribus verae Theologiae Ante-Tridentine luminibus habemus. Toto namque coelo diſtincta ſunt haec: aliquid *ad finem* aſſequendum *CONDUCIT*, et *SUFFICIT*. Multa namque ad eundem finem *juvant*, quae ſeorſim *ſufficere* ſtultiſſime argueretur. Ita ad juſtificationem *remote diſponit* timor ſervilis, ſed ſine charitate non *ſufficit*; quia quod *remote* diſponit, *per ſe* non ſufficit. ut lippis, et tonſoribus notum eſt.

Et nos a Lutheraniſmo defendunt.

IV. Sed jam arma adverſariorum experiamur. Qui ex decreto mox relato Tridentini ita in nos aciem inſtruunt: 1. Sufficit in Sacramento attritio *ex turpitudinis peccati conſideratione* concepta, ut loquitur Tridentinum. gō et ex gehennae, et poenarum metu.

Argumenta attritioniſtarum.

2. Concilium illis verbis: *si voluntatem peccandi excludat* aperte definit, attritionem excludere voluntatem peccandi: nisi enim id praestaret, chimerica, et *de subjecto male supponente*, prorsusque inutiliter adjecta fuisset dicta conditio. Quid autem plus in Sacramento poen. a poenitente *ad proximam dispositionem* requirere possumus, quam ut voluntatem peccandi excludat? 3. Ex mente concilii attritio poenitentem *ad Dei gratiam in Sacramento poen. impetrandam DISPONIT*. Atqui to *disponit* idem significat, ac *sufficit*. quia 4. attritio extra Sacram disponit *remote*, ut mox diximus. go in Sacramento *proxime*. Nam 5. Tridentinum majorem vim attribuit attritioni *in*, quam *extra* Sacram. ut patet ex illa opposita periodo Tridentini: *quamvis sine Sacramento per se ad justificationem peccatorem perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento poen. impetrandam disponit*. Addunt 6. In metu gehennae contineri aliquem amorem Dei: qui enim horret poenas, amat beatitudinem suam. Quae Deus est. Haec praecipua sunt ex Tridentini loco mox descripto servilistarum argumenta Quae insolubilia censent, atque adeo de nobis triumphum canunt. At certe ante victoriam. Nos enim ea mera Sophismata a mente Concilii Generalis prorsus aliena, serius a Patronis *opinionis formidantis* ad conciliandam *huic* moralem certitudinem infeliciter esse cusa, inde ineluctabiliter demonstramus, quia illa 1: doctrinae SS. PP. et discipulorum eorundem Doctorum Ante-Tridentinorum sunt e diametro opposita, Ut cap. I. et hic n. III intuiti sumus. 2. Hostiliter pugnant cum principiis Concilii Tridentini sess. 6tae per nos cap. II expositis. 3. Ignota erant *primis* Parentibus *servilis* opinionis: et discipuli *eorum* tardius hoc scutum *decisionis Concilii Tridentini* arripuerunt. Ut cap. VI videbimus. 4. Magnum Lumen adversariorum nostrorum Turnelius cap. III n. XII relatus ingenue confitetur, *Tridentinum NIHIL definivisse de sufficientia attritionis servilis*. qui ideo, desertis servilibus castris, sententiam *amoris spei* illustravit, nihilo licet attritionistarum opinatione meliorem. Ut toto cap. III demonstratum dedimus. go adversarii nostri mutuis caedibus invicem digladiantur. Servilistae relatis argumentis plene confidunt, ideo sententiam suam moraliter certam clamant Negant id speistae: ideo *amorem spei* obtrudunt: quem amorem spei nec attritionistae excludunt. Quid hinc nobis lucis? illud plane, quod neutra earum opinionum sit moraliter certa, atque adeo etsi *speculative* quidpiam probabilitatis haberent (quod ipsum nos non videmus) in praxi tamen Sacramentali juxta decisionem Innocentii XI cap. XIV exponendam nostra sententia ut *unice tuta* sequenda sit. Quod ut evidens sit, objecta hic argumenta ad mentem SS PP. et discipulorum eorundem clare omnino solvere satagemus.

Dissolvuntur.

Turpitudo peccati multiplex.

V. Ad 1. de *turpitudinis peccati consideratione* quantum ad materiam Sacramenti, ita omnino differimus, sicut de *timore*. Nempe, ut naturam illius paucis exponamus, multiplex est turpitudo peccati. *1e in hominum opinione* sita est. Ita in furto, vel alio delicto deprehendi, vel convinci, in humana societate ignominiae, et turpitudinis plenum est. Talis itaque dolet non de *peccato commisso*, sed de famae suae jactura. Altera est *intima peccato*, in quantum *hoc* difforme est *naturae rationali*, contrarium honestati intimae, pudori, et animae pulcritudini. Sic naturae instinctu turpe est peccatum *in se*, nullo licet conscio patratum. Utraque haec turpitudo naturalis est, et Stoicorum propria erat: Utpote qui in virtutum exercitio *sui* ab aliis *cultum*, ut Pharisaei, propriamque *delectationem intrinsecam*, et animi

orna-

ornamentum quaerebant; ideo *finem* actionum suarum *SEIPSOS* ponebat, testes Augustino ita eos l. 5. de Civit. Dei cap. 20 refellente: *Cum anima in se delectatur, nondum re incommutabili delectatur. Et ideo adhuc superba est, quia SE* (suam famam, suam delectationem) *pro summo habet, cum superior sit Deus.* Tertii generis turpitudo in peccato est, quatenus *hoc* repugnat *infinite sanctitati*, et *pulchritudini* Divinae. Quae consideratio sine amore *fontis sanctitatis* esse nequit, imo ab illo velut caussa, et principio nascitur, et dirigitur. Proinde sola ad Sacram poen. sufficit, ut ipsa charitas ejus principium. Ita Drouven de poenit. l. 6. q. IV. cap. III §. IV. a. 2. Quae plane confirmia sunt Angelo Scholarum turpitudinis peccati considerationem, et ex ea ortum dolorem ad charitatem referenti 3. p. q. 85. a. 5 ad 1: *Peccatum*, inquit, *prius incipit homini displicere propter supplicia, quae rescipit timor servilis; quam propter Dei offensam, vel peccati TURPITUDINEM, QUOD PERTINET AD CHARITATEM.* Quarta turpitudo peccati est, dum infamia, aliique tristes effectus peccati *fide praelucente* considerantur a Deo juste inflictae. Ab hac consideratione supernaturali dolorem Sacramentalem inchoari posse, non negamus: hac sola perfici inficiamur. Sane ex eo, quod peccati *turpitudo* sive in *hominum opinione* sita, sive *intima naturae*, sive in *effectibus* ejus *temporalibus*, vel etiam *aeternis fide praelucente* consideretur, sequitur tantum, actum illum fore *supernaturalem*; non vero, talem poenitentem *re incommutabili, et fine suo summo Deo delectari.* At ut audivimus ex Augustino, quamdiu quis non *summo Deo delectatur, adhuc superba est, adhuc se pro summo habet.* Adhuc manet aversus a Deo, non positive conversus ad Deum; quia *finem priorem* peccato constitutum, *sui amorem* nondum charitate Dei mutavit. Huc suo modo pertinent omnia cap. III n. XXI. XXII. XIII dicta. Omnibus enim virtutibus Moralibus, et charitate inferioribus commune est, ut quamdiu ad Deum *propter se* non attolluntur, in SUI AMORE haereant, *cor, affectumque positive* non convertant, non immutent: ideo merae dispositiones sint ad introducendam charitatem actualem, haec ad sanctificantem. Quam veritatem, ut lapidem angularem totius moralis Christianae, in evidenti lucae collocabimus hoc cap. a n. XIX. Accipe interim perspicuam instantiam: Filius rebellis Patri quantumcumque consideret, doleatque peccati sui sive intrinsecam turpitudinem, sive coram hominibus ignominiam, sive exhaeredationem, aliasque poenas a Patre juste inflictas; redamari tamen a Patre, atque in gratiam recipi non meretur. Cur amabo? quia illis omnibus sua damna deflet, se amat, cor ejus a Patre adhuc alienum est: quod solo *amore* ad Patrem *converti* potest. Cujus illene scintillam quidem in descripto dolore habet. Hoc in naturalibus exploratum est omnibus. Par ratio militat in supernaturalibus. Indignus itaque est poenitens charitate Dei habituali, a quo peccati sui turpitudinis, infamiae, aliarumque poenarum supernaturalis quoque consideratio fide apprehensa de micam quidem veae in Deum extundere valet charitatis: et cujus cor priori peccato aversum ad *sui*, et creaturam *amorem*, non dum conversum ad Patrem amantissimum est. Ut mox pluribus edisseremus de timore acturi. Itaque 1am Objectionem Dist. sufficit in Sacramento attritio ex turpitudinis peccati consideratione concepta, si *turpitudo* peccati consideretur ut *fonti Sanctitatis oppositа*, ac proinde *charitate oriatur*, vel *terminetur*: concedo. Secus nego.

Quae in Sacramento sufficiens?

Quae insufficiens?

VI. Altera, et reliquae objectiones supponunt, Tridentinum loqui de *attritione* mere *servili*. Quod quidem suppositum si quis negare vo-

luerit,

luerit, ut cum fundamento poteſt juxta dicta cap. IV n. XXVIII ſententia 2a; ſuapte corruet omnis objecta difficultas. Ut per ſe patet.

Nos tamen, ut miſteria, naturam, inquam, *timoris* in luce ponamus, dedita opera eliximus, et ſequemur hic Tertiam ſententiam cit. loco enarratam, et conformiter ad ibi dicta ad 2dam objectionem hic n. IV propoſitam reponimus:

Timor multiplex eſt.

Si omnis attritio formidoloſa voluntatem peccandi ſufficienter ad Sacram excluderet, ſuperflue, battologice, et prorſus non ad rem addidiſſet Sacrum Concilium illam conditionem: *ſi voluntatem peccandi excludat*: Sicut inepte ita loqueremur: *charitas eſt ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem, ſi voluntatem peccandi excludat.* Ut proinde hunc nodum Gordium non ſecemus, ſed pulchre ſuo ordine diſſolvamus, ante omnia multiplex timor diſtingvendus eſt: nempe timor *mundanus*, quo hominum reſpectu, et metu ducti aut a malo abſtinemus, aut etiam ad malum pertrahimur. De quo loquitur aeterna Veritas illis: *nolite timere eos, qui occidunt corpus, ſed potius timete eum, qui poteſt et corpus, et animam perdere in gehennam* Math. 10. Timor *naturalis* eſt, quo naturalia formidantur mala, et poenae peccati. De quo damnata eſt ppoo: *Probabile eſt attritionem naturalem, modo honeſtam ſufficere* ad Sacram poen. Hos duos nemo *hodie* praetendit Sacramento poen. ſufficere. Alii timores vocantur *ſpirituales*, quibus Deum, et coeleſtia ſuo modo reſpicimus: de quibus ita definit Angelicus 2. 2. q. 19. a 2. in O: *Si aliquis convertatur ad Deum - - propter timorem POENAE, erit timor SERVILIS. Si propter timorem CULPAE, erit timor FILIALIS: Si autem propter utrumque, eſt timor - - MEDIUS inter utrumque timorem.* Qui hodie a Scholaſticis *INITIALIS* nuncupatur, coaleſcitque partim ex timore *poenae*, partim ex timore *culpae*. Rurſum timor *ſervilis* communiter dividitur in *mere ſervilem, et ſerviliter ſervilem. Ille* eſt *fuga poenae* non habens ullum affectum actualem etiam conditionatum ad peccatum, ſine tamen ulla in Deum charitate, in ſe virtus moralis: *hic* eſt fuga poenae *cum affectu conditionato ad* peccatum, *ſi non eſſet poena.* Qui actualis ad peccatum affectus eſt actuale peccatum. n. II. hic. His praemiſſis ſtatuo ſequentes ppones probandas:

1. propoo: *Timor ſerviliter ſervilis voluntatem peccandi non excludit, uin includit.*

2. *Timor mere ſervilis voluntatem peccandi NEGATIVE ſolum, nec proinde ſufficienter excludit.*

3. *Timor initialis affectum ad peccatum poſitive excludit, proinde in Sacramento ſufficit, et neceſſarius eſt.*

Ia PPOO: Serviliter ſervilis timor eſt malus poſitivo affectu ad peccatum.

4. *Timor Filialis et affectum, et effectum, ſive habituale peccatum per ſe excludit, nec proinde Sacramento neceſſarius eſt.*

VII. Primam pponem luculenter docet Auguſtinus ſerm. 15. de verbis Dom. c. 6: *Qui timore poenae non concupiſcit, puto quia concupiſcit. Terrore ingenti armorum, atque telorum, et circumdantis multitudinis etiam LEO revocatur a praeda: et tamen Leo venit, Leo redit; praedam non rapuit, malitiam non poſuit. Quid magnum eſt poenam timere? quis enim non timet? quis latro? quis ſceleratus? quis nefarius? ſed hoc intereſt inter timorem tuum, timoremque latronis, quod latro timet leges hominum; tu autem leges ejus times, ejus poenam times, quem fallere non potes. Nam ſi fallere poſſes, quid non feciſſes? Ergo et concupiſcentiam tuam malam non timor tollit, ſed timor premit. Ad ovile venit lupus: Latratu canum, et clamore Paſtorum ab ovili reverſus eſt lupus; ipſe tamen ſemper eſt lupus.* Magnificis his paritatibus oſtendit Doctorum Aquila, *timentem ſerviliter*

ſervi-

ſervilem ut Leonem, latronem, Lupum (qui ſub timore voluntatem praedae non deponunt, quin actu fovent, *ſi modus eſſet*) affectum conditionatum ad peccandum *ſi non eſſet poena* in animo non *habitu* ſolum, ſed actu retinere, conſequenter affectu actuali peccare. Paria docet Maximus idem Doctor de Judaeis l. 3. Contra duas epiſt. Pelag: *Sola, quae Deus ibi pollicetur, terrena promiſſa ſectantes, et quid pro novo teſtamento ea ipſa ſignificent, ignorantes, eorum adipiſcendorum amore, et amittendorum timore Dei praecepta ſervabant: imo non ſervabant, ſed ſibi ſervare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, ſed terrena cupiditas, METUSQUE CARNALIS. Sic autem qui praecepta facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omnino non facere, ſi ſecundum ea, quae cupit, et metuit, permittatur impune facere: Ac per hoc in ipſa voluntate intus eſt Reus, ubi ipſe, qui praecipit, inſpicit Deus.* Item l. 1. ad Bonifac. c. 9. *Profecto in ipſa intus voluntate peccat, qui non voluntate, ſed timore non peccat.* Et ſerm. 13. *Qui timet poenam, optat, ſi fieri poſſet, facere quod lubet, et non habere, quod timeat.*

Ex quibus hoc argumentum effloreſcit: Auguſtinus loquitur de *timore, et metu CARNALI*, tali ſcilicet, ſub quo metuens *ACTU* peccat. Atqui metuens *ACTU* non peccat ex eo, quod habitualiter in peccato ſit juxta damnatam proponem Bay 35: *omne, quod agit peccator, peccatum eſt.* Neque enim peccatum habituale inficit omnia opera ſive infidelium, ſive Chriſtianorum impiorum. go Auguſtinus loquitur de tali metu, qui *actualem affectum* ad peccandum retinet ſub conditione *ſi non eſſet poena*: quem timorem *ſerviliter ſervilem* nominamus, et *vitioſum* cum Luthero fatemur; at a timore *mere ſervili* affectum quidem peccati poſitive non excludente, ſed nec poſitive ullo modo fovente, ideo in ſe actu honeſto, et laudabili, utpote virtute morali immenſum diſtare aſſerimus.

Suffragatur fidelis Auguſtini Diſcipulus D Thomas 2. 2. q. 19. a. 9. *Timor ſervilis non eſt numerandus inter ſeptem dona Spiritus Sancti, licet* (timor in ſe, eſſentialiter) *ſit a Spiritu Sancto: quia ut Auguſtinus l. de nat. et Gratia c. 67. dicit, POTEST annexam habere voluntatem peccandi.* go non *omnis timor ſervilis* habet annexam voluntatem peccandi, ſed tantum *ſerviliter ſervilis.* Idem Angelicus ibid. a. 4. et 6 docet, *hunc* timorem eſſe *malum*, et contrariari charitati. go datur timor *carnalis* (diſtinctus a mere mercenario ſola charitate vacuo. cap. III. n XXI. et ſeqq.) ſive *ſerviliter ſervilis*, malus, et vitioſus, quia annexam habens voluntatem peccandi non habitualem tantum, ſed actualem conditionatam *ſi non eſſet poena.* Ad eandem ſervilem ſervilitatem referenda ſunt ſequentia Angelici principia: 1. 2. q. 6. a. 6: *Quae ex metu fiunt, mixta ſunt voluntario, et involuntario. Id enim, quod per metum agitur, in ſe conſideratum non eſt voluntarium: ſed ſit voluntarium in caſu, ſcilicet ad vitandum malum, quod timetur.* Ibidem a 2. ad 2. *Dicendum, quod in eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur ſecundum quod in ſe conſideratur. Id, quod per metum agitur, quodammodo involuntarium eſt. Timidus agit contra id, quod etiam tunc ſecundum ſe vult.* Rurſum q. 107 a. 1. ad 2. *Qui timore poenae ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter ejus voluntas a peccato recedit; ſicut recedit ejus, qui amore juſtitiae abſtinet a peccato. Et propter hoc lex nova, quae eſt lex amoris, dicitur animum cohibere.* Lex timoris manum. Paritas eſt in navigante ob metum naufragii merces in mare projiciente: et incidente in Latrones ob metum vitae conſervandae crumenam illis offerente: Quorum uterque ſic eſt animo affe-

ctus: *nollem, si non esset timor mortis.* Ita, et *serviliter servili* metu concussus habet in corde hanc conditionatam voluntatem: *vellem peccare, non dolerem, non agerem poenitentiam, si non esset poena, si non timerem gehennam.* Quae conditio facit poenitentiam *involuntariam*, et est actuale peccatum, utpote *affectus actualis* ut ut conditionatus *ad peccatum.* Velle enim peccare peccatum est. Aliud est de navigante, et incidente in Latrones: illi enim ad res *suas juste possessas* licite retinent affectum possidendi, si non timerent mortem. At affectus ad peccatum etiam conditionatus semper est peccatum.

Ideo Tridentinum adjecit clausulam: si voluntatem peccandi excludat.

En igitur rationem manifestam! cur Tridentinum adjecerit dictam conditionem: *si voluntatem peccandi excludat.* Quia datur timor carnalis, et serviliter servilis, qui non excludit voluntatem peccandi; imo actualiter includit sub conditione: ideo huic non convenit id, quod Tridentinum de attritione mere servili decernit: quod nempe non faciat *hipocritam*, et magis *peccatorem*, quod *donum Dei sit*, *et Spiritus Sancti impulsus*, quod eo *poenitens viam sibi ad justitiam paret*, quod *ad gratiam in Sacramento impetrandam disponat.* Quin praemissa exceptione apposita ipsum Tridentinum damnat hunc timorem serviliter servilem.

Mere servilis bonus est.

VIII. At enim hic affectus ad peccatum, haec conditionata voluntas actualis peccandi timori non est *intrinseca*, nec essentialis, aut necessario annexa: verum prorsus *extrinseca*, et vitio *impie timentis* hic et nunc adjecta, ac *per eum* a timore separabilis: (*a*) ut clarissime docet

---

(*a*) Utraque *servilitas* separabilis est a substantia timoris (quae unice poenam fugit, et Deum Vindicem malorum considerat) cum hac distinctione: si *servilis servilitas* separetur, timor erit *mere servilis*, virtus moralis, carens Fine virtutum charitate, in se tamen actus bonus. Ut h. n. evincam. Si vero ipsa quoque *mera servilitas* separetur, tunc timor erit *initialis*, aut *filialis* pro gradu charitatis, quam timor servilis introducit. Et reipsa SS. Patres omnem, quisquis *solo metu poenae* a malo retrahitur, vel ad bonum compellitur, generaliter asserunt *SERVILITER* operari. Sic Augustinus in Ps. 118. *Quando bonum opus fit cum timore poenae, et non amore justitiae; cum Deus metuitur, et non amatur: SERVILITER FIT.* Unde utramque *servilitatem* reprobant, docente Angelico 2. 2. q, 19. a. 4. in O: *Timor servilis SECUNDUM suam SUBSTANTIAM bonus est.* Sed *servilitas mala est.* Reprobant inquam PP utramque *servilitatem*: at cum INSIGNI hac differentia: scilicet *SERVILEM servilitatem* reprobant ut *peccatum actuale*, et affectum ad peccatum actu saevientem n. VII hic descriptum. Conditio enim actualis peccandi *si non esset poena* influit, et inficit intrinsece ipsum *timorem*, et non *timentem* solum, ut haec causalis: *Do elemosinam, ut succedat Futurum, adulterium*, corrumpit *ipsam elemosinam*, reddens *eam* peccaminosam, et non Elemosinarium tantum peccantem. At *meram* servilitatem reprobant PP ut actum *intrinsece* bonum, extrinsece ex parte operantis, non operis, *imperfectum*, carentem *fine* extrinseco omnium virtutum *charitate*. Ex quo defectu etiam justificationi Sacramentali imparem agnoscunt: cap. III. a n. XXI. *Initium* tamen poenitentiae plane affirmant. h. n. III. et VIII. At numquid initium bonum est, etsi non sit terminus? *initium sapientiae timor Domini.* Ps. 110. nunquid fides *informis* bona est, etsi *proxime* non disponat ad justitiam? Fides bona est, *informitas* mala, et tollenda. Adde charitatem, et proxima erit dispositio: Ita loquimur de timore. Ex quibus *timoris* mere servilis et *bonitatem*, et in Sacramento *insufficientiam* palpare licet.

Non ipsa servilitas, quin haec separabilis est a metu.

Dices ex Inst. Lugd. de poen. diss. 3. a. 2. obj. 7: Patribus, et antiquis Theologis prorsus ignotam fuisse distinctionem timoris in *serviliter servilem*, *et mere servilem*: qui omnem solo timore poenae agentem ita *affectum* esse asserunt, ut peccatum committeret, *si impune posset*, eoque ipso esse justitiae inimicum. Admissa praemissa distinctione *insufficientiam* timoris restringent attritionistae ad *terminos*: concedo. quod *ad rem ipsam*: N. Augustinus diserte utramque servilitatem nobis exhibet serm. 161: *Cum dicis mihi, gehennam timeo: interrogo te: si non videret te Deus, faceres* malum? *Si faceres, go poenam times.* En timorem *serviliter servilem* in hoc affectu timentis: *si non videret Deus, facerem peccatum.* Jam

docet Angelus Scholarum 3. dist. 34. q. 2. a, 1. dicens: *si servilitas esset de ratione timoris servilis, oporteret, quod timor servilis simpliciter esset malus, sicut adulterium est simpliciter malum; quia contrariatur charitati. Sed praedicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis. Sicut nec informitas ad speciem fidei informis.* 2. 2. q. 19. a. 2. *Timor servilis respicit poenam, per quam homines attrahuntur ad Deum.* Ibi a. 4. ad 2. *Timor servilis respicit Deum sicut principium inflictivum poenarum.* At respicere, fugere poenam, ad Deum attrahi, Deum Vindicem malorum considerare, quis dicet esse malum? go timor mere servilis quoad suam substantiam bonus est. Quem idcirco commendat Scriptura (quae nihil vitiosi probare potest) Isai 33. *Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante? Quis habitabit - - cum ardoribus sempiternis?* Ibidem cap. 26 v 17 juxta Lectionem 70: *a timore tuo concepimus, et parturivimus, et peperimus spiritum.* Ps. 7. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit.* Ps. 118 *Confige timore carnes meas: a mandatis enim tuis timui.* Ps. 110. INITIUM *sapientiae timor Domini.* Prov. 1. v. 7. *Timor Domini* PRINCIPIUM *sapientiae.* Eccli. 1. v. 13. *Quem commendat scriptura.*

---

videamus ibidem timorem mere servilem: *Time tamen, ut ista formido custodiat te, et perducat ad dilectionem.* At ad timorem cum hoc affectu: *Si non videret Deus, facerem peccatum*, nequit hortari Doctor Maximus; cum ille affectus sit actuale peccatum. Nec ille timor *custodiet te a peccato*, ex eadem ratione: nec *perducet ad dilectionem*: perabsurdum enim, planeque Pelagianum esset dicere, impium actuali peccati *affectu* perduci ad dilectionem. go hic manifeste loquitur Sanctus de timente non habente actualem affectum ad peccatum, sive de tali, in quo affectus *habitualis* adest quidem, sed timore poenae *repressus*, *vinculatusque* est, ne *actu saeviat* juxta illud ejusdem summi Doctoris l. 2. contra epist. Petilian. c. 28. *Timor intra claustra cogitationis COERCET malam cupiditatem.* Et sicut cap. I. n. XIV ex Ambrosio audivimus: *qui metuit, REPRIMITUR, non emendatur.* Quem timorem nos *mere servilem* vocamus. go Augustinus, et Ambrosius admittunt *quoad rem* timorem *mere servilem* ut distinctum a *serviliter servili.* Rationem additam pariter distingvo: PP eum, qui solo metu poenae agit, ita affectum asserunt, ut peccatum committeret, si etc. ita inquam affectum asserunt *serviliter servilem* timentem: Concedo. *Mere servilem*: Subdist. *Habitualiter*: concedo: *actu* pernego. Ut enim modo ex Augustino, et Ambrosio vidimus, peccatum *habituale* in timente mere servili *coercetur, et reprimitur, non emendatur*: go mere serviliter timens ita est affectus *habitu*; quia affectus ejus ad peccatum non dum *positive* per *CHARITATEM EXCLUSUS* est. Non est tamen ita affectus *actu*: quia affectus ejus ad peccatum timore *MERE SERVILI REPRESSUS EST, et vinculatus*, ne *actu SAEVIAT.* go timens mere servilis *inimicus justitiae* manet *HABITU*, non *ACTU.* Atque haec explicatio negari nequit salvo decreto Tridentino h. n. definiente, Timorem poenarum (*si voluntatem peccandi excludat*) *esse donum Dei.* etc. Quibus Concilium generale duplicem timorem poenarum manifeste distingvit; *includentem affectum* ad peccatum: et aliquo modo *excludentem* (de quo nos hic n. seq.) illum *serviliter servilem:* hunc *mere servilem* dicimus Et si Tridentinum hos timores distinxit, eadem distinctio Sanctis quoque Patribus, et antiquis Theologis *quoad rem* nota fuisse debuit, cum Tridentinum nihil iis contrarium decernere sive potuerit, sive voluerit. Ad 2. ajo cum cit. Inst. Lugd: Facile adversarios ex isto propugnaculo depelli posse dicendo: Timorem etiam mere servilem insufficientem in Sacramento esse ex eo, quod *affectum* ad peccatum *positive* non excludat docente Augustino l. 2. Contra advers. legis cap. 7. *Desiderium peccandi non extingvitur, nisi contrario desiderio recte faciendi; ubi fides per dilectionem operatur.* Et serm. 161. cit. *Timor id agebat, ne faceres, charitas id agit, ut NOLIS facere, etiamsi impune possis admittere.* Quis enim asserere ausit, eum ad Sacram poen. *proxime* esse dispositum, in quo *desiderium peccandi* exstinctum non est? *nolitio peccati* non dum adest? de quo plura seqq. n. XII. etsi igitur distinctionem *serviliter servilis*, et *mere servilis timoris* negari non posse censeamus. ex ea tamen nos *bonitatem* dumtaxat timoris poenae eruimus. Ex adverso attritionistae illa distinctione *sufficientiam* timoris servilis ad Sacram nobis obtrudunt, putantes, ea, quae de *insufficientia* timoris a PP dicuntur, ad timorem *serviliter servilem* pertinere. In quo eos a veritate prorsus aberrare, omni opum Theologicarum vi contendimus. Igitur nihil minus, quam attritionistis in re, et veritate consentimus.

v. 13: *Timenti Dominum bene erit in extremis.* v. 22. *Corona ſapientiae timor Domini.* v. 25. *RADIX ſapientiae eſt timere Dominum.* v. 27. *Timor Domini expellit peccatum.* His locis ſermo eſt de timore *mere ſervili* charitate vacuo: et tamen inculcatur mortalibus: quin dicitur *expellere* peccatum: non ſane ut *proxima* diſpoſitio, ſed ut *initium*, et *radix* juſtificationis. Alias non poterat dici INITIUM *ſapientiae.*

SS. Patres. Conſentiunt Patres. S. Ignatius M. Apoſtolorum Coaevus, et Diſcipulus epiſt. ad Ephes. *Aut futuram timeamus iram, aut praeſentem gratiam diligamus, unum e duobus; modo in Chriſto Jeſu inveniamur ad veram vitam vivendam.* Rationem dat Tertulianus l. de cultu faem. c. 2. Quia *timor* FUNDAMENTUM *ſalutis eſt.* S. Clemens Alexandrinus l. 7. Stromat. *Juſtitia eſt duplex: Una quidem propter charitatem: altera vero propter metum. Qui enim convertuntur ex timore ad fidem, et juſtitiam, permanent in ſaeculum, et abſtinentiam a malis operatur is, qui timet.* Clariſſime, et expreſſiſſime Auguſtinus locis innumeris: Serm. 18 de verbis Apoſt. *cum dicis mihi: Gehennam timeo, ardere timeo, in aeternum puniri timeo: quid dicturus ſum? male times? Non audeo, quemadmodum ipſe Dominus ablato timore* (mundano illis verbis: nolite timere eos, qui occidunt corpus) *ſubjecit timorem* (Domini) *et dixit: timete eum, qui habet poteſtatem et animam, et corpus mittere in gehennam. Time, - - ut iſta formido cuſtodiat te, et perducat ad dilectionem. Timor enim iſte, quo gehennam times, et ideo mala non facis, continet te, et ſic volentem peccare animum interiorem non ſinit: Eſt enim quidam cuſtos timor, quaſi Pedagogus legis: littera eſt minans, nondum gratia juvans. Cuſtodiat tamen timor iſte, dum non facis* (malum) *timendo, et veniat charitas. Timor enim id agebat, ne faceres: charitas id aget, ut NOLIS facere, etiamſi impune poſſis admittere.* Enarratione in Pſ. 127 Ita differit: *ille timor nondum caſtus - - poenas timet. Timore facit, quidquid boni facit, non timore admittendi bonum ILLUD* (Deum) *Sed timore patiendi illud malum: Non timet, ne amittat amplexus pulcherimi Sponſi: ſed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus eſt, et iſte timor utilis eſt.* Cur? rationem dat l. 2. contra Epiſt. Petilian. c. 83: Quia *Timor poenarum etſi nondum habet delectationem juſtitiae, ſaltem intra clauſtra cogitationis coercet malum cupiditatem.* Et Epiſt 120 ad Honoratum: *Praemiſſus timor in cor noſtrum pellit inde conſvetudinem malorum operum, et ſervat charitati locum.* Tract. 41 in Joan. *Si nondum potes amare juſtitiam, time vel poenam, ut pervenias ad amandam juſtitiam.* Et Serm. 12 de verbis Apoſtoli: *Fac vel timore poenae, ſi nondum potes amore juſtitiae.* Quibus hortatur Doctor Maximus ad *timorem* illum, qui *volentem animum peccare non ſinit*, et quaſi *cuſtos, et Pedagogus continet* nos a peccato. go non ad timorem *ſerviliter ſervilem*: Cum hic ſit actuale peccatum in *affectu actuali* ad peccatum. Item hortatur ad *timorem* omni *charitate vacuum*, ſed ad hanc praeparantem, et diſponentem cor noſtrum. Ut conſideranti textus hos patet. go hortatur ad *timorem mere ſervilem.* go *hunc* bonum, et honeſtum *in ſe* palam docet.

Tridentinum. Merito igitur Tridentinum ſeſſ. 6. can. 8 Sic definit: *Si quis dixerit, Gehennae metum, per quem ad miſericordiam Dei dolendo de peccatis confugimus, vel a peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit.* Hic rurſum excludit Sacra Sinodus timorem *ſerviliter ſervilem*: hic enim timor *a peccato non abſtinet, et peccatores pejores facit AFFECTU ACTUALI CONDITIONATO* ad peccatum. Quem retinet. Quibus verbis manifeſte reſtringit Concilium definitionem ſuam *ad metum mere ſervilem.* Igitur dicta *diſtinctio metus* ad *ejus* naturam explicandam neceſſaria, atque in ipſo Tridentino fundata eſt. *Quam diſtinctionem* dum neglexit Lutherus miſcens quad-

quadrata rotundis, ipſum etiam metum *mere ſervilem* ut MALUM, et HYPOCRITICUM rejecit; cum tamen ſolus *ſerviliter ſervilis* TALIS ſit. (recole hic n. II. et not. ad VIII.) Oraculo enim Concilii Generalis mox deſcripto docemur, de fide eſſe, *dari timorem omni vitio intrinſeco, et affectu actuali actu ſaeviente, et actum ipſum inficiente* carentem. Suffragatur Alexander VIII a 1690 proſcriptis his propoſitionibus: *Timor gehennae non eſt ſupernaturalis. Attritio, quae gehennae, et poenarum metu Concipitur, ſine dilectione benevolentiae Dei propter ſe, non eſt bonus metus, et ſupernaturalis.* Rem luce meridiana clarius illuſtrat illa reſtrictio: *Sine dilectione benevolentiae Dei propter ſe:* qua certiſſimi efficimur, ſolum timorem mere ſervilem, abſque *ullo vel initiali amore Dei propter ſe* conceptum, modo non ſit *ſerviliter ſervilis*, eſſe motum bonum, et ſupernaturalem. Hoc eſt dictu: meram ſervilitatem, ſive carentiam omnis charitatis actum ipſum timoris *in ſe*, et quoad ſubſtantiam *intrinſece* non vitiare. Ut aliae virtutes charitate inferiores manent virtutes, et honeſtae, atque *fide praelucente* etiam ſupernaturales: licet defectu *finis ſui*, charitatis *extrinſece* ſint *imperfectae*. Ita et de timore mere ſervili aſſerimus, quem dum Eccleſia bonum, et ſupernaturalem eſſe declaravit, non exemit utique a *praecepto* generali *omnes actiones*, et *virtutes* inferiores ad *charitatem referendi* c. 1. a n XXI, et cap. III. not. ad n XV explanato. Ut Auguſtinus manifeſte docet illis verbis: *qui timore aliquid facit, etſi bonum ſit, quod facit, non tamen bene facit.* Quod *verbum*, explicante Angelico 2.2. q. 10. a. 4. ad 1. *intelligendum eſt de eo, qui facit aliquid timore ſervili, ut ſcilicet non amet juſtitiam, ſed ſolum poenam timeat.* go metum *pure ſervilem BONUM*, ſed *imperfectum* evictum habemus. Potiſſimum cum *voluntatem peccandi NEGATIVE* dumtaxat excludat. quod alterum eſt ex propoſitis hic n. VI jam demonſtrandum.

Alexander VIII.

IX. Quia timor *mere ſervilis* bonus eſt, ut hactenus vidimus, *aliquo modo* debet *excludere voluntatem peccandi*, et *affectum* ad peccatum. ut hoc apud omnes Catholicos eſt exploratum (ideo enim metum *ſerviliter ſervilem* malum eſſe vidimus h. n. VII, quia voluntatem peccandi non excludit, ſed includit) ita ſumma litis inter initialiſtas, et attritioniſtas in eo eſt, quomodo id praeſtet? et an ſufficienter ad Sacrm.? Nos dirimendae controverſiae facillimum, ſimul tamen efficaciſſimum, evidentiſſimumque videmus medium diſtinctionem *excluſionis NEGATIVAE*, et *POSITIVAE*.

2a PPO: Voluntatem peccandi excludit negative.

Excluſio voluntatis peccandi *negativa* habetur per *ſomnum*, per quamcunque *diſtractionem animi a peccato*, per omnem *actum honeſtum* diſtinctum a peccato, ſive per omne id, quo peccator habitualis occupatur, et non corpore ſolum, ſed et animo *copulative* avocatur ab *actuali*, vel *virtuali volitione*, et *affectu* peccati ſive praeteriti, ſive deinceps committendi, vel commiſſi continuandi ita tamen, ut in anima non ſolum *reatus*, et *habitus* peccati commiſſi permaneat, ſed nec *volitio*, et *affectus* praeteritus peccati *directe*, *contrarie*, ideoque *ſufficienter*, et *efficaciter* retractetur, ſed *affectus* nuper *actualis*, nunc *habitualis* quaſi *ſopiatur*, coerceatur, vinculeturque intus in anima, *habitu* remanens, *actu* tamen *non nocens*. Sic unius peccati mortalis reus uſque ad actum charitatis, vel contritionis etiam initialis elicitum ſaepe longiori tempore haeret in peccato commiſſo, novum tamen non committit, quin interea actus honeſtos naturales, et virtutes charitate inferiores exercet, de priori peccato dolet, triſtatur, torquetur metu inferni, ſine tamen charitate. Haec eſt *negativa* excluſio *voluntatis* peccandi; quae per *actiones* naturales *honeſtas*, et *virtutes morales* fit *mere negative*, ut non negant ipſi attritioniſtae. Secus illae ſufficerent in Sacramento

explicatur.

to poen. quod nemini incidit. nec multo *efficacius* fit in *pure ſerviliter* timente: qui *horrore poenarum* occupatus nullum *affectum poſitivum actualem* habet ad peccatum, quin illud *odit*, deteſtatur, ſed non *directe*, et *contrarie* ut offenſam Dei, qui eſt actus charitatis, ut evidenter docuimus cap. II. n. VI: verum *indirecte* ſolum, in *cauſſa*, et *mediate*, ut eſt *inductivum* poenae, proinde *inſufficienter*, ut ibi vidimus: et manifeſte docet Auguſtinus epiſt. 145: *qui gehennam metuit, non peccare metuit, ſed ardere.* quibus inſtruimur: *timorem poenae* peccato ut offenſae Dei, ejusque *affectui*, et *volitioni* non opponi, ſed unice fugere paenas peccatori decretas, et ſic continere, atque coercere animum, ne actu peccet, ſive ut iterum verbis Auguſtini loquamur: *timor id agebat, ut non faceres: charitas id agit, ut NOLIS facere, etiamſi impune poſſis admittere.* ferm. 161. de verbis Apoſt.

Haec excluſio negativa actiones peccatoris facit BONAS.

X. Quid utilitatis Theologicae in hac *negativa excluſione* voluntatis peccandi? *multum per omnem modum.* Facit enim ut actus timoris, quin omnes actiones timentis ejusmodi habitualis peccatoris ſint boni, (niſi ex alio capite inficiantur.) ratio eſt, quia per hanc *negativam* voluntatis peccandi excluſionem *affectus actualis*, et *habitualis* ad peccatum reprimitur, ſopitur, et, ut ſic ad captum loquar, vinculatur; ideo *actu* non ſaevit, nec opera (*honeſta* alias) peccatoris inficit, vel corrumpit. Hinc opera *peccatoris habitualis* non eſſe peccata doctrina eſt Eccleſiae damnantis propones Bay 16m: *non eſt vera legis obedientia, quae fit ſine charitate.* et 25. 35. 40: *in omnibus ſuis actionibus peccator ſervit dominanti cupiditati.* Et Queſnelli 1. 44. 45. *amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet Cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat.* hujus furfuris ſunt omnes propones hujus Novatoris 46. 47. 48. 49. 50. uſque ad 67-am incluſive. conf. cap. I. not. 6. 7. et reliquas. ad n XXIX. ubi de harum propnum ſenſu egimus. Hic ſolum ex iis deducimus, metu mere ſervili negative *extingvi affectum*, et *voluntatem* peccandi, ut actu non ſaeviat, nec actiones timentis corrumpat latens in anima *habituale* peccatum.

Sed in Sacramento non ſufficit.

At enim haec *negativa excluſio* non ſufficit ad Sacram. poen. in hoc enim non *ſepeliri*, non *reprimi*, *coercerive*, aut *vinculari*; ſed *poſitive excludi*, *contrarieque directe expelli* debet *affectus actualis* ad peccatum, imo ipſum peccatum *habituale diſpoſitive in ſe*, *et directe oppugnari* incipi oportet, ut ipſum Sacrm. totaliter expellere valeat. Ratio manifeſta eſt: nam Sacrm. poen. agit juxta *diſpoſitionem* poenitentis. go ſi poenitens non aggrediatur directe contraria diſpoſitione peccatum, ejusque affectum, Sacrm. ea expellere, animamque tecto, repreſſo, ac coercito ſolum peccato habituali liberare, renovare, ac gratia Sanctificante, donisque hanc comitantibus ornare nequit. ut haec evidenter evincunt dicta de *vivificatione imperfecta* Sacramento neceſſaria cap. n. XVI, et XVII. *De charitate praeparatoria* cap. II a n III uſque XV. Juncto ibi n XXX. proinde

In quo neceſſaria eſt excluſio poſitiva.

XI. Altero modo excluditur voluntas peccandi *poſitive*: dum nempe in animo, et voluntate ſunt affectus *directe contrarii*, directe *pugnantes* cum *affectu* peccati. Sic amor Dei *initialis propter ſe*, odium, et deteſtatio peccati propter offenſam Dei, utpote actus verae charitatis (cap. II. n VI.) *poſitive* pugnant cum affectu peccati, ideo ea dicuntur *poſitive excludere affectum* peccati. Sicut enim actus *perfectae* charitatis excludit ipſum habituale peccatum: ita affectus charitatis *initialis* tollit *affectum*, et *volitionem actualem* peccati: quia in eodem ſubjecto non poſſunt ſtare duo *contrarii affectus*: Sicut nemo poteſt eſſe amicus, et inimicus Dei *habitu*, ita nequit haberi *affectus* actualis ad Deum propter ſe charitatis, et ſimul affectus ad peccatum, ideſt: odii, et averſionis a Deo. ut hoc apud nos aeque, atque adverſarios noſtros eſt exploratum.

Sed

Sed nec inficiaturos puto adverſarios, *poſitivam* hac affectus, et voluntatis *peccandi excluſionem* in Sacramento poen. indiſpenſabiliter neceſſariam eſſe, Eximio Doctore Svareſio illuſtri formidoloſae opinionis, ut olim viſuri ſumus, Nutritio verbis Cubitalibus decernente tom. 4. diſp. XX. n. 6: *Concilium Tridentinum expreſſe requirit attritionem, quae voluntatem peccandi excludat non NEGATIVE tantum per ſolam CESSATIONEM A TALI VOLUNTATE: hoc enim modo quaelibet cogitatio alterius rei voluntatem peccandi excludit: ſed POSITIVE per formalem, aut virtualem REPUGNANTIAM, VERAMQUE MUTATIONEM VOLUNTATIS DISSENTIENTIS PECCATO.* Quibus et definitionem, naturamque *excluſionis negativae*, ac *poſitivae*, et *hujus* in Sacramento *neceſſitatem*, *illius* vero *inſufficientiam*, palam docet. Recole dicta de *vivificatione imperfecta* c. 1. n. XVII. quae doctrinam Svareſii extra dubium ſtatuunt.

XII. Venio jam ad ſummam rei, ajoque: SS Patres *poſitivam affectus*, et *voluntatis* peccandi *excluſionem* timori *mere ſervili* ut *inſufficienti* conſtanter negare, charitati adſcribere. Praeeat Doctorum ter Auguſtinus Serm. 161. de verbis Apoſt: *Timor id agebat, ne faceres: charitas id agit, ut NOLIS facere, etiamſi impune poſſis admittere.* L. 2 contra adverſarium leg. cap. 7: *Deſiderium peccandi non extinguitur niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.* epiſt. 144: *Inaniter ſe putat eſſe victorem peccati, qui poenae timore non peccat, quia etſi non impletur foris negotium malae cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis*, utpote timore non *excluſa*, ſed *repreſſa*, et tantiſper *coercita*: ideo ut idem Doctorum Aquila conc. 25. in pſ. 118 aſſerit: in timente *vivit voluntas peccandi* timore vinculata: *quae tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas*: ſive ceſſante timore voluntas peccandi prius coercita erumpit in opus peccandi. En veram cauſſam tot relapſuum! ſed Auguſtinum audiamus l. de natura, et gratia cap. 67. *Qui timore ſupplicii ſentit ſe abſtinere ab opere peccati, NONDUM ALIENUS EST A VOLUNTATE PECCANDI: IN IPSA enim VOLUNTATE REUS eſt.* Enarrat. in pſ. 77. *Quantum ad facta, quae forinſecus aguntur, et qui timent poenam, et qui amant juſtitiam, non furantur. et ideo pares ſunt manu, diſpares corde: pares opere, diſpares voluntate.* Lib. de Spiritu, et littera poſteaquam c. 14 dixiſſet: *Non eſt fructus bonus, qui de charitatis radice non ſurgit*: cap. 19 docet: *Ex hac promiſſione* charitatis *lex impletur. Sine qua praevaricatores facit vel uſque ad effectum mali operis, ſi etiam REPAGULA timoris concupiſcentiae flamma tranſcendit: vel certe in ſola voluntate, ſi timor poenae Svavitatem libidinis vicerit.* Quibus manifeſte inſtruimur, timorem eſſe *repagulum*, quo mala concupiſcentia coercetur, remanente intus mala voluntate vinculata, ne actu ſaeviat. Merito igitur pronunciat l. 25. de Trinit. c. 18: *niſi tantum cuique impertiatur Spiritus Sanctus, ut cum Dei, et proximi faciat amatorem, a ſiniſtra non transfertur ad dextram.* tract. 5. in epiſt. Joan. *Filii Dei diſcernuntur ſola dilectione, et charitate a Filiis diaboli.* et l. de patient. c. 12. *Quid eſt homo in hac vita antequam diligat Deum, niſi injuſtus, et impius?* non valet hic diſtinctio IN, et EXTRA Sacrm. Nam ſi ſolus timor non *extinguit affectum*, et *voluntatem* peccandi, ſed *reprimit*, et *coercet* tantum, ut innegabiliter prioribus textibus affirmat Doctor maximus, profecto et IN SACRAMENTO impius ſine charitate, cum ſolo timore remanente intus mala voluntate, manet impius. Scilicet ut tr. 6. in Joan. idem ait: *non prodeſt, ſi quis tradat corpus ſuum pro nomine Chriſti, ita ut ardeat, et illud non faciat charitate.* et Conc. 21 in pſ. 118: *Non prodeſt inter quantacunque tormenta Martyrii Confiteri, ſi charitas in confitente non eſt.* at-

Ut teſtantur SS. PP.

Auguſtinus.

qui

qui nemo dixit unquam, Sacrm. poen. Martyrio majoris esse efficatiae. go fatendum est, teste Augustino *ipsum Sacr. poen.* Sine charitate *affectum*, et voluntatem peccandi *extingvente*, impium in impietate sua relinquere. Nempe hoc Sacrm. agit secundum *dispositionem suscipientis.* ut toties diximus. go ubi deest *charitas praeparatoria* a nobis jam stabilita, Sacrm. effectum suum sortiri nequit propter remanentem malam voluntatem unice charitate exstingvibilem. Confer cap. I. n. XV. ubi plura *de insufficientia* metus servilis invenies. quae si junxeris eis, quae de *bonitate* ejus hic n. VII congesta sunt, de attritionis formidolosae et *honestate*, et in Sacramento *insufficientia* certam veritatem, inter Lutheri errorem, et serviliſtarum recentius commentum, mediam habebis. adde c. II n XXX omnem effugio rimam praecludentem.

Hieronimus. Augustinum sequitur ei aetate major, scientia par, atque ad exponendas Sacras litteras Divinitus datus Doctor Maximus D Hieronymus, qui in cap. 1. Malach. ait: *Vult primum Deus, ut Filii ejus simus, et bonum voluntate faciamus.* En effectum charitatis! *bonum voluntate* facere, audi jam effectum timoris: *si hoc consequi nolumus, ut saltem servos nos habeat, et a malis per suppliciorum formidinem recedamus. recedere a malo* utique bonum est; sed in Sacramento poen. non sufficit: in quo *voluntas* quoque *sanari* debet, qui effectus est charitatis ex mente summi Doctoris. go recessum a malo per timorem remotam dispositionem ad justificationem habet Divus. Confer cap. 1. n. XIV: ubi *mundos amore Dei vult poenitentes ante, quam absolvantur* inchoate saltem.

S. Gregor. M. Conspirat Moralium Parens L. 1. mor. c. 26. *qui timore agit, a malo poenitus non recessit.* Ne repetamus multos SS PP textus cap. 1. n XIV legendos, audiatur

Angelicus. Angelicus 1. 2. q. 107. a. 1. ad 1. *qui timore poenae a peccato abstinet, non simpliciter ejus VOLUNTAS RECEDIT a peccato, sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiae abstinet a peccato, et propter hoc lex nova, quae est lex amoris, dicitur animum cohibere,*

Seraphicus. vetus lex timoris manum. Doctor Seraphicus 3. sent. Dist. 34. q. 1. affirmat: *metu supliciorum aeternorum hominem cessare a peccatorum perpetratione, sed non omnino a VOLUNTATE.* Totam hanc doctrinam nostram mirifice illustrat ibi q. 2. explicans illud Augustini ex superius citata Conc. 25. in ps. 118. *Timor non crucifigit carnem, quia vivit in eo peccandi voluntas: dicendum,* inquit D. Bonaventura, *quod illo verbo Augustini non intelligatur, quod semper, quando timet, voluntas peccati semper sit in ACTU: sed hoc dicit, quod manet in HABITU, et RADICE.* Nux haec Seraphica totam complectitur doctrinae nostrae de timore Iliadem: ex illa enim fit manifestum 1. timori saepe adesse *actu voluntatem peccandi*: et tunc est *serviliter servilis.* h. n. VII. 2. alias *habitu, et in radice,* dum est *mere servilis.* 3. Hunc, quia non retinet voluntatem peccandi *actu*, esse bonum. h. n. VIII. 4. sed quia retinet eam *habitu*, et in *radice*, Sacramento insufficientem. h. a n. IX usque huc.

Eorumque discipuli: Hugo a S. Victore. Magistris suis SS Patribus per omnia consentiunt eorum discipuli antiqui Theologi. sic Hugo a S. Victore l. 4. operum misticor. *Timor servilis pro vitanda poena abstinet a peccato, RELICTA VOLUNTATE MALA.*

Guillelmus Antisiodorensis. Guillelmus Antisiodorensis L. 3. tr. 8: *Timor servilis semper est cum peccato; quia in timente serviliter VIVIT PECCANDI VOLUNTAS.*

Estius. Estius in 3. dist. 34: *Timor servilis est vitiosus, non quidem in se, quatenus timor poenae est; sed quatenus servilis: ideſt quatenus malum semper habet adjunctum, nempe LATENS IN ANIMO DESIDERIUM PECCANDI.*

Salmeron. Salmeron in canticum Zachariae: *Si timor solus est, purgat, non affectus INTERNOS, sed EXTERNOS, immutat non COR, sed OPERA.* redisis ad cap. 1. n. XI. ubi

ubi ex Roberto Pullo audivimus, quod timor tantum *reprimat culpam*. Ex Alenſi (Magiſtro S. Bonaventurae) quod *deſiſtat ab ACTIONE peccati, NON MUTET VOLUNTATEM IN BONUM.* n XII ex Hugone Victorino, quod effectus timoris ſit *NON DELINQUERE, NOLLE DELINQUERE charitatis.* Suffragantur alii h. n III cit. Omnes igitur SS PP, et antiqui Doctores ore SS Auguſtini, et Angelici loquuntur dicentes: timore mere ſervili MANUM COHIBERI, ANIMUM, COR NON SANARI, affectum ad peccatum *timore tegi*, coerceri, *charitate tolli*, extingvi. *Et multi alii cit.*

XIII. Ex quibus luce meridiana clarius patet inſufficientia timoris ſervilis, et neceſſitas charitatis initialis in Sacramento: corruit item ſpecioſum illud commentum attritioniſtarum, quod Chriſtus in nova lege *duplici via juſtitiae* conſequendae providerit peccatoribus, ſcilicet via *perfectae contritionis*: et *timoris mere ſervilis* cum Sacramento. De priori via vidimus cap. IV n XXII. Poſterioris viae nec in ſcriptura, nec in PP, Eorumque Diſcipulis ullum hactenus reperimus veſtigium, imo e diametro contraria omnia, ſcilicet *metu* ſolo *affectum, voluntatemque peccati non extingui*, ſed *reprimi*, ut ait S. Ambroſius c. 1. n XIV cit. Timentem *non peccatum metuere, ſed ardere*; ut Auguſtinus ait. Et quis ſibi perſvadeat, Deum amicitiam ſuam, ſpiritumque charitatis ſuae habitualis, etiam in Sacramento inſufurum *cordi affectu, et voluntate in peccatum* habitualiter adhuc inclinato? et ſic nondum diſpoſito, quin ſuo modo impoenitenti? talis eſt omnis peccator ante charitatem Auguſtino intonante epiſt. 145: *Tantum quisque peccatum odit, quantum juſtitiam diligit.* et Serm. 7. de temp. *Poenitentiam certam non facit, niſi amor Dei, et odium peccati.* at mere timens ex his nihil praeſtat, ut natura ipſa timoris prodit. go mere timens adhuc vere poenitens non eſt. Ergo ad recipiendam gratiam ſanctificantem indignus, ſicut fide, Spe, aliisque moralibus, et charitate inferioribus tantum virtutibus praeditus. Scilicet ſola charitas *directe*, et *contrarie* opponitur *peccato, ut offenſae Dei.* at inter offenſam Dei, et timorem gehennae nulla eſt directa oppoſito: Timor enim *mere ſervilis* ex natura ſua *poenas fugit* a juſto Judice infligendas: *contumaciam* animi tormenta ſpernentis *coercet*, junctus *fidei*, et *ſpei informi infidelitati*, et *deſperationi* opponitur, ad *emerendam* Divinam *miſericordiam*, *mitigandam* Divinam *juſtitiam*, aſſequendamque beatitudinem aeternam *ſibi bonam* attollitur. Haec tota eſt natura, et activitas poſitiva timoris mere ſervilis. Scilicet cujusvis virtutis vis limitata, et Sphera definita eſt. Sic *fides* excludit *infidelitatem*: *Spes deſperationem*: *caſtitas incontinentiam* e diametro oppugnat: *Sobrietas intemperantiam*: *modeſtia animi motus*, *humilitas elationem*, *fortitudo puſillanimitatem*, aliae virtutes contraria *tantum* ſibi vitia convellunt. Hinc paſſim videmus, quod qui *credit iniquus*, qui *ſperat injuſtus*, *fortis intemperans*, *incontinensque*: verbo virtuoſus in una vitioſus ſit in alia linea. ſuntne propterea virtutes ſingulares reprehendendae, quia vitia ſibi non contraria poſitive non excludunt? minime gentium. ſufficit enim ad veram virtutem contrarium vitium *directe* excludere. at id timor quoque mere ſervilis luculenter praeſtat *poenas fugiendo*, et *contumaciam* animi poenas ſpernentis *coercendo*: quod proprie ejus officium eſt. Quin ipſum peccatum aggreditur, et duplici quidem via: *negative excludendo affectum*, et *voluntatem actualem* peccandi: item *odiendo peccatum ut cauſſam gehennae*, et poenarum. at horum neutrum eſt ſufficiens diſpoſitio *proxima* ad Sacrm. non primum, ut hic a n XI evicimus. nec 2dum, ut cap. II n VI ex Angelico diximus. et ratio eſt: quia primum eſt diſpoſitio *mere negativa*. altero vero *indirecte* ſolum oppugnatur *peccatum*, *fugiendo poenas* illi decretas, conſequenter odiendo peccatum

Commentum Duplicis viae juſtificationis

Refellitur.

Ex natura timoris.

ut *nocivum SIBI.* quod peccati odium *in amore sui* fundatum Sacramento insufficiens esse clarescit ex cap. III n XXI, XXII, et XXIII. Valde notanda est haec doctrina: nam attritionistae ut certum docent, timore voluntatem, et affectum peccati excludi: nos distingvimus: *negative*, et *indirecte*, atque ad Sacrm. poen. insufficienter: *concedimus:* positive, et sufficienter, *negamus*: meditare superius hic laudatos textus S Gregorii M, et Angelici in verbis: POENITUS *non recedit, non SIMPLICITER recedit.* etr. quibus Sancti illi Doctores timori admittunt *aliquem* recessum voluntatis a malo, sed INSUFFICIENTEM. de quo plura n XXX hic.

Fundamenta attritionistarum.

XIV. Adversarii his potissimum instructi sunt armis. 1: Tridentinum supponit, quod attritio mere servilis omnem voluntatem peccandi excludere possit. 2: et si illam retinet, actus bonus non est. 3: ubi tamen scriptura, et PP timorem commendant ut principium vitae Spiritualis. 4: Timor est dispositio ad charitatem actualem juxta nos: go omnem prius peccandi voluntatem excludat oportet. nam charitas est incompatibilis cum voluntate peccandi. 5: metus expellit *actualem* peccati *affectum*, go et *habitualem.* 6: qui sincere timet gehennam, efficaciter removet omnia, quae causant gehennam. tale potissimum est affectus *habitualis* ad peccatum. go. 7: Efficax volitio *finis* est efficax volitio *mediorum:* go efficax volitio evitandi gehennam est efficax volitio excludendi affectum habitualem ad peccatum. 8: mercator timore naufragii merces in mare projiciens ipsas merces odio haberet, si sciret, id necessarium esse ad vitam conservandam. Scit timens gehennam peccatum odiendum esse. go id reipsa odit. 9: Saltem spes, ac timor servilis in gradu intensissimo odit, et excludit positive affectum habitualem peccati. go. Haec, hisque similia multa illi congerunt: quae tamen non sunt arma victricia. imo ex dictis facilem habent solutionem, ideo breviter ajo ad

Solvuntur.

1: Dist. Tridentinum supponit, quod attritio servilis *omnem voluntatem* peccandi excludere possit *actualem* negative: Concedo. *habitualem* subd. etiam *negative*: Conc. *Positive.* nego. Haec negativa exclusio sufficit ad hoc, ut actus *bonus* sit a timore servili imperatus. h. n X. ad 2. non est bonus, si retinet *positive* actu fovendo. Conc. si retinet *negative*, quia *suis viribus* expellere nequit. nego. paritas est a fide. ad 3. commendant ut principium *remotum*, non *proximum*, nisi sermo sit de timore initiali, vel plane Filiali. ad 4. Conc. ant. dist. Conseq. go omnem prius peccandi voluntatem excludere debet *negative.* Conc. *positive.* nego. Per timorem servilem facta *negativa exclusione voluntatis peccandi*, Deus misericorditer concedit charitatem initialem, quae *eam* positive, directe, contrario affectu charitatis excludet. Sic non componimus *affectum peccati* cum *charitatis affectu*; imo velut contrario directe pelli dicimus: sicut *perfecta charitate*, vel in Sacramento cum *initiali* ipsum habituale peccatum. Confer cap. III. n VI *not.* ad 5: *negative* utrumque concedo. *positive*, nego. dein argumentum est a minori ad majus, ut per se patet. Sic somnus, et quaelibet actio honesta, ac virtus moralis cohibet negative actualem peccati voluntatem, an etiam expellit habitualem directe, et Sacramento sufficienter? nemo hoc dixerit. ad 6. Qui efficaciter vult evitare gehennam, videns, se id solo timore servili vitare non posse, assumit *vires charitatis*; quibus id praestabit feliciter. ad 7: Efficax volitio *finis* est efficax volitio mediorum *proportionatorum.* go et efficax volitio evitandi gehennam est efficax volitio non *improportionati* tantum timoris, sed et *proportionatae* charitatis. ad 8: Si mercator deberet odisse merces, eas non tantum deberet projicere, sed et *affectum contrarium paupertatis* elicere, in quo odium mercium contineretur. go quia

scire

ſcire debet poenitens ex jam probatis, ſibi peccatum *directe* odiendum eſſe, id non *ſola fuga gehennae*, ſed *charitate* in ſe excitata (quae ſola peccato *directe* opponitur) facere debet. ad 9: nego aſſertum. Id enim non praeſtat *fides*, aut aliae *virtutes morales* etiam in *gradu ſummo*. go nec ſpes, nec timor ſervilis in quacunque intenſione ſui, niſi aſſumptis viribus charitatis. quae ſola directe, et contrarie opponitur offenſae Divinae. h. n. XI, XII.

Timens magis diligit ſe, quam Deum.

XV. Ut dicta clariora fiant, pateſcatque manifeſte *inordinatio* ſervilis timoris, obſervandum ex cap. III. n XXI, et ſeqq. ut Spem, ita timorem charitate vacuum *in* AMORE SUI fundari. Timens enim infernum *praefert* coelum ſibi bonum, quod *unice aejiderat*, Deo *in ſe bono*, quem nullatenus quaerit, nec deſiderat, imo actu nec cogitat. Sic Petrus vere dicitur appretiative, et intenſive magis diligere Cajum, quem unice deſiderat prae Titio, quem nullatenus hic, et nunc quaerit, et de quo nec cogitat. idem eſt de timente, Deum vero in ſe bonum nullatenus attingente. id enim, quod nec *actu*, nec *virtute* amo, nec *appretiative*, nec *intenſive* amo. talis eſt poenitens a patrato ſcelere ſolo timore interni occupatus. qui ſane Deum nullo vero ſenſu poteſt dici praeferre coelo, cui lucrando totus intentus eſt, de Deo vero *in ſe bono* nec actu, nec *virtute* a patrato ſcelere vel cogitavit. Sane ſummam hanc inordinationem, nemo non videt: ſed *ſervilitatis*, non *timoris*. Timor enim ex *fine* ſuo *proximo* poenas fugit. h. n XIII. quod honeſtum eſt. at in hoc *proximo timoris fine* conquieſcere, nec eum ad *finem extrinſecum*, et *ultimatum* omnium actionum referre, id ſane vitio *extrinſeco* non vacat. ita comedere, bibere, ſtudere, et ſimilia laudabilia ſunt in *motivis proximis*, ut vires reficiantur, ingenium excolatur. quin charitatis actus ſunt, ſi ad *finem ultimum*, ad gloriam inquam Dei referantur, ut nempe valetudo, et ſcientia *Dei gloriae* impendatur. At ſi *fines* hi pervertantur, et *finis proximus* pro *ultimo* ſtatuatur, ſiſtendo in viribus aquirendis, et ſcientiae pulchritudine, haec ulterius *ad Deum* non referendo, tunc amor *ſui* dominabitur in OPERANTE: et verum erit, quod hic homo appretiative, et intenſive unice ſe, nullatenus Deum amet: ipſum tamen edere, bibere, ſtudere *in ſe* malum non erit. ita *timor* inferni ad Deum *in ſe* bonum non relatus *intrinſece* bonus eſt; ſed ommiſſio relationis ejus ad Deum *in ſe* bonum defectus eſt extrinſecus OPERANTIS, de eoque in veritate dici poteſt: hic ſervilista *ſe*, *ſuamque beatitudinem* appretiative, et intenſive prae Deo nullatenus amato *diligit*, et *pro fine habet*.

Dilectio noſtri ad Deum referenda.

Haec eſt Angelica doctrina 2. 2. q. 19. a 6: *charitati non contrariatur, cum aliquis diligit ſeipſum ſecundum rationem* PROPRII BONI, *ita tamen, quod in hoc proprio bono* NON CONSTITUAT FINEM. non igitur timere infernum, et ſperare coelum, ſed in his *finem conſtituere*, conquieſcere, vitioſum eſt, et charitati contrarium; utpote *ſuum minus bonum*, ſuam beatitudinem Deo *ſummo bono neglecto* praeponere, magnum dilectionis mandatum, ut finem ultimum omnium virtutum, quin actionum *cap. I. n XXI, et ſeq.* negligere. Id quod quemadmodum a noſtro ſiſtemate *initialis charitatis Sacramentalis*, et *relationis virtualis* abeſt quam longiſſime, ita in opinione attritionis ſervilis ad Sacrm. poen. ſufficientis veriſſimum eſt ineluctabiliter. Ser-

Quod timens negligit.

viliſta enim tam extra, quam in Sacramento *in motivo proximo timoris* evadendi infernum, et coelum ſibi bonum aquirendi totaliter, et adaequate *ut fine ultimo* conquieſcit eo ipſo, quod non putet, hunc timorem ſuum ſervilem ad charitatem actualem referendi exſtare obligationem, niſi *extra Sacrm* aliquoties in anno. go extra has aliquas in anno vices ſua opinione urgentis charitatis, manens in timo-

re

re ſervili *ſe*, *quietemque ſuam* amat appretiative, et intenſive, in *has* ultimatim finem ſuum adaequatum conſtituit, Deum *in ſe bonum* non reſpiciendo, et de *ejus* offenſa praeſcindendo. Sane dum de timore inferni nihil cogitans Deum propter ſe amo, eum et appretiative, et intenſive plus quam me amo; ergo et ſerviliſta dum de Deo *propter ſe* nihil cogitans timet infernum, deſiderat coelum, ſe, et quietem ſuam Deo appretiative, et intenſive plus amat. quia id, de quo nec actu, nec virtualiter cogitatur, nullatenus amatur.

Ideo ſe pro fine habet.

Praecluditur evaſio duplex.

Ait quidem Tract. Tyrnavienſis de poen. n 107: attritionem ſervilem referri *ad Deum* eo ipſo, quod *motivo divinitus revelato* innitatur, et peccatum *ſuper omne malum* ab eo diſtinctum deteſtetur. at haec attritionem mere formidoloſam non elevant a ſtatu virtutis moralis ad charitatem, ne initialem quidem. nam prima ratio eſt relatio *implicita* a nobis cap. I. n XXIV praefocata. altera ratio probat tantum, quod attritus deteſtetur peccatum ſuper *ALIQUA* mala. En rationem: nam attritus non deteſtatur peccatum *ſuper omnia mala: ABSOLUTE*; quia non deteſtatur ut offenſam *Dei in ſe* infinite boni. Quae offenſa Dei ſola eſt malum *ſimpliciter* ſuper omnia mala. go ſerviliſta deteſtans peccatum UT inferni cauſſam, praeſcindendo a Deo in ſe bono, non deteſtatur peccatum ſuper omnia mala *ſimpliciter*: ſed tantum ſuper ALIQUA mala. nempe UT infernum. Imo deteſtatur peccatum non ut *malum Dei*, ut offenſam: ſed ut *malum SUUM*. go *ſe amat*, et pro *fine ſuo adaequato* quietem ſuam conſtituit. quod valde inordinatum eſſe vidimus ex Angelico.

Reponis ex Tyrnavienſi: Deus et *beneficiorum* jam praeſtitorum commemoratione, et *beatitudinis aeternae* pollicitatione nos ad *amorem* ſui excitat. go per amorem beatitudinis Deus beneficiis ſuis, et ſaluti aeternae non poſtponitur. R. reponendo argumentum: ex conceſſis: Deus et beneficiorum commemoratione, et beatitudinis aeternae pollicitatione nos *ad amorem ſui excitat*. go beneficia Dei, et Spes beatitudinis nobis debent eſſe *via*, et DISPOSITIO ad *amorem Dei propter ſe*. h. n XVI, XIX. et ſeq. go ex his *aſcendere* debemus ad Deum *propter* ſe amandum. atqui attritioniſtae *non aſcendunt* ad amorem *Dei propter ſe* eo ipſo, quod amorem *beatitudinis ſuae* ſufficere putent in Sacramento. go attritioniſtae palam negligunt *Finem* beneficiorum Dei, et Beatitudinis noſtrae fatente Tyrnavienſi a Deo conſtitutum. Cujus ratio ulterior manifeſta eſt ex cap. III. n XXIV: ubi demonſtravimus luculenter, objectum charitatis eſſe Deum *nobis*, et *in ſe* copulative *bonum*. Praecipue autem *ibid.* n XXVII *uſque ad finem capitis*, ubi veram ideam beatitudinis aeternae exhibuimus, falſam, et ſpuriam attritioniſtarum reſpuimus. Quae quam vere dicantur, conſiderandam propono Melliflui Doctoris epiſt. II ad Carthuſianos ſequentem doctrinam: *Eſt, qui confitetur Domino, quoniam POTENS EST. et eſt, qui confitetur quoniam SIBI bonus eſt. et item qui confitetur, quoniam SIMPLICITER bonus eſt. Primus eſt ſervus, et timet SIBI. Secundus mercenarius, et cupit SIBI. Tertius filius, et defert PATRI. Itaque et qui timet, et qui cupit, UTRIQUE PRO SE GERUNT: ſola, quae in filio eſt, CHARITAS NON QUAERIT, QUAE SUA SUNT. quamobrem puto de illo dictum:* Lex Domini immaculata convertens animas: *quod SOLA videlicet ſit, quae ab amore SUI, et MUNDI AVERTERE poſſit animum, et ad DEUM DIRIGERE. nec TIMOR quippe, nec AMOR PRIVATUS CONVERTUNT animam: mutant iuterdum vultum, vel actum, AFFECTUM NUNQUAM. Facit quidem nonnunquam et ſervus opus Dei, ſed - - in ſua adhuc duritia permanere cognoſcitur. Facit et mercenarius, ſed quia NON GRATIS, PROPRIA TRAHI CUPIDITATE convincitur. porro ubi proprietas, ibi ſingularitas. Ubi vero angulus, ibi ſine dubio ſordes, ſive rubigo. Sit itaque ſervo ſua lex timor,*

Timoris imperfectio.

mor, quo conſtringitur. Sit mercenario ſua cupiditas, qua et ipſe arctatur. Sed harum nulla aut ſine macula eſt, aut ANIMAS CONVERTERE POTEST. charitas vero convertit animas. et ita loquitur Mellifluus de neceſſaria ad Sacrm. diſpoſitione per converſionem ad Deum, qui metum ſervilem aperte dehnit eſſe *Bonum* L. de praecept. et diſp. *Bonus obedientiae gradus eſt propter metum gehennae quisquis obedit.* Sed aliud eſt *bonum facere*, aliud *bonum bene facere* (ut ex Auguſtino vidimus cap. III not. ad n XV) potiſſimum *proxime* ad emerendam in Sacramento juſtificationem. An enim putas eum, qui timet, et cupit *SIBI*? qui quaerit, quae *SUA* ſunt? qui adhuc *in ſua duritia manet*? qui *non gratis* facit? qui *propria trahitur cupiditate*? qui *non* eſt *ſine maculâ* extrinſeca operantis? verbo qui ad Deum converſus ſufficienter nondum eſt? an inquam hunc dignum cenſes in Sacramento charitate habituali? non ſpero id te affirmaturum. talis eſt teſte Mellifluo dolens timore, et amore ſolius ſpei. go indignus eſt charitate habituali, qui vacuus eſt actuali.

Timor ſervilis diſponit ad charitatem actualem.

XVI. Quia igitur metus pure ſervilis ſufficienter non diſponit etiam in Sacramento ad charitatem *habitualem*, reſtat, ut diſponat ad *actualem* Sacramento neceſſariam. quod ipſum *negative* praeſtat ſequentibus gradibus: 1. excludit *affectum*, ſive voluntatem peccandi *actualem*, et *habitualem negative:* ut vidimus. 2. *opera mala reprimit*; ut docet Auguſtinus L. 2. contra epiſt. Petilian. c. 83: *Timor poenarum etſi non habet delectationem juſtitiae, ſaltem intra clauſtra cogitationis coercet malam cupiditatem.* 3. *minuit pravam cupiditatem internam:* quae nempe ut peccati frequentatione invaleſcit, ita ceſſatione debilitatur, langveſcit, quin moritur, atque ut ait cit. Doctorum Doctor ſerm. 180 de verbis Apoſt: *Fraenata reſtringitur, reſtricta langveſcit, langvens moritur, et malae conſvetudini bona ſuccedit.* Sicut ex adverſo fatente Eodem L. 1. Confeſſ. c. 6: *ex voluntate perverſa fit libido: et dum ſervitur libidini, fit conſvetudo, et dum conſvetudini non reſiſtitur, fit neceſſitas.* 4. Timor *facilitat bonorum operum exercitium.* Quod ipſum idem aſſerit in pſ. 127: *Cum autem per timorem continent ſe a peccato, fit conſvetudo juſtitiae, et incipit, quod durum erat, amari.* quare *ordinarie* timor ad juſtificationem non *utilis* ſolum, ſed et *neceſſarius* eſt (exceptis caſibus *rariſſimis* cap. II n XVI enarratis) teſtante ſcriptura: *qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Eccl. 1. v. 28. (*vide totum illud caput.*) unde Auguſtinus in pſ. 149: *niſi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem.* 5. *Parat charitati locum.* ut rurſum Magnus charitatis Magiſter epiſt. 140: *Praemiſſus timor in cor noſtrum pellit inde conſvetudinem malorum operum, et ſervat charitati locum.* Tandem 6. *introducit charitatem:* ut idem Doctorum Aquila l. de adulterin. Conj c. 19. docet: *Timor facit, ut quod erat neceſſitate coeptum, fiat charitate perfectum.* Hinc Angelico Magiſtro 3. p. q. 85. a 5: *actus poenitentiae a timore ſervili procedit ſicut a PRIMO MOTU affectus ad hoc ordinato:* (audi! *timor primus motus* eſt poenitentiae, non *proxima diſpoſitio*) *a timore autem Filiali* (in Sacramento ab initiali) *Sicut ab immediato, et proximo principio.* unde idem Angelicus 2. 2. q. 19. a 7. pulcherrime docet, quod timor ſit *charitatis principium*; et hanc ſicut *SETA LINUM in animam introducat:* et quidem *per partes*, et ſucceſſive creſcentem pulſa ſucceſſive timoris ſervilitate: ut docet iterum Auguſtinus tr. 9. in epiſt. Joan: *Timor locum parat charitati. Cum autem coeperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei praeparavit locum. quantum illa creſcit, ille decreſcit. major charitas minor timor. Si autem nullus timor, non eſt, qua intret charitas. Sicut videmus per ſetam linum introduci, quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat; ſed niſi exeat, non ſuccedit linum. Sic timor primo occupat mentem; non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.*

ritatem. Recole utilem not. ad cap. IV. n XXXV. ubi demonſtravimus, intrante charitate timorem pelli quoad *ſervilitatem*, non quoad *ſubſtantiam.* ubi etiam incrementum ſub timore charitatis habes.

Non ad habitualem.

XVII. Non evades hinc dicendo: *metum* ſervilem *locum parare* charitati *habituali*: nam quum evidenter ſtabiliverimus jam nos duas has veritates: 1: quoad ad Sacrm. poen. neceſſaria ſit *POSITIVA excluſio affectus, et voluntatis peccandi.* hic n XI. alteram, quod *EAM metus* ſervilis *praeſtare inſufficiens*, ideo *charitas actualis* neceſſaria ſit: n XII: ex iis jam invictiſſime ſequitur, Laudatos Eccle ae Doctores de charitate *actuali*, non *habituali* per *metum* ſervilem *introducenda* loqui. idque confirmant dicta de charitate *praeparatoria* cap. II n XII. nec non c. IV. n XVI. XVII.

Attritioniſtae oeconomiam timoris pervertunt.

XVIII. Inconcuſſis his principiis poſitis ajo: E praemiſſa *oeconomia* timoris ſervilis patere luculenter, quod ſi ſiſtamus in ipſo timore, et quo is nos ducere ex *natura* ſua, et *ordinatione Divina* debet, non progrediamur a timore locum, ut *ſeta lino*, parante ad charitatem ſaltem initialem; naturam, et *officium timoris* ſervilis pervertimus. datur enim *ille* nobis ideo, ut mox vidimus, ut eo mediante introducatur in nos charitas *actualis*, hac vero *habitualis.* Qui ſunt hi? niſi attritioniſtae ad agendam rite poenitentiam Sacramentalem ſolum *timorem* ſervilem ſufficere putantes, *in eoque* conquieſcentes, nec quo timor ducit, ad charitatem actualem progredientes. Hi profecto cur nobis timor detur? quod ejus officium? et quid eo mediante agere debeamus? aut ignorant, aut non curant; Similes illi, qui volens ire ad amantiſſimum Patrem, in prima ſtatione *ſibi bona* (timori conjunctae *ſpei Dei nobis boni*) remanet, nec ultra progrediendum ſibi putat, nec dulces amplexus Patris deſiderat charitate ſaltem initiali. talis ſane eosdem dulciſſimos amplexus Patris dum in prima illa ſtatione haeret, nunquam conſequetur. ita poenitentem ſervilem etiam in Sacramento charitatem habitualem conſecuturum non credam, dum illud legero: *qui non diligit, manet in morte.* cap. II. n I. et illud Auguſtini in epiſt. Joan: *Timor locum praeparat charitati, ideo intrat, ut charitatem introducat.* nempe quia, ut vidimus, timor ſervilis per ſe incapax eſt affectum peccati *poſitive* extingvendi, ideo introducit charitatem, ut haec *poſitive* id praeſtet, ut purget *affectus* poenitentis, ut extingvat latentem, et *vinculatam* intus peccati voluntatem: h. n XII. et ſic *vivificet imperfecte* animam mox ope Sacramenti perfecte vivificandam: paretque *charitas praeparatoria* dignum gratiae ſanctificanti, dignum virtutum omnium, et coeleſtium cariſmatum donis, dignum Spiritui Sancto domicilium. quibus *praeparationibus proximis* ommiſſis poenitens mere formidoloſus in animam ſuam *latentibus* adhuc *peccati affectibus* ſpurcam, et ſordidam quam non digne velit excipere Divinum Hoſpitem Spiritum Sanctum, horreo vel cogitare! et contremiſco timore, ne non accipiat!

Timor Oſtiaria charitatis

Haec ut palpabiliora ſint, audiamus adhuc ſemel amoris Divini Magiſtrum in pſ. 127. ita enarrantem: *audiſtis, cum legeretur evangelium, quia vermis eorum non moritur, et ignis eorum non exſtingvitur. audiunt hoc homines, et quia vere futura ſunt impiis, timent, et continent ſe a peccato. Timent quidem, ſed non amant juſtitiam. cum autem per timorem continent ſe a peccato, fit conſvetudo juſtitiae, et incipit, quod durum erat, amari, et dulceſcit Deus.* En in nuce totam oeconomiam timoris ſervilis! *Continent ſe a peccato:* affectum etiam, et *voluntatem actualem* ad peccatum (quod ipſum peccare eſt) *negative* deponunt. *ſed non amant juſtitiam.* qo affectum, et voluntatem peccandi *poſitive*, et *contrarie* non exſtingvunt. *cum autem per timorem continent ſe a peccato* tam externo, quam interno, *habitu* peccati *timore fraenato*, ne actu ſaeviat, *fit conſvetudo juſtitiae* per ommiſſionem peccati, et exercitium timoris,

ris, aliarumque virtutum inferiorum: *et incipit, quod durum erat, amari.* hoc eſt: ſenſim incipit placere juſtitia, horrori eſſe et *culpa*, et poena. en *auroram* naſcentis *charitatis initialis*! non enim hic ſermo eſt de *amore habituali gratiae Sanctificantis:* hac enim *non incipimus* amare: quia haec non eſt ſucceſſiva, ſed momento *perfecte* infunditur. cap. II. n XXIII. go verbis his exprimitur *initialis charitas* a timore introducta, qua *dulceſcit Deus affective* ſuper omnia. quae jam ſufficit in Sacramento: ſicut *effective* ſuper omnia *extra*, cum *voto* tamen Sacramenti.

Sola charitate dulceſcit Deus.

Quaero hic ab adverſariis: quum illi in ſuo ſiſtemate neceſſarium non putent a timore ad charitatem *actualem* progrediendum eſſe, poenitens mere timens ante juſtificationem Sacramentalem per quid *incipit amare, quod durum, erat*? per quid ei *dulceſcit Deus?* quod utrumque *inchoative* requirit Doctorum Sol. non per charitatem *habitualem:* illa enim non *incipimus*, ſed *perfecte* habitualiter, et actualiter *amamus*, imo nos Deus amat ut *d ces*, et charos filios ſuos. Auguſtinus vero verbo *inchoativo DULCESCIT Deus*, praeviam in nobis ante juſtificationem charitatis *inchoationem* requirit. Nec dictam *dulcedinem* Dei inchoatam praeſtat *in ſe* timor; fugere enim poenas eſt Deum *Vindicem malorum*, non *dulcem Patrem* conſiderare. Spe informis dulce quidem reddit coelum, Deum *nobis*, non *in ſe* bonum: ſed haec *dulcedo* eſt mercenaria, *ſui* eſt amor, inſufficiens in Sacramento. c. III. n. XXI, et ſeq. Cum igitur ſerviliſtae nihil poſſint aſſignare in ſuis principiis, quo poenitens formidoloſus *amare incipiat, quod durum erat*, et quo *dulceſcat* eis *Deus*, velint, nolint, aut fateri debent ſuum ſiſtema hoſtiliter pugnare cum Auguſtino: aut nobiſcum denique agnoſcere, id ſingulare eſſe, propriumque timoris ſervilis officium, ut *oſtiaria* ſit *charitatis actualis praeparatoriae* in Sacramemento, qua timens ſenſim *incipiat amare, quod durum erat*, ac *dulceſcat* ei *Deus* charitate inchoata: ut Auguſtinus: ſive ut Tridentinum ait: *illumque tanquam omnis iuſtitiae fontem diligere incipiat.* ut toto cap. II vidimus. qua in re mirificam ſane ſentimus animi *dulcedinem*, conſiderantes miram Magni Auguſtini cum Concilio Tridentino, vel viciſſim de neceſſitate *charitatis Sacramentalis* a *timore ſervili introductae* conſenſionem! In cujus quidem *dulcedinis* noſtrae participationem omnes attritioniſtas tanto ardentiori charitate in viſceribus Chriſti invitamus, quanto clarius et illi e praemiſſis perſpicere debent, SS Patrum, et cumprimis Magni charitatis Magiſtri Auguſtini eſſe ſententiam noſtram, qua contendimus, *timorem ſervilem ad charitatem ACTUALEM, non ad HABITUALEM etiam IN SACRAMENTO PROXIME diſponere.*

Quin omnes virtutes ad charitatem actualem diſponunt.

XIX. Imo vero *OMNES VIRTUTES inferiores CHARITATI ACTUALI LOCUM PARANT, ad eamque introducendam diſponunt.* Haec aſſertio mire illuſtrabit *naturam* inferiorum *virtutum.* omnis vero induſtria noſtra eo tendit, ut de *virtutibus veras ideas*, et *notionem* conſequamur: *quam* attritioniſtas nimium perturbaſſe, etſi nos taceamus, opiniones ipſorum clamabunt. Itaque aſſertam doctrinam noſtram luculenter, expreſſeque tradit Scholarum Angelus, cujus collectio auro, cedroque digniſſima eſt Lect. 2. in I. ad Timoth. ad illa v. 5: FINIS PRAECEPTI EST CHARITAS *de corde puro, et conſcientia bona, et fide non ficta*, ſic differentis: VIRTUTES, *et earum praecepta* DISPONUNT AD CHARITATEM: *et ideo dicitur:* e corde puro. *ad hoc enim, quod cor ſit purum, dantur praecepta virtutum: quarum quaedam ordinantur ad modum rectificandi paſſiones: ſicut temperantia, quae ordinat concupiſcentiam, manſvetudo iram, fortitudo audaciam. Per has autem PURGATUR PURITAS CORDIS, et iſtae virtutes faciunt cor purum. at*

SINE

SINE PURITATE CORDIS NON EST CHARITAS. *Aliae virtutes sunt, quae rectificant hominem in ordine ad proximum: et ex hoc sequitur, quod habeat CONSCIENTIAMBONAM, quae non facit alteri, quod sibinon vult fieri: unde dicitur* ex conscientia bona. *et ideo etiam praecepta, quae conscientiam rectificant,* BENE DISPONUNTAD CHARITEM, *quae diligit Deum, et proximum. Aliae demum virtutes sunt ad habendam veram fidem: scilicet virtutes, quibus Deum colimus, ut latria, et hujusmodi, quae sunt ordinatae ad removendos errores, et ad confirmandam in cordibus nostris veram fidem de Deo. qui enim non habet veram fidem, non potest Deum diligere; quia qui falsa credit de Deo. non diligit Deum. non enim diligit, qui non credit, eo, quod non figitur affectus nisi in illo, quod ostendit intellectus. Et ideo virtutes, quae faciunt veram fidem, ordinantur ad charitatem. et sic* PRAECEPTA, *et* VIRTUTES *ordinantur ad* FINEM, *quae est* CHARITAS. attritionistae asserunt, *virtutes inferiores* disponere ad *charitatem HABITUALEM.* at certe *temperantia, mansvetudo, fortitudo, fides,* quas enumerat Angelicus, *ut dispones ad charitatem,* nec *in Sacramento* disponunt *proxime* ad *habitualem,* go ad *actualem;* et hac mediante ad habitualem. go Angelicus manifeste loquitur de dispositionibus ad charitatem actualem. itaque

Ut finem virtuum.

Sensus altissimus, utinam omnium cordibus infigendus! Angelicae doctrinae est: omnes virtutes, et praecepta ordinata esse *proxime,* et *immediate* ad *PURIFICANDUM COR in nobis ipsis;* ad habendam *CONSCIENTIAM BONAM erga proximos:* et *RECTAM FIDEM erga Deum:* mediate vero, et *ultimatim* ut his *mediis,* velut *remotis impedimentis* consequamur *charitatem FINEM ultimatum extrinsecum* omnium *virtutum* inferiorum, et *praeceptorum.* En verum sensum illius Dominici oraculi: *diliges Dnum - - diliges proximum: in his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetae.* Nempe totius scripturae, omnium mandatorum officium est *disponere* ad habendam *charitatem* Dei, et proximi. ut Divine asserit Augustinus L. perf. just. c. 5. *Quidquid Dei lege prohibemur, et quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur, et jubemur, ut DUO ista compleamus. imo tota scriptura, adeoque DEI CUM HOMINIBUS PROVIDENTIA* (Creatio, Redemptio, Sacramenta, etc.) *non aliud spectant.* Confer cap. III. n XXXI *circa finem* praeclare dictum Merbesii: *Nec Christus aliud - - spectavit in diebus carnis suae, quam ut homo diligeret Deum.* et rursum ex Augustino ibi: *Jesus non opus erat ut veniret, nisi propter charitatem.* Ex quibus luculentissime patet, totius vitae nostrae, omnium legum, omnium VIRTUTUM inferiorum FINEM, OFFICIUMQUE esse *accendere* in nobis charitatem. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo? nisi ut accendatur.* ait Salvator Luc. 12. v. 49. Manifeste proinde *scripturae,* et *Patribus* contrarium sentiunt illi, qui *virtutes inferiores* ita commendant, ut *in illis conquiescamus,* contenti, si *aliquoties* in anno, idque extra Sacr. poen. ad *explendum Magnum mandatum* assurgamus.

Contraria vitia excludendo.

Sed ut cit. Angelicam doctrinam rite intelligamus, observamus, et discimus porro ex illa 1: quod omnes *virtutes* inferiores *contraria* sibi *vitia* tantum *directe* oppugnent, et excludant: ut *temperantia concupiscentiam, mansvetudo iram, fortitudo audaciam, justitia* comutativa *injuriam* proximi, *fides errores circa Deum,* et ejus revelationes. go et *metus servilis* vitio sibi dumtaxat *contrario,* nempe animi *contumatiae* paenas spernentis *directe* opponitur: consequenter *affectum ad alia peccata positive* excludere nequit. ut ostendimus hic n. XII. et XIII. Discimus 2.

Parant locum charitati NEGATIVE.

Omnes *virtutes* inferiores *disponere* ad charitatem *negative,* nempe, ut definit Angelicus, *purificando cor, rectificando conscientiam, et fidem,* auferendo contraria vitia; quibus *impedimentis* sublatis *misericorditer* a Deo datur charitas actualis. go et metus servilis ad charitatem actualem est mere *negativa dispositio.* Scilicet per metum *affectu* peccandi

nega-

negative excluſo (hic n IX. XII.) datur a Deo pure miſericorditer charitas *initialis* ut *affectum peccandi poſitive* excludat, et ſic proxime paret locum charitati *habituali* per Sacramentum, aut charitatem *perfectam* conſequendae. h. n XIV. go metus ſervilis parat locum charitati *remote tantum, negative excludendo impedimenta:* charitas initialis *proxime*, et *directe* charitati habituali. Et ſane cujusvis virtutis initia *proxime diſponunt* ad *perfectionem* ſuae *tantum ſpeciei*: ut cap. II. n XIII demonſtratum dedimus. go et ad charitatem perfectam, et habitualem charitas *initialis* tantum diſponit *proxime.* ibi n XII. go metus ſervilis manet ad charitatem diſpoſitio *remota:* et *oſtiaria excludendo* negative *impedimenta* charitatis: et ſic *parato loco* charitatem Deus ſolus miſericorditer infundit. ut expreſſe docet Angelicus 1. p. q. 21. a. 4. ad 1: *In juſtificatione impii apparet juſtitia Dei, dum culpas relaxat propter dilectionem, QUAM tamen IPSE MISERICORDITER INFUNDIT.* Ex quo diſcimus 3: quod metus ſervilis *non mereatur charitatem initialem*: imo nec charitas *initialis perfectam*, aut *habitualem*: ſed quaevis haec charitas fit pura miſericordia Dei, ſuppoſitis tamen praeviis diſpoſitionibus, *metus* quidem ad *charitatem initialem; charitatis* vero *initialis* ad *perfectam*, et *habitualem* non *has* ſive *generantis*, ſive *meritoriae*, ſed ut *praeparatoriae* c. II n XII expoſitae. unde 4: pulchre intelligimus, quomodo in juſtificatione impii *et juſtitiae Divinae* ſatisfiat, et tamen ipſa juſtificatio *gratis* fiat. nempe *juſtitiae* ſatisfit in praeviis neceſſariis diſpoſitionibus remotis, et proximis iis laborioſe *cooperando.* cap. II n XVIII et XX. Ipſa tamen juſtificatio *gratis* fit 1 ideo, quia gratias, quibus ad juſtificationem diſponimur, neceſſarias, ut Fidei, ſpei, timoris, charitatis actualis praeparatoriae, contritionis etr *gratis* accipimus, non ex merito noſtrae diſpoſitionis; *ſi enim, gratia, jam non ex operibus: aliquando gratia, jam non eſt gratia.* ad Rom. II. 2. quia ut Tridentinum ſeſſ. 6. cap. VIII definit: *nihil eorum, quae juſtificationem praecedunt*, nec omnes ſimul diſpoſitiones, aut gratiae praevie datae ad congruas diſpoſitiones perficiendas *ipſam juſtificationem promerentur.* go nec charitas *initialis.* unde ut cap. 1. n VIII vidimus, Durandus ipſam *contritionem perfectam* DISPOSITIONEM ad juſtificationem vocat. go illa non eſt *forma* juſtificans, ut attritioniſtae volunt. cap. II n XXX. ſed *haec*, ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7 eſt ipſa gratia *Sanctificans*, ſive charitas *habitualis.* quam ipſam poſt omnes diſpones noſtras ope etiam charitatis actualis factas Deus nobis ex *pura miſericordia* ſua dat: ſive ex merito *congrui Divinam promiſſionem*, et *acceptationem* miſericorditer factam involvente: non *ex condigno*, id eſt non ex juſtitia, aut ex *natura* charitatis actualis ut c. I. n XVIII ediſſeruimus. Unde etiam intulimus ibi, eam tantum charitatem actualem pro juſtificante habendam eſſe, cui Deum ex ſua *miſericordia*, et *libera acceptatione* vim juſtificationis indulſiſſe ex verbo Dei ſcripto, vel tradito conſtat. at charitatem *initialem* vi hac privilegiatam eſſe, nuſquam hactenus comperimus. Imo recte contrarium omnibus praemiſſis capitibus: nominantur *Quarto* eam ad materiam Sacramenti poen. *contritionem* ex *inſtitutione Divina* neceſſariam eſſe, et ſic metum ſervilem ad *remotam* Sacramenti *diſponem* collocandam eſſe, requirentibus veritatem luculenter demonſtraſſe confidimus. Sed revertamur ad Angelicum Praeceptorem, ex eoque *naturam inferiorum virtutum*, et *charitatis* porro quoque contemplemur.

Charitas vero ad juſtificationem PROXIME.

XX. Is itaque charitatem non *finem* ſolum, ſed et *formam*, et *radicem*, *Matremque inferiorum virtutum* ſtatuit. ſic 2. 2. q. 23. a 4 aſſerit: *quia charitas habet pro objecto ULTIMUM FINEM humanae vitae, ideo extendit ſe ad actus totius humanae vitae per modum IMPERII non QUASI*

Omnium item virtutum charitas eſt RADIX.

SI IMMEDIATE ELITIENS OMNES ACTUS VIRTUTUM: Id eſt: non ut virtus *generalis*, aut *unicum motivum intrinſecum*: ut ſenſere novi Haeretici cap. I. ad n XXIX not. 6. et ſeq. refutati: ſed ut Angelicus mox a. 8. docet: *charitas dicitur eſſe FORMA aliarum virtutum NON ESSENTIALITER, ſed in quantum formam omnibus imponit* extrinſece, ut nempe non maneant in *ſuis objectis intrinſece* bonis, ſed *extrinſeco* motivo charitatis ad Deum *ultimum finem* attollantur, et ſic Deus omnibus etiam inferioribus virtutibus a charitate *imperatis*, et *dignificatis* ametur vera charitate virtutibus omnibus ut forma ſuperinducta. Hoc ſenſu ibidem Angelicus Praeceptor continuat: *charitas comparatur fundamento, et radici, in quantum ex ea ſuſtentantur, et nutriuntur omnes aliae virtutes. et quia Mater eſt, quae in ſe concipit ex alio, ex hac ratione dicitur Mater aliarum virtutum, quia ex appetitu finis ultimi actus aliarum virtutum concipit IMPERANDO ipſos.* Notetur ly *imperando*, ut certiſſimum ſit Angelico, et nobis charitatem inferioribus virtutibus prorſus *extrinſecam*, et ſpecialem eſſe: quod enim *imperatur* ab uno, ab alio *eſſentialiter* perficitur. go et virtutes inferiores a charitate *imperatae*, et dignificatae, in ſuis motivis *intrinſecis* eſſentialiter ſubſiſtunt ut *in ſe* honeſtae. recolantur cit. not. ad cap. I. n XXIX, ne quis in Angelica doctrina nodum *Bajaniſmi* ſive ignoranter timeat, ſive invidioſe quaerat.

Et forma extrinſeca.

Virtutes inferiores media ad charitatem actualem.

Porro quod charitas interdum *finis*, *forma*, alias *radix*, *fundamentum*, et *Mater* dicatur inferiorum virtutum, ajo haec omnia in idem recidere: nam ut cap. I. n XXIX not. 10 ex Contenſonio didicimus, in omni actione *primum finis* intenditur, dein *media*. go et Deus inſpirans virtutem *inferiorem* una inſpirat *gratiam*, et *bonam voluntatem* perveniendi *ad charitatem* ut *finem* hujus virtutis inferioris, quam *bonam voluntatem perveniendi ad charitatem*, amplecti, eique cooperari eſt charitas *initialis*. Nam *velle amare*, *amare eſt*. cap. II. n XVIII. en *Matrem* omnium virtutum inferiorum *charitatem initialem*! ex qua virtutes inferiores *formam* conſequuntur charitatis. Et haec expreſſa doctrina Angelici 1. 2. q. 113. a 4. ad 1. eſt: *motus fidei non eſt perfectus, niſi ſit charitate informatus. Unde ſimul in juſtificatione impii cum MOTU FIDEI EST ETIAM MOTUS CHARITATIS.* (a) hic *motus* eſt ad charitatem *actualem* inchoandam, ſicut motus *fidei*: et *his mediantibus* ad *habitualem* perveniendi: conjuncta ſunt enim ex Angelico *primus motus ad charitatem*, et *et primus motus ad fidem*: at hic eſt ad fidem *actualem*; ſine qua non Infunditur habitualis: go idem dicendum de *motu charitatis*. quae ſane doctrina non de *fide* ſolum, ſed de *omnibus inferioribus virtutibus* affirmanda eſt: cum ut priori numero ex Angelico palpavimus, *omnes virtutes diſponant ad charitatem*: et ut hic audivimus, *charitas extendit ſe ad actus totius vitae humanae PER MODUM IMPERII.* go cum motu gratiae ad *aliquam virtutem inferiorem* Deus movet hominem una per *gratiam charitatis* illam *ad charitatem* actualem referendi: Cui *motui charitatis* ſi cooperetur mox initio homo virtutem inferiorem ex *duplici* motu, *charitatis*, et ipſius *virtutis* inferioris *proprio, et intrinſeco* agendo, in tali virtute charitas et *radix* erit, et *forma* extrinſeca, et *finis* ejusdem virtutis. Ex adverſo ſi *motus charitatis* in agenda *virtute inferiori* negligatur, *haecque* ex ſolo motivo ſibi *intrinſeco* perficiatur (ut attritioniſtae volunt) palam

(a) Ex Angelica hac doctrina ſic demonſtro charitatem *initialem per ſe non juſtificantem*: *Cum motu fidei eſt etiam motus charitatis.* atqui cooperatio motui *fidei* ſaepe eſt imperfecta, ut non negant adverſarii, et patet ex illo: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* item cum *fides* ſit *fundamentum charitatis*, fide imperfecta nequit eſſe charitas perfecta. go ſi *motui* et fidei. et charitatis imperfectae tantum accedat impii cooperatio, manifeſte *imperfecta erit charitas.*

palam eſt, virtutem eandem inferiorem in ſuo *motivo intrinſeco bonam*, et *honeſtam*, atque *fide praelucente* etiam *ſupernaturalem* eſſe, attamen *mancam*, et imperfectam admodum; quia *radice*, *matre*, *fundamento*, et *forma* ſua *charitate* actuali deſtitutam. an autem *manca* haec virtus inferior *congrua* ſit diſpoſitio ad obtinendam juſtificationem in eo, qui *motum charitatis* cum *motu inferioris virtutis* datum neglexit? debilior ſum, quam ut credere queam.

XXI. Fruſtra ſunt, qui dicunt: Hanc perfectionem charitatis inferioribus virtutibus inducendi eſſe de *Conſilio*. nam illud principium Contenſonii, et Angelici: *in omni actione primum FINIS intenditur*, *deinde MEDIA*, eſt principium *ſanae prudentiae*, *Luminis naturalis*, et cuivis homini recte agenti proprium. ut quotidiana docet experientia. omnes enim *primum finem* ſibi praeſtituunt: e. g. itineris, belli, litis ſuſcipiendae, et terminandae, ſcientiae addiſcendae, dignitatis adipiſcendae, etr: deinde de *mediis deliberant*, et provident. Sic Lucae 14. v. 26 Divinus Magiſter proponit primum *finem* actionum hominis Chriſtiani *Deum hominem ſequendum*, mox *media* ſuggerit ad id idonea: *charos noſtros*, quin et *animam odiſſe*, *crucem bajulare*. Sed et ibi v. 28 parabola propoſitae *turris aedificandae*, v. 31. *belli committendi*, *DEIN mediorum* ad illa neceſſariorum providendorum, *idem principium* manifeſte confirmat. An putare ſine ſcelere poſſumus, *ſolum Deum* virtutes inferiores imperantem *illo* non uſum? etiam dum charitatem virtutum radicem, *finem*, et *formam* conſtituit? go *informes* nobis praecepit virtutes? quae aures has ſequelas ferant? ſed de *obligatione referendi* omnes *actiones*, tanto magis *virtutes inferiores* ad *Deum*, ejusque praecepti *gravitate* olim peculiari capite differemus, oſtenſuri, *ſingularum* actionum, et virtutum relationem ſub *veniali*, *omnium*, vel *majoris partis* ſub *mortali* nobis Praeceptam eſſe. Hic quia *de natura inferiorum virtutum* agimus, demonſtro *eas* ſine charitate *imperfectas extrinſece* eſſe.

go qui vult inferiores virtutes, velle ipſam charitatem debet.

XXII. Cujus doctrinae noſtrae Vadem ſiſto SS PP Venerandum chorum. Agmen ducat Maximus Auguſtinus Libr. de Fide, Spe, et Charitate cap. 120 ita definiens: *omnia praecepta Divina referuntur ad charitatem*, *de qua dicit Apoſtolus:* Finis praecepti eſt charitas. *Quaecunque ergo mandat Deus*, *quaecunque non jubentur*, *ſed Spirituali conſilio monentur*, *TUNC RECTE FIUNT*, *cum referuntur ad diligendum Deum*, *et proximum*. Sermonem eſſe de charitate *actuali* evidens eſt ex cap. III. n XV. ejusque not. et ex Angelico h. n XVII. XVIII. Atque hoc ſenſu loquuntur alii praecipui Patres: ut OS Aureum Chriſoſtomi hom. 23. in epiſt. ad Rom. *Virtutis principium*, *ac finis eſt charitas. hanc habet radicem.* S. Leo M. ſerm. 8. in Epiph. charitatem appellat *Matrem omnium virtutum*. *Nudae ſunt ſine charitate virtutes*, *nec poteſt in quacunque morum excellentia virtuoſum*, *quod non dilectionis partus ediderit.* ſerm. 10. in 40geſ. Similiter S. Joannes Damaſcenus tom. 2. p. 50. ait: *Matrem bonorum*, *Magiſtramque omnis virtutis effectricem eſſe charitatem.* S. Laurentius Juſtinianus *in ligno vitae* de charitate cap. 3: *Sine charitate caeterae virtutes non reputantur eſſe virtutes.* Haec de charitate *habituali* intelligi nequeunt: cum fides doceat, ſine gratia Sanctificante in impiis dari poſſe *veras virtutes inferiores*. ut diximus hic n X. go neceſſario intelligi debent de *actuali* ut *ſine*, et *forma extrinſece perfectiva* virtutum. ita expreſſe Mellifluus tract. de mor. et off. Epiſcoporum: *Quid abſque charitate bonum ſuſcipitur? Fides? ſed nec ſi montes transferat. Scientia? ſed nec illa quidem*, *quae lingvis loquatur hominum*, *et Angelorum. Martyrium? Sed nec ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam.* (Conf. c. 1. n. XV Auguſtinum.) *nec abſque illa quidlibet bonum ſuſcipitur: nec*

Sine charitate virtutes alias IMPERFECTAS habent PP: S. Auguſtinus.

S. Joan. Chriſoſtomus.

S. Leo M.

S. Joan. Damaſcenus.

S. Laurentius Juſtinian.

S. Bernardus.

cum

Hildebertus Cenomanenſis *cum illa quodlibet exiguum reſpuitur.* Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus, quem S. Bernardus *columnam fidei* vocat, ſerm. 7. in caena Dom: *Si aliqua virtus eſt, quae non ſit ſub charitate, deſinit eſſe virtus* perfecta extrinſece. et ſerm. 2. in feſt. S. Stephani: *Charitas eſt radix omnium virtutum.* Petrus Bleſenſis libr. de charitate cap. XI ſic inſcripſit: *quod omnes virtutes ex charitate ſunt.* Guillelmus Pariſienſis magnum Lumen Theologiae Scholaſticae eandem veritatem ſic ediſſerit tract. de virtutib. cap. II: *Hujusmodi virtus* moralis, *et* ejus *bonitas VIA eſt. VIA autem non eſt quaerenda propter ſe. quare non eſt ejusmodi virtus quaerenda PROPTER SE TANTUM. eſto quod aliquis quaerat eam propter ſe, ut ea obtenta quieſcat in ea, nunquid non male faciet? cum ſit natus, et creatus ad majus bonum.* ad quid, oro! creatus eſt homo? reſpondent omnes SS PP: ad amandum Deum *actu, opere,* et veritate: non *habitu* ſolum otioſo; qualem attritioniſtae charitatem requirunt vix in anno aliquoties operoſam. go ex mente Pariſienſis virtutes *morales* ad praeceptam nobis *charitatem actualem* (cap. II. n XII. ex Angelico 2. ſent. Diſt. 26. q. a 2. ad 2: *DILIGERE intelligitur ACTUS charitatis ſub PRAECEPTO directe*) ſunt *via,* ſunt *media*: go in *illis* ultimo conquieſcere *non licet,* cum ſit natus homo *ad majus bonum,* ad *AMANDUM actu* ſaltem *initiali,* vel *virtuali,* et non *tantum habitu DEUM.* ut cap. I. a n XXII pluribus demonſtratum eſt. quae huc omnia pertinent.

S. Greg. M Quid multis? Eccleſia ipſa hanc nobis proponit doctrinam *in vig. Apoſt.* ex S. Gregorio M. hom. 27. in Evang: *Cum cuncta Sacra eloquia Dominicis plena ſint praeceptis, quid eſt, quod de dilectione, quaſi de ſingulari mandato Dominus dicit:* hoc eſt praeceptum meum, ut diligatis invicem? (quaſi hoc *unum,* et *ſolum* eſſet mandatum Dei?) *niſi quia omne mandatum de ſola dilectione* variorum praeceptorum *mediis* quaerenda, introducenda, adimplenda, et conſervanda *eſt: Et omnia* alia praecepta unum *praeceptum ſunt FINE* conſequendae charitatis. *quia quidquid praecipitur, in ſola charitate ſolidatur* ut FORMA extrinſeca omnium virtutum. *ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt* intrinſece, *ſic multae virtutes ex charitate generantur* extrinſece charitate eas *imperante,* et dignificante. h. n. XX. *nec habet aliquid viriditatis* (*formae,* et *perfectionis extrinſecae*: nam Sanctus Doctor mox virtutes inferiores *honeſtas* eſſe affirmat) *ramus boni operis, ſi non maneat in radice charitatis. Praecepta ergo Dominica et multa ſunt, et unum. Multa per diverſitatem operis* (ex objecto materiali, ex motivo intrinſeco proximo, et immediato cuivis virtuti eſſentiali:) *unum in radice dilectionis,* ex fine ultimato, et forma extrinſeca omnes virtutes ad dignitatem, et meritum charitatis elevante. *ille enim vere charitatem habet, qui et amicum diligit in Deo, et inimicum diligit propter Deum.* go tantum is veram charitatem Dei habet, qui opera naturalia, et virtutes inferiores agit *in Deo, propter Deum, amore Dei. Nam ſunt non nulli, qui diligunt proximos, ſed per affectum cognationis, et carnis: quibus in hac dilectione Sacra eloquia non contradicunt.* ergo virtutes morales in ſe *bonas,* et *non vitioſas* agnoſcit Divus. *Hi - - tamen illa ſublimia dilectionis praemia non conſequuntur.* nec ad juſtificationem diſponuntur *proxime;* etiamſi *virtutes morales fide praelucente* agant. tales enim actus etſi *jam ſupernaturales, remote* tantum, et negative introducunt charitatem remotis impedimentis. h. n XIX. de metu dictum h. n XVI. *Proinde cum Dominus diceret:* hoc eſt praeceptum meum, ut diligatis invicem: *protinus addidit:* ſicut dilexi vos. *ac ſi aperte dicat: ad hoc amate, ad quod amavi vos:* omnes virtutes, quin actiones honeſtas ex motivo verae charitatis agatis, ſicut ego in omnibus Patrem amavi, ejusque gloriam quaeſivi. Quem ſu-

um

um diſcurſum brevi ſententia complexus eſt L. 9. mor. c. 21 dicens: *Vera obſequia Deo non reddimus, ſi ex timore mandatis illius, et non potius ex amore ſervimus.* Conſer not. ad cap. 1. n XXIX. ne in his *Bajanismum* pertimeſcas.

XXIII. Atque his palam refellitur attritioniſtarum illa opinio, quam refert, et ſequitur P. Antoine de Contrit. a 8. §. 2. in ſolut. inſtab. 3. poſt obj. 5: nempe apud Auguſtinum quandoque *charitatem* ſignificare *amorem boni, ſeu virtutis ex quocunque motivo honeſto, et ſupernaturali.* Quae opinio an non hoſtiliter pugnet cum recenſitis hic SS Patrum textibus? ipſis adverſariis dijudicandum defero. Profecto *omnia ad charitatem referanda eſſe, ut recte fiant: omnis virtutis principium, finem, ac radicem eſſe charitatem: nudas eſſe virtutes ſine charitate: illas viam ad hanc: ita amandum proximum, ſicut Salvator nos amavit.* etr: has inquam SS PP expreſſiones ad *quodcunque motivum honeſtum* trahere eſt arma miniſtrare Impiis, quibus hi omnem charitatis obligationem de medio tollant dicendo phraſi attritioniſtarum: omnia praecepta charitatis exigere tantum, ut *ex aliquo motivo honeſto ſupernaturali agamus.* go, inferent, non datur *ſpeciale* praeceptum charitatis. Conf. dicta cap. I. n XXIV. XXVI. XXVIII.

Nomine charitatis nequit intelligi actus quivis ſalutaris.

XXIV. Objicit l. cit. P. Antoine 1 illud Auguſtini: *Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas?* 2. idem Doctor Africanus *initium fidei*, et *voluntatem credendi* vocat *charitatem.* 3. *Charitatem* vocat *gratiam actualem ad bonum.* 4. Patres intelligi debent, *ſine gratia Spiritus Sancti non eſſe* opus *ſalutare utile ad ſalutem.* 5. aut vero *opus meritorium vitae aeternae* fieri non poſſe, niſi fiat *in charitate habituali*, ſive in *gratia Sanctificante.* At haec intentum P Antoine non extorquent. nam ad I. illius effati Auguſtiniani ad cap. I. n XXIX not. 13 ſex ſenſus dedimus, aſſeruimusque, boni *infiniti propter ſe* cupiditatem *effective ſuper omnia* eſſe *charitatem perfectam*, *affective* ſuper omnia *initialem.* ad 2: quia, ut hic n XX ex Angelico audivimus, cum *motu fidei eſt etiam motus charitatis*, recte Auguſtinus *Initium fidei* vocat *charitatem* ut *radicem*, *formam*, et *finem FIDEI.* ad 3. Ex eadem ratione *Gratia actualis* ad bonum *charitate formandum* charitas appellatur effectu potiſſimum ſecuto, *quem Deus ſemper intendit.* ad 4. *Opus ſalutare utile ad ſalutem* poteſt eſſe vel *remote*, vel *proxime.* *Remote* utiles ſunt omnes virtutes charitate inferiores *cum gratia Spiritus Sancti*, utpote *negative diſponentes* ad juſtificationem *removendo impedimenta.* h. n XVII. At ut opus ſalutare *proxime* ſit *utile* ad ſalutem, et juſtificationem praeter *gratiam* Spiritus Sancti, *charitatis* quoque motum, ut *proximam diſpoſitionem*, finem, et *formam* requirunt ſummo conſenſu Patres h. n XX, et XXII. ad 5. Equidem ad meritum vitae aeternae, et ad augmentum gratiae Sanctificantis *requiritur* charitas *habitualis*, ſed non ſufficit, verum neceſſaria praeterea eſt *motio actualis* charitatis. ita et ad conſequendam charitatem *habitualem* praeter virtutes morales ut remotas diſpoſitiones neceſſarius eſt actus charitatis actualis *extra* perfectae, in Sacramento initialis. quia ſola charitas *actualis* habet proportionem ad *habitualem.* go ſola eſt ad hanc diſpoſitio *proxima.* ut cap. I ad n XXIX not. XI ex ipſo P. Antoine evicimus.

Objectiuncu-lae.

Solvuntur.

XXV. Ex quibus quisque pervidet, de virtutibus charitate inferioribus ita plane ſentiendum eſſe, ſicut de timore, uno ex illis, ejusdemque naturae cum illis: nempe omnes in ſuis *motivis proximis*, *et intrinſecis* honeſtas *negative tantum diſponere* ad charitatem h. n VIII. IX. XII, XVII: atque adeo ad juſtificationem etiam Sacramentalem charitatem eis adjungendam eſſe, ut ſint *poſitiva*, *proxima*, et *aequa-*

Complexio dictorum de virtutibus inferioribus.

aequata diſpoſitio in Sacramento. h. n. XII. XIII. XXVI. quin et ut *perfectae* ſint virtutes, utpote *fine*, et *forma* ſua *extrinſeca* ornatae, h. n XX. XXII.) Nam quod absque *his* ſuis ornamentis *imperfectae* (h. n XXII.) dignum gratiae Sanctificanti praeparent habitaculum, id ſpero cunctis paradoxum viſum iri. Illo interim ingenti Spolio hinc divites revertamur, ut *motum charitatis cum motu inferiorum virtutum dari ſolitum* (h. n XX.) magno Spiritu, toto corde haurire, amplectique ſatagamus! Angelicum ſolum hoc principium totam ſerviliſtarum machinam ſubruit, comminuitque ut *lapillus* ſtatuam Nabuchodonoſoris. Dan. 1. v. 34. utinam inſtar *hujus* illud *fiat mons magnus, et impleat univerſam terram!* ibi v. 35.

3a PPOO: XXVI. Sed jam 3 proponem h. n. VI propoſitam paucis explanemus. quae ſic habet: *Timor initialis affectum ad peccatum POSITIVE excludit, proinde in Sacramento ſufficit, et neceſſarius eſt.* Timor *initialis*, ut not. ad n XXV cap. IV. et h. n VI ex Angelico vidimus, eſt timor *charitate imperfecta* animatus, *competitque ſtatui incipientium* converti ad Deum, *in quibus inchoatur quidem timor per inchoationem charitatis; non* dum *tamen ineſt eis timor Filialis perfecte; quia non dum pervenerunt ad perfectionem charitatis. ideo timor initialis ſe habet hoc modo ad filialem, ſicut charitas imperfecta*, qua animatur, *ad perfectam.* in 3. Diſt. 34. q. a. 8. ideſt: *ille* ad *hunc via, praeparatio poſitiva ejusdem ſpeciei* eſt, ſicut *aurora* ad plenam *lucem*, cap. II. n XII. quam deſcriptionem ſcuti loco praemittimus, ne quis putet timorem initialem nimium actuoſum eſſe, et ante Sacrm. juſtificationem operari.

Timor initialis affectum peccati poſitive excludit.

Itaque in peccato mortali duo Conſideranda ſunt: in FIERI, et in FACTO eſſe. In *fieri* peccatum eſt *averſio a Deo* ut *fine ſuo*, et *converſio ad creaturam per affectum, voluntatem*, et *praeaeſtimationem* peccatoris, creaturam Deo *interpretative* ſaltem praeferentis, et *in hoc* ſuo impio *affectu* uſque ad *poenitentiam habitualiter* perſeverantis juxta illud Jeremiae 2. v. 13: *Duo mala fecit populus meus: ME DERELIQUERUNT fontem aquae vivae*, et *FODERUNT SIBI ciſternas diſſipatas.* cap. II. n II. In FACTO vero, ſive in EFFECTU praedicta averſio AFFECTUS, et voluntatis impii a Deo, et *converſio* ad creaturam cauſſat reatum *culpae*, et *poenae*, quo hic *averſus* a Deo hujus *inimicus*, *offenſor*, ac *hoſtis*, proinde *reus*, ac *haeres* inferni (vi decreti Divini Ezech. 18. v. 20. 24. et paſſim in ſcriptura), merito eſt usque ad actam dignam poenitentiam. Rurſus quia contrariorum eadem eſt ratio, et contraria contrariis curantur, poenitentia digna pariter duo involvit, et exigit: ex PARTE quidem HOMINIS *converſionem* a *creatura* male amata, et *converſionem ad Deum* ſuper omnia creata aeſtimandum, et vera charitate amandum. Ex PARTE vero DEI *converſionem* Dei *ad poenitentem* per reciprocum amorem, et indulgentiam *huic* miſericorditer promiſſam, ſi tamen digne is converſus fuerit. Has duas converſiones, *poenitentis ad Deum*, et *Dei ad poenitentem* ut correlativas, et diſtinctas ſcriptura memorat: Zachar. 1. v. 3: *Convertimini ad me, ait Dnus exercituum, et ego convertar ad vos.* Cum enim Deus peccatores abjicere potuiſſet, velut immenſum beneficium ſuum, quale eſt reipſa, praedicat, quod ex pura ſua miſericordia, cap. I. n XVIII, converti ad poenitentes paratus ſit, ſub *conditione* tamen, ſi hi gratia Dei praeventi, et adjuti praevie *converſi* ad Deum fuerint, et reverſi a creatura male amata ad Deum ſuper omnia amandum. Ex quibus ſequitur, *converſionem peccatoris* ad Deum ut finem ſuum et *virtuti*, et quae ejus materia eſt (cap. IV. a n II.) *Sacramento poenitentiae* eſſe eſſentialem. Quam veritatem brevi commate complexus eſt Augu- in pſ. 32 dicendo: *Deus converſis ad ſe donat peccata, non converſis*

Convertit impium ad Deum vera charitate.

non

non donat. et recte: *nam non crnverſis* donare peccata et juſtitiae Divinae, cui aliqua ratione ſatisfaciendum eſt, et decretis Divinis repugnaret. Unde vidimus cap. I. n XX illud Joel. 2: *Convertimini ad me in toto corde veſtro* a S. Cypriano, Joanne Daventria, Joanne Gerſone, et Gabriele Biël de *Sacramento poen.* novae legis inculcari: Indeque intulimus, omnia ejusdem ſenſus veteris teſtamenti oracula poenitentibus *averſionem* a creaturis, *Converſionem*, reditumque ad Deum *ex toto corde* inculcantia (qualia ſunt Ezech. 18. v. 30. 31. Iſai. 55. v. 7. Joel. 2. v. 12. 1. Reg. 7. v. 3. 3. Reg. 8. v. 47. 48. 2. Paral. 30. v. 9.) ad novum quoque teſtamentum, atque adeo ad Sacrm. poen. plane pertinere; cum hac tamen diſtinctione palmari: Quod ſi *converſio* fuerit *ex toto corde* charitate *effective* ſuper omnia, actu perfecta, acri, vehementi, inflammata, tunc talis converſio non *affectum* tantum, ſed et *effectum*, offenſam, et reatum poenae aeternae tollet, cum *voto* tamen Sacramenti. ut hoc ediſſeruimus cap. IV a n XXII. XXX. XXXII. ex adverſo autem

XXVII. Converſio peccatoris per charitatem, ſive timorem initialem *affective*, in deſiderio, propoſito, in voluntate, et *praeparatione animi* (cap. II. n IX.) *tantum* ſuper omnia, *actu* vero, et *in ſe* non dum perfecta *affectum* ad peccatum tam *actualem*, quam *habitualem poſitive* excludit, proinde in Sacramento ſufficit, et neceſſaria eſt. Haec eſt concors Sanctorum doctrina. Quam Angelicus 3. p. q. 86. a 2. O ita docet: *Non poteſt contingere, quod Deus remittat offenſam alicui abſque immutatione voluntatis ejus. Offenſa autem peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis eſt averſa a Deo per converſionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remiſſionem Divinae offenſae, quod voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis praedictae, et propoſito emendae:* quod utrumque effectus charitatis eſt. go fruſtra hic obtruditur *converſio per timorem ſervilem:* nam ut idem continuat L. 4 contra Gentes cap. 72: *Primum, quod in poenitentia requiritur, eſt Ordinatio mentis ad Deum. Mens autem noſtra ad Deum debite converti non poteſt ſine charitate.* Id quod Angelicus didicit a S. Fulgentio S. Auguſtini diſcipulo L. I. de remiſ. peccat. illa verba: *Cum converſus fueris, et ingemueris, ſalvus eris* ſic explicante: *Cum dicitur peccatori beneficium ſalutis accipere cupienti*, quia ſi converſus fuerit, et ingemuerit ſalvus erit, *conſequenter intelligitur, quia etiamſi ingemuerit, ſi tamen converſus non fuerit, ſalvus non erit. Non enim fruſtra utrumque Divinus ſermo complexus eſt, niſi ut haec duo, id eſt CONVERSIONEM, et GEMITUM neceſſaria cognoſceremus ad conſequendum ſalutis effectum. Non ſufficit gemitus orantis, niſi accedat CONVERSIO CORDIS. Apud Deum quippe ſeverum, et bonum tunc oratio gementis auditur, tunc poſcentis fletus attenditur, SI FUERIT AD DEUM CONTRITI CORDIS HUMILITATE CONVERSUS.* Ex quibus elucet, nullum *gemitum*, nullum *fletum*, quae timor gehennae, et ammiſſio Coeli exprimit, ſed ſolam contritionem charitate animatam *affectum*, et voluntatem peccandi *actualem*, et *habitualem poſitive*, et *contrarie* excludere, et cor ad Deum convertere: quod neceſſarium vidimus n. *priori* in *omni poenitentia*, atque adeo et *in Sacramentali.* de *qua* et Angelicum loqui, clarum eſt ex n XXXVI cap. IV. Et id ipſum clariſſime exprimit Moralium Parens in lib. Reg. L. 2. cap. 21: *Converſio peccatoris non eſt in humilitate CONFESSIONIS, ſed in RENOVATIONE INTERIORIS HOMINIS, cum peccati malum diſplicet, quod amavit; et bonum placet, quod odit. Converſio itaque peccatoris vera tunc eſt, cum ad Creatoris noſtri bene placitum uterque homo noſter* (externi ſenſus, et internus affectus) *reducitur: cum et caro noſtra*

Converſio initialis in Sacramento neceſſaria.

Ex Angelico,

S. Fulgentio.

S. Greg. M.

noſtra per iniquitatis odium cohibetur a perpetratione facinoris, et per AMOREM JUSTITIAE mens ſe extendit ad INTENTIONEM bonae operationis. Vis converſionis eſt affectio charitatis cordi infuſae viſitatione Sancti Spiritus. His funditus evertitur opinio attritioniſtarum, qua dicunt, *converſionem* peccatoris fieri ope *Sacramenti*: aſſerit enim Maximus Doctor, *Confeſſionem CONVERSIONEM* non operari, ſed *hanc* fieri *renovatione interioris* hominis per *amorem juſtitiae*, cum *intentione bonae operationis.* Quae *intentio bonae operationis per amorem juſtitiae*, ſive *voluntas ex amore Dei operandi* eſt charitas *initialis.* cap. II. n IX. go Sanctus hic doctrinam noſtram in terminis docet.

Triadi huic irrefragabilium Doctorum, ut nobis liceat eſſe brevioribus, adde I cap. I n XV. not. Ubi collegimus Auguſtinum, Antoninum, Burchardum, Bedam, Caeſarium, Hyeronimum, Chryſologum, Leonem M. qui omnes aſſerunt, *Sacrm. poen. nihil eſſe ſine charitate.* adde 2 cap. I. n XX. Ubi recenſuimus *in fine* Alenſem, Angelicum, Scotum, Biel, Gerſonem, S. Bernardum, S. Ambroſium, Auguſtinum ad *converſionem* cordis *charitatem* exigentes. adde 3 ex cap. III. n XXI, et XXII plures PP. et Ante-Tridentinos Doctores, amorem *Spei* in amore Sui fundatum *Sacramento* poen. *inſufficientem* eſſe ſtatuentes. adde 4 h. n XII alios PP, et Doctores antiquos *metui ſervili negativam* dumtaxat *affectus* peccati *excluſionem*, *charitati poſitivam* adſcribentes. adde 5 Catechiſmum Romanum de poen. §. 26. 27. 30. 31: quibus locis contritio, compunctio, ſciſſio cordis, charitas, deteſtatio peccatorum, averſio ab iniquitate, converſio ad Deum, facere cor novum, in *Sacramento* poen. *neceſſaria* ex variis ſcripturae textibus probantur, et unum ex alio *quaſi* ſinonima explicantur.

Ex rationibus.

XXVIII. Nec deficiunt optimae rationes. Quarum 1 ſummitur ex natura *converſionis.* quae eſt *reverti* ad eum, quem prius contempſeras.: atqui peccator contempſerat Deum *amando* creaturam, go converti debet *amando* Deum, et odiendo creaturam prius amatam. Profecto ipſum lumen rationis dictat, illum nulla ratione ad *Deum Converſum* aici poſſe, qui ſive in prioribus amoribus manet hos non *contrarie* expellendo: ſive novos ſibi *amores a Deo diſtinctos* eligit. qualis eſt amor Spei. cap. III. n. XXI. XXII. 2 ſit illud ex Auguſtino epiſt. 153: *non remittetur peccatum, niſi reſtituatur oblatum.* Atqui impius convertendo ſe ad amorem creaturae mille titulis Deo debitam charitatem negavit, ſuffuratusque inique eſt; go converti ad Deum debet etiam in Sacramento reſtituendo ei veram charitatem. 3. Homo peccando *finem ſuum* in creatura amata conſtituit. go converti ad Deum nequit etiam in Sacramento, niſi finem ſuum corrigat, in Deoque conſtituat. Atqui nequit *finem ſuum ultimum* in Deo conſtituere, niſi eum ſuper omnia diligat. Si quam enim creaturam plus quam Deum amaret, illa eſſet ei finis ultimus. ut ſatis patet. go poenitens cum ipſo Sacramento Deum ſuper omnia amare debet.

1.

2.

3.

4. Homo aut Dei amator eſt, aut mundi.

XXIX. 4 Ratio ſit hoc SS Patrum principium: *Hominem aut Dei, aut mundi amatorem eſſe*: Hoc diſerte tradit Auguſtinus Enchirid. c. 117: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt charitas.* Illuſtris ejus diſcipulus S. Fulgentius L. I. ad Monimum c. 18: *voluntas creaturae rationalis ſine qualicunque amore eſſe non poteſt: nec ſic poteſt diligere, ut amorem ſuum ad aliquid non velit religare. Quae inter ſummum bonum, a quo creata eſt; et infimum bonum, cui praelata eſt, medio quodam loco poſita profecto aut infimo bono neceſſe eſt miſerabiliter jaceat, aut in ſummo bono veraciter, feliciterque conquieſcat.* S. Leo M. ſerm. 6. de jej. 7. menſ. *Duo amores ſunt, ex quibus omnes prodeunt volun-*

voluntates, ita diverſae qualitatibus, ſicut dividuntur auctoribus. Rationalis enim animus, qui ſine amore eſſe non poteſt, aut DEI AMATOR eſt, aut MUNDI: in dilectione Dei nulla nimia: in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia. S. Gregorius M. l. 18. mor. cap. 8: *Eſſe ſine dilectione anima non poteſt. Nam aut infimis delectatur, aut ſummis: et quanto altiori ſtudio exercetur ad ſumma, tanto majori ſtudio torpeſcit ad infima: quantoque acriori cura inardeſcit ad infima, tanto tepore damnabili frigeſcit a ſummis.*

Senſus PP non eſt, quod ubi non eſt *charitas actualis*, et *habitualis*, ibi *actu* omnia corrumpat amor creaturae. nam ut h. n X vidimus, per *metum ſervilem repreſſo, et vinculato affectu actuali, et habituali peccati* commiſſi *actiones peccatoris* in ſe ſunt boni, et honeſti, nec corrumpuntur a peccato habituali. quare fruſtra ſunt adverſarii, qui nos his, et ſimilibus PP textibus utentes Janſeniſmi accuſant. ut ſuſe diximus cap. I. n. XXIX not. Attamen ſub metu mere ſervili, quia nullus eſt amor Dei praedominans, neceſſario regnat, imperiumque tenet amor creaturae, qui etſi metu preſſus non ſaeviat *actu* metu durante, facit tamen 1: ut *actus* ſub metu, aut alio impedimento affectum peccati reprimente in ſe *honeſtus*, deficiat fine, et rectitudine *extrinſeca relationis ad Deum*, proinde *imperfectus* ſit. h. n XXII. 2: Ceſſante metu affectus malus ſtatim erumpit in peccatum: Cur? quia non fuerat *extinctus*, ſed *repreſſus*: ideo adhuc *vivens* ceſſante vinculo ſuo liberatus mox *actu* ſaevit. Quae eſt doctrina Auguſtini Conc. 25. in pſ. 118: *Timor, quo non amatur juſtitia, ſed timetur poena, ſervilis eſt, ideo non crucifigit carnem. VIVIT enim ſub eo PECCANDI VOLUNTAS: quae TUNC APPARET IN OPERE, quando* ceſſante metu *SPERATUR IMPUNITAS. latenter*, repreſſa, invinculata, *VIVIT TAMEN.* Ex eadem ratione quia *ſub timore vivit peccandi voluntas*, repreſſa licet, ſequitur 3: quod voluntas hominis mere timentis *mala ſit reipſa*: quia non dum *coepit* eſſe *bona voluntas*, cum ulla adſit *charitas*. Quod ipſum Auguſtinus docet L. 2. de pec. merit. cap. 18: *voluntas, mirum, ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit. aut enim juſtitiam diligimus, et bona eſt: et ſi magis diligimus, magis bona eſt: aut ſi omnino non diligimus, non bona eſt: quis vero dubitet dicere voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem non modo eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem?* Sequitur 4: affectum peccati ſolo metu premente verum eſſe, quod hic nuper peccator non dum *converſus* ſit *a peccato* ad *Deum*, ne initialiter quidem. id enim debebat facere charitate, cujus ne ſcintillam quidem a peccato commiſſo habuit, habetque hactenus. go verum eſt, talem mere timentem adhuc *manere averſum a Deo*, et *converſum ad creaturam.* ſequitur 5: Eundem ſerviliter timentem COR habere AFFECTU peccati preſſo quidem timore, ſed ad huc *vivente PLENUM*, atque adeo *Cor* genere *immundum*, faedum, ſpurcum, Deo *mortuum*: quia debebat *initiali* ſaltem *charitate* ad Deum *converti, purgari, emundari* poſitive *extincto affectu* peccati, et ſic *imperfecte vivificari.* cap. 1. n XVI. XVII.

Timens non eſt Dei amator.

Ex quibus omnibus apparet, quam miſerabilis ſit ſtatus peccatoris ſub timore *mere ſervili*! et quam horribilem *attritioniſtae* parent gratiae ſanctificanti, et Spiritui Sancto *per Sacramentum*, ut ſibi blandiuntur, ad ſe venturo domicilium! miſeret me ſane eorum ſinceriſſima charitate! miſcent enim quadrata rotundis in eo, quod mox dictas *neceſſarias ad SACRAMENTUM PRAEPARATIONES, voluntatem ſanare, cor ad Deum convertere, affectum peccati poſitive emundare,*

imperfecte vivificare ſperent *ab ipſo Sacramento* ut hujus EFFECTU: et ſic *effectum* Sacramenti confundant cum *praeviis* ad illud *neceſſariis diſpoſitionibus.* ut ex hactenus dictis liquet. Conſer h. n XVI.

5ta ratio. Enimvero, quae ſit 5-*a* ratio, ad Deum *converti*, Deum *propter ſe ſuper omnia diligere*, pro *fine habere*, idem ſunt ſcripturae, et Sanctis. *Catech. Rom. de poen.* §. 27. Haec eadem *ut diſpoſitiones neceſſarias* ad Sacramentum requirit Auguſtinus intonans Conc. 2. in pſ. 32: *Deus converſis ad ſe donat peccata: non converſis non donat.* An timor, aut Spes amore charitatis vacua convertit impium cor ad Deum? reſpondet idem Doctorum ſol epiſt. 145 ad Anaſtaſium: *Tantum quisque peccatum odit, quantum juſtitiam diligit.* et Libr. de nat. et grat. cap. 57: *Qui timore ſuplicii ſentit ſe abſtinere ab opere peccati, non dum alienus eſt a voluntate peccandi.* quia teſte Ambroſio in cap. 7. Lucae: *qui metuit, reprimitur, non emendatur.* Ideo Auguſtinus voluntatem non amantem Deum *peſſimam* appellat L. de pecc. merit. cap. 18: ut recte modo audivimus: *Quis dubitet dicere, voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem non modo eſſe malam, ſed etiam PESSIMAM voluntatem?* ex quibus haec demonſtratio efflorescit: *PESSIMA* voluntas non eſt diſpoſitio *proxima* ad recipiendam in Sacramento poen. *charitatem habitualem.* atqui Auguſtino voluntas non amans Deum ſaltem initialiter eſt *peſſima* voluntas. go voluntas charitate ſaltem initiali vacua not eſt diſpoſitio proxima ad effectum Sacramenti poen. Ratio minoris eſt, quia voluntas charitate initiali vacua, ut ut jam Spe erecta, et timore concuſſa in *amore ſui* eſt fundata. cap. III. n XXI. et ſeq. quibus illicitus *prior amor creaturae* peccando exercitus *tegitur*, et *premitur* dumtaxat, non *extingvitur.* h. n IX. ideo et *finis prior* peccato patrato electus non dum mutatus eſt. mutari enim debebat *charitate initiali.* h. n XII. quam non habet: go ſperans, et ſerviliter timens adhuc manet in *priori fine*, in creatura male amata. ex Auguſtino enim *nequit in medio quodam conſistere, ut nihil amet.* nondum amat Deum. go creaturam prius male amatam. Do quidem, quod ſub Spe, et timore jam deſideret alium finem, coeleſtem beatitudinem: ſed hic quoque *ſe*, non Deum amat. Deinde hoc Spei deſiderium *inefficax* eſt *mutandi priorem finem:* quia amor Spei priori fini, et peccato *directe non opponitur.* Ideo affectum ad peccatum non extingvit, nec finem priorem efficaciter mutat, ut iterum Auguſtinus: *Deſiderium peccandi non extingvitur, niſi contrario deſiderio, ubi fides per dilectionem operatur.* manet ergo inconcuſſa veritas, Spem, timoremque ſervilem inefficacem eſſe ad *poſitive* excludendum *affectum* peccati, aut *ad finem* peccato patrato conſtitutum *efficaciter mutandum*: verum id utrique muneris eſſe, ut viam paret ad *charitatem actualem.* quae ſola dictos effectus *proxime* ad Sacramentum poen. neceſſarios praeſtet. h. n XII.

Timor non convertit ad Deum.

Saltem ſufficienter.

6ta ratio. XXX. Adverſarii putantes ſolo timore ſervili *veram* fieri ad Deum *converſionem*, magnificant illud Auguſtini tr. 9. in Joan: qui timet diem judicii, quamvis nondum amet, *incipit interius reviviſcere.* et S. Iſidori Hiſp. L. 2. ſent. cap. 8: cor *timore converti ad Deum* confitentis. et Angelici 2. 2. q. 12. *quandoque homo propter mala, quae timet, AD DEUM CONVERTITUR, et ei inhaeret.* et in 3. Diſt. 34. ad 1. ait: *Timor filialis perfectius conjungit cum Deo, ſervilis imperfectius.* ſed haec *converſio ineffica* eſt ad Deum *ſibi bonum*; ut modo diximus a verbis: *ratio minoris eſt.* et clariſſime docet Angelicus 2. 2. q. 19. a 6. in O: *Timor ſervilis EX AMORE SUI cauſſatur; quia eſt timor poenae, quae eſt DETRIMENTUM PROPRII BONI.* quoties audivimus ex eodem Angelico illud: *mens*

Non omnis converſio ſufficit ad Sacram. poen.

noſtra

noſtra DEBITE ad Deum converti nequit ſine charitate. quibus verbis aliis quoque virtutibus admittit *alicujus* converſionis vim, ſed *indirectam*, et *inſufficientem.* unde Iſidorii l. c. praeclara eſt illa ſententia: *neceſſe eſt omni converſo, ut poſt timorem conſurgere ad charitatem Dei debeat quaſi filius; nec ſemper ſub timore jaceat quaſi ſervus.* Enimvero ipſa poena naturalis, et infamia ut a Deo inflicta eſt quaedam *converſio* ad Deum. 7. ratio.
ut docet de Lugo de poen. Diſp. 5. ſect.. 9. n 140: *Quando apprehenditur poena, vel ETIAM INFAMIA prout provenit a Deo, jam ille dolor eſt timor Dei potentis infligere illas, et alias poenas, et per conſequens retractatio [peccati] ex illo eſt quaedam converſio ad Deum non ex amore, ſed ex timore.* Si igitur *omnis converſio ad Deum* ſufficit Sacramento, ſufficiet ex poena *temporali*, et ex *infamia* ſaltem ut fide apprehenſa, quod a Deo ſit immiſſa. quod damnabile eſt. Cur obſecro? quia dolor etiam ſupernaturalis de poena temporali affectum peccati *negative* excludit, in *amore ſui* fundatur. nec attingit *offenſam Dei in ſe boni.* at hae omnes rationes verae ſunt et de *dolore* ex metu inferni, et ex ammiſſione coeli. go nec hi dolores ſufficienter *convertunt ad Deum*, ſed ſolus tertius dolor offenſae *Divinae.* Qui ſolus eſt *converſio ex toto corde* non minus nobis, quam Judaeis praecepta (dempta intenſione actuali) ut Deus convertatur ad nos. cap. 1. n XX. cap. IV. n XXII. Ad haec ſicut dolor *ſupernaturalis* ob poenam *temporalem*, ita nec ob *aeternam* habet ullam *proportionem* cum *offenſa Divina.* go ſicut dolor *ſupernaturalis* ob poenam *temporalem*, ita nec *ob aeternam* ſatis diſponit ad remiſſionem *offenſae Divinae.* Sic et filius Prodigus ex amore concupiſcentiae primum *ad ſe* converſus: *quanti mercenarii in Domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! mox* ad Patris bonitatem imperfecte: *ſurgam, et ibo ad PATREM MEUM! mihi*, et *in ſe* Bonum: demum perfecte converſus eſt dicens: *Pater, peccavi in coelum, et coram* (contra) *Te!* Et haec parabola directe urget nos. filios novi teſtamenti in ratione converſionis *affective* perfectae: nam peccator praefert creaturam Deo in ſe, et nobis Bono. go rite converſus etiam in Sacramento debet Deum *ſibi*, et *in ſe bonum* praeferre affective ſaltem omnibus creaturis *abſolute:* conſequenter et ſuae felicitati aeternae praeſcindendo a Deo *inſe bono* ſumptae. At timens, et ſperans eo ipſo, quod non cogitet, non attingat *Deum in ſe bonum*, hunc ſuae felicitati non praefert, non praeaeſtimat. Imo vero qui amat creaturas, e. g. divitias, eas ordinat *ad ſe*, et *ſe plus* amat, quam illas. go etiam qui amat *coelum*, *Deum ſibi bonum*, ordinat coelum, *Deum ſibi bonum* ad ſemet ipſum; plus ſe amat quam Deum, quia Deum amat ut ſibi amanti bonum, ut ſuam felicitatem ſibi bonam. go Deum ſibi bonum convertit ad proprium ſuum bonum, tantum abeſt, ut ipſe convertatur ad Deum *in ſe* bonum. In quo gravem inordinationem *timentis*, et ſperantis nemo non videt, non *timoris:* quia hujus eſſet introducere charitatem, quam timens hic et nunc negligit. neque haec inordinatio rejiciatur ad *Spem*, ejus enim objectum materiale eſt pariter Deus *in ſe*, et *nobis* bonus ut OLIM POSSIDENDUS. cap. III. a. n XXV. go manet vitium *ſperantis* imperfecte. Accedit 12a ratio ex illo principio: *Vita cordis amor eſt, nec vivere poteſt cor ſine aliquo amore.* go ſicut in quolibet alio homine ita in poenitente amor aliquis praedominari debet, imperiumque tenere. Atqui poenitens attritioniſta non habet praedominantem Dei *in ſe boni* amorem. go ſequitur, eum ſolo *ſui*, et *creaturarum* amore plenum cor gerere. ut dictum cap. III. n XXI. XXII. XXIII. Sed cor *ſui*, et *creaturarum* amore dominante plenum Sacramentum poenitentiae ad amorem Dei *habitualem* convertere nequit. Cor enim nequit eodem tempore *duos contrarios* praedominantes *amores* habere, ut autem demonſtratum eſt

hic

hic n IX. X. XI. XII, timor ſervilis *amorem*, et *affectum* peccato ad creaturam converſum non *poſitive* expellit, ſed tantum coercet, reprimit, ne ſaeviat, *vivum* tamen relinquit. go neceſſario ſequitur, in poenitente amorem, et affectum *creaturae* praevia *praeparatoria charitate* initiali *actu affectu* praedominante *poſitive* expellendum eſſe, ut ſic *ope Sacramenti* amor *habitualis* creaturae per gratiam Sanctificantem expelli poſſit. unde 13. Deus a poenitente *cor* ſedem affectuum, et charitatis unice petit: *Fili praebe mihi cor tuum. Convertimini ad me in toto corde veſtro.* et quidem velut conditionem *SINE QUA NON converſionis Dei ad poenitentem. Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Zach. v. 3. *Si reverſi fuerint ad te in toto corde ſuo, propitiaberis eis.* 3. Reg. 8. atqui attritioniſta ſervilis nec micam cordis dat Deo *in ſe bono:* quia non convertitur ad Eum, ſed ad *ſuum* bonum, ad *quietem ſuam.* cap. III. n XXI. et ſeqq. go ad attritioniſtam ſervilem Deus nec in Sacramento convertitur per gratiam ſanctificantem. cap. I. n XX. Cujus *ultima* ratio eſt, quia gratia Sanctificans praerequirit ut diſpoſitionem neceſſariam *cordis, amoris*, et *affectuum* ad *Deum* ut *finem* ſuum *converſionem* per initialem ſaltem charitatem, ut modo vidimus; qua ſcilicet *affectus* poenitentis purgetur, non negative ſolum, ſed *poſitive*, et *contrarie* ad Deum amandum convertatur ope charitatis praeparatoriae. cap. II. n XII. quae ipſa eſt *vivificatio imperfecta* ad huc *ſolutionem* a *vinculis reatus* neceſſariam *requirens.* cap. I. n XVI. XVII. Enimvero Deus *avertitur* ab eo, qui *cor, affectus* inquam *ſuos* dividit inter Deum, et creaturas intonante Oſea cap. 10. v. 2: *Diviſum eſt cor eorum, tunc interibunt.* go a pari nec non *convertitur* ad eum, qui omnes *affectus* ſuos Deo non conſecrat per charitatem initialem affective ſuper omnes amores praedominantem: teſte enim Auguſtino *minus Deum amat, qui praeter Deum aliquid amat, QUOD NON PROPTER DEUM AMAT.* lib. 10. Confeſſ. cap. 19.

Objectiones. XXXI. Inſurgent hic attritioniſtae, afſerentque 1: Affectu actuali peccati per metum *ſervilem* negative expulſo, ſive repreſſo (hic n. IX.) ut non amplius ſaeviat (ibi n X.) affectus peccati *habitualis* jam ope *Sacramenti poen. POSITIVE* expelletur. go non eſt neceſſaria charitas *praeparatoria, et vivificatio imperfecta.* nam, quod 2 urgent: *Sacramentum poen.* expellit habitualem *peccati reatum.* go et *habitualem affectum.* 3: Hic *habitualis affectus* peccati idem eſt cum *habituali peccato.* go utrumque ſimul expellit Sacram. 4. Charitas, quam requirimus, eſt reipſa *ſuper omnia*, go juſtificationem praeſtat ſine Sacramento: Imo 5. eam *praedominantem* appellabamus. quo in termino videndum, ne quid *neceſſitatis Janſenianae* lateat.

Solvuntur. R. Haec ex dictis facilem habent ſolutionem. ad 1. modo vidimus, quod Deus infuſionem gratiae Sanctificantis, ſive *converſionem ſuam ad poenitentes* etiam in Sacramento nequaquam *affectui* peccati metu *ſervili repreſſo*, et *vinculato*, ſed ope charitatis *initialis contrarie expulſo*, ſive *converſioni* peccatoris *ad Deum*, et *vivificationi* imperfectae alligaverit. go objectio ſuapte corruit ex dictis. ad 2. Cum remiſſio peccati ut *offenſae*, et poenae ejus aeternae ſit ex pura miſericordia Dei (cap. 1. n XVIII) poterat Deus, quin ita reipſa actu ordinaſſe demonſtravimus h. n XXVI. ut homo gratia Dei praeventus charitate initiali *AFFECTUM peccati* tam *actualem*, quam *habitualem* expellat, purgetque AFFECTUS SUOS, et hac neceſſaria diſpoſitione, et conditione praemiſſa Deus in Sacramento, vel aucta charitate *convertatur* ad poenitentem remittendo reatum offenſae, et poenae aeternae. go Sacramentum non expellit affectum habitualem ad peccatum, quia is exigitur ab ipſo poenitente expellendus ut diſpo-

ſitio

ſitio neceſſario praemittenda. Sacramentum enim *diſpoſitiones* a poenitente neceſſario praemittendas non ſupplet. Imo *his* deficientibus *illud* nullum eſt, ut nemo negat. Ad 3. *Habitualis affectus* peccati eſt *averſio* a Deo, et *converſio* ad creaturam olim facta, necdum retractata, proinde moraliter perſeverans, ut *cauſſa* peccati, ſive peccatum *in fieri*, non retractatum charitate Dei. *XXVI* hic. *Habituale peccatum* eſt *effectus* prioris averſionis, ſive eſt *reatus culpae, et poenae*. utrumque hoc confunditur a non paucis; ſed diſtinqui debet: quia prius tollitur per *affectum charitatis*, ut neceſſariam diſpoſitionem *ad* Sacramentum; *n. XXVII hic.* Alterum *vi* Sacramenti, aut charitatis perfectae. Ad 4. charitas, quam *ad* Sacramentum requirimus, eſt ſuper omnia *affective*, in praeparatione animi, in voluntate initiali, et deſiderio actu amandi Deum ſuper omnia, purgans affectus peccatoris, eosque convertens ad Deum, ſive eſt *vivificatio imperfecta* in converſione ad Deum inchoata, in purgatione, et rectitudine affectuum velut neceſſaria diſpoſitione ad infuſionem ope Sacramenti gratiam ſanctificantem conſiſtens: non eſt ſuper omnia *effective* delens reatum culpae, et poenae ante Sacramentum. Cap. *Cap. IV. n. XXXII. Cap. III. ad n. VI. not. in Reſponſionibus noſtris.*

XXXII. Ad 5 ajo, vanum hic eſſe *neceſſitatis* Ianſenianae timorem. *eam* enim non infert *gratia* charitatis ab *intrinſeco* efficax; ergo nec ut *elective praedominans*. Illuſtro utramque propoſitionem breviſſime. quamvis Eccleſia eam oret a Deo gratiam efficacem, qua *ad Deum noſtras etiam REBELLES* compellat propitius voluntates (Secr. Dom. IV. poſt Pent.) et quae *noſtrae voluntatis pravitatem frangat* (in vig. Pent.) quamvis item juxta Auguſtinum l. de praedeſt. Sanct. c. 19: *Deus operatur in cordibus hominum, ut convertantur.* et l. de corrept. et gratia cap. 12: Homines *volunt, quia Deus operatur, ut velint*, idque *indeclinabiliter, et inſuperabiliter*, cap. 14. ibid. *habens humanorum cordium, quo placuerit, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Per hanc tamen ab *intrinſeco efficacem* gratiam non inducitur *neceſſitas*, ſed *voluntas*: quia, ut idem Magiſter gratiae aſſerit l. 4. contr. 2. epiſt. Pelag. c. 9: Deus facit, ut fiamus *ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes*, et l. de gratia Chriſt. c. 14 Deus dat *et poſſibilitatis effectum*, et *voluntatis affectum.* En manifeſta exempla *intrinſece efficacis* voluntatis divinae *ſalva libertate* humana: *Inſpiratio* Divina, quae Canonicos Scriptores et excitabat ad ſcribendum, et dirigebat inter ſcribendum, ita *per ſe* fuit efficax, ut repugnaret *viros inſpiratos* non ſcribere, aut inter ſcribendum errare; nemo tamen dicet Auctores *Theopneſtos* neceſſitate ulla *antecedente* fuiſſe preſſos. Ad haec *praedeſtinatio ad gloriam* ita efficax, infalliabilisque eſt, ut omnino repugnet *electum* damnari teſte Auguſtino l. de corrept. et grat. c. 7. *electorum ſi quisquam perit, humano vitio vincitur Deus, ſed nemo eorum perit, quia nullo vincitur Deus.* Rationem dat Angelicus 1. p. q. 19. a. 8. ad 2. *Dicendum, quod hoc ipſo, quod nihil voluntati divinae reſiſtit, ſequitur, quod non ſolum fiant ea, quae Deus velit fieri, ſed quod fiant CONTINGENTER* (i. e. libere) *vel NECESSARIO, quae ſic vult fieri*; et ibidem in O: *vult quaedam fieri Deus NECESSARIO, quaedam CONTINGENTER*, ſive libere, ut omnes Catholici intelligunt. Senſus eſt Angelicae Doctrinae, quod Deus per gratiam efficacem, ſive *praemotionem phyſicam* non ſolum movet intellectum, ac voluntatem humanam ad *actum*, ſed etiam ad *modum* actus, ut certo, ſed una *libere* fiat. Agit enim in *cauſſas ſecundas ſecundum NATURAM* earum. Sic *ſole* liquefacit Nives, condenſat lutum, attrahit vapores, diſſipat nubes. Unde tam diverſi effectus ejusdem Solis? a natura earum rerum, in quas ſol agit. Ergo et in actionibus humanis, et ſupernaturalibus idem ſummus Praemotor Deus praemovet hominem non ſolum

Charitas praedominans non neceſſitat.

Ut nec praemotio phyſica Thomiſtarum

ſolum ad *actum* ſalutarem, ſed et ad *modum* ejus, *libertatem* ita, ut homo non ſolum *certo*, et infallibiliter conſentiat, ſed et *libere* conſentiat, *poſſitque* et omittere actum ſalutarem, et contrarium actum peccaminoſum ponere; quia naturae humanae proprium eſt *libere* agere; quam *hominis proprietatem* Deus omnipotentia ſua *illi* applicata non evertit, quin perficit.

Nec gratia relative victrix

XXXIII. Sic loquuntur Thomiſtae praedeterminationis Phyſicae Patroni. At Auguſtiniani ejusdem gratiae ab intrinſeco efficaciam, et infallibilitatem repetunt a gratiae *dulcedine*, *ſuavitate*, *et delectatione deliberata*, quam ſic Divine deſcribit Auguſtinus tr. 26. in Joan. *Noli cogitare, te invitum trahi, trahitur animus et amore. quomodo VOLUNTATE credo, ſi trahor? etiam VOLUPTATE traheris. Eſt quaedam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille coeleſtis. Si Poetae dicere licuit: trahit ſua quemque voluptas, non NECESSITAS, ſed VOLUPTAS, non obligatio, ſed delectatio; quanto nos fortius dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt. Da amantem, da deſiderantem, et fontem aeternae Patriae ſuſpirantem, et ſcit, quid dicam.* en delectationem *deliberatam* liberrimam! quae ſic porro illuſtratur: ut cupiditas, et quivis habitus pravus, ita charitas *praedominans* ſalvam relinquit libertatem, et ſi oppoſitum moraliter nunquam ſequatur. Sic nemo ſana mente eruet ſibi oculos, nec praecipitabit ſe per feneſtram, nec nudus curret per plateam, nec avarus ſpoliat ſe omnibus bonis niſi vitae conſervandae cauſa: nec lucro deditus, aut ventris mancipium oblatam negligit occaſionem. quis vero dubitet in his omnibus caſibus adeſſe *potentiam faciendi oppoſitum*? ut ut *haec* in actum nunquam prodeat. ita et *delectatio* gratiae infert actum ſalutarem *infallibiliter*, attamen ſalva libertate faciendi oppoſitum etiam *in ſenſu compoſito* actus ſalutaris, ita, ut *actu* diligens Deum nequeat *eodem actu* et diligeret, et non diligere, et ſic duos contrarios actus *ſimul* effective ponere; attamen actu diligens retinet *potentiam* ceſſandi a dilectione, imo et odiendi actu, dum diligit, et *ſub eadem gratia, qua diligit*; quia delectatio coeleſtis movet non ſolum ad actum, ſed et ad *modum*, atque adeo ad *libertatem* actus. go dilectio ponitur *infallibiter*, ſed non *coacte*, nec *neceſſario*, ut docet Angelus Scholae 1. 2. q. 112. a. 3. et patet ex laudatis exemplis humanis.

Bene vero delectatio indeliberata Janſeny.

XXXIV. Ab hac doctrina catholica immenſum aberravit Janſenius t. 3. l. 8. cap. 20 ita loquens apud Montaltium epiſt. 18. *Liberum arbitrium, quantumcunque vehementi, atque efficaci gratiae delectatione praeventum, atque determinatum ad faciendum bonum, abhuc tamen poteſt bonum non tantum non facere, ſed etiam malum.* Hactenus catholice, ſed quibus fucum facit imperitis mox ſubjungens virus ſuum dicendo: *verum eſt iſtud, non quidem in ſenſu COMPOSITO* delectationis, *UT VULGO DICI SOLET, ſed in ſenſu DIVISO*: id eſt *abſente delectatione*, ut evincit Turnelius ex claris verbis Iprenſis l. 8. 23: *Quis habet in poteſtate? ut vel occurrat, quod eum delectare poſſit, vel DELECTET, CUM OCCURERIT.* et l. 4. c. 11. *delectatio iſta, eſt actus INDELIBERATUS.* et auctor Janzeniſta libri, qui incipit *in Nomine Domini* palam aſſerit: *poſito, quod adſit gratia, JAM NON POSSUMUS NISI BONUM VELLE.* at actus, qui *non eſt in noſtra poteſtate, ut delectet*, et qui eſt *indeliberatus*, et quo *non poſſumus non velle niſi bonum*, in *ſenſu compoſito*, cum *adeſt*, non relinquit *potentiam ad oppoſitum*. go Janſeniſtae conſentiunt cum Luthero dicente: *Dominus voluntatem movet, non qualiter multis ſaeculis traditum eſt, ut noſtrae ſit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari.* quod damnatur a Tridno

ſeſſ-

ſeſſ. VI Canone IV definiente: *liberum arbitrium a Deo motum COOPERARI DEO ASSENTIENDO, POSSEQUE DISSENTIRE, ſi velit*; quia enim liberum arbitrium *a Deo motum cooperatur* cum Deo actum ſalutarem juxta illud Apoſtoli: *gratia Dei mecum*, invicte ſequitur, *motum Dei* per nos *elective acceptari, reſpuive poſſe:* go *indeliberate* in nos nequaquam irruere, ſed *ſuaviter* duntaxat, et *infalliliter*, attamen *ſalva libertate* actum inſerre, imo *nobiscum efficere.*

Auguſtinenſium opinio.

XXXV. Cum igitur Janſenius ſuam *delectationem relative victricem ad vires praeſentis concupiſcentiae indeliberatam* eſſe exiſtimaverit, catholicus eſt, quicunque *charitatem deliberate, et elective praedominantem docet*, praelucente Auguſtino *l. de Spiritu et littera* c. 20: *inſpirata gratiae ſuavitate facit* Deus *PLUS DELECTARE, quod praecipit, quam delectat, quod impedit.* et dummodo confiteatur cum Angelico 3. p. q. 70. a. 4. in O, quod *minima gratia POTEST reſiſtere cuilibet concupiſcentiae, et vitare omne peccatum mortale*, poteſt affirmare, quod gratia *victrix, et praedominans* in praxi debeat eſſe pro majori cupiditate ſuperanda *major, fortiorque*; ſic ignis ex ſe efficax, et medicina in ſe ſalutaris perſaepe ob impedimenta externa effectu carent, ſubtractis impedimentis vim ſuam intrinſecam praeſtant feliciter; quin et Sacramenta *ex opere operato intrinſeco* ſanctificationem cauſſantia defectu diſpoſitionis ſaepius vim ſuam non exerunt.

explicatur.

Igitur Deus omnia in pondere, et menſura operans in aeconomia gratiae actuoſae eligit *difficultati* praeſenti *attemperata remedia*: pro validiori concupiſcentia edomanda *validiorem* gratiam immittit tam *poſitive* in *vividiore* charitate inſpirata; quam *negative* ſubtrahendo cupiditatis praeſentis *incitamenta*, quibus ſubtractis *eadem intrinſece charitas* edomabit regnantem cupiditatem, ſicut ignis ſubtracta humiditate lignum comburet; et medicina evacuatis malignis humoribus ſanitatem reſtituet. Unde Lugdunenſis de Gratia, diſſertatione V. cap. 2. a. 3. in ſolut. obj. 2 horum opinione ait gratiam victricem, *et* ineſficacem *in hominibus varie affectis non differre intrinſece*, et *delectationem coeleſtem ex ſe, et virtute interna efficacem eſſe, quamvis tunc ſolum victoriam obtineat, quando cupiditatem viribus ſuperat.* quod paritatibus mox dictis ignis, et medicamenti illuſtrat. In qua doctrina mirifice lucet gratiae *ſufficientis* natura, quae *potentiam* plane praeſtat, licet defectu, ſive malitia hominis hic et tunc *effectum* non ſortiatur. et ſic plane intelligimus illa Pauli 1. ad Theſſalonicenſes 5. v. 19. *Spiritum nolite extinguere.* 2. ad Cor. 6. v. 1. *exhortamur, ne in vacuum gratiam recipiatis.* ad Hebr. 12. v. 15: *contemplantes, ne quis deſit gratiae Dei.* et celebre illud Luc. 10. v. 13: *Vae tibi Coroſain! - quia ſi in Tiro, et Sydone factae fuiſſent virtutes hae, in cinere et cilicio poenitentiam egiſſent.* non quod *eandem verſatilem* gratiam *in iisdem circumſtantiis*, et *animi affectibus datam* Tirii, et Sidonii *conſenſu ſuo* efficacem feciſſent, quam non fecerunt Corozaitae, et Bethzaitae; gratis enim aſſeritur Tirios, et Sidonios *eodem modo* cum Corozaitis, et Bethſaitis fuiſſe affectos: et ſi ex duobus *eodem modo* affectis *eidem gratiae verſatili* unus conſentiret, non alter, vere *ſe diſcerneret* converſus, non a gratia *utrobique verſatili* diſcerneretur, etiam ut *haec* eſt uni *ſpeciale beneficium:* nam *ſpeciale beneficium* commendat quidem Dei erga converſum miſericordiam; ſed quia *vires majores non dat converſo*, ſequitur, converſum cum *gratia verſatili in ſpeciale beneficium data ſe diſcernere*, non diſcerni *a beneficio verſatili:* ut ſatis patet exemplo Ducis, qui milites plures mittit *iisdem armis verſatilibus* inſtructos ad *easdem circumſtantias* Belli, ſed *praevidet unum* duntaxat *victoriam reportaturum.* Hic ſane victor gratus eſſe quidem debet Duci *oro armis*, et *occaſione* oblata, ſed *victoriam SIBI principaliter* nemine diſſentiente adſcribet. *Ita* et *Congruiſta* in ſenſu Molinae, et Sva-

Gratia ſufficiens.

Verus ſenſus celebris textus Luc. 10. v. 13.

Siſtema Molinae impugnatur.

et Svareſii *actum ſalutarem*. *Hunc* enim *principaliter* non cauſſavit gratia *verſatilis* in ſe entitative mere *ſufficiens*, et ab aliis repudiata. nec *praeviſio* Dei, nec *circumſtantiae congruae*, nec *beneficium ſpeciale*; omnia enim haec *actui ſalutari* ſunt *extrinſeca*. go *eum primario ſibi adſcribere* poterit congruiſta. Et ſic Deus non erit *principalis cauſſa* ſalutis: nec in Deo, qui ſolam *potentiam* tribuit, ſed in voluntate humana, quae *ipſum actum* praeſtat, *ſpes* erit collocanda. Tolletur item *humilitas chriſtiana* Deo omnia, nihil ſibi tribuens. Quin dicere poteſt hujus opinionis ſectator: gratiam *entitative indifferentem Ego FECI efficacem in actu ſecundo*, et ſic *ex me ſalvatio mea*. Apage opinionem innatae hominis ſuperbiae nutricem! ſcriptum eſt conc. Arauſicani can. 4. *Deum non exſpectare voluntatem noſtram*, ſed facere, flectere, domare cum voluerit juxta Auguſtinum l. de corrept. et gratia c. 14: *Habens in poteſtate ſua voluntates hominum, quo placuerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, magis quam ipſi* homines *ſuas*. go circumſtantias *congruas* non *exſpectat*, non *explorat Deus*, ſed *facit*. go illorum Auguſtini verborum l. 1. ad Simplicianum, *cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*, non eſt ſenſus, quod efficacia gratiae pendeat *ex circumſtantiis congruis extrinſecis a Deo praeviſis*, verum ſenſus eſt, quod Deus in Thelauris ſuis habeat tam *potentes*, tam *ſuaves* gratias *intrinſece congruas*, quibus ſummos quosque peccatores in circumſtantiis etiam converſioni maxime *incongruis congrue ſalva libertate* convertere poſſit. Et quas oro circumſtantias congruas vidit Deus in converſione Pauli actu diſcipulos perſequentis? Geneſii Mimi chriſtiana Sacra irridentis? tot infidelium in ipſa crudelitate erga Martyres Divina manu ad veritatis chriſtianae profeſſionem repente pertractorum? non alias ſane, quam quas *omnipotentiſſima ſua virtute IPSE fecit* tantae impietati, et pertinaciae edomendae *congruas intrinſece*, id eſt *pares*, atque *attemperatas* vi, ac dulcedine gratiarum ſuarum. Ajunt Moniliſtae, has converſiones fuiſſe *miraculoſas*. et ipſe affirmo quoad *modum*, quod *ſubito perfectae* fuerint. cap. II. n. XXIII. Verum quia ejusmodi *inſtantaneae* converſiones per gratias *extraordinarias* licet, factae ſunt *ſalva libertate*, ſequitur manifeſte, vanum eſſe timorem evertendae libertatis per gratiam *ab intrinſeco efficacem*, ſive quod idem eſt, fruſtra procuſum fuiſſe ſyſtema *Mediiſtarum* ad ſalvandam libertatem ſub gratia efficaci. vide Lugdun. de Gratia Diſſert. 5.

Gratia intrinſece eſt congrua.

Verus itaque ſenſus cit. textus Luc. 10. v. 13 eſt, quod *eadem intrinſece efficax* gratia convertiſſet Tirios, et Sidonios *minus malos*, quae apud Corozaitas, et Bethzaitas longe *magis* illis *obduratos*, et excaecatos *inefficax*, et tantum *ſufficiens* fuit. Sive, quod idem eſt, *eadem gratia in ſe efficax* varie affectis animis, et in *diverſo* cupiditatum gradu conſtitutis data in actu 2do hos convertat, qui minoribus gratiae impedimentis laborant; non illos, qui majoribus. quo enim quis in virtute proceſſit magis, eo minus habet terrenae cupiditatis. Neque enim caſti eas experiuntur libidinis Furias, quas voluptati dediti (loquendo ordinarie, et exceptis raris Sanctorum caſibus, ut de Paulo, Benedicto, Franciſco legimus: quibus pro magnitudine tentationum longe fortiores aderant gratiae, quibus ad ſublimem ſanctitatem extraordinaria pugna eveherentur, ut docet Junior amoris Magiſter Philotheae p. IV. c. 5.) Itaque quo minoribus pulſantur cupiditatibus, eo facilius reſiſtunt etiam *eadem inſtructi gratia, qua* ſuperantur majoribus cupiditatibus vinculati; ut de Tiriis, et Sidoniis dicit aeterna Veritas exprobrans majorem obdurationem Coroſaitarum et Bethſaitarum. prae illis.

Atque haec doctrina mire urget fideles ad pietatis chriſtianae officia conſectanda. Si namque intelligant, gratias Divinas *ordinarias* ſaepe

saepe propter valentiores cupiditates effectu carere in his, plenum effectum sortiri in illis, qui minoribus laborant concupiscentiis, omnes salutis suae studiosi et pro *vividioribus gratiis* sedulo deprecabuntur Deum, qui *dat Spiritum bonum petentibus se*, et ipsi toto pectore incumbent occasionibus peccandi evitandis, cupiditatibus edomandis, pravis habitibus exstirpandis; quo remotis his *gratiae impedimentis* ad coeleste Lumen, dum affulserit, toto animo amplectendum paratiores, validioresque inveniantur. *Dicta mire urgent pietatem.*

E praedicta sententia videre quoque licet, cur aeconomia justificationis impii non sit momentanea, nec charitas actualis mox statim *dominans* evadat, sed paulatim per varios gradus adolescat. Neque enim gratia ex se efficax propter dicta cupiditatum impedimenta mox praevalet cordis duritiei; sed paulatim contra illa invalescit, et sic primum *praedominium affective*, dein *effective super omnia* consequitur. En ordinarium gratiarum actualium cursum! quibus mali vitio suo non utuntur a cupiditatibus suis abstracti, et illecti: Boni vero aut impedimentis his paulatim superatis, aut *humilibus precibus majori gratiae vi impetrata* cupiditates suas feliciter expugnant: ut nemo queratur, sibi per *Deum abesse* salutis media, sed omnes *fatagamus per bona opera certam nostram facere vocationem, et electionem.* Non tamen negamus *altitudine judiciorum Dei* quosdam *extraordinario* gratiae motu brevi ad insignem sanctitatis gradum provehi. In quo alii praeubertate, et magnitudine gratiarum quasi in sanctitate confirmati jam coelestium gaudiorum aemulis deliciis mentis cum utroque S. Ignatio, Martyre, et Confessore in terra perfruuntur. alii *in charitate radicati* ingentibus tentationum fluctibus cum gentium Doctore exagitantur. alii vix eas cum Angelico, et Aloysio ex speciali privilegio persentiscunt: alii ex alto sanctitatis culmine levi tentatione cum Petro praecipitantur. Quorum aliqui cum eodem misericorditer rursum respiciuntur: alii cum Tertuliano in profundo criminum juste relinquuntur: ut omne os obstruatur, et *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Omnes *Salutem cum timore, et tremore operemur.* Conf. Cap. II n XXIII. *Cur justificatio non sit momentanea? Praeter casus extraordinarios.*

XXXVI. De his apud professos Scholasticos Theologos *grandis fermo*: verum nobis primis labiis attigisse sufficiat ad amoliendum omnem scrupulum *necessitatis* a charitate *deliberate*, et elective *praedominante* affectum peccati directe, et positive expellente, (quae ipsa est gratia victrix, sive dominans appellabilis.) illo namque vocabulo non aliud intelligimus, quam *charitatem actualem super omnia*, sive *praesenti delectatione*, cupiditate inquam illicita *actuali*, aut praeterita non retracata, proinde *habituali* deliberate majorem. Enimvero teste Augustino serm. 155 de verbis *Apostoli*: *Quidquid est peccatorum in dictis, et factis, in cogitationibus, non exoriuntur, nisi ex illicita delectatione.* Quamobrem *Apostolus omnia peccatorum genera isto mandato*: Non concupisces *prohiberi insinuat.* go Eodem inferente libr. de Spiritu, et littera c. 4 supponit Apostolus, *nullum peccatum nisi concupiscendo*, sive nisi ex illicita *delectatione deliberata* committi. Conspirat S. Cyrillus Alexandrinus L. 4. in Joann. c. 7: *voluptas quaedam ante omne peccatum praecurrit, et fervens cupiditas ad delicta solet allicere.* atqui contrariorum eadem est ratio. go praesens *amor Dei* deliberatus praesenti *cupiditate* actuali, vel habituali superior, major, victrix, et praedominans sit oportet, secus hanc ille potest quidem vincere, ut ex Angelico mox vidimus 3. p. q. 70. a. 4. in O: *minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, et vitare omne peccatum mortale*; reipsa tamen non vincet: quia palam docet Augustinus l. de Spir. et lit. c. 20, gratiam *plus* delectare debere, quam *concupiscentiam*, ut *haec* vincatur: *inspirata*, inquit, *gratiae Svavitate per Spiritum Sanctum facit Deus PLUS delectare, quod* *explicatur praedominium charitatis.* *Verus sensus illius: quod amplius delectat, secundum id operemur oportet.*

re, quod praecipit, quam delectat, quod impedit. Huc pertinet celebris locus ejusdem Doctoris, quo pessime abutuntur Janzenistae, in epist. ad Galatas cap. 5: *quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est* necessitate electionis, et consequentiae ex libera nostra determinatione sub svavitate gratiae orta, ut ibi se ipsum explicat Augustinus: *sectabimur, quod amplius dilexerimus. si ex adverso existat praeceptum justitiae, et consuetudo carnis, id sectabimur, quod amplius dilexerimus.* per ly *sectabimur* exprimit *electionem*, excludit *necessitatem antecedentem.* Sensus igitur Principii Augustini, quo Iprensis, et discipuli ejus *necessitatem absolutam sub delectatione praedominante* docent, est, quod praedominans delectatio sive bona, sive mala tanta *suavitate*, et *dulcedine* agat in animam volentem, et *sub illa libere se determinantem*, ut *necessitatem consequentiae*, et *electionis* inducat, ut explicat ipse se Augustinus superius laudato textu: *Noli cogitare, te invitum trahi, trahitur animus et amore, trahit sua quemque voluptas. da amantem, et scit quid dico.*

amor Dei duplex.

XXXVII. Ex his salva est libertas sub *charitate praedominante.* sed et elucet, *non omnem amandi Dei voluntatem esse charitatem perfectam*, sive praedominantem: sed primum illabi *inefficax* quoddam *desiderium amandi Deum* sensim crescens, et perficiendum subacta contraria concupiscentia: id quod suo exemplo demonstrat magnus charitatis Magister L. 8. confess. c. 5. dicens: *Voluntas nova, quae mihi esse caeperat, ut Te gratis diligerem, fruique te vellem, Deus! sola certe jucunditas,* (id est: infirmum, et vacillans desiderium amandi Deum) *non dum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam* malam consvetudinem. Haec ipsa est doctrina Angelici cap. 1. not. 12. ad n. XXIX relata: *Amor Dei potest esse ita remissus, ut non sufficiat ad rationem charitatis.* vide ibi not. 13 varios motus amoris divini *imperfectos*, donec perveniat ad rationem *charitatis*, cujus primus gradus est, ut sit *super omnia.* Et quid volunt divina illa oracula: *diliges proximum tuum sicut te ipsum. Honora Patrem tuum. qui amat Patrem suum, PLUS QUAM ME, non est me dignus. Convertimini ad me IN TOTO CORDE VESTRO*: quid inquam haec invicem juncta innuunt, nisi dari amorem Dei *INFRA*, et *SUPER* alios amores? *ILLUM* Deo indignum: *non est me dignus. HUNC* omnibus praeceptis charitatis inculcatum. an, amabo Te! digne eum *conversum* ad Deum statues, qui aliquid creati *plus Deo* amat? tanto magis eum, qui Deum nullatenus amat, sed poenas duntaxat ejus fugit? aut praemia concupiscit? Hoc igitur *praedominium* amoris Divini intelligimus, ut Deus *super omnia* ametur. Amor enim *super omnia* vere potest dici *dominans*, quia amoribus inferioribus *dominatur, illicitos extinguendo, licitos* sibi *subordinando* libere, elective, non necessario, (quae Jansenii Haeresis est propositione ejus 2. 3 et 4.) attamen *occultissima, et efficacissima svavitate indeclinabiliter, et insuperabiter*, ut Augustinus ait, nos ad Deum convertendo.

infra, et super omnia.

Hic est praedominans.

Metire jam tu Lector! quantis scholae praejudiciis teneantur, quibus ipsum vocabulum *amoris praedominantis* sudes est in oculis. Immerito sane: nam ut, toties dictum, per eum non aliud intelligimus, quam amorem Dei *praedominari*, sive elective *majorem* esse debere omnibus creaturam non solum illicitis, sed et licitis, quin et praeceptis amoribus. Id quod salvo Evangelio nemo negare potest: *diliges Dominum EX TOTO CORDE TUO. qui amat Patrem PLUS QUAM ME, non est me dignus.*

XXXVIII. Interim duplicem amorem *praedominantem* distinguimus. alterum *effective*, *intensione* actuali reipsa perfectum, et opere ipso praedominantem, ideo extra sacrm. justificantem. cap. 4. n. XXXI. XXXII. Alterum *affective*, in desiderio, in praeparatione animi talem:

affective saltem.

lem: in ſe tamen intenſione actuali carentem, quam *initialem* charitatem appellamus, ac non ſolum ad Sacramenta mortuorum, ſed ut *virtualem* ad vitam quoque chriſtiane agendam neceſſarium ſtatuimus. cap. I. a. n. XXII. Hic notare juvat auream ſententiam S. Vincentii Ferrerii ſerm. 22: *Amor Dei in homine debet eſſe ſicut Oleum in lampade, quod ſemper natat ſuper aquam; ſic amor Dei debet natare ſuper omnes alios amores.* Et S. Franciſci Saleſii de Amore Dei p. 2. lib. 10. c. 6: *Amor praeceptus inter noſtros amores ſolus DOMINETUR in in cordibus noſtris.* Accedit convincens haec ratio: In *corde* enim humano *aliquis amor* ſemper *dominari*, ſceptrumque tenere debet: quia creatura rationalis eſſe nequit *ſine* aliquo *fine*, et *amore principali*, ad quem reliquae actiones ſubordinantur. h. n. XXIX. XXX. Manifeſtum quoque eſt, duo tantum eſſe, quae in humano corde rationem *finis*, et *amoris principalis* habere poſſunt, *Deum* nempe, et *creaturam*. Nec eorum amores ſimul ſtare poſſe teſte aeterna veritate: *qui non eſt mecum, contra me eſt; nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, Math. 6. v. 24. Ubi ergo *regnat amor creaturae, exulare debet amor Dei*; nam qui amat creaturam, eam *pro fine* habet, *Deum* vero *contemnit* vel *formaliter*, vel *interpretative* avertendo ſe ab *eo*, nolendo ad *Eum* redire, illatam Ei injuriam non reſarciendo, *eum* pro *fine* habere recuſando. In his conſiſtit *injuria* Deo *per peccatum illata*, ut nemo negat. At haec injuria reſarciri nequit in ullo caſu, niſi *amore Dei affective* ſaltem *praedominante*. oſtendo hanc veritatem: qui poſt patratum peccatum *inferiori* aliqua *virtute*, aut *fide*, *ſpe* movetur ad paenitendum, vel *timore ſolo* concutitur, Deum *propter ſe* non attingit, nec diligit, nec pro fine habet; ut conſideranti patet ex terminis ipſis. Deum enim *propter ſe* diligere ſolius charitatis eſſe, ſatentur ipſi adverſarii. quid igitur diligit? et quem finem habet talis? Habitu *peccatum* nuper patratum; ſed quia *hoc* fugit, et odit jam aliquomodo *ineffaciter* (*hic n. XXX.*) timore gehennae, ideo *remanente habituali affectu* ad peccatum, utpote nulla adhuc charitate ad Deum converſo, ſed ſolum timore interim compreſſo, et quaſi vinculato (hic *n. XII.*) ſequitur, talem *ſe*, ac *ſuam quietem* actu amare, et *pro fine* habere, cap. III. n. XXII: ſed pro *interimali tantum fine SE*, ac *ſuam beatitudinem* ſibi bonam habet talis paenitens timore, aut ſpe ductus: nam *priorem ultimatum ſuum finem* peccato electum nondum charitate convertit ad Deum ut *novum finem ſuum*: ut enim vidimus h. n. XII, et XXVII, *finis*, et *affectus* peccando ad creaturam converſus ſola Dei propter ſe charitate ad Deum converti ſufficienter poteſt. go manifeſtum eſt, paenitentem charitate vacuum *habitu in priori fine ſuo* peccato contracto, *actu* vero *interimali* in *ſuae quietis amore* haerere: *ſupernaturali* quidem jam *iſto*, ſed a Deo *in ſe bono*, et *propter ſe* amando prorſus diſtincto, nec offenſae Dei directe oppoſito. *Tantum* enim *quisque peccatum odit*, ut ſaepius ex Auguſtino vidimus, tantum priorem finem peccato electum mutat, tantum injuriam peccando Deo illatam reſarcit, *quantum juſtitiam diligit*, confer h. n. XXIX.

Omnibus praeceptus.

Ex ratione.

Ex Auguſtino.

Merito igitur inculcat Auguſtinus amorem Dei praedominantem in pſ. 77: *Hoc colitur, quod diligitur: unde quia Deus rebus omnibus major, et melior invenitur, PLUS OMNIBUS diligendus eſt, ut colatur.* qui *finem*, et *centrum amoris* noſtri *Deum ſolum* eſſe, omnium cordibus alte inſculpenda hac collectione demonſtrat l. 10 de Civitate Dei cap. 4: *Ipſe fons noſtrae beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis. Hunc eligentes, vel potius religentes, (amiſeramus enim negligentes,) hunc ergo religentes, unde religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo requieſcamus; ideo beati, quia ILLO FINE perfecti.* Ne quid tibi de *conſilio* ſubrepat ſubterfugii, audi *generale* omnibus *praeceptum*; ita enim continuat: *Hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima,*

nima, et in tota virtute PRAECIPIMUR: *ad hoc bonum debemus et a quibus diligimur, duci, et quos diligimus, ducere. Sic complentur duo illa praecepta, in quibus tota lex pendet, et Prophetae: diliges Dominum Deum tuum; ut enim homo se diligere posset, constitutus est ei* FINIS, *quo referret omnia, quae ageret.* Habes hic, Deum *super omnia* amare, *pro fine* habere sinonimum, atque utrumque cunctis mortalibus *praeceptum* esse.

S. Francisco Sales. Quod ipsum mirifica claritate expressit Junior charitatis Magister Antistes Genevensis Divini amoris L. 10: *Hoc a nobis poscit Deus, ut inter omnes amores Divinus praecipuum in corde locum obtineat: ut toti nimirum dominetur cordi, ut ille dilectissimus sit, totum videlicet animum possidens, ut latissime regnet, omnes nimirum facultates sibi mancipans; et quia illo Deum eligimus quasi supremum voluntatis bonum, amor est supremae dilectionis.* HIC AMOR OMNIBUS, ET SINGULIS MORTALIBUS GENERATIM PTAECIPITUR, *quamprimum ad rationis usum perveuerunt,* SINGULIS SUFFICIENS, OMNIBUS NECESSARIUS *ad salutem.*

Etiam in Sacramento XXXIX. An ex generali hoc praecepto eximent attritionistae *paenitentes in Sacramento?* non prius, quam eximant eos *a vero Dei cultu*, et religione: quia ut vidimus verus Dei cultus, vera religio est diligere Deum *super omnia*, et *pro fine* habere. non prius, quam dispensent cum eis in tota lege, et Prophetis: in charitate enim Dei universa lex pendet, et Prophetae. Non prius, quam legem charitatis *universim* tollant. *Hic* enim amor *OMNIBUS*, et *SINGULIS generatim praecipitur, quamprimum ad usum rationis pervenerunt, omnibus necessarius ad salutem.*

exigunt Paludanus. Hoc *Praedominium affectivum* charitatis ad Sacramentum exigunt SS PP discipuli. Paludanus in IV. Dist. 17. q. 1. a. 1. conclus. 2 requirit *ad veram contritionem, et justificationem MOTUM liberi arbitrii in Deum super omnia diligendum.* at *motus* ad diligendum Deum *charitas affective dominans est*; sicut *intensio actualis* charitas *effective dominans.*

Marcarius Havermans MARCARIUS HAVERMANS in Tyrocinio Theologiae moralis: *mihi*, inquit, *certum videtur CUM SACRAMENTO requiri PRAEDOMINANTEM Dei PROPTER SE amorem.* et Disquisitionis Theologicae sect. 3. posteaquam notavit, *novum, ac recens esse amoris concupiscentiae* vocabulum, definit: *Si eo intelligatur amor propriae comoditatis, id non esse ad Sacramenti effectum sufficiens. Si vero* intelligatur *amor Dei propter IPSIUS AMABILITATEM, controversiam esse de nomine: tunc enim amorem illum a charitate non distingui.* Ex quibus discimus 1. vocabulum *amoris concupiscentiae DEI NOBIS BONI* SS Patribus ignotum fuisse. Discimus 2. verum sensum illius sententiae Augustini serm. 18 de diversis: *Peccatum non solum illud est, quod in turpi, aut iniquo facto apparet hominibus, sed etiam si habeat speciem boni operis, et tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem sempiternam.* Ubi Amoris Magister approbat ut *perfectum* opus *propter requiem sempiternam*; Nam Augustino *requies sempiterna, merces aeterna* est Deus *in se*, et *nobis bonus.* L. de civit. Dei, cap. 30: *Praemium virtutis IPSE ERIT, qui SE IPSUM, quo melius, et majus nihil esse potest, promisit.* de quo amore spei charitate formanda egimus cap. III. n. III. et a n. XXI, usque ad finem ejusd. cap. Conf. h. a n. XIX usque ad XXV inclusive; ubi Augustinus cum corona praecipuorum SS Patrum charitatem *finem* omnium virtutum, et actionum statuit, et has absque illa *non recte*, non *ut oportet* fieri definit et iis numeris, et cap. III. not. ad n. XV. Hoc solum *peccatum* id est *imperfectionem extrinsecam omissionis* relationis *ad charitatem* agnoscimus in operibus inferiorum virtutum. Rem clare explicat ipse Augustinus l. contra Faustum c. 78: *Fit homo iniquus, cum PROPTER SE IPSAS diligit res propter aliud assumendas. Sic enim, quantum in ipso est, perturbat ordinem, quem*

nem, quem *Lex aeterna conſervari jubet. Fit autem homo juſtus, cum ob aliud non appetit Rebus UTI, niſi propter quod divinitus inſtitutae ſunt; ipſo autem Deo FRUI PROPTER SE IPSUM, ſeque, et amico in IPSO DEO PROPTER IPSUM DEUM.* go *requies ſempiterna* Auguſtino eſt *frui Deo propter ipſum* ita, ut caeteris rebus omnibus, quin et virtutibus charitate inferioribus *non frui*. ſed *UTI* duntaxat liceat *ut mediis* ad charitatem in via, et Patria aſſequendam. cap. I. n XXIII. XXV. Haec ſcripſi, ne quis ex Auguſtino amorem *concupiſcentiae, coeli nobis boni* ut caſtum, et omni *imperfectione extrinſeca* purum venditet. Ad amoris praedominantis Patronos revertamur.

JOANNES OBSTRAET Diſſ. de converſ. peccat q. 1. cap. 10. ſect. 3: *Tum veteris, tum novi Teſtamenti pagina non alios nobis converſos exhibet, quam eos, in quibus amor Dei amori creaturae ſic PRAELOMINATUR, ut eorum cor, ac vitam mutaret; igitur ii ſoli converſi ſunt, quorum cor, ac vitam amor Dei praedominans immutat.* Conſer de *converſione Sacramento* ſufficiente, et neceſſaria hic a n XXVI uſque ad XXX. *Joannes Obſtraet.*

MALDONATUS Illuſtris e S I Theologus, et Scripturiſta de poen cap. 2: *quod ſit pars Sacramenti contritio, ſcriptura docet. Genericam, et abſtractam a motivo* volunt adverſarii: nos *ſpecificam*, et *charitate* animatam. Quid Maldonatus? totam doctrinam noſtram ſic in nuce exhibet: *quemadmodum praecipit ſcriptura, ut Deum ex toto corde diligamus, ita jubet, ut ad Eum convertamur ex toto corde. Nam eadem via neceſſe eſt ad Deum convertamur, qua ab eo diſceſſimus. Diſceſſimus autem ab eo, quia illi antepoſuimus res creatas. go debemus ad eum redire dolendo, quod eum offendimus PLUS, quam doluimus propter res creatas omnes.* *Maldonatus.*

Quid multos congero? hujus doctrinae Statores ſunt totus venerandus exercitus SS Patrum, et antiquorum Doctorum cap. I a n I uſque ad XV pro *charitate Sacramtali* productus. Eandem firmant alii ibidem n XVI, et XVII pro *vivificatione imperfecta*, alii item cap II n XII pro *charitate praeparatoria* Laudati. Eodem ſenſu S Cyprianus, Joannes Daventria, Joannes Gerſon, Gabriel Biel cap I. n XX relati *pro Sacramento quoque poen.* intelligunt illud Joëlis 2: *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Venerabilis Beda, et Auguſtinus illud 1 ad Cor 13: *ſi charitatem non habeam, nihil ſum.* S Rajmundus illud: *Qui non diligit, manet in morte.* cap. II. n I. *Antiqui.* *Scriptura.*

Eundem *initialis charitatis affectum ſuper omnia* ſuplex petit Eccleſia in orationibus ſuis: Dom. 5 poſt Pent: *infunde cordibus noſtris TUI AMORIS AFFECTUM, ut te in OMNIBUS, ET SUPER OMNIA diligentes. IN OMNIBUS*, en virtualiter continuam: *SUPER OMNIA diligentes*, en praedominantem charitatem! Fer 3 p Dom 4 quadr *ſuplicandi affectum.* Fer 4 p Dom. Paſſ: *devotionis affectum.* Dom 1 p Pent. *ut a tua nunquam Laude ceſſemus. Ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia.* Quia igitur *Lex orandi legem ſtatuit credendi*, de praecepto *affective praedominantis charitatis* non eſt dubitandum; qua nempe poenitens affectum, et voluntatem peccati retractando, deteſtando, contrarie, et poſitive expellendo, ſe, affectuſque ſuos a creatura male amata *ad Deum propter ſe* diligendum convertendo, Eumque *ardentius amare deſiderando* dignum gratiae ſanctificanti, dignum Spiritui Sancto mox ad ſe per abſolutionem Sacramentalem venturo locum parat. Haec eſt *vivificatio imperfecta*, et converſio ad Deum *affective ſuper omnia*: Qua Deus *ppter ſe* diligitur: Sed quia *intenſione actuali* caret, non eſt *effective* ſuper omnia: ſed *affective* duntaxat in deſiderio, in praeparatione animi: quaſi dicas: *affectum duntaxat ſanat*, ad Deum convertit, non juſtitiam *Ex orat. Eccleſiae.* *Effectus charitatis affective praedominantis.*

ſtitiam efficit, ideo praeparatio ad Sacramentum proxima rectiſſimè habenda. Extra quoque Sacramentum eo ipſo, quod quis *Deum ſuper omnia ppter ſe* amet, velitque amplius, intenſiuſque amare, jam *Creaturam illicite non amat*, et amores ſuos *licitos Dei amoribus ſubordinat*. go jam Deum *pro fine* habet. In quo eſt *praedominium affectivum* charitatis: *virtualiter continuum* futurum, ſi ſtatis temporibus e. g. mane, veſperi, tempore tentationis, ante praecipuas actiones ita renovetur, ut *virtus prioris intentionis influat in ſubſequas actiones*. Ut expli-cat Angelicus cap. I n XXVI.

Dices 1. deſcripta a nobis charitas *affective ſuper omnia*, et *ſic praedominans* per ſe juſtificat. go ad Sacrm poenit. fruſtra requiritur. Reſp. ne id ipſum ſaepius iteretur, rediſis ad ſolutiones cap. III ad n. VI in not datas.

Charitas praedominans non eſt onus grave.

XL Dices 2: ſiſtema charitatis etiam *affective praedominantis* durum eſſe: nempe *moraliter continuo* cor, affectuſque ſuos Deo affixos tenere; omnia ex charitatis motivo *extrinſeco* ſaltem *virtualiter* agere, ac minima quaeque opera *eadem ratione* ad finem ultimum referre, onus infirmis viribus humanis majus cenſendum. go illud non videtur praeceptum. Reſp. Philaucia pro ſe perorat. An tibi durum videtur morigerum Filium in amantiſſimi Patris colloquiis, et obſequiis *moraliter* totos dies verſari? aut probam matrem in nutriendo filiolo ſuo dies, nocteſque occupari? an importabile eſt ſedulo Patri familias tempus omne in provehenda oeconomia, augenda re familiari, novis emolumentorum fundis ſtatuendis impendere? an humanis viribut majus eſt mercatorem lucri temporalis gratia terras, maria, regna, et provincias aſſidue circumcurſare? conſidera omnium artium liberalium, et manualium profeſſos a ſummo mane uſque ad ſeram noctem inſtituto ſuo provehendo intentos, ni ſegnes, et reprehenſibiles videri, atque ad inopiam redigi velint. Haec, nec amplius *in amore Divino* exigimus, ne in nos cadat illud: *Filii ſaeculi prudentiores ſunt filiis lucis*. imo nec reprehendimus recenſitas, et quaslibet alias diligentias temporales *in ſe indifferentes*, ſed unice *motivum charitatis*, et *relationem ad Deum* eis addi volumus. cap. I. a n XXII. Per omnia commendamus *in ſuis motivis intrinſecis* virtutes morales omnes, verum id ſolum deſideramus, ut illae *oſtiariae* ſint charitatis. hic a n XIX. Hic eſt Spiritus Evangelii: Hoc onus eſt Jeſu Chriſti, ſvave, et dulce amantibus: quia *quidquid durum eſt in praeceptis, dulce, et leve facit charitas*. Haec eſt *Gratia Novi Teſtamenti* teſte Auguſtino L. 4 contra duas Epiſt. Pelag. c. 5: *inſpiratio dilectionis, ut cognita SANCTO AMORE FACIAMUS, quae proprie gratia eſt*. Et q. 15 in Deuter: *Charitas gratia eſt Novi Teſtamenti*. et l. de Spiritu, et littera c 28: *conſtat gratiam Dei promiſſam eſſe Novo Teſtamento per Prophetam in eo definitam, ut ſcribantur leges Dei in cordibus hominum. Hoc donum Spiritus Sancti eſt, quo diffunditur charitas in cordibus noſtris.* Sine hac ad ſortem *Judaeorum* detrudimur teſte Angelico in epiſt. ad Roman. c. 6 v. 14: *Sub lege eſt, qui non voluntate, et ex amore, ſed timore cogitur legem obſervare*; ut Judaei ut plurimum *timore* ducebantur teſte Apoſtolo ad Rom. 8. v. 15: *non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater*. Ideo *Vetus* dicebatur lex *timoris*, nova lex *amoris*. Ut auclivi-mus ex Angelico cap. 1. n XI. Charitas eſt ala, qua ſola ad Deum attollimur, docente Auguſtino l. 15 de Trinit. c. 18: *Donum Dei proprie quid niſi charitas intelligenda eſt, quae perducit ad Deum, et ſine qua quodlibet aliud donum Dei NON PERDUCIT AD DEUM*. Nunquid qui praepoſtera miſeratione alis ſpoliaret avem, ne eam gra-

quin levia facit omnia praecepta.

vent,

vent, eo ipso eam terrae affigeret? Ita agunt attritionistae cum suis in lege charitatis virtualiter continuae crudeli miseratione dispensando, ut mox ex Augustino vidimus. Quam alta, quam difficilia *naturae* sunt principia Evangelii! *diligere inimicos, intrare per angustam portam. Renuntiare* saltem in praeparatione animi *omnibus, quae possidet. uti hoc mundo tanquam non utantur; abnegare se, tollere crucem suam, sequi Christum. carnem suam crucifigere cum vitiis, et concupiscentiis suis.* Odia hominum magno animo ferre, persecutiones pati. Haec, et multa alia ardua carni, et sanguini utriusque legis praecepta sola charitas levia, et facilia reddit: in qua nimirum *universa lex pendet, et Prophetae.* et *plenitudo legis est dilectio.* Sola charitate *conformes simus imagini Filii sui.* Sola charitate *crescemus in illo per omnia, qui est caput Christus, qui augmentum corporis facit in aedificationem SUI IN CHARITATE. ad Ephes. 4. v. 15 16.* De charitate magnifice praelocutus est Ezechiel c. 36. v. 26, et seq: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri; auferam cor lapideum, et dabo vobis cor carneum; et Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis.* go a contrario charitate vacui non habent *Spiritum Dei*, nec *cor carneum* molle, sed *lapideum* durum, Deo rebelle, nec in praeceptis Dei ambulant, nec custodiunt illa. Circumspice hodiernos Christianorum mores, et palpabis, moderna esse illa tempora, quae praedixit Apostolus 2. ad Tim. 3: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, erunt enim homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, inobedientes, ingrati, sine affectione, sine pace, tumidi, voluptatum amatores magis, quam Dei; habentes speciem pietatis, virtutem autem abnegantes.* Unde, obsecro, tanta corruptio? respondet aeterna Veritas Matth. 24. v. 12: quia *refrigescet charitas multorum.* En fructum defectus charitatis praedominantis! en *inefficaciam amoris non super omnia*, quam innuit Apostolus illis: *voluptatum amatores magis, quam Dei*; quibus verbis describit Gentium Doctor illos, qui boni, quin spirituales videri volunt, ita tamen, ut id eis non magno labore constet: ut otio, quiete, voluptatibus mundi una fruantur: ut secundum morem, et genium saeculi vivant, ut dicunt, inculpate. Sed de *Spiritu interno*, de imitanda *similitudine Christi*, de *abnegatione sui*; de *mortificatione affectuum*, de *patientia*, de *paupertate spirituali*, de *vita abscondita in Deo*, de *charitate Dei in omnibus* actionibus suis *praedominante* scire nihil volunt: contenti Deum gravius non offendere, statas preculas quotidie recitare, Sacramenta, et templa suis temporibus frequentare. Caeterum mundo honeste, liciteque frui aliorum more volunt. Verbo: e Coelo *terrestri* ad *coeleste* transire, atque in utroque saeculo quiete, beateque vivere posse confidunt. Haec est vita probabilistica, et attritionistica, oppositа aeternis illis veritatibus: *usquequo claudicatis in duas partes? nemo potest duobus Dominis servire. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis suis. Qui vult post me venire, abnegat semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me. Beati, qui lugent, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. qui gloriatur, in Domino glorietur. mihi absit gloriari nisi in Cruce D N J C. per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Quae omnia christianae vitae principia ut omnibus necessaria, ita *charitatis* sunt germina. Teste enim Apostolo 1 ad Cor. 13 *Charitas patiens est, benigna est, non agit perperam, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* quae omnia epitheta *charitatis actualis* sunt; go et illa initio ejusdem cap. Si *charitatem non habuero, NIHIL sum, nihil mihi prodest*, de *actuali*, non *habituali charitate* intelligenda esse, contextus ipse evincit.

omnis corruptio morum ex defectu charitatis.

Et quis ferat, vitam *moraliter continuae*, et *affective praedominantis* charitatis ut amarum, tetricum, et horridum vitae genus traduci?

vita charitatis praedominantis est gaudii melioris plena.

duci? reclamante aeterna Veritate Math. XI. v. 29: *Tollite jugum meum ſuper vos, et diſcite a me, et invenietis requiem animabus veſtris; jugum enim meum ſuave eſt, et ONUS MEUM LEVE.* et dilecto Apoſtolo 1 Joan 5. v. 3: *Mandata ejus gravia non ſunt;* et gentium Doctore 2 Cor 7. v. 4. *Superabundo gaudio in omni tribulatione.* et D. Ambroſio L. 5. in Lucae cap. 5: *Qui domicilio Chriſtum recepit interno, MAXIMIS DELECTATIONIBUS exuberantium paſcitur voluptatum.* Qua in re mirus eſt liber de *Imitatione Chriſti* ſub nomine Thomae a Kempis notus, qui et miram *charitatis praedominantis dulcedinem, et impedimenta ejus* multis locis exhibet, nempe ubique *mortificationem affectuum inordinatorum, humilitatem, patientiam, odium ſui, et mundanorum* urget; et ex his natam coeleſtium gaudiorum aemulam *animi pacem* deſcribit. Tolle, lege, et ſcripturae, ac PP compendium in eo invenies aſſidua cura verſandum.

4. PROPOSITIO de timore filiali remiſſive.

XLI. Quarta propoſitio *hic* n VI aſſerta, quod *timor filialis* et *affectum*, et *effectum* peccati *per ſe excludat*, proinde *in Sacramento neceſſarius non ſit*, pateſcit ex cap IV n XXII. XXX. XXXII. XXXV, quod *perfecta* charitas, quae *timor filialis* eſt, quo amantiſſimi Patris offenſam unice horremus, ante, cum voto tamen *Sacramenti juſtificet.* unde *hunc* ad Sacramentum plane non requirimus: uni e ad intelligendam naturam *quadruplicis timoris* illius meminiſſe oportuit.

objectiones n. IV poſitae ſolvuntur ex dictis.

XLII. His probe intellectis ſuapte corruunt objectiones hic n. IV propoſitae. Atque inprimis ad 2am (nam 1am ſolvimus n. h. V.) ajo: concilium illis verbis: *ſi voluntatem peccandi excludat*, clare ſupponere *aliam* eſſe attritionem (et *timorem*, ex *quo illa* oritur) *ſerviliter ſervilem*, proinde vitioſam, quia *affectum* peccati *poſitive includentem*, h. n. VI. VII. aliam *mere ſervilem*, quam actum *bonum in ſe*, et *non peccaminoſum* contra Lutherum *h. n. I. II. III* definit. h. n. VIII. Non tamen aſſerit, nec aſſerere potuit organum Spiritus Sancti hanc *attritionem mere ſervilem* eſſe *proximam diſponem* in Sacramento; quia *haec voluntatem* peccandi mere *negative excludit* h. n. IX. X. *non poſitive*: n. XI. nec proinde Sacramento ſufficienter. n. XII. niſi accedat attritio *initialis*, cujus eſt *affectum*, et *voluntatem* peccandi *directe*, et *contrarie* excludere. XXVI. et ſeq.

Ad 3. Falſo ſupponitur, ex mente Tridni attritionem *mere ſervilem* ad *gratiam HABITUALEM* in Sacramento *proxime diſponere*, cujus unice officium eſt *diſponere ad gratiam charitatis initialis*, et hac mediante ad *habitualem.* h. n. XVI. ut omnium aliarum inferiorum virtutum. XIX. XX XXII.

Ad 4. Fruſtra ſunt Sophismata, quando ex mente *Sanctorum Patrum* certam veritatem tenemus: *quorum* doctrinam Tridnum deſeruiſſe nunquam probabitur. Attritio ſervilis *per ſe* ſemper eſt ad juſtificationem diſpoſitio *remota*, et *multum remota*, cap. I. n. XI Alenſis, n. XII Biel. *mediante charitate*, cujus oſtiaria eſt, h. n. XVI. *in*, et *extra* Sacramentum fit *proxima.*

To DISPONIT verus ſenſus.

XLIII. Ad 5. Nego aſſertum. Senſus Concilii eſt: *quamvis timor ſervilis ſine Sacramento per ſe ſe ad JUSTIFICATIONEM peccatorem perducere nequeat, tamen eum ad DEI GRATIAM CHARITATIS INITIALIS in Sacramento poenitentiae neceſſariam impetrandam diſponit.* Colligo hunc ſenſum demonſtrative I. ex *errore* Lutheri, quem Sinodus iis verbis damnavit. h. n. I. II. III. Colligo 2: ex mente *antiquorum Doctorum* h. n. III. et *SS Patrum* h. n. XVI, quos Tridentinum non deſeruit 3. Quia Concilium *contritionem ſpecificam* partem Sacramenti definivit. *toto cap. IV.* 4. Ex diſtincta phraſi Concilii: *quamvis per ſe ad JUSTIFICATIONEM perducere nequeat, tamen ad DEI GRATIAM in Sacra-*

in Sacramento impetrandam disponit. quam illam *gratiam?* non sane *justificationis*: alias dixisset Concilium manendo in eadem voce: *quamvis per se ad justificationem perducere nequeat, tamen* ad *eamdem* justificationem *in Sacramento disponit.* Idem elucet 5 ex To *impetrandam*, quae *gratiae charitatis actualis* convenit. Haec enim proprie *impetratur.* Justificatio *in Sacramento DATUR, ex opere operato CONFERTUR.* Tridnum sess. VII can 6. 7. 8. Id ipsum patet 6 ab exemplo *Ninivitarum*, quos timor disposuit ad charitatem *actualem*, et hac mediante ad *justificationem.* Quod exemplum non esset ad rem, si nos timor servilis in Sacramento immediate ad justificationem disponeret. conf. cap. IV. n. XXVII. Denique 7 Timor servilis *affectum* peccati ad Deum *positive non convertit*; sed initialis tantum h. n. XXVI, et seq. go ille manet dispositio ad charitatem *initialem. h* n. XVI. et seq. go Tridentinum non potuit attritionem mere *servilem* definire in Sacramento *proximam* dispositionem ad gratiam *justificationis*, sed *charitatis* tantum *actualis* Sacramento poenitentiae necessariae.

XLIV. Repones: Attritio *mere servilis extra Sacramentum* disponit juxta nos ad charitatem. go quum Tridentinum asserat, *eam* in Sacramento ad *gratiam impetrandam disponere*, haec gratia *justificationis* est dicenda. Aliquid enim concedit Sacra Synodus *attritioni* servili *in Sacramento* praedictis verbis, quod *eidem* negat *extra Sacramentum.* Secus *Sacramenti* mentio frustra facta fuisset. At hoc *aliquid* aliud non est, quam disponere *ad justificationem.* go. R. C. A. n. C. ad prob. Dist. M: aliquid concedit Sinodus *attritioni* in Sacramento, quod eidem negat extra Sacramentum, concedit inquam *per se* nego. Concedit *mediante charitate*, quam *ad Sacramentum necessariam* introducit: Concedo M. Dist. pariter m: Hoc aliud non est, quam disponere in Sacramento ad justitificationem *mediante charitate*, quam introducit. Concedo. per se. Nego M. et C. non plus enim dicit illis verbis Spiritus Sanctus per Tridentinum, quam ut praemisimus, *licet timor servilis per se nequeat justificare, ut contritio perfecta:* cui in hoc opponitur: *errat tamen* Lutherus *eum, ut actum malum, et inutilem rejiciens; QUIA DISPONIT AD CHARITATEM INITIALEM SACRAMENTO NECESSARIAM.* h n XVI.

XLV. Cur igitur Tridentinum facit mentionem *Sacramenti*? Respondet incomparabilis Vitasius de Contrit. *3.* a. 6. Sect. 2: potuisset absolute ommitti mentio Sacramenti; reipsa enim Timor servilis ut *extra*, ita *in* Sacramento *per se* eandem vim habet, ut sit ostiaria charitatis h n XXI: ejus tamen mentio accomode facta est, quia 1. Sacramentum cum initiali charitate in hac providentia est ordinarium justificationis medium extra casum rarae perfectae contritionis. Igitur ordinarie gratia timoris servilis datur ut dispositio *remota ad Sacramentum, proxima* ad *charitatem initialem*, sive *Sacramentalem.* 2. Quia cum Synodus initio Cap IV edisserat naturam contritionis ut materiae Sacramenti (*toto Cap IV.*) parte posteriore ejusdem Cap. voluit explanare vim, et efficaciam timoris *praecipue in Sacramento*: in quo nempe Lutherus *timori* nullam vim tribuit. h n I. II. III. 3. Quia timor ordinarie *initialem* duntaxat charitatem introducit, non statim *perfectam* Cap. II. n XXIII. quae *in* Sacramento sufficit ad justificationem, *extra* non item. Cap IV a n XXII. ideo declarat Generale Concilium, timorem ad Gratiam *charitatis Sacramentalis* disponere. Quae, ut vides, Sistema Atritionis servilis ab imis fundamentis suffodiunt; initialistarum in praeclara luce collocant.

Cur mentio fiat Sacramenti?

Urgebis. Per illa verba: *viam ad justitiam parat*, exprimitur *praeparatio remota* extra Sacramentum. go *per subsequens, DISPONIT,*

ne sit inanis repetitio dictorum, debet intelligi praeparatio proxima in Sacramento. Rdeo: mera verba sunt *Nominalium* attritionistarum. Tridentinum definiens timorem esse *bonum*, rationem dat *in genere:* quia *ad justitiam parat. Qua vero* ratione fiat haec *praeparatio*? id *in specie* sequenti periodo explicat dicens: Timor *disponit ad charitatem in Sacramento necessariam.* Ergo secunda propositio non est inanis repetitio dictorum, sed particularis explicatio. ut consideranti patet.

XLVI. Denique 6tam objectionem h n IV relatam dissolvo distinquendo: In metu Gehennae continetur aliquis amor Dei *in Se*, et *Nobis boni*, qui vera est charitas Cap. III. n I. III. XV. XVI. nego. Amor Dei *Nobis boni*, sive purae spei, concupiscentiae, et mercenarius. ibi n III. quem nec rigidissimi Serviliste negarunt Sacramento necessarium. ibi n XVIII. XIX. in amore *suae quietis* fundatus, ibi n XXI. XXII. *cor*, et *affectus* poenitentis ad *sui amorem* convertens, ibi n XXIX. Proinde Sacramento insufficiens. ibi n XXX. XXXI. concedo.

illustrantur dicta ex Pallavicino

XLVII. *Solutiones* hae praecipuorum momentorum, quibus servilis opinio innititur, ex *natura*, et *indole intrinseca* timoris a Patribus, eorumque Discipulis antiquis Theologis ad nos transmissae, etsi omne excludant dubium rationabile de *insufficientia* attritionis *servilis* in Sacramento poenitentiae, et *necessitate* attritionis *initialis*; adsunt tamen gravissima argumenta, quibus *illae* stabiliri possunt. Audiamus irrefragabile testimonium Purpurati Historiae Concilii Tridentini Scriptoris Cardinalis Pallavicini L 12 Cap 10 n 26. narrantis: sess XIV Cap IVti (de quo agimus,) partem posteriorem a Theologis ita prius adornatam fuisse: *Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, et solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu, qui servilis dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, et dolorem qualemcunque de commissis delictis exprimat, statuit haec Sancta Synodus, et declarat, non solum non facere hypocritam, et magis peccatorem (ut quidam blasphaemare non verentur) verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, et donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus (CUM SINE ALIQUO DILECTIONIS IN DEUM MOTU VIX ESSE QUEAT) viam sibi ad justitiam munit, et per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur. Cum autem monuisset Joannes Aemilianus Tudetanus Praesul, qui stabat pro contritionis perfectae necessitate, falso dici, hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse; quod autem haec attritio satis esset Sacramento constituendo, ita, ut HOMINI ATTRITO DELEANTUR PECCATA VI SUPERVENIENTIS ABSOLUTIONIS, variare authorum sententias, atque adeo id esse tollendum. Atque ideo Decretum, sicut nunc exstat, reformatum est.* Haec Purpuratus Historicus.

Formatores prioris Decreti

Erant Initialistae.

Ex quibus colligo: Formatores refixi hujus decreti locutos fuisse *de contritione charitate initiali animata* metu orta, amore benevolo formata. (quam nos *attritionem initialem* passim vocamus ad distinctionem mere *servilis.*) Originem exprimunt illa: *ex gehennae, et paenarum metu, qui servilis dicitur, CONCIPITUR. Formam* vero ejus *charitatem initialem* illa: *Cum sine aliquo IN DEUM DILECTIONIS MOTU vix esse queat.* Hanc enim rationem negavit Tudetanus, et eo monente delevit Concilium. go tam Formatores, quam Tudetanus, ipsaque Sinodus universa parenthesim illam de *dilectione benevola intellexit*; attritioni enim servili amorem *Spei, concupiscentiae, Mercenarium, Dei nobis boni* inesse, nec Tudetannm negare, nec a Concilio negationem ejus ratam haberi potuisse, evidentissimum est ex locis hic n XLVI laudatis. Confer h n L. et LIII Laudandos Patres Concilii de dilectione

ctione charitatis manifeste perorantes. At de *sufficientia amoris Spei* nullum in his actis vestigium, nisi in Granatensi de metu disputante, de quo mox. go rationem illam Formatorum Decreti rejecti de *amore Spei* intellectam esse, gratis fingi patet ex n h XLVI. (*a*)

Infe-

(*a*) Gravior est quaestio: An hi Formatores per ALIQUEM *in Deum dilectionis MOTUM* non intellexerint *amorem benevolum Dei NON SUPER OMNIA?* et an non illorum auctoritas adduxerit Pallavicinum ad hanc opinionem? quam ei tribuit Patuzius in notis ad Drouven, asserens a Pallavicino Simonetum, ab hoc Antoine *in Morali* accepisse. At enim Pallavicinum Charitatis Sacramentalis Patronum videbimus cap VII n VI. de Simoneto minus dubito. Is enim Magister fuisse dicitur Patris Antoine. Qui id palam docet in Morali de poen cap I. a. I. q. VI. § 2. Cujus ibi argumenta evincunt amoris benevoli *Super omnia* necessitatem. Quibus addo 1: nam ex reprobato illo Decreto Formatorum Theologorum repro*b*andum pro *hac opinione* ducitur argumentum. quam evertunt 2. dicta Cap I n XXIX not 12. Et 3. hic a n XXXVI usque ad XLI pro *charitate super omnia praedominante* congesta argumenta. 4. Praeter *Formatores* illos (quorum parenthesis illa dubia est) alios Patres *in*, et *sub Concilio* pro *charitate super omnia* militasse, clarescit h ex n L. et LIII laudandis PP sententiis. 5. Per talem amorem *benevolum non super omnia* poenitens esset *conversus ad Deum*, et simul *aversus*. Esset conversus: quia amaret Deum *propterse*, ut volunt ejus Patroni. Sed simul *aversus*. quia Deum non diligeret *super omnia*: imo cum *timor*, et *amor Spei* in eo essent *super omnia*, talis *se*, et *quaelibet suam*, *bonum suum* praeferret Deo in se bono *non super omnia* dilecto. 6. *Conversionem* poenitentis ad Deum fieri debere ope *charitatis super omnia* late evicimus h. n. XXVI. et seqq. 7. in hac quoque sententia (ut in sistemate attritionis *servilis*, et *amoris Spei*) evenire posset, ut tota vita scelerate transacta quis Sacrm poen. peragat cum amore benevolo *non super omnia*, et statim mortuus aeternum Deo fruatur, qui nunquam in vita Deum *super omnia* dilexit. Ubi tamen Apostolo teste Deus praemia aeterna *diligentibus se* tantum paravit saltem *affective super omnia*: quae initialis charitas cadit sub praecepto magni mandati. cap. II n XII. 8. Haec opinio inventa est ex una parte ad declinanda urgentissima illa dubia, quae parit sistema attritionis servilis, et amoris Spei: qua parte eam probamus. Ex altera parte ad salvandam sententiam, *quae omni charitati super omnia* justificationem extrasacramentalem tribuit. Quam convulsimus not. ad cap III n VI. Sic nec in humanis redintegratur laesa amicitia, nisi *Heroicis actibus*: placet quidem Patri Filii peccantis veniae initiali amore, timore, et Haereditatis Spe mixta petitio; non tamen mox ad totalem offensae remissionem. Et Clementi Principi grata est subditi rebellis amorosa poenitentia, *reus* tamen ille *culpae*, et *poenae* perduellionis manet eo usque, donec ponat *illum* in individuo *actum*, quo *placari se* posse Princeps Lege Statuit. Ita agit Deus cum poenitente: placet ei hujus fides, Spes, timor, charitas initialis: at displicet adhuc prior *offensa*: quia *hanc* non remittere in hac providentia statuit, nisi vel augmentum charitatis initialis, vel Sacramentum in re accedat. ut omnia hactenus dicta evincunt. conf. cap. IV. n. XXXII. XXXIII. Neque urgeatur, in Nostra opinione evenire posse, ut poenitens cum initiali charitate defectu Sacerdotis aeternum pereat. Pie enim credimus cum Guillelmo Parisiensi cap I. n XII *not.* talibus Divinae benignitatis auxilium non defore, quo sive *perfectionem* charitatis, sive *Sacramentum in re* consequantur. Redisis ad cap I n. XXIX not. 4. 5. 12. ubi de hoc *amore Dei benevolo NON super omnia* egimus, dolentes maxime, quod eum Tract. Tyrn. de poen. n. 84 etiam *ante Sacramentum* justificare innuat. quem nos e praemissis rationibus nec *in Sacramento* sufficere putamus, cum non sit vera charitas, cui essentiale est, ut sit *super omnia*. cap. I. n. XXIX. not. 12. Quin contremiscimus vel cogitando, quod per hanc opinionem falsificetur, si fuperis placet! Divinum illud oraculum: *non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum: sed qui fecerit voluntatem Patris, ipse intrabit in regnum caelorum.* Quae est enim voluntas Patris? nisi diligere Deum *super omnia: plenitudo legis est dilectio* utique *SUPER OMNIA* ex illo: *diliges Dominum ex toto corde tuo.* Sed qui recitat *actus contritionis*, aut *Pater noster* animo *parum attento*, vel *inefficaci mentis velleitate* (cap IV n XXIII) aut *affectu amante* quidem *Deum propter se*, sed *plus timente* infernum, talis dicit *Domine Domine*, quin *faciat dictam voluntatem Patris.* Habet enim aliquantulam Dei dilectionem, at non *super omnia* ne *affective* quidem, ut consideranti patet. go talis in opinione *Tyrnavienfis* intraret in regnum caelorum contra oraculum Christi. Credat, qui potest. Admittit *is* charitatem necessario esse *super omnia*. At in eo *singularis* est, quod et amorem Dei *Benevolum Propter se non super omnia* ante Sacrm justificare doceat. Cui opponimus omnia illa momenta nostra, quibus charitatem *Sacramentalem* constabilivimus. conf. cap II. n XII. quae opinionem et *Patris Antoine*, et a minori ad majus *Tyrnavienfis* convellunt.

Amor benevolus non super omnia compendio tur onum rejicitur.

Infero ex his I: Ergo Formatores Decreti hujus refixi erant *initialiſtae*, eorumque ſuffragio attritionis *initialis* in Sacramento ſufficientia Canonizanda erat in verbis: *verum etiam ſufficere ad Sacramenti conſtitutionem*, ni adnitente Tudetano *Contritioniſta* reformatum fuiſſet Decretum hoc.

Cur reformatum eſt illud Decretum?

Infero II: Ergo attritionis *initialis* ſufficientia expreſſe deciſa a Sacra Sinodo non eſt, ne damnarentur *Contritioniſtae*: monente Tudetano, *variare authorum ſententias, quod HAEC ATTRITIO* a Formatoribus delineata, quam *initialem* fuiſſe mox vidimus, *ſatis eſſet Sacramento conſtituendo.*

Infero III: Ergo a fortiori ſufficientia attritionis *ſervilis* deciſa non eſt, nec damnarentur *initialiſtae.*

Infero IV: Ergo in moderno Decreto Ly *diſponit* non ſignificat *ſufficit.* Palam enim deletum eſt ly *ſufficit* cum attritione *initiali* prioris Decreti. go a fortiori in moderno Decreto cum attritione *ſervili* per ly *diſponit* non intellexit Sacra Synodus *ſufficit.* Sic enim intellexiſſet id cum attritione *ſervili*, quod ne cum *initiali* intelligere videretur, vocem *ſufficit* abſtulit, expunxit, abrogavit. Quam Sophiſticam, et illuſoriam agendi rationem Organo Spiritus Sancti affingere longe injurioſiſſimum foret. Illuſtro id ipſum: monente Tudetano, *falso id dici, quod attritio ſervilis ſine aliqua Dei dilectione vix eſſe poſſit*, ſuppreſſum, reformatumque eſt Decretum, ut nunc exſtat, rejectum ly *ſufficit.* Igitur ſolenni Decreto *implicite*, et per *neceſſariam conſequentiam* rejecta eſt ſufficientia attritionis mere *ſervilis.* Sane ideo Formatores appoſuerant ly *ſufficit*, quia putabant attritionem ſervilem ſine aliqua Dei dilectione eſſe vix poſſe. Ideo vero refixum eſt idem ly *ſufficit*, quia monuit Tudetanus, *falſo id dici.* go ex utroque hoc facto clareſcit, nec *Formatoribus* prioris Decreti, nec reformanti illud Concilio placuiſſe *ſufficientiam* attritionis mere *ſervilis* in Sacramento.

Scopus Concilii.

XLVIII. Sed audiamus adhuc Pallavicinum Lib. cit. n. 25 ita teſtantem: *Revera quantum ex actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error Haereticorum damnaretur, tanquam inhoneſtum improbantium poenae timorem: non autem ut ferrent ſententiam de Scholaſtica quaeſtione, an hujuſmodi timor non ſolum abſque contritione perfecta, de qua controverſia vix fuit, ſed etiam abſque eo, quod ullus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad peccatorum remiſſionem. In Patrum conventu pauci id attigerunt. ALIQUOD* duntaxat reperio *VESTIGIUM OPINIONIS NEGANTIS NECESSITATEM AMORIS INITIALIS in iis; quae Granatenſis diſputavit.* Intuere hic Lector moderationem Sanctiſſimorum Concilii Patrum! qua cinoſurae agendorum inſtar ſibi conſtituerunt, *errores* Haereticorum damnare, *veritates Catholicas* explicare, ſed *Scholaſticas* quaeſtiones non *attingere.* Deinde e praemiſſis elucet, tres fuiſſe in Concilio opiniones de materia Sacramenti poenitentiae: Primam Duce Tudetano pro neceſſitate *perfectae contritionis* depugnantem, de *qua controverſia vix fuit.* Nec immerito; nam Concilium jam ſeſſ VI cap 6 definiverat, *Sacramentis* mortuorum ſufficere, *diligere INCIPERE Deum omnis juſtitiae fontem.* ut cap II ediſſeruimus. Quin et priori parte hujus Seſſ. XIV Capitis IV declaraverat, *contritionem, dum eam ALIQUANDO charitate perfectam eſſe contingit, hominem Deo reconciliare ante ſuſceptum actu Sacramentum cum voto hujus.* Quibus contritionem *perfectam* Sacramenti materiam *neceſſariam non eſſe* ſatis clare docet. nam poenitentiam *mortuorum* eſſe *Sacramentum* Patres docent. Cap. I. n. XVI. XVII

Tres opiniones in Concilio de materia Sacramenti.

1ma Contritioniſtarum Duce Tudetano.

Haec ſatis clare rejecta eſt.

XVII. Nec audire poſſent chriſtianae aures eum, qui aſſereret, huic Sacramento *aliquando tantum* obtingere debitam, et *neceſſariam* materiam! quod tamen dicendum eſſet in opinione Tudetani juncta declaratione praemiſſa Concilii. Confer. cap. IV. n XXII. XXIV. Quare haec opinio et ſub *Concilio* ab auctoritate duntaxat extrinleca Tudetani, et aliorum, qui Eum praeceſſerant, et ſequabantur, erat probabilis, et maxime poſt Concilium ſenſim deſerta eſt, ut ut nullo Decreto Eccleſiae ſit *expreſſe* proſcripta. Ita Druoven.

XLIX. Altera opinio eodem tempore erat pro ſufficientia *attritionis ſervilis*. Hanc primum Lutherus Catholicis Doctoribus *per calumniam* affinxit teſte Ravello. C. I. n XXXVI. negantibus Catholicis. ibi, et n XLI. in Tridentino *eam pauci attigerunt*; *cujus* Pallavicinus *aliquod duntaxat veſtigium reperit in iis, quae Granatenſis disputavit.* Suo, an alieno judicio? incertum. C I. n XXXVIII. Pallavicinus appellans eam *Scholaſticam quaeſtionem* vel reſpexit ad *aetatem ſuam*, qua ſcripſit, quum reipſa celebris erat in Scholis: vel vocat *Scholaſticam quaeſtionem* ſub Tridentino *miſeram* adeo, et *contemptibilem*, ut *eam pauci* vel *attingerent*, omnes falſam haberent Echio paulo ante omnium ore conteſtante: *Nemo Catholicus vult timorem eſſe poenitentiam, ſed tantum initium poenitentiae.* Cap. I. n XLI. Et tam depexam opinionem omnium antiquorum ſenſui contrariam Canonizatam a Tridentino credere cordatus aliquis poſſit? Apage infundatam credulitatem!

2da Serviliſt. diſputante Granatenſi.

Hanc pauci attigerunt.

L. Tertia inter priores duas extreme ſibi oppoſitas media ſententia erat univerſorum Patrum Concilii pro *neceſſitate charitate initiali animatae attritionis; vel contritionis imperfectae gradu, et intenſione.* Quam ab antiquis Patribus, et Theologis ante Tridentinis traditione acceperant. (toto cap. I.) Jam Seſſ VI cap. VI ſtabiliverant. (cap. I) imo hac Seſſ XIV cap III, et initio capitis IV *In neceſſitate contritionis ſpecificae ut parte Sacramenti* firmaverant. (toto cap. IV) Hic itaque neceſſitate charitatis ut indubia ſuppoſita, damnatoque Haereticorum errore, *de ordine virtutum* in Sacramento poenitentiae intervenientium velitationes inter Patres factas eſſe idem Pallavicinus l c n 24 ſic deſcribit: *Didacus Lainius* S J Generalis *dixit: Sacramento eſſe neceſſariam poenitentiam* qua virtutem, *timorem, dilectionem, contritionem, abſolutionem. Dilectionem pariter tanquam neceſſariam enumeravit Jacobus Ferruſius Hiſpanus Segovienſis Epiſcopi Theologus cauſſatus, ſolis terroribus minime contineri* DILECTIONEM, QUAE ABSOLUTE NECESSARIA EST, *cum Chriſtus pronunciaverit:* Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; *et dilexit, inquit, per praeteritum; quia dilectio remiſſionem anteceſſit. Et Apoſtolus: Triſtitia, quae eſt ſecundum Deum, hoc eſt, ut interpretabatur Ferruſius, ſecundum Deum dilectum, operatur poenitentiam in ſalutem. Et cap 2 ad Rom:* Benignitas Dei vos adducit ad poenitentiam. *Idcirco exigebat is ante omnia primam quandam, ut vocant, motionem in Deum, ad quam ſignificandam ea ſcripturae verba dicerentur:* Converte nos Domine ad Te: *et* ego ſto ad januam, et pulſo; vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis, *et* extendi manum meam, et non fuit, qui aſpiceret. *Poſtea vero actum fidei, unde ſcriptum erat:* accendentem ad Deum oportet credere, *et* ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. *Hinc oritur, ajebat ille, in homine peccatorum deteſtatio, aſſurgitque in ſpem animus, et amoris* INITIUM *habetur. At Melchior Avoſmedianus Guadicenſis Epiſcopus dixit: Prius nos propter metum dolere, deinde* PROPTER DEUM, *poſtea, ajebat, peccata confitemur. Et Bernardus Colloredus Dominicanus tanquam neceſſaria numeravit timorem, deteſtationem,* ac *fidem, ex qua ſpes oriatur, et ab hac* DILECTIO. *Ejusdem ſententiae fuit Franciscus Contreia ex ordine Minorum obſerv.*

3a Initialiſtarum Communis PP reliquorum.

Haec Eminentiſſimus ille Hiſtoricus in exemplum eorum Patrum, qui *neceſſitatem dilectionis Sacramentalis* ut certam ſuppoſuerunt: addens (ut non credas hos tantum quinque ita ſenſiſſe) *ingens ſe volumen confecturum, ſi omnia majorum, et minorum Theologorum in hanc rem dicta recenſere vellet.* Quibus ſi conferas *aliquod duntaxat veſtigium* ſufficientiae timoris ſervilis in iis, *quae* Granatenſis diſputavit, etſi Attritioniſta ſis, non credes, *ſufficientiam attritionis ſervilis* a Sacra Sinodo *canonizatam eſſe.*

Cui invicte ſuffragatur paritas Ninivitarum.

LI. Sed fortaſſe ſi non per *expreſſam definitionem*, ſaltem *argumento Theologico* firmo, ac veroſimili id ipſum ex cit 1 Tridentini erui poteſt? Neque hic nos deſerit Pallavicinus ob fidem, et ſinceritatem hiſtoriae Purpuram meritus, ibidem *n* 25 ita proſequens: *Id vero* (quod vocem *diſponit* ad charitatem *actualem* intellerint Patres, *non proxime ad juſtificationem*) *clare liquet ex ipſa probatione Concilii, qua hujus articuli doctrinam firmat* Cap IV. *Nimirum Ninivitarum poenitentiam ex timore profectam ipſis profuiſſe: cum certum eſſet, eo tempore, quo Poenitentiae Sacramentum non exſtabat, eam formidoloſam poenitentiam minime ſuffeciſſe per ſe ad peccatum delendum; ſed vim tantum habuiſſe* AD IMPETRANDAM NOVAM GRATIAM, *cujus ope adjiceretur charitatis affectus: quem omnes neceſſariam fuiſſe fatentur ante novam Legem ad juſtitiam recipiendam.* Ex quibus hoc invincibile argumentum efflorescit: Pallavicino teſte timor ſervilis *Bonus*, ac *utilis* in opere *juſtificationis Sacramentalis* a Sacra Sinodo *contra Lutheri* errores declaratus eſt *eatenus*, et *ideo*, quia *parat*, et *diſponit* poenitentes ad juſtificationem *Sacramentalem*, ſicut paravit, et diſpoſuit Ninivitas ad *extraſacramentalem.* iſta eſt paritas Concilii. atqui Ninivitas timor ſervilis certo non diſpoſuit *immediate* ad juſtificationem (cum ante inſtitutum Sacramentum poenitentiae ſola *contritio* charitate *perfecta* fuerit unicum remedium pro adultis obtinendae juſtificationis) ſed unice diſpoſuit *remote* ad *charitatis affectum*, qui in iis auctus, et in *contritionem perfectam charitate* efflorescens juſtitiam cauſſavit. ut omnes Catholici fatentur. Ergo declarante Tridentino a paritate Ninivitarum, timoris ſervilis in *Sacramento* quoque id muneris eſt, ut introducat *charitatis affectum* proxime ad juſtificationem diſponentem. go initialis charitas aeque requiritur in Sacrmento poenitentiae declarante Tridentino, ſicut in *Ninivitis* in V. T. neceſſaria erat charitas *initialis* a timore introducta, et ſubinde in *perfectam excreſcens*: in poen. vero Sacramento *vi clavium* perfectionem ejus ſupplente. conf. cap. IV. n. XX. XXVI. XXVII.

Pallavicinum ſequitur Benedictus XIV.

LII. Illuſtria haec teſtimonia Eminentiſſimi Hiſtorici refert, et probat Doctorum hujus Saeculi Princeps Benedictus XIV de Sinodo Dioeceſana L. 7. cap. 13. n. 7. et 8 docens: *Verum iſtos* (qui ſufficientiam attritionis *ſervilis* a Tridentino deciſam jactitant) *redarguit Cardinalis Pallavicinus diſerte affirmans, unicum Tridentini ſcopum fuiſſe, damnare Haereticos improbantes timorem ſervilem tanquam inhoneſtum, neutiquam vero definire controverſiam jam tum inter Doctores Catholicos agitatam* Granatenſi diſputante, ut vidimus h. n. XLIX. *Id vero clare liquet ex ipſa probatione Concilii, qua hujus articuli doctrinam firmat* Seſſ. XIV cap IV parte poſteriori; *nimirum Ninivitarum poenitentiam ex timore profectam ipſis profuiſſe; cum certum eſſet, eo tempore, quo Sacramentum poenitentiae adhuc non exſtabat, eam formidoloſam poenitentiam minime ſuffeciſſe perſeipſam ad peccatum delendum, ſed* VIM *tantum habuiſſe ad impetrandam novam gratiam* charitatis actualis, *cujus ope adiiceretur charitas* habitualis. Conf. h. n. XVI. *Teſtatur deinde idem probatiſſimus Hiſtoricus, Decretum cap IV Seſſ XIV fuiſſe prius ita concinnatum, ut in eo diceretur, attritionem ex metu gehennae, et poenarum, ſufficere ad Dei*

gr-

gratiam in Sacramento impetrandam (nequaquam id abſolute, nequis putet Formatores refixi illius Decreti fuiſſe *ſervilitas*, ſed cum adjecta hac conditione: *Cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat.* h n XLVII) *ſed intercedente Joanne Aemiliano Tuderano Epiſcopo ablatum fuiſſe verbum* SUFFICIT, *ejuſque loco ſurrogatum verbum* DISPONIT. *quod profecto aequivocum eſt*, grammaticaliter in ſe conſideratum: At paritas Ninivitarum a Tridentino adhibita ad explicandam vim attritionis ſervilis vocem illam *diſponit* luculenter reſtringit ad *diſpoſitionem remotam.* Igitur teſte Pallavicino, et Benedicto XIV Tridentinum in voce *diſponit* exemplo Ninivitarum ad *diſpoſitionem remotam* reſtricta argumento Theologo manifeſte jugulat opinionem ſervilem.

Concordant PP Tridentino praeſentes, et coaevi.

LIII. Haec quamquam *mentem* Tridentini in clara luce ſtatuant' tamen quia *hic* ſitum eſt totum monumentum ſufficientiae attritionis ſervilis, juvat dicta illuſtrare ex Patribus, et Theologis Tridentino *praeſentibus*, aut *coevis*, proinde rei geſtae *oculatis*, et *auritis* teſtibus omni exceptione majoribus. Ex quibus h n L laudavimus quinque: plurimos refert Vitaſſe de poen. q 3 a 6. ſect 3. quorum praecipui ſunt:

Fredericus Nauſea.

FREDERICUS NAUSEA Epiſcopus Viennenſis in Auſtria, magna in Sinodo doctrinae laude effulſit, qui in ſuo Catechismo pro *initiali charitate Sacramentali* ſtetit teſte Benedicto XIV l cit n. 8.

Sonnius.

SONNIUS Antverpienſium Primus Praeſul, ejusdem Benedicti judicio Initialiſta: En verba ejus Tract. 4. de poen. cap. 6 luce meridiana clariora: *Contritio poenitentis eſt ipſa triſtitia cordis ſecundum Deum* (dilectum h n L) *de peccatis commiſſis eo, quod Divinae Majeſtatis offenſa ſint*, (go contritio ut materia Sacramenti eſt dolor de *amati* Dei *offenſa*, manifeſte ad charitatem pertinens, ut vidimus cap IV n XIX.) *Quae ſane ſi poenitens faciat prorſus ex amore ad Deum, eſt contritio: ſin autem* REMISSE, *vel* SOLO METU *poenae*, eſt *attritio non ſufficiens ad veram poenitentiam; attamen ad illam praeparans.* En hic *perfectam contritionem* ſe ſolo juſtificantem: *ſi faciat prorſus ex amore.* En *initialem attritionem*, ſive *contritionem Sacramentalem: ſin autem* REMISSE. En attritionem *ſervilem*: vel ſolo metu poenae: *hanc* mere praeparantem ad veram poenitentiam: *attamen ad illam praeparans.* Tum ſubjungit: *Haec docuit nos antiquitas Patrum veneranda, non utique ex cerebro ſuo, ſed ex fundamento Scripturae Sacrae, quae ſic habet: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* ubi certe dolorem *charitate animatum* exprimit Pſalmiſta, et *ejusdem affectum* ad *veram poenitentiam Sacramentalem* requirit Summus hic Praeſul.

Vigeriuſ.

VIGUERIUS, de quo jam cap I n XXXVI. in ſuis inſtitutionibus adverſus Haereſes: *Contritio eſt actus virtutis poenitentiae, et eſt de Jure naturae, et praerequitur ad Contritionem Sacramentalem. Contritio, quae eſt pars Sacramenti poenitentiae, eſt dolor propter Deum ſumme dilectum et ideo oportet, quod ſit maximus — non quidem intenſive; ſed appretiative, ita quod ſicut Deus debet diligi ſupra omne diligibile, ita peccatum diſpliceat ſupra omne vitabile, ſic quod peccator ſit* (SALTEM AFFECTIVE) *taliter diſpoſitus, quod mallet privari omnibus bonis Mundi temporalibus, et ſuſtinere omnia tormenta etiam inferni, quam offendere Deum. Et quia incertum eſt, an talem dilectionem Dei habeamus, ideo incerti ſumus, an contritionem, quae eſt pars Sacramenti, habeamus.* En ſplendidiſſimum teſtimonium *de contritione ſpecifica. et de charitate Sacramentali*, AFFCTIVE *in praeparatione animi* SUPER OMNIA!

TAP-

Tapperus. TAPPERUS Lovanienſis Academiae Decanus, magnum Decus Concilii, in Catechismo Lib 5 decernit: *Si quis de peccato commiſſo doleat non ex amore Dei, ſed ex ſolo timore poenarum, non vere eum poenitentiam agere.* En conteſtem *Sonnio! dolorem de peccato commiſſo* ex *amore Dei* intelligenti.

Petrus Soto. PETRUS SOTO, quo nullum Urbs Tridentina inſigniorem vidit Theologum, in aſſertione Fidei adverſus Confeſs. Vittenberg. recenſitis conditionibus *contritionis* ſic inſit: *adde ex vera Dei dilectione ipſum ſuper omnia aeſtimante: ſine hac, de qua dictum eſt Lucae 7:* dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, *contritio non eſt vera.* Idem tradit alibi ſaepius, totus enim in eo eſt.

Otho Auguſtanus. OTHO AUGUSTANUS Epiſcopus ad An. 1558 in inſtruct ſacerdotali Lect 14 ad *integritatem contritionis* requirit, *ut ex vera charitate Dei* SUPER OMNIA *emanet; cum poenitentiam conſtet quemdam motum eſſe animi contrarium peccato: peccatum vero lethale contrarium eſt dilectioni Dei* SUPER OMNIA. *donec igitur in animo ſit motus peccato contrarius, non dum eſt plena converſio; quia non dum receſſum eſt animo a peccato.* go nec timor, nec amor Spei, nec deſiderium concupiſcentiae convertit cor, nec facit receſſum *poſitivum* a peccato, ſed *negativum* duntaxat. h n XII XIII XXVII. concludit: *Sine hac charitate nihil Deo gratum.*

Hoſius Cardinalis. HOSIUS CARDINALIS Polonus, qui velut Sol in Tridentino effulſit, in explicat. Confeſs. Polon. aſſerit: *Nullum omnino praeceptum Chriſti, aut Eccleſiae impleri legitime ſine charitate poſſe.* Quibus verbis Eminentiſſimus hic Tridentini Concilii Praeſes, ut et *Otho Auguſtanus* poſtremo adducto textu, tradunt *virtualem continuam* Dei *charitatem* omnibus virtutibus, et actionibus deliberatis ex praecepto extrinſeco, et perfectivo neceſſariam. h n XXII. tanto itaque magis ad Sacramentum poenitentiae eandem charitatem requiſiverunt, requiſitamque a Tridentino certum habuerunt.

Martinus Rithovius. MARTINUS RITHOVIUS Primus Iprenſis Epiſcopus, Concilio magna cum laude praeſens, in 4 Diſt. 14 definit: *non eſt timor vera poenitentia, ſed utilis, et ad contritionem* VICINUM GRADUM STERNIT. *Licet non ſit vera virtus poenitentiae,* PARAT *tamen ad illam.* En authenticum ſenſum vocis *diſponit!*

Mich. Merspurgenſis. MICHAEL MERSPURGENSIS *Praeſul* in Catechiſmo Conc. 58: *Timor, qui ex ſupplicii conſideratione hauritur, necdum eſt vera illa contritio, quae Deo accepta eſt; nihilominus eſt inſtar miniſtri verae contritionis, utpote ad veram poenitentiam perducens; quod tunc contingit, quando ex ſervili timore tranſit ad amorem, nec jam ea ſolum de cauſſa dolet, quod poenam peccando commeruerit, ſed multo magis eo nomine, quod Deum offenderit. Atque hic eſt verus, et caſtus timor, cum ex amore Dei timere incipimus, exoriturque hinc vera illa contritio, quam Deus vult valere ad obtinendam peccatorum veniam.* His ſane habemus omnia, quae hactenus in Tridentino quaeſivimus. Pene erubeſco adſcribere, quae Conc. 59 intonat dicens: *Sola formidine terreri ob peccata, furem, et Flagitioſorum eſt poenitentia.* Conf cap I n XII Robertum de Sorbona.

Didacus Stella. DIDACUS STELLA in cap 6 Lucae: *Si dolorem habueris ſolum, vel praecipue, ne in Infernum eas, certiſſime ſcias, te hac ſola ratione damnandum.* Ad hoc tonitru qui non expergiſcitur, non dormit, ſed mortuus eſt!

Gaſpar Caſalius. GASPAR CASALIUS ex illuſtrioribus Sinodi Patribus, de quadrip. juſtitia L 2 c 13, et 23 requirit ad Sacramentum *dilectionem Dei*

Dei ſuper omnia, poenitentiam, ſeu odium peccati. Sanctus enim Dionyſius L de Hierarch Eccles c 2 docet, per dilectionem Dei regeneramur, ponimurque in ſtatu, et eſſe Divino. Quod ſequitur tinnire facit aures adverſariorum, ait enim: *Nullus fuit Doctor hactenus Sanctus, et Catholicus, qui negaret; in adultis hanc juſtificationem, qvam credimus fieri per fidem, Spem,* et CHARITATEM. go attritioniſtae a *Sanctis*, et *Catholicis Doctoribus* palam receſſerunt, novamque ſibi cuderunt *materiam Sacramenti* poenitentiae *attritionem Servilem.* go novam hanc opinionem Tridentino Concilio appingere eſt dicere, quod Organum Spiritus Sancti *in hoc Sanctis*, et *Catholicis omnibus* ante ſe *Doctoribus* contrarium ſtatuerit. Omnes hae conſequentiae, ut ut tremendae, et horribiles! e teſtimonio *Caſalii* neceſſario fluunt.

Pantuſa

PANTUSA EPISCOPUS *Litterienſis* in Conc. Tridentino defunctus A 1562. Tom 3 Opuſc. Cap XI aſſerit: *Contritionem, quae eſt neceſſaria Sacramento, eſſe odium peccati ſuper omne odibile; quia pendet a dilectione ſuper omne diligibile.* go Tridentinum Seſſ XIV cap 3, et initio 4ti *Contritionem ſpecificam charitate animatam*, non *genericam*, nec *abſtractam a ſuo motivo* materiam Sacramenti definivit.

Simon Vigor

SIMON VIGOR Narbonenſis Archi-Praeſul ex Tridentinis Patribus non poſtremus *Dom 14 poſt Trinit* ad hoc Sacramentum requirit talem *contritionem, quae etiam in mortis articulo ſufficiat.* ita non noverat aliam in *vita*, aliam pro *morte* Sacramenti poenitentiae materiam.

Richardotus

RICHARDOTUS Attrebatenſis Antiſtes magnum Belgii, et Concilii Lumen in Inſtruct Sacerd cap 24: *Contritio* inquit, *eſt ſincerus, et verus dolor offenſae Dei propter Ejus amorem potius, quam propter poenae timorem: cujus tres ſunt dotes:* 1ma eſt, *quod orta ſit potius ex caſta Dei dilectione; quam ex ſervili timore: Servilis Timor non eſt contritio. Sed is ſolus, qui ex vero Dei amore procedit: quamvis gehennae* TIMOR AD EUM INTRODUCENDUM *juverit.* AD HOC enim TIMOR iſte APTUS EST. 2da dos: *quod ſit adeo* VEHEMENS, UT ALIQUO MODO AEQUET IBIDINIS AESTUM, QUO FLAGITIUM PERPETRATUM EST. En *intenſionem*, et *perfectionem* charitatis ad captum explicatam conformiter Catechismo Rom de poen § 36: *ut cum ſcelerum magnitudine conferri poſſit.* 3a dos Contritionis: *quod tantum ſit peccati odium, quam ardens amor, quo diligit Deum, quod tunc fit, quando poenitens ſuper omnia peccatum deteſtatur; quemadmodum Deum ſuper omnia amare tenetur.*

Caſſadorus

CASSADORUS BARCINONENSIS Concilio praeſens in Rituali de poenit. requirit dolorem *de offenſa Dei.*

Samarinus

SAMARINUS in Sacerdotali parte 1ma pariter requirit dolorem de *offenſa Dei.*

Thomas Herentalinus

THOMAS HERENTALINUS in Speculo vitae Chriſt. C 5 aſſerit: *praeparationem ad ſuſcipiendum Sacramentum poenitentiae non eſſe metum gehennae; ſed amorem Dei, et ultro neceſſariam Dei dilectionem: citra quam nulla a Deo condonantur commiſſa.* En charitatem *praeparatoriam* Cap I n XII ſtabilitam! go timor manet praeparatio *remota.*

Cornelius Janſenius

CORNELIUS JANSENIUS ANDEGAVENSIS unus ex ornamentis Concilii, in *Concordia* C. 39 ad Sacramentum requirit dolorem de peccatis eo, *quod ſint offenſa Dei.*

Petrus de Motta

PETRUS de MOTTA Lib 2 Catholicae Profeſſ c 9: *Contritio propter DEUM TANQUAM FINEM ſuſcipitur, attritio autem propter metum*

metum damnationis. Contritio juncta caeteris partibus poenitentiae vim habet remittendi peccata; ATTRITIO NON HABET. En veram definitionem *Contritionis ut partis Sacramenti* a Tridentino Seſſ XIV cap 3, et initio 4ti aſſertae. Statuat Lector! quantum receſſerint a Patrum Tridentinorum mente, qui *contritionem genericam*, et *abſtractam a motivo* partem Sacrmenti declaratam confixerunt.

Iodocus Revesteinus in *Apologia* pro Sinodo Tridentina (quam praeſentia ſua decoravit) declarat: *Veram*, et *ſinceram poenitentiam non ex poenae*, et *damnationis tantum timore*, *ſed ex vero*, et *ſincero Dei amore*, ac *bona erga Deum voluntate proficiſci.* Hoc eſt, quod nos inculcamus, ex *charitate affective*, voluntate, et deſiderio *ſuper omnia.* quae proprie *eſt bona erga Deum voluntas.* confer not 13 ad cap 1 n XXIX.

Jacobus Payva Andradius Regis Luſitaniae in Tridentino Theologus L 6 adv Kemnitium c 2: *Niſi* inquit, *charitas praecedat, peccata deleri nullo modo poſſunt.* (*a*) LIV. non

---

(*a*) Ad meridianam hanc lucem *charitatis Sacramentalis* a Patribus Tridentinis aſſertae retractare cogor ea, quae olim in ſcholis hauſi ſervilia principia. utinam omnes me ſequantur! Itaque Tract. Tyrnavienſis de poen n 113, et ſeqq attritionis *ſervilis* in Sacramento *ſufficientiam* ſequentibus rationibus probat 1. Poenitentia eſt Sacramentum *mortuorum.* At non erit *talis*, ſi ad *eam charitas* aliqua requiratur, cum *haec* per ſe juſtificet. 2. SS PP docent: *exitium ſequi* eos, qui *ſine abſolutione* ſacerdotali *e vita migrant: Sententiam Petri priorem eſſe ſententia Coeli.* At hi characteres non conveniunt contritioni charitate animatae per ſe juſtificanti. go PP docent, ſufficere attritionem *ſervilem.* 3. Teſte Theodoreto Lib. 5 Hiſt. Eccl. C. 17 Theodoſius M ob caedem Teſſalonicenſium a D Ambroſio ad agendam poenitentiam compulſus Rufino familiariter conſolanti reſpondit, ſe gemere, quod ſibi et *Templum Dei*, et *Coelum ſit clauſum.* Ambroſius tamen non aliud ab illo poſtulavit, quam *Legem de ſententia Capitis ante* 30 *dies executioni non danda*: qua *condita vincula* ejus ſolvit. go tam S Doctor, quam Imperator, et per conſequens Eccleſia ſaeculi IVti judicabat, Attritionem ex metu gehennae in Sacramento ſufficere. 4 Tridentinum ſeſſ XV c IV agens de *attritione ſervili* nullam prorſus *charitatem actualem* requirit, ut *illa* in Sacramento juſtificationem operetur. 5. ſi charitas neceſſaria ſit, in *hac*, non in abſolutione erit *praecipua Sacramenti vis*, et 6. Non tres, ſed quatuor erunt partes poenitentiae, nempe charitas, contritio, confeſſio, et ſatisfactio per modum materiae; quod utrumque contrarium eſt ejusd ſeſſ cap 3. 7. Ut Sacramenta vivorum ſecundam, ita mortuorum primam gratiam cauſandi *vim in ſe habent*, et omiſſio charitatis non eſt *obex* juſtificationis. go Sacramentum poenit. cum Attritione cauſſat primam gratiam. 8 Niſi attritio ſervilis ſufficiat in Sacramento, tunc peccata per claves Eccleſiae nunquam remittentur, ſed praevia tantum charitate. Et ſic incidemus in errorem Novatianorum, qui gravia crimina ope charitatis deleri non negabant, ſed *vi abſolutionis* ea remitti inficiabantur. Haec in Summa Tyrnavienſis. Addunt alii 9. Scriptura, et PP mire commendant timorem go plus volunt eo, quam *diſpoſitionem* ad charitatem actualem. 10. PP *tres ſalvandorum Claſſes* conſtituunt: *Servorum*, qui timore: *Mercenariorum*, qui ſpe praemii, et *Filiorum*, qui amore aguntur. Quin 11. S Auguſtinus L. de catechiſandis rudibus cap 17 laudat eum, qui *propter beatitudinem ſempiternam vult fieri Chriſtianus, ut non eat in ignem aeternum cum Diabolo.* Haec fere ſunt *argumenta*, quae multos bona fide in opinione ſervili a juventute detinent. Quibus breviter ſatisfacturi obſervamus in genere: pleraque *illa* falſo niti poſtulato, quod minima charitas ante Sacramentum per ſe juſtificet. Id quod evidenter evertimus Cap I n XXIX n 4 5. cap II n XII. Cap III not. ad n VI. cap IV a n XXX uſque in finem. et paſſim alibi. Quibus ſuppoſitis:

Rationes attritioniſtarum.

Solvuntur

Reſp. Ad 1*m*. C. M. n m cum ſua ratione. Ex modo enim recenſitis locis conſtat, charitatem *initialem* per ſe non juſtificare. Ad 2*m*: Dicti caracteres conveniunt *vivificationi imperfectae* ope charitatis *initialis* ad Sacramentum neceſſariae, de qua conf cap I n XVI. XVII. Ad 3*m*: N. C. non enim ſequitur, Theodoſius Rufino familialiter ludenti moeroris ſui cauſſam *metum* ſolum expreſſit. go ex *ſolo metu* doluit. Nec 2 Imperator *ſolo metu* doluit, go Ambroſius illum *ſolo metu attritum* abſolvit. Jam enim cap I n XIV audivimus D Ambroſii decretoriam ſententiam: *Qui metuit, reprimitur, non emendatur.* Cui ſano in mentem venire

LIV. Non addam hac vice plures, qui enim Tridentino coevis non credit, nec millenis credet. His Doctoribus Ego vero illos confi- *Qui charitatem Sacram. aſtruunt, attritionis ſufficientiam negant.*

poteſt? Ambroſium Imperatorem *reprimere, non emendare* voluiſſe: Cujus aureum ad eundem Imperatorem dictum legit Eccleſiæ in Officio: *Si ſecutus es Davidem peccantem, ſequere poenitentem.* At Davidis poenitentiam plenam charitate fuiſſe, nego ignorat. Qui plura vult, adeat Libros Ambroſii de poenitentia. nobis haec ſufficiunt, ut largas illas conſequentias pernegemus. Vide hic Caſalium. Ad 4*m* Luculenter requirit *exemplo Ninivitarum*, ut vidimus h n L. et LIII teſtimonio ſummorum Doctorum, quos opponimus *Tyrnavienſi* n 120 exemplum *Ninivitarum* pro arbitrio dubie detorquenti ad avertendum *malum temporale* evertendae Urbis. Quod a mente Tridentini alienum plane eſſe conſideranti patet. Conf cap IV n XXVII. Ad 5*m*. Cum charitas *initialis* per ſe non juſtificet, manifeſtum eſt, vim praecipuam Sacramenti in abſolutione conſiſtere. Ad 6*m*. Nobis in promptu ſolutio eſt, charitatem ad contritionem pertinere, ut illam hujus *formam*, ac *motivum* per dicta C IV. et hoc toto. At adverſarii illud nunquam digerent, quod contritioni *ſpecificae* attritionem *ſervilem* ut *partem Sacramenti* ſubſtituerint: ut vel ex Doctoribus h n LIII laudatis ſole clarius eſt. Ad 7*m*. Reſponſum habes cap II n XXX. ubi aſſeruimus, omiſſionem charitatis eſſe *obicem negativum* juſtificationis. Ad 8*m*. Nego aſſumptum, et ſequalem ejus nam *Novatiani claves Eccleſiae* in graviora peccata negabant, non *materiam* Sacramenti *contritionem ſpecificam*; de qua lis non fuit ſive in privata, ſive in publica poenitentia, ut evicimus cap I not ad n XX. Imò Eccleſia exorto errore Novatianorum publicam poenitentiam conſtabilivit, et auxit fatente Tyrnavienſi n 250. go ignotum erat tunc Eccleſiae, *omnem motum charitatis* mox juſtificare. Ad 9*m*. Scripturae, et PP mire commendant timorem *ſervilem* ut *oſtiariam* charitatis. Si plus volunt, loquuntur de timore *initiali*, aut *filiali*, ut late dictum h n XVI. XIX. XXVI. Ad 10*m*. PP Tres Salvandorum Claſſes conſtituunt hoc ſenſu, quod alii *magis timore*, alii *Spe*, alii *amore* urgeantur: Non quod *aliqui ſine charitate* Salvari poſſint. conf cap I n XIV. et XV. Ad 11*m*: Mirum eſt, adverſarios praeſidium in Auguſtino quaerere, cujus magnificis Praedicationibus charitas *Sacramentalis* ſole clarius fulget. c I n XV. et paſſim. Objecto loco rejicit Doctorum Aquila eos, qui ob *reſpectum humanum. et propter commoda temporalia*: laudat eos, qui ob *Spem vitae aeternae* convertuntur. Cur? quia *Hi*, ut ibi rationem dat, *proficiendo perveniunt ad talem animum, ut PLUS AMENT DEUM, quam timeant gehennam.* Quibus attritioniſmus jugulatur, charitas praedominans illuſtratur.

2, Aeque nova, ac toti antiquitati paradoxa ſunt reſponſa illa, quibus idem Tractatus *Tyrnavienſis* praecipua *Initialiſtarum* monenta ſolvere tentat. Attingamus nonnulla. n 119 ad illud Joëlis 2: *convertimini*, dicit, ad juſtificationem *Sacramentalem* ſufficere *converſionem* exiſtentem non *in ſe*, ſed in *praeparatione* animi, ſive *propoſitum SUO TEMPORE* actus charitatis actualis eliciendi. De cujus pponis Falſitate vide Cap I n XX. hic XII. et XXVII: praeparatio animi, et voluntas *actu* amandi Deum eſt charitas inchoata. Cap. II n IX. *Suo tempore olim* amandi eſt *evanida, et inefficax velleitas*. nam qui *ſerio*, et *efficaciter* vult amare, non differt ad *ſuo tempore*, ſed *actu* amat Deum ſaltem initialiter affective ſuper omnia. Audiamus Auguſtinum L 8 Confeſſ c 9 *ſemiſauciam* caſtimoniae voluntatem ſuam (quam initio converſionis habebat) ſic deflentem: *HOC ERAT VELLE, QUOD POSSE: et non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat, et MOX UT VELLEM, POSSEM. Unde hoc monſtrum? imperat animus, ut velit, et non fit, quod imperat. Sed non EX TOTO VULT; non ergo EX TOTO IMPERAT, ideo non eſt, quod imperat.* Quod Auguſtinus *de caſtitate* ſua, idipſum quaero ego *de charitate* attritioniſtae Tyrnavienſis: *Unde hoc monſtrum?* velle amare, amare eſt. c. II. n IX: imperat *illi* animus, ut velit, *proponit* ille amare Deum, et tamen non fit *actu*, quod proponit? quia non *ex toto corde proponit* amare: ideo non fit, quod proponit. An in hac *ſemiſaucia velleitate* amandi Deum ſit digna ad Deum *converſio ex toto corde?* Natura *converſionis* hic a n XXVI expoſita repandit. Sed enim rationem dat hujus ſui aſſerti, quia Sacramentum ipſum vi cauſſandae gratiae pollet. Haec igitur eſt *ultima anchora* Tyrnavienſis, quae *ipſa eſt quaeſtio* inter nos controverſa: an nempe *Sacramentum poenitentiae vim habeat cauſſandae gratiae cum ſola attritione ſervili initiali charitate non formata?* quod aſſertum probandum eſt, non pro *ultima ratione* obtrudendum. Ego interea diſtinguo allatam rationem: Sacramentum poenit. vi cauſſandae gratiae pollet *cum ſua debita materia contritione initiali*. Concedo. ſine hac, nego. Porro n 122 illud Paulinum: *Si linguis hominum loquar* intelligi vult praeter alias ad libitum aſſertas diſtinctiones *extra Sacramentum poenit. et extra Martyrium.* Sed nos jam cap I n XIV ex V Beda, et Iſidoro: ibidem n XV ex Auguſtino: et not ad n XXI vidimus, textum illum in

Rationes Initialiſtarum Solvi fundate nequeunt.

conſidero velut Apocalipticos *Seniores habentes citharas*, et *phiàlas* (operum ſuorum) *aureas plenas odoramentorum* verae in Deum charitatis Sacramentalis. Veneror item Eos ut omnium hactenus dictorum meorum Vindices, Statores, et Vades ſempiterna memoria longe digniſſimos. Sub quorum Praeſidio quaſcunque criſes pro Deo, et veritate me paſſurum certiſſimus ſum. Obſervet etiam Lector, quam Divine conſentiant *ſub Tridentini* hi cum *ante Tridentinis* Patribus cap I laudatis. Igitur utrorumque auctoritate palam deletur, ſempiternaque oblivione contumulatur *altquod veſtigium* illud opinionis negantis amoris in Sacramento neceſſitatem, quod Pallavicinus in *Granatenſi diſputante reperit*: quin invincibiliter ſequitur, Tridentinum ſufficientiae attritionis ſervilis ſive per *ly parat*, *diſponit*, ſive per contritionem *genericam*, et *ſine motivo* ſumptam, ut adverſarii volunt, penitus non favere. Nemo enim audet aſſerere, Doctores hos maximos mentem Tridentini ſive ignoraſſe, ſive prodidiſſe! quod profecto ſequeretur ex aſſerto attritioniſtarum. Nam cit. Doctores ita proponunt charitatis Sacramentalis neceſſitatem, ut de FAVORE Concilii ſufficientiae attritionis ſervilis ne meminerint quidem; quin *favorem* illum palam inficientur. Igitur adverſarii aut Conſimilium Tridentinorum Patrum fide oſtendant, Tridentinum Concilium attritioni ſervili faviſſe: voces *contritio generice*, *disponit* pro diſpoſitione *proxima* accepiſſe: aut quia id in aeternum non praeſtabunt, fate-

antur

Sacramento poenit. et *Martyrio* maxime locum habere. Id quod invicte confirmat Angelicus 2 2 q 126 a 2 ad 2 docens: *Martirium eſt actus charitatis ut imperantis: Fortitudinis autem, ut elicientis; inde eſt, quod utramque virtutem manifeſtat. Quod autem ſit MERITORIUM, hoc habet ex CHARITATE, ſicut et* QUILIBET *VIRTUTIS ACTUS.* (Hoc ſolum Angelicum poſtremum comma par eſt refellendo illi Doctrinae *Tyrnavienſis*, qua ut charitatem a Sacramento paen. amoliatur, docet, quod *vita aeterna non charitati dumtaxat, ſed et inferioribus virtutibus promiſſa ſit.* reſidis hic ad n XIX, et ſeqq. ubi de *officio* inferiorum virtutum copioſe egimus. Ne terrearis in his ppone 55, et 56 in Queſnello damnata, quod Deus *ſolam coronet, et remuneretur charitatem*, et quod *ſola charitas Deum honoret.* Jam enim cap I ad n XXI not 10. et ii neceſſarium ſcutum praemiſimus ex Antoine, virtutem inferiorem charitate nobilitatam *plus* mereri, quam *ſolam charitatem* ejus formam, ut ut indigeat ad conditionem meriti vitae aeternae *hac* animari.) Et 3. p. q. 66. a. 2. ad 2: *Effuſio Sanguinis non habet rationem baptiſmi*, SI SIT SINE *CHARITATE. ex quo patet, quod baptiſmus Sanguinis includat baptiſmum flùminis; ſed non e converſo.* Magnifice Junior amoris Magiſter L 2 de amore Dei cap 19: *Sicut Magnus inquit Apoſtolus, nihil ſibi profuturum, ſi corpus ſuum igni traderet, et non haberet charitatem, ita et nos poſſumus affirmare, poenitentiam noſtram, tametſi eſſet adeo vehemens, ut prae dolore oculi in lacrimas erumpant, niſi tamen in nobis ſit amor Dei, nullius prorſus adminiculi fore talem poenitentiam ad vitam aeternam conſequendam.* Haec ſane palmaria ſunt pro textu Paulino in *Sacramento*, et *Martirio* intelligendo. Ad haec n 122 ad auctoritatem Auguſtini, Leonis M. Petri Chriſologi, Melliflui, et Angelici manifeſte pro *charitate Sacramentali* militantium reponit: de mente PP *non ex uno, alterove loco*, ſed ex *pluribus* inter ſe collatis judicandum eſſe: Ubi vero PP agunt de *poteſtate clavium*, ſi cum illis conferantur, manifeſtum erit, eos de juſtificatione *extra Sacrm*, aut *de amore concupiſcentiae* in Sacramento neceſſario loqui. Reſp. Optima cogitatio. Conferamus igitur cap I innuneros textus tum *Horum*, tum aliorum SS PP ad Sacrm charitatem exigentes: ibidem n XVI XVII de vivificatione *imperfecta*: Cap II n IV. et XII de charitate *praeparatoria* loquentes. cap III a n XXIV *Notionem* charitatis in amore Dei *in ſe*, et *nobis boni* exhibentes: Haec inquam ſi conferantur, manifeſtum erit, SS PP de charitate, non quidem *perfecta*, ſed *initiali* in Sacramento neceſſaria loqui. Pariter ſi praemiſſae SS auctoritates cum indigitatis a *Tyrnavienſi* nris ſuis conferantur, id unum ſequetur, quod colendiſſimus Magiſter meus *initialem* veram Dei charitatem cum vera *poteſtate judiciali peccatorum primo remiſſiva* componere noluerit: qua in re Eum veteres omnes deſeruiſſe, omnia a nobis hactenus dicta, et proxime hic n LIII laudata magna Concilii Tridentini Luminaria clamant. Caetera *Tyrnavienſis* principia oportunioribus locis attingemus, ne hoc caput in immenſum excreſcat.

antur denique, cit. per nos auctoritatibus Tridentino ſincronis victas a ſe manus dari debere. Ex quibus jam ſequentia ſponte fluunt

Ergo Tridentinum adverſariis non favet.

LV. COROLARIA. I. Igitur cauſſa attritioniſtarum deſperata eſt. Nam illi unice fidunt Concilio Tridentino, cujus deciſionem, a ſeipſis unice cuſam, velut *aram*, et *anchoram* unice ſuam coram imperitis magnifice jactant, ideoque opinionem ſuam *moraliter certam*, quin et *fidei proximam* contendunt. Quo fundamento? nullo penitus, ut hactenus vidimus evidenter: imo contra clariſſimam mentem aevi ejus, et Concilio coaevorum ſummorum Theologorum contrarium omnibus, qui veritatem quaerunt, clariſſimis monumentis ſuis conteſtantium.

Nec potuit favere.

II. Tridentinum Attritionis ſervilis *ſufficientiae* favere non potuit. Nam I. ante ſe pro *illa* nullum in traditione, in *ſcriptura*, *inquam*, *Patribus*, *et Diſcipulis Horum* habuit fundamentum. Imo recte pro charitate Sacramentali noſtra fontes illos traditionis militare clare demonſtravimus *toto cap I.* quin 2. ipſum Tridentinum jam Seſſ. 6 c. 6 palam definierat charitatis Sacramentalis neceſſitatem. *Cap II.* 3. Materiam vero Sacramenti poenitentiae Seſſ 14 cap 3 Contritionem charitate formatam declaraverat. *Cap. IV.* Igitur ejusdem Seſſ XIV cap IVti parte poſteriore attritionem ſervilem pro *remota* diſpoſitione definire debuit. Quod ipſum exigit 4. natura timoris ſervilis h a n. IX. 5. Ly DISPONIT pro *remota* diſpoſitione acceptum evincit paritas *Nititarum* a Tridentino ad declarandum effectum, ac vim timoris in opere juſtificationis adhibita, et ſummorum virorum auctoritate explicata. h a n L.

Ex his ipſis rationibus non placet mihi illorum Initialiſtarum loquendi modus, qui dicunt, Tridentinum ita *temperaſſe* decreta ſua, ne attritioniſtis *nocere* videretur. Quibus, obſecro! attritioniſtis nocere noluit Organum Spiritus Sancti? cum eo tempore nondum nati erant, niſi in Luthero id calumniante, et Granatenſi diſputante. h n XLIX. At enim, inquiunt apud Vitaſſe de contr. q. 3. a 6 Sect. 2 Faryaquius, et Queraſſius: *cum Lutherus duo poſuiſſet: alterum, timorem gehennae eſſe malum. Alterum, eundem timorem ad Sacramentum SATIS NON ESSE; primum duntaxat Sinodus damnandum ſuſcepit. De altero tacuit et cap IV, et Canone V Seſſ* XIV. Reſp. de altero quoque aſſerto Lutheri non tacuit Tridentinum ſive cit cap IV, ſive Canone V. nam ne rationes jam in praemiſſis adductas repetamus, hic n L, et LIII ſummorum Doctorum Concilio coevorum, ideo certa fide humana digniſſimorum teſtimonio evicimus, Tridentinum cap. 4to de diſpoſitione *remota*: Canone vero V de contritione *initiali*, timore mixta, charitate animata loqui intelligi debere, nec ſecus poſſe. Haec non nocent Attritioniſtis? Imo ipſum jugulum petunt ſervilis opinionis. Cum enim *cit PP* clariſſima ſint verba, ad ſalvandum dictum *temperamentum* fingere deberes, *illos* aliud ſcripſiſſe in *decretis Tridentinis*: aliud in *operibus propriis*. quo aliquid abſurdius Sol non dum vidit. Par huic eſt ſequens Argumentum:

Ante Tridnum de *altero aſſerto* Lutheri clamabat Javellus (cap I n. XXXVI) *illud ex imperitiae fonte manaſſe*. Recte Ante Tridentinum clamabat Echius: *Nemo Catholicus vult timorem eſſe poenitentiam; ſed qui PARET ad poenitentiam.* Ibi n XLI. Quibus omnes antiqui concinunt, timorem *remote* ad poenitentiam diſponere. Ut toto cap I

contemplati ſumus. Quis vero credat, Sacram Sinodum vel in hilo ab antiquis receſſiſſe? imo contrarium palpavimus toto cap II, IV. et V. Igitur TEMPERAMENTUM illud, *ne Tridentinum noceret ſerviliſtis, fictitium* eſt. quod ſolus Caſalius h n LIII ad nihilum redigit.

Sed veritatem antiquam declaravit.

LVI. Quid igitur? damnatos dico a Tridentino ſerviliſtas? nequaquam id quidem (nam *non entis nullae ſunt qualitates:* go nec ſerviliſtarum *tunc* nondum exiſtentium ulla in Tridentino damnatio) ſed veritates Catholicas unice aſſero eſſe declaratas ad lumen traditionis, et mentem Antiquorum. Seſſ 14 Decreta omnia, et Canones Lutheri errores ferire, patet ex praemio Seſſionis. Delirabat Novator 1mo negando contritionem *in ſenſu Veterum* eſſe partem Sacramenti. Id aſſeruit Concilium ibi cap III, et cap IVti priori parte. Confer nos cap IV n VII VIII IX XI XIII. Delirabat 2do Negando charitatem *initialem.* ut vidimus cap IV n XXIII. eam definivit Concilium dictae ſeſſ cap. IV: ut vidimus cap IV n XIX. XXII XXIX. Delirabat 3tio *metum ſervilem* malum, coactum, et hypocritum afferens; cui proinde in opere juſtificationis Sacramentalis NULLAM PARTEM dabat. h n I II III. Ex adverſo Concilium cap IV*ti* parte poſteriori *eum* donum Dei eſſe, viam ad juſtitiam PARARE, in Sacramento ad gratiam ACTUALEM impetrandam DISPONERE *Majorum voce*, hic n III, et a paritate *Ninivitarum*, h n LI LII LIII, declarando retudit imperitam illam Lutheri calumniam, qua convitiabatur Catholicos Doctores, quaſi horum opinione metus ſervilis *proxima diſpoſitio* eſſet in Sacramento. Cap I n XXXVI. Has eſſe veritates Catholicas traditione SS PP, et veterum Theologorum ad Concilium Tridentinum tranſmiſſas, atque ab eadem Oecumenica Sinodo erroribus Lutheri oppoſitas, hactenus dicta noſtra omnia urgent. Quas quidem veritates nos ſine ulla diſtinctione, ad literam, et ſine gloſſa toto corde, ut *depoſitum Patrum* amplectimur. Quomodo vero cum iis cohaereat attritioniſtarum ſive *contritio generica*, ſive *ſufficientia* in Sacramento ſolius *attritionis ſervilis*? etſi nos quidem penitus non videamus; non eſt tamen noſtrum judicare, minus damnare Fratres noſtros, ſed veritatem Eccleſiae traditione ſuffultam in praeclara luce collocare; obſecrantes tenerrima cum charitate adverſarios noſtros, ut ſi rationibus, ſi auctoritatibus per nos congeſtis non deferunt, ſaltem credant ipſis *Haeterodoxis* de *ſuis* erroribus, conſequenter de mente Tridentini eos damnantis ineluctabile teſtimonium perhibentibus.

Contra Lutheri errores.

LVII. Enimvero ſole meridiano clarior eſt haec demonſtratio: Eo ſenſu aſſeruit Tridentinum attritionem ſervilem DISPONERE *ad gratiam*, quo id negabat Lutherus, contra cujus errores hoc Decretum latum a Tridentino eſt. ut videre licet in praemio ſeſſ 14. Sed Lutherus docuit, errorem Catholicorum eſſe, quod *attritio ſervilis proxime* DISPONAT AD CONTRITIONEM. (*a*) Hoc patet ex claro textu Lutheri hic n III relato. go Tridentinum damnans hunc Lutheri errorem definivit attritionem DISPONERE PROXIME *ad gratiam Contritionis*, ſive *charitatis actualis*, et ſic REMOTE ad juſtificationem.

Rur-

(*a*) His verbis agnoſcit Haereſiarcha ſui temporis Catholicorum eam fuiſſe opinionem, quod *timor diſponat ad charitatem*, formam contritionis. go manifeſtae calumniae convictus reipſa a Javello eſt, dum Catholicorum opinione timorem ad juſtificationem diſponere mentibus eſt. ut Cap I n XXXVI conjectura obſervavimus.

Rurſum ſenſum Tridentini Concilii maxime intellexerunt coaevi Lutherani, contra quos Decretum illud latum eſt. at illi *to* DISPONIT de diſpoſitione ad gratiam actualem intellexerunt: ita enim illud exagitat Kemnitius part 2 examinis: *Vide Artificium Tridentinum! Scholaſticam illam opinionem de attritione palam Pelagianizantem (a) defendere non audent; tamen dicunt, viam, et gradum eſſe ad converſionem.* Igitur PP Tridentini penitus non defenderunt, nec deciderunt adverſariorum ſententiam, ſed noſtram. Adhaec eum errorem per *ly* DISPONIT proſcripſit Sancta Sinodus, quem ipſi Diſcipuli Lutheri in Magiſtro ſuo ſubinde deteſtati ſunt. At teſte Bellarmino *h n III: poſtea receſſerunt Lutherani ab illa ſententia* Lutheri, *et jam communiter docent, timorem poenae eſſe utilem, atque* INDE POENITENTIAM INCHOARI. Igitur quod *timor ſervilis ad charitatem actualem, et contritionem* illa animandam *diſponat*, docuit Eccleſia ante Tridentina teſte Luthero: hoc ipſum intellexit Tridentinum per *to* DISPONIT confitente Kemnitio, et univerſis Lutheranis poſterioribus Magiſtrum ſuum in hoc deſerentibus.

LVIII. Ex quibus Lutheri, et Kemnitii teſtimoniis manifeſtum fit, quod hae peſtes Eccleſiae *timori ſervili* in juſtificatione NULLAm *partem* tribuerint; utpote quem univerſim actum malum, coactum, et hypocriticum eſſe dogmatizabant; poenitentiam vero *remote*, et *proxime* contritione charitate perfecta conſtare debere aſſerebant. Ex adverſo autem Catholici tam *anteTridentini*, h n III, quam *ſubTridentini*, h n LIII. conſequenter ipſum *Concilium* poenitentiam quidem *contritione charitate animata* ut *materia proxima* conſtare debere: *timorem* tamen *ſervilem* actum bonum, et ſupernaturalem, *remote ad juſtificationem, proxime ad charitatem actualem* Sacramento poenitentiae neceſſariam *diſponere docuerunt.* Iſta duo prorſus diſtincta, *Attritioniſtae* confundentes, nos Lutheraniſmi arguunt: qua fide? ipſi viderint: cum nos in oculis Solis *timorem bonum* eſſe cum Eccleſia confiteamur. exadverſo *ipſi* contra omnes antiquos, ut h n LIII ex Caſalio audivimus, timori nimium, ſive id ipſum, quod Lutherus ex imperitiae fonte Catholicis vitio dabat, Cap 1 n XXXVI, tribuentes charitatem actualem a Sacramento poenitentiae exterminaverunt, *to* DISPONIT ad *proximam*, non ad *remotam* diſpoſitionem trahendo (horret Calamus ſcribere) novam ſibi materiam Sacramenti poenitentiae cuderunt, et ſic quantum in ipſis erat, Sacramentum poenitentiae prodiderunt, corruperunt, adulterarunt, contradicentibus ipſis Lutheranis. quin tota veneranda antiquitate ante, et ſubTridentina. Ex quibus fontibus mens Tridentini, et vocis DISPONIT verus ſenſus certo, manifeſteque elucet. Neque enim ſine ſcelere vel cogitari poteſt, Sacram Sinodum ab antiquis Eccleſiae PP, eorumque Diſcipulis, Doctoribus *ante*, et *ſubTridentinis* repente diſceſſiſſe, hoc eſt dictu *depoſitum Patrum* prodidiſſe.

Noſtra opinio media eſt inter Luther., et attritioniſtas duo extrema.

LIX Atque hinc id quoque manifeſte ſequitur, ad confutandos Serviliſtas, ad eruendum verum ſenſum vocis DISPONIT, atque ad aſſequendam mentem Concilii Tridentini prorſus neceſſarium eſſe, noſſe

Lectio antiquorum neceſſaria.

(a) Ita loquitur Haereticus putans, timorem eſſe actum *naturalem*. nam *hunc* diſponere ad *gratiam*, multo magis ad juſtificationem reipſa Pelagianum eſt. At Eccleſia timorem mere ſervilem actum *ſupernaturalem* eſſe docet. ut hic n. VIII videre eſt. Interim cum Kemnitius confiteatur, Tridentinum opinionem de *attritionis ſervilis ſufficientia non defendiſſe*, ſed *pro diſpoſitione ad converſionem* ope charitatis neceſſario cauſſandam habuiſſe, mirandum eſt, attritioniſtas videre in Tridentino Decreto id, quod ſi vidiſſet hic Haereticus, Sinodo Generali magni vitii inſtar exprobraſſet.

noſſe in hoc puncto doctrinam PP, et Theologorum Ante, et Sub-Tridentinorum: quam quia adverſarii Noſtri neglexerunt inquirere, aut illorum ſententias obtorto collo (ut cap 1 n XXXII, et ſeqq ad oculum demonſtravimus) ad ſuum commentum ſtabiliendum traxerunt, Doctores ſui temporis ut aves avem ſequentes, exſcribentes, dilaudantes, in horrenda paradoxa miſere ſunt prolapſi. ideo merito ſvadet piiſſimus Jeſuita Michael Elizalde aequiſſimum eſſe, ut reddita talione mediae aetatis caſiſtis ſepoſitis, antiquos veros Doctores SS Eccleſiae Patres, eorumque Diſcipulos ante, et ſub Tridentinos Theologos in uſum revocemus, ex iisque veritates Catholicas eruamus. Hanc potiſſimum charitatis Sacramentalis: *Nunquid enim* (arguit Doctiſſimus Drouven l 6 q 4 cap 4 a 1 § 2) *res probroſiſſima eſſet? flagitioſiſſimum Haereſiarcham* Lutherum *pro amoris Sacramentalis neceſſitate pugnare; Eccleſiam vero ſponſam Chriſti charitate fundatam, radicatam, ordinatam neceſſitatem charitatis a Sacramento exterminare?* Addo ego: nunquid non amaris lacrimis deplorandum eſt? poſteriores, ac hodiernos Lutheranos Magiſtri ſui errore rejecto veritatem antiquam agnoſcere, quod *timor ſit bonus, et inde poenitentia inchoetur:* Filios vero, et haeredes antiquae veritatis recte in oppoſitum extremum impingere timorem ad *proximam* Sacramenti poenitentiae diſpoſitionem elevando? Inter duas has Sirtes nos medii tutiſſimi ſumus: clamantes cum Echio: *Timor eſt initium poenitentiae, nemo Catholicus vult timorem eſſe poenitentiam*, ſed qui parat viam ad peenitentiam. Et cum Pallavicino: *aliquod duntaxat Veſtigium* in Tridentino reperimus ſufficientiae Attritionis ſervilis *in iis, quae Gravatenſis diſputavit.* In Patrum conſenſu pauci id attigerunt. ergo Sacra Sinodus antiquorum doctrinam charitatis Sacramentalis Cap I in evidenti luce poſitam ſuo loco reliquit, quin conſtabilivit. go Adverſarii in Tridentino fruſtra Praeſidium quaerunt. ut ex hactenus dictis manifeſte liquet.

Notatur Francolinus.

LX. Finieram *Epocham* hanc *SubTridentinam*, quum juſſu Excellentiſſimi Domini Praelati mei gratioſiſſimi opportune oblati mihi ſunt *Balthaſaris Francolini de Dolore ad Sacramentum poenitentiae rite ſuſcipiendum neceſſario* Libri duo. Qui eloquentiſſimus ſane Attritioniſta Libr 1 cap 2 non dubitat aſſerere: Mutatam a Concilio vocem *ſufficit* prioris decreti (ut h n XLVII audivimus) in *to diſponit, non quia cognoverint in ſcripturis contineri oppoſitum, ſed ex aliis cauſſis. ſane nemo Sapiens dicet*, inquit, *a Patribus id ignoratum fuiſſe; affulſiſſe autem eis lumen de Coelo, quo cognoſcerent oppoſitum ſtatim, ac audiverunt unum Epiſcopum* Tudetanum *id oppugnantem.* Addit vero: *Veriſſimum erat illud decretum* (quo dicebatur attritionem ſervilem ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe poſſe) *nec ut falſum debuit ab eo Epiſcopo reprobari. quilibet enim*, ait, accedens ad confeſſionem cum metu gehennae, et ſpe veniae, *neceſſario concipit Deum ut maxime miſericordem, et* BENEVOLUM. *Nequit autem (moraliter loquendo) id concipere, quin aliquomodo afficiatur voluntate, et* AMORE *erga tam inſignem miſericordiam, et* BENEVOLENTIAM. *Igitur vere dicebatur, vix poſſe aliter contingere.* Haec Francolinuus Romanus Theologus.

Cui ſatisfacturus ut ab hoc ultimo incipiam: per aliquem *amorem erga tam inſignem miſericordiam, et benevolentiam* ſi Attritioniſta intelligit amorem *Spei*, aut benevolum *non ſuper omnia*, tunc nihil eum dicere, patet ex dictis Cap III, et h not ad n XLVII. Si vero intelligit *amorem benevolum affective ſuper omnia*, nobiscum ſentit, et quam duobus Libris impugnat, uno hoc argumento ſuo *initialem charitatem Sacramentalem* concedit. Caeterum cur PP Sanctiſſimi mutaverint *ly ſufficit*, etiam cum *aliquo dilectionis in Deum motu*, diximus h n XLVII:

ne ſci-

ne ſcilicet damnarent *contritioniſtas*. Ad quod novum lumen ad vocem Tudetani Epiſcopi neceſſarium non erat; nam Patribus ut vidimus h. n XLVIII, fixum erat, Scholaſticas quaeſtiones non attingere: qualis erat illa: an charitas perfecta neceſſaria ſit Sacramento poenitentiae? ut et illa: an timor ſervilis ſine aliquo in Deum dilectionis motu eſſe queat? Minus proinde caute, minuſque reverenter, ne dicam irreverenter, per latus *Tudetani* ipſam Sinodum Generalem tundit, et traducit Francolinus illis verbis: *Veriſſimum erat illud decretum - - nec ut falſum debuit ab eo Epiſcopo reprobari.* Proponente enim Tudetano ipſa Sacra Sinodus decretum illud refixit: igitur cenſura Francolini in Tudetanum, quod *veriſſimum Decretum non debebat reprobare*, longe fortius ipſum Concilium Generale, quam Epiſcopum Tudetanum pungit. *Ut injuriis in Concilium Tridentinum.*

Neque bilem ſuam *in ipſam Sacram Sinodum* diſſimulat Vir Catholicus dicens: Mutatum eſt decretum prius, NON *quia cognoverint in Scripturis contineri oppoſitum*, SED EX ALIIS CAUSSIS. Ego vero hanc propoſitionem Francolini et *falſam*, *et valde ſcandaloſam* eſſe palam pronuncio. Enim vero hic n L audivimus quinque illuſtres Theologos (a Pallavicino in *exemplum* duntaxat multorum aliorum, qui id argumenti tractarunt, laudatos) *charitatis Sacramentalis neceſſitatem ex variis Scripturae locis* non tam *probantes*, quam ut certam *supponentes*: Univerſis aliis Patribus conſentientibus, ſolo Granatenſi pro ſervili attritione diſputante. conf. h n LIII. Id quod exemplum quoque Ninivitarum ad demonſtrandum *timoris* in Sacramento *officium* extra dubium ſtatuit. h n LI LII. Et quis ferat? non vidiſſe, non noviſſe Patres Sanctiſſimos aeque, ac doctiſſimos graviſſima illa ſcripturarum pro *charitate Sacramentali* oracula, quae Illuſtres Eccleſiae Patres Auguſtinus, Cyprianus, Beda, Proſper, eorumque veri Diſcipuli Daventria, Gerſon, Biel ſolo n XX cap I *cum notat.* per nos laudati pro *tali* habent, et uſurpant? quis audiat? non cognoviſſe Organum Spiritus Sancti id, quod Vega (cap I n XXXIX relatus) Concilio praeſens orbi univerſo conteſtatur dicens: *Dilectionem Dei eſſe diſpoſitionem ad juſtitiam doctrina eſt* CHRISTI, APOSTOLORUM, et SS ECCLESIAE DOCTORUM.

Inſurgit Francolinus l c: Epiſcopus Tudetanus non probavit oppoſitum *ex Scripturis*, nec poſt ejus oppoſitionem habiti ſunt novi Conventus, ut iterum expenderentur ſcripturae. Igitur ſicut ante hanc oppoſitionem non cognoverant Patres *contineri in ſcripturis hanc Divinae dilectionis neceſſitatem*, ita non cognoverunt poſtea, quamvis illud prius Decretum reformarint. Haec ille. quae male ſupponunt, prius illud decretum attritionis ſervilis ſufficientiae faviſſe, ut hic n XLVII evicimus. Igitur illius collectio ruit. Audiat tamen Pallavinum l 12 cap 10 n 23 conteſtantem: *Quidquid eximii de hoc argumento apud controverſiarum de Religione ſcriptores exſtat, id omne ab Egregiis illis viris* (a minoribus, et majoribus Theologis) *fuiſſe productum;* ſe vero *quaedam MAGIS SINGULARIA* tantum *perſtringere.* Ex quibus evaneſcunt illa quoque, quae attritioniſta L. 1. c. 5 n 28 urget dicens: ex ingenti numero Theologorum, et Patrum, *cur ſoli quinque* (h n L relati) *iique breviſſime, et jejune* (nota modeſtiam) *nec pro dilectionis Divinae ſuper omnia, ſed pro aliqualis dilectionis neceſſitate dixerunt?* (recole h n LIII) *cur non etiam reliqui ſi ſimiliter ſentiebant, ſimiliter perorarunt? Cur eorum ſaltem Cathalogum non texuit Pallavicinus? cujus, utpote eidem ſententiae addicti multum intererat id non tacere.* Quae mera verba eſſe ipſe confitetur Francolinus cap 2. n 1 agnoſcens: *Expenderunt quiquid hac ſuper re docent Scripturae. nam o-* *Et falſa docens.*

mnia producta in medium fuere. Si igitur omnia expenderunt, quidquid hac ſuper re docent *ſcripturae*, profecto ideo mutarunt prius decretum, quia cognoverant jam et Seſſ 14 cap 3, et initio IVti *ex ſcriptura, contritionem ut partem Sacramenti* non *timore*, non *aliquali dilectione* etiam ad amorem *Spei*, aut *non ſuper omnia* detorquibili; ſed *verae charitatis ſuper omnia affectu animandam eſſe.* Ut hoc innegabiliter evicimus cap IV n III IV V VI, potiſſimum XXI XXII ex Sanctorum Veteris Teſtamenti *contritione* a Tridentino ad explicandam *contritionem qua partem Sacramenti* uſurpata. Quos ſane Prophetarum clamores cum contritione *generica*, aut attritione *ſervili* nunquam componet Francolinus. Igitur aſſertum ejus, mutaſſe PP Tridentinos prius Decretum non quod cognoverint *in Scripturis contineri oppoſitum*, SED EX ALIIS CAUSSIS, manifeſte falſum eſt.

Et peſſimo Scandalo Occaſionem praebens.

Sed eſt ſane *et ſcandali plenum.* Hoc enim exemplo Theologi Catholici arrepto Haeterodoxi palam criminari poterunt: *articulos dogmatum ſuorum damnatos a PP Tridentinis non quia cognoverint in ſcripturis contineri oppoſitum, ſed* ALIIS EX CAUSIS. Unde quam triſtes ſequelae naſci poſſint non ſolum apud Acatholicos, ſed et apud domeſticos fidei minus peritos, quin omnes *Attritioniſtas*? maerens ſileo. Omnes enim, quibuscunque deinceps non placuerint Conciliorum Decreta Francolini exemplo clamare poterunt: *hoc Decretum eſt, non quia cognoverunt PP in Scripturis contineri*; SED EX ALIIS CAUSIS. quae profecto detrimenta auctoritatis Conciliorum nullis lacrimis deplorari pro dignitate poſſunt. Tantum nempe eſt privatae alicujus opinionis patrocinium non tam veritatis, quam *aliis ex cauſis* ſuſcipere, ut pro illa defendenda ſummam quoque in terris auctoritatem cavillari non dubites. At mutatum fuiſſe prius Decretum palam eſt in oculis Solis. *Alias illas cauſſas* mutati Decreti non prodit Francolinus, quam rationes Attritioniſtarum, ob quas praetendit non debuiſſe mutari; quae eo ipſo nullius momenti cenſendae ſunt, quia certum eſt factam eſſe mutationem ejus decreti, in quo falſo licet (h n XLVII) aram, et anchoram opinionis ſuae fundatam fuiſſe putat. Quid igitur ſugillat factum Univerſalis Concilii? quid praebet ſcandalum, imo arma hoſtibus Fidei cavillandi Decreta in illo Spiritus Sancti? quae adoranda ſunt cunctis, non critizandae rationes, ex quibus lata illa ſunt. Quid fruſtra dolet, opinionem ſuam a Sacro Sancta Sinodo praeeverſam fuiſſe ante, quam reipſa NASCERETUR. Quod docebit luculenter Attritionis ſervilis *tertia*, eaque vera, et poſitiva *Epocha*. Nam duae hactenus per Nos expoſitae negativae erant, in quibus ſcilicet eam non invenimus.

CAPUT SEXTUM.

TERTIA EPOCHA attritionis ſervilis a natali ſuo usque ad Alexandrum VII

Natales Attritionis ſervilis. quae initio timida, mox longe audaciſſima facta. Cenſurae utrinque prohibitae. Initialiſtae a ſtupendis Francolini cenſuris vindicantur.

I. VIva perfectae eruditionis Bibliotheca Benedictus XIV Laud. Synod. Dioeceſ. L 7 C 13 n. 6 exhibet nobis *Progenitores* attri-

attritionis servilis Franciscum Victoria, et Dominicum Soto, ambos ex ordine Praedicatorum. (*a*) *Qui omnium primi docuerunt* (*b*) teste eodem Pontifice *ad peccati remissionem virtute clavium assequendam satis esse attritionem mere servilem, seu conceptam ex solo metu gehennae; modo tamen* (observa anxios Natales infelicis partus in fine temporum a privatis Duumviris editi) *haec a poenitente bona fide reputetur contritio; ad quam caeteroquin eliciendam eum pro viribus conari debere affirmarunt.* En artritionis servilis in Sacramento sufficientiam peperit ignorantia: *si illa a poenitente bona fide reputetur contritio*: Ad quam alioquin poenitentes obligatos esse hi Proto-parentes attritionis affirmarunt. Id de Dominico Soto extra dubium est, utpote qui Orator in Concilio Tridentino praesens Lib 2 de Natura, et gratia C 13 testatur, Synodi mentem fuisse declarare: *Actum* DILECTIONIS DEI, *sicut Fidei, et Spei natura debere antecedere gratiam habitualem, sive sanctificantem.* Redilis ad Cap. II n X. Tantum itaque abest, ut Inventor sufficientiae *servilis attritionis* Dominicus Sotus *eam* in Tridentino definitam putaverit, ut recte contrarium palam, luculenterque asserat: *Ex mente Concilii actum dilectionis Dei justificationem praecedere debere.* Unde ingenue confitetur in 4 Senten. distinct. XI q 2 a 3: *quod attriti fiant contriti per Sacramentum, solum est Scholasticorum collectio; quae quamquam vera sit* (suo judicio) *non est certe digna, cui bilances Nostrae perpetuae salutis, aut damnationis confidamus.* Et Dist 18 q 3 a 2: *revera qui mihi diceret, non se poenitere propter Deum, absolvere non auderem:* quia, ut inquit, *doctrina de attritione, quae in Sacramento fit contritio, licet sit vera,* suo ut putat judicio, *non est tamen multum vetus:* Et quia *Patres antiqui solam contritionem agnoscebant necessariam ad Confessionem:. Confer C 1 n XXXIX.*

Attritionis Natales Parentibus Francis. Victoria, et Dom. Soto.

quam Ignorantia peperit.

II.

(*a*) Morinus L 8 c 4 n 2 Natales servilis attritionis Melchiori Cano, et Hendrico cuidam Salmanticensi Doctori adscribit. *Ante hos*, inquit, *legi neminem, qui sic doceret, aut docere perhiberetur.* Sed res in idem recidit: quia Benedictus ponit Parentes *Attritionis* pro *Contritione* habitae: Morinus *cognitae* qua talis. Sed et Pallavicinus reperit aliquod vestigium Attritionis servilis *in iis, quae Granatensis disputavit.* Conf. C V n XLIX. Qui proinde Granatensis *Ova posuerit*, quae subinde posteriores hi Theologi *exclusserunt.* ut de Erasmi hallucinationibus a Luthero exclusis sapienter dictum.

Alii Parentes Attritionis.

(*b*) Ergo vanum, et futile est Attritionistarum studium, qui *post Tridentinum* infeliciter *Natam* suam opinionem *ab Antiquitate* illustrare contendunt; Cum diligentissimus, atque acutissimus antiquitatis Scrutator Benedictus XIV prae omnibus *Servilistis pro domo sua perorantibus* audiendus Parentes hesterni Commenti manifeste prodat: Imo ipsi Parentes prolem suam et *Novam*, et SS Patribus *ignotam* fuisse ingenue confiteantur. Quod nempe *novis hominibus* accidere consvevit, ut pudeat eos de gloriosis majoribus gloriari non posse, ideoque omni studio contendant se se cum vetustis Familiis connectere: id conati etiam sunt posteriores Attritionistae prae Parentibus suis sapientes: qua id arte? acuta sane, sed infructuosa. Nam in quibuscunque *Ante Tridentinis* Doctoribus invenerunt vocem hanc *attritio*, eos mox Majores, Progenitoresque suos laeti de gloriosa origine proclamaverunt. At gaudium hoc de Illustribus Ceris inventis sustulit Attritionistis laudatus multorum Saeculorum doctissimus Pontifex cum Morino, aliisque summis Viris demonstrans, *a Veteribus* vocabulum *attritionis* pro *dolore charitate animato*, atque a *contritione perfecta gradu* duntaxat, et *intensionis defectu*, non *objecto solius timoris* distincto in Sacramento poenitentiae sufficiente traditum fuisse Id quod Nos toto Capite I, potissimum a n I, et XXX extra dubium collocavimus. Unde manifestum est, veteres AnteTridentinos Theologos ita contra Attritionistas depugnasse, ut Initialistarum sententiam Nostram constabiliverint, illustraverintque. Id quod Protho-servilista Dominicus Soto ingenue confitetur. Quid igitur frustra conantur Adversarii ultra notos Majores suos Geneologiam suam proferre? confer c 1 num XLI.

Ultra quos ascendere adversarii nequeunt.

Ut Scholae opinionem.

II. Haec ſola notitia natalium novae Opinionis ſufficere debet cuivis Chriſtiano, ut *attritionis ſervilis praxim* toto corde horreſcat. Si enim 1: teſte Vaticano Doctore Benedicto ipſi primi Doctores ſervilis opinionis ad *contritionem charitate animatam conandum poenitentibus* ſtatuerunt Si 2: fatente Dominico Soto Synodi Tridentinae mens fuit, *actum dilectionis Dei, ſicut fidei, et Spei praecedere debere gratiam ſanctificantem.* Si 3 eodem teſte inventum hoc eſt ſolum *Scholaſticorum collectio, et indigna, cui bilancem ſalutis noſtrae confidamus.* Si 4 Ipſe Primus Magiſter in *arte* hac *ſervili* Dominicus Soto *auſus non fuiſſet eum abſolvere*, qui *propter Deum non doluiſſet.* Si denique 5 Eodem confitente *PP antiqui ſolam contritionem charitate formatam agnoſcebant neceſſariam ad confeſſionem*: Si inquam haec ita ſint, ut audivimus, invicte ex iis ſequitur 1: Attritioniſtas his Duum Viris Ducibus *novam* ſibi poſt Tridentinum *cudiſſe materiam Sacramenti* poenitentiae antiquis Patribus ignotam. Sequitur 2: *Contritionem genericam, et* ſine motivo partem Sacramenti ab adverſariis aſſertam nec in antiquis Patribus, nec in Concilio Tridentino ullum habere veſtigium; quin nec a laudatis Serviliſtarum Protho-Parentibus fuiſſe traditam; atque adeo eſe partum infelicis aevi poſterioris doctrinam Patrum prae Ingenii ſui faetu negligentis. Scilicet ut ex illo Soti commate (*ſolum eſt Schol ſticorum collectio*) palpare eſt, ſollenne erat Scholaſticis poſt Tridentinis aliud in Scholis, aliud in praxi docere: hoc eſt dictu: ingeniorum excolendorum dicam? vel excruciandorum potius cauſſa Patrum doctrinae loco ſuas cogitationes pure ſpeculativas, et nominales auditoribus obtrudere. Sequitur ex his 3: Eum, qui miſeram hanc *Scholae opinionem* primus *in praxim* deduxit, horrendum quid ultra Parentis ſui Dominici Soto monitum auſum ſuiſſe. Ut nempe exigui primum, et contemptibiles rivuli repente multis torrentibus confluentibus in grande flumen perſaepe increſcunt, ita huic opinationi accidiſſe mox videbimus, ut primum *pure ſpeculativa*, mox *probabilis, communior*, dein *probabilior*, in *praxi tuta*, tum *fidei proxima*, haud multo poſt *certus fidei articulus* multitudine Patronorum, atque adeo *extrinſeca* duntaxat ſibi conſentientium, et ſe mutuo exſcribentium, ad Antiquos vero Patres, eorumque diſcipulos non reſpicientium auctoritate proclamaretur. Quod ut manifeſtum fiat, conſideremus incrementum infelicis hujus partus.

Antiquis contrariam.

Eo ipſo falſam.

Infantia ejus nutritio Melchiore Cano.

III. Naſcenti attritioni obſtetricatus eſt Melchior Canus eam extendens ad *attritionem ſervilem cognitam qua talem*, hoc eſt: quae a poenitente non exiſtimatur vera contritio, ſed talis eſſe cognoſcitur, qualis revera eſt, *pure ſervilis* attritio; idque ex hac ratione: quia ignorantia, et bona fides ex attritione non facit contritionem: ergo ſi ſufficit attritio, quae reputetur contritio, ut voluit Sotus, ſufficit etiam attritio cognita talis, inquiebat Canus. Et *ratio haec Cani vera eſt admiſſa hypotheſi Soti;* quae perneganda ut Falſa, et ficta erat (ut hoc cap n XL ſole clarius demonſtraturi ſumus.) non ex illa argumentum a Cano ſummendum ad ſtabiliendam univerſaliter ſufficientiam ſervilis attritionis. quam tamen Canus ipſe teſte Benedicto XIV L c n 7 *non niſi dubitanter adſtruxerat p 5 relect. de poenitentia inquiens: Contritio ponitur pars Sacramenti, quia eſt certa, et indubitata materia. Quod autem attritio ſufficiat, quamvis verum ſit,* ſua opinione, *non eſt adeo certum, et indubitatum. Et ideo Concilium Florentinum, communisque ſententia tenens certum, relinquens incertum, ponit contritionem partem eſſe hujus Sacramenti.*

Falſae hypotheſi innixa.

Confeſſio Cani

Occurritur Turnelio.

Reſpondet Tournelius de paen. quaeſt. 5 a 3 inter objectiones contra concluſionem 2dam: Dominicum Soto, et Canum exiſtimaſſe attri-

attritionem naturalem bona fide reputatam *contritionem*, sufficere ad Sacramentum poenitentiae; quanto magis sufficere putasse *attritionem supernaturalem ex solo poenarum metu* conceptam? 2: Canum ex aliorum, et non ex propria sententia loqui: Ipsum vero sine dubitatione praemissam sententiam part 6 l c sequi, et approbare. Verum Benedictus XIV nihil horum innuit. Cui ergo credemus? Pontifici Maximo? an Tourneko Speistae? non dubito omnes priori adhaesuros. Deinde videntur mihi Novaturientes illi duo Scriptores triplicem in eadem re sententiam tenuisse: *primam*: Quod *contritio* sit apud omnes indubitata, et certa materia Sacramenti. *Secundam*: Quod *probabiliter*, et *sibi vere*, sed *non certo*, sit etiam materia Sacramenti *attritio supernaturalis*. *Tertiam: Forsitan* et *attritio naturalis* De prima sententia certi erant; de secunda dubitabant, ut textus eorum docet; de tertia levem duntaxat suspicionem habuerint; *forsitan est dispositio idonea*. Ex quo non sequitur, eos hanc 3tiam Sententiam velut *probabilem* tenuisse. To enim *forsitan* incertitudinem, non *opinionem stabilem* innuit. Sed etsi hanc quoque 3tiam Sententiam *probabilem* habuissent Inventores opinionis servilis, quia tamen *illa* et tunc *intrinsece falsa* fuit, utpote subinde solemniter proscripta, ideo sequitur manifeste. illorum novam opinionem 2dam et tunc falso fundamento, utpote paritati 3tiae Opinionis inaedificatam, falsam reipsa fuisse, et post damnationem *attritionis naturalis* 2dam quoque opinionem falsam habendam esse. Illud itaque Turnelii argumentum: *Putabat Canus sufficere attritionem naturalem, quanto magis supernaturalem?* hodie inverti debet sic: *Certum est paritatem Cani esse hodie falsam, ergo et sequelam ex illa ortam.* Quod addit Tournelius, Sotum merito rejeciisse attritionem respectum *ad Deum offensum* non habentem, solvimus, dum Tournelii sententiam parum, aut nihil differre a *rigidorum attritionistarum* opinione cap. III n XVII. XVIII demonstravimus. Quod et de Comitoli, et aliorum mox adferendorum attritionistarum textibus eidem Tournelio respondendum, ne una res saepius a nobis repetenda sit.

IV. Porro Benedictus XIV l. c. n VIII Cano, et Dominico Soto qui reduces a Tridentino pro sufficientia servilis opinionis dimicarunt, adjungit *Andream Vegam*. ergo et hic cum Cano novae opinionis Nutritius habendus est. et in hoc mirandus merito venit illustris caetera Theologus, quum ut cap I. n. XXXIX vidimus, palam confiteatur, charitatem Sacramento poenitentiae necessariam, esse *doctrinam Christi, Apostolorum*, et *SS. Ecclesiae Doctorum*. Quid de manifestissimo Fidei articulo luculentius dici posset? Et tamen de eo Francolinus op. cit l 1 c VI § X n 96 ita asserit: *Is, non solum amorem Dei propter se, et super omnia non requirit, sed nec amorem Dei, imo nec dolorem conceptum ex metu gehennae, sed est contentus* QUOCUNQUE DOLORE, *nempe concepto ex metu* CUJUSVIS ALTERIUS MALI. QUOD NOS NON DOCEMUS. et probat ex *Libro* ejus 9. *in Conc. Tridentinum Cap.* 13: *poenitentia-accedentibus-cum* QUOVIS DOLORE *de peccatis, et proposito ea evitandi confert primam gratiam.* et L. 12. c. 24: *absolutio potest primo justificare, cum quis sine tali dolore* (propter Deum) *et cum solo dolore de peccatis propter gehennam*, vel ALIA MALA EVITANDA, *aut propter* ALIAS SIMILES CAUSAS *ad confessionem accedit.* Haec Francolinus ex Vega. Non invidemus adversariis tales Parentes, qui nec ipsis Filiis probantur; ut patet ex illo commate Francolini: *Quod nos non docemus.* et recte: nam per illa verba: *cum quovis dolore*, vel *propter* ALIA *mala evitanda*, *aut propter* ALIAS SIMILES *causas*, vel intellexit Vega *dolorem* NATURALEM, vel SUPERNATURALEM ob *mala* TEMPORALIA,

Andreas Vega plus ausus.

et *alias ſimiles cauſas* fide praelucente *conceptum*: Si *primum*, manifeſte ſtigmatizatus eſt ab Innocentio XI 1679 propone 57: *Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.* Si ſecundum: deſerendus ab omnibus eſt ob dicta cap. V. n V a verbis: *Quarta turpitudo peccati eſt.* Sane omnia hactenus dicta contra ſufficientiam attritionis ſervilis, quod in *amore ſui* fundetur: Cap. III. n XXI. quod *poſitive* non excludat voluntatem peccandi: cap. V. n. XII. quod non deteſtetur peccatum *ſuper omnia mala.* Ibi n XV. Haec inquam, et multa alia a nobis in praemiſſis probata a *majori ad minus* ſufficientiam attritionis *ob mala inferno inferiora*, et *alias ſimiles cauſas* etiam fide praelucente apprehenſas, horrore plenam palam demonſtrant. Hic ſcilicet Fructus eſt, quia Vega deſeruit doctrinam charitatis Sacramentalis *Chriſti*, *Apoſtolorum*, *et SS Eccleſiae Doctorum*, quin *omnium ante ſe Theologorum*, *quos ipſe legerit*, ut ipſis confitetur cap. I. n. XXXIX.

Adoleſcentia item timida:

V. Audiamus porro Benedictum XIV progreſſum attritionis enarrantem n. 7. cit: *Melchioris Cani ſententia vix nata Scholas omnes pervaſit, et tanto plauſu excepta eſt, ut plurimos, ac magni nominis ſtatim invenerit Patronos. Sed prae caeteris inquit Morinus cit. loc, hanc opinionem celebrem reddiderunt duo Theologiae Scholaſticae Clariſſima, ac famoſiſſima lumina Franciſcus Svarez, et Gabriel Vaſquez. quos innumeri nunc ſequuntur Theologi. Verum,* proſequitur laudatus Pontifex, *qui inter iſtos doctiores, et ſapientiores habentur, pavidi quodam modo, et meticuloſi, ac magna cum cautela illi recenti opinioni ſubſcripſerunt.* In exemplum moderationis, et cautelae proponit Pontifex Svarezium, qui Tom. . . in 3. part. Diſp. XV. Sect. 4. n. 17 in articulo mortis reum peccati mortalis ad agendam poenitentiam cum contritione adſtringit ex hac ratione: *Nam licet ſit probabilis opinio attritionem cognitam* (in ſenſu Cani) *cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem, tamen non eſt certa, et poteſt eſſe falſa. Quod ſi fortaſſe in re ita eſt*, (ut opinio attritionis falſa ſit reipſa) *probabilis illa exiſtimatio non ſufficit, ut homo ſalvetur. Ergo qui ſciens, et volens ita ſe mori permittit, voluntarie exponit ſe periculo morali aeternae damnationis. Nam ubi eſt morale dubium, eſt morale periculum, praeſertim in re tam gravi. Hic autem eſt morale dubium; cum illa opinio NEC VALDE ANTIQUA, NEC MULTUM COMMUNIS SIT. Neque habet locum diſtinctio de dubio practico, vel dubio ſpeculativo; nam quando dubium eſt de re ipſa, ſeu de effectu, an fiat, nec ne? tam dubium ſpeculativum, quam practicum ſufficit ad rem ipſam in periculo conſtituendam. Videtur autem profecto charitas obligare hominem, ne ſit adeo negligens ſuae ſalutis aeternae. Ergo obligat illum ad faciendum, quod in ſe eſt, et conandum ad habendam contritionem.* Et n 18 proſequitur: *Quae ſententia mihi ſemper valde probabilis viſa eſt, et nunc etiam videtur; quamquam videam multis viris doctis, atque etiam piis difficile, ac rigoroſum hoc videri: quia putant ſententiam illam de juſtificatione per Sacramentum poenitentiae cum attritione cognita adeo eſſe receptam, et auctoritate Concilii Tridentini munitam,* (a) *ut videatur ſufficiens ad tollendam morale periculum.*

Quam periculi plenam fatentur

Svarezius.

VI.

(a) Hic primum comparet praetenſa *definitio* ſufficientiae attritionis ſervilis *in Tridentino*; obiit autem Svarez a. 1615, a finito Tridentino 52. Sed Svarez hic ex alienа opinione loquitur, ut patet ex verbis: *quamquam videam multis hoc difficile videri, qui putant ſententiam* attritionis *auctoritate Tridentini munitam.* Quis autem hoc ſcutum definitionis Tridentinae pro defendenda attritione ſervili primus arripuerit, non dum deprehendi, niſi is ſit Ludovicus Lopez probabilis opinionis Nutritius mox citandus.

VI. Hactenus Svarezius. quem ideo longius, quam citet Benedictus, exſcripſi, ut iis corruat reſponſum Tornelii loc. ſupr. cit aſſerentis, Svarezium non ex *ſuo* ſenſu loqui, ſed aliorum. Perpendantur ſerio illa verba: *quae ſententia mihi ſemper valde probabilis viſa eſt, et nunc etiam videtur.* Hic certe de ſuo ſenſu loquitur: Tum refert aliorum probabilem Novam de Attritione opinionem a verbis: *Quanquam videam multis viris doctis.* Itaque priorem *antiquam* ſententiam *in praxi*, maxime pro articulo mortis ſvadet: poſteriorem *Novam* ut probabilem admittit, praeſertim Diſp XX ſect. 1: Ubi ſententiam Attritionis exiſtimat *hoc tempore*, quo ſcribebat Diſp. XX (quia interea a ſcripta Diſp XV increverant patroni attritionis) *adeo certam, ut non poſſit absque errore negari, loquendo abſolute de efficacia, abſtrahendo a modo, quo id fiat.* Quibus verbis agnoſcit, quod non poſſit negari *probabilitas extrinſeca*, *et certitudo* ſententiae attritionis *ſpeculativa*, *loquendo abſolute de efficacia.* Fatetur tamen dubium ſuum de *modo*, quo id fiat: Quia idem Eximius Doctor Diſp 4 ſect 8 agnoverat, *actum amoris Divini eſſe diſpoſitionem juſtificationis noſtrae ex Tridentino ſeſſ.* 6 c 6. ideo hic jam haeret *de modo, quo id fiat*; ſive quomodo actus fidei, et ſpei in attritione ſit proxima diſpoſitio ad juſtificationem ſine ullo actu charitatis etiam initialis. Sed et reſolutio illa, quam ut Svarezianam adfert Tournelius, *quod nempe in articulo mortis cum attritione cognita confeſſus non teneatur ad perfectiorem poenitentiam agendam (a) ex vi juſtitiae ad Deum, ſeu poenitentiae; nihilominus teneri tam ex charitate Dei, quam propria:* Haec inquam reſolutio prodit manifeſte, eum in eadem ipſa anxio dubio trepidaſſe. Hoc ipſum enim eſt in quaeſtione: an cum attritione cognita in articulo mortis confeſſus ſatisfecerit *juſtitiae Divinae*? an valide ſuſceperit cum attritione Sacramentum poenitentiae? Agnoſcit Svarezius talem poenitentem *teneri ad agendam perfectiorem poenitentiam* in articulo mortis ex charitate propria: cur? niſi quia dubitat, an talis Deo per poenitentiam validam ſatisfecerit. Si enim certus eſſet, *Dei juſtitiae* ſatisfactum fuiſſe, *propria charitas* ad perfectiorem cum initiali charitate agendam poenitentiam certo non obligaret. Quia propria charitas non plus exigit, quam juſtitia Divina. Ergo a contrario quia Svarezio teſte in articulo mortis urget *propria charitas* ad agendam perfectiorem poenitentiam, evidens eſt, illum dubitare, an *Dei juſtitiae* cum attritione agens poenitentiam ſatisfecerit. Ex quibus omnibus id elicimus, quod intendebamus, Svarezium nempe Illuſtratorem licet opinionis attritionis ſervilis, eandem opinionem, quam teſte Benedicto XIV ipſus celebrem reddidit, exiſtimaſſe, *nec valde antiquam, nec multum communem*, ſed *probabilem tantum*, et *quae falſa eſſe poſſit*, qua item in articulo mortis utens voluntarie ſe exponat periculo aeternae damnationis.

Qui ex ſuo ſenſu loquitur

et contrariam ſententiam obligare agnoſcit in articulo mortis

VII. Sed ut pateſcat manifeſte, Eximium Doctorem opinionem formidoloſam pro *ſcholis* duntaxat, et *ſpeculative*, nequaquam *pro praxi* illuſtrare voluiſſe, exſcribo ea, quibus is *antiquam* doctrinam tradit, et probat apud Francolinum de *Dolore ad Sacramentum poenit. neceſſario* Lib I c V n 12: ubi ita eum refert Francolinus: *Svarez Diſp. 3 de Poen. ſect 9 n 9 docet, omnem actum, qui eſt converſio* ad *Deum ex toto corde, ſeu deteſtatio peccati ex toto corde, deteſtari peccatum ſupra omne malum poenae. Unde videtur ſequi, quod actus Attritionis,* QUO CERTE NON DETESTAMUR PECCATUM SUPRA MALUM POENAE, non

Svarez antiquam ſententiam invicte demonſtrat.

(a) Haec Verba: *ad perfectiorem poenitentiam agendam* refellunt illorum opinionem, qui ajunt, Svarezium non *poenitentiam cum amore Dei benevolo*, ſed *actum* duntaxat *charitatis in articulo* mortis conſtituto peccatori ſvadere neceſſarium.

NON SIT ILLA CONVERSIO, *ac deteſtatio* EX TOTO CORDE, QUAE PRAECIPITUR *a Deo, proinde non ſit ſufficiens. Idem Liſp 4 Sect 2 quaerit: utrum ad veram contritionem requiratur amor Dei ſuper omnia? et reſpondet affirmative, et rurſum id probat 1. ex illo Joann 3:* qui non diligit manet in morte. 2. *Ex illo Pauli ad Cor 13:* Sine charitate nihil ſum. 3. *Ex praecepto:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. 4. *Ex Deutr 4:* Cum quaeſieris Dominum, invenies eum; ſi tamen ex toto corde tuo quaeſieris eum, et ex tota tribulatione animae tuae. 5. Ex eo Luc 7: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. 6. *ex Auguſtino dicente:* ſine amore nemo unquam gratiam invenit, nec veniam conſecutus eſt. Si charitas abſit, caetera fruſtra fiunt. Veram poenitentiam non facit, niſi odium peccati, et amor Dei. *Sic arguit Svarezius, nempe ex omnibus illis locis, ex quibus noſtri adverſarii* (limiti liſtae) *docent*, POENITENTIAM EX SOLO METU NON ESSE VERAM POENITENTIAM, NEC ESSE EAM, QUAM EXIGUNT SCRIPTURAE, ET PATRES: *ac proinde* NEC IN SACRAMENTO *ſufficientem eſſe ad obtinendam veniam, et gratiam.* Haec Francolinus ex Svareſio. Quibus in nuce continentur omnia noſtra potiſſimum *ex ſcriptura* pro initiali charitate militantia argumenta. Ex quibus obiter noto, quod ſi Eximius Doctor vidit neceſſitatem charitatis *Sacramentalis* in *ſcriptura* contineri, dum *eam* ex *hac* evincit; neque ejusdem charitatis Sacramentalis neceſſitatem Concilio *Tridentino cognitam* fuiſſe *in ſcripturis* contineri, inficiari poterat Francolinus (de quo cap. V. n LX) niſi alterutrum fateatur: vel illuſtre ſidus Scholae ſuae, in *ſcripturis* vana, et inania vidiſſe: vel Univerſale Concilium Tridentinum, ſui temporis Doctorum totius Europae compendium, non vidiſſe *in ſcripturis* contineri eam ſententiam noſtram, quam ſubinde Svareſius *in ſcripturis* contineri plane cognovit, quamque ex *iis* mirifice illuſtravit. Si primum admittat Francolinus, injurius eſt in Principem Scholae ſuae. Si alterutrum concedat, irreverens eſt in organum Spiritus Sancti. Ex quo dilemmate non evadet, niſi concedat tam Eximium Doctorem, quam noviſſimam Synodum Generalem plane cognoviſſe neceſſitatem charitatis Sacramentalis *in ſcripturis* contineri.

Occurritur Francolino.

Inſurgit Francolinus ibi n 13: Deſcripta argumenta non evincunt, Svareſium initialiſtis favere, *alioquin pugnantia docuiſſet; alibi enim docet oppoſitum clariſſime.* Reſp. aequali jure inverto argumentum. Argumenta Svareſii, quae ex eo pro *ſufficientia attritionis ſervilis* depromuntur, non evincunt illum attritioniſtis favere: *alioquin pugnantia docuiſſet: hic enim docet oppoſitum clariſſime*, atque *ex ſcripturis* noſtram ſententiam luculenter evincit. Provoco ad judicium orbis eruditi! an non clariſſime doceat hic Svareſius Sacramentalis charitatis neceſſitatem? Eam tamen ego injuriam non infero Eximio Doctori, quam Francolinus Contribuli,, quin Magiſtro ſuo, quod *pugnantia docuiſſet:* Sed ajo, illum hoc loco veritatem *antiquam practicam* in ſcriptura, et Auguſtino fundatam tradidiſſe: alibi opinionem ſervilem, ut *Scholae* nominalis *ſpeculationem* a praxi abſtractam pro eximio ingenii ſui acumine illuſtraſſe. ut elucet ex dictis hic n V. et VI.

Svareſium ſequitur Gamachaeus.

VIII. Svareſium ſequitur Philippus Gamachaeus ſummae Theologiae c. 8. de poenit. inquiens: *Etiamſi agnoſcamus Sacramentum poenitentiae revera facere ex attritis contritos; non tamen id omnino indubitatum. Ergo debet tunc conari ad veram contritionem, ut hoc modo attritio ſaltem evadat certior.* Nempe ſvadet, conandum eſſe ad contritionem, ut attritio cum imperfecto ſaltem amore benevolo fiat certior. Ita ſeipſum explicat continuando: *Etiamſi ſola attritio a parte rei, et ſpeculative ſufficiat ad juſtificationem, attamen practice, et reſpectu noſtri non ſa-*

tis

tis tutum videtur, ut ſcienter prudenter ſolum ejuſmodi attritionem in vitae exitu adhibeamus. Homo enim debet ſalutem ſuam cum timore, et tremore operari, praeſertim in articulo mortis, et quaſi omnia tuta tenere, nec tentare Deum, aut ſe in probabile damnationis periculum mittere. Quod docent hi duo Theologi pro articulo mortis, idem ego ſvadeo pro omni in vita confeſſione. Semper enim *cum metu, et tremore operanda eſt ſalus* Apoſtoli monitu; nec unquam tentare Deum fas eſt, aut in probabile damnationis periculum caput noſtrum mittere. Quin et contremiſco vel cogitare: *alias* partes eſſe Sacramenti poenitentiae, alium dolorem *in vita*, alium *in morte* juxta attritioniſtas! hoc eſt fingere Chriſtiano aliam Theologiam in mortis articulo, aliam in vita. Caeterum et Gamachaeus, ut vides, attritionis ſufficientiam *ſpeculative*, non *practice* defendit; hoc eſt pro *opinione Scholae* admittit probabilem: Ita tamen, ut poenitentes *a praxi* ejus dehortetur. (*a*)

Ad Philip. 2. v. 12.

Una debet eſſe Theologia in vita, et morte.

IX. Jungamus his alterum luminare Soc Jeſu Gabrielem Vasquezium, qui 2 2 q 19 a 6 diſp 63 haec habet: *Qui ad Sacramentum accedit ſola attritione ſcita, licet non ſe exponat periculo efficiendi irritum Sacramentum,* (*b*) *exponit ſe tamen periculo fruſtrandi Sacramentum EFFECTU SUO. In quo non eſt minor irreverentia contra Religionem. Neque uſque adeo certum eſt, attritionem poenitenti eſſe ſatis.* Quibus verbis Doctor Maximus docet: Nunquam licere accedere ad hoc Sacramentum cum attritione ſervili eo, quod talis exponeret ſe periculo fruſtrandi Sacramentum effectu ſuo; quae ſemper irreverentia eſt contra religionem.

Vasquez.

X. A praxi Sacramentali pariter aeternum excludit attritionem ſervilem Paulus Comitolus in Reſp Moral L 1 q 32 n 7 ſcribens: *Plures magni Theologi in poenitente, antequam abſolvatur, contritionem veram charitate formatam requirunt: Neque uſque adeo certum eſt, attritionem poenitenti eſſe ſatis. Quocirca Sacerdotis partes eſſe debent, verae contritionis motum in corde poenitentis auxiliante Deo elicere, ardentique eum cohortatione urgere, ut propter Deum peccata admiſſa execretur omnia.*

Comitolus.

XI. Atque hi ſunt illi Theologi, quos Benedictus Pontifex ut *Sapientiae, et moderationis exempla* proponit naſcenti attritionis opinioni *pavide*, et *meticuloſe*, et *magna cum cautela* ſubſcripſiſſe. His adjungi poſſunt alii Tridentino proximiores: Bartholomaeus Medina, Melchioris Cani in Cathedra Salmanticenſi Succeſſor, ac recentis eius opinionis Succenturiator 1 2 q 19 a 6 aſſerens: *In Sacramento poenit. dicit opinio probabilis, quod attritio cognita attritio ex parte materiae ſufficiat*

Bartholomaeus Medina.

(*a*) Animadvertat Lector miſerandam Faciem *Theologiae* poſt Tridentinum! utpote in qua aliud docebatur pro *Scholis*, aliud pro *praxi*. Succeſſive autem Speculationes Scholae caeperunt proclamari *tutae in praxi*. Hinc nata tota deformatio Theologiae moralis: ex hac ſenſim corruptela in populo chriſtiano. Quantum hoc dolemus, tantum ſatagamus, ut nobis, ſicut SS Patribus, una ſit Theologia Speculativa, moralis, practica, concionatoria, aſcetida. Quod monet Elizalde S I Cella Dei per anagramma vocatus.

(*b*) Vide infra Barthol. et Joan. Medinam hanc propoſitionem in dubium revocantes. Nec immerito: nam Sacrm poen. toties *validum* eſt, et *formatum effectu ſuo*, quoties partes ejus *eſſentiales* rite ponuntur, nempe: contritio, confeſſio, et abſolutio. Trid. Seſſ. 14 c 3. Ergo qui exponit ſe periculo *fruſtrandi* hoc Sacramentum *ſuo effectu*, exponit pariter periculo *efficiendi Sacramentum irritum*. Unde Illuſtris Theologus Biluart De poenit Diſſer VII a 1 ex Angelico probat: contritionem eſſe de eſſentia hujus Sacramenti, eaque cum caeteris partibus poſita haberi *remiſſionem peccatorum*. Vide Gerſon cap 1 n XIII.

ad Sacramentum poenitentiae. At certum non eſt, an conficiatur Sacramentum. Sic fatur *probabiliſmi Inventor.* Vide Antoine de conſcientia probabili quaeſt 2 obj 15.

Joannes Medina.

XII. Joannes Medina de poenit q 4 ait: *Videtur tenendum, quod poenitentia, ſive contritio neque cum Sacramento, neque ſine illo poteſt valere ad ſalutem animae de Lege ordinaria, niſi in Deum ſumme dilectum ſit relata.*

Ludovicus Lopez.

XIII. Ludovicus Lopez inter primos probabiliſtas numeratus viginti circiter annis a finito Tridentino inter *pavorem*, et *audaciam* aliquid *inſolitum* ſe tentare non diſſimulat, dum probabilem Sacramenti poenitentiae materiam attritionem ſervilem ſtatuit in ſuo Inſtructorio conſcient. p 1. c. 9: *Audeo et hanc ſtatuere concluſionem: probabile eſt, et non parum veritati, et Concilio Tridentino conſona opinio affirmatur, quod ad impetrandam juſtitiam, et remiſſionem peccatorum in Sacramento poenitentiae ſatis eſt attritio cognita, etiamſi poenitens non exiſtimet probabiliter eam eſſe contritionem.*

Platelius.

XIV. Jacobus Platelius in Sinopſi p 5 c 6 § 5 poſteaquam attritionis ſervilis in Sacramento ſufficientiae velificatus fuiſſet, circumſcribit ſuam doctrinam his verbis: *Quia tamen hoc non obſtante ſemper manet illud, quod haec ſententia non ſit omnino certa, ac proinde Sacerdos eam in praxim redigens aliquo ſaltem modo exponat Sacramentum periculo nullitatis, ideo in praxi debet poenitentem, ſi rudis, et minus inſtructus appareat, excitare ad actum contritionis, ut certius conſulatur valori Sacramenti.*

Qui omnes novam opinionem incertam, et periculoſam eſſe confitentur.

XV. Hi omnes Theologi naſcentem, et adoleſcentem Attritionis ſervilis opinionem propugnarunt, propaparunt, et illuſtrarunt: nihilominus fatentur ingenue, eam *non eſſe niſi ſcholae opinionem*, eamque *probabilem*, nec uſque adeo certam, ut in *praxim* absque *periculo fruſtrandi Sacramentum*, et *exponendi ſalutem aeternae damnationis diſcrimini* deduci poſſit. Non fuit itaque Attritioniſtarum ſententia *moraliter certa*, et in *praxi tuta*, dum *nata*, et *educata* eſt.

Notatur P Francolinus originem charitatis Sacramentalis ab Haereticis deducens.

XVI. Subſiſtamus hic tantiſper, et poſteaquam veros Natales Attritionis ſervilis ex Benedicto XIV, aliisque omni exceptione majoribus Doctoribus modeſte deteximus, aperiamus grande, acerbumque vulnus initialis amoris Patronis a Balthaſare Francolino inflictum, dum is jam cit. Lib. 1. c. 8. et ſeq *initialis Charitatis* in Sacramento *neceſſariae* originem repetit a Donatiſtis, et Pelagianis: progreſſum a Luthero, et Calvino: incrementum a Bajo, et Jansenio, hosque Magiſtros ſtatuit Catholicorum Doctorum Pallavicini, Ghriſtiani Lupi, Sylvii, Juenin, Natalis Alexandri, et omnium illorum, quicunque initialis Charitatis neceſſitatem in Sacramento illuſtrarunt, et qui eam propugnant hodiedum. At enim Defenſores charitatis Sacramentalis toto corde damnant Donatiſtas, Pelagianos, Lutherum, Calvinum, et omnes illos, qui *metum* ſimpliciter *ſervilem* actum *bonum*, *honeſtum*, *ſalutarem*, et *ſupernaturalem* eſſe negarunt. De quibus luculenter dictum hic Cap. V. n. I. II. III. IV. Toto namque Caelo diſtincta ſunt docere: *Timorem mere ſervilem eſſe actum malum*, et NEC REMOTE *diſponere ad juſtificationem*: quod Lutherus cum dictis Haeterodoxis dogmatizavit, et aſſerere: *timorem mere ſervilem in ſe actum bonum, ut alias virtutes morales remote duntaxat, nec per ſe ſufficienter diſponere ad Sacramentum poenitentiae:* quae Initialiſtarum doctrina eſt.

diſcrimen amplisſimum inter nos, et Haereticos.

inter Bajum, Janſenium Quesnellium.

De Baji, et Jansenii erroribus neceſſarium Scutum praemiſimus jam Cap I ad n XXIX factis notationibus: Quibus ad oculum demon-

monſtravimus, Bajum, et diſcipulos ejus Janſenium, et Quesnellum nomine Charitatis intellixiſſe 1: *Habitualem* 2: *Actualem perfectam* ibi n 3 et ſeqq. 3: eam, quae ſit motivum *generale intrinſecum*, et *unicum* omnium aliarum virtutum: et quod Caput rei eſt, *libertatis inimicum*, ita, ut charitate tali abſente omnes virtutes, et actiones a CUPIDITATE actuali *intrinſece corrumpantur*, *libertasque a neceſſitate* manifeſte evertatur. ibi n 6. 7. Nos ex adverſo virtutes inferiores *in ſe*, et in motivis ſuis *intrinſecis* aſſerimus eſſe bonas; ſed *Fine extrinſeco* aarentes, ideo *imperfectas*; atque ad *hunc* ipſum *finem*, et ad Sacramentum poenitentiae contenti ſumus charitate *initiali affective ſuper omnia* ibi n 8 et ſeq: in nullo ſyſtemate neceſſitatem inducente. Cap V a n XXXII. Francolinus, et alii Adverſarii noſtri praemiſſas diſtinctiones charitatis *Janſeniſtarum*, et *Initialiſtarum*, in quibus conſiſtit illorum error, et noſtra cum SS Patribus conſenſio, paſſim negligunt, nec explicant. Qua ex cauſa? an ex ignorantia? non dico, quia ſunt Viri docti. an ex aemulatione erga contrariam ſibi ſententiam Noſtram? nec id quidem affirmo, quia pii, et ſalutis ſuae, et proximorum ſtudioſi ſunt. Non igitur diſputo, unde id faciant, video tamen per Adverſarios, *initialiſtas* adeo atris depingi coloribus, ut ſiquis in his rebus novellus, aut ab illis tantum inſtructus nos in illorum Libris intueatur, absque ſcrupulo jurare poſſit, Nos teterrimorum Haereticorum eſſe Filios, et Haeredes. Juvat rei hujus experimentum capere ex ipſo Francolino: ut diſcuſſis adverſariorum accuſationibus *antiqua veritas* nemini ſit ſuſpecta, quin plena luce cunctis videre volentibus fulgeat. *Et nos.*

XVII. Is itaque non erubescit Lib 1 c 8. c. op. aſſerere 1. Donatus omnium primus damnavit eos, qui paenae timore ad Dei cultum trahebantur. Ergo is videtur eſſe primus Parens initialiſtarum. 2. Pelagiani putarunt, non bene homines revocari a peccatis metu poenae. 3. Lutherus rejecit metum ex his capitibus: quod ſit coactus, ut projectio mercium, nec plene voluntarius: quod annexam habeat pravam cupiditatem, atque adeo pertineat ad Legem Moyſaicam. Atqui, inquit, et *initialiſtae* ex his capitibus redarguunt attritioniſtas; ergo *Illi* fruſtra conantur oſtendere metum non eſſe veram hypocriſim. 4. charitatis ad bene poenitendum, et ad recte operandum neceſſitatem ſatis inſinuat Calvinus Inſtit L 3 cap 16 § 3. et cap 13. § 2. Haec ex cap 8. Porro cap 9 idem Francolinus paralellum inter Nos, et Janſeniſtas continuat 5: Janſeniſtae damnarunt poenitentes quatenus cum metu retinent pravas cupiditates: nec *charitate* moventur, *qua* nos moveri debere in ſingulis actionibus deliberatis docebant. 6. Poſt damnatas Bay propoſitiones 31, et 32*dam* doceri caeptum eſſe, ait, charitatem in quavis actione deliberata intervenire debere: et praeſertim in ſuſceptione Sacramenti poenitentiae; ab ea autem non expelli peccatum, niſi in raro caſu. 7. Initialiſtae ſpem charitate vacuam reprobare videntur. Quod damnatum eſt in Baji propoſitione 38*va*. 8. Ante Bajum, et Janſenium *nemo* docuit *haec duo:* ad Sacramentum poenitentiae requiri veram *Dei propter ſe*, et *ſuper omnia* dilectionem, et regulariter per talem dilectionem non expelli peccatum, niſi cum actu ſuſcipitur Sacramentum. Hinc 9. Janſenius L 5 c 34 Initialiſtarum ſententiam his exprimit verbis: *Eſt quaedam contritio veri nominis, et rationis, et eſſentiae, quae tamen non niſi cum Sacramento ad juſtificationem aquirendam ſufficit.* 10. Quod plus eſt, Initialiſtae cum Janſenio conveniunt *et in iisdem argumentis, et in iisdem fere verbis*: Janſenius L 5 cap 29 docet: *ea, quae metu aguntur*, eſſe ex voluntario, et involuntario mixta, et conjunctum habere hunc affectum: *nollem facere*, vel *nollem abſtinere, niſi metu cogerer.* Cui conſonat Caſtorienſis Eppus L 1 c 2 Sugilians meticulo- *accuſationes Francolini:*

ſos,

ſos, eoſque comparans *timentibus naufragia, qui jactum faciunt bonorum, quae retinere vellent.* Similiter Lupus Diſſ. de contrit. c 16. *Et reli- qui*, inquit, *omnes.* 11. Jansenius L 5 c 31 docet: a timente *non omni ex parte peccatum caveri, quia poenas timendo, IN SUI IPSIUS amore requieſcit:* cum tamen *malum ſuum ita formidare, et bonum* ſuum *ita appetere debuiſſet, ut in utraque ſeipſum referat ad Deum, quod qui non in omnibus actibus, et affectibus ſuis facit, ſine dubio delinquit.* Similiter Lupus cap 14 ait: *Metus gehennae oritur non ex caſto Dei, ſed ex mercenario amore SUI, quo homo ſibi ipſi bene vult eſſe, non ſolum in hac vita, ſed etiam in futura.* Quod eſt damnare *poenitentes ex ſolo metu.* Conſonat Caſtorienſis L. 1 c 2 *Amor Dei*, inquit, *humanis omnibus actionibus oportet, ut imperet* 12. Janſenius L 5 c 33 aſſerit, *doctrina, quae docet, timorem omnem voluntatem peccandi excludere, nihil in Auguſtini doctrina abſurdius, et falſius dici poteſt.* Concinit Caſtorienſis L 1 c 8, et Lupus c 17. 13. Janſenius L 5 c 23 ait: Eum, qui timore implet praecepta, *non ex gratia Dei, ſed ex propriis viribus ea implere.* Adſtipulatur Lupus c 15. 14. Initialiſtae agnoſcunt, *ſolum vivificationem charitatis:* negant *vivificationem imperfectam:* quod damnatum in Bajo eſt ppne 64. Denique 15. Initialiſtae non ſolum *doctrinam* ex Bajo, et Jansenio hauſere, ſed et *modum docendi* remotum a Scholaſtico modo, quem ſemper odere Novatores. *eundem item modum interpretandi* SS *PP*, et praeſertim Auguſtinum: *Eundem* demum *Scribendi characterem.* Haec Francolinus cap 9 *non quod velit Haereſeos*, vel *erroris notam inurere* Initialiſtis, ſed volens tantum oſtendere, *quis ſit fons eorum doctrinae, quos ſequantur, et quas propoſitiones ab iis acceperint, neſcio*, inquit, *an probandas.* Ad haec eodem cap. 9 aſſerit 16. Sententiam, quae contritionem exigit in Sacramento, et in omnibus actionibus charitatem virtualem, *eodem tempore* caepiſſe propagari, *quo caepit Janſeniſmus, et in iisdem regionibus*; nempe in Belgio, et finitimis regionibus. 17. Qui vero hanc obligationem prae caeteris exaggerarunt, fuiſſe Antonium Arnaldum, Joannem Epiſcopum Caſtorienſem, Joannem Obſtraet, Gummarum Huygens, Macarium Havermans. quos et in *aliis materiis* praevae, es ſuſpectae doctrinae viros fuiſſe probare nititur, ut palam conſtet, eos nullam fidem mereri. Haec fere, ſed fuſe Francolinus.

Reſpondetur Francolino. XVIII. Quis haec audiens, vel legens Nos non continuo Haereticos habebit? Fidenter dico: eos omnes, qui hanc opellam mente a praejudiciis libera evolverint, atque adeo Initialiſtas *ſuo*, non adverſariorum, *ore* loquentes audiverint. Proinde ut omnem erroris Fuliginem a pia noſtra ſententia amoliar, ad ſingula haec accuſationum capita breviter reſpondendi neceſſitatem mihi impoſitam atrocitate accuſationum video. Itaque

Ad 1. et 2 Ad 1. et 2 ajo: Nos non damnamus eos, qui poenae timore ad cultum Dei trahuntur: quin affirmamus, eos *bene* trahi, *bene a peccatis revocari, ſed inſufficienter*, et inefficaciter ad Sacramentum. Conf Cap V n VIII X XII. Ergo Donatus, et Pelagius Parentes Noſtri absque

Ad 3. *grandi nimis coram Domino* injuria dici nequeunt. Ad 3. Mentem Lutheri *omnem metum malum* eſſe dogmatizantis. Cap V n. II. et III. noſtramque *de timore* ſententiam ibi a n VII ea claritate, et SS Patrum ſuffragio expoſuimus, ut injuria Lutheranismi non tam Nos, quam ipſos SS PP, eorumque Diſcipulos, Veteres Theologos, Magiſtros Noſtros impetere videatur. Nihil nos negamus *metui* mere ſervili eorum, quae adſtruunt Adverſarii, niſi hoc unicum aſſerimus, quod non convertat ad Deum *poſitive* poenitentem, ſed *negative* duntaxat, atque adeo *pravam cupiditatem*, et peccandi voluntatem *habitualem*, non *actualem*, annexam

hexam habeat, utpote quam *directe* non aggreditur, nec expellit, sed *indirecte* tantum, et *insufficienter*. Cap V n XII. et seqq. an propterea, quod fidem, et omnes virtutes morales non positive expellere pravam cupiditatem *habitualem* doceant ipsi adversarii, dicent se eas virtutes pro hypocrisi habere? minime gentium. Cur? quia fidei, et inferiorum virtutum non est *positive* expellere *pravam omnem voluntatem*, sed *sibi tantum contrariam*. Recte. Idem nos de metu *servili* per omnia tradimus cap V n XIII. XV. Ergo metum mere servilem aeque facile demonstramus vacuam hypocrisi, sicut adversarii omnes inferiores virtutes. Ad 4. Si Calvinus per *charitatem* intellexit *perfectam*, vel *habitualem*, vel ut *motivum generale intrinsecum* omnium virtutum, aut *necessitantem*, tunc Bajo, et ejus discipulis praelusit, ut h n XVI diximus. Si vero intellexit *initialem*, et *virtualem*, in hoc cum PP, et scriptura sensit. Cap. I. n XXII XXIX. Appositе hic Augustinus L. contra Petilian c 3: *nunquid dicere non debemus, quod Bonus Deus fecerit mundum, quia hoc etiam dicit Manichaeus?* Ex quo loco discimus, *Haeterodoxos*, in quibus veritatem assecuti sunt, sequendos nobis quoque esse, non quia illi docent, sed qvia veritas aliunde nota nobis est; secus solem negare deberemus, quia eum Haeretici affirmant. *Ad 4*

XIX. Ad 5. Dist. Jansenistae damnarunt poenitentes, quatenus cum metu retinent pravas cupiditates *actuales, acres, NECESSITATE praedominantes, actu mortifere saevientes*, nec charitate *habituali*, aut *actuali acri, intensa, necessitante*, velut motivo *generali* omnium virtutum *intrinseco* moventur, qua omnes moveri debere in singulis actibus docebant: *concedo*. Damnabant poenitentes, quatenus cum metu retinent pravas cupiditates *in habitu*, metu tamen *repressas*; ne actu saeviant, nec charitate *initiali*, aut *virtuali* moventur, qua nos moveri in singulis actibus debere docebant. *Nego*. Primus sensus est Bay cap 1 ad n XXIX not 2 3 6 7. Secundus Ecclesiae. ibi not 4 5 8 9. cap V n XV. XIX. XXXIV Ad 6. falsissimum commentum redarguunt dicta cap I potissimum n XXII. XXIX. et not cap III ad n VI. c V a n XXII usque ad finem cap. Ad 7. Spem *adaequate* sumptam *Dei nobis, et in se boni* valde commendamus, *inadaequate* sumptam *Dei nobis* tantum *Boni* non reprobamus ut *in se vitiosam*, sed *imperfectam*. cap III a n XXV usque ad finem. cap V n XV. Ad 8. patet afferti falsitas ex Resp ad 6: item ex dictis de charitate *praeparatoria* c II n XII XIV. Ad 9. Respondeo cum Francolino I 1 c 9 n 4: *non omnis doctrina Jansenii Jansenismus est*. Ejus enim virus in V propositionibus continetur; caetera Vir fuit doctissimus, atque in SS PP, maxime Augustino versatissimus. Objecta itaque hic ex eo doctrina de charitate *Sacramentali* SS PP est, et cumprimis Augustini. cap I n XIV XV XVI. Ecclesiae est. cap II n IV. et Angelici Doctoris: ibi n V VI XII XIV. XV. Ad 10. Ex modo dictis patet convenire cum Jansenio *in argumentis*, et *in verbis* (praeter V propositiones, et alias Bay, et Quesnelli damnatas) errorem non esse. An enim abjicienda sunt *argumenta*, et verba aeternas veritates demonstrantia ideo, quia illis Haereticus aliquis bene usus est? nequaquam, ut ad 4 ex Augustino didicimus. Caeterum doctrina, quae hic ex Iprensi, Castoriensi, et Lupo objicitur unice *de metu serviliter servili* intelligenda est. c V n VII: non de *mere* servili. ibi n VIII. Si quis plus vellet, non est noster. *Ad 5* *Ad 6* *Ad 7* *Ad 8* *Ad 9* *Ad 10*

XX. Ad 11. Doctrinam *de amore Spei* ad Deum nec *actu*, nec *virtualiter* relato *in amore sui* defectu finis imperfecte quiescente plane probamus ut haereditatem a SS Ecclesiae Patribus nobis traditam. *Ad 11*

cap. III. n III. XXI XXII XXIII XXV XXVI. quamquam itaque durior sit illa expressio. Lupi post cit. in objectione verba ita continuantis: *Porro sui ipsius amorem, quo homo non in Deo, sed in seipso seipsum diligit, esse fontem impurum, et omnis distorti affectus primam radicem, est unum e fundamentis doctrinae Catholicae, et Augustinianae;* in substantia tamen verissimum est, *ortum ex timore servili amorem puraé spei* non esse *castum, ordinatum*, sed *mercenarium, et in amore suae quietis* quiescentem, quia ad charitatem *Dei in se boni* non relatum, ad quam et timor, et spes, et omnes virtutes referri debent, ut ordinatae sint. Cap V n XV XVI XVIII XIX.

Insurgit contra haec Francolinus L 1 c 6 § 8 n 77, aitque, hanc doctrinam esse *damnabilem*, et sic demonstrat: Qui amat sibi bene esse in alia vita, *in Deo seipsum diligit.* Nam amat *Deum sibi*: nec *se* constituit *ultimum finem suum*, nam optat consecutionem *sui ultimi finis a se distincti*, nempe *visionem, et fruitionem Dei.* Addit: amor salutis propriae charitate Dei *in se boni* vacuus nequit vocari amor impurus, et distortus, quin impingamus in pponem Bay 38 ab Ecclesia damnatam: *omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas*, qua *mundus diligitur, aut laudabilis charitas.* Haec Francolinus. Quae amorem spei *perfectum extrinsece*, et *ordinatum* non reddunt. Nam qui amat *sibi* bene esse in alia vita amore purae spei, *in Deo sibi bono seipsum* diligit, nec amat Deum *in se* bonum, sed sibi tantum bonum: *se* item, sive *quietem suam* constituit *ultimum* sibi finem, non Deum *in se, et sibi bonum*: nec optat ultimum finem adaequatum, nempe visionem, et fruitionem *Dei nobis, et in se boni*, sed *inadaequatum* Dei *sibi optanti* tantum bonum. quod etsi *intrinsece* vitiosum non sit, est tamen *inordinatum*, ut docet appositе Angelicus 2 2 q 19. a 6: *charitati non contrariatur, cum aliquis diligit seipsum secundum rationem proprii boni, ita tamen, ut* IN HOC PROPRIO BONO NON CONSTITUAT FINEM. Atqui amor spei charitate vacuus diligit *proprium bonum* ita, *ut in hoc proprio bono constituat finem suum* eo ipso, quod hoc proprium bonum ad Deum *in se bonum* non referat. Nam ut ait Mellifluus: *qui confitetur Domino, quoniam potens est, servus est, et timet sibi: qui confitetur, quoniam SIBI bonus est, mercenarius est, et cupit SIBI. Sola charitas non quaerit, quae sua sunt.* Ergo sola charitas est casta, pura, et ordinata. Conf. cap. V n XV. Additum Dist. amor spei propriae salutis non potest dici amor impurus impuritate *mortifera, actuali, acri, intensa, perfecta, intrinsece mala*, quin impingamus in propositionem Bay: *concedo*, et patet ex vero propositionis sensu cap I ad n. XXIX not 2 4 illustribus Theologorum, quibus Francolinus necessario, assurgere debet, testimoniis confirmato. Amor spei nequit dici *impurus*, ideest: *fine, et rectitudine extrinseca relationis ad charitatem destitutus;* proinde *extrinsece imperfectus.* Nego, et patet ex cap. V. n XXIX. unde merito miramur in Francolino, et adversariis omnibus, quod doctrinae nostrae, quam a PP ut haereditatem accepimus (cap. I. a n XXII.) identidem opponant hanc, et similes propositiones Bajanas *crude*, et *sine exposito vero earum sensu.* Cur obsecro? an ex ignorantia? non dico de viris doctissimis. an ut illae ppones nude prolatae terriculamenta sint indoctorum, ne piam nostram sententiam amplectantur? nec hoc affirmo. Quia puto eos ingenue agere. Id unum affero, quod si verum illarum sensum suis exposuissent, pridem Castra servilia deserta ab omnibus fuissent. quod ab omnibus Lectoribus meis salutis suae studiosis spero meo exemplo, qui qua hora verum Bajanarum pponum sensum plene intellexi, mox male olim hausta servilia, et mercenaria principia horrescere caepi. Duriores tamen expressiones nostrorum, ut est illa Lupi, penitus non probo.

Amor suae tantum quietis imperfectus.

XXI.

XXI. Ad 12. Doctrinam hic nobis objectam, ut depoſitum PP probamus, et evicimus cap. V n XI XII. et ſequent. Ad 13. Diſt. qui timore *ſerviliter ſervili* implet praecepta, non ex gratia Dei, ſed ſuis viribus implet. Concedo ex dictis cap V. n VII. qui timore *mere ſervili:* nego, ibi n VIII. Ad 14. Mirandi ſane ſunt adverſarii, quod nobis hanc pponem objicere non dubitent, quae eos maxime, et invincibiliter premit; noſtram de duplici charitate doctrinam *Apoſtolicam*, et *Bay poenitentis* eſſe demonſtrat, ut vidimus not 4 5 ad n XXIX cap I. Quibus addo: Adverſarios *imperfectam vivificationem* timori *ſervili* attribuere penitus non poſſe, cum is negative tantum excludat voluntatem peccandi, nec plus praeſtet, quam aliae virtutes morales. cap V n IX XI XII XXVII. et ſeqq. ergo quia adverſarii omni charitati vim juſtificationis extraſacramentalis tribuunt, manifeſte ſequitur, eos unam tantum, ſimplam, et non *duplicem extraſacramentalem vivificationem docere.* Ad 15. Singula hujus objectionis capita injurioſiſſimas eſſe criminationes venerandae antiquitatis, hactenus per nos dicta, potiſſimum cap I. II. et V Sole clarius loqvuntur; ex iis enim elucet, nos et *doctrinam*. et *modum* docendi, et ſcribendi *characterem* a SS Eccleſiae Patribus, eorumque germanis diſcipulis Theologis *ante-Tridentinis* accepiſſe: ab illis *Bajum cum ſuis* in negata charitate initiali Sacramentali, aliisque per nos cap I not ad n XXIX expoſitis articulis toto Oſtio aberraſſe. Adverſarii quos ſequuntur? nempe ultra doctrinam Jeſu Chriſti, *Apoſtolorum*, et SS *Patrum*, quin omnium ante ſe *Theologorum* audentes privatos Doctores: ut hoc cap n I II III IV cum horrore contemplati ſumus. Conf not ad introd n II, et V.

Ad 12 Ad 13 Ad 14 Ad 15

XXII. Ad 16. Par priori eſt infundatum aſſertum. eas enim ſcripturae, Patrum, Theologorum ante, et ſub-Tridentinorum auctoritates pro *charitate Sacramentali, et initiali* hactenus congeſſimus; ut *eam* cum *Janſeniſmo*, et *in iisdem cum ea regionibus* propagari caepiſſe, plus quam anilis fabula merito cenſenda ſit. Addo tamen, et connaturale eſſe, et ex Hiſtoria Eccleſiaſtica conſtare, omnes Haereſes a Doctis, et Sanctis ejus regionis, in qua exortae ſunt, fuiſſe primum oppugnari caeptas. ita et cum Bajaniſmo, et Janſeniſmo evenit. Et quia hi errores non aliud, quam *exceſſus*, et *abuſus* ſunt piae *Sanctorum ſententiae de charitate Sacramentali, et Virtuali*, ut ex not ad c I n XXIX elucet, hinc factum reipſa eſt, ut Theologi in Belgio, et finitimis regionibus Patriae ſuae Peſtes Bajaniſmum, et Janſeniſmum primum oppugnantes, contrariam illis veterem Sanctorum Patrum doctrinam in omnibus Catholicis Scholis tunc receptam (cit. not. n 5) novo Spiritu, et zelo pro antiqua veritate defendenda, quam Bajaniſtae *nimio rigore impracticabilem* reddebant, attritioniſtae vero palam deſerebant, clarius expoſuerint, firmaverintque. Ad 17. Citatos hic Doctores illuſtratores *piae ſententiae* fuiſſe, concedo. Inventores, nego. Ante eos enim *illius* defenſores produximus jam nos viros maximos *ex omni natione, quae ſub coelo eſt.* confer ſingula capita noſtra.

Ad 16 Ad 17

Quod vero *alios* EORUM errores attinet: cum ego ſingulorum Apologiſtam agere, ne immenſum diffundar, nequeam, breviter ajo: non hic quaeri: an objecti hi ſcriptores in aliis materiis plene irreprehenſibiles ſint? hoc enim privilegium *inerrantiae* inter privatos paucorum eſt; ſed hoc tantum: an in aſſerta charitate *initiali*, et *virtuali* fidem mereantur? id vero plane affirmo; quia conteſtes in hoc habent Eccleſiae Patres, et Theologos *ante*, et *ſub-Tridentinos*. Toto cap I, et cap V n LIII. Duorum tamen curſim meminiſſe debeo,

beo, et quia in hiſtoria Literaria celebriores ſunt, et quia Francolinus eos acerbius exagitat.

Antonius Arnaldus nequit certo dici Janſeniſta.

XXIII. Primus eſt *Antonius Arnaldus* a pluribus, quam 160 Libris, potiſſimum in defenſionem Fidei Catholicae Scriptis (teſte cl. P. Petro M Gazzaniga de gratia diſſ. IV cap V) toto orbe clariſſimus: qui tamen ob apologias in defenſionem Janſenii ſcriptas, et hanc propoſitionem: *Scriptura, et Patres nobis in perſona Sancti Petri oſtendunt IUSTUM, cui gratia, ſine qua nihil poſſumus, ea occaſione defuit, in qua a peccato excuſari non poteſt*, ex albo Doctorum *Facultatis Sorbonicae* expunctus eſt, propoſitioque praemiſſa ab *eadem* damnata, velut quae primam Janſenii propoſitionem ex orco revocaret. At non deſunt momenta, quae tantum virum ab *Haereſeos* fuligine immunem fuiſſe defendunt.

Ratio 1a.

Nam 1: damnatio dictae propoſitionis *in diſcordia votorum facta* eſt; teſte enim P Gazzaniga Doctores unus, et ſeptuaginta pro Arnaldo ſtabant. Quindecim *cenſurae conſilium* improbarunt. 120 in damnationem conſenſerunt. Igitur Francolinus probabiliſta in ſuis principiis *innocentem* deberet habere Arnaldum 86 Doctorum ſuffragio ſuffultum.

2a.

2 Lex Innocentii XII 6ta Februarii a. 1694 eſt: *Neminem invidioſo nomine Janſeniſmi traduci poſſe, niſi conſtiterit aliquam ex V damnatis Janſenii propoſitionibus docuiſſe, aut tenuiſſe.* At Arnaldus declaravit, ſe *proſcriptas ab Innocentio X quinque propoſitiones ſincere damnare, ubilibet inveniantur; ETSI ſint in Janſenio, etiam ibi.* Quibus verbis abſolute non negavit *eas* in Janſenio contineri. Non probo *conditionem.* Gazzaniga l. c. n 60 72: *Bona* tamen *fide EUM* agere potuiſſe probant ea, quae cit. Theologus narrat n 67 68 69 de controverſia illa *facti*, an V ppones in Libro Janſenii contineantur? id quod *ſub idem tempus* multi negabant magni viri abſque *haereſeos* nota. Quin id non eſſe *objectum fidei*, docent ibi n 67 in not Vitaſſe, Obſtraetus, Contenſonius, Serri, Muratorius addendo: debere omnes *corde, et ore* judicio primae ſedis acquieſcere. (*a*) Quibus toto corde annuo.

3a.

Unice Arnaldum nego fuiſſe Haereticum. Nam 3. Arnaldus declaravit ſe locutum fuiſſe *de gratia conjuncta cum actu*, ſive ut Illuſtriſſimus Epiſcopus Bertieri de Gratia § CCVI ait: in juſtis conantibus gratias excitantes *ſenſu Thomiſtico* admiſit Arnaldus praef. ad

4a.

Diſſ. de Gratia effic: et in Diſſ. Theol. quadripartita. (*b*) 4. nec dici

---

(*a*) Turnelius de gratia q III multis probat, *quinque propoſitiones ex Janſenio legitime eſſe extractas.* Cui ſiquis fidem derogaret, incumberet ei onus probandi, *Textus a Turnelio adductos non eſſe Janſenii.* quod nunquam evincent Iprenſis diſcipuli.

(*b*) Tam Thomiſtica, quam aliarum Scholarum Catholicarum *gratia ſufficiens* dat *poſſe* agere: quia ut Angelicus ait 3 p q 70 a 4 in O: *minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiae, et vitare omne peccatum mortale.* At ſenſu Janſenii Lib 4 cap 9: *vigente delectatione carnali IMPOSSIBILE eſt, ut virtutis, et honeſtatis conſideratio praevaleat.* Ex adverſo autem eodem Iprenſi docente L 8 c 3. *Adjutorium coeleſtis delectationis facit, ut velis, et ſine illo velle non poſſis*: facit, ut *NECESSE SIT illud ſequi, et ſecundum iſtud operari, quod amplius delectavit.* Atqui, ubi *impoſſibile eſt praevalere* virtutis conſiderationem, ibi nulla adeſt *gratia ſufficiens*

Not'o gratiae Janſenianae.

Ergo vigente delectatione carnali Janſenii nulla adeſt *gratia ſufficiens* ad Virtuti conſiderationem. Rurſum: ubi *neceſſe eſt* ſequi, et operari, quod amplius delectat, ibi nulla eſt libertas, ſed neceſſitas. Atqui ſub delectatione Coeleſti Janſenii

excludit ſufficientem.

neceſſe eſt ſequi virtutem, quae amplius delectat. Ergo ſub delectatione Coeleſti Janſenii nulla eſt libertas, ſed neceſſitas. Audiamus Eum L 2 c 4. *Gratia ſanae voluntatis in ejus* (Adae innocentis) *libero relinquebatur arbitrio, ut eam, ſi vellet, deſereret; aut ſi vellet, uteretur. Gratia vero lapſae, aegrotaeque voluntatis nullo modo in*

Solam nobis relinquit neceſſitantem.

ejus relinquitur arbitrio, ut eam deſerat, aut arripiat, ſi voluerit. Et L 7 c 5. *Juſtitiae, vel peccati delectatio eſt illud VINCULUM, quo liberum arbitrium in juſtitia, vel peccato ita firmiter LIGATUR, et retinetur, ut quamdiu iſta [illegible] poſſidetur, et conſtringitur, ACTUS OPPOSITUS ſit EXTRA EJUS POTESTATEM, ita videlicet,*

dici poteſt, citatam Arnaldi pponem convenire cum 1a ppone Janſenii, in qua de juſtis VOLENTIBUS, et CONANTIBUS Sermo; quos duos poſteriores terminos Arnaldus non habet, et recte: nam Petrum tentatum VOLENTEM, et CONANTEM fuiſſe, non conſtat; imo de eo Auguſtinus aſſerit de unit. Eccles. c. 9: *Petrus* SI VOLUISSET, *ter Deum non negaſſet. Nam cum perculſum ſe ſenſit tentatione, deponere potuit mentis tumorem, et Deo cum Propheta dicere: Adjutor meus eſto, ne derelinq as me.* et ſerm 284: *Praeſumpſerat viribus ſuis, non Dei dono, ſed de libero arbitrio.* Et ſerm 285: *interrogatus in corde ſuo praeſumpſerat, viribus ſuis hoc tribuebat* nempe mori pro Chriſto. Similiter Chriſoſtomus hom. 93. in Math: *Nimium ſibi confiſus haec dicebat, et in alios inſurgebat dicens: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego.* et hom 72 in Joan: *cum in arrogantiam prolaberetur, et Chriſto contradiceret, ſuae admonetur fragilitatis.* Atqui *mente tumidus, praeſumens ſuis viribus, nimium ſibi confiſus, arrogans, Chriſto contradicebat* nullo vero ſenſu dici poteſt VOLENS, et CONANS *viribus gratiae ſervare Dei Legem*: Imo nec poteſt dici *juſtus*. Unde ipſe Turnelius de Gratia q 8 a 1 palam aſſerit: *Petrum* poſt caenam Domini, quam in juſtitia ſumpſit, *ſuperbiae, et praeſumptionis* peccato jam a juſtitia interne excidiſſe prius, quam Chriſtum negaſſet. Ergo exemplum Petri Chriſtum negantis nullo modo pertinet ad propoſitionem 1mam Janſenii *de juſtis volentibus, et conantibus* ſonantem. Ergo Arnaldi ppoo falſo potius ſuppoſito nititur, nempe *Petrum ad negationem Chriſti tentatum juſtum fuiſſe:* quam ad propoſitionem 1mam Janſenii referri poſſit. 5. Ipſe Turnelius Moliniſta l c Petro tentato concedit defuiſſe gratiam *efficacem*, et *ſufficientem*, per quam *proxime*, et *immediate* poſſet reſiſtere tentationi, et negationi, ac ſolam *remote ſufficientem*, gratiam *orationis* Ei adfuiſſe ait: *quam gratiam orationis* Arnaldi ppoo non excludit, ut conſideranti patet. 6. Nec ſane plus Petro tentato, quam *gratiam orationis* concedit Auguſtinus mox cit.

Petrus tentatus non eſt conatus reſiſtere tentationi.

Jam prius juſtitia exciderat.

5ta ratio.

6ta. Petrus Solam gratiam orationis habuit.

ut arbitrium non liberatum dominante delectatione indeliberata eum (actum bonum, vel malum juxta praeſentem delectationem) *VELLE NON POSSIT.* item. l 4 c 1c. *Hinc etiam claret, cur Auguſtinus omnem omnino gratiam pure ſufficientem ſive ante fidem, ſive poſt fidem auferat. Ratio perſpicua eſt, quia cum ei* (Auguſtino interprete Janſenio) *nulla ſit gratia operandi praeter iſtam ſvavitatem* (delectationem indeliberatam) *niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur* praevalente cupiditate terrena: *vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur,* ut libra aequali pondere premente: *ſin autem iſta* delectatio coeleſtis *ſuperaverit* cupiditatem terrenam, *jam ſine dubio bene voluntas operabitur. Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt: ſed utrumlibet fiat, non erit SUFFICIENS GRATIA, ſed vel EFFICAX, vel ita INEFFICAX, ex qua operatio NE QUIDEM POSSIT SEQUI.* En ex ungue Leonem! en verum fontem quinque propoſitionum: in hoc nempe litus eſt capitalis error Janſenii, quod in *ſtatu naturae lapſae* nullam admiſerit *gratiam vere ſufficientem*, cui homo reſiſtere poſſit, ſed omnem *efficacem;* ut patet ex 2 propoſitione Janſenii: *Interiori gratiae in ſtatu naturae lapſae nunquam reſiſtitur:* et quidem talem *gratiam efficacem* ſolam, quae actum ſalutarem *neceſſario* inferat, licet *non coacte*, ut elucet ex propoſitione 3: *ad merendum, et demerendum in ſtatu naturae lapſae non requiritur libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* Cujusmodi gratiam *efficacem* cum multi non habeant, ideo propoſitione 1 negat *juſtis volentibus, et conantibus praecepta Dei poſſibilia ſemper eſſe.* Item propoſitione 5 negat *Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe*, nempe pro iis, qui *gratiam efficacem* non accipiunt. Quae omnia doctrinae Janſenianae Capita mox cit. ejus textus palam, manifeſteque loquuntur. Vide Graveſon Hiſt Eccleſ Saec XVII colloq III. Janſenio per omnia conſentire in *Gratia neceſſitante* Bajum, et Queſnellum, vide ad c I n XXIX not. 6 et 7. Quis igitur ab his haereſum portentis ad *charitatem* noſtram *initialem, affective ſuper omnia deliberate, et elective praedominantem* ſanum ducat argumentum? rediſis ad c V n XXXII et ſeqq. Utinam omnes tandem intelligant, attritioniſtas nobis Janſeniſtarum errores affricantes privato ſuae opinionis defendendae ſtudio agi, non veritatis Zelo!

Gratia neceſſitans fons v pponum Janſenii.

de Unit Eccles. qui Serm 124 de tempore ait: *quid homo SINE GRATIA Dei posſit, timor B Petri evidenter oſtendit. Per SOLUM enim* LIBERUM ARBITRIUM, NON ADDITO DEI ADJUTORIO *promiſerat ſe pro Domino moriturum.* - - *ideo B* PETRUM DOMINUS PAULULUM SUBDESERUERAT, *ut in illo totum hominum genus poſſet agnoſcere, nihil ſe ſine gratia praevalere.* concordat Chriſoſtomus Hom 31. in Math: *Deus Petrum deſeruerat, ut ſciret, quod abſque Deo nihil poteſt fieri.* et hom 35 comparat *Judam* cum Petro cum hac diſparitate: *Judas etſi largum Chriſti praeſidium habuerit, tamen quoniam noluit, quae ab ipſo erant, conferre,* (gratiae proxime ſufficienti cooperari) *nullam inde utilitatem conſecutus eſt.* Petrus vero - - DIVINO SUBTRACTO AUXILIO STARE NON POTUIT. At STARE POSSE SUFFICIENTIS gratiae eſt. Ergo *haec Petro hic negatur, cui* nempe gratiae *proximae ſufficienti Judas cooperatus non eſt.* An quaeſo Auguſtinum, et Chriſoſtomum Janſenii Praecurſores dicet Francolinus? non puto. Nec plus dicit Arnaldus de Petro. Igitur 7. merito illum 86 Doctores negarunt damnandum: merito Joannes Launojus, Petrus Nicolius, Blaſius Paſchalis, aliiſque pro illo apologias ſcripſerunt. Merito Caſtorienſis eum Patria extorrem perhumane ſuſcepit. de quo mox. Interim

7a Ratio.

Liber Arnaldi de frequente communione. Multis probatus.

Nec placet Francolino Liber Arnaldi de *frequenti communione*, quod ad hanc requirat *amorem Dei puriſſimum.* At placuiſſe lego XVI Epiſcopis, et XXV Doctoribus. quidquid de his ſit, ego ad communionem quoque dignam contentus ſum praeter immunitatem a peccato gravi *charitate initiali, actuali,* vel *virtuali* ſuper omnes, etiam licitos, amores *affective, deliberate,* et elective praedominante. c V n XXXII. De quo Deo dante plura ſuo loco.

Amoris poenitentis 2a editio libera.

XXIV. Alter, cujus meminiſſe debeo, eſt *Joannes Epiſcopus Caſtorienſis:* Gratiam nempe habeo Francolino L I c X n XI referenti, *Amoris Poenitentis* editionem primam fuiſſe *ſuſpenſam*, non *alteram*, quae 1685 *Embricae* auctior prodiit. Unde plene jam eruditus ſum, cur opus illud piiſſimi Antiſtitis *ad indicem libr proh* cum addito: *donec expurgetur* relatum paſſim hodie a viris clariſſimis cum maxima honoris ſignificatione citetur: quia ſcilicet in *ſecunda* editione explicuit (ut optaverat Alexander VIII) ea, quae referente Juenin Diſſ. VI. de poenit. q. IV c IV. a I § 1 *propter terminorum aequivocationem in pravum ſenſum detorqueri poſſe Romanis Cenſoribus viſa fuerant.* Ut notaveram ad c I n V. ideo ibi promiſeram, me ejus auctoritate non uſurum. Nunc gaudeo, me ex Francolino Romano Theologo comperiſſe, ſecundam ejus editionem *Embricanam* legi poſſe. itaque me ſponſione illa ſolutum eſſe.

Accuſationes Francolini contra Epiſcopum Caſtorienſem.

XXV. Nihilominus tantum Statorem charitatis Sacramentalis graviter accuſat Francolinus 1. Quod Arnaldum ob pponem mox relatam e Sorbona ejectum Caſtorienſis ad ſe humaniſſime invitaverit, exceperitque. 2. Mox illi ſe, ſuoſque erudiendos tradiderit. Indeque factum 3. ut *Caſtorienſi procul dubio annitente* earum Regionum Eccleſiaſticae dignitates, et Eccleſiae talibus committerentur, qui publice docerent *Janſeniſmum*, in Sacramentorum poenitentiae, et Euchariſtiae adminiſtratione *rigoriſmum*, carperent ſumptuoſa *Eccleſiarum ornamenta, indulgentias, Purgatorium, Sodalitates, Roſarium, Scapularia*, nec ſatis digne de ipſa *Virgine Deipara* loquerentur. 4. Multa carpit in *amore poenitente.* Reſpond. Haec non expreſſit charitas, ſed zelus tuendi agonizans *ſiſtema ſervile*: ideo ne vel ſuſpicio mali contra initialiſtas ſuperſit, eis in *charitate* breviter ſatisfaciam. Ad

Solvuntur. Ad 1.

1. Caſtorienſis propter *terminorum aequivocationem* ab *Attritioniſtis* uſque ad

ad *amorem poenitentem in indicem Libr prohib relatum* exagitatus putabat Arnaldum virum a Libris editis celeberrimum revera *inique* oppressum, ut elucet ex Epistolae ejus Invitatoriae A 1680 illis verbis: *Ut* APUD NOS, *et* NOBISCUM LATERE *possit*. Imo hodiedum admodum dubium est, an non *ita* reipsa oppressus sit? ex dictis hic n XXIII. Igitur invitatio, et receptio Arnaldi multum charitatis, nihil vitii habuit. Ad 2. Transeat, quod arbitrarie asseritur: nihil certe mali didicit Castoriensis ab Arnaldo. Nam invitavit hunc teste Francolino A 2680, et sic eodem fere tempore exceperit: *Amoris* vero *poenitentis* alteram editionem emisit 1685. qua votis Alexandri VIII, Romanorumque Censorum satisfeciisse censendus est eo ipso, quod nihil deinceps contra eundem motum fuisse legatur, imo ab initialistis (quos Romanae Censurae contemptores, vel ignorantes absque injuria nemo dixerit) cum laude citetur. Ad 3. Pernego cuncta haec sive a Castoriensi, sive eo adnitente facta fuisse; neque tam graves accusationes per *procul dubio* asserendae, sed clare demonstrandae essent. Quod ad Kalendas Graecas futurum puto. Non equidem inficior Jansenistas veros (qui nempe aliquam ex quinque Jansenii propositionibus adoptant juxta declarationem Innocentii XII 6. Febr. 1694) Veros item Rigoristas (quorum damnatae propositiones extant) graves in Belgio quoque turbas concitasse; at id *adnitente* Castoriensi factum, nemo praeter Francolinum refert: et puto me non multum errare, si dicam, Francolinum eos hic Jansenistas, et Rigoristas potissimum intelligere, qui servili opinioni, aliisque ejus aetatis laxitatibus pro virili restiterunt. Id enim eum agere, ut Initialistas atro Jansenismi, et Rigorismi fuligine horribiles reddat, a n XVI hic satis patet. Idcirco quae sit mens Initialistarum, et nostra circa puncta h obj 3 adducta? paucis indigitabimus.

Ad 2.

Ad 3.

Atque imprimis charitatem *initialem* nostram *affective super omnes* alios etiam licitos *amores deliberative*, et *elective praedominantem* nihil commune habere, cum Jansenii *necessitante* efficaci gratia, termini ipsi produnt luculenter. Redisis ad cap V n XXXII. et hic n XXIII in not.

Doctrina nostra de charitate praedominante.

Usum Sacramenti poenitentiae, et Eucharistiae qualem commendemus ex verbo Dei scripto, et traditio, et hactenus dicta, et deinceps Deo dante dicenda a *damnato* Rigorismo nos absolvent, a *moderato* commendabunt monente Domino: *Arcta via est, quae ducit ad vitam; contendite intrare per angustam portam.* Lucae 13. v. 24. *quia pauci sunt, qui inveniunt eam.* Math. 7. v 13.

XXVI. De *sumptuosis* Ecclesiarum ornamentis non est periculum hodie apud nos. Scimus interim ex doctrina SS Patrum, *necessaria* quoque Ecclesiarum in usum *pauperum*, in redemptionem *captivorum*, et in *sepulturam mortuorum* vendenda (*cum consensu quidem Praelatorum*) esse. Unde discimus, *pauperum necessitates* sumptuoso Ecclesiarum ornatui praeferendas esse. Sed maxime Eorum pecuniam in perditionem cessuram lugemus, qui retentis *pravis habitibus*, aut periculosis *proximis occasionibus*, ab iisdem saepius repetitis sceleribus immeritam absolutionem occulte *Simoniaca in Ecclesias*, aut alios in se pios fines *largitione* mercantur: aut *partem* mammonae, et *iniquitatis* iisdem offerunt, ut residuum deglutiant; aut elemosinas suas absque animo mores pravos emendandi frequentant. Haec tantum, et his similia carpunt Initialistae non in sumptuosis tantum Ecclesiarum ornamentis, sed in omnibus piis caetera donis. Qua in re omne tulit punctum S Eligius Hom 8 ita differens: *Deus elemosinis delectatur, ea tamen ratione, ut unus quisque peccator quando* DEO *offert pecuniam, offerat illi et*

De ornatu Ecclesiarum.

Doctrina necessaria de elemosinis.

et ANIMAM SUAM. *Quaenam enim Fratres! juſtitia eſt, ut aliquis criminoſus pecuniam ſuam per elemoſinam offerat, et animam ſuam per iniqua opera* DIABOLO *tradat?* quod Sanctus ab Ambroſio didicit dicente: *Sua tradunt Chriſto, ſeipſos Diabolo.* Conſentit et hic Auguſtinus ench. c 7: *In melius eſt vita mutanda, et per elemoſinas de peccatis praeteritis eſt propitiandus Deus: non ad hoc emendus quodam modo, ut ea ſemper liceat impune committere: Nemini enim dedit laxamentum peccati; quamvis miſerando deleat jam facta, ſi non ſatisfactio congrua negligatur.* Idem tract 44 in Joan docet, a Deo non exaudiri peccatores *in ſua malitia perſeverare volentes*, ſed eos tantum, qui orant, et elemoſinas dant, *ut deſinant eſſe peccatores.* Conſpirat Lactantius L 6 cap 13: *abolentur* peccata, *ſi Deo largiaris, quia peccaveris. Nam ſi fiducia largiendi peccet, non abolentur.*

An, et quales peccatores Deus exaudiat.

De Indulgentiis.

Indulgentias *veras*, et *authenticas* ita commendant, ut ad mentem Eccleſiae, et Pontificum laborioſas pro peccatis debitas ſatisfactiones earum intuitu negligi non patiantur. Ut ſuo loco videbimus.

De purgatio.

XXVII. Nequaquam *Purgatorium* carpunt Initialiſtae, ſed illos Sacerdotes, qui contra mentem Eccleſiae Trid Seſſ XIV cap 8 pro graviſſimis ſceleribus nequaquam *qualitati criminum*, et *Poenitentium convenientes*, ſed *leviſſimas* poenitentias imponunt, dictitando: *malle ſe poenitentes cum levi poenitentia ad Purgatorium mittere, quam cum graviori non acceptata, vel non impleta, ad infernum.* Ex quo quanta animarum detrimenta oriantur, cap ſeq deplorabimus.

De Sodalitatibus.

XXIII. De ſodalitatibus, ſcapulari, Roſariis, et cultu Deiparae haec accipe: Imagines tam Matris Dei, quam reliquorum Sanctorum colimus cultu tantum *relativo*, ideſt: non in ſe ipſis, ut Imagines ſunt, ſed quos ipſae repraeſentant, nobiſque cultu non *Latriae*, ſed longe inferiori *Duliae*, et *Hyper-duliae* colendos, imitandos, et invocandos exhibent. quin et ſalutiferam Crucem cultu *Latriae relativo* adoramus ob *contactum*, et *ſangvinem*, quibus eam Salvator conſecravit. Aſpicimus haec ſigna, et dirigimus intentionem, ac devotionem ad *Prothotipa.*

Cultus Imaginum relativus.

At ipſum Virgineam Matrem (ut et Sanctos) poſſumus colere cultu *abſoluto.* Patet ex ppone 26 ab Alexandro VIII 2690 confixa: *Laus, quae defertur Mariae ut Mariae vana eſt.* Ita Angelicus 3 p q 25 a 5 ad 3: *Beata Virgo ſecundum ſeipſam eſt venerationis capax.* Sane Deiparens *in ſeipſa*, licet non *a ſeipſa*, eſt Mater Dei, Virgo Virginum, Creatura in hac providentia (poſt Sacro Sanctam Chriſti humanitatem) perfectiſſima, et Sanctiſſima, ut rurſum Angelicus I p q 25 a 6 ad 4: *Mater Dei habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus: et ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius Ea.* Ergo laus, quae Eidem etiam ſecundum *ſeipſam* defertur, non eſt *vana*, quin pia, religioſa, et ſupernaturalis ob Excellentiam ſupernaturalem. ita cum proportione loquere de Sanctis ob virtutes eorum.

Sanctorum, et Deiparae abſolutus.

XXIX. Sed enim quemadmodum timorem, et alias inferiores virtutes *in ſe bonas*, ut *extrinſece perfectae* ſint, ad charitatem referre ex praecepto obligamur. C V n XXII: ita ordinata, et perfecta in Virginem Sanctiſſimam pietas ad Deum tendat, ad charitatem Dei referatur, et in ea tandem conquieſcat oportet. *Quis cultus ejus, niſi amor ejus? nec colitur ille niſi amando.* Ait Auguſtinus de Deo Epiſtola 120 ad Honoratum, ita et nos pronunciamus de Coeli Regina: *Eam coli amando*, at amorem Ejus tunc demum *ordinatum, perfectumque*

Ad charitatem Dei referendus.

fore,

fore, quum amor Virginis ad Deum ultimatim refertur. Quia amor Dei omnium Creaturarum amoribus praedominari debet. Cap I n XXII XXIX. cap V n XIX XXII XXXVIII XXXIX. Praeclare Augustinus initio Libr. de Doctrina Christiana: *Frui est alicui rei inhaerere propter se ipsam. Res igitur, quibus fruendum*, ultimatim conqviescendum, *est Pater, Filius*, et *Spiritus Sanctus, una quaedam summa res, communisque omnibus fruentibus.* Ut Virgo Sanctissima praeceptum charitatis super omnes Creaturas perfectissime adimplevit; Ita illud a nobis in sui cultu adimpleri gratissimum habet. Nempe ut dum dotes ejus celebramus, *Fontem coronemus amando*, qui talem ac tantam sibi praeparavit Matrem: dum virtutes ejus demiramur, earum *imitatione* ad virtutum omnium *finem*, et *verticem Dei charitatem* eluctemur: et quidquid ejus *ope*, et *patrocinio* flagitamus, ea omnia *media* sint ad obtinendam *charitatem* viae, et Patriae. Haec est ordinata pietas erga Deiparam, et Sanctos. *Sic laudatur Deus in Matre, et Sanctis ejus. Sic nulli dubium, quin totum ad gloriam Laudis Christi pertineat, quidquid Genitricis suae impensum fuerit, ac solemniter attributum.* S. Hieronimus Serm de Assumpt B V. *Sic refertur ad Deum, quod servit Ancillae: Sic redundat ad Filium, quod impenditur Matri. Sic transit honor in Regem, qui defertur in famulatum Reginae.* S Ildefonsus L de B V cap. 2.

Miserandi exadverso sunt ii, qui Mariam ita amant, et honorant, ut nihil ament *ultra*, et *super Mariam*, ponentes *distinctam illi* cordis *aram* praeter *Aram Dei*: (*a*) nempe qui *Eam* velut *a Deo avulsam* unice colunt *pietate in ea terminata*, et quiescente, *cum superior sit Deus.* qui mirantur in ea non tam castitatem, humilitatem, et alias virtutes, quibus Deo placuit, et ad culmen perfectionis *charitatem* pervenit; quam misericordiam, potentiam, dignitatem, Majestatem, quibus illa mortalibus benefacit; et sic non tam *Mariam* amant, quam occulta quadam cupiditate *se*, sive beneficia illa amant, quae *ab illa* sibi pollicentur: similes Judaeis, de quibus Augustinus in ps 77: *Qui propter beneficia terrena Deum quaerebant, non utique Deum, sed illa* beneficia *quaerebant: sic ergo Deus non colitur: hoc enim colitur, quod diligitur.* Igitur et qui Deiparam propter mera beneficia colunt, non eam colunt (si enim eam colere vellent, facerent id virtutum ejus imitatione, et cultu ejus ad Dei charitatem relato, qui optimus, et gratissimus ei cultus est) sed hoc colunt, quod diligunt, ipsa beneficia, quae petunt, idque modo inordinato: nempe mortem bonam sine vita Christiana, sine virtutum ejus aemulatione, sine consilio de vitiis deponendis, coërcendis cupiditatibus, de arcta via Evangelii capessenda. Verbo colunt Eam, *quia volunt manducare*

Secus erit imperfectus.

(*a*) Ad hanc classem merito revocaveris inordinatos illos Deiparae cultores, qui exposito in ara Venerabili Sacramento recipiunt se ad Capellas Thaumaturgae, vel gratiosae Imaginis, ibique toto tempore manent. Tales praesumuntur orationes suas ad Deum non referre. Nam si referrent, accederent et corpore ad Deum Majestatis signis etiam externis adorandum: quod Ecclesia ab omnibus tunc potissimum exigit, qvum Deus absconditus sub panis specie publicae adorationi exponitur Unde manifesta deodinatio est, tunc externo cultui se se substrahere, et Majestatem infinitam a miriadibus angelorum adoratam in ara solam relinquere. itanempe refixit devotio Fidelium erga Deum Eucharisticum, quia non recogitant corde, non audiunt a sacris Oratoribus, quod in illo sit Divini amoris in nos complementum, et ultimus gradus, ad quem Deus omnipotens in nostri charitate pervenire potest, dum hic exhibet, qui quid in Incarnatione, et Passione Salvatoris dedit, atque in Coelo per totam aeternitatem nobis daturus est. S Bernardus serm. 64 in Cantica. Cui dilectioni vicem reddere nequiremus, etsi omnes creaturae in nostra verterentur corda, et lingvas.

de panibus ejus, participare de beneficiis ejus, ideo servi, et Mercenarii, non Filii ejus. conf. cap III n XXX. cap V n XXII.

Externa pietatis signa.

XXX. Ex his quid sentiamus de *Sodalitatibus, Scapularibus, Cordulis, Rosariis*, et id genus omnibus externis internae pietatis signis, satis patet. Cum enim homo ex anima, et corpore constans totus quantus est, Divinae gloriae, et charitati impendere se se debeat (ad hoc enim omnia membra accepimus: *in gloriam meam creavi eum*) naturae plane consentaneum est, ut *interior* cordis pietas in *externos* actus diffundatur; corporea vero pietas certis signis reguletur, quibus interior alligetur, excitetur, inflammetur, ordinetur. Talia signa sunt praedicta ingeniosae Majorum pietatis inventa, et ab Ecclesia passim celebrata certo precationum numero comprehensa variarum virtutum incitamenta, veri fontes charitatis, si, ut modo diximus, ordinate frequententur. En finem, Spiritum, et animam harum institutionum ex regulis *Congregationis SSmi Rosarii auctoritate Cardinalis Christiani Augusti Primatis Hungariae*, in Hungaria, et Transilvania *erectae* 25 *Martii* 1724 Regula 2: *Dominum J C Deum, ac Redemptorem suum super omnia Sodales ament. Legem Christianam observent accuratissime; a peccato vel maxime gravi abhorreant summopere. Frequentissime ad SS Sacramenta Confessionis, et Communionis accedant.* Notatu dignissima sunt, quae his subjiciuntur: *Nulla re possunt complacere facilius, certiusque Beatissimae Virgini, quam hac regula observata. Chari nequeunt esse Matri, quidquid agent,* SI FILIUM EJUS NON HONORENT. *Si vitam, ac doctrinam Christi sequi, et imitari nolint* Ita sentire Majores nostri de *Rosario*; et ab identitate rationis de omnibus *externis pietatis signis* erga Deiparam, et alios Sanctos: eis principaliter Deum *super omnia* coli, Sanctorum cultum ad Deum referri, *in Deo terminari*, ut recte fiant, ea *Spiritu charitatis, contritionis*, et imitatione vitae, ac doctrinae Jesu Christi animari debere, nobis haereditatis instar relinquentes. (*a*)

Isai 43. v. 7.

Charitate animanda sunt.

XXXI.

(*a*) Pseudo-illuminatis illis, qui (referente Mariano Szolga in articulis apologeticis centum de SS Rosario) superioribus annis in Universitate Anonima ingenti cum scandalo Cleri Junioris, *usum Rosarii critizarunt*, illis inquam, et eorum discipulis ad execrandam male auditam doctrinam commendamus ruminandam Regulam 3 cit congregat in haec verba: Per Rosarium *ad Christi, Virginisque Beatissimae gratiam, ad Christianam perfectionem obtinendam, ad impetrandas Benedictiones divinas se poterunt comparare praestantissime. Ad hanc Regulam intelligendam adverte* 1: *Per Orationem, quam Ave Maria vocamus, coli a nobis non tantum Virginem Sanctissimam, sed PRIMO, et maxime FILIUM EJUS D J C.* (*) *nam in prima illius parte memoramus Salutationem Angeli, quae totam representat historiam Incarnationis Christi; in secunda parte recolimus historiam Christi Matris suae in utero ad Elisabeth portati, et hanc Spiritu Sancto replentis, Filiumque ejus Joannem Baptistam sanctificantis. In 3tia parte Christum esse verum Deum, Virginemque Mariam Matrem Dei praedicamus; et ut oret pro nobis peccatoribus nunc, et in hora Mortis Nostrae invocamus. 2 Adverte: Rosarium hoc institutum esse potissimum ad recolenda Misteria VITAE CHRISTI, quae dividebant in partes quindecim; prima eorum quinque vocantur: (hodie dum:) Misteria Gaudiosa, secunda quinque dolorosa, tertia quinque Gloriosa.* Haec ibi. quibus corruit futile, et infundatum suppositum illuminatorum, quod per *Ave Maria* colatur tantum *Deipara*, et non *Deus*, sicut per *Pater Noster*. Accedit Regula a S Augustino Epist 118 ad Januarium: *quod tota per Orbem frequentat* Ecclesia, *hoc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimae est insaniae.* Atqui tota Ecclesia frequentat Rosarium, Festum ejus solemniter celebrat, usum ejus commendat, indulgentiis ornat, etc. Ergo usum Rosarii fugillare insolentissimae est insaniae. Ad

Per Rosarium principaliter Deus colitur.

Rosarii usum fugillare est periculosum.

(*) Haec ratio evincit etiam sub Sacro, et exposito Venerabili Sacramento non male orari Rosarium. accedit Bellarminus *in Catechesi* docens, Orationi Dominicae subjungi Ave Maria, ut quae in illa a Deo postulavimus gratiarum, Deiparae intercessione reipsa consequamur.

XXXI. Quid ad haec illi? qui quum de vita Chriſtiana, de Deo, de charitate, de vitiis emendandis nec cogitant quidem, tamen ſi exteriora quaedam ſigna pietatis in Beatam Virginem, aut alios Sanctos ſtatis temporibus impleant, ut male audiverunt, aut peſſime intellexerunt, certam ſibi ſalutem pollicentur? quid de illa fiducia? quae precatiunculas quasdam recitantibus, in iisdem vero ſcelerum ſordibus continenter manentibus datur? Quid de illis? qui etſi bibant ut aquam iniquitatem, tamen quia certos funiculos, aſſerculos, aut quasdam panni lacinias circumferunt cum deblateratis quotidie praeſcriptis orationum formulis, paratam ſibi in morte miſericordiam, liberationem citam ex Purgatorio ſpondent, et ſe erga Deiparam, alioſve Sanctos bene religioſos arbitrantur. *Ubi eſtis fontes lacrimarum?* ita verae pietatis inimicus *ſimulacris virtutum veras* virtutes corrumpit, ut inani ſpecie externa homines ad ſe adtrahat, retineat, et fallat. Et quam facile eſt ad fallam hanc umbram virtutis delabi, externis his virtutum Larvis ſalutis anchoram affigare! juvat enim id amica deſidiae facilitas, promovet cupiditas: ipſa exterior pietatis imago ut ſenſibus conſpicua potenter blandiendo trahit. Itaque quum jactari audiunt Saeculo, et vitiis addictiſſimi, ſi *Et Vitae emendatione.*

quae-

---

haec juxta S Caeleſtinum Epiſt ad Epiſcopos Galliae: *Legem credendi Lex ſtatuat ſupplicandi.* Atqui Eccleſia in *Breviario*, et *Miſſa* Rotarium vocat *Sanctiſſimum.* ergo uſum ejus in dubium vocare, hoſtiliter pugnat cum mente Eccleſiae. Si inconveniens videtur Pſeudo-illuminatis primum *Matrem*, dein *Filium Dei* per *Ave Maria* ſalutare, ergo et Gabriel inordinate egit, dum Luc 1 v 28 *ingreſſus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in Mulieribus.* Et Elizabeth magis *Matrem Dei*, quam ipſum *Deum* honoravit, dum ibi v 42 dixit: *Benedicta tu inter Mulieres, et Benedictus Fructus Ventris tui. Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? et beata, quae credidiſti etc.* Atqui tamen licet hi non erant illuminati, Gabriel tamen *miſſus* erat *a Deo*, ibi v 26. Eliſabeth vero *repleta* erat *Spiritu Sancto* v 41. Dicamus ergo cum Melliſluo Doctore Hom 4 ſupermiſſus eſt: *Quid quid in Laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere.* Deus voluit Mariam cooperari redemptioni generis humani, dum ex Ea carnem, et ſangvinem ſumpſit, quibus nos redemit, et ipſe noluiſſet hanc Matrem ſuam a Nobis, et *SE IN EA* honorari, amari, invocari? *Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus Mariam veneremur; quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum Nos habere voluit per Mariam.* Idem Serm. de Nat. B V de aquaeductu. *Cultus Mariani utilitas.*

Si cui inconveniens videatur eandem orationem, ſive *Ave Maria*, ſive *Pater Noſter* ſaepius repeti, inſpiciat pſ 135. ubi illud: *quoniam in aeternum miſericordia ejus* vigeſies ſepties repetitur. Fructus igitur hujus Scholii ſit, ut Juniores Fratres Noſtri non ſupercriticos, ſed innocentes, piosque Majores noſtros in cultu Mariano imitentur: Atque adeo Roſarium et ipſi habeant, orentque, et ſuis diſtribuant, maxime vero manuteneant piiſſimam conſvetudinem in Siculia vigentem, Roſarium Dominicis, et Feſtivis diebus ante Sacrum (de Sacro ipſo devote audiendo plura ſuo loco publice recitandi. *Audite haec omnes Gentes! auribus percipite, qui ingredi cupitis Regnum Dei! Virginem Mariam honorate, et invenietis vitam, et ſalutem perpetuam.* S Bonaventura in Pſalt B V pſ 48. *Qui te non invocat in hac vita, non perveniet ad Regnum Dei.* Idem pſ 86 *A quibus averteris vultum tuum, non erit eis ſpes ad ſalutem.* Idem pſ 99. *Devotum tibi eſſe o Maria, eſt quaedam Arbor ſalutis, quam Deus iis dat, quos vult ſalvos fieri.* S Damaſcenus in Anno B V. *Gens, et Regnum, quae non ſervierit Deiparae, peribit: et Gentes ſollitudine vaſtabuntur; quia deſtitutae tantae Matris auxilio, deſtituuntur auxilio Filii, et totius Curiae Coeleſtis.* Idem Damaſcenus Or 2 de Aſſumpt B V. Utinam non hoc malo laboret hodie Hungaria olim Deiparae devotiſſima! Sed audiamus plures SS Patres: *Nullus eſt, qui ſalvus fiat, o Sanctiſſima! niſi per te: nullus eſt, qui liberetur a malis, niſi per te.* S Germanus ſerm de Zona. *Impoſſibile eſt aliquem ſalvari peccatorem, niſi per tuum Virgo auxilium, et Favorem.* S Ignatius M. *Nam licet Advocatum habeamus Filium apud Patrem, opus etiam fuit habere Matrem Advocatam apud Filium.* S Antoninus Conc 3 de Anunciatione. *Nulla Creatura aliquam a Deo obtinuit gratiam, niſi ſecundum Matris ipſius diſpenſationem.* S Bernardinus ſerm 61. Tinniant ad haec aures novorum hoſtium *Cultus Mariani!* utinam ad emendationem!

quaedam precatiunculae recitentur, aut imagines collo ſuſpendantur, aut quid ejusmodi uſurpetur, certam fore Deiparae miſericordiam, in morte auxilium; quia vident ſe ſic mundò, carni, et ſangvini vivere poſſe cum indubia ſpe ſalutis; ideo libentiſſime audiunt, prompte arripiunt, ſponte ſe fallunt, mox excuſſo, quo antea pungebantur, conſcientiae remorſu, totos ſe jam Libere cupiditatibus tradunt, et ſic in continuis vitiis, in falſa pace vivendo, intrepide futuram illam in articulo mortis miſericordiam vere miſeri praeſtolantur. *Populo meus! qui te* ſic *beatum dicunt, ipſi te decipiunt!* ita expreſſe docet illuſtris Vir ex Inclyta S J inter varios Diaboli dolos et hunc recenſens: *Spem omnem nonnulli in B Virgine, Sanctisque conſtituunt, et privatis quibusdam pietatis officiis, per ſe laudabilibus modo ex vera poenitentia, vera cordis converſione proficiſcantur. At hi longiſſime errant, ſi B Virginis, et Sanctorum auxilium ſibi pollicentur, niſi a vitiis ſimul ſuis recedant.*

Ergo damnamus *praedicta officia pietatis?* non: ſed eis *animam, formamque charitatem*, et *cor contribulatum* addi laboramus. Cap. V n XXII. id, inquam, contendimus, ut dum de *Matris* Dei *cultu* ſermo eſt, is ad Deum referendus inculcetur. Dum de ejus miſericordia loquemur, actualis poenitentia commendetur: ne *horum neglectu* peccatores in vanam illam fiduciam prolabantur. Saltem temere, inquis, in dubium vocantur facta, quae multis poſt ejuſmodi pietatis exercitia mortem bonam obtigiſſe teſtantur. imo demus ultro (quod non teneremur) veras eſſe tales privatas hiſtorias: at aſſerimus ejuſmodi beneficia fuiſſe *rara*, et *miraculoſa*, nec in conſequentiam vocanda, nec ſine tentatione Dei ſperanda. et jam cap I not ad n XII audivimus illud *Sanctorum* effatum: *Poenitentia ſera raro vera:* a qua regula dictorum ſignorum abſque charitate, et vera, dum ſani ſunt, poenitentia geſtatores exceptos eſſe, nuſpiam legimus, ideo nec credimus. Imo omnia Sanctorum PP encomia de Matris Dei erga peccatores miſericordia ita intelligimus, ut *nemo deſperet* ſub pondere peccatorum, modo *ACTU paratus digne poenitere* Matris patrocinio ad Filium confugiat: non vero de illis ſepulcris dealbatis, qui ea, quae foris ſunt, paropſidis mundare contenti, conſcientiam differunt ad mortem emundare ab operibus mortuis ideo, quia Mater Dei et potens, et miſericors eſt juvare in morte. Hac enim poſterior idea miſericordiae Matris Dei *fovet affectum* ad peccata continuanda, ideo maxime injurioſa eſt Filio per peccata uſque ad mortem continuanda *rurſum crucifigendo*: hoſtiliter item pugnat cum Evangelio *praeſentem* poenitentiam, *arctam viam*, ſolidam *in Spiritu, et veritate*, non in *exterioribus tantum ſignis* ſitam devotionem ubique inculcante. ergo dicta miſericordia erga peccatores poenitentiam ad mortem uſque *poſitive* differentes Matre Dei indigna eſt. Ergo fiducia talis ſtulta, et inſipiens eſt. Ergo qui eam praedicant ſive directe (quod rarius fieri puto) ſive indirecte *omittendo conditiones mox dictas verae pietatis Marianae* (quod frequentius accidit) omnes inquam illi, non Evangelicae pacis Miniſtri, ſed animarum deceptores ſunt. Ergo qui talem devotionem Filio injurioſam, Matre Dei indignam reprobant, non Janſeniſtae, ſed Praecones veritatis, et *ordinatae charitatis* ſunt.

Secus deluſoria ſunt.

XXXII. Haec quotidiae Populo Chriſtiano neceſſaria ſuſiuſcule ediſſeri debebant, ut intelligant veritatis amantes, Initialiſtas in iis, quibus Francolinus hic n XXV objectione 3*tia* eos arguit, inter *Janſeniſmum*, *Rigoriſmum*, et *Laxiſmum* media via tutiſſimos ire, dum in Sacramento *initialem*, in omnibus vero actionibus *virtualem* charita-

Niſi in iis quoque charitas praedominetur.

tem

tem neceſſariam urgent. Hoc docet Caſtorienſis L 1 c 2: *Homo Deo continuum debet amorem, et is amor humanis actionibus oportet, ut imperet.* Gummarus Huygens in compendio: *quoties ergo, inquies, Deum ſuper omnia diligere debeo?* Reſpond. *Non ſolum ſaepius in vita, non tantum ſaepius in anno, ſed toties, ut morali quodam modo loquendi omni tempore de te vere dicatur: Deum ſuper omni diligit, Deum amat uſque ad contemptum ſui: et hanc dilectionem agnoſcimus obligationem ſub mortali*: nempe reſpectu majoris partis vitae actionum. conf. cap. V. n. XXXIV. ubi aliorum Doctorum Caſtorienſi conſimiles textus dedimus.

XXXIII. Ea, quae Francolinus carpit *in amore poenitente*, ut h n XXV 4to vidimus, ſatis clarent ex dictis. Quare de iis breviſſime notamus 1: Eam reipſa in vera poenitentia requirit Caſtorienſis L 1 c 8 Contritionem, per quam obſervantia mandatorum *non ſit moleſta, ſed dulcis.* de qua cap I n XXVII, cap V n. XL locuti ſumus. Ibidem ſub timore mere ſervili voluntatem *aegram*, et *malam* eſſe dicit, nequaquam *per actuale peccatum*, ut Francolinus arguit; ſed *malam habituali peccati affectu timore preſſo*, ideo *actu non ſaeviente, ceſſante tamen fraeno timoris mox in relapſum erumpente*, quia per *charitatem nondum poſitive excluſo.* Ut copiole dictum cap V n XI, XXVII. XXIX. *Amor poenitens excuſari poteſt ab omni errore. Solvuntur objectiones contra eum.* 1ma

2. L 1 c 23 docet Caſtorienſis: *Verum Dei cultum ſine dilectione non haberi.* Senſu per nos c V n XIX. XX. XXII expoſito: quia *fine*, et *perfectione extrinſeca* carent omnes virtutes charitate vacuae; non ſenſu Bay, ut iisdem numeris luculenter diſtinximus. Infert Francolinus: hac doctrina non impelli *peccatores* ad *actum charitatis*, qui illis eſt *difficilis*, ſed removeri a praeſtandis virtutibus inferioribus, quae dicuntur non eſſe vere virtuoſae ſine charitate: At haec meram invidioſam calumniam eſſe piae SS Sententiae, patet ex cap I n XXVII et cap V n XL. Enimvero amaris lacrimis deplorandi ſunt attritioniſtae *actum charitatis initialis*, et *virtualis*, de quibus hic ſermo. *difficilem* fingentes contra expreſſam proteſtationem amantiſſimi Salvatoris: *Jugum meum ſuave eſt*, et *onus meum leve.* Recole doctrinam Guillelmi Pariſienſis cap I not ad n XII docentis: *conantibus Divinum auxilium* ad habendam, et augendam charitatem *praeſto eſſe.* Ergo difficilis eſt actus initialis charitatis peccatoribus in ſuis ſordibus haerere cupientibus. *concedo.* Converti ſincere volentibus; *pernego.* Sub eadem diſtinctione nego utramque propoſitionem Francolini Ultimam hac ſaepius jam diſſolvi: virtutes inferiores ſine charitate non ſunt verae virtutes *in ſe intrinſece*: falſum eſt, ut de timore ſervili cap V n VIII dictum. *extrinſece* in ratione *finis* non ſunt *perfectae.* Concedo ibi n XXII. Hanc doctrinam tradit Eccleſia in Feſto SS Simonis, et Judae Apoſt docens ex Auguſtino tract 87 in Joan: *charitas eſt fructus noſter de corde puro, et conſcientia bona, et fide non ficta. Hac diligimus invicem, hac diligimus Deum. Neque enim vera dilectione diligeremus invicem, niſi diligentes Deum. Diligit enim unusquisque proximum ſuum tanquam ſeipſum, ſi diligit Deum. In his enim duobus praeceptis charitatis tota lex pendet, et Prophetae.* go charitas proximi ex charitate Dei procedit. go omnia praecepta ad duplicem hanc charitatem urgendam lata ſunt. *Hic eſt fructus noſter. Unde et Apoſtolus - Fructus, inquit, Spiritus eſt charitas: ac deinde caetera tanquam ex iſto capite exorta, et religata contexuit, quae ſunt gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, caſtitas.* go charitas eſt *radix*, et *finis* omnium inferiorum virtutum *actualium*, quales ſunt enumeratae. go inferiores virtutes ſine charitate ſunt *imperfectae extrinſece.* Quod ſic porro probat charitatis Doctor: 2da

Quis bene gaudet, qui bonum non diligit, unde gaudet? quis pacem veram nisi cum illo potest habere, quem veraciter diligit? quis est longanimis in bono, nisi ferveat diligendo? quis est benignus, nisi diligat, cui opitulatur? quis salubriter fidelis, nisi ea fide, quae per dilectionem operatur? cuncta haec *actum*, non *habitum* charitatis exprimunt. Concludit tandem omnium cordibus alte insculpenda sententia: *Merito itaque Magister bonus dilectionem sic saepe commendat, tanquam SOLA praecipienda sit ut radix*, et *forma* omnium virtutum: *sine qua non possunt prodesse caetera bona* proxime ad justificationem, et ad vitam aeternam consequendam: *et quae non potest haberi sine caeteris bonis, quibus homo efficitur bonus*: quia inferiores virtutes sunt fundamentum, et dispositiones ad charitatem. Haec Ecclesia ex Augustino; quibus praecipua doctrinae nostrae capita in nuce continentur: ut nemo dubitet, doctrinam nostram Ecclesiae, et Augustini esse. Quanta go injuria traducitur piissimus Praesul Castoriensis! Nae quibus talia contingunt, *ire* debent *gaudentes, quoniam digni habiti sunt* pro charitate Dei *pati*.

atia 3. Arguitur *amor poenitens*, quod L I c 14 non distingvat *actum charitatis ab auxilio gratiae actualis*. Ex quo sequitur, quod qui non habet *charitatem*, non habeat *gratiam actualem*; vel plane id, quod omnis gratia actualis sit *efficax*. Quod Jansenii dogma esse vidimus h n XXIII. At nos, existimamus, hic a Castorienſi non nisi illam Angelicam doctrinam tradi, quod cum motu *fidei*, et aliarum virtutum inferiorum detur etiam *motus charitatis*, qui illam ad *finem* omnium virtutum charitatem simul elevet. de quo egimus cap V n XX a verbis: *Porro quod charitas*. Aut verosimilius pius Episcopus sensu Augustini, et Augustinianorum Theologorum omnem *gratiam actualem* in aliqua *delectatione deliberata* constituit, ut c V n XXXIII vidimus. Utrumque satis liberat Castorienſem a suspicione Jansenismi. Utraque Augustini doctrina est dictis L 4 contra 2 Epist Pelag; gratiam esse *inspirationem dilectionis, ut cognita Sancto amore faciamus, quae proprie gratia est*. Quaest. 15 in Deuteron: *eum vere fit opus, charitate fit, quae charitas gratia est novi Testamenti*. L 15 de Trinit. c 18: *Donum Dei proprie charitas intelligenda est, quae perducit ad Deum*: ET SINE QUA QUODLIBET ALIUD DONUM *Dei* NON PERDUCIT AD DEUM. (go nec Sacrm poenitentiae perducit ad Deum sine charitate) Tract. 6 in Joan: *charitas ipsa gemit, charitas ipsa orat*. Et L de mor Ecclesiae cap. 17: *amore petitur, amore quaeritur, amore pulsatur*. Quibus positis utriusque sequelae Castorienſi impactae falsitatem sic demonstro: Ex Angelico cum *gratia fidei*, et *inferiorum virtutum* datur una *motus*, sive *gratia ad charitatem*. Cap V n XX. atqui persaepe actus fidei, et aliarum virtutum inferiorum perficiuntur in suis *motivis proximis* tantum, et sunt supernaturales, quin eleventur ad charitatem, ut de timore servili diximus c V n VIII. Ergo tales actus inferiorum virtutum fiunt a gratia actuali. Ergo palam falsum est, et quod qui non habet *charitatem*, non habeat *gratiam actualem* ad alias virtutes; et quod omnis gratia *sit efficax*. Nam in posito casu motus charitatis manifeste est *inefficax*, et *sufficiens* dans *posse* ad actum charitatis, et *non efficiens* ipsum actum charitatis inferiori virtute ad charitatem non elevata.

ata 4. Carpit Francolinus in Castorienſi, quod in *Epistola ad Clerum suum operi praefixa* male philosophetur de *habitibus infusis*. At enim palam contestatur hic charitatis Sacramentalis Illustrator, *a se eos non rejici*. Quod eorum explicationem a Philosophis, non a Patribus repetat, salva substantia fidei est *alter modus loquendi*. Charitas

Sa-

Sacramentalis vere poteſt, imo debet explicari ſine *habitu* charitatis, docente Angelico *quod poſſit Deus diligi ſuper omnia ſine habitu charitatis*, imo *iſte actus dilectionis intelligatur ſub praecepto charitatis.* Ut c II n XII vidimus. et hoc ideo mea opinione, ne peccatores a magno hoc mandato ſe exemptos putent: ne item omni actui charitatis juſtificatio tribuatur. Si Caſtorienſis habitus hos *dormientes* vocat, reſpectu *parvulorum* non probo expreſſionem: reſpectu vero *adultorum* HABITUM *charitatis* attritioniſtae ipſi *dormientem* faciunt, cum per annum vix aliquoties exire in actum doceant. Nos *eum* ſingulis diebus *actuoſum* eſſe urgemus ad verificandam *virtualem* charitatem nobis vere praeceptam. c I n XXIX.

5. Carpit demum Francolinus Caſtorienſem, quod SS PP, ſi- 5ta
quid pro ſe innuant, benigne explicet; totas exadverſo tranſiliat Romanorum Pontificum Conſtitutiones, quamvis ejus doctrinae non immerito manifeſte contrariae videantur. Reſp. Aeque periculoſum eſt pias *Catholicorum Theologorum* ſententias Clariſſimis SS *Patrum textibus* evidenter *demonſtratas Romanis Conſtitutionibus contrarias* dicere: Sic enim ipſi SS PP, quorum evidentibus auctoritatibus nituntur Initialiſtae, erroris arguuntur. Ergo utrinque neceſſarium eſt verum ſenſum *pponum damnatarum* eruere: cum potiſſimum ipſi Romani Pontifices, nominanter S *Pius* V de propoſitionibus Bayanis aſſerat, earum nonnullas *aliquo pacto ſuſtineri poſſe*, nec niſi *in ſenſu ab aſſertoribus intento* eſſe damnatas. Nos utrumque luce meridiana clarius praeſtitimus; Propoſitionum per Romanas Conſtitutiones damnatarum *ſenſum ab aſſertoribus intentum* cap I not ad n XXIX, et hic n. XXIII in not. ineluctabilibus auctoritatibus deteximus: ab his noſtram ſententiam toto Coelo diſtare. praecipuos vero Eccleſiae Patres, eorumque diſcipulos antiquos Theologos pro nobis palam ſtare, toto hactenus opere ad oculum demonſtravimus. ergo doctrinam noſtram *depoſitum Patrum* eſſe, *in Domino gloriamur.*

Caeleſti itaque hoc ſolatio pleni patienter ferimus acerba illa ſcomata, quibus Francolinus L I c X n 20 aſſerit, Caſtorienſem, alioſque ei ſimiles damnatae, ut ei videntur, doctrinae Patronos, et qui hos ſequuntur, *initialiſtas nullam prorſus auctoritatem habere* poſſe. At auctoritatem habere debent innumeri SS PP, quos hactenus laudavimus ut *Duces*, et *Magiſtros noſtros*: non *Caſtorienſem*, quem unice ut SS Patrum diſcipulum, ut Epiſcopum piiſſimum, et doctiſſimum ab iniqua Janſeniſmi accuſatione defendi poſſe praemiſſis innuimus. plenam ejus defenſionem aliis relinquentes. *Caetera Francolini ſcommata breviter perſtringuntur.*

Ex eodem capite pro Chriſto Nos pati arbitramur injurioſiſſimos illos Francolini aculeos ibi n 21: *Unde habeo, quod omnes* qui eos (Caſtorienſem, et ſimiles) *ſequuntur, Catholici ſint?* (quia ſequimur SS Eccleſiae Patres) *moneo, non eſſe quidem omnes Janſeniſtas, qui contritionem exigunt in Sacramento: tamen Janſeniſtas omnes eam exigere.* (Et SS Patres omnes eam exigunt, ut ex c I elucet. An omnes illos Francolinus Janſeniſtas proclamabit? Apage inſulſam paritatem! ut dixi hic n XVIII ad 4) Pergit Francolinus: *ſunt igitur ex tam multis* initialiſtis *ſeparandi Janſeniſtae a Catholicis. At quis hanc ſeparationem faciet? Inimici ſuſpecti ſunt; Amici non loquuntur: opera ipſa eos non tam facile diſtinguunt, et ſeparant. Caeterum ſi ſeparatio fiat, o! quam decreſcet ille magnus numerus pro contritione pugnantium!* Haec ille. quae eo plane vergunt. ut omnes initialiſtas in genere. et ſine diſtinctione *ſuſpectos de Janſeniſmo*, atque adeo non audiendos, quin *contemnendos* reddat.

XXXIV.

Nihil aliud docemus quam Bini charitatis Magistri.

XXXIV. Iudicet Deus Inter me, et Attritionistas! quia non prius me, quam binos charitatis Magistros Caelitus Ecclesiae ad inculcandam omnium cordibus veram Dei charitatem datos, Jansenistam facient: quorum Junioris S Francisci Salesii Libr. 10 Divini amoris ore sic brevibus totam meam de charitate *Sacramentali*, et *virtuali* doctrinam complector: *Hoc a nobis poscit Deus, ut inter omnes amores Divinus praecipuum locum obtineat: ut toti dominetur cordi: ut ille dilectissimus sit, totum animum possidens: ut latissime regnet omnes facultates sibi mancipans:* et *quia illo* (amore) *Deum eligimus quasi supremum voluntatis bonum; amor est supremae dilectionis.* *Hic amor omnibus, et singulis mortalibus generatim praecipitur quamprimum ad rationis usum pervenerunt, SINGULIS sufficiens, OMNIBUS NECESSARIUS ad salutem.* Ergo et peccatoribus paenitentibus cum Sacramento. Frustra enim exceptionem formas, quam Sanctus per ly *singulis*, *omnibus* excludit. Cum Seniore vero, Magno Augustino in ps. 77 assidue inclamo: *Hoc colitur* perfecte, *quod diligitur. Unde quia Deus rebus omnibus major, et melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur.* Et L 10 de Civitate Dei cap 4: *Hoc bonum diligere in toto corde, praecipimur. Ad hoc bonum debemus et a quibus diligimur, duci, et quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa praecepta, in quibus tota Lex pendet,* et *Prophetae. Ut enim homo se diligere nosset, CONSTITUTUS EST EI FINIS, QUO REFERRET OMNIA, QUAE AGERET.* E L 1 Doctr Christ cap 22: *Cum ait* toto corde, *Nullam vitae partem reliquit, quae vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re frui velit: sed quidquid diligendum venerit, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit; adeoque et ipsam dilectionem proximi ad Dei amorem rapiendam declarat, quae nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Si *nullam partem* reliquit nobis Deus *vacuam a sui charitate*, an putare possumus vacare nos posse a charitate *actuali, vel virtuali* ipso tempore poenitentiae agendae? misericordiae emerendae? justitiae recuperandae? ne quid consilii in his suspiceris, adscribamus Decretorium Augustini textum L 2 contra Faust c 78: *Fit homo iniquus, cum propter seipsas diligit res propter aliud assummendas: et propter aliud diligit res propter seipsas diligendas. Sic enim quantum in ipso est, perturbat ordinem naturalem, quem Lex aeterna conservari jubet. Fit autem homo justus, cum ob aliud non appetit rebus uti, nisi propter quod Divinitus constitutae sint: Ipso autem Deo frui propter ipsum, seque, et amico in ipso Deo propter ipsum Deum.* Atqui Attritionistae concupiscunt *Caelum sibi bonum non propter ipsum Deum:* Sic enim diligerent *Deum in se bonum, quem* nullatenus attingunt. Ergo diligunt caelum propter caelum, propter *suam* beatitudinem, et *quietem.* Ergo *perturbant ordinem naturalem:* ergo *fiunt, hoc est*: manent *injusti, imperfecti.* Rursum Augustinus Serm. 17 de verbis Apostoli: *Quid est, quod dixi, ut inter omnia, quae delectant, plus te delectet ipsa justitia? non ut alia non delectent, sed plus delectet justitia. Sic delectet justitia, ut VINCAT ETIAM LICITAS DELECTATIONES: et ei delectationi, qua licite delectaris, PRAEPONE JUSTITIAM.* Atqui Attritionistae ita delectantur caelo, ut huic delectationi non praeponant Justitiam, Deum in se: Ergo Attritionistae imperfecte delectantur. Confer cap V n XIX, XXI, XXII, ut evidenter pateſcat, his Augustini, et Salesii principiis, *atque adeo doctrinae nostrae* praecipuos Ecclesiae Patres mire consentire.

Charitatem praedominantem.

Et virtualiter continuam.

Ut finem virtutum, ac actionum.

Quid est hic Jansenisticum? imo quid non SS Ecclesiae Patrum? sinamus ergo Francolinum, et Attritionistas nos proscindentes mox in Alexandro VII Apostolicum patrocinium habituri. Sed prius

audia-

audiamus Benedictum XIV ADULTAM AETATEM attritionis servilis enarrantem.

XXXV. Prosequitur is Lib cit n 7: *Quod isti* primi Inventores, et educatores *tanta adhibita circumspectione affirmarunt, posteriores Doctores OB AUCTUM SIBI CONSENTIENTIUM NUMERUM* (nota rationem animositatis) *animosiores facti non solum absque ulla dubitatione, et limitatione asseruerunt, sed contrariam sententiam requirentem in poenitente ALIQUEM CHARITATIS AMOREM* (nota statum quaestionis propter P Lacroix mox citandum) *saltem INITIALEM carpere, et censura afficere non dubitarunt; eam omnino improbabilem, periculosam, Tridentini menti contrariam, atque implicite, et virtualiter quodammodo ab eodem Tridentino proscriptam dictitantes.* Similia refert Habert de attrit. § 3: *Orta Casuistarum, turba, opinio de sufficientia attritionis ex poenarum metu conceptae tantum sibi arrogavit, ut ejus Patroni contra fidem historiae* (doctrinae antiquorum, et natalium attritionis hic productorum) *quam verosimile est eos ignorasse, eam tanquam de fide tenendam, et a Tridentino definitam publice asseruerint, et contra sentientes uti Catholicae doctrinae impugnatores prosciderint.* Quam vere haec dicta sint, patet ex Lacroix L 6 part 2 n 873 suo loco per nos referendo.

Attritionis adultae aetas longe audacior ob auctum suorum numerum.

XXXVI. Potissimum vero Lis haec ferventius exarserat in Belgio circa A 1960 praesertim inter P Maximilianum Le Dent pro *attritione*, et Franciscum Farvaquesium Ord S. Augustini pro *initiali charitate* decertantes adeo, ut ad censuras, quas ultro, citroque intorquebant, compescendas Alexander VII Anno 1667 sequens edidexit Decretum: SS D N *Alexander Papa VII cum acceperit non sine gravi animi moerore, Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo inter se contendere, an illa attritio, quae concipitur ex metu Gehennae excludens voluntatem peccandi,* (a) *cum* SPE *veniae ad impetrandam gratiam in Sacramento poenitentiae requirat insuper aliquem actum* DILECTIONIS DEI, *asserentibus quibusdam, negantibus aliis, et invicem adversam sententiam censurantibus: Sanctitas sua enixe cupiens, pacis vinculum inter fideles servari, omnemque scissurae fomitem extingvere, auditis votis Eminentissimorum, et Reverendissimorum D D Cardinalium adversus haereticam pravitatem Inquisitorum generalium, nec non D D Consultorum, et Qualificatorum Sacrae Congregationis ejusdem Generalis Inquisitionis, hoc praesenti Decreto in virtute Sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis latae sententiae huic Sanctae Sedi reservata, aliisque poenis ejusdem Sanctae Sedis arbitrio taxandis, praecipit cunctis, et singulis Fidelibus quocunque gradu, et Dignitate etiam Episcopali, et maiori, imo et Cardinalitia fulgentibus: ut si deinceps de materia attritionis praefatae scribent, vel Libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel praedicabunt, vel alio quovis modo poenitentes, aut Scholares,*

Potissimum circa 1660.

Censurae utrinque prohibitae Decreto Alexandri VII.

(a) Infert ex his verbis Francolinus L 1 c X nro 15: Alexandrum VII *manifeste supposuisse, metu Gehennae excludi posse voluntatem peccandi.* Resp. negative. *Concedo.* Positive. *Nego.* Secus dicendum esset, ab Eodem damnatas esse illustres illas PP auctoritates, quibus cap V n XII docuimus, voluntatem peccandi sola charitate *positive* excludi posse. Quod nec adversarii praetendere possunt; manet ergo *metui servili* sola *exclusio negativa.* c V n IX. Sacramento insufficiens. Ibi nro X. XI. XXX. quam solam, *ut utrinque* inter nostros, et adversarios certam supponere Pontifex poterat. Secus dum censuras Scholasticas prohibebat, maximos Ecclesiae Patres numeris mox cit. laudatos longe acerbiori injuria perstrinxisset. Quod a Doctissimi, ac doctrinae SS PP reverentissimi Pontificis Maximi mente, ac voluntate alienissimum fuisse, nemo est, qui neget.

lares, caeteroſve erudient, non audeant alicuius Theologicae cenſurae, alteriuſve injuriae, aut contumeliae nota taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu Gehennae concepta, quae hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictae dilectionis neceſſitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid in hac re definitum.

An poſt hoc Decretum ſubinde Innocentius XI *aliquid* hac in re non definiverit? poſtea videbimus.

XXXVII. In praeſentiarum obſervamus, Decretum hoc id eo unice latum eſſe, *ut ſublatis utrinque dicteriis*, et *cenſuris*, diſputatio de charitate fieret cum charitate. Omnia, quae pro utraque ſententia ibidem referuntur, hiſtorica ſunt. Utramque in ſuo ſtatu relinquit Decretum, nihil uni prae altera ponderis adjicit, ſed unice referendo ſtatum quaeſtionis, reciprocas cenſuras ſevere prohibet. Lubet tranſcribere, quae animadvertit Doctiſſimus Boſſvet in laudatum Decretum de doctrina Tridentini pag. III: *Vetat Pontifex, ne ſe invicem cenſurent, taxent, Theologicas, ut ajunt, qualifications inurant, neve injuriis, et contumeliis mutuo ſe proſcindant; jubet, ut charitatis vinculum ſervent. Id quidem maxime pertinet ad eos coercendos, qui quotidie noſtram, hoc eſt, Concilii Tridentini de imperfectis dilectionis neceſſitate doctrinam paſſim infamant, tanquam quae purum, putumque Lutheranismum, aut Calviniſmum (Janſeniſmum, aut Rigoriſmum) inducere, aut redolere videatur. Sane contrariam partem a talibus quoque abſtinere oportet. Aut porro Pontifex, ſententiam negantem inter SCHOLASTICOS VIDERI COMMUNIOREM: VIDERI ſane, non ESSE: OPINIONEM, non autem Scholae DECRETUM, aut dogma. COMMUNIOREM, non proinde STABILEM, et CERTAM, non COMMUNISSIMAM* (non probabiliorem: imo li *communior* dicit tantum probabilitatem *extrinſecam*, go opinionis ſervilis probabilitatem *intrinſecam*, quam pridem jam quaerimus; vi hujus decreti non tenemur agnoſcere.) *hodie, non ab antiquo: inter SCHOLASTICOS: HODIERNOS certe, non Patres. Inter Scholaſticos*, non Confeſſarios, non animarum Curatores, non in praxi. *Donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Ergo certiſſimum eſt, a Tridentino *nihil* hac in quaeſtione *fuiſſe EOUSQUE definitum:* Conſequenter praetenſam *Concilii* ſufficientiae attritionis *deciſionem* eſſe futilem, imaginariam, et ab Attritioniſtis gratis confictam. Quis enim ſibi perſvaſerit, ita locuturum fuiſſe Chriſti Vicarium, aut ſententiam initialis amoris cenſurari vetiturum, conſequenter doceri toleraturum ſaltem, ſi pro *attritione ſervili* Concilii Tridentini *deciſionem* vidiſſet?

In Decretum Alexandri VII animadverſiones Epiſcopali Boſſvet.

Decreto cit. utraque opinio agnoſcitur probabilis extrinſece.

XXXVIII. Neque reponas: poſtremum hoc argumentum initialis etiam charitatis *certitudinem* evertere. Quamquam enim pro initiali amore ſtet *praeſumptio antiquitatis*, ut vel ex hoc capite dictis conſtat, quam non evertit Tridentinum, imo probabiliſſime confirmavit Seſſ 6 c 6, et Seſſ 14 c 3. 4: ut luculenter docuimus cap II. IV. et V. ideoque Clariſſimus Boſſvet hanc *noſtram, hoc eſt, Concilii Tridentini doctrinam* vocet; nolo tamen eam ad *certitudinis* gradum evehere; ſufficit enim ſcopo meo, eam eſſe *probabilem*: eo enim obtento (quod ſalvis terminis Decreti Alexandrini a Boſſveto modo explanati is tantum negare poteſt, qui omnia.) ex propoſitione 1a 1679 damnata ab Innocentio XI ſuo loco nullo negotio evincam evidenter, in Sacramento Baptiſmi, et poenitentiae ita *initialem charitatem* eſſe *neceſſariam*, ut ſola *attritio ſervilis* aeternum *exulare debeat.*

XXXIX. Vidit hoc periculum attritionis ſuae P. Lacroix, ideoque ut illud evertat, L 6 p 2 n 875 aſſerere non dubitat, vi Decre-

Evaſio Patris La Croix praecluditur.

Decreti Alexandri VII, opinionem initialis charitatis non reddi *probabilem*: Decretum enim loqui dicit *de illa tantum opinione, quae requirit aliqualem dilectionem Dei in attritione ex metu gehennae concepta: hanc autem se non oppugnare* ait. Utique non oppugnat *amorem spei* in attritione servili contentum. At Alexandrum VII locutum fuisse de probabilitate opinionis *initialis amoris*, non *spei*, *sed Dei propter se dilecti*, sive *charitatis*, evinco sole clarius 1: Ex statu quaestionis, quem Alexander proponit his verbis: *An illa attritio, quae concipitur ex metu gehennae excludens voluntatem peccandi CUM SPE VENIAE, ad impetrandam gratiam in Sacramento poenitentiae requirat* INSUPER *aliquem ACTUM DILECTIONIS Dei: asserentibus quibusdam, negantibus aliis.* Ergo quaerebatur: An praeter attritionem *cum spe veniae*, sive *praeter amorem spei* in attritione servili inclusum requiratur ad Sacrm poenitentiae aliquis amor *dilectionis*, sive *charitatis*? 2: Sententia in *attritione* requirens *spem*, et qui eam praecedit, ac dirigit *amorem spei*, sive *concupiscentiae*, est, fuitque tunc quoque non *probabilis*, sed *certissima*, et *evidentissima*: Cum et Tridentinum Sess. 6 c 6 in *verbis*: *in spem* tantum *tendunt*, et Alexander VII addens: *cum spe veniae* eam positive includant. Ergo an *sufficiat sola spes*, et eam praecedens *amor concupiscentiae* in justificatione? aut ultra amorem concupiscentiae requiratur vera, sed initialis charitas? Erat verus status quaestionis. 3: Nemo Attritionistarum, ut dictum cap III n III, proinde nec P Maximilianus Le Dent negabat *amorem spei* in justificatione: ex adverso autem aemulus ejus Franciscus Fervaquesius praeter *spem firmam*, et *robustam*, requirebat initialem aliquam *dilectionem charitatis*. Atqui horum duorum mutuo contendentium sententias refert cit. Decretum. Ac prioris quidem negantem amoris initialis sententiam *communiorem tunc inter Scholasticos* appellat. Ergo Fervaquesii affirmantem ejusdem amoris initialis sententiam implicite, et vi necessariae consequentiae *communem*, et *probabilem tunc* inter *Scholasticos* fuisse invicte sequitur. Id ipsum patet 4: ex Benedicto XIV superius statum quaestionis hujus narrante: *Sed contrariam sententiam requirentem in poenitente* ALIQUEM CHARITATIS AMOREM *saltem initialem carpere, et censura afficere non dubitarunt*. Frustra ergo detorquet statum quaestionis La Croix, ut agonizantem certitudinem servilis sistematis sustentet.

XI. Respondet 2 P Viva in Cursu Theologico t 2 p 6 q 3 a 2 n 31: *Prohibitio Alexandri VII non infert utramque opinionem esse probabilem. Cum huiusmodi prohibitiones saepe fiant in bonum pacis, et ad evitandas discordias*. NON IN GRATIAM VERITATIS. Haec evasio non est melior, quam prior illa La Croixiana; imo Zelo (ut putare debeo de tanto viro) innocenti pro tuenda sua opinione prolata, est tamen longe periculosissima. Hoc enim exemplo quisque Lutheri, Calvini, Bay, Jansenii que assectarum, quin et aliorum similis farinae clamare poterit: *Has, illasque Constitutiones Romanas factas esse in bonum pacis, ad evitandas discordias*, NON INGRATIAM VERITATIS. Qua admissa libertate quid futurum sit cum *primae Sedis Divinitus constituta auctoritate*? moerens fileo. Confer cap V n LX. Interim cum P Viva admittat statum quaestionis fuisse de *amore charitatis*, serio perpendi oro: An toleraſſet? an censura, et alia injuria affici vetaſſet Alexander VII sententiam *initialis charitatis*? Si illam *improbabilem*, si *Tridentino contrariam* et *talem esse vidisset*, qua onus confessionis *gravius Christi voluntate* propter novum *amoris jugum*, ut adversarii loquuntur, ei ab Initialistis superadditum efficeretur? Hoc, inquam, coram Deo identidem ruminent adversarii, et nisi Decretum

Ut et P Viva.

cretum cit. frivolis, quin periculosis exceptionibus eludere velint, fateri cogentur, *servilem opinionem*, etiam dum summe floruit, sub Alexandro nimirum VII non nisi *extrinsece probabilem* fuisse.

Ex doctrina Lovaniensis Universitatis ejusdem fere temporis.

XLI. Illustrantur dicta a n h XXXVI, et probatur Alexandrum VII cit decreto, quo opinionem attritionistarum *comuniorem inter Scholasticos* dixit, sententiam illam, quae ad Sacrm poen praeter fidem, et spem, *veram initialem charitatem* requirit, *probabilem* agnovisse, idque *studio veritatis*. Nam quum *attritionistae* relato decreto Alexandrino tumidi insultarent *Initialistis*, *eosque* expresse damnandos ab Apostolica Sede urgerent, ut vicem redderent gravissimis illis vulneribus, quae attritionistae acceperant a 1663, et 1666 complurib. mollioris Ethices Christianae pponibus damnatis, Universitas *Lovien*sis per quatuor illustres suos Theologos Franciscum Vanvianen, Christianum Lupum, Martinum Steyaertium, et Lambertum de Drou a 1677 Supremo Sacri officii Tribunali Romano examinandas exhibuerunt, atque ut purum aurum ab igne severi examinis probatas retulerunt referente P Corbiniano Lujdl tom 4 n 227 sequentes ppnes suas:

1a. *Servilis gehennarum metus nequaquam in sua substantia malus est, sed bonus, et utilis: attamen ipsi soli insistens attritio etiam cum Sacramento non sufficit ad justificationem. Quia ad accipiendam hanc gratiam oportet credere, sperare, ac DEUM PROPTER SE diligere.* „ go P Lacroix non recte fingit h n XXXIX, Alexandrum VII loqui *de amore spei tantum.*

2a. *Vera attritio debet esse dolor animi, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero, excludens voluntatem peccandi. Attamen non debet includere perfectam charitatem, quae hominem reconciliet prius, quam hoc Sacrm actu suscipiatur.*

3a. *Nihilominus esse debet, licet imperfecta, tamen vera Dei charitas; qua poenitens Deum tanquam omnis justitiae fontem diligat, ideoque peccata sua detestetur, et oderit. Eam aliqui appellant charitatem AFFECTIVE super omnia.* Quam ergo nequit sibi Apostolica Sedes contradicere, tam falsa est assertio Francolini h n XXXVI, Alexandrum VII decreto suo suppossuisse, quod metu gehennae sufficienter ad Sacrm poen. hoc est, *positive* excludatur voluntas peccandi.

Ne quid vero tibi subrepat scrupuli cum P Viva h n XL de oeconomia *falsae pacis*, non *veritatis* circa laudatas ppnes a Sacra Sede, ut praemissum est, intactas, ex obviis Theologis Patuzzio, Turnelio, et aliis passim notum est, eodem tempore Binos e laudatis *Ablegatis Lovanien*sibus, Lambertum de Drou, et *Martinum Steyaertium* a Sacra Sede Episcopali dignitate fuisse ornatos: et *hunc* quidem ut *Vicarium Apostolicum Belgio* Praefectum: ut intelligeret orbis Christianus, voluisse Sedem Apostolicam *Initialistarum* dogma in Belgio quoque praedicari etiam tunc, dum ibidem bellum hoc Theologicum maxime ferveret.

Notari demum volumus dictarum ppnum Lovanien*sium* illam clausulam: *Eam*, tribus pponibus descriptam *Initialem*, *et imperfectam veram tamen charitatem*, *aliqui appellant charitatem* AFFECTIVE *super omnia*. Scilicet charitas *perfecta* est EFFECTIVE super omnia, *debita intensione* justificationem per se *efficiens*. *Imperfecta* habet quidem idem objectum Deum *nobis*, *et in se bonum dilectum*, sed quia debita intensione voluntatis caret, *in Sacramento* ad justificationem *positive*, et *proxime parat*. Ut toties dictum. Quos terminos charitatis *effective*, *et affective*

super

ſuper omnia a Lovanienſibus, ut vides, mutuatos nos toto opere retinebimus.

XLII. COROLLARIUM. Parentes, ac Nutritii ſervilis opinionis *antiquorum SS Patrum*, et *Conciliorum* de *contritionis* ad Sacramentum poenitentiae *neceſſitate* doctrinam palam deſeruerunt. Patet manifeſte propria *eorum* confeſſione hic n I II III IV, quin ex omnibus hactenus dictis liquet, ab omni antiquitate uſque ad finitum Tridentinum contritionem vera, et propria Dei propterſe charitate animatam Sacramenti poenit. materiam proximam habitam eſſe: Ex adverſo autem Dominicus Soto, et de Victoria *attritionem ſervilem* bonae fidei errore poenitentis *contritionem reputatam*, et *exiſtimatam* primi omnium proclamarunt ſufficientem Sacramenti materiam. Hoc negari nequit. At quis obſecro! ex omnium Saeculorum Doctoribus aſſeruit, *metum purum errore poenitentis fieri charitatem*? aut ſupplere vicem *charitatis*? quam aliter hac de re loquitur h c I n XII Doctor Seraphicus: *multi credunt ſe habere* charitatem, *qui non habent; et iſti evadunt offenſam* propter bonam fidem, *quamvis non acquirant gratiam*. quia deficiente materia neceſſaria contritione, non perficitur Sacramentum. Iſta eſt Seraphica doctrina, quam illuſtrat Benedictus XIV l c n VI: quia error inculpatus circa materiam Sacramenti excuſat quidem a culpa, Sacramentum tamen defectu debitae materiae eſt nullum eo modo, quo cum dolore *naturali exiſtimato ſupernaturali* evitatur quidem Sacrilegium, ſed non perficitur Sacramentum, ut docet et Svarez ibi. Et quem, oro! actum *abſque ſua ſolennitate ſubſtantiali* ignorantia (quae alioquin ſi Juris ſit, neminem excuſat) fecit unquam validum, et formatum? omnes norunt, ſe nihil agere, niſi ita ponant actum, ſcribant contractum, quemadmodum Princeps ad valorem fieri ordinavit: et credemus novis illis Doctoribus: Chriſtum ita requiſiviſſe ad valorem Sacramenti *charitatem* (quod Soto, et Victoria concedunt) ut tamen inferior *dolor timoris mere ſervilis in caſu ignorantiae ſuppleat vicem charitatis*? Sive quod idem eſt: Timor ſervilis ſit materia a Chriſto ad rationem Sacramenti poenit elevata, *ſi putetur eſſe charitas*? ubi eſt hujus aſſerti in tota antiquitate vel mica? vel rima? imo contraria omnia hactenus vidimus, ſolam nempe *charitate animatam contritionem* a Chriſto eſſe inſtitutam Sacramenti materiam. Quam propoſitionem nec Canus negavit, ut vidimus h n III: ideo Conc Florentinum, et Patres *de ea* ut *certa materia loqui* aſſerit: Attritionem ſervilem *dubiam* materiam *univerſim* ſtatuit, quo fundamento? ipſe viderit: cum Vega illius in hoc aſſerendo Collega verbis cubitalibus confiteatur, neceſſitatem charitatis ad Sacramentum eſſe DOCTRINAM CHRISTI, APOSTOLORUM, et SS ECCLESIAE DOCTORUM. Imo *nova Cani opinio* unico hoc futili argumento continetur: In caſu ignorantiae bonae fidei ſufficit ad Sacrm *attritio ſervilis pro contritione reputata* (ut volunt Dom. Soto, et de Victoria.) ſed ignorantia ex attritione non facit contritionem; Ergo univerſim ſufficit attritio ſervilis. Hoc eſſe argumentum Cani docet Benedictus XIV l c n VI: atqui argumenti hujus majorem recenter cuſam, falſam, falſiſſimam eſſe modo vidimus ex Doctore Seraphico, Benedicto XIV, et Svarezio. Ergo totum novum ſyſtema Cani, et *attritioniſtarum ejus poſterorum* falſo, frivolo, et paradoxo argumento nititur: cujus majorem nunquam hi ulla ſolida ratione (quod tamen primum deberent velut opinionis ſuae lapidem angularem) conſtabilient.

Attritionis Parentes omnem antiquitatem deſeruerunt.

Opinionem ſuam ERRORI *mediſcarunt.*

Error inculpatus circa ſubſtantiam invalidum reddit Sacram.

Ut omnes alios actus.

Fruſtra aſſeritur, metu charitatem ſupleri.

Futile argumentum Cani.

Cujus ruinae repentina corruit tota machina ſervilis illi inaedificata.

Verbo: habemus hic I Attritionis ſervilis ſufficientiae *Progenitores*, et infantiae ejus *Primos Nutritios*. N I II III IV. ergo ultra

Complexio dictorum.

horum tempora fruſtra aſcendunt attritioniſtae; quia illi fatentur luculentiſſime, opinionem ſuam toti ante ſe antiquitati eſſe contrariam. ibidem. Habemus 2 Cani argumentum totius opinionis fundamentum. Cujus Prima propoſitio quia nuda, et falſa eſt aſſertio Soti, et Victoriae, ideo tota ſervilis opinio illi inaedificata intrinſece falſa, et paradoxa eſt. 3. Habemus attritionis *adoleſcentiam* oppido timidam, et modeſtam. h a n V uſque ad XV inclusive. Quorum ſummorum Doctorum, Magiſtrorum ſuorum moderationem utinam imitentur hodierni attritioniſtae illorum diſcipuli! 4. Habemus ejusdem opinionis *adultam aetatem*, audacem illam, hic n XXXV, et rixoſam n XXXVI: neque tamen vel tunc, quo altius nunquam aſcendit, niſi *communiorem inter Scholaſticos.* n XXXVI: idque non aliunde (non ſane antiquitatum Sacrarum, aut Tridentini Concilii fundamento, ut hactenus vidimus) ſed teſte Doctorum Principe h n XXXV *ob auctum ſibi conſentientium numerum.* ergo opinio Servilis in PLENA quoque, ac PERFECTA AETATE SUA non niſi *extrinſeca probabilitate*, ac *ſuorum multitudine* terribilis fuit. de quo jam videamus.

CAPUT SEPTIMUM.

Multitudo Attritioniſtarum non facit moralem certitudinem. Initialis Charitatis Patroni Poſt-Tridentini plurimi, et Nobiliſſimi.

I. Cum Alexander VII in laudato Decreto opinionem Attritioniſtarum dicat *tunc viſam* fuiſſe *inter Scholaſticos COMMUNIOREM*, age hunc quoque ſcrupulum jam eximamus, an *hoc* non ſit, aut pro illo ſaltem tempore non fuerit *moralis certitudinis* pro attritione ſervili ſtantis argumentum? Reſpondeo: prorſus non fuiſſe. Ratio eſt, quia, ut vidimus ex Benedicto, quod primi attritioniſtae probabiliter duntaxat, et magna cum circumſpectione affirmarunt, poſteriores nulla ſolida, minus moraliter certa ratione inventa; Verum unice *ob auctum ſibi conſentientium numerum animoſiores facti, abſque ulla dubitatione aſſeruerunt*, attritionem ſervilem ad Sacramentum eſſe proximam diſpoſitionem. Talem vero conſenſum unice *ob auctum ſibi conſentientium numerum* factum nullam certitudinem moralem p ere docet 1. Navarrus in aureo ſuo Manuali c 26 n 289 haec ſcribens: *Una opinio non praejudicat alteri EO SOLO, quod PLURES EAM SEQUANTUR tanquam oves aliae alias, quae praecedunt, ſine Judicio ſequentes, velut aves, quae unam volantem aliae omnes ſequuntur. Communiorem ad hoc exiſtimarem illam, quam ſex, vel ſeptem Doctores Claſſici rem ex profeſſo tractantes aſſerunt; quam probatam a 50 ſola fere auctoritate priorum ductis. Opinio enim communis* (tanto magis certitudo moralis) NON EX NUMERO OPINANTIUM, *ſed ex* PONDERE AUCTORIS *fit;* Rationum ſcilicet, quas adducit. 2. Plus ait Oraculum Galliae Boſſvet mox laudato loco ita diſſerens: *Nunc autem confitendum eſt, multas invaluiſſe opiniones, quae ab anteactae aetatis auctoritate deficiunt pronis ad laxiora ingeniis, et ad nova purientibus auditorum auribus. An propterea putemus, illi nunc quidem forſitan communiori opinioni aliquam conciliatam eſſe vel tenuiſſimam probabilitatis auctoritatem? Abſit.* 3 Confirmat idipſum Carolus Vitaſſe Doctor Sorbonicus Tom I de Deo

Multitudo attritioniſtarum non facit moralem certitudinem

Teſte Navarro.

Boſſveto.

Vitaſſio.

q 1 a 5 de Scholis Theologicis haec ſcribens: *Ut ait Melchior Canus de Locis Theologicis Libr 8 c 4, Theologorum etiam multorum teſtimonium, ſi alii contra pugnent Viri docti* (quod in praeſenti materia mox videbimus) *non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipſorum, vel gravior auctoritas comprobet. Videlicet in Scholaſtica diſputatione pluri-um AUCTORITAS OBRUERE THEOLOGUM NON DEBET; non enim numero judicantur, ſed PONDERE. Nimirum quod ex pluribus auctoribus in Tract. de poenit. obſervavimus, ubi de attritione ſervili diſſeruimus, non id ſemper eſt melius, quod vulgatius eſt, praeſertim apud recentiores. Fieri enim ſolet, inquit Lajmannus, ut unius ductum plures eodem tramite, nulla nova ratione moti, velut aves avem, oves ovem ſequantur.* Haec ibi. In Tract. vero de poenit. quaeſt. 3 a 6 Sect. 2 citat 1. Navarrum, quem jam audivimus. 2. Sanchez de matrim. L 3 diſp. 44 n 4 aſſerentem: *Non ex multitudine auctorum, ſed quod melius, et aequius eſt, judicari debet.* 3. Lajmannum Tract. 1 cap 5 n 3 rationem reddentem: *Quia fieri ſolet, ut unius ductum plures eodem tramite, nulla nova ratione moti, velut aves avem, oves ovem ſequantur.* 4 Laudat Morinum Libr. 8 c 4 n 3 aliam rationem aſſignantem: *Quod nimirum homines ut plurimum in cauſa relaxationis diſciplinae, et ſeveritatis morum minuendae ita comparati ſint, ut qua data porta ſtatim ruant.* Ideo concludit Vitaſſe ibidem, *ſi unquam alias, hac certe occaſione cavendum eſt, ne quod vetat Deus Exod. 23 in judicio plurimorum acquiescas ſententiae, ut a vero devies.* Haec Vitaſſe. quibus plane conformia ſunt, quae nos in introductione ad n 2 ex Clero Gallicano notavimus: *ſi Theologi recentiores a SS Patribus recedant, NULLA EIS TRIBUATUR AUCTORITAS.* Quod hic accidiſſe evidens eſt ex dictis. Igitur praeclaris his Teſtimonijs maximorum Theologorum certiſſimi reddimur, *numerum Doctorum* pro attritione ſervili depugnantium etſi maximum, *certitudinem moralem* non feciſſe: (*a*) cum et pro initialis amoris neceſſitate, velut pro aris, et focis innumeri eodem tempore decertaverint, decertentque acerrime hodiedum.

Ex Melchiore Cano.

Sanchezio.

Lajmanno.

Morino.

Clero Gallicano.

Placet horum nonnullos e probatis Auctoribus laudare, ut intelligant Lectores, ut ante, ita a nata ſervili attritione *depoſitum Patrum*, neceſſitatem inquam charitatis initialis in Sacramento poenitentiae viros magnos, ac tam *dignitate*, quam omnigena *eruditione* in Orbe Literario glorioſiſſimos Sancte cuſtodiviſſe.

II. Praeeant *Purpurati Patres*, Columnae, et firmamenta Eccleſiae Dei! atque inter eos primus ſit magno Dei beneficio *moribus reformandis*, Tridentino Concilio promovendo, feliciter abſolvendo, confirmando, et publicando Eccleſiae datus Divus *Carolus Borromaeus*. Qui in Inſtr. de Sacram. poenit. haec praeſcribit: *Antequam Confeſſarius - - - abſolutionem tribuat poenitenti, videbit, an PROPTER DEUM veram peccatorum ſuorum CONTRITIONEM habeat. - - - Quod ſi talem contritionem illum non habere intellexerit, illius deſiderio accendere conabitur, admonens propter Deum ipſum uſque adeo quantum poteſt, eum de peccato dolere oportere.* Et in Inſtruct. poenit. actor p 4 graviſſime admonet Confeſſarios dicens: *Divinae Literae ab his, qui poenitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos poenitentiae faciant, utque AD DOMINUM CONVERTANTUR IN JEJUNIO, FLETU, et PLANCTU.* Quibus Sanctiſſimum poenitentiae Doctorem ad cap

Patroni initialis charitatis plurimi, Nobiliſſimi. D Carolus Bor. Card.

2 Joelis

(*a*) Huc etiam faciunt dicenda cap VIII n XIV et ſeqq.

a *Joelis* veram *ex charitate Dei* ortam contritionem describentis alludere verba ipsa clamant. Ibidem inculcat: *ut ubi singula et quae ad peccati magnitudinem, et quae ad poenitentis statum, conditionem, aetatem, INTIMUMQUE CORDIS CONTRITI dolorem pertinent, accurate perpenderint, tum poenitentium judicio, ac prudentia sua moderentur.* Certo itaque supponit in vero poenitente *intimum cordis contriti* dolorem. Quin et poenitentiae opera, quae praescribit, *charitatis* actus sunt: ut *egentibus cibum suppeditet, peregrinos hospitio excipiat, in publico hospitali, locove pio aliquot dies operam navet; ut visitet, qui in carcere sunt, eosque conjoletur, et cum per facultates potest, aliat certo praestituto tempore.* En *charitatem proximi ex charitate Dei nasci solitam* (ut cap IX Viturí) Beatissimo Archi-Praesuli optimam poenitentiam visam! intuere jam *charitatem Dei continuam: Mundi pompas, choreas, ahaque opera Satanae sectantibus eam poenitentiam imponet* Confessarius: *ut in hebdomada mane certis diebus* (*id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissime B. Chrisostomus monet*) *Sancta meditatione sibi proposita, solennem illam sponsionem, quam per Compatres in Baptismo Sancte fecerunt, redintegrent, firmo stabilique proposito statuant, se CHRISTO DOMINO ADHAERERE, renunciare iterum Saeculi pompis, operibus tenebrarum, et Diaboli imprimis, cui se adversarios esse et professi sunt, et profitentur perpetuo.* In qua Sponsione baptismali veram Dei charitatem contineri, olim docebimus. Recole interim cap II n IX, et XX. Quis igitur dubitet, immortale hoc Purpurati Collegii decus, vivam Praesulum imaginem in *Sacramento ipso charitatem* requisivisse? qui in ipsa *satisfactione* opera *charitatis* praecipua esse voluit. Nae nodum in cirpo quaereret is, qui *sufficientiam attritionis servilis* in Sancto Carolo Borromaeo Concilii Tridentini et absolvendi, et confirmandi Promotore immortaliter vel hoc solo nomine de Ecclesia Catholica merito: cum jam cap II, IV, et V hic demonstratum dederimus requirentibus veritatem, Organum hoc Spiritus Sancti *more Majorum*, et SS Patrum *sufficientiam attritionis servilis* in Sacramento jugulasse, *contritionis specificae necessitatem* constabiliviisse. An enim invictissimus veritatis, et pietatis Zelotes aliud ursit *in Tridentinis*, aliud executus est in *suis Decretis*? an antiquae disciplinae studiosissimus Purpuratus, cujus omnia acta plena sunt his verbis: *Sacerdotes Canones poenitentiales teneant, ut formam, et regulam hominum conditioni, et circumstantiis attemperandam, et quantum possunt observandam*: an, inquam, tantus antiquitatis Cultor heri natam servilem opinionem *Christi, Apostolorum, SS PP*, et *Tridentini doctrinae* contrariam (c VI n I II III IV) repente arripuisset, suisque Decretis consecrasset? Apage aniles fabulas! imo non dubito, Beatum Pontificem natae post Tridentinum novae opinioni superstitem hoc, aliaque ejus generis Ethicae Christianae laxamenta amarissimis illis lacrimis deploraisse, quae morti jam proximus *orat. habit. in Conc. suo Provinc.* IV effudit dicens: *Longe absint a nobis voces istorum, qui consuunt pulvillos* (laxarum opinionum) *sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas. Nae isti quum nos fallere studeant, tum populos nostros decipiunt: dicunt enim bonum malum, et malum bonum. O Populo meus! quis poterit omnia mala, quae te undique premunt, percensere? Audent isti a salutis via te adulationibus longius abducere. Populo meus! qui te in tanta malorum colluvie beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* Haec Sanctissimus ille Archi-Episcopus.

Quae ideo pluribus illustranda putavi, ne quis credat Francolino L I c VII illustrem hunc antiquae pietatis Aemulatorem inter attritionistas recensenti propter ea, quae citat ex ejus *Sacramentali Ambrosiano titulo*: *quae in Ministratione Sacramenti, Confessarius observet?*

Ubi

Ubi Junior hic Ambrosius ita definit: *Quod si poenitens nullam contritionem, nec vero saltem attritionem, aut neque propositum abstinendi imposterum a mortali peccato ostendet, eum minime Confessor absolvet.* Quibus verbis illum more *Majorum, SS PP,* et *Theologorum Ante-Tridentinorum* c I per nos laudatorum *attritionem initiali charitate* animatam intellexisse, non pure *servilem*, omnia hic ex Eodem allata evincunt. Pridem queror, serviliſtas significatione vocis: *attritio* aut talli, aut fallere. confer cap I n IX Angelicum, et alios: a quorum sensu *D Carolum discessisse* Francolinus aut probet, aut taceat. vide c. I. n IX.

III. Cardinalis *Sarnanus* in summa Theolog. p 152 definit dicendo: *Poenitentiam certam non facit, nisi odium peccati, et amor Dei, inquit S Augustinus.* *Card. Sarnanus.*

IV Cardinalis *Toletus* in sua summa priorum editionum L 3 c 4 haec docet: *Attritio si talis sit, ut cognoscat poenitens, se non detestari peccatum ut est Dei offensa, sed tantum ut est alicujus mali causa, et poenae inferni, quamvis bonus actus ille sit, tamen non sufficit ad Sacramentum, imo qui sic accederet, peccaret denuo, et non impleret praeceptum, sed esset repetendum Sacramentum. (a) Unde Confessarii maxime debent considerare, qualiter poenitentes admittant ad Confessionem: non enim sunt admittendi, nisi peccata detestentur UT OFFENSA DEI sunt.* In posterioribus editionibus haec postrema verba sic immutata habentur: *Nisi qui peccata detestentur ob debitum finem.* Causam addit Francolinus attritioniſta, Toletum ret actasse priorem suam sententiam. De qua quaestione facti non constat apud eruditos. Imo Franciscus Genetto Episcopus Vasionensis Theologiae Moralis Tom IV Tract. VI cap V q IX multis editionibus citatis probat, *retinendam esse priorem Lectionem ut genuinam* Eminentissimi Auctoris. *Toletus.*

V. Cardinalis de *Laurea* Tom 4 in 3 Sentent. disp 11 a 4 n 52 asserit: *Indubitatum esse oportere, quod in qualibet detestatione peccati etiam ex motivo gehennae, aut turpitudinis peccati, debeat adesse actus alicujus inchoatae charitatis.* Et disp. 17 a 6: *In utriusque Sacramenti* Baptismi, et poenitentiae *susceptione est necessaria dilectio Dei.* *De Laurea.*

VI. Cardinalem *Pallavicinum* pro nobis totum stare vidimus, dum de Tridentini mente ageremus. Confirmat opinionem suam in Epistola ad Pastores Gandenses: *In hac quaestione, super qua compellare me vobis placet, an ad gratiam iustificationis assequendam in Sacramento poenitentiae aliquis actus charitatis erga Deum, non quidem perfectus, sed imperfectus, et per se ad iustificationem insufficiens sit necessarius? affirmanti sententiae semper adhaesi.* *Pallavicinus.*

VII. Cardinalis *Bellarminus* L 2 de poenit c 14 Magnificum hocce testimonium pro *initiali charitate* a Tridentino requisita reddit: *Catechumeni, et poenitentes si Christum super omnia diligunt, ac vera Dei charitate flagrant, jam apud Deum remissionem consecuti sunt; ad cujus remissionem Sacramentum pie, religioseque anhelant. si autem per inchoatam dilectionem Dei (ut Concilium Tridentinum loquitur sess. 6 c 6) paulatim disponantur ad gratiam, non habent quidem illi remissionem peccatorum, sed neque ex eorum numero habendi sunt, quos Apostolus execratur. Ille siquidem eis tantum anathema dicit, qui Christum neque perfecte, neque imperfecte diligunt.* Quis neget Apostolum loqui de amore charitatis? hanc vero Bellarminus in *perfectam*, et *imperfectam* dividit, et de hac imperfecta charitate Tridentinum sess. 6 c 6 intelligendum esse asserit. Cum itaque clara sit mens Bellarmini de *initiali charitate* ad Sacrm *dispositoria*, quod *Bellarminus.*

(a) En his solutam quaestionem illam, quam nos cap. I not ad n XIII indecisam reliqueramus.

dicitur ex illius Catechismo de timore ad Sacrm disponente, manifeste de dispositione remota intelligi debet.

Monilianus Deolera.

VIII. Cardinalis *Monilianus Deolera* in suis Institutionibus Theologicis, quas teste Francisco Genetto Episcopo Vasionensi de Sacramento poenit cap V de contritione q IX approbaverat *Cardinalis Gislerius* tunc supremus Inquisitor, postea summus Pontifex, hodie orbis universi venerationi propositus *Sanctus Pius V.* Ita vero disserit Monilianus de poenit. cap 35: *Qui ex SUI tantum amore, SUI commodi respectu, nempe ob solum gehennae metum de peccatis dolor procedit, quantumvis immensus sit, non est, qui cor contritum faciat, aut veniam impetret. Unde si servus Domino, quem offendit, diceret: doleo equidem vehementer, quod te offenderim, non tamen PROPTER TE, sed PROPTER ME doleo: quia ob tuam offensam merito caedor, vinculis constringor, BONIS, quibus TIBI obsequentes suaviter PERFRUUNTUR, ego misere careo. Nunquid poenitentia hujusmodi impetraret veniam? Deo ita dicit, quisquis dolet, quia ob offensam caeditur. Non fallitur, neque irridetur Deus. Debet sane dolor impetrativus veniae esse de offensa quia offensa illius est, quem offendimus: et non tantum quia NOBIS DAMNOSA, et incommoda. Contrario ergo, quam Deus in nobis respicit, est dolor Divinae offensae, non nostri tantum, sed illius praecipue causa, quem offendimus. Cujusmodi ut sit, amorem ex quo procedit, praerequirit.* Haec Purpuratus ille Theologus probante Eminentissimo Cardinali Gislerio S Pio V. ex quibus lucet, et metum gehennae, et amorem spei *in sui amore fundari.* C III n XXI. ideo ad veram contritionem *dolorem offensae Divinae* necessarium esse, c IV n XVI. Cui itaque persvadebunt adversarii, Tridentinum sess 14 cap 3. et 4 pro materia Sacramenti poenit. *contritionem genericam* obtrusisse? An hoc ignorasset Cardinalis Molinianus circa finem Tridentini Conc scribens? aut opus ejus probasset doctrina, et pietate celeberrimus Cardinalis Gislerius Bullae confirmationis Tridentini nomine *Fr Michaelis Gislerii Card Alexandrini* subscriptus? Profecto clariora haec sunt, quam sol in pleno meridie absque nube resplendens!

Denhoffius.

IX. Cardinalis *Denhoffius* Episcopus Caesenatensis in Instruct. Pastorali § 3 ait: *Dolor contritionis, qui poenitentibus est necessarius, duabus conditionibus constare debet: Prima est, ut adsit aliquis actus amoris Dei. Quod sane perpensis accurate rationum momentis est probabilius. Hic autem amor quemlibet alium vitiosum, perversumque rerum creatarum amorem pondere suo excedat, necesse est, ita, ut peccator amore, ut vocant, appretiativo Deum amet super omnes res, quae mortiferi criminis reum fecerunt, aut facere possunt. Hunc amorem hujusmodi esse debere demonstrat omnimoda necessitas expellendi e pectore amorem rerum caducarum. Is enim amor emigrare non potest, nisi contrario expellatur, scilicet amore Dei, qui ob id debet esse PRAEDOMINANS: nam aliter quidem non vincet vitiosum rei perituraе amorem.* En ex Eminentissimo hoc Doctore rationem *positive excludendi voluntatem peccandi* ad justificationem necessariam ope contrarii amoris Dei! *Neque objici potest,* pergit porro, *quod omnis actus amoris Dei super omnia sufficiat ad justificationem, atque adeo peccator semper futurus sit justificatus ante absolutionem.* En ipsam objectionem attritionistarum assidue inclamantium: minimam Dei propter se dilectionem mox ante absolutionem justificare. Audiamus solutionem: *Quoniam isthaec praerogativa conceditur duntaxat amori Dei PERFECTO, qui NON EX SOLA CAUSA MOVENTE, sed EX INTENSIONE habetur, ut ANTIQUI THEOLOGI communiter affirmant, qui explicando discrimen contritionis perfectae, et imperfectae hanc Luci exorienti comparant:*

Charitatis per se justificantis notio.

parant; illam vero jam exorto, et lucenti. Unde patet, eos existimare, utramque esse ejusdem generis, nec aliter differre, quam plus, et minus. Agnoscit etiam Catechismus Decreto Concilii Tridentini in Lucem editus intensionem illam necessariam in dolore contritionis, ut sit ad peccata mortifera extra Sacramentum poenitentiae excludenda idoneus; vultque, ut ad hunc effectum jam IN GRADU EMINENTI sit constitutus. En breve compendium totius doctrinae nostrae initialis, et perfectae charitatis!

Similiter docent Cardinalis *Le Camus* in Constit. Synod Tit. 6. a 6.

Cardinalis *Bona* de principiis vitae Christianae p 1 § 19. et p 2 § 38.

Cardinalis *Aguirius* Diss 8 in Can. 12 Concilii Toletani Tertii.

Doctiss. Bossuet. pro initiali charitate studia.

X. In secunda Classe Patronorum initialis amoris celebranda nobis est numerosissima Illustrissimorum Archi, et Episcoporum, *veritatis Evangelicae fidelissimorum Custodum* veneranda cohors. Quos inter unus instar omnium merito esse potest Jacobus Benignus Bossuet Meldensis Episcopus, gradus Episcopalis ingens decus, et ornamentum, cujus scripta teste Clarissimo Berti in *Breviario Historiae Ecclesiasticae ADMIRATIONE potius digna censentur, quam laude.* Cum videret Vir zelosissimus inter Casuistas attritionis servilis opinionem late dominari, eam Libro integro *de doctrina Concilii Tridentini cirta d lect.* invictis argumentis penitus protrivit, e sua Dioecesi exterminavit, Apostolicoque Spiritu succensus alios Episcopos contra eandem opinionem aminavit. Nonnulla ex aureo hoc opere huc inseramus. P 1 n 14 de Tridentini Concilii sess 6 c 6 differens ait: *Hanc doctrinam ex S Thoma depromptam esse, imo ejus verbis pene contextam.* Ad eam vero evasionem, quod Concilium *amorem inchoatum* requirat ad *baptismum*, non vero ad *Sacramentum poenitentiae*, reponit P 32: *Haec opinionum lubrica procul a Scholae gravitate, et auctoritate amandari deceret. Ac revera certum est responsionem hanc, ne quid dicam gravius, haberi improbabilem, et temerariam.* Pag 113 Magno zelo exagitat novam opinionem dicens: *Ne nos moveant communiores hodie, si forte opiniones: cum etiam liceat oculis intueri glisCente licentia, quot prava hodie communiora fiunt. Quae quidem nobis quasi majoris numeri auctoritate deterritis dissimulanda non sunt, imo vero quo magis invalescunt, eo validius confutanda. Ipsa certe minoris probabilitatis assertio* (sententiae initialem amorem requirentis) *tam nova est, ut vix demum anteacto Saeculo in hac temporum fece natam esse constet, antiquioribus, ac Sanctis Scholasticis, Thomae, Bonaventurae, Antonino, caeterisque plane ignotam, et inauditam. An ergo eo, quod pronis in laxiora, ac paradoxa animis communior videatur, an, inquam, propterea eam invalescere sinant Episcopi? non autem omni ope propulsandam, et profligandam curent? ita de exclusa incipientis dilectionis necessitate dicendum. Neque enim tanta in re hominum opinionibus, sed Ecclesiae fide regi jubemur. Nec nos tantam veritatem tam clare, tam perspicue a Sacro-Sancta Tridentina Synodo declaratam tacere debemus: imo vero quo a pluribus impugnatur, tanto magis, modeste quidem, ac pacifice, sed interim magno animo asserenda est, ut adversarii Concilii Tridentini si non Theologica qualificatione, veritica tamen assertione ducantur. Nec fas est Episcopos tanto accepto depositi judicare secundum aliorum communiorem licet forte opinionem. Quod nihil aliud esset, quam ut illis auctoribus per inanem probabilitatis speciem falsa securitas induceretur, et contra Domini interdictum traditiones, ac mandata hominum invalescere sinerentur. Liceat et illud reverenter addere, utcunque Alexander 7 ab inferendis negan-*

Servilis opinio antiquis ignota.

ti sen-

ti ſententiae cenſuris propter bonum pacis continendos exiſtimarit Epiſcopos, certe noluiſſe eam opinionem a Succeſſorum quoque ſuorum Innocentii XI, *et Alexandri* VIII *decretis, ac notis praeſtare ſalvam. In quas incidiſſe, dum amandi obligationem generatim ſolvunt, dumque in Sacramentorum materia probabilem tantum, non autem tutam ſequuntur ſententiam, ſupra demonſtravimus.*

Tandem concludit eloquentem pro initiali amore Orationem: *Haec nos ſecuti doctiſſimos, ac maximos in Italia, in Gallia, aliisque Provinciis Epiſcopos, Fratribus, et Conpresbyteris noſtris Eccleſiarum Rectoribus, aliisque ibidem verbum Dei, et Sacramenta adminiſtrantibus Epiſcpalis reſponſi loco in manus docenda, et utenda tradimus: His ab univerſa Fraternitate ovediri oportere mandamus.*

Boſſveto innumeri Epiſcopi multar. Regionum conſentiunt. Potiſſimum Clerus Gallicanus.

XI. Hactenus doctiſſimus Boſſvet loquens *ex Cathedra Epiſcopali*, nec ipſe ſolus, ſed Doctiſſimos, ac Maximos *in Italia, Gallia, aliisque Provinciis* ſecutus *Epiſcopos.* Jure ergo Boſſvet hac in re *innumerorum Epiſcoporum loco* audiendus eſt, atque venerandus. Et profecto Ejus ardenti zelo, ſtudio, ac ſollicitudini merito adſcribendum putamus, quod nobiliſſimus, ac numeroſiſſimus Clerus Gallicanus in congretione Generali A 1700 *attritionem ſervilem* ex univerſo Imperio Gallicano aeternum proſcripſerit. En propones a laudato Clero hac in materia proſcriptas:

Ejus propones.

1a. *Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.* Cenſura: *Haec ppoo eſt haeretica.*

2a. *Attritio ex metu gehennae ſufficit etiam ſine ulla Dei dilectione, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu: quia talis honeſta, et ſupernaturalis eſt.* Cenſura: *Haec ppoo, qua a diſpone neceſſaria ad abſolutionem excluditur quilibet ad DEUM OFFENSUM reſpectus, temeraria eſt, ſcandaloſa, pernitioſa, et in haereſim inducit.*

3a. *Concilium Tridentinum adeo expreſſe definivit attritionem, quae non vivificet animam, quaeque ſupponitur ſine amore Dei eſſe, ſufficere ad abſolutionem, ut anathema pronunciet adverſus negantes.* Cenſura: *Haec ppoo falſa eſt, temeraria, Concilio Tridentino contraria, et in errorem inducit.*

Et declarationes.

Poſt abſolutas cenſuras addit ſequentes declarationes: *Primum ne quis putet in utroque Sacramento* baptiſmi, et poenitentiae *requiri ut praeviam contritionem eam, quae ſit charitate perfecta, et antequam actu ſuſcipiatur* Sacramentum, *hominem Deo reconciliet. Alterum, ne quis putet in utroque Sacramento ſecurum ſe eſſe, ſi praeter Fidei, et ſpei actus non incipiat Deum diligere tanquam omnis iuſtitiae fontem. Neque ſatis adimpleri poteſt utrique Sacramento neceſſarium vitae novae inchoandae, ac ſervandi mandata Divina propoſitum, ſi poenitens primi, ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligatur, nullam curam gerat, nec ſit ſaltem ita animo praeparato, ut ad illud exequendum Divina opitulante gratia ſe ſe excitet, ac provocet.*

Vindicantur ab object.

XII. Quibus Tract. Tyrnav. de poen. n 123 ſequentia opponit 1. Apud omnes gentes notum eſſe, *quod extra territorium ſuum jus dicenti impune non pareatur.* 2. Sapientiſſimus Clerus non plus, quam *ſvadere actum charitatis* acceſſuris ad Sacram poen. voluit: quia 2: norat, circa ea, quae Sacramenti *valorem* concernunt, *jus ſtatuendi* ſibi non eſſe. 4. Nec *charitatis*, ſed *inchoatae dilectionis* vocabulis uſus eſt: 5. Ne aliquid contra *communiorem Eccleſiae ſenſum* requirere a fidelibus videretur. Haec Tyrnavienſis. quae convelli luculenter poſſunt. Etenim quod 1 erat: illa paraemia attritioniſta eludere poteſt auctoritatem omnium ſingillatim SS Patrum, eorumque diſcipulorum

anti-

antiquorum Doctorum, omnium item particularium Conciliorum, Universitatum, et Theologorum, nec non Ritualium particularium, ut consideranti patet. Nec ipse volo Clero *Gallicano Jurisdictionem* sive *in nos*, sive alias gentes asserere: sed cum attritioniſtae probabiliſtae, qualis est Tyrnavienſis, *uni, alterive ſingulari Doctori* jus *Probabilem* reddendi opinionem ſuam attribuant, merito contendo, id ipſum numeroſiſſimis Comitiis Cleri Gallicani tanquam *grandi Synodo nationali* negari non poſſe. Ad 2. En! quam arctis limitibus circumſcribant *attritioniſtae* Epiſcoporum *paſcendi, et regendi* Divinitus attributam auctoritatem! ad *conſilium* ſcilicet, ad *ſvadendum*. Dum interim *ipſi* contra antiquam SS PP, eorumque diſcipulorum, imo Concilii Florentini, et Tridentini, ut hactenus contemplati ſumus, doctrinam, novam ſibi cuderunt doctrinaliter Sacramenti materiam attritionem ſervilem. *toto cap* VI. ad 3. Libenter concedo cum Tridentino, *Eccleſiam* ipſam circa *ſubſtantiam* Sacramentorum *immutare* nihil poſſe: Minus *Epiſcopos*; ſed quia *Hi Cuſtodes* ſunt *traditionis* Divinae, conſequenter et *materiae neceſſariae* Sacramenti poenit juxta illud: *O Timothee depoſitum cuſtodi declinans prophanas vocum novitates, et oppoſitiones falſi nominis ſcientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* 1 ad Tim 6 v. 20 21; plane non dubito, Gallicanos Praeſules una congregatos ex *verbo Dei ſcripto, et tradito DECLARARE* (quod *explicationem tantum* exprimit) potuiſſe *divinitus inſtitutam Sacramenti materiam*. Quis tam Hoſpes eſt in antiquitatibus Eccleſiaſticis, qui ignoret, Pelagianorum, Maſſilienſium, et innumeros alios errores primum a *particularibus* Epporum *Synodis* fuiſſe reprobatos? ſubindeque accedente *illis tacito conſenſu Primorum Paſtorum* contrarias *illorum* damnationi veritates extra contraverſiam fuiſſe collocatas? Ita futurum ſpero cum his *declarationibus* Cleri Gallicani. Imo jam etiam factum probabiliter puto. Quid hiſcis? dic ſodes! qui Epiſcopi? quae Concilia Dioeceſana? aut his majora? qui Romani Pontifices *declarationibus* his reclamaverint? aut ſaltem queſti ſint, Gallicanam Eccleſiam *in his punctis* auctoritatem ſuam exceſſiſſe? Imo facem eis praetulit Innocentius XI damnata ſua ppone 1 a 1679. ut conferenti patet. Si urgeas Alexandri VII decretum *cenſuras prohibens*; ajo, *illud* ſtringere viros *ſingulares*, non *Synodos Epiſcoporum*. Ut conſideranti patet ipſum decretum cap VI n XXXVI. Vel ut ex Boſſueto hic n X audivimus, decreto illi Alexandri VII per Innocentium XI, et Alexandrum VIII derogatum eſſe reſpectu ſaltem Epiſcoporum. quod ſatis claret ex eo, quia *has* cenſuras Gallicanas nemo Pontificum improbavit ut decreto Alexandri VII contrarias. Ex quibus *probabilitas* piae ſententiae luce meridiana ſplendidius fulget. Ad 4. Ne dicta repetere cogamur, remittimus lectorem ad caput II, et III. Imo ipſa *declaratio* requirit dilectionem *praeter Fidei, et ſpei actus*. excludit a Sacramento *contritionem charitate perfectam* ut *neceſſariam*. go *initiali charitate animatam* manifeſte includit. Et quid oro, niſi *initialem charitatem* ſapientiſſimi Patres inculcant, dum poenitentibus *primi, et maximi mandati* adimplendi *curam* imponunt, atque ad illud reipſa *actu* adimplendum *excitandos, et provocandos* clare docent. conf. not ad cap V n LIII a verbis: *aeque nova*. *Dilectioni* Dei *non ſuper omnia* cumulum argumentorum in nuce oppoſuimns not. ad cap V n XLVII. Ad 5 Miror libertatem *vocum* in tanto defectu rationum. Unde habet Tyrnavienſis pro *attritione ſua* ſervili *communiorem* ECCLESIAE *ſenſum?* quem *ante, Jub*, et *poſt Tridentinum* jam pridem quaerimus: nec tamen invenimus niſi ſub Alexandro VII *illam inter Scholaſticos communiorem viſam*. At Scholaſticorum opinio tantum po-

Ejus auctoritas maxima.

Eppi Cuſtodes Traditionis.

teſt dici *Eccleſiae ſenſus*, quantum Tyrnavienſis opinatio *Eccleſiae Hungaricae* doctrina. de qua mox. interim conf. hic a n 1.

Univerſitatis Pariſienſis doctrina.

XIII. Ab Ampliſſimo Clero Gallicano ſeparari non debet celeberrima Univerſitas Pariſienſis, illud emporium bonarum ſcientiarum, ſanae potiſſimum *PP* Theologiae toto orbe Catholico facile primum. Quae a 1716 declaravit ſequentem doctrinam *a Patribus acceptam eſſe, ſuiſque tradendam:* Scilicet *Timorem gehennae etiam ſupernaturalem, quamvis ſit bonus, utilis, non ſufficere in adultis ad juſtificationem etiam in Sacramento baptiſmi, et poenitentiae obtinendam: ſed praeter hunc timorem, actuſque fidei, et ſpei requiri amorem Dei, quo Deum ut omnis juſtitiae fontem, ut docet Concilium Tridentinum, diligere incipiamus. Hunc amorem ferri in Deum - tum ut in ſe ſumme bonus eſt, tum ut eſt ſummum bonum noſtrum. Quae duo complectitur charitas inter virtutes Theologicas tertia. Hoc ſolo amore converti voluntatem ad Deum, et averti a creatura. Amorem Dei ſuper omnia, qui charitatis inchoatae ſaltem actus ſit, neceſſarium eſſe, ut ab adultis obtineatur remiſſio peccatorum in Sacramentis baptiſmi, et poenitentiae.*

Haec mire illuſtrant declarationem mox relatam Cleri Gallicani, et continent omnia, quae hactenus ex omni antiquitate Conſtabilivimus: nempe ad Sacram poen. *neceſſariam* eſſe *initialem charitatem tertiam virtutem Theologicam*: Hac Deum *in ſe, et nobis bonum* eſſe *diligendum*: *De hac loqui Tridentinum* ſeſſ. VI cap VI: *Hac ſola* debite, et poſitive *voluntatem averti a creatura, et converti ad Deum*: Haec non ſufficienter praeſtare ſive *fidem*, ſive *ſpem*, ſive *timorem*, ut ut *virtutes bonas*, et *ſupernaturales. etc.* In omne latus verſent ſe ſe attritioniſtae, illuſtriſſimae tamen huic univerſitati Pariſienſi, atque adeo his pponibus grandem, et urgentiſſimam *probabilitatem* non detrahent, conſequenter *opinionis ſervilis moralem certitudinem* gratis a ſe conflictam eſſe vel inviti fateri coguntur.

Conſenſus Rituum: ut ſunt Romanum.

XIV Sed ut evidenter palpari poſſit, quam nullo jure appellent attritioniſtae opinionem ſuam *communiorem Eccleſiae ſenſum*, juvat inſpicere praecipuarum Europae Eccleſiarum *Ritualia*. Nempe *Romanum Pauli V* totius fere occidentis uſu conſecratum *de Sacramento poenitentiae* ita definit: *illius Remota materia ſunt peccata: proxima vero ſunt actus poenitentis CONTRITIO, confeſſio, et ſatisfactio*. et infra: *Audita Confeſſione - - ad dolorem, et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur.*

Strigonienſe.

Strigonienſe, quo Eccleſiae Hungariae utuntur, exſcriptum eſt de verbo ad verbum (quantum ad Sacrm poen) ex Romano nec jotta addito vel dempto. Ab hac lege Eccleſiarum Hungaricarum nulla ratione eximere ſe ſe valet Tyrnavienſis, Hungarus Theologus. diſputare quantum libet, poteſt: aliud *in praxi* ſequi non valet Hic enim *in territorio ſuo jus dicenti non impune non paretur.* confer h. n XII.

Argentinenſe. etc.

Argentinenſe praecipit: *Admonere ne ceſſent confeſſarii poenitentes, ne ſe putent ſecuros in Sacramenti poenitentiae perceptione. ſi praeter fidei, et ſpei actus non incipiant diligere Deum tanquam omnis juſtitiae fontem. Ut loquitur Sacroſancta Sinodus Tridentina.*

His Conformes ſunt *Agendae* praecipuarum *Germaniae* Eccleſiarum, ut *Colonienſis, Trevirenſis, Moguntinae, Auguſtanae. etc.*

go communior Eccleſiae ſenſus pro nobis ſtat.

Sed quid omnes in cenſum voco? relatus incomparabilis Bossuet teſtatur, ſe in vindicanda *initiali charitate Sacramentali* Doctiſſimos, et maximos in *Italia, Gallia*, aliiſque provinciis Eppos ſecutum fuiſſe. Cu-

Cujus veritatis nos tot teſtes habemus, quot Eccleſiarum Praeſules de ſuarum Eccleſiarum doctrina, et *praxi* referentes et hactenus laudavimus, et deinceps laudaturi ſumus. Nemo vero ignorat, *in Sacramentorum adminiſtratione*, et *ſuſceptione* nequaquam ſpeculativa Theologorum opinamenta, ſed *Ritualium*, et *agendarum Auctores*, et *laudatores* Epiſcopos ſequendos eſſe: quos ſolos *poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam ſuam*; et qui ut in Conciliis *congregati*, ita in ſuis Eccleſiis *diſperſi*, ſed de dogmate quodam (quale eſt materia proxima Sacramenti poenitentiae neceſſaria) ſibi, et capiti ſuo Romano Pontifici conſentientes repraeſentant Eccleſiam; quae *eſt columna, et firmamentum veritatis*. 2 ad Tim 3 v. 15. Quid hiſcis? Eo jam ventum, ut aut plurium Eccleſiarum pro *praxi ſervilis attritionis* conſenſum producere, aut per nos productis parere te oportet.

XV. Quid jam memorem particulares Theologos initialis charitatis Sacramentalis vindices acerrimos? quorum plures *nonaginta* enumerat *Ethica* amoris teſte Billuart de contrit. a. 8. Salmanticenſibus aſſerentibus *Philaletus refert centum Auctores contrariam nobis* (attritioniſtis) *ſententiam inſtituentes*. Solus Concina laudat plures quam 150. *Laurentius Berti* Libr. 34. Theolog. Diſciplin. c 5 aſſerit *Morinum*, et alios viros doctos demonſtrandum ſuſcepiſſe, ſententiam ſervilis attritionis *Theologis*, qui a Duodecimo *Seculo ad tempora Tridentini Concilii floruerunt, eſſe aperte contrariam*. Quod nos jam cap. I. et initio VIti ad oculum demonſtratum dedimus. E recentioribus Berti l c. commemorat Inſtitutores Seminariorum Italiae, maxime *Veronenſis*, et *Patavinae*: Theologos Familiae *Auguſtinianae*, *Ciſtercienſes*, Patres Romae in Collegio S Crucis, ac Religioſiſſimos *Scholarum Piarum* Praeceptores in Collegio Nazareno, alioſque bene multos, ſubjungens: *haud ſe mirari poſſe Joannem Cardinalem de Lugo Virum alioquin doctiſſimum relata Sylvii pro initiali amore ſententia in hunc modum imponere Lectoribus*: *HAEC TAMEN SENTENTIA EST CONTRA OMNES THEOLOGOS, ET CONTRA TRIDENTINUM*: Oratque Bertius, ut ſi caeteros Theologos *amoris initialis* defenſores Theologorum honore non dignatur, ſaltem praelatos Eminentiſſimos Purpuratos Patres e Theologorum cenſu non excludat.

Theologi initialis charitatis Patroni plurimi.

Cardinalis Lugo temeraria propoſitio

Cui opponuntur citati Cardinales.

At enim nunquid excludet e Theologorum numero de Lugo *Claudium Jajum* inſigne ordinis ſuis decus, imo caput? qui ut jam cap II n III vidimus, in Tridentino peroravit, ut *inter diſpoſitiones ad juſtificationem aliquis actus charitatis inſereretur, ne ſi poenitentia tota eſſet ex timore ſine amore juſtitiae, infructuoſa eſſet*. An excludet e numero Theologorum alterum Societatis ſuae luminare *Didacum Lajnium*? qui ut Pallavicinus L 12 c. 10 n 24 refert, et nos cap. IV. n. L obſervavimus, *inter Theologos ſermonem habens dixit*: *Sacramento eſſe neceſſaria poenitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, abſolutionem*. Nunquid excludet *Petrum Caniſium* primum Germaniae Provincialem, imo *Apoſtolum*? qui in ſuo Catechiſmo contritionem Sacramento poenitentiae neceſſariam definit eſſe *animi dolorem, qui de peccatis PROPTER DEUM OFFENSUM concipitur*. Nunquid excludet *Salmeronem* illuſtrem Concilii Tridentini Theologum? qui Tract. 22. de cant. Zachariae Tom. 3 aſſerit, timore non purgari affectus *internos*, ſed *externos* tantum: *Ejuſmodi affectio*, inquit, *purgat non affectus internos, ſed externos tantum*: *non immutat cor ipſum, ſed opera duntaxat. Coercet quidem iniquitatem, non juſtificat voluntatem*. Nunquid excludet *Joannem Theodorum Macherentinum? qui in Catechiſmo Trevirenſi* c. 4. ad quaeſtionem: *quanta debeat eſſe contritio, ut in Sacramento ad peccati re-*

Et illuſtres initialiſtae Theologi e Soc Jeſu. Claudius Jajus. Didacus Lajnius.

Petrus Caniſius.

Salmeron.

Theodorus Macherentinus.

miſ-

missionem sufficiat? Resp. *Requitur, et sufficit, ut ex vera Dei charitate super omnia emanet.* An porro excludet de Lugo e numero summorum Theologorum *Bernardum Rosignolium?* qui *Libr. 1 de disciplina Christianae perfect. c. 8* magnifice asserit: *Non sufficere timorem gehennae, imo nec amorem Dei, qui dicitur concupiscentiae, sed necessariam esse veram, ac minime fucatam charitatem: quia Deum sitiens anima prius timore concutitur, postea amore. Primum compunctionis genus illud est, quod a Theologis appellatur attritio: nec alio nomine dignum est eo, quod adhuc longe distat ab altissimo illo moerore, qui contritio nominatur. Secundum etiam moeroris genus est attritio, licet priore excellentius, ut quod ex amore proficiscitur, non autem est adhuc contritio, quia non nititur amori Dei perfecto, qualem exigit contritio, sed amori coelestium gaudiorum, qui non inepte appellatus est AMOR CONCUPISCENTIAE. Necesse igitur est, ut altiorem gradum de peccatis commissis dolor teneat, itaque afficiat animum, ut non AMORE aliquo SUI peccata defleat, sed praecipue IPSO AMORE SOLIUS DEI.* Numquid item excludet *Galterium?* in Tabula Cronographica status Ecclesiae Cath. ad Soeculum V postulantem exemplo Augustini, ut peccator *vere conteratur, hoc est: praecipue PROPTER DEUM ODERIT PECCATA: seu peccatum eo potissimum nomine detestetur, quod Deo injuriosum est.* Nunquid excludet *Edmundum Augerium?* virum *summae eloquentiae*, et *sanctitatis*, qui 40 millia deviorum ad fidem reduxit, et qui ad obtinendam remissionem peccatorum necessarium esse ait *in suo DE POENITENTIA OPERE* horrorem peccati, *quia summo nos bono destituit, et quia Deo, quem super omnia diligere, cuiusque offensam nos oportet maxime timere, adversum est.* Nunquid excludet e numero maximorum Theologorum *Maldonatum?* cujus illustre testimonium vidimus cap V n XXXIX. Nunquid excludet e numero Theologorum magna illa Inclytae Societatis suae duo luminaria Svarezium, et Vasquezium? qui ut cap VI contemplati sumus, ita excoluerunt Nascentem attritionem servilem, ut tamen antiquorum initialis charitatis sententiam longe tutiorem, et securiorem esse affirmarint. His XI desideratissimae S J Theologorum Principibus si jungat de Lugo Triadem Purpuratorum ex illa Patrum, Toletum, Pallavicinum, et Bellarminum superius recensitos, injuria sane gravi, et manifesta afficiet Matrem suam de Ecclesia Dei praeclarissime meritam, omnes ejus Filios inter Attritionistas heri natos censendo.

Bernardus Rosignolius.

Galterius.

Edmundus Augerius.

Maldonatus.

Svarezius. Vasquezius.

Sed ut dictam propositionem Lugonis: *Haec sententia est contra omnes Theologos*, falsam, falsissimam in oculis solis demonstrem, quaero: An de Lugo *semetipsum pro Theologo habuerit?* indignatione fortassis excipietur quaestio; cum de Lugo ob doctrinae in Theologia amplitudinem Purpuram plane meruerit. Fulgeat illa, quin Laurea Doctorali in sempiternum! is enim omnium clarissime redarguit *suam illam propositionem*: de quo videlicet Francolinus Lib 1 c 5 n. 12 posteaquam retulisset Svaresii sententiam pro *charitate Sacramentali* per nos cap VI n VII laudatam, ita prosequitur: *De Lugo autem Disp. 5 de poenit. Sect. 1 n 10 non solum utitur ad IDEM probandum iisdem scripturis, et PP, quos adfert Svarezius* (vide cap VI n VII) *sed addit rationem a priori, per quam videtur probare, NON POSSE SINE DILECTIONE quemquam ullo modo reconciliari; petitam videlicet ex ipso conceptu reconciliationis; sic enim habet: Ratio a priori, cur Deus dolorem ex motivo DILECTIONIS, ut DISPOSITIONEM UNICAM acceptavit, ea videtur esse, quia per peccatum mortale expellitur charitas; et per justificationem restituitur: non debet autem restitui, nisi praecedente aliquo actu CHARITATIS. Sicut fides, quae per haeresim*

Quin ipse de Lugo.

Charitatem Sacramentalem inculcanter tradens, et probans.

expel-

expellitur, non reſtituitur, niſi praecedat aliquis actus fidei, et ſpes, quae per peccatum deſperationis expellitur, non reſtituitur niſi exerceatur aliquis actus ſpei; ſic etiam charitas, quae per quodlibet peccatum mortale expellitur (quodlibet enim peccatum mortale opponitur charitati Dei) NON DEBET reſtitui, niſi praecedente exercitio DILECTIONIS, ut congrue reſtitueretur. Homo enim voluntarie diſceſſit ab amicitia Dei, et factus eſt inimicus; quare ut redeat ad eandem amicitiam, neceſſe eſt, ut diligat eum, quem vult habere amicum; nulla enim melior, et aptior eſt diſpoſitio ad amicitiam alicujus captandam, quam amare, ut dixit ille: vis, ut ameris? ama. ET QUAMDIU HAEC DISPOSITIO NON PONITUR, NON EST HOMO SUFFICIENTER DISPOSITUS, *ut iterum recipiatur in Dei amicitiam.* Haec de Lugo pro *charitatis Sacramentalis* neceſſitate.

En! *in nuce* rationum Noſtrarum momenta, quibus de Lugo illam ſuam propoſitionem: *Haec ſententia eſt contra omnes Theologos* falſam, falſiſſimam reddit. Exceptionem Francolini praeoccupavimus cap VI n VII: *Inſurgit Francolinus.* Ubi dicta *de Soarezio* de Lugone quoque intelligenda ſunt.

XVI. Quod alterum erat, ediſſerat nobis de Lugo, amoris initialis ſententiam *eſſe contra Tridentinum*? Producat locum, decretum, Canonemve, cui oppoſita ſit? producat, quis primum? et quando aſſeruit hanc opinionem eſſe Tridentino oppoſitam? a celebrato Concilio 20 circiter annis altum de hac oppoſitione erat ſilentium. cap VI n V. poſtea neſcio quis Caſuiſtarum evulgavit, opinionem ſervilis attritionis eſſe *definitam in Tridentino*: caeteri mox ut aves avem ſecuti clamare caeperunt: *Ita Tridentinum Sententia attritionis ſervilis eſt deciſa in Tridentino. Oppoſita initialem amorem requirens eſt contra Tridentinum.* Lege obvios Caſuiſtas attritioniſtas (nos ſuo loco plures enumerabimus ex La Croix) qui ſuam ſententiam in Concilio Tridentino *definitam* venditant. Quod paradoxum in orbe litterario omnium maximum eſſe inde luce meridiana clarius eſt, quia definitionem hanc non viderunt primi attritionis *Inventores, et Excultores;* nec vident hodie ſapientiores attritioniſtae, ut de Tournelio vidimus. De prioribus autem ſic ſtatuo: vel *primi attritionis Patroni* errarunt, non videntes ſententiam in Tridentino definitam eſſe, ideoque eam non ut certam, ſed ut *dubiam, probabilem, incertam* in publicum producendo: vel certe *Iuniores* attritioniſtae toto oſtio aberrant a veritate, nec niſi *falſum vident*, dum quod primi eorum Duces non viderunt, hi putant ſe videre, *ſententiam ſuam in Tridentino eſſe deciſam*, eaque ex ratione eſſe *moraliter certam.* Recole, quae cap VI diximus de initiis naſcentis attritionis: Vide magnorum illorum virorum moderationem! qua *naſcentem* attritionem *ſub dubio* orbi propoſuerunt! *illamque* confer cum ſequentium Caſuiſtarum clamoribus opinionem ſuam *quia deciſam in Tridentino* intrepide *moraliter certam* aſſerentium: et miraberis *filios* plus vidiſſe *Patribus* ſuis; aut verius, *modeſtiſſimis magiſtris audaces ſucceſſiſſe Diſcipulos* venditantes *videre* ſe attritionem ſervilem a *Tridentino definitam* eſſe. quod priores illi *moderatiſſimi Doctores* Concilio Tridentino longe licet his *propinquiores* penitus non viderunt.

Sententiam initialis charitatis Tridentino oppoſitam eſſe dicitur, ſed non probatur.

XVII. Haec ad propoſitionem Lugonis ſententiam initialis charitatis Sacramentalis eſſe *contra omnes Theologos, et Tridentinum* aſſerentis. Quibus omnia ſimilia attritioniſtarum contra nos dicteria penitus convelluntur. Redeo ad Patronos charitatis Sacramentalis, ac filum *traditionis ejus* ad noſtra uſque tempora paucis ex Vitaſſio

deduco, ut inde eluceſcat, tametſi opinio ſervilis proximis duobus ſoeculis ad ſtuporem in Scholis invaluerit; *veritatem* tamen *Antiquorum* conſtanter in Eccleſia Dei micuiſſe, donec tandem diſruptis nubibus contrariis *antiquae* libertati, ac ſplendori ſuo, ut hodie certo ſperamus. maximo cum incremento pietatis reſtituatur. Praecipuos ejus vindices *poſt Tridentinum Concilium* ultra jam memoratos notamus:

Ludovicus Granatenſis.

Ludovicus Granatenſis. Conc 1 *de Poenitent. contritionem*, inquit, *Sancti Patres peccati deteſtationem, atque odium eſſe definiunt ſupra omne, quod odio haberi poteſt, idque PROPTER DEUM SUMME DILECTUM. itaque peccatorum deteſtatio non ex ea ſolum cauſſa manare debet, quod per illud coeleſtem haereditatem tanquam rebelles amiſimus, et gehennae ſupplicium commeruimus; ſed quia per illud piiſſimum Parentem Deum offendimus. Recte enim D. Auguſtinus: qui gehennam metuit, non peccare metuit, ſed ardere.* Sermonem eſſe de contritione Sacramentali, inde liquet, quia Granatenſis loquitur ad mentem SS Patrum, qui et ad Sacramentum, et ad ipſum Martyrium charitatem conſtanter requirunt: ut vidimus cap I n XV, et alibi paſſim.

Thuanus.

Nicolaus Thuanus Carnotenſis Epiſcopus in Rituali ait: Contritionem eſſe intimum dolorem propter Deum. Hanc habere ſua praeambula. Incipit enim a timore ſervili. Si hic conſiſtit peccator, in deſperationem adigitur; perficitur autem a timore filiali, cum deteſtatur peccatum ex amore Dei.

Bonius.

Bonius Epiſcopus Engoliſmenſis itidem in Rituali: Poenitentia, quae eſt materia Sacramenti poenitentiae, tunc eſt, dum peccata nobis diſplicent ex amore Dei, non ſolum ob poenarum metum, vel ex amore noſtri.

Navarrus.

Navarrus in manuali cap I n 33: *Attritio propter metum poenae temporalis, vel aeternae non ſufficit, ut per ipſam ſolam remittatur peccatum; imo neque per eam, et abſolutionem ſimul: quin imo peccat, qui cum ea petit, vel accipit abſolutionem.* Et in fine capitis: *Negamus ſufficere ad abſolutionem attritionem, ſi nullus actualis, vel virtualis Dei amor, vel odium peccati, quatenus eſt offenſa Dei* (quod eſt virtualis Dei amor) *eam comitetur.*

Petrus Willars Viennenſis.

Petrus Willars Viennenſis Archi-Epiſcopus in Rituali: *Poenitentiam oportet non ſolum ex timore poenae, verum etiam ex amore Dei concipi.*

Erneſtus Leodienſis.

Erneſtus Leodienſis in Parochiali: Dolor debet concipi propter Deum offenſum: Nam dolere propter creaturas, vel propter damnum, vel infirmitatem non eſt contritio.

Cathech. Trevirens.

Cathecheſis Trevirenſis circa 1590 edita ad Q: qualis eſſe debeat dolor? Reſp. *Integer, et verus, ſicut verus Dei amor, ut EXCLUDAT in Dei oculis OMNEM ALIUM AFFECTUM voluntatis; ita, ut quidquid boni, vel mali occurrerit, id minus, quam Deus ametur, minus, quam peccatum odio habeatur.* En rurſus charitatem Affective praedominantem!

XVIII. Hi Saeculi XVI Theologorum lumina ſunt, antiquae veritatis teſtes locupletiſſimi, atque a ſpreta invaleſcentis attritionis novitate aeterna memoria digniſſimi. Saeculo XVII quamvis nova opinio torrentis inſtar Scholas pleraſque inundaverit, plures tamen reperire licet viros pietate, et doctrina illuſtriſſimos, qui pro charitatis Sacramentalis neceſſitate omni opum vi depugnarunt. Eorum Principes commemorare juvat:

Eſtius

Saeculi XVII ejusdem doctinae asserores.

Eſtius in 4. Diſt. 16. § 9: *Quamvis timor gehennae*, inquit, *donum Dei ſit, non tamen ſufficienter hominem praeparat ad peccati remiſſionem per Sacram poenit conſequendam: quia per ſe non ſufficit ad excludendam omnino voluntatem peccandi; quare, niſi acceſſerit amor juſtitiae, et dilectio Dei SUPER OMNIA, ac deteſtatio peccati ſuſcepta PROPTER DEI OFFENSAM, non poterit timor ille hominem perducere ad amicitiam Dei.* En his omnia, quae volumus! timor gehennae bonus, ſed voluntati peccandi poſitive excludendae inſufficiens: ideo charitas initialis ad Sacramentum neceſſaria: ſunt tres veritates hactenus a nobis in praeclara luce poſitae.

Sylvius.

Sylvius in 3. p S Thomae ad 1 ſuplem. a 3 quatuor diſtingvit ſpecies attritionis: Quarum 1 eſt dolor propter naturalia duntaxat motiva. 2. Dolor propter metum inferni fide cogniti. 3. Cum quis dolet propter offenſam Dei, ſed ſuſpenſa, et optativa voluntate, quae vocatur velleitas. 4. Cum quis dolet propter poenas inferni fide cognitas, inde ſumens occaſionem deteſtandi peccata ut ſunt offenſa Dei, cum firmo propoſito non peccandi. Ex quibus tres priores rejicit ut etiam in Sacramento inſufficientes. *Nam* 1a inquit, *ſolis naturae viribus haberi poteſt.* 2a *Non excludit voluntatem peccandi.* 3a *Non continet abſolutum propoſitum non peccandi. Attritio autem, quam quarto loco recenſuimus, ſufficit cum Sacramento. Conſequens eſt*, pergit porro, *eam omnem attritionem, quae ſic naſcitur ex ſolo timore aeterni ſupplicii, ut nullatenus conjunctam habeat aliquam dilectionem Dei ALIQUO MODO SUPER OMNIA, non eſſe annumerandam attritioni illi, quae cum Sacramento ſufficit.* En attritionem veterum more charitate Dei animatam ad Sacramentum ſufficientem, et neceſſariam!

Jacobus Boonen Mechlinienſis.

Jacobus Boonen Mechlinienſis Archi-Epiſcopus in conſtitutione a Queraſſio laudata praecipit Confeſſariis, ut poenitentes inducant *ad dolorem ſuorum peccatorum non tam ex timore poenarum, quam ex Dei amore, quo ipſum velut ſummum bonum - - ſaltem, ut fontem juſtitiae, qua ſcilicet juſtificamur, diligere incipiant.* Idque probat a paritate neceſſitatis charitatis in veteri Teſtamento.

Octavius Senonenſis.

Octavius Bellegarde Senonenſis Archi-Epiſcopus in Sinodo ſua mandat Concionatoribus, *ut populis ſollicite exponant diſpoſitiones a Tridentino requiſitas Seſſ. 6 c 6, et Seſſ. 14 c 4.* addens: *quod ſi verba Concilii perſpicue oſtendunt, adultis neceſſariam eſſe dilectionem ad juſtificationem etiam in Sacramento baptiſmi, a fortiori poſt amiſſam baptiſmi gratiam eadem dilectio neceſſaria eſt ad juſtificationem in Sacramento poenitentiae: et jux a Decretum Seſſ 14 c 4 ipſamet attritio includere debet voluntatem amplius non peccandi cum ſpe veniae a Deo conſequendae. Quae duae conditiones eſſe nequeunt abſque amore Dei.* En doctrinalem expoſitionem Decretorum Concilii Tridentini principiis noſtris per omnia conformem!

Launojus.

Joannes Launoius de mente Concilii Tridentini circa contritionem a. 1653 edita.

Matholdus.

Hugo Matholdus in ſuis ad Pallum obſervationibus a. 1655.

Vachtendonch Namurcenſis.

Joannes Vachtendock Namurcenſis Praeſul in Sinodo 1659 mandat Confeſſariis, *ut poenitentes per actus ſupernaturales fidei, ſpei, et CHARITATIS moveant ad veram deteſtationem peccatorum non tam ex timore poenarum, quam ex dilectione Dei.*

Facultas Lovanienſis.

Facultas Lovanienſis 1662 die ultima May hanc Paſtorum Gandavenſium propoſitionem: *Attritio, quae ſolo gehennae, aut poenarum*

metu

metu concipitur, ſine interventu alicujus ſaltem imperfecti amoris benevolentiae erga Deum, non ſufficit ad juſtificationis gratiam in Sacramento impetrandam, unanimi conſenſu cenſuit eſſe *fanam, ſecuram, veram, et meritis fidelibus inculcandam.* Alios ejusdem Univerſitatis articulos vidimus cap VI n XLI.

Chriſtianus Lupus.

Chriſtianus Lupus Librorum, et eruditionis copia toti orbi notiſſimus in ſuo *de contritione* Lib. et *Epiſt. ad Noriſium.*

Ludovicus Hendr. de Gondrin.

Ludovicus Hendricus de Gondrin in Cathechiſmo 1669 Lect. 26 Quale debeat eſſe contritionis noſtrae motivum? Reſp. *Amor Dei innixus bonitati ipſius, quia ſicut peccatum, cum ſit odium Dei, a Deo nos ſeparat, ita ſolus Dei amor nos Deo reconciliare poteſt.* Ergone verus Dei amor neceſſarius eſt ad reconciliandum nos Deo per poenitentiae Sacramentum? Reſp. *Ita omnino ſecundum Spiritum, et regulas Evangelii.* Soluſne amor poenarum ſufficit cum Sacramento? Reſp. *Prorſus inſufficiens eſt, niſi ei jungatur amor.*

Macarius Haverſmans.

Macarius Haverſmans in Tyrocinio Theologiae Moral. et in peculiari diſquiſitione Theologica: *Dico,* inquit, *mihi certum videtur; cum Sacramento requiri PRAEDOMINANTEM DEI PROPTER SE AMOREM. Sit ergo fixum, requiri ad attritionem ſufficientem cum Sacramento ad juſtificationem amorem Dei praedominantem.* Sic ait attritione ſervili maxime tunc dominante.

Gabrielis.

Pater Gabrielis in ſpecimine Moralis Chriſtianae § 50: *Dubium eſt ad minimum, utrum talis attritio ſufficiat cum Sacramento:* CUM SANIOR PARS *Theologorum juſtineat, illam non ſufficere, et Patrum teſtimonia - - hoc evincere videantur.* Viden' attritione ſervili in pleno meridie ſuo exiſtente *ſanior* tamen *pars* Theologorum pro antiqua veritate ſtabat.

Mauritius de Tellier Remenſis.

Mauritius de Tellier Remenſis Archi-Epiſcopus in Rituali de Sacramento poenit: *Motivum principale contritionis eſt amor Dei ſuper omnia: tametſi enim timor, qui ordinarie concipitur ex conſideratione enormitatis peccati, vel poenarum inferni, Dei donum ſit, et Spiritus Sancti impulſus, utiliter concutiens peccatorem, diſponensque ad juſtificationem: nihilominus timor iſte* NON AVELLIT EX TOTO PECCATOREM A CREATURA, *niſi excludat voluntatem peccandi cum ſpe veniae, initialique amore, quo peccator convertatur, et feratur in Deum tanquam omnis juſtitiae fontem.*

Colbertus Rotthomagenſis.

Colbertus Abbas, poſtea Rotthomagenſis Archi-Epiſcopus circa a 1676 cum ſtadium Theologiae decurreret, hanc Patrum doctrinam defendit aſſerens: *Contrariam opinionem recentem eſſe, et a paucis inventam.* De quo Queraffius p 2 c 25 ſect 4.

Catechiſm. Tornacenſis.

Illuſtriſſimus Epiſcopus Tornacenſis in Catechiſmo ad quaeſtionem: Quodnam eſſe debeat praecipuum contritionis motivum? Reſp. *Amor Dei innixus bonitati ejus, et gratiis omnibus, quas nobis immeritis contulit.* En notionem verae charitatis Dei in ſe, et nobis boni. De qua nos fuſe cap. III. a n XX. Sed audiamus Tornacenſem quaeſt: Soluſne timor cum Sacramento ſufficit? Reſp. *Non ſufficit, ſed junctus eſſe debet cum amore.*

Rupellenſis.

Illuſtriſſimi Eccleſiarum Rupellenſis, et Lucidonenſis Principes in Catechiſmo, quem circa a 1676 conjuncta opera ediderunt, p. 6 Lect. 8. a 3: Eſtne neceſſe, ut ex amore Dei doleamus de peccatis, ut in Sacramento remiſſionem conſequamur? Reſp. *Requiritur ſaltem initium*

initium amoris Dei: quia unum ex praecipuis principiis eſt ethices Chriſtianae, quod Deus peccata non condonet, niſi iis, qui ſe converterunt ad ipſum, quod non fit, niſi dum quis incipit vere amare Deum. En charitatem Dei ad veram converſionem peccatoris neceſſariam!

Theologia Moralis Gratianopolitana a 1678 Tract 6 c 5 Interrog. 9. et 10. *Theologia Gratianopolitana.*

Cardinalis Noatillius Opuſc 2 docet: *Suppliciorum metum eo referri, ut amori Dei viam paret: ſolum vero amorem Dei eſſe, qui converſionem cordis inchoet, et perficere poſſit.* *Card. Noaillius.*

Queraſſius 1685 in grandi diſſertatione de Concilii Tridentini circa attritionem ſenſu.

XIX. Innumeros etiam initialis charitatis Sacramentalis Aſſertores exhibet Soeculo XVII celebris cauſſa *Epiſcopi Pontiſpoleos* relata a Vitaſſio quaeſt 3 de contrit a ſect 2. cum enim *Is in Eccleſiaſticis collationibus* aſſeruiſſet amoris Dei ad Sacramentum poenit. neceſſitatem, nonnulli Theologi adverſus Doctrinam hanc inſurrexerunt affirmaruntque: *In Tridentino ita expreſſe definitam fuiſſe ſufficientiam attritionis, quae non vivificat animam, et omni amore Dei vacua eſſe poteſt, ut anathemate percuſſi ſint, qui aliter ſentiant.* Quam Theologorum attritioniſtarum propoſitionem 1 confutavit idem Praeſul *in expoſitione doctrinae ſuae cap 12. et 41* deinde obtulit pluribus Theologis, quorum quinquaginta fere eam attritioniſtarum propoſitionem *tanquam falſam, temerariam, ſcandaloſam, Synodo Tridentinae injurioſam, et in praxi periculoſam condemnarunt.* Quo factum, ut laudatus Praeſul relatam *attritioniſtarum* doctrinam cenſura confoderet. Cum nihilominus hi *Sententiam Epiſcopi* infectari non deſiſterent, *illa* iterum plurium, ac ante Theologorum ſuffragiis eſt roborata. En hic regnante in Scholis ſerviliſmo in una, eademque cauſſa *Pontiſpolitana* ſuffragantes ejusdem temporis fere centum charitatis Sacramentalis vindices! et dubitabis iam veram *antiquorum* ſententiam ſemper in Eccleſia Dei floruiſſe? Nae hoſpitem, et peregrinum te in hiſtoria Literaria hoc ipſo fateberis. *Cauſſa Epiſcopi Pontiſpoleos.*

XX COROLLARIUM. Adde his viros illos maximos, quos pro *Sacramentali charitate* ex hoc, et ſuperiori Saeculo partim jam ſparſim laudavimus, partim deinceps laudaturi ſumus, quales ſunt: Benedictus XIV Pontifex, et huius Soeculi Doctor Maximus: Epiſcopus Vaſionenſis Genetes: Joannes Merbeſius Epiſcopus: Vitaſſe, et Drouen ambo Doctores Sorbonici: Juenin: Patuzius: Billuart. Perri. Natalis Alexander: etc. Quibus confectum habebis ſilum *traditionis pro illa* a Scriptura per Sanctos Patres, Doctoreſque antiquos ductum (cap II) in Tridentino Concilio miro conſenſu confirmatum. (cap V n XXX) atque a finita hac Generali Synodo ad hanc uſque aetatem noſtram Sancte cuſtoditum. Conſer obſecro tres has aetates: *Ante-Tridentinam: Sub-Tridentinam: Poſt-Tridentinam*: et dulciſſimo cum ſolatio miraberis, omnium Saeculorum charitatis Sacramentalis Defenſores cum ſcriptura, cum Patribus, ac ſecum invicem adeo pulchre conſentire, ut palpare debeas, univerſos ab una Magiſtra *Eccleſia*, et *Traditione* certam hanc veritatem hauſiſſe. Nempe uno omnes ore confitentur 1: Timoris ſervilis *honeſtatem*. Sed 2: in Sacramento *inſufficientiam*. ideo 3: *Charitatis initialis neceſſitatem*. quae 4: ad veram *contritionis* notionem pertinet. Et 5: peccatorem non ad *ſuum* tantum *bonum* in coeli nudo deſiderio *quaerendum*. Sed 6: ad Deum *propter ſemetipſum ſuper* *Summa Doctrinae Eccleſiae, et Noſtrae.*

omnia diligendum contrarie peccato, directeque convertat. Quibus mirifice confirmantur cuncta illa, quae de mente Concilii Tridentini a cap II hactenus diſſeruimus. Ubi ergo eſt moralis certitudo attritionis ſervilis? *abſorpta eſt in victoria.*

CAPUT OCTAVUM.

Charitas Sacramentalis Conſenſu Orientalis Eccleſiae confirmatur. Satisfactionis congruae neceſſitas evincitur, et imago pingitur.

Conſentit Graeca Eccleſia.

I. Quae ne magnificentius, quam verius dicta quis exiſtimet, proderit illuſtrare conſenſu *Orientalis* quoque *Eccleſiae*; ut in charitatis Sacramentalis neceſſitatem utriuſque Eccleſiae, Latinae aequae, ac Graecae traditionem conſpirare videamus. Orientalis Eccleſia Orthodoxam fidem et circa *virtutem*, et circa *Sacramentum Poenitentiae* non ſolum quoad Occidentali unita manſit, integre ſervavit, verum hodiedum poſteaquam ab hac diro Schiſmate ſeſe avulſit, illibate conſervat. Placet rem pro ſua dignitate paullo altius repetere. Uſque ad *Cirillum Lucarim* factione Proteſtantium, ut horum errores Graecis inſtillaret, in Sedem Patriarchalem Conſtantinopolitanam intruſum inventus inter Graecos etiam Schiſmaticos nullus eſt, qui poenitentiae dignitatem Sacramenti negaret. Mox vero, ut percrebuit, Cirillum in hunc errorem impegiſſe, zelus tuendae priscae fidei inter Graecos exarſit. Melerius Syrigus eum copioſe refutavit. Mox Synodus Conſtantinopolitana a. 1638 damnavit his verbis: *Anathema Cirillo nova dogmata fabricanti, et credenti, non eſſe ex conſtitutione JESU CHRISTI, Apoſtolorum traditione, praxique perpetua ſeptem Eccleſiae Sacramenta, Baptiſma* videlicet, *Chriſma, poenitentiam.* etc. Damnavit etiam Sinodus a *Doſitheo* Patriarcha Hyeroſolimitano a. 1672 collecta. Rem copioſe narrat Graveſon Hiſt Eccles ad ſaec. 17 colloquio quarto: nempe a Graecis ut ut Schiſmaticis Lutheranorum, et Calvinianorum propoſita, ſibi dogmata rejecta communi conſenſu, damnataque fuiſſe. Sed ut pro Inſtituto noſtro in Sacramento poenitentiae maneamus, ejus Divinam Inſtitutionem, ac omnibus poſt Baptiſmum lapſis neceſſitatem Rdmus D Ladislaus Tompa Canonicus Poſonienſis de *Sacris Chriſt. Ritibus p* 2 § 100, et ſeqq multorum Graecorum teſtimonio evincit. Quorum celebriores ſunt:

Graecorum Zelus contra factiones Proteſtantium.

Apud Graecos integritas doctrinae de Sacramento poenit. permanet.

Balſamon in Scholiis ad interrogata quorundam Monachorum, et in notis ad Can. 6 Conc Carthag.

Simeon Theſſaloniceſis in Dialogo.
Joannes Jejunator in poenitentiali.
Nicolaus Cabaſſilas in expoſitione Lyturg. c. 29.
Alexius Rharturus Eccles. Corcirenſis Cartophilax in Libr. de poenitentia.
Nomo-Canon Graecorum a Cotelerio editus.

Ex S Joanne Chriſoſtomo.

Rubrica Lyturgiae S Joannis Chriſoſtomi ita monens: *Sacerdos Divinum Miſterium peracturus ante omnia CONFITERI, et cum omnibus ſe reconciliatum habere debet.* Sed cum Summum pondus hac

in

in re in Aureo Ore ſit, exſcribamus alios ejus textus: Hom 3 ad popul. Antioch. Sacerdotem ſic exhortatur: *Declara charitatem erga peccatarem: Comprehende pedes, oſculare, non erubeſcas, ſi modo mederi vis. Haec et Medici faciunt ſaepius, qui difficiles aegros habent, deoſculantes, rogantes perſvadent ſalutarem ſumere medicinam.* Dein poenitentem ſic compellat: *Ita tu quoque fac, SACERDOTI VULNUS MANIFESTA.* Hom. 30. in cap XI Genes: *Quia*, inquit, *in magnam hanc hebdomadam Dei Gratia pervenimus, nunc maxime - - - facienda DILIGENS, ac PURA PECCATORUM CONFESSIO.* Similiter loquitur Or. 3. contra Judaeos de quadrageſimae inſtitutione: *UT PER CONFESSIONEM diligenter EXPURGATI cum conſcientia pura accedamus* ad Sacra miſteria. Libr. 3. de Sacerdotio teſtatur, Sacerdotibus *datam eſſe poteſtatem, quam nec Angelis, nec Archangelis dedit Deus; neque enim illis dictum eſt*: quaecunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta et in coelis. *Quae major hac poteſtas fuerit? Corporis lepram purgare Judaeorum Sacerdotibus licebat: Hi vero novae Legis SACERDOTES IMMUNDITIAM ANIMAE PURGANDI poteſtatem acceperunt.* Cum igitur clariſſima ſit mens D Chriſoſtomi, dum is *Deo ſoli confitenda* peccata docet, vel loquitur de Cathecumenis, ut Catechesi 2. quae *ad illuminandos* inſcribitur: vel excludit Confeſſionem *publicam, non auricularem. Haec* enim *Sacerdoti facta ſoli Deo* ſit et ratione *Secreti*, et ratione *miniſterii* juxta illud 2. ad Cor. 5. v. 20: *Pro Chriſto legatione fungimur.* Patet ex ipſo Chriſoſtomo Hom. 86. in Joan: *Quid quid creditum habet Sacerdos - - Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus omnia facit. Sacerdos manum, et linguam praebet.* Unde teſte Goario p 679 Sacerdos Graecus poenitentem ad ſe accedentem ſic alloquitur: *Ne verearis: non enim mihi: ſed Deo, coram quo ſtas, peccata tua nunciasi.* Igitur dum D Chriſoſtomus *Soli Deo* confitendum inculcat, non excludit *Miniſtrum Dei* Sacerdotem, ſed *populum*, coram quo publica poenitentia palam, et manifeſte fiebat. Seipſum explicat Graecae Eccleſiae magnum lumen Hom 3. de natura Dei dicens: *Rogo, et oro vos Fratres! ut frequenter Deo confiteamini. Non te* IN THEATRUM CONSERVORUM TUORUM DUCO. *Neque* HOMINIBUS *peccata revelare cogo. Conſcientiam tuam expande coram Deo, oſtende ipſi vulnera, et ab Eo medicamenta poſtula*: Nempe per Sacerdotem tibi praeſcribenda. Hom. 4. in Lazarum: *Cur te, quaeſo! pudet, et erubeſcis confiteri peccata tua? Num enim HOMINI dicis*, UT PROBRO TE AFFICIAT? *Num enim conſervo confiteris ut in publicum proferat? erubeſcis enunciare peccata? Sane quidem, ſi coram hominibus ea dicenda ſunt, et evulganda: jam vero neque neceſſarium eſt* TESTIBUS PRAESENTIBUS *confiteri. Deus te confitentem ſolus audit.* Quibus Aureum Os et urget peccata *confitenda*, conſcientiam *expandendam*, vulnera *oſtendenda*, medicamenta *poſtulanda*, crimina *enuncianda*, et negat ea *in theatrum ducenda, revelanda, in publicum proferenda*, coram *hominibus dicenda, evulganda*. Ergo et *auricularem ſecretam* Confeſſionem *Sacerdoti Dei Miniſtro* faciendam affirmat, et *publicam neceſſariam* eſſe negat.

Quo ſenſu Confeſſio SOLI DEO fiat?

II. Ex quibus ſuapte corruit illud haeterodoxorum male conſarcinatum commentum videlicet: a Nectario (qui ab a 381 ad 397 Tronum Patriarchalem Conſtantinopolitanum tenuit) occaſione ſtupri cum Diacono admiſſi a Matrona quadam inconſulto Poenitentiario Sacerdote palam denunciati, ſuggerente Eudemone Presbytero non modo *publicam poenitentiam*, ſed omnem etiam *ſecreto confitendi neceſſitatem* abrogatam eſſe. Nam cum D Chriſoſtomus immediatus Nectarii Succeſſor ſecretam Confeſſionem ut Jure Divino neceſſa-

Ieitur Nectarius Sacramentum poenitentiae non abrogavit.

neceſſariam in praemiſſis identidem inculcet, evidens eſt, *publicam* duntaxat, et *caeremonialem*, non vero *Sacramentalem* Confeſſionem a Nectario fuiſſe immutatam. Rem in praeclara luce collocat Morinus Libr. VI de Poenitentia cap 22: nempe occaſione illa ex antiqua diſciplina ſequentia fuiſſe detracta: 1 Presbyterum Confeſſionibus, et poenitentiis *publicis* perfectum ſuſtulit Nectarius. 2. Morem antiquum publice enunciandi crimina, quae Poenitentiarius monuerat, abrogavit. 3. Quotidianas manuum impoſitiones, et preces ſuper poenitentes fieri ſolitas ommiſit. 4. Diſtinctas poenitentium ſtationes ceſſare fecit. 5. Poenitentiarum in ſecreta Confeſſione impoſitarum ſecretam executionem poenitentium fidei, zelo, et ardori, ut fit hodiedum, permiſit. 6. Accuſationes criminum a proximis commiſſorum apud Epiſcopum ad publicam iis poenitentiam imponendam obſoleverunt: pariter obſolevit feſtinata, et accellerata ſui ipſius de criminibus accuſatio, ne Reus ab Epiſcopo praeventus multo ſeverius plecteretur. Denique 7. Poenitentiae publicae de criminibus occultis penitus abolitae ſunt. de *occultis*, inquam: nam de *publicorum criminum publica poenitentia* tempora etiam Nectario poſteriora teſtantur referente, et probante Vitaſſio de poenit. *quaeſt.* IV. a 3.

Quae immutata tunc ſunt?

III. Permanſerunt ex adverſo in priſtino ſuo vigore 1. Diligentiſſima, et minutiſſima omnium peccatorum ſecreta Confeſſio. 2. Diligens, et accurata Sacerdotis interrogatio de omnibus illis poenitenti facta. Patet ex praelaudatis S Chriſoſtomi teſtimoniis: ex poenitentiali Joannis Jejunatoris Patriarchae Conſtantinopolitani: ex Libris item de poenitentia ſcriptis Simeonis Archi-Epiſcopi Theſſalonicenſis, et Gabrielis Philadelphiae Metropolitae. 3. Poenitentiarum, et poenarum unicuique peccato ſecreta impoſitio juxta approbatos Libros poenitentiales, qui de antiqua Canonum ſeveritate non admodum remittunt. 4. Abſolutio poſt Confeſſionem, et poenitentiae impoſitionem facta. Sed 5. Communionis Euchariſticae pro ratione criminum in longum, vel brevius tempus ſaepe dilatio. Ex quibus invictiſſime ſequitur, apud Graecos Unitos aeque, ac Schiſmaticos Sacrm poen in ſua integritate illibate permanere hodiedum.

Quae permanſerunt ad haec uſque tempora?

IV. Sed quia inpraeſentiarum apud Graecos charitatem Sacramentalem quaerimus, tres eſſe partes Sacramenti poenitentiae, cordis contritionem, oris Confeſſionem, et operis ſatisfactionem magno conſenſu confitentur Graecorum ſapientiores: videlicet

Gregorius Hieromonachus in Synopſi interrogatione de partibus poenitentiae.

Gabriel Philadelphienſis de Sacramento poenitentiae: ubi agit de ejus partibus.

Tres partes Sacramenti poen. apud Graecos.

Simeon Theſſalonicenſis de Septem Eccleſiae Sacramentis.

Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in primo ad Lutheranos reſponſo.

Confeſſio Orthodoxa a quatuor Graecis Patriarchis adverſus Lutheranos edita parte 1 Interrog. 103.

In Conciliis Generalibus Lugdunenſi, Lateranenſi, et Florentino quum multa iis, antequam ad Unionem reciperentur, objicerentur, hac quidem in re nullam leguntur paſſi fuiſſe difficultatem. Ipſum Florentinum Concilium *in Decreto ad Armenos* ſtatuit, *contritionem* (quam definit *dolorem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de caetero*) primam partem eſſe hujus Sacramenti (cap. IV.

Contritio charitate aata eis neceſſaria.

n XI) quo nomine *dolorem charitate Dei animatum* Universam Ecclesiam usque ad ortos attritionistas intellexisse vidimus cap I not ad n II. et cap VI n III ex ipso attritionis servilis Nutritio Melchiore Cano.

In hac eadem sententia perstitere hodiedum eruditiores Graecos, extra dubium statuunt sequentia: *Ut testantur*

Nicephorus Paschalius Theophanis Philadelphiae Metropolitae discipulus *in Enchiridio de Sacramento poenitentiae, et Confessione* edito Venetiis 1622 haec ait: *Contritio cordis tristitia animae est, et detestatio peccati, quo DEUS SUPER OMNIA DILIGENDUS offensus est, cum proposito vitae in melius commutandae, et in posterum non peccandi. Indeque infertur, non satis homini esse ad gratiam recuperandam a peccato recedere, aut novam vitae rationem amplecti, sed omnino necessarium esse, ut de vita praeterita doleat, eamque detestetur, simulque constanter proponat de caetero non peccare.* *Nicephorus.*

Gregorius Proto-Sincellus Constantinopolitanae Ecclesiae in Sinopsi Sacramentorum typis Venetis pariter excusa 1635 ita differit: *contritio vehemens cordis contriti, et quasi confracti* (confer cap I n I) *est dolor, idemque voluntarius* (*nec enim potest contritio cordis esse coacta*) *quo homo plangit, et cruciatur, et seipsum propter admissum peccatum condemnat. Tria continet contritio: peccati desertionem, de eo contra Deum perpetrato dolorem, et deinceps firmum non peccandi propositum. Ad haec omnia homo* FERVENTE IN DEUM CHARITATE *excitatur, de qua Theologi affirmant, quod odio peccati conjuncta vera poenitentia sit; motivo namque triplici ad cordis contritionem homo adducitur: malitia nimirum peccati, CHARITATE ERGA DEUM, et aeterni supplicii timore. Quapropter paenitenti TIMERE GEHENNAM NON SUFFICIT, sed praeterea opus est, ut de peccato ideo doleat, quia contra Deum benefactorem suum peccavit,* An amabo te! disertius perorant ex omnibus aetatibus, quas hactenus recensuimus, Catholici initialis charitatis vindices, quam haec Graecae Ecclesiae luminaria Schismatis licet nebulis obfuscata? *Gregorius Proto Sincellus.*

V. Similiter docent: Damascenus Studita, Michaël Antiochenus Patriarcha, Dionysius Carsalabus Echminiensis, Ebnassalus uterque, et alii Graeci omnes. Scilicet 1: Exigunt in Sacramento poenitentiae *charitatem Dei super omnia.* 2: Damnant illam novatorum doctrinam: *Optima poenitentia nova vita* in sensu Sacramentum cum suis partibus excludente. 3 Contritionem, quam Sacramento necessariam ajunt, definiunt: esse *cordis confractionem* συντριβην της καρδιας Sintriben tes cardias. 4 Timorem gehennae salutarem agnoscunt; sed 5 insufficientem. Nisi 6 charitas accedat Dei in se, et nobis boni. Haec ex recentissimo Illustri Initialista Reverendissimo Domino Ladislao Tompa Canonico Posoniensi De *Sacris Christianorum Ritibus* p 2 § 103 accepimus. *Plures alii.*

VI. Addit Drouven Tom. 2 l 6 q IV 2 2 Neophyti Rhodini Montis Sinai in *Epitome Sacramentorum* haec verba: *Contritio acerrimus est cordis dolor de peccato contra Deum commisso.* CONTRA DEUM INQUAM. *Nec enim satis est poenitentem timore poenarum affligi, sed quia contra Deum benefactorem suum peccavit.* Cui adnectit praeter superius recensitos *Alexium Rarthurum, Catecheses, et homilias Graecas super Evangelia*, in quibus praefatam doctrinam sexcentis in locis expressam esse asserit, poenitentes scilicet constanter admoneri ubique: *Sine amore Dei veram cordis ad Deum conversionem esse* *Neophytus Rodinus.*

non posse: ideoque illis exemplum *Peccatricis* continuo inculcari, cui teste Evangelio *dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ratum igitur, fixumque manet, Graecae quoque Ecclesiae sententia *timorem* quidem *gehennae* utilem esse, ad veram tamen poenitentiam, et obtinendam reconciliationem etiam Sacramentalem sine charitate prorsus non sufficere.

Eandem veritatem evincit Stephani Papp recentissimi Theologi Graeco-Catholici Epistola.

VII. Haec quamquam propositum meum luculenter evincant, quia tamen *cuivis ut in arte*, ita in *ritu suo* magis credendum esse vulgo dicitur, ad eruendam manifestam veritatem operae pretium duxi *de sufficientia attritionis servilis in Sacramento poenitentiae* sensum modernae Ecclesiae Graecae a Viro doctissimo, dudum mihi familiari amicitia juncto, nuper Balasfalvae Sacrae Theologiae Professore, in praesentiarum Consistorii ejusdem Catholici Assessore *Stephano Papp* percontari. Qui pro insigni sua eruditione, parique in me humanitate longam ad me dedit non tam Epistolam, quam dissertationem. Ex qua cum multa lux hactenus dictis accessura sit, et professio mea charitatem Sacramentalem illustrandi, et gratitudo erga virum operam suam amice mihi commendantem exigit, ut elegantis opellae ejus succum, et sangvinem breviter istuc inferam. Ita ergo orditur:

Epist. 188 Canonica.

Si summus ille Ecclesiae Doctor Basilius re, et cognomento Magnus Amphiloquio Iconiensi Praesuli respondens fatetur, hujus *quaesitis se doctiorem factum, sibique Magistri loco fuisse curam respondendi;* majori jure se profiteri, cum sensum Graecae Ecclesiae de charitate Sacramentali ab illo percontatus fuissem, se quaesitis meis factum esse longe doctiorem ea, quae olim, et qua ipse olim discipulus didicerat, et qua Professor Regius in Scholis Balasfalvensibus discipulis suis tradiderat, denuo penitius investigando, iterumque ediscendo. Mox quinque argumentis charitatis in Sacramento poenit necessitatem evincit: Nempe 1 Auctoritate SS Patrum Graecorum. 2 Testimonio Doctiorum Graecorum. 3 Sacrorum Librorum Graecae Ecclesiae hodiernae. 4 Ratione. 5 Praxi Graecae Dioecesis Catholicae Fogarasienfis.

1 Auctoritate SS Patrum Graecorum.

VIII. Primum argumentum conficit hac collectione: Graeci universim *antiquitatis* usque adeo tenaces, quin propemodum pertinaces sunt, ut in Theologicis aliquid *innocuae etiam novitatis* admittere horreant: Siquid vero in Patribus, vel maxime Graecis legant, ab his recedere religioni sibi ducant. Atqui Patres Graeci dissertissime, et clarissime stant pro charitate ad Sacramentum poenitentiae necessaria. Hoc evincit luculentis testimoniis S S *Basilii Magni, Joannis Chrisostomi*, et *Clementis Alexandrini* (quorum textus manifestos habes cap I n XIV. ideo hic repeti nequeunt.) igitur eorum doctrinae Graeci non uniti solum, sed et Schismate a Catholicis discissi inhaerent constantissime hodiedum.

2 Doctiorum Graecorum.

IX. Pro secundo argumento laudat *Nicephorum Paschalium, Neophitum Rhodinum, Gregorium Protho Sincellum*, quorum testimonia superius exscripsimus. Ad hanc classem refert *Orthodoxam Confessionem* interrog 80 clare docentem: *Timorem Dei in Sacramento oportet esse talem, qualem habent Filii erga Parentes, non vero qualem habent servi erga heros suos.* Et interrog 113 absque ambagibus definientem: *necessario debet poenitens habere contritionem cordis, et tristitiam ob peccata sua, quibus Deum offendit. Simeonem Metaphrastem* dictum apud Latinos etiam probatum auctorem, qui *Serm de charitate in Deum. et proximum* S Basilii per nos cap I n XIV relatas sententias suas facit.

Simeo-

Simeonem Theſſalonicenſem, qui de Sacramentis cap 50 de Chriſto ita loquitur: *Fideles quoque in peccata lapſos per Confeſſionem ſalvat, qui medio lacrimarum, et* CONTRITIONIS CORDIS, *ac eleemoſinarum, nec non aliorum iuxta vires bonorum operum ad ipſum accedunt.* Naturam porro *contritionis* clarius explicat *de Sacris Ordinationibus cap* 256 ubi ait: *Confeſſio vero non qualitercunque debet peragi. verum quemadmodum Servator oſtendit, dum Zachaeum, et Meretricem* (Magdalenam peccatricem eo vocabulo appellant Graeci) *recepit. Alter enim, Zachaeus videlicet cum puritate omnia confeſſus eſt, et* CONTRITIONE: *et pollicitus eſt ſe reſarciturum omnes iniuſtitias, et virtutes cumulaturum. - - Illa vero caepit lacrimis rigare pedes eius. - - - viden! ut ob* INTENSIONEM, *et veritatem* CONVERSIONIS *illico tribuerit remiſſionem una, et ſalutem.* Haec ille. quibus etiam docemur, non *omnem contritionem* charitate formatam mox ſine Sacramento juſtificare; ſed *intenſam:* ideoque *remiſſam*, et *initialem* ad Sacramentum *neceſſariam* eſſe. Ad hanc *eruditorum* Graecorum Claſſem merito adiungit Synodum Provincialem Ruthenorum Zamoſcenſem a 1720 celebratam. quae de poen § 5 definit. materiam huius Sacramenti in actibus poenitentis conſiſtere, eoſdemque actus in tres partes diſtingvi: *Contritionem ſcilicet de peccatis commiſſis cum propoſito non peccandi.* Quae ipſa Sacro Sancta verabt ſunt Concilii Florentini.

X. In tertio argumento collocat *Sacros Libros* hodiernae Graeciae: ex quibus primus eſt *Euchologium*, ſive *Rituale* In quo *in ordine Confeſſionis* Or. 2a ante Confeſſionem ita habet: Domine Jeſu Chriſte Filii Dei vivi. Paſtor, et Agne. qui tollis peccatum mundi - - - qui Peccatrici veniam peccatorum largitus es, ipſe Dominator etc. Confer Orat. S Chriſoſtomi abſolutoriam cap I n XIV a me relatam. Alter Sacrorum Librorum eorundem eſt *Triodion* continens *officium Canonicum Quadrageſimale* a Dominica *Phariſaei, et Publicani* uſque ad Dominicam *Palmarum*, quo Fideles ad poenitentiam diſponere intendere Eccleſiam. non niſi officiaturae Graecae prorſus ignarus ignorat Sic igitur *Triodion* Dominica Filii, prodigi oda 1: (vertente ex vulgari ſuo idiomate ſequentes orationes pra laud. viro Religioſiſſimo:) JESU recipe me poenitentem: *ſicut Filium prodigum*, qui totam vitam meam in acedia tranſegi, et Te offendi: male prodegi Divinas divitias abs te mihi datas, elongatus ſum a te fornicarie vivendo. *miſericors Pater* recipe me! oda 5 ibi: In coelum aſpicere non audeo, quoniam nimiopere *offendi te Chriſte!* verum ſciens miſericordiam tuam ob benigne! clamo ad te: miſerere mei, et ſalva me! Hebdomada 1 Quadrages Fer 2: Per jejunium *ad amandum Deum* evolantes a voluptat- paſſionum converſi oremus Deum Noſtrum Crucifixum, ut nobis - - - *perfectam poenitentiam* tribuat. Hebdom 2 Fer 2: Domine qui corpore Cruci affixus tecum una affixiſti noſtrum veterem hominem - - ac lancea perfoſſus una perfodiſti ſerpentem hominum perditorem! *transfige timore tuo carnem meam, et* AMORE TUI *ſaucia animam meam:* ut contemplatus paſſionem tuam cum refraenatione menſuram jejunii ſervem, non ſolum ventrem, ſed etiam alias peccati irruptiones cohibendo tibi immolem cordis, et animae ſubmiſſionem ob delicta mea: a quibus ſalva me hominum amator. Hebdom. 2 Fer 2: Armata virtutibus Chriſti, fide, ſpe, CHARITATE exi anima! occiſura paſſiones alienigenas, ſicut admirabilis Gedeon cum trecentis occidit Centem Madianitarum. Fer 5: Verbum quod in Cruce expanſum es colligendo a te longe diſperſa, elevando menſem meam e ſtercore paſſionum, omnigenis eam bonis dita: tribuendo cordi meo

caſtiſſi-

3 *Sacrorum Librorum ſuorum.*

Qui ſunt Euchologium:

Triodion.

caſtiſſimum timorem, et animae meae *perfectam charitatem*, quae *ab amore carnali avellit*; ut placeam tibi. Hebdom 4 Fer 2: Curſu jejunii 40 dierum ad medium pertingente, eja! vadamus *cum charitate* una cum Chriſto ad Divinam paſſionem, ut una cum ipſo Crucifixi reſurrectionis ejus participes efficiamur. Hebdom 5 Fer 3: Elevemus ſicut quibusdam aliis animos indeſinentibus precibus, continentia, et contemplatione ad *charitatem Divinam*.„ atque ut alia ſimilia, quibus plenus eſt Liber officii Quadrageſimalis, miſſa faciam, Fer 4. Maj. Habd: Plus Meretrice, o Bone Jeſu! iniquitatis patrans pluvias lacrimarum tibi prorſus non obtuli: in ſilentio autem - - ſuplex procido coram Te! oſculando *cum amore* puriſſimos pedes tuos, ut tanquam Dominator veniam tribuas delictorum mihi clamanti: Salvator! a faeditate operum meorum ſalme.„ En qua ratione, quibusque mediis praeparet hodierna Graeca Eccleſia Fideles ſuos ad poenitentiam! Exemplo *Filii prodigi*, *et Peccatricis* eos ad *charitatem* urgendo, qua a male amatis creaturis corda poenitentium avellantur, atque ad Deum convertantur. Sane ſi juxtam receptam illam S Caeleſtini Papae ad Epiſcopus Galliae ſententiam, *Legem credendi ſtatuit Lex orandi*, nulli dubium eſſe poteſt, univerſam Graeciam Catholicam aeque, ac Schiſmaticam junctis ſtudiis pro *charitatis* Sacramentalis neceſſitate depugnare.

Horologium. Ex tertio Sacro Libro hodiernorum Graecorum, quem illi *Horologium*, nos *Breviarium* appellamus, congerit etiam laudatus Theologus Graecus orationes S Baſilii Magni, et Metaphraſtis ante Communionem *Charitatis poenitentialis* teſtes. Sed ne ab attritioniſtis ad poenitentiam extra Sacramentalem trahantur, brevitatis etiam ſtudio praetereo.

4 Ratione. XI. Quartum argumentum conficit hoc dilemmate: Graeci ſiſtema attritionis ſervilis non adoptarunt *ante*, neque *poſt Schiſma* factum. Novitia enim haec opinio poſt Conc. Tridentinum nata (confer nos cap VI) longe recentior eſt *Schiſmate* Graecorum a Saeculo XI per Michaëlem Cerularium poſtremum invecto, conſtanterque perſeverante. Ex quo nihil Graecis familiarius, antiquiuſque eſt, quam gloriari, *ſe a Latinis nihil accepiſſe*, neque accipere velle, ſed Majorum ſuorum veſtigia premere. Contra vero Latinis ſtudium *novitatis*, novarumque in Theologia ſententiarum pruriginem (ſubinde infundate, hac quidem in quaeſtione non aeque) objectare. Quod quidem uſque adeo verum eſſe aſſerit, ut niſi inter Schiſmaticos Orientales ſub Turcica tyrannide craſſa ignorantia antiquae eruditionis loco regnaret, tota profecto Graecia *attritioniſtarum* ſiſtema impugnaret, Latinoſque *invectae in rem Sacramentariam novitatis*, *adulteratae*que *verae materiae Sacramenti poenitentiae* argueret. Quin et a ſciolis eorum hodiernis (ſi ſcirent dari inter nos novitiae hujus opinionis Patronos) idipſum indubie factum iri tanto majori quidem offenſione, quanto minus ſciunt, aut ſcire volunt illi diſtingvere inter *privatorum* Scholaſticorum *inventum*, ac univerſae *Eccleſiae* Latinae *doctrinam*. Haec ille. Ex quibus una elucet, quam neceſſarium ſit ad ſupprimendum heſternum hoc privatorum commentum incumbere, ne illud Graecis in Sancta ſua ſimplicitate Evangelica, Majorum dico ſuorum *traditione in hoc laudabili* perſeverantibus ſcandalo ſit.

5 Praxi ſuorum. XII. Quinto demum teſtatur Vir doctiſſimus, in hac Dioeceſi Fogaraſienſi omnes Confeſſarios Graeco-Unitos in poenitente dolorem *ex amore Dei* ſaltem *initiali* prognatum ita requirere, ut arbitrentur, ſine tali ſaltem amore gratiam Sacramentalem minime conferri:

ferri: imo praxim illorum eam esse, ut nisi poenitens asserat, se ob *laesam bonitatem Dei*, et *amorem Ejus* vere dolere, absolutio denegetur. Ait porro, notos tibi esse extra Transylvaniam Theologos quosdam Graeco-Catholicos *Jervilistas*, qui tamen doctrinam hanc nequaquam e Graecis Auctoribus hauserunt, qui de illa ne somniarunt quidem; verum ex praejudiciis nuperni aevi Scholarum Latinarum; quae illi *deponere* sive *nequeunt* ob imbecillitatem ingenii, ex qua veritati investigandae pares non sunt: sive *nolunt*, quia aut piget eos solidi laboris, aut glorioſum sibi ducunt jurare in verba Magistri, male male olim in Scholis hauſtas ſententias, contemptis ſaniorum conſiliis, quos velut prae ſe minus d ctos ſuperbiendo deſpiciunt, mordicus defendunt. de quibus apte dixeris illud, quod olim Principi Armenorum alia in materia egregie reſpondit Nicaetas Bizantius *apud Leonem Allatium de purgat n* 3:„ Qui veſtrae ſunt ſententiae, ſi ad eos, qui noſtrae ſunt, comparentur, minimam, atque infimam partem occupare comperientur. quare indecore agis, cum ais, nos ex veſtra ſententia auſugiſſe: quin, ut potius verum dicam, vos a nobis diſceſſiſtis.„

Hactenus ſuccus eruditae Epiſtolae laudati doctiſſimi Graeci Theologi: quam totam ad verbum hiſce inſerui ſem, niſi modeſtia vetuiſſet ob profuſam ejus in me officioſitatem. Confiteor vero gratiſſimo animo, me lecta ejus opella circa potiſſimum Eccleſiae Graecae diſciplinam plurimum eruditum ſuiſſe. Illum opus ſuum vernacula edendum *de re Sacramentaria* apud Contribules ſuos faciet immortalem.

XIII. Ex quibus elucet, totam Graeciam Schiſmaticam aeque, ac Unito-Catholicam (ſi ex his ſciolos attritioniſtarum diſcipulos Graecae eruditionis merito contemnendos deſertores exceperis) charitatis Sacramentalis Aſſertores eſſe. Qua in re adorare ſane oportet Divinam providentiam, quae Graecos partium potiſſimum magis Orientalium (quibus noſtros quoque Schiſmaticos majori parte tuto adjunxeris) barbariei, rubicitate, ignorantia, multiplicique circa alia fidei miſteria errore horridos circa Sacramentum poenitentiae, ejuſque potiſſimum materiam proximam, dolorem charitate formatum in *Patrum* ſuorum *traditione* illibate conſervavit. *Igitur tota Graecia noſtra eſt.*

XIV. Quos ſi *Latinis* charitatis Sacramentalis vindicibus, Sanctorumque Patrum Diſcipulis hactenus a nobis laudatis adjunxeris, confectum habebis filum traditionis Divinae de neceſſitate charitatis ad Sacramentum poenitentiae per aetates Ante-Tridentinam, ſub-Tridentinam, et Poſt-Tridentinam uſque ad haec noſtra tempora. Proinde formidandum nuper exercitum formidoloſorum attritioniſtarum, *ob auctum ſibi conſentientium numerum moralem* opinioni ſuae *certitudinem* praetendentium, non formidabis, quin contemnes. neque enim *in veritatibus revelatis*, qualis eſt materia Sacramenti poenitentiae a Chriſto inſtituta, certitudo moralis pendet a *multitudine Auctorum ſibi conſentientium*; verum a fide *Patrum*, *eorumque diſcipulorum* de revelatione, et traditione conteſtantium. Quam in rem praeclara eſt doctrina immortalis Epiſcopi Vaſionenſis Tract I c VI q IV ita definientis„ Debemus ſemper praeferre Doctores *paucos multis* aliis, ſi priores illi opiniones, quas proferunt, confirment auctoritate Patrum, et Conciliorum.„ Idque confirmat auctoritate Conc. Conſtantienſis a nobis cap I n XLI relati; Ubi omnes aliae auctoritates congeſtae evincunt Patrum *dogmaticas traditiones* nulli mortalium tranſgredi fas eſſe. Atqui *has* pro nobis, ac laudatis per nos hoc cap auctoribus *Erpo moralis certitudo contrariae ſententiae corruit.*

bus evidenter ſtare, indubium fore ſperamus conferenti auctores hic cap V VI VII citatos cum SS Patribus, eorumque diſcipulis cap I laudatis. Locum proinde iſtic plane habet illud Auguſtini Libr de Cath rudib c 23: „Si videris multos non ſolum hoc facere, ſed etiam defendere, atque ſvadere, tene te ad *Legem Dei*, et non ſequeris *praevaricatores ejus*: non enim ſecundum *illorum* ſenſum, ſed ſecundum *illius veritatem* judicaberis.„ Longe terribilius eſt, quod S Gregorius VII auctoritate Tertuliani munitus aſſerit Libr. 3 Epiſt :„ Si quis doctrinas ſive ad fidei certitudinem adſtruendam, ſive ad morum rectitudinem inſtituendam, praeter Apoſtolicas ad nos continua ſucceſſione propagatas, diſſeminari videat, obſiſtat, dimicet pro divina traditione, ut pro aris, et focis, dicatque cum Tertuliano: Hae ſunt doctrinae Daemoniorum prurientibus auribus natae de ingenio ſapientiae Saecularis, quam Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi in confuſionem Philoſophiae ipſius elegit.„ Haec S Gregorius VII ex Tertuliano apud Patuzium Libr. prodromo c VI. Ex quibus diſcimus ſequentia

XV. COROLLARIA. I. Quam provide, ſapienterque definiverit Ampliſſimus Clerus Gallicanus cap I ad n II relatus: *in rebus fidei, et morum Theologos etiam modernos audiendos eſſe, ſi tamen conſonas SS Patribus tradant doctrinas: ſi ab eis recedant, nulla eis tribuatur auctoritas.* Quod maxime locum habet in materia, quam verſamus: Nam attritioniſtas a SS Patrum doctrina palam receſſiſſe, manifeſtiſſime hactenus demonſtratum eſt, potiſſimum cap VI.

Scholaſticorum auctoritas tantum probat, quantum rationes eorum.

Diſcimus II: Nullius momenti eſſe in Theologia hanc philoſophandi rationem: ita *multi, communiter, communius, communiſſime, plurimi*, imo ut ex Lugone vidimus, *omnes Scholaſtici.* Sive quod idem eſt: Doctorum privatorum ut ut innumerabilium *extrinſecam* auctoritatem non plus valere, quam *rationes intrinſecae*, quas adferunt, metreantur. Id demonſtrat Vaſionenſis loc. cit ad oculum exemplo plurimarum opinionum a Summis Pontificibus Alexandro VII, VIII, Innocentio XI, XII, et aliis damnatarum, *licet eas* TURBA *novorum caſuiſtarum teneret, et magnum talium Auctorum numerum id ſolum effeciſſe, ut Sancta Sedes videret neceſſario publice damnandas eſſe opiniones adeo pernitioſas, quae a tam multis ſcriptoribus magno animarum periculo aſſerebantur.* Docet proinde, Caſuiſtarum *ſe ſe mutuo exſcribentium* auctoritatem ne unius quidem *S Patris* auctoritati praeferri poſſe. Quin cap I ibi pro vaſtiſſima ſua eruditione illuſtribus auctoritatibus congeſtis demonſtrat 1: In quaeſtionibus fidei, et morum duas eſſe regulas: *Scripturam*, et *traditionem* in SS Patribus, et Conciliis contentam. 2: Nullam eſſe quaeſtionem *fidei*, et *morum*, quae ex *illis fontibus* ſive *clare*, ſive *per Legitimas*, et *nullo modo violentas* illationes erui nequeat. Id quod operis ſui vere aurei exemplo demonſtrat, utpote qui omnes ſuas quaeſtiones *ex illis fontibus* pulcherrime reſolvit. (*a*) 3: Moralis

(*a*) Ex his evaneſcit multorum frivola excuſatio, qui neglectis his Sacris fontibus ſe totos Caſuiſtis mediae aetatis legendis tradunt: quia, inquiunt, ſcriptura, Canones, et PP non continent *reſolutiones quotidianorum caſuum*, ad quos ſolvendos *ſolido practico* opus eſſe praetendunt. At enim 1: aeterna veritas non ad *ſolidos Practicos*, ſed *ad ſcripturam* nos relegat dicens Math 22: *Erratis neſcientes ſcripturas.* Ita et Joan 6. ſed et Paulus aſſiduam Sacrarum Litterarum lectionem inculcat ad Rom 15: *Quaecunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, et* CONSOLATIONEM SCRIPTURARUM *ſpem habeamus.* 2: SS PP non alios habuerunt *ſolidos Practicos*, quam *ſcripturam*, et *paucos* tunc Eccleſiae *Canones.* Si igitur illi *ex his* poterant omnes conſcientiae *caſus* reſolvere, cur

Qui libri legendi.

ralis Theologiae corruptae cauſſam praecipuam exſtitiſſe eam temeritatem, qua multi neglectis *dictis fontibus veritatis*, quaeſtiones difficillimas *e proprio cerebro* decidere auſi fuerunt. Cujus audaciae exemplum nunquam ſatis deplorandam habes hic cap VI in *attritioniſmi*

---

nos nequeamus ex longe *hodie pluribus*? 3: Atque hanc reipſa fuiſſe ſaeculis XI *SS PP Theologiam* teſtatur Morinus L 1 de poenit cap 5 nempe: quae actio peccatum eſſet, et quantum? cognoſcebant lectione ſcripturae, Canonum, et PP ex *appoſita poena*, et medicamine: in caſibus vero *dubiis ſecuriorem partem ſemper* eſſe *eligendam* inculcabant. En compendioſiſſimam viam ad *ſcientiam Sanctorum* perveniendi! Et profecto 4: Ex ſolis *Generalibus principiis ſcripturae* infinitos caſus tute reſolves, modo profunda cum humilitate, ſerventibus precibus Divino lumine implorato, abjectis praejudiciis in Scholis male hauſtis, ſola Dei gloria, et animae ſalute prae oculis habita mediteris illa, et hujuſmodi Divina oracula: *Qui amat periculum, peribit in illo. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum. Ab omni ſpecie mala abſtinete. Intrate per anguſtam portam; arcta via eſt, quae ducit ad vitam, et pauci ſunt, qui inveniunt eam. Sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus et imaginem Caeleſtis. Quos praeſcivit, et praedeſtinavit CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SUI. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam Crucifixerunt cum vitiis, et concupiſcentiis ſuis. Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, et ſequatur me. Si hominibus placerem, Chriſti Servus non eſſem. Omnes, qui pie volunt vivere - - perſecutionem patientur.* In his, et ſimilibus Theorematibus Divinis conſiſtit *eſſentia vitae Chriſtianae, Spiritus Evangelii, Similitudo Chriſti*, et *perfectio* Chriſtiani hominis omnibus praecepta illis verbis: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter coeleſtis perfectus eſt.* Vis ſpecimen hujus Divinae Theologiae? Audi Apoſtolum ad Rom 13: *Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum Teſtimonium dices, non concupiſces, et ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur*, omnia ex hoc deducuntur: *diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Si igitur Chriſtiani Sacerdotes ſolum magnum mandatum charitatis ſerio coram Deo meditarentur, facile intelligerent, an haec, illaque actio cum Dei, et proximi amore componi poſſit? Si illa prae oculis aſſidue haberent: *empti eſtis precio magno, glorificate Deum in corpore veſtro: omnia in gloriam Dei facite*, indubie concluderent, *virtuali continua charitate* vicem nobis reddendam eſſe immenſae illi charitati, qua amantiſſimus Servator totum ſe nobis impendit. Si illa: *qui non diligit, manet in morte: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* etc. non negligerent; *charitatem Sacramentalem* toris lacertis populo praedicarent. Et videntes in hujusmodi quaeſtionibus multos media aetate ab *antiquis* receſſiſſe, ſaltem dubitando *ſecuriorem partem* eligerent.

Primorum Saeculorum Theologia breeviſſima.

Ex ſcriptura infinita decidi poſſunt.

Quid igitur? an omnes Caſuiſtas abjiciendos putamus? abſit. Jam audivimus a Clero Gallicano, eos legi poſſe, qui *conſonas Patribus tradunt doctrinas*. Tales erant poſt inventam Saeculo XII Theologiam Scholaſticam Doctores per nos cap 1. et ſeqq laudati, et qui poſt inventum attritioniſmum, et probabiliſmum Veterum illorum doctrinae inſtiterunt, inſiſtuntque hodiedum; qui propterea *SS PP Diſcipuli* nuncupari merentur, et inoffenſo pede legi poſſunt velut *Sacrorum fontium compendia*. Attamen dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquae. Quis non amaris deploret lacrimis eorum ſocordiam? qui ſcripturam vix, niſi in Breviario, et Sacro legunt: Tridentinum Concilium, et Catechiſmum ejus, binas illas Iliades SS Patrum, et Conciliorum, nec habent: opera vero Patrum nec a limine unquam ſalutarunt. Dum interim tempus negotiis ſaecularibus, reditibus augendis, Litibus dirimendis, curis domeſticis ſuperfluum impendunt inutilibus quaeſtionibus ſpeculativis, diſputationibus, quas luxuriantia ingenia invexerunt, concionibus aures titilantibus, ſelectis cogitationibus, Gallicis partitionibus ornatis quas audiendo populus melior, ſanctiorve non fit, imo penes illas propter ignorantiam neceſſariorum pene aeternum poteſt. De quibus merito dixit Auguſtinus ſerm 143: *Sunt iſta, Fratres mei! magna magnorum deliramenta.* Et Epiſt 119: *Sed hoc doleo, quia multa, quae in Divinis Libris ſaluberrime praecepta ſunt, minus curantur, et tam multis praeſumptionibus plena ſunt omnia. Ideo* palam pronunciat: *omnia talia, quae neque ſcripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine Eccleſiae robovata ſunt, - - ſine dubitatione reſecanda exiſtimo.* Ex adverſo quibus, et quomodo vacandum, quae aſſiduo meditanda ſint, ſic ſuo exemplo docet: *Spem in nomine Chriſti non infructuoſam gero, quia non ſolum credidi Deo meo in illis duobus praeceptis* Charitatis Dei, et proximi, TOTAM LEGEM, *Prophetaſque pendere; ſed etiam expertus ſum, experiorque quotidie. Quandoquidem nullum mihi Sacramentum, aut aliquis ſermo - - obſcurior de Sacris Literis aperitur, ubi non eadem praecepta reperiam.* FINIS PRAE-

Qui PP diſcipuli?

Qui ad charitatem manducunt.

tionismi Inventoribus. De quibus verissime dixeris illud D Antonini p 2 tit cap 5: *Vadunt - - novitatum Rectores adinvemendo novas vias ultra consvetas - - ut laudentur - - tanquam SAPIENTIORES ANTIQUIS recedendo sine causa a semitis eorum contra illud* prov 22: ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. *Vadunt - - qui non sequuntur DICTA SANCTORUM, SED OPINIONES NOVAS, SUBTILES,* et *CURIOSAS ad pruriendum auribus.* Et Sancti Bernardi Epist. 174. *Nunquid Patribus doctiores sumus, aut devotiores? periculose praesumimus, quidquid in talibus ipsorum prudentia praeteriit: Nec vero id tale est, quod nisi praetereundum fuerit, Patrum quiverit diligentiam praeteriisse.* Confer cap I n XIII Gersonem: et miraberis Parentum attritionis temeritatem; utpote qui quod nemo ante eos ausus fuerat, illi nulla fulti scripturae, Patrum, aut Conciliorum auctoritate, sed futilissima, vanissima, ac merito contemnenda ratione cap hic VI n XLII refutata ducti *servile sistema* introduxerunt. Eorum vero discipuli *ob auctum sibi consentientium numerorum* moraliter *certum illud* proclamaverunt. Et quo obsecro jure? unde data auctoritate? nam ut Vasionensis demonstrare pergit 4: Ipsi SS Patres, veri *Doctores Ecclesiae*, quos nempe *haec* propter doctrinae integritatem, antiquitatem, et Sanctitatem fidelibus sequendos proposuit, omnem suam auctoritatem in eo collocant, quod antiquiores se Patres sequantur, nec quidquam e suo sensu nobis obtrudant. Cujus jam plura nos dedimus testimonia, potissimum cap I n XLI.

XVI.

CEPTI EST CHARITAS *de puro corde, et conscientia bona, et fide non ficta; et plenitudo Legis est charitas. Itaque et tu Christiane! sive ista, sive alia sic lege, sic discе, ut memineris, verissime dictum;* Scientia inflat, charitas aedificat. *Charitas autem non aemulatur, non inflat. Sic itaque adhibeatur scientia, tanquam machinaquaedam, per* QUAM STRUCTURA CHARITATIS ASSURGAT: *quae manet in aeternum etiam cum scientia destruetur.*

Charitas culmen perfectionis.

En quam necessario tantis charitatem urgeamus! quia plenitudo est *Legis*, ac *finis* omnium praeceptorum, virtutum, et *scientiarum.* Disputavimus olim satis: jam legamus scripturas Sacras, ac potissimum Evangelium, ut *discamus et ipsi, et alios doceamus* SANCTE VIVERE. In Evangelio inveniemus, ne dum *viam* ad *culmen perfectionis* perveniendi *ope* charitatis, ut vidimus: sed et hauriemus *similitudinem Christi*, et *virtutum* omnium *fundamentum humilitatem*, dicente Domino: *Discite a me, quia mitis sum, et* HUMILIS *corde.* Meditare ex Breviar. Homiliam in festo S Mathiae Ap. Sed et Angelicus 2 2 q 161 a 6 ad 2 omnium SS Patrum ore declarat, sublime, excelsumque aedificium spirituale, quod Deus Incarnatus excitavit, potissimum *humilitate, ut fundamento*, et *charitate, ut forma* constaret; quae *duo* universo aedificio valorem, pulchritudinem, et firmitatem praebendo, omnes fabricae partes mirabili faedere constringunt, consolidantque. Et tamen hausto a primis Parentibus haereditario morbo *superbiae* ita inquinati, et vulnerati sumus, ita nutrimus morbum nostrum tumidi, inflati, supercilioси. ac si Dei Filius *humilitatem non pro nobis* verbo, et exemplo docuisset: ac si non exinaniviset semetipsum formam servi accipiens, et peccatoris, ut nos ad tantae virtutis studium, et exercitium induceret. Unde tanta corruptio? quia nulla in nobis charitas. Teste enim Apostolo: *charitas patiens est, benigna est, non aemulatur, non inflatur, non est ambitiosa, omnia suffert, omnia sustinet.* Ergo et superbiae, et omnis aetatis nostrae corruptelae Pharmacum charitas est. confer cap V n XL, et ibi n LIX monitum P Elizalde.

Humilitas, fundamentum.

Si quis defectum operum SS PP his opponeret, tot nos eorum discipulos, veros Theologos, et Moralistas hactenus laudavimus, ut quisque ex iis sciendi sitim, famemque cum charitatis incremento explere cumulatissime posse videatur. Ex quibus unum saltem *Vasionensem*, utpote auream verae scientiae, et sacrae antiquitatis *iliadem* ab Innocentio XII laxitatibus medii aevi oppositam omnium manibus teri ardentissime desiderarem. Si mediorum defectus obtendatur, omnium manibus teritur Antoine Moralis, in quo perfectum *Practicum* habiturus est, quis quis principia hoc opusculo tradita ei conjunxerit. *non* enim *judicavi me aliud scire*, aut discere, quam JESU CHRISTI Sacramentalem, et virtutem charitatem!

XVI. Deinde quis Scholaſticos nominales e ſuo cerebro argumentantes, ſillogizantes, dennientes (ut in Cano vidimus cap VI) quis, inquam, hos conſtituit Eccleſiae Doctores contra normam totius antiquitatis? nam ut porro laudatus Praeſul inſtruit, in Eccleſia particularium Dioeceſium *Doctores*, et *Theologi* ſunt Jure Divino ipſi Epiſcopi teſtante Principe Apoſtolorum: *Paſcite, qui in Vobis eſt, gregem Domini.* Hoc nempe eſt *paſcere* ſalutiferis doctrinis, caſus dubios, et quaeſtiones difficiles circa fidem, et mores decidere. Atque hinc nata eſt obligatio *omnibus Sacerdotibus ad Synodum Dioeceſanam* conveniendi: ut refert Concil Arelatenſe a 813 Can 4, *a SS Patribus inſtitutum* eſſe, ut *quando Presbyteri ad Concilium venerint, rationem Epiſcopo reddant, qualiter ſuſceptum officium celebrent.* Et ibidem reſolutionem accipiebant caſuum, et dubiorum, quae in illorum Parochiis accidebant. Quod ſi quaeſtio majoris ponderis eſſet, *Concilio Provinciali* reſervabatur. Hinc Can 37 Apoſt. Conc Nicaenum relatum in Can *Habeatur* Diſt 18. Conc Antioch Can 10. Arvernenſe Can I, et innumera alia jubent *Epiſcoporum Conventus bis in Anno fieri, UT INTER SE DOGMATA RELIGIONIS INQUIRANT, ET INCIDENTES ECCLESIASTICAS CONTROVERSIAS DISPONANT.* Cujus modum exhibet Conc Troſlejanum a 599 in principio: *Nicaenum*, inquiens, *ſtatuit Concilium, ut ab omnibus ſimul Epiſcopis Provinciae congregatis diſcutiantur quaeſtiones neceſſariae, et quod regulariter omnibus placuerit in commune, hoc omnes tam Metropolitani, quam caeteri ſequantur Epiſcopi: ita tamen, ut INOMNIBUS QUID ANTIQUA HABEAT AUCTORITAS? requiratur.* Imo nec ſic ſatis firmo ſe pede in *dubiis* conſiſtere putabat antiquitas: verum in cauſis arduis, et difficilioribus Summus in terris Chriſti Vicarius conſulebatur, qui ejuſmodi quaeſtiones aut per ſeipſum, aut in Concilio a ſe convocato, ſaepius in Oecumenicis finiebat. Potior Juris Canonici pars conſiſtit ex hujuſmodi deciſionibus, quibus quaeſtiones fidei, et morum Synodi Provinciales, Generales, aut Summi Pontifices definiverunt, ubique *Sanctorum Patrum traditione velut norma, et regula eis* praelucente. Audiamus Concilium Genera e Conſtantinopolitanum IV act 10 edicens: ut *rectam, regiamque Divinae juſtitiae viam ſine erroris offenſa teneamus, SANCTORUM PATRUM Decreta, velut inexſtinctae quaedam, ſemperque lucentes faces ſequenda ſunt.* Plura vidimus cap I n XLI.

Modus in Eccleſia decidendi dubia.

In Conciliis.

XVII. En veros in Eccleſia Dei Doctores! Epiſcopos, Sinodos Dioeceſanas, Provinciales, Generales, et Summos Chriſti Vicarios! En modum quaerendae, et inveniendae veritatis! Doctrinam Sanctorum Patrum ut teſtem Divinae, et Eccleſiae traditionis. Ex quibus palem ſequitur 1. Theologis quoque Scholaſticis hoc unicum competere, ut verum Scripturae ſenſum, veramque traditionem Divinam, et Eccleſiaſticam circa quaeſtiones controverſas in Sanctis Patribus, Conciliorum, et Romanorum Pontificum Decretis inquirant, argumentis ex ſacris illis fontibus petitis in clara luce conſtituant. Sequitur 2. eos Theologos, et caſuiſtas, qui praemiſſa media inquirendae veritatis negligentes attritionis formidoloſae ſiſtema ſive invexerunt, ſive *ſuorum multitudine audaciores facti* ſub Alexandro VII opinionem ſuam inter Scholaſticos *communiorem* proclamarunt, ex hoc capite, *ſua* inquam *extrinſeca auctoritate, et numero ita ſentientium* ne dum *moralem certitudinem*, ſed nec *probabilitatem* feciſſe, niſi ſolam *extrinſecam*, et *praeſumptam* quandam in eo conſiſtentem, quod praeſumatur, Viros caetera doctos (quales attritioniſtae illi erant) ſine gravi ratione nihil novi tentaſſe, nec a prioribus inductum defendiſſe. Quae quidem generalis, ſpeculativa, et extrinſeca praeſumptio facit,

Qui in Eccleſia Doctores.

Officium Scholaſticorum.

ut attritioniſtae, jubente etiam Alexandro VII, cenſuris privatis proſcindi nequeant. At cum *praeſumptio et altera praeſumptione vinci ſoleat, et cedere debeat veritati*, illa de praxi attritionis neminem ſecurum reddere poteſt, poſteaquam nos charitatis Sacramentalis neceſſitatem *traditione Patrum ante, ſub,* et *poſt-Tridentinorum* innegabiliter, et inelactabiliter evicimus. Sancti enim Patres, eorumque diſcipuli certiſſimam in hoc habent *praeſumptionem*, imo ab initio inſtituti Sacramenti poenit in Eccleſia cuſtoditam, ac per omnia Saecula ad nos uſque deductam *poſſeſſionem* veritatis. Quorum auctoritate omnes ſubtilitates, et argutiae attritioniſtarum confringuntur, ut merito uſurpare videar illud Auguſtini *Libr. 7 contra Julianum: Facturum me promiſi, ut Catholicorum, qui fuerunt ante nos, Epiſcoporum ſententiis Vitreas tuas argutias, et fragilia, quibus tibi multum videris acutus, et nitidus, argumenta confringam.* Quae Auguſtini ſententia tanto fortius urget attritioniſtarum moralem certitudinem, quia *intrinſeca* quoque eorum argumenta, nempe fiduciam, quam in Decretis Conc Tridentini collocant, et rationem Cani, propter quam communem Eccleſiae ſententiam primus negare auſus eſt, nonniſi vitreas argutias eſſe, jam in ſuperioribus cap demonſtratum dedimus. Unde etiam concludere licet, nec alias eorum rationes eſſe ſolidiores, ut ſparſim vidimus.

Obſervatio practica.

XVIII. Tu interim Lector! ſerio recogites, oro, hic controverſiam eſſe *de materia proxima, et NECESSARIA Sacramenti poenitentiae.* Si falſa ſit opinio attritioniſtarum (ut hactenus laudati ſummi, et plurimi Doctores maximis ex rationibus aſſerunt) contremiſco dicere! *Sacramentum poenitentiae nullum fore defectu materiae, ſufficientis doloris.* Si *nullum* eſt cum *ſervili attritione Sacramentum*, actum eſt de aeterna plurimorum fidelium *cum illa* ad id accedentium ſalute! non in hoc diſcrimine caſuiſtarum multitudo, non probabiliſmi artificium, non ignorantia neceſſariae materiae medicinam nullitati Sacramenti praeſtare valet. Quia Sacramentum non niſi cum debita a Chriſto materia ſua perficitur. cap VI n XLII. Quaeſivimus hactenus moralem certitudinem opinionis ſervilis in SS Patribus, in Doctoribus antiquis, in Concilio Tridentino, in multitudine ſuorum, et non invenimus. Unde ergo habent adverſarii jactatam ſuam certitudinem? ſi ad rationes Theologicas confugiant, quid eſt ſive in miſteriis fidei tam abſconditum? ſive in arcanis Sacrarum Literarum tam profundum? ſive in ſpeculationibus Theologicis tam ſubtile, quod Sanctiſſimi Eccleſiae Patres, illuſtria illa Theologorum Luminaria ante, ſub, et poſt Tridentina, quae ſententiam Sacramentalis charitatis per omnes aetates ad nos tranſmiſerunt, ignoraſſent, e tenebris non eruiſſent, in lucem non protraxiſſent? quocunque igitur vertant ſeſe attritioniſtae, in plena quoque luce opinionis ſuae ſub Alexandro VII ultra probabilitatem non proficient, atque adeo in praxi Sacramentali neceſſario tutiorem noſtram doctrinam ſequi obſtringuntur juxta declarationem Innocentii XI propoſitione 1. de qua ſuo loco copioſius. Interim

XIX. Maneamus adhuc pauxillulum cum Graecis: et poſteaquam ab illis charitatem Sacramentalem didicimus, diſcamus etiam *facere dignos fructus paenitentiae.* qui ex charitate Sacramentali ita ſequuntur, ſicut ex pulcherrimis floribus fructus dulces gutturi Dei.

Hodiernum adminiſtrandi Sacramenti poenit ordinem, et diſciplinam Rmus D Tompa l c de poenit cap IV ex Goario ſequentibus enarrat: *Patres Spirituales ſedentes, poenitentes pariter ſedentes pro exomologeſi audiunt* (quod et in Latina Eccleſia olim uſuveniſſe notat, quin et Communionem Lajcos ſtantes reverenter accipere Balaſfalvae

salvae ipse vidi) *Si leves poenitentis culpas deprehenderint, nullam adhibent solutionem, sed de pio, devotoque quodam opere exercendo monitum remittunt* (confer Tridentini sess. 14 cap 5) *Si lethifera crimina detegunt, illa in nomo Canone juxta se posito examinant, censurarumque districtione, prout legunt, cuncta subjiciunt, mox poenitenti bene precantur. Peccata tandem cuncta κανονίζειν Kanonisusi: idest: ad Canonum rigorem examinata poenis in eis perlectis castigant, emendant. propterea poenitentiam impositam ut Canonibus praescriptam solent ipsi κανονα Kanona vocitare.* Subjungit ex Goario ibidem: *Tametsi poenitentia publica nulli jam imponatur, aliqui tamen per unum, vel etiam plures annos a Sacra communione arcentur (id unum omni studio caventes ne Divinum epulum indigno praebeatur.) ut autem noverit poenitens, condignam sceleri suo poenitentiam imponi, praecipitur in Libello poenitentiali, quem Morinus ex Ms S Card Larberini ad calcem tract de poenit edidit; ut postquam Sacerdos eum minutatim de peccatis interrogavit, in tabellis, sive in Libro suo requirat, quale sit ejus peccatum? tum Librum poenitenti exhibeat, ut videat qualis peccato poenitentia imponitur. Si Clericus ad confessionem accedat, ante omnia polliceri debet, se ab officio cessaturum, si deprehensus fuerit, eiusmodi crimen admisisse, quod Canones suspensione, vel depositione castigant.* Confer Morinum Lib 6 c 23. Haec Unus Tompa ex bonis fontibus. Videri potest et Philippus de Carbonesano in Append. ad P Antoine Tract de poenit.

Rigor hodiernae Graecae Ecclesiae.

XX. Evincunt haec manifeste, in Ecclesia Graeca Sacramentum poenitentiae hodiedum *longe majori cum rigore* prae occidentali Ecclesia Latina florere. Habent sane in praemissis, quod meditentur ex nobis illi Confessarii, qui pro pluribus mortalibus quinque Pater, aut ad summum Coronam Marianam satisfactionis loco imponunt! ac ne plus justo ab illis exigere videar, meditemur salutarem Sacro Sancti Concilii Tridentini de *de satisfactione* sess 14 cap 8 editam doctrinam: *Divinae*, inquit, *justitiae ratio exigere videtur, ut aliter in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerunt: aliter vero, qui semel a peccati, et Daemonis servitute liberati scienter Templum Domini violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidarunt, et Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, velut injuriosi, et contumelioси Spiritui Sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fraeno quodam coercent hae satisfactoriae poenae, cautioresque, et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt. Medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Deo poenam, quam ut haec poenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu conformes efficiamur, certissimam inde arham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur - - facientes fructus dignos poenitentiae. Debent ergo Sacerdotes, quantum Spiritus, et prudentia suggesserit, PRO QUALITATE CRIMINUM, et POENITENTIUM FACULTATE salutares, et convenientes satisfactiones injungere: ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant* LEVISSIMA QUAEDAM OPERA *pro* GRAVISSIMIS DELICTIS INJUNGENDO, *alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant prae oculis, ut satisfactio non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam, et castigationem.* Et cap IX supponit satisfactionem *Sacerdotis arbitrio pro* MENSURA DILECTI *impositam esse.*

Confundit facilitatem quorumdam Confessariorum nostrorum.

Quales debent imponi poenitentibus satisfactiones?

XXI Meditemur coram Deo singula commata Sacro Sanctorum horum Decretorum Concilii Generalis: an hodiernae satisfactiones

ones a Confeſſariis hujus aetatis impoſitae ſint hujuſmodi? An juſtitiae Divinae ſatisfaciant? An magnopere a peccato revocent? An poenitentes cautiores reddant? An medeantur peccatorum reliquiis? An vitioſos habitus tollant? An amoveant imminentes a Deo pro peccatis noſtris poenas? An nos Chriſto Jeſu in paſſione conformes reddant? An qualitati criminum, et poenitentium facultati ſint convenientes? An medicinales ſimul, et vindicativae? delictis commenſuratae? Niſi has dotes habeant ſatisfactiones a nobis pro gravioribus peccatis impoſitae, intonante Tridno, *peccatis* poenitentium *connivemus*, eorumque criminum propter leviſſima opera injuncta *participes efficimur!*

Canones poenitentiales a Confeſſariis diſcendi. Cur?

XXII. Atque hinc eſt, quod Spiritus Concilii Tridni peritiſſimus D Carolus Borromaeus identidem urgeat Conc. Mediol I p 2 et V p 3 § 2, ut Confeſſarii CANONES POENITENTIALES BENE NOVERINT. Et Conc. Bituricenſe a 1584 ſtatuat, UT SACERDOTES CANONES PAENITENTIALES DISCANT. Quorſum, obſecro! hodiernis moribus? rationem dat Marianus Victorinus Amerinus in Italia Praeſul Libr *de poenit. adverſus nuperas haereſes* ſcripto: *Nam et ſi arbitrariae poenitentiae hodie ſint, Sacerdotis tamen* ARBITRIUM JUDICIO, JUSTITIA, ET VERITATE INNITI DEBET. *Videat Sacerdos, et ſecundum quod expedire* POENITENTI, ET ECCLESIAE EX QUALITATE PERPETRATORUM CRIMINUM *animadverterit, ex iſtis ſaltem Canonibus diſcat, quanta cura, et diligentia poenitentias imponere debeat.* Rem extra controverſiam ponit Synod Dioeces. L XI cap XI Benedictus XIV: ubi laudat eas Synodos Diaeceſanas, quae ſtudium Canonum Poenitentialium Sacerdotibus *ſvalent, aut etiam praecipiunt*, non ut *eos* in uſum revocent, verum ideo, ut *ad aliquam eorum proportionem ſervandam* ſingulis criminibus *congruam* imponat poenitentiam, *aperiantque* poenitentibus *ſceleram* ſuorum *gravitatem*, utpote quae olim tam longa, tam aſpera poena ab Eccleſia vindicabantur: ac *comparatione antiquae ſeveritatis* ſuas *longe mitiores* poenitentias *alacrius ſuſcipiant*, et exequantur. Hujus Spiritus ibidem recenſentur: Conſtitutiones Mathaei Gilberti Eppi Veronenſis: Joannes Franciſcus Bonhomius Vercellarum Epiſcopus. Concilium Florentinum Provinciale 1518. Synodus Amerina 1595. Pragenſis 1605. Oſnabrügenſis 1628. Peruſina Coſmae de Torres: Beneventana Card Joan Bapt Lenii. Placentina Card Pauli de Aretio. Tarentina Card Boniſacii Cajetani. Veliterna Cardin Cybo. Bononienſis Card Jacobi Boncompagni. Accedit Card de Aguirre: et Angelicus quodlibet 5 q 13 a 1. Haec, et alia plura ſumma cum eruditione l c incomparabilis Benedictus XIV.

Non ut illi in uſum revocentur: Sed ut eorum conſideratione congruae imponantur poenitentiae.

Ex quibus diſcimus, deſiiſſe antiquos Canones poenitentiales, permanſiſſe EORUM SPIRITUM a *Tridentino* luculentiſſime inculcatum, ut poenitentiae a nobis impoſitae effectus *ex eo* mox relatos praeſtent hodiedum. Quod niſi facimus, dum poenitentibus favere volumus, peſſime de iis meremur; quia inhumana lenitate quae ſecari, et uri deberent, leniter attractamus, et dum in medullis fervet morbus, per ſuperficiem molle deducimus unguentum, quibus *peccatorum reliquias, vitioſos habitus* non tollimus, non eradicamus, ſed male tegimus, et crudeli indulgentia fovemus ut peſſimi, et imperiti Medici intus clauſum lupum morbi male curati mox data porta gravius erupturum. En unam ex praecipuis ſubitorum relapſuum cauſſam! Nam ut breviter omnia dicit S Auguſtinus Canone *ſatisfactio*. Diſt 3 de poenit: *Satisfactio poenitentiae eſt* PECCATORUM CAUSSAS EXCINDERE, *nec earum ſuggeſtionibus aditum indulgere.*

Non ut eorum litteram, ſed SPIRITUM *ſequamur.*

dulgere. Quod doctrina, et vitae Sanctitate Eminentissimus Cardinalis Gropperus L. *de Institut. Cathol* pridem questus est de *publicae poenitentiae* neglectu, hoc ego non e potiori jure affirmare debeo de satisfactionis *pro mensura delictorum* imponendae omissione: *Cum negari non possit id, quod res ipsa loquatur, ejus neglectu simul omnem disciplinam (quae Religionis unicum fulcimentum est) exclevisse, et ejus loco scandala in Ecclesia inundasse, quae dant causam horum temporum perturbationi. Dicant, oro! isti* benigni Confessarii, *qua alia putent ratione scandala ista, quibus in praesentiarum afflictatur Ecclesia, e medio unquam tolli; et Religionem retineri posse, nisi in usum restituatur, quod neglectum tantorum est causa malorum? Langvet quidem (quod dolendum) populus fide, et caret charitate: Sed disciplina retinaculum fidei est, cujus ope, et* NUTRIMENTUM CHARITATIS, *qua in Christo manemus, et jugiter in Deo vivimus. Igitur si langventem fidem erigere, et consolidare:* SI CHARITATIS IGNICULOS *in hominibus* EXCITARE *volumus - - rejat, ut - - disciplinam condignae satisfactionis imprimis restituant.*

XXIII. Adversum haec ajunt Benigniſtae quidam: Malumus poenitentes cum parva poenitentia mittere in Purgatorium, quam cum graviore neglecta ad infernum. Resp. 1: Si excusatio haec subsistat, ergo frustra locutum est organum Spiritus Sancti Concilium Tridentinum, et alii Sancti Dei homines hactenus a Nobis pro *congrua*, et *gravitate criminum conveniente satisfactione* citati. 2. De hac speciosa excusatione audi, quid statuat S. Bernardus, vel alius illius aevi Serm. de S. Andrea inter opera S. Bernardi (Franciscus Genetto Eppus Vasionensis de satisfactione q. 7. S. Petro Damiani attribuit) ita disserens: *Nec tibi blandiaris, si graviter peccanti levior poenitentia vel a nescionte, vel a dissimulante dictatur: quia dignos poenitentiae fructus quaerit altissimus. Licet autem* NON EVASERIT MANUS OMNIPOTENTIS, QUI TIBI NON PLANE CONSULUIT; *tibi tamen ratio magistra praesidet, quae te docet, tantum a licitis abstinere, quantum te meminueris illicita perpetrasse.* En! Confessarius talis *manus omnipotentis* ipse *non evasit*, quia poenitenti *non plane consulunt*, quia non Purgatorium, sed *dignos poenitentiae fructus quaerit altissimus*; qui in eo sui sunt, ut *tantum abstineas a licitis, quantum illicita perpetrasti.* Suffragatur Hugo a S. Victore 2. p. de Sacram. c. 21: *Si in correctione minor est afflictio, quam in culpa fuit delectatio, non est dignus poenitentiae fructus.* 3. Vel Confessarius judicat poenitentem susceptorum *congruam* poenitentiam, vel non: Si primum: Nemo negat illum abuti potestate sua: nam injustus est Judex, qui gravissima scelera levissimis poenis punit, et sic palpat, fovet: crudelis est medicus, qui mortiferos morbos leni fomento solum adhibito negligit, et sic infirmum vere occidit. De his ait S. Ambrosius in Ps. 118: *Si virus in interiora proserpit, medicamenta foris apposita non sentit; exigit ergo medicinae ratio, ut aut sectione, aut adustione curetur: Nisi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, frustra medicinae manus adhibetur ad vulnera:* LEGE *ergo* MISERETUR, *qui* CUM JUSTITIA, *sapientiaque* MEDETUR; *ne cum alterius misereris, sepsum Legi faciat obnoxium. Consideremus etiam, ne et ipsum* DETERIOREM *faciamus; cujus* MISEREMUR INJUSTE: *plerumque enim non coercere delinquentes majoris austeritatis est, quam si ulciscaris: traduntur enim in passione ignominiae, qui cum aliquid inhonestum commiserint, nullum culpae pretium ferunt* dignae ultionis. Sed et dignissimus Ambrosii Successor D. Carolus Borromaeus agnovit, nimiam Confessariorum indulgentiam traditioni, et Ecclesiae Spiritui plane contrariam multorum damnationis causam esse: quia Ecclesia poenitentiam semper *Laboriosum Baptis-*

Nefas est congruam satisfactionem ad Purgatorium differre.

Indulgentia Confessariorum Damnationis multorum causa.

mum esse credidit. Tridentinum Sess 14 c 2. Lege Orat. Sanctissimi Archiepiscopi hab. in Conc Provinc VI: ubi tales *adulatores* vocat, *qui consuunt pulvillos, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas*: mala vero populi sui inde nata amare deplorat. Quin et ante eum hanc *omnibus placendi*, de *omnibus benemerendi*, ideo mollia, et *placentia dicendi*, faciendique *propensionem*, indeque auram popularem, famae celebritatem, suaeque existimationis umbram captandi Cacoethen orientis lumen S Chrisostomus tantum abhorruit, ut commentar. in Math dicere non dubitaverit: *Tolle hoc vitium a Clero, nec velint hominibus placere, et omnia vitia resecantur.* Gravis, atque omnino notanda aurei Oris sententia. Consonat S Thomas a villa nova Conc VI Dom 4 Quadr: *Quid*, inquit, *Ecclesiam Dei hodie perdit, nisi Confessariorum blandiens adulatio? Vae miseris! securos peccatores ad inferna demittunt.* Sed et S Franciscus Salesius in Const. Synod Tit I cap 5 gravissime ait: *Sacerdotes molliores illorum malorum se reos constituere, quae ex falsis nascuntur absolutionibus: quibus perit tum Presbyterorum, tum poenitentium infinita multitudo.* Nota est illa Bellarmini auro, cedroque dignissima sententia: *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.*

Poenitens congruam poenitentiam non suscipiens absolvi non potest.

XXIV. Quod alterum erat dilemmatis membrum, affero cum Illustrissimo Episcopo Vasionensi a me saepius laudato de satisfactione q. 10: Poenitentem recusantem, vel quod idem est, *praevisum non suscepturum* poenitentiam *congruam* sibi *rationabiliter imponendam*, velut *indispositum absolvi non posse.* Colligitur manifeste ex Conc Triduo Sess. 14 cap 2 docente: *Ad novitatem, et integritatem vitae Spiritualis per Sacramentum poenitentiae* SINE MAGNIS FLETIBUS, ET LABORIBUS DIVINA ID EXIGENTE JUSTITIA *pervenire nequaquam possumus, ut merito poenitentia laboriosus quidam baptismus a Sanctis Patribus dictus sit.* go *in Sacramento poenitentiae*, consequenter *in hac vita* magnos fletus, et labores Divina exigit justitia. go Satisfactio ad purgatorium differri nequit. clarius id patet ex cap 3 ibidem, ubi Tridentinum definit: *Satisfactionem ex Dei institutione ad Sacramenti integritatem*, atque *ad plenam peccatorum remissionem pertinere*, et *partem esse Sacramenti poenitentiae.* go *votum* condigne Deo satisfaciendi est *pars necessaria* Sacramenti; ipsa quidem actualis satisfactio *integralis*: *votum* vero, sive *propositum* de ea in contritione inclusum *essentialis.* Sed qui recusat, vel ex circumstantiis actualibus poenitentis praevidetur non suscepturus sine gravi causa congruam satisfactionem, non habet *votum, et propositum actuale* Deo satisfaciendi condigne. go non est dispositus. Concordat cap 5 ibidem declarans, *Sacerdotes hoc judicium* Sacramentale *incognita causa exercere non posse; neque* AEQUITATEM IN POENIS INJUNGENDIS *Servare posse.* Ex quibus elucet, Sacros Judices in poenis injungendis AEQUITATEM servare debere. go et poenitentes *eam* acceptare obligatos esse, si beneficio absolutionis gaudere voluerint. Accedit cap 8 ibidem jam a nobis relatum. Adstipulatur Angelicus in supl. q 15 a 1: et S Antoninus 2 p q 14 cap 20 docentes: *Satisfactio est actus justitiae, et ideo aequitas quaedam (etsi non rigorosa) requiritur inter offensam, et opus satisfactorium: quae justitia consistit in quadam aequalitate.*

Aequitatem hanc inter peccata, et poenas urget scriptura Daniel 4: *Peccata tua eleemosynis* REDIME. Joël 2. Urgent SS Patres: S Augustinus Serm 351: *non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfaciat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per* CONTRITI CORDIS *Sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* D Chrisostomus Hom 41 ad pop

Anti-

Antioch: *A nobis ultionem ſumamus. Ita placabimus Judicem.* S Ambroſius ad Virg Laps: *Grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem.* S Gregorius l 1 in c 12 3 Reg: *Quid prodeſt confiteri flagitia, ſi Confeſſionis vocem non ſequatur afflicto poenitentiae? tunc namque bene converſum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* go a contrario ſi digna auſteritas ſatisfactionis recuſetur, non adeſt vera *converſio.* Atqui *ſine hac* abſolutio vana eſt. go peccator praevisis ſine gravi cauſſa *congruam* poenitentiam non ſuſcepturus abſolvi nequit.

XXV. Alii ab imponenda congrua poenitentia excuſatos ſe, poenitentesque ſuos *praetextu indulgentiarum* volunt. Quibus reſpondet Illuſtriſſ. Epiſcopus Vaſionenſis, praetextu *indulgentiae* aquirendae non eximi poenitentes a *laboriosis* poenitentiae operibus: quin parum *illam* prodeſſe iis, qui *pro viribus* Divinae juſtitiae ſatisfacere negligunt. Indulgentiae enim conceduntur *in ſupplementum infirmitatis noſtrae*, adeoque nos non liberant ab ea debiti parte ſolvenda, quam *poſſumus* ſolvere; ſed *ſuplent* tantum id, quod attenta *imbecillitate*, atque *inopia* noſtra reddere *non valemus.* Sane nullum Concilium, nullus Pontificum, aut SS Patrum legitur eximere ſive Confeſſarios, ſive poenitentes a *ſalutari*, et tam *qualitati criminum*, quam *facultati poenitentium* commenſurata poenitentia. Neque in ea dispenſare mentis eſt Eccleſiae ſcriptura praecipiente: *facite dignos fructus poenitentiae* Luc 2 v 8. *convertimini ad me in toto corde veſtro in jejunio, et planctu, et ſcindite corda veſtra.* Joël 2. Adhaec Referente Baronio tom 10 ad an C 1074 n 61 Gregorius VII Lincolnienſi Eppo indulgentias peccatorum ſuorum hoc tenore conceſſit: „Abſolutionem peccatorum ſicut rogaſti . . . tibi mittere dignum duximus: *Si tamen bonis operibus inhaerendo, commiſſos exceſſus plangendo*, QUANTUM VALUERIS, *corporis tui habitaculum Deo mundum Templum exhibueris*., Subjungit Annalium Parens, ut appareat, Sedis Apoſtolicae indulgentias illis communicari, qui quantum ſuppetunt vires, bene operari non praetermittunt, non autem ignavis, otioſis, ac negligentia torpeſcentibus„. Paulus II in Bulla: *Ineffabilis* Jubilaeum concedit hac ſub conditione: ut his, ALIISQUE MERITORIIS OPERIBUS PECCATA SUA OMNI EX PARTE *ſtudeant* EXPIARE. Omnia huc pertinentia complectitur apud Vaſionenſem de ſatisfactione Eminentiſſimus Cardinalis Denhoffius Inſtr paſt. p 120: quam hic inſerere neceſſariam videtur. Sic autem inſtruit: „Confeſſarii vitent omnino abuſum, quem aliqui introducunt, dum tempore Jubilaei, aut indulgentiae plenariae ſub praetextu, quod ſi ad litteram adimpleantur operae praeſcriptae in Bullis Pontificiis, remittitur non ſolum culpa, ſed etiam paena peccatis debita, imponunt magnis peccatoribus leviſſimas poenitentias. Haec praxis contraria eſt intentioni Eccleſiae; quae vult quidem adjuvare Filios ſuos, ut per indulgentias poſſint ſatisfacere pro poenis debitis, *quas* alioquin *non poſſunt omnino perſolvere* aut propter *debilitatem* virium, aut *propter brevitatem* vitae, aut certe quia vix aliquando poenitentias peccatis convenientes impleverunt. Sed Eccleſia non intendit diſpenſare a Lege Divina, quae ad *fructus dignos poenitentiae faciendos obligat*; aut *pigritiam*, ſeu *negligentiam* inſpirare in exercendis operibus ſatisfactoriis tantopere in Sacra Scriptura, et a SS PP commendatis. Hinc Summi Pontifices exprimunt (in Bullis) ſe indulgentias largiri *vere poenitentibus.* quae clauſula ſinceram omnium peccatorum deteſtationem, firmum non peccandi propoſitum, et *voluntatem congrue Deo ſatisfaciendi* importat. Haec eſt S Bonaventurae doctrina 1 ſen. Diſt

Indulgentiae non liberant nos a ſatisfactione quam praeſtare valemus

Sed conceduntur in ſupplimentum infirmitatis humanae.

Qui ſint vere poenitentes.

20 q 6: *Indulgentiae*, inquit, *quantum est ex parte dantis, tantum valent, quantum promittunt*, NON *tamen* CUILIBET VALENT TANTUM, NEC AEQUALITER OMNIBUS: *Sed secundum aestimationem ejus, quam habuit, vel habere debuit, qui indulgentiam fecit, quam non oportuit exprimere, quia omnes fideles debent illud praesupponere, quod dona, et miserationes Sancti Spiritus donentur cum* AEQUO LIBRAMINE. Illud etiam expresse declararunt Pontifices: ita Bonifacius VIII promulgans indulgentiam Jubilaei: *Unusquisque tamen*, inquit, *plus merebitur, et indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas* AMPLIUS, ET DEVOTIUS *frequentabit.* Et indulgentias pro Bello Sacro expensas oblaturis concedens Innocentius IV in Cone Lugdunensi declarat, quod unusquisque eas indulgentias lucrabitur *juxta quantitatem subsidii, et devotionis affectum.* Et ita indicant Pontifices indulgentias plenarias lucrari posse *juxta mensuram operum poenitentiae, et devotionis fervorem*, quibus peccatorum debita minuuntur. Haec est Cardinalis Cajetani opinio, qui Tract 10 q 1 relata supradicta formula: *Vere poenitentibus* adhibita a Pontificibus, asserit, *indulgentias non consequi poenitentes negligentes*, sed *poenitentes sollicitos, qui soli sunt vere poenitentes.* Deinde exponit hujus opinionis praerogativas, juxta quas solvuntur omnes quaestiones de *nimis largo foro Dei: quam de omittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte*: quam *de admiratione sapientum, et obloquentionibus detrahentium*: *Excitantur Fideles ad poenitentiae opera*, nec *aliquid adimitur efficaciae indulgentiarum, sicut nihil admittitur efficaciae Sacramentorum ex hoc, quod oportet accedentes ad illa esse bene dispositos, si fructuosa sibi esse volunt.* Cum igitur haec doctrina Ecclesiae menti magis conformis videatur, cum S Bonaventura concludendum est: *Sanum consilium est, quod homo semper poeniteat.* Idem sentit S Thomas in praxi sequendus, dum dicit: *Consulendum est iis, qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus poenitentiae abstineant: qui quandoque sunt plurimum debitores, quam credant.* Eodem sensu loquitur Cardinalis Bellarminus L 1 de Indulg cap 12: *omnino sic accipiunt prudentes Christiani Pontificias indulgentias, ut simul etiam studeant* DIGNOS FRUCTUS *ferre, ac* PRO SUIS DEO SATISFACERE. „Haec Card Denhollius summis ex rationibus, maximisque auctoritatibus.

Potissimum poenitentiae medicinales omitti nequeunt.

XXVI. Addit porro Vasionensis ibidem, licet occasione *indulgentiarum* attenta sola *peccatorum* praeteritorum *vindicta* imponi posset *levior* (non tamen *modica*) Satisfactio; nullo modo *mitiganda*, minus remittenda est satisfactio MEDICINALIS, quae ad exstirpandos contractos *vitiosos habitus*, atque ad praecidenda futurorum *relapsuum* pericula omnino necessaria semper est. Ista enim *indulgentia* tollere nequit, ut perse patet. go *laboriosis poenitentiae operibus* tollenda sunt. (*quae* Eugenius IV *in decreto ad Armenos* asserit esse *orationem, jejunium*, et *eleemosinam*, concordante Angelico, et communi SS PP doctrina) Sed ante omnia *circumstantiae*, et pericula peccati tollenda

Remedia contra habitus pravos.

sunt, primum ex *proximis* faciendo *remotas* (nunquam manendo cum complice solo in eadem domo: non loqui cum illo, nisi necessaria, et tunc quoque graviter cum timore sui: aspectum omnino fugere: abrenunciare omni blandae, et familiari cum illo conversationi, quin et cogitationem de illo excutere, ne illa in titillationem, fortem imaginationem, inde in consensum serpat. etc.) Interea *coram Deo ambulandum* per *praesentiae Divinae, gladii irae Dei* considerationem: *mentis ad Deum affixionem* per continuum virtualiter Dei amorem (cap I n XXII.) mane se, suaque Deo offerendo, serenum propositum faciendo hodie a familiari illo vitio omnino abstinendi, per diem saepius id ipsum renovando, atque in fugam occasio-

caſionum intendendo. veſperi ſerio ſe examinare, de lapſibus graviter dolere, veniam a Deo petere, in chraſtinum meliora omnia firmiter proponere, interea hodiernos exceſſus ſerio notatos complexioni poenitentis convenienti poena (ut ferventiori contritione, genuflexione longiori, brachiiſque expanſis facta oratione, corpori ſenſibile quodpiam incommodum uno, alterove quadrante inferendo etc Vindicare. (*a*) In craſtinum *circumſtantiam omnem peccati* (ſi illa heſternum lapſum cauſſavit) penitus abſcindere. Quod jubet Evangelium: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum. Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animae vero ſuae detrimentum patiatur.* Si lingva blaſphaemias, perjuria, imprecationes, obſcaenitates effudit, heſternis induſtriis addenda ori, ac lingvae peſtiferae mortificatio quaedam ſenſibilis, et a relapſu retrahens: item tot nummorum, ſi adſint, in elemoſinam erogatio, tot meliorum bolorum, aut ferculorum in prandio, et caena ſibi detractio, quoties lapſus contigit. Sibi maxime dicta putent Habituati illa: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam Crucifixerunt cum vitiis, et concupiſcentiis ſuis. Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, et praemia. peccata tua eleemoſinis redime. ſiat refectio pauperis, jejunium poenitentis.*

Enimvero miſeranda plane eſt multorum hujus aevi Chriſtianorum deceptio! quibus nempe et vires, et facultates adſunt, ut ſaepius totas noctes bachanalia celebrent, commeſſationes exquiſitas inſtituant, Luſibus fere continuis, veſtibus peregrinis, aliiſque expenſis ſuperfluis ſe ſe exhauriant: Ex adverſo iidem nec *vires*, nec *facultates* ſibi ſuppetere ſive ad jejunium, ſive ad carnem vel leviter mortificandam, ſive ad moderatas eleemoſinas faciendas lamentantur! ad juſſa Medici in medicamenta multa effundunt! domi per menſes retinentur, abſtinentia diu macerantur, ſecantur, uruntur, exhauriuntur. Si vero Confeſſarius his longe mitiora *letiferis habitibus eradicandis* praeſcribat, tunc eos, velut barbaros, immites, indiſcretos, Rigoriſtas traducunt, curationemque velut viribus, et facultatibus ſuis improportionatam deprecantur. Scilicet iraſcitur talibus juſtiſſimus Deus! atque in furore ſuo permittit eos *ambulare*

Miſerandi ſunt, qui illa ſupterfugiunt.

(*a*) In his induſtriis conſiſtit *examen particulare* a Spiritualis vitae magiſtris adeo commendatum, ut ſine *illo* nullum vitium debite exſtirpari, nulla virtus inplantari poſſe videatur. Debent autem dictae induſtriae tamdiu continuari, donec tentationes, et primae incidentiae contra tale vitium facile ſuperari queant, aut virtus, quam implantare volumus, prompte, et ſine difficultate, quum volumus, exerceri poſſit. Et in hoc patientia, ac perſeverantia neceſſaria eſt: nam teſte Kempenſi: *magni Sancti evaderemus, ſi ſingulis annis unum tantum vitium ſuperaremus.* An tu eum Sanatum eſſe ſtatuis? qui cum antea ſingulis diebus, vel triduis febri, aut Phreneſi corripiebatur, jam ſemel in hebdomade, vel bis in menſe malis illis exagitatur. Minime omnium judicio. Nec ego emendatum puto eum, qui antea ſaepius, jam rarius *In idem peccatum* recidit. Alleviatus utrinque morbus eſt, eradicatus non eſt. go utrinque ulteriori curatione opus eſt: ſecus malum neglectum periculoſius etiam, quam initio erat, erumpet, *eruntque noviſſima eorum pejora prioribus.* Hoc eſt: tales male curati in priora peccata foedius, quam ante, prolabentur. Meditare coram Deo auctoritates hic n XXVII laudandas, et me vera dicere palpabis. Quid hiſcis? quid obmurmuras? Quid inpoſſibilitatem obtendis? Vitam ſub his exercitiis difficilem non eſſe, evincunt inſtantiae cap V n XL relatae: quibus adde illa: *regnum coelorum vim patitur. Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animae vero ſuae detrimentum patiatur.* Quod *audivimus, et Patres noſtri annunciarunt nobis*, hoc loquimur, et audient nos, quibus anima ſua cordi eſt. Aliis *placentia loqui* non poſſumus: quia Spiritum mundi, amorem ſui cum Spiritu Evangelii componere neſcimus: ideo aſſidue inclamamus: *qui Chriſti ſunt*, vel eſſe volunt, *Carnem ſuam crucifigere* debent *cum vitiis, et concupiſcentiis ſuis!*

Praxis examinis particularis.

vias suas dicens: *Curavimus Babylonem, et non est Sanata, derelinquamus eam.*

Cura Habituatorum difficillima.

XXVII. Quae ne exaggeratius, quam verius dicta putentur, considerandum est, ex SS Patrum doctrina *difficillimam* plane esse *habituatorum curationem.* Aquila Doctorum Augustinus *Tract* 49 *in Joan.* ad eam exigit singularem omnino VIM, UT VIOLENTIAE POENITENDI CEDAT CONSVETUDO PECCANDI. Rationem dat S Anselmus *de famil* c 189: contingit, inquiens, *ut sua facta considerantes fleant, seque amodo a talibus cessaturos promittant, et more avis irretitae liberos se volare antument. Sed quia pravo usu irretiti ab hoste tenentur, nolentes in eadem vitia dejiciuntur, sitque hoc saepius, nec omnino liberantur, nisi* MAGNO CONATU FUNIS RUMPATUR PRAVAE CONSVETUDINIS. et D Laurentius Justinianus *de casto connub. verbi, et an mae c 7: Gratia indigent* NON MEDIOCRI, *qui inveteratos cupiunt abolere mores* - - RARUS *quis eorum invenitur,* QUI REALITER CONVERTATUR AD DEUM, *obsepti pessima consvetudine, tanquam quodam* ARENAE AGGERE; *nisi* GRANDI, AC TERRIBILI VOCE EXCITENTUR, *e monumento resurgere nequeunt.* S. Theodoreti praeclara illa est sententia *in Epist. Divin Decretor: Sunt medicabilia etiam quae post Baptismum fiunt vulnera; medicabilia autem non ut olim* (ante baptismum) *sed per multas lacrymas, fletus, et luctus, et jejunium, et orationem, et laborem facti* PECCATI QUANTITATI RESPONDENTEM. Hugo a S Victore de Sacram. Part. 2 cap 21: *Si in correctione minor est afflictio, quam in culpa fuit delectatio, non est dignus poenitentiae fructus.* Haec sane ad *publicam* poenitentiam trahi nullatenus queunt. Meditare Lector! coram Deo has auctoritates, et statue tu ipsus ex his, an habituati, et in eadem peccata lethifera saepe relapsi momentaneas lacrimas, et dolorem aliquem sensibilem (quae Benignistae extraordinaria signa male appellant, quum Anselmo dubia sint) ad Sacrum tribunal adferentes ante dignos fructus poenitentiae absolvi possint? Sane Angelicus *subitam emendationem* graviter impii *miraculosam* habet, ut vidimus cap II n XXIII. Hic vero ad *illam* requirunt Augustinus vim, et *violentiam* poenitendi: Anselmus *magnum conatum.* Laurentius Justinianus *grandem, et terribilem vocem.* En extraordinaria signa verosimilia verae conversionis habituati. Quem absque his emendatum non habent Sancti. go ego absolvendum non praesumo affirmare. Quis enim absolvere audeat non rite emendatum? Cum poenitentia et ut virtus, et ut Sacram ad *emendationem stabilem*, et moraliter, modo humano *perseverantem* sit Divinitus instituta dicente Praecursore: *facite fructos dignos*, non folia *poenitentiae.* Et Gentium Doctore: *Quae secundum Deum est tristitia., poenitentiam in salutem STABILEM operatur.* 2 ad Cor 7 v 10.

Qui ante emendationem absolvi non possunt.

XXVIII. Cum His veritatibus hostiliter pugnat illa mollioris Ethicae argutatio: Praesens *sincerus dolor*, non futura emendatio est materia Sacramenti. go qui illum habet, absolvi potest. Equidem praesentem dolorem pro materia, *emendationem* vero *praesentem* ut deinceps *stabiliter* perseveraturam pro maturo *fructu* Sacramenti habeo: at quia ex una parte hujus *consvetudinarii* dolorem non video esse talem, qualem Sancti requirunt *violentum, cum magno conatu, grandi, et terribili voce excitatum:* Ex altera vero parte scio, *ab illo* saepius jam serio fuisse promissam emendationem sine sperato fructu emendationis; ideo *ei* jam prudenter credere nequeo. Quis enim credet ei rationabiliter, a quo in eadem materia jam saepius turpissime deceptus est? An enim illud Sapientis Eccli 19 v 4: *Qui cito credit, levis corde est*, in humanis locum habet, in Sacramentis non habet? quo-

Quia prudenter eis credere nequimus.

quomodo item ego illi credam? qui sibi ipsi credere nequit teste Anselmo, putans se *libere volare, quum pravo usu irretitus ab hoste teneatur*, ideo *nolens in eadem vitia dejiciatur* necessitate consequentiae pravi habitus retractus. Quin ipsae Lacrimae emendationis sunt dubium signum. Ut docebimus cap IX pluribus. II. nemo potest nosse veritatem suae contritionis. Trid sess 6 c 9. III. Tales saepe judicant sibi displicere offensam Dei, cum tamen non nisi, vel praecipue displiceant eis miserandi *effectus* peccatorum, ut amissio caeli, tormenta inferni, cruciatus conscientiae. Qui *effectus* distincti sunt a *peccato*. Quia impius, dum peccant, placet crimen, displicent ejus effectus. IV. Mundi Filii, et Filiae semet amantes *imperfecta* quaedam *emendationis desideria* sumunt pro *perfecta* voluntate, similes Saulo 1 Reg 19 v 6 *juranti* de non occidendo David: et tamen ibi v 10 eum occidere volenti. Cap 20 v 31 sententiam mortis in eum pronuntianti. Cap 24 peccatum suum *cum fletu* agnoscenti. Ut et c 26. et tamen absque vera poenitentia mortuo c 31. V. Habitus pravus excaecat peccatores teste Gregorio M l 7 Mor. c 13: *Saepe sibi mens de se blanditur, et fingit de bono opere amare, quod non amat; de mundi autem gloria non amare, quod amat.* I a docente Augustino: *Lege infatigabili Deus* SPARGIT POENALES CALCITATES SUPER ILLICITAS CUPIDITATES, ut *infructuosas velleitates, horarias mentis dulcedines* stabilem, et perseverantem credant esse justitiam. Sed considera eos post septimanam, et Saulem David persequentem, imo *Christum rursum Crucifigentes* eos invenies. Merito ergo eis non credimus, sed *ex fructibus cognoscemus eos:* nisi vere *extraordinaria* signa perfectae contritionis afferant, quae hoc nro SS PP in habituatis exigunt.

XXIX Dices. Ex dictis sequitur, respectu *habituatorum peccatorum* nec in Sacramento sufficere *initialem*, sed requiri *perfectam* contritionem. Resp. SS PP non dicunt, in talibus cum initiali contritione non perfici, nullum esse Sacram, sed consvetudinem non debite tolli, non esse dignos fructus perseverantis poenitentiae. Audiamus S Gregorium M Hom. 30 in evang in illud Joan 14: *ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* asserentem: *in quorum am corda venit, sed mansionem non facit: quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum, quo compuncti fuerant, obliviscuntur* (non bene extirpato habitu) *sicque ad perpetranda peccata redeunt* male curati, *ac si haec minime planxissent.* go PP contri ionem perfectam, vel alia laboriosa opera peccatorum gravitati comparabilia non tam requirunt ad justificationem *Sacramentalem*, quam ad extirpandum habitum vitiosum, in quantum hic significat facilitatem, et inclinationem ad relapsum e prioribus flagitiis, aut uno cum singulari delectatione patrato contractum. (nihil enim vetat, ex uno scelere sic patrato habitum contrahi.) Ita et scriptura detestatur vacillantem, et temporariam justificationem: ad Haebr 6 v 4 et seqq. ibi cap 10 v 26. Math 12 v 43 et seqq. 2 Petr 2 v 20 et seqq. Sed vult eam modo fragilibus hominibus conveniente *stabilem*, et *perfectam*, 2 ad Cor 7 v 10. *Atqui haec* moraliter impossibilis est pravis habitibus, et inclinatione ad peccatum debite non extirpatis, ut vidimus ex cit SS PP. Ergo ad hos eradicandos urgent PP contritionem perfectam, vim, conatum, afflictiones quantitati scelerum aequales. Quas olim Ecclesia absolutioni Sacramentali praemittebat: Hodie sequi eam patitur; ita tamen, ut si quis eas neglexisse ex secuto relapsu deprehendatur, eum absolvi eousque nolit, donec dignos fructus illos stabilis, et perseverantis poenitentiae faciendo habitus

Initialis charitas sufficit justificationi momentaneae.

bitus ſuos ad malum inclinantes debite extirpaverit. Quae doctrina facile colligitur ex mox cit Scripturae, et PP textibus. 2. Mire conciliat unum, eundemque Spiritum primitivae, et hodiernae Eccleſiae in varia externa diſciplina *dignos poenitentiae fructus ſtabiles* a poenitentibus exigentis. 3. Deridendos probat eos delicatulos, qui quidquid audiant ex primitiva Eccleſia proferri ad conditiones fructuoſas poenitentiae demonſtrandas, mox rejiciunt velut ad meram diſciplinam pertinens: quaſi Eccleſia hodie remiſſiori quidem diſciplina non aeque exigeret *poenitentiam in ſalutem ſtabilem*. 4. Medicinalium potiſſimum ſatisfactionum uſum abſolute, et irremiſſibiliter neceſſarium evincit.

Nec perfecta charitas momentanea ſemper ſanat habitum malum.

XXX. Repones: Ergo perfecta contritio *extra* quoque *Sacrm* requiritur tantum ad dictas reliquias peccatorum plene delendas. Reſp. Nego aſſumptum eo uſque, donec evincatur, initiali charitate animatam contritionem *extra Sacrm* parem eſſe reatui culpae delendo. Quin nec contritionem noſtro ſenſu perfectam mox omnem ad peccatum vetus inclinationem, ſive habitum poenitus abolere, niſi in caſibus rariſſimis, ſatis claret ex dictis initio hujus nri. Sane nemo dixerit, contritionem perfectam extraſacramentalem efficaciorem eſſe ipſo Sacramento in re ſuſcepto. At *Sacrm in re* ſuſceptum uſque adeo non delet omnes reliquias peccati, ut ſatisfactio, cujus id munus eſt, ſit jure Divino pars *ejus*. go privilegium illud nec contritioni perfectae attribui poteſt. Quis negabit Davidem perfecte fuiſſe contritum? Is tamen pſ 37 amariſſime queritur de indeliberatis peccati ſui illuſionibus: v 7 *tota die contriſtatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus. Afflictus, et humiliatus ſum nimis. Cor meum conturbatum eſt. etc.* ſi hoc in in Davide poenitente, quid ſperent male curati? citi relapſus miſerandi loquantur.

Defectus condignae ſatisfactionis provenit ex parte POENITENTIUM

XXXI. Cum itaque tam neceſſaria ſit *condigna* ſatisfactio ad habitus pravos eradicandos, ad effrenem concupiſcentiam, quantum licet, coercendam, merito quaerit cit Genetto, cur vix aliqui convenientes, ac morbis poenitentium ſanandis pares imponant poenitentias? affirmatque id provenire ex parte *poenitentium* aeque, et *Confeſſorum*. Veritatis hujus priorem partem evincit teſtimonio Eminentiſſimi Cardinalis Joſephi de Aguirre, qui *Diſſ 8 in Conc Toletan* IV temporum noſtrorum iniquitati ſequentibus illacrimatur: „Ingentem dilationem veniae, reconciliationis, et communionis per annos plures, aut uſque ad finem vitae in aſſiduo jejunio, auſteritate, fletu, et planctu tolerabant olim patienter Chriſtiani in aliquod gravius crimen lapſi, ut tandem Deo graviter offenſo ſatisfacerent, et ſalutem animae obtinerent: Noſtro autem aevo (o tempora! o mores!) multi non modo in aliquot grave crimen, ſed in varia, aut plurima lapſi (addo ego: relapſi, inhabituati) vix jejunio aliquo, auſteritate, fletu, aut planctu praemiſſo accedentes ad confitendum ſtatim abſolvi volunt, et mitti ad communionem. Quod ſi Sacerdos pius, et doctus, et verſatus in diſciplina Eccleſiaſtica, et Sacris Canonibus illos hortetur ad jejunandum, plangendum, et orandum non dico integris annis, non menſibus, ſed aliquot hebdomadis, aut ſaltem diebus, antequam abſolvantur, ut *veram de peccatis contritionem, et totius cordis converſionem* impetrent, qua Deum graviſſime offenſum ſibi concilient, ſeque ad veniam diſponant, videbis illos impatienter omnino id ferre, et vociferari adverſus Sacerdotes hujuſmodi, eonſque incuſare, veluti *crudeles*, et *carnifices conſcientiarum*. Hoc novo injuſtiſſimae accuſationis, et criminationis ſcelere jam longe nequiores effecti adeunt quempiam alium Sacerdotem *ignarum, remiſſum, palponem*, aut *nullius Zeli, et abſque ulla contritione de novo ſcelere admiſſo, ac de aliis praecedentibus*, LEVI SATISFACTIONE *impoſita ſtatim aſſe-*

aſſequuntur, aut extorquent ab eo praeproperam abſolutionem, et intempeſtivam communionem: UTRAMQUE INGENTI DANTIS, ET RECIPIENTIS DAMNO. Haec Eminentiſſimus, ac doctiſſimus Scriptor *vera de peccatis contritione, et totius cordis converſione diſponi poenitentes ad veniam* una clare docens.

XXXII. Confeſſariorum quoque (pergit porro Vaſionenſis) culpa id accidit: qui ſeipſos potius, quam poenitentium ſalutem quaerentes iis potius placere, quam mederi volunt. Quibus Auguſtinus Apoſtoli, et ſuum exemplum elegantiſſime opponit *Libr. de Paſtoribus Tom 9* dicens: *Teſtimonium perhibet Apoſtolus, quod ſicut Angelum Dei ſuſceperint eum, et quod ſi fieri poſſet, oculos ſuos voluiſſent eruere, et dare ei; et tamen acceſſit ad ovem langvidam, et putridam ſecare vulnus, non parcere putredini. Ecce accepit de lacte ovium, et indumentum ex lanis ovium: SED TAMEN OVES NON NEGLEXIT: Non enim ſua quaerebat, ſed quae Jeſu Chriſti. Abſit ergo, ut dicamus vobis: vivite, ut vultis, ſecuri eſtote: Deus neminem perdet, tantummodo fidem Chriſtianam tenete: non perdet ille, quos redemit: non perdet, pro quibus ſanguineum ſuum fudit. Si ſpectaculis volueritis oblectare animos veſtros, ite: quid mali eſt? et Feſta iſta, quae celebrantur per univerſas civitates, et publicis menſis ſeipſos, ut putant, jucundantium, revera magis perdentium (a) ite, celebrate: ma-* *Et Confeſſariorum.*

(a) Adverſus ſpectacula, choreas, et promiſcuam utriuſque ſexus inter ſe converſationem SS PP pleno pulmone detonant. Si Tertullianum audiamus *de ſpectaculis* c 17, illa *privatum ſunt Conſiſtorium impudicitiae.* S Baſilio M *Hom 4 in examer. Communis, et publica diſcendae omnis incontinentiae officina.* D. Ambroſio l 2. poen. c 5 *Deliciarum Comes, atque luxuriae ſaltatio.* Teſte Salviano l 6 *in ſpectaculis quaedam fidei apoſtaſia eſt, et a ſimbolis ipſius; et caeleſtibus Sacramentis lethalis praevaricatio. Quae eſt enim in baptiſmo ſalutaris Chriſtianorum prima Confeſſio? niſi renunciare diabolo, et pompis ejus. eo ſpectacula OPERA SUNT DIABOLI.* Lege Auguſtinum *de ſimbolo in 2 Nvig Pent:* ubi ſpectacula docet eſſe POMPAS diaboli, quibus *in baptiſmo Deo, et angelis ejus conſcribentibus renunciavimus,* quibus refelluntur illi, qui aſſerunt, a SS PP Paganorum tantum laſciva ſpectacula, et choreas reprehendi. Imo SS Patres choreas Chriſtianorum deteſtantur ut *paganicae ſuperſtitionis reliquias,* et *diaboli inventa.* audiatur S Antoninus 2 p tit 6 cap 6: *De chorizantibus poteſt moraliter exponi illud ps 26: inflammabit ignis in circuitu inimicos ejus. Iſtud eſt iter diaboli: Qui ergo tripudiant, cum faciant iter diaboli; cum illo ſe reperient in termino inferni. Joannes Apoc. 9 dicit, quod de puteo abyſſi aſcenderunt locuſtae ſuper terram. Locuſtae iſtae ſunt mulieres chorizantes: puteus eſt profunditas inferni: unde ſuggeritur tale exercitium chorizandi a daemonibus.* Origo ſaltus promiſcui caepit ex idolatria, et ebrietate Exodi 32 v 6: *obtulerunt holocauſta, et ſedit populus manducare, et bibere, et SURREXERUNT LUDERE.* Mala inde exuberantia deflet Junior Ambroſius D Carolus Borrom. Conc. Provinc. III act. p 1 dicens: *Uſu nimis compertum eſt, depravatis his temporibus, et moribus ad choreas - - et id genus alia nunquam fere ſine multis, et iis quidem graviſſimis Dei offenſionibus convenire, idque ob turpes cogitationes, - inhoneſtas actiones, morum corruptelas, et pernitioſas ad omnia opera carnis illecebras ILLIS PERPETUO CONJUNCTAS.* Rationem dant melioris Ethnices Magiſtri: in Saltationibus enim promiſcui ſexus liberae manus, liberi oculi, voces, omnium membrorum geſticulationes, muſica laſciva, concurſatio, hoſtis pudicitiae, et amica ſcelerum nox ſunt potentiſſimi libidinis ſtimuli, efficaciſſima laxamenta probitatis, ſunt illa delectatio, diſtractio, et corporis commotio phraſi frequentantium *innocua,* imo neceſſaria, quam frequenter in libidines externas, ſaepiſſime in internas degenerare conſveviſſe, ille ſolum negare poteſt, qui neſcit, quid ſit peccatum originale, corruptio naturae humanae, impetus concupiſcentiae inter promiſcuum ſexum omnibus ſenſibus libere ſimul converſantem. Quod praeſentiſſimum periculum notat Eccli. 9 v 4: *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, ne forte pereas in efficacia illius.* Totum illud caput huc pertinet a v 1 uſque ad 13. Tremenda eſt S Baſilii M. ſententia or 8 de mulieribus ſaltantibus cum viris alienis pronunciantis: *Quodſi non nullae peccatum corpore effugerunt, omnes tamen animo depravatae, atque inquinatae ſunt.* Non mea haec, ſed S Patris eſt ſententia: Illo forte modeſtiſſimo ſenſu dicta, quod quae ſine *neceſſitate,* et aliis *conditionibus* mox recenſendis haec frequentat, praeſentiſſimum periculum non curat, ideo eo ipſo jam interne peccat. *De ſpectaculis, choreis, et promiſcua utriuſque ſexus converſatione* *SS PP ſenſus.*

gna eſt Dei miſericordia, quae totum ignoſcat. Haec ſi dixerimus, forte congregabimus turbas ampliores. Et ſi ſint quidam, qui nos ſentiant hoc dicentes non recta ſapere, paucos offendimus, ſed multitudinem Conciliamus.

Quod

Et mediae aetatis Doctorum.

Quid ad haec *mediae aetatis Caſiſtae ?* Lux caeleſtis non magis diſtat ab externis tenebris, quam haec Sanctorum doctrina ab *illorum* commentis. Ne me nimium dixiſſe quis arguat, audiat Sacrorum Oratorum ſui aevi Principem Paulum Segneri Serm 29 ita intonantem: *Doctores morales choreas enunciant LICITAS: SS PP eas damnant ut diabolicas.* Illi *ajunt, ad choreas ire NON EST PECCATUM: iſti ajunt, ire ad choreas eſt ADIRE INFERNI FESTA. Morales loquuntur de choreis SPECULATIVE, et ſecundum ſe: Sed SS PP choreas ſpectant ut ſunt IN PRAXI. Et quia in PRAXI exitiales ſunt aabus, propterea adeo eas deteſtantur.* Addamus alterum magnum Lumen S. I Bellarminum Conc 19: *De choreis tantum dicam unum verbum: Ego profecto, SI ADULTERIUM, FORNICATIO eſt malum, videre non poſſum, quomodo viros cum foeminis tripudiare non ſit malum? cum ad haec illa maxime provocent. Tu ad calorem adoleſcentiae addes calorem potationis, ibis, redibis, - ſaltabis cum puellis, et ego nihil mali ſuſpicabor ?*

S Franciſci Sales.

Abſit, ut damnemus converſationem hanc inter CERTO PROBOS: aut Mariam choros mulierum ducentem. Exod 15 v 20. aut Davidem ante arcam ſaltantem. 2 Reg 6 v 14. Quin agnoſcimus cum S Franciſco Saleſio Philotheae p 3 c 34 et 34: *Choreas natura ſua indifferentes eſſe:* affirmamus tamen cum eodem ibi: *juxta modum, quo comuniter aguntur, in malum valde propendere, atque adeo diſcriminibus, periculiſque ſcatere.* Ubi *damna* earum deſcribit, et *conditiones*, ſi *evitari nequeant*: Nempe imaginari 1: multos actu ob peccata in tripudiis admiſſa in inferno ardere. 2. multos actu intenſiſſimis cum doloribus in Lecto mortuali cruciari. 3. Alios Deum laudare. 4. Te ipſum, dum tripudias, morti appropinquare. 5. a Deo, quid agas, videri, judicari, in inſtanti puniri poſſe. etc. Lege ibi plura. At haec quis ſaltantium obſervat?

Pericula ſpectaculorum.

Spectacula theatralia periculi plena reddunt mimi, et mimae ad omnem laſciviam compoſiti, et ornati; quorum ſtudia, geſtus, cantus mollis, corporis inflexiones, motus omnes eo tendunt, ut in ſpectatoribus concupiſcentiam, iram vindictam, faſtum, ambitionem, aut alias paſſiones excitent: et niſi talia ad vivum exprimantur, niſi animi audientium commoveantur, titillentur, theatrum frigeſcit, mimi contemnuntur, deſeruntur. Unde hi nihil ommittunt eorum, quae ad paſſiones humanas excitandas ſunt idonea. Addunt muſicam mollem, quam meretriciam vocat O Chriſoſtomus. Intermiſcent intermedia obſcaeniſſima. Complent choreis impudentiſſime adornatis.

Communi SS PP doctrina hae ſunt *pompae* illae ſatanae, quibus in baptiſmo renunciavimus. Recole Salvianum mox laudatum. Igitur citatae PP contra ſpectacula invectivae tanto potentius urgent noſtra ſpectacula, quanto efficacius excitant venerem, et omnes Paſſiones humanas *mulierum* vox, cantus, geſticulationes, aſpectus, ornatus effaeminatus. *quibus* ſcenae Paganorum carebant, ut notant eruditi.

Occurritur Excuſationibus.

Dices cum mundi Filiis, et Filiabus: Te in *His omnibus* nihil mali ſentire. Reſp. 1. go Fruſtra declamarunt veteres, et medii aevi Patres. ut vidimus. 2. Tales vel ignorant, vel non curant peccata mere interna, delectationes moroſas: vel certe contemnunt praeſentiſſimum ad illa periculum, imaginationes turpes, commotiones. etc. 3. Reſp. cum S Chriſoſtomo hom 38 in cap XI Math: *Etſi tu - nihil inde mali contraxiſti, attamen quoniam alios imbecilliores exemplo tuo ſpectaculorum ſtudioſos effeciſti, quomodo non ipſe malum contraxiſti, qui cauſſam mali committendi aliis praebuiſti? Qui enim ibi corrumpuntur, OMNES CORRUPTIONIS CRIMINA, et CAUSSAM IN CAPUT TUUM TRANSFERUNT. Quare quamvis tibi nihil inde obfuerit (QUOD EGO FIERI POSSE NON ARBITROR) quoniam tamen alii cauſſa ludorum multa peccarunt, graves propter hoc poenas lues.* 4. Saltem ipſi mimi, et mimae, ac hiſtriores jure quoque Civili infames, ſunt in ſtatu damnationis, niſi artem ſuam deſerant. go eos ſolvere eſt juvare, ut ſic permaneant, ac ſe, multoſque alios perdant. Quod eſt palpare, et probare eorum malitiam Hanc quoque rationem urget aureum Os l c: *Si non eſſent, qui ſpectarent, nec etiam eſſent, qui luderent. Sic qui interſunt*, et ſolvunt tales, *cauſſa peccatorum ſunt, quae committuntur.* En quanta in uno facinore ſint crimina !

Per promiſcuam utriuſque ſexus converſationem praeter jam dicta intelligitur illa corruptela, qua ſinguli fere juvenes ruſtici aeque, ac cultiores habent ſuas *dilectas*, cum quibus converſantur, ſaltant, ludunt, deambulant, brachia ſu-

Quod ſi fecerimus, non verba Dei, non verba Chriſti dicentes, ſed noſtra, erimus Paſtores noſmetipſos paſcentes, non oves. Hactenus Auguſtinus. Ex quibus diſcimus, mollem hanc cum peccatoribus maxime habi-

---

ſientant, munuſcula praebent, et accipiunt, amorculos, et blanditias mutuo fovent. Haec eſt peſtis pudoris, verecundiae, et caſtitatis: Familiarum ruina, divitiarum jactura, turpitudinum omnium tirocinium, inter conjuges Zelotipiae, rixarum, et malorum omnium Seminarium, gimnaſium ambitionis, faſtus, et vanitatis foemineae. Verbo: caſtra *diaboli*: qui his artibus univerſale bellum evangelio Chriſti intentat majori parte Chriſtianorum *eum* ſequentibus. Quos omnes is ſolum excuſare poteſt, qui negat ſtupam igni admotam comburi. Excuſationes in peccatis, quod morem Patriae ſequi debeant, quod alias inurbani haberentur, quod puellae viros non invenirent: velut ab ipſis Turcis admiratione exceptas nec verbo, ne dum refutatione dignas ſtatuo. Cum peccata tanto magis ſint execranda, quanto magis in morem tranſeunt: et Faeminae ab his ſtudioſe caventes *gravium Matronarum* honore decorentur, ſingulariterque aeſtimentur, et expetantur. *Quid de converſatione promiſcua?*

Fructus hujus ſcholii ſit, ut omnes *praedeſcripto modo adornari ſolitarum* chorearum, ſpectaculorum, et converſationum frequentationi *dediti* h. n XXVII. una cum eis, qui talibus domos, litentiam, occaſionem, aut mercedem praebent, pro *conſvetudinariis* habeantur. Patet ex recenſitis hic SS PP. et ratio manifeſta eſt; quia omnes illi ad minimum *amant periculum*, proximam dico peccandi occaſionem, communem curruptelam fovent, palpant, promovent ſua praeſentia, mercede: magiſtratus licentia, vel diſſimulatione, quam impedire poſſent, et deberent. Ut mox ex aureo Ore audivimus. Habent ſane, quod meditentur ex cit PP illi, qui praemiſſos paſſim abſolvunt mox in eadem redituros!

Ergo, ais, omnes promiſcui ſexus neceſſariae diſtractionis occaſiones abſolute damnas? non ego, ſed cit maximi Eccleſiae Doctores. Ne tamen videar Anantropos, ne proclamer rigoriſta, probo, meamque facio doctrinam S Franciſci Saleſii mox recenſitam de *choreis*, et conditiones *earum*, ſi evitari nequeant. Quibus more olim Sanctae Siculiae noſtrae addi deſiderarem viros graves, etDeum timentes, qui attendant undique, ne quid mali contingat. Nec ſic tamen plena ſecuritas eſt innocentibus animabus a laſcivis, quibus plenus eſt in hac fece temporum mundus malignus. Ideo ſi quis advertat, Suum ſaltus ſocium in ignem impurum agi, inflammarique, tenetur abrumpere: ne continuando occaſionem illi praebeat majoris flammae, et forte conſenſus. Id quod longe magis tenetur is, qui minimam titillationem, et provocationem ad quaecunque illicita in ſe ab alio inſinuari advertit. In hoc enim puncto *negative* ſe habere, eſſet ſe quidem periculo exponere: compartis verò ſtudia fovere, promovere, et finere, ut is majora quoque cogitet, tentetque dubitans de mente ſic ſe negative habentis. Addo moderatam eſſe debere hanc quamcunque innnocenter inſtituendam commotionem: cavendamque ſubitam calidi cum frigido aëre commutationem, ſaepe repentinas mortes, morboſve graviſſimos teſte triſti experientia cauſſantem. *Conditiones ſaltus, ut minus nocivi ſint.*

Spectacula innocua fore puto, ſi prius actiones ſingulae a magiſtratibus, aut ab his conſtituendis viris timoratis examinentur, et reprobentur omnia, quaecunque vel ad ſpeciem venerem olent: permittantur ea ſolum, quae mores excolunt, virtutes commendant, et promovent. verbo: quae *populum meliorem* reddunt, ſive quae coram Parocho, aliiſque *viris Dei* ſine metu produci poſſe videantur. Sic ſuppono exhiberi ſpectacula in majoribus celebrium urbium theatris. Si fallor, in ea quoque cadunt laudatae hic SS PP invectivae. *Et Spectaculorum.*

Promiſcuae utriuſque ſexus converſationis nemo forte Advocatum aget: cum eam ipſi Turcae in Chriſtianis mirentur. Omnia tamen in hoc quoque genere reprobari nequeunt. ſecus Apoſtoli monitu *exire deberemus ex mundo.* Regula generalis haec eſſe poteſt a nullo reprobabilis: *converſationem noſtram neceſſitas, utilitas* noſtra, aut proximi, *Urbanitas, honeſtaſve exigat*: verbo talis ſit, *quae ad charitatem Dei finem omnium actionum noſtrarum* (Cap I n XXIX) *referri queat.* Sane in ipſis Sponſis caſtigata Theologia nihil tollerat praeter ea, quae ad caſtam benevolentiam conſervandam, et oppignoratam in ſuturum animorum conjunctionem non turbandam faciunt abſque ulla ſenſualitate, amorculis, tactibus, osculis, amplexibus (niſi *haec* fiant inter tales, qualis erat Jacob Gen. 29 v 11 oſculatus Rachelem: hoc eſt ex affectu cognationis, et ex more patriae abſente omni *motus*, multo magis *conſenſus periculo* accidant. Nam ſi *hoc* in *particulari perſona* adſit, *haec* nec affectum cognationis, nec morem Patriae in illis ſequi poteſt) ab- *Regula generalis de converſatione.*

habituatis agendi rationem esse damnabilem alienorum criminum palpationem, crudelem miserationem, detestandum adulationem, unam ex singularissimis, et praecipuis damnationis multarum animarum caussam

---

Paritas a Sponsis.

que item repraesentatione, vel delectatione de futuro licito usu matrimonii. Praemissa enim omnia potenter excitant venerem. Quae Sponsis absolute illicita est. Ex Sponsalibus enim nullum aliud *jus* aquiritur, quam *ad matrimonium*, caeteris paribus, sive non emergente gravi caussa contrarium svadente, *suo tempore ineundum.* Penes quod *jus* ineundi matrimonii, jus naturae, Divinumque urget *integritatem* mentis, et corporis talamo conjugali inferri, ac proinde omnia caveri, quae periculum excire possent. Exemplo Rebeccae, de qua Tertullianus l. de veland. Virg. cap 11: *Desponsatae habent exemplum Rebeccae: quae cum ad Sponsum duceretur, simul, ut cognovit ipsum esse, quem de longinquo prospexerat, non sustinuit dexterae colluctationem, nec osculi congressionem. O mulierem jam de Christi disciplina!* Confer Gen 24 v 65. Haec de Sponsis. quae potentissime urgent praemissa omnia multo magis cavenda esse solutis.

Caussa harum corruptelarum est naturalismus.

Heu temporum nostrorum iniquitatem! ante annos fere 50 mulieres Patriae nostrae a modestia, verecundia, pudore, taciturnitate, solitudinis studio erant laudatissimae. Verum lensim ab externis condidicerunt loquacitatem, audaciam, indiscriminatim cum omnibus etiam improbis conversandi licentiam. Hodie magno Dei beneficio redeuntibus patriae legibus, ac caeteris avitis moribus hanc quoque incaute conversandi utriusque sexus mutuam licentiam aequum esset reformari. Verum in hoc quoque viri mulieribus deberent bono exemplo praeire.

Qui breviter perstringitur.

Sed utrinque nihil agent ante, quam conjunctis animis, ac studiis omnes, qui Christiano nomine censeri volunt (par enim heic est, communisque caussa Catholicorum cum Reformatis, alisque Heterodoxis) cane, et peste ejus fugiant, atque ex conversatione sua aeternum excludant hodiernos *naturalistas*, praecipuos dictae corruptelae auctores, et promotores: utpote qui ut liberius peccent, fidei misteria pernegant: Ut tristem mortis memoriam extingvant, immortalitatem animae inficiantur: ut in brutalibus voluptatibus securius volutentur, sempiterna coeli gaudia, aeternas inferorum poenas somnia, et commenta Sacerdotum esse clamant. Quia infixi sunt *in limo* carnalium foeditatum, ideo malunt nullum Deum, quam *Vindicem malorum* agnoscere. Dum hi olim innocentes erant, aut minus saltem mali, erat eis Deus, Christus, Redemptor, Scriptura Sacra, caelum, infernus. At posteaquam in profundum malorum misere prolapsi sunt, simul omnia haec deserunt, fabulae factae sunt. Ipsis horrendis foeditatibus, abominandis carnalitatibus suis, quibus anima *suo modo* obbrutescit, sensum, dico, gustum, et desiderium caelestium perdit, miseri hi ad ejuranda Sacro Sancta fidei misteria sunt *illuminati.* Da mihi unum naturalistam Virginem, castum, modestum? da talem, qui peccato carnis facto, vel mente nunquam se foedavit? et quia talem ostendere nequis, me vera dicere fateri cogeris. O *illuminationem* ipsis infernalibus tenebris magis horribilem! Sed frustra sunt hi a caecitate sua illuminati: Frustra vim sibi inferunt *fortes hi Spiritus.* Quantumcumque conentur stintillam fidei in cordibus suis extingvere, legem tamen intus digito Dei Scriptam, remorsum conscientiae malorum suorum non extingvent. Hunc Judicem, hunc vulturem assidue circumferunt: qui eos, quidquid agant, quocunque se vertant, accusat, Judicat, vivi, et mobilis instar inferni discruciat, horrore appropingvantis mortis, et futurarum poenarum pene exanimat. Quem timorem suum si cum antiqua, dum innocentes erant, conscientiae suae malatia conferant, ipsi *illuminationem* suam a mundo, carne, sangvine, et daemone profectam esse, vel inviti agnoscant oportet. Quos (utpote Divinarum scripturarum, revelationis, traditionis, antiquitatis, communis etiam barbararum nationum consensus, sanae deniqne Philosophiae contemptores) sic ad hominem alloquor: Vel datur Deus, coelum, infernus etc: vel non datur: Si datur, vae vobis aeternum! nisi Eum *ad ductum revelationis* ab Ecclesia ejus propositae colueritis. Ut per se patet. Si non datur: Eum tamen colere nihil vobis nocebit post mortem; cum juxta vos toti moriamini: plurimum proderit in vita: cultus enim Ejus mores probos, viros coram mundo honestos, quod maximum est, conscientiae tranquillitatem praestabit: unice carnis vos *voluptatibus* privabit: *Quae ipsae* natura sua turpes sunt, et cum brutis comunes: vitam abbreviant, coram honestis vos contemptibiles reddunt. Ergo *illae* a vobis, qui eo omnia vestra studia dirigitis, ut in mundo feliciter, diuque vivatis nihil in alia sperantes, expeti, sectarique prudenter nequeunt. Igitur vestris armis, et principiis convincimini, Deum remuneratorem etc, quem negatis, vobis esse studiose colendum. Hungari!

ſam. Si lucri, offae, et temporalium obtinendorum intuitu fiat, manifeſtam Simoniam: Si congregandi ad ſe, atque ad Eccleſiam ſuam populi cauſſa contingat, tartareo rogo plectendam partialitatem. Quod pridem queſtus eſt D Chriſoſtomus *Hom* 26 ad Populum Antiochenum: *Omnia ſubverſa ſunt, omnia confuſa, quia vel ut in theatris multitudinem quaerimus*, NON *vero* PROBATAM PAUTITATEM. Si ex defectu ſcientiae agendi cum talibus accidat, eſſe ignorantiam prorſus intollerabilem. Si aliis ex cauſſis, neglectum officii Paſtoralis, ſollicitudinis, zeli, et charitatis erga animas Chriſti ſangvine redemptas horribilem prorſus, et miſerandum. En quantae in uno crimine abominationes! De hujusmodi *Palpombus* lamentatus eſt Jeremias Tren. Cap. 2. v. 14: *Filia Jeruſalem! magna eſt velut mare contritio* (confractio vulnera peccata) *tua, quis medebitur tui? Phrophetae tui viderunt tibi falſa, et ſtulta: Nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam* ad dignos fructus poenitentiae *provocarent!* Similes Medicis nihil de ſanitate aegroti Sollicitis, ideoque illi grata, ſvavia, lenia tantum praeſcribentibus, ne forte displiceant, mallentes blandiendo occidere, quam ad tempus pie, manſveteque vulnus aperiendo, pus exprimendo, remedia apta applicando, eorumque exactum uſum urgendo inſtar amantiſſimi Patris Filium vitae hujus amore inciſiones, et quasvis amaras medicationes pati jubentis vivificare. S Cyprianus iniquam hujuſmodi erga peccatores miſericordiam aſſerit *perſecutionem* eſſe, quae Fidelibus plus, quam crudelitas Tyrannorum nocuit. Audiamus flumen eloquentiae plus quam Tullianae *Serm. 5 de lapſis: Emerſit, fratres! novum genus cladis, et quaſi parum perſecutionis procella ſaeverit, acceſſit ad cumulum SUB MISERICORDIAE TITULO MALUM FALLENS, et BLANDA PERNICIES* (ne ad caeremonialem publicae poenitentiae diſciplinam recurras, nota ſequentia verba) CONTRA EVANGELII VIGOREM, CONTRA DOMINI, AC DEI LEGEM *temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita, et falſa pax, periculoſa dantibus, et nihil accipientibus profutura. Non quaerunt ſanitatis patientiam, nec VERAM DE SATISFACTIONE MEDICINAM, POENITENTIA A PECCATORIBUS EXCLUSA EST. - - Operiuntur morientium vulnera, et plaga lethalis altis, et profundis viſceribus infixa diſſimulato dolore contegitur. Hoc ſunt ejuſmodi lapſis, quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armen-* *quanto horum ſcelere.*

Hungari! Gens olim bellicoſiſſima, et caſtiſſima! cavete ab hac peſte naturaliſtarum: quae vos utraque hac gloria privabit, enerves, timidos, meticuloſos, quia molles, et effaeminatos redditura. Cujus *finis* eſt carnalis voluptas: *media* ſpectacula profana, choreae, libera utriuſque ſexus converſatio, et id genus alia inferni ad mores corrumpendos inſtrumenta. Cavete iterum moneo! ab *illuminatis*, a noviſſimis Doctoribus: *certiſſime enim avertent corda veſtra, ut ſequamini* carnalitates *eorum.* 4 Reg. II. Si quo caepiſtis, pede eatis, intra non multos annos ſingulae Civitates (nam pagos, et oppida minora minus hactenus fatua haec illuminatio pervaſit) Civitates inquam ſingulae erunt *ſicut Sodoma, et Gomorha, et finitimae civitates - abeuntes poſt carnem alteram.* Judae v 7. *Subintroierunt enim quidam homines* (*qui olim praeſcripti ſunt in hoc judicium*) *Impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, et ſolum Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.* Ibi v 4. *Hi quaecumque quidem ignorant, blaſphaemant: quaecunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur* v. 10. *Memores eſtote verborum, quae praedicta ſunt - vobis; quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores, ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes* v 17 18 19. Quibus noviſſimi hi doemonis emiſſarii graphice depinguntur. *Vos autem chariſſimi - - Voſmetipſos in DILECTIONE Dei ſervate.* Quae eſt pharmacum a recenſitis omnibus corruptelis, et peccandi periculis potentiſſie praeſervans. *Ad Hungaros de cavendis dictis peſtibus.* *v. 20. 21.*

tis peſtilens vaſtitas, quod navigiis ſaeva tempeſtas. Solatium aeternae ſpei adimunt, arbores radice ſubvertunt, ſermone morbido ad lethale contagium ſerpunt, navem ad ſcopulos, ne in portum perveniat, illidunt. Hactenus Cyprianus.

Levis poenitentia non eradicat Habitus pravos.

XXXIII. COROLLARIUM. Quam doctrinam etſi *auxeſis*, vel quocunque alio titulo eludere Satagas, hanc tamen collectionem nullatenus evadere poteris: ſcilicet *levis poenitentia non eradicat pravos habitus.* Ut hic a n XX evictum. go mollis, quam impugno, Theologia peſſime medetur lethalibus animae *illis* irretitae vulneribus. go miſericordia in parvis poenitentiis imponendis eſt crudelitas erga ſe, et poenitentes maxima: eſt una ex praecipuis tot miſerabilium relapſum cauſſis: cum SS PP, et ſcriptura hoſtiliter pugnans ethices mediae corruptela. Omnes hae conſequentiae ex antecedente certa innegabiles ſunt, et digniſſimae, quae hujus capitis COROLLARII inſtar omnium cordibus alte inſculpantur!

Ergo congrua neceſſaria.

Aperi o Deus! mentis omnium noſtrum oculos: ut tandem videamus, quantum diſtemus a *Spiritu tuo*, et Eccleſiae tuae (h a n XX) dum praetextu *ſublatae poenitentiae publicae* contra aeternam legem tuam *dignos fructus poenitentiae* non exigimus, nec praeſtamus, et ſic cauſſa ſumus, ut per timorem, imo etiam charitatem non perfectam *tecta* potius *ſopita*, et quaſi ad *modicum vinculata*, non extincta, non penitus eradicata prior *facilitas peccandi* mox ceſſante horariae poenitentiae tempeſtate, leviſſimae tentationis vi erecta, et priſtino vigori reſtituta miſerandos in relapſus erumpat! quis mihi dabit? ut veriſſimam hanc hodiernae poenitentiae noſtrae ideam omnes docili mente meditemur? ſic enim plane futurum ſpero, ut Sacram poen (addita ei *charitate initiali*, et *congrua ſatisfactione*) antiquae ſuae majeſtati conjunctis animis mox omnes reſtituamus.

in quibus operibus illa conſiſtat?

XXXIV. Reponis. Sub ſpecioſo *ſatisfactionis congruae* colore imponere humeris noſtris vis onus *perfectae contritionis* ut Sacramento poen neceſſariae. go manifeſte Contritioniſta es. At cui talia de nobis incidunt, aberrat is toto oſtio a Veritate: neque enim ad *congruam* ſatisfactionem praeciſe *charitatem*, (minus perfectam) requirimus, ſed cum Tridentino hic n XX *contrarios vitioſis habitibus virtutum actus:* cum Eugenio IV h n XXVI *orationem, jejunium, eleemoſinam*, ut ut his cum Auguſtino h n XXIV jungi velimus *contriti cordis ſacrificium*: et ut omnibus actionibus, ita et ſatisfactoriis *virtualem initialem charitatem.* Cap I n XXIX. n h XXVII ex PP demonſtrantes, longas, et laborioſas ſatisfactiones *habituatis* neceſſarias *non omni perfecta*, ſed *extraordinaria* dumtaxat charitate *in momento* ſupleri. Conf h n XXIX. His itaque cavillis contemptis

qui ſuscipere recuſat, non eſt diſpoſitus.

XXXV. Merito concludimus cum R P Gaſparo Loarte Soc Jeſu tam pio, doctoque Theologo, ut D Carolus Borromaeus eum propoſuerit tanquam *exemplar Confeſſariorum*, Libroſque ejus *actorum* p 4 edi juſſerit. Is igitur de *Inſtr. Confeſſ. cap* 9 aſſerit: „quod ſi Confeſſarius tollerabilem impoſuerit poenitentiam, nec tamen eam poenitens admitteret, nec *juſta aliqua ex cauſſa recuſaret*, etſi quidam putent abſolvendum, ne deſperans abeat; ego tamen non abſolvendum judicarem: quia ſi ſic affectus eſt, ad abſolutionem conſequendam NON EST DISPOSITUS, ERITQUE MELIUS, UT MALE CONTENTUS, QUAM DECEPTUS ABSCEDAT. Quoniam, ut ait S Gregorius *Can Falſas. de poenit. Diſt.* 5: falſas poenitentias dicimus, quae non ſecundum auctoritatem S S Patrum pro qualitate criminum imponuntur.„ Itaque verba Eruditiſſimi Card. de Aguir-

re

re *cit Diſſ* 8 in Conc. Toletan. IV n 195 mea facio, et cum eodem „Rogo ego Sacerdos omnium indignus, et olim, ac diu forſitan minus caute verſatus in excipiendis Confeſſionibus multorum, et remiſſus in ſatisfactionibus imponendis, rogo, inquam, per viſcera miſericordiae Jeſu Chriſti quoſvis Confeſſarios! reflectamus omnes ad praedicta verba Concilii Tridentini (Seſſ. 14. cap 8 hic n. XX relata) Imo Spiritus Sancti in ea dogmatica Seſſione loquentis. Conſideremus identidem illorum gravitatem! Etſi forte in ea parte deliquimus, et peccatorum alienorum participes facti ſumus ob imbecillitatem, aut deſidiam noſtram, faciamus dignos fructus poenitentiae, ſtudeamusque decaetero, ut et alii pariter illos faciant; alioquin et ipſi pſeudo poenitentes ob deſidiam noſtram relabentur, diceturque de nobis multo potiori jure, quam de Sacerdotibus quibusdam Hiſpaniae in Conc Toletano III: Saepius Lajcis tribuendo deſidioſe poenitentiam ad lamentanda rurſus facinora poſt acceptam poenitentiam relabuntur.„

Fructus hujus doctrinae.

Ut Omnes congruam poen. imponamus

Haec occaſione ſaeveritatis Eccleſiae Graecae circa ſatisfactionem. Quae evincunt ſatisfactiones noſtras *peccatorum gravitati commenſuratas* eſſe debere: et multum lucis adferunt *charitatis Sacramentalis* neceſſitati, *quae* praecipua, licet non unica, eſt poenitentia *medicinalis*, et *praeſervativa*, docente Apoſtolo 2 ad Cor. 7. v 10: *quae ſecundum Deum triſtitia eſt, poenitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.*

Sed jam praecipuum attritioniſtarum momentum de *omni charitate per ſe iuſtificante* altius pro dignitate excutiamus. Omnis enim laboris noſtri finis, ac ſcopus eſt *naturam charitatis* pernoſcendi.

CAPUT NONUM.

Vera Charitatis notio. Conditiones perfectae: quae ad Sacramentum non eſt neceſſaria: ſi tamen ex conſilio adſit, non evertit, ſed perficit Sacramentum. Ex quibus et initialis charitatis, et Sacrmti poen. natura mire clareſcit.

I. Gentium Doctor Corinthiis *Charitatem* commendaturus pro rerum dicendarum magnitudine ad ſingularem attentionem conciliandam praemittit dicens 1 Epiſt c 12 v 31: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*, quam ſuper omnia *chariſmata*, et dona Spiritus Sancti (quae ibidem prioribus vers deſcribit) *aemulari* debeatis. Tum *neceſſitatem* charitatis eructat, c 13 v 1 2 et 3: *Si - - charitatem - non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt.* Dein *officia*, et effectus ejus v 4, et ſeqq enumerat: *charitas patiens eſt, - non inflatur, non eſt ambitioſa, non quaerit, quae ſua ſunt, - omnia ſuffert.* etc. demum *praecellentiam ejus* ſupra fidem, ſpem, omniaque aliaque Dei dona inculcat v 8: *Charitas nunquam excidit. Sive prophetiae evacuabuntur, ſive Linguae ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur* v 12: *Videmus nunc per ſpeculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem,* v 13: *Nunc manet fides, ſpes, charitas, tria haec: major autem horum eſt charitas.* Hic contextus Paulinae enarrationis manifeſte prodit, ſermonem eſſe de charitate *actuali*: quam opponit aliis Dei donis *actuoſis*, et non mere *habitualibus*: ut res ipſa loquitur conferenti caput 12 cum 13. Deinde de qua fide, de eadem charitate differit Paulus. At

Attentio ad rerum gravitatem ex Apoſtolo.

Qui de actuali charitate agit.

de

de Fide, et ſpe nunc *manentibus*, in coelo autem *ceſſaturis* manifeſte loquitur: de *actuali* inquam earum operatione: cum nemini non certum ſit, *habitus* ipſos Fidei, et ſpei in coelo permanſuros, ſicut Filialis timoris, et aliarum virtutum omnium. go clare lucet, Gentium Doctorem agere de charitate *actuali*, et *actuoſa* hic inchoanda, in patria aeternis flammis in Deum arſura. Ex eodem contextu utriusque Capitis manifeſtum quoque ſit, aeque aberrare a vero eam opinionem, quae fingit, Vas Electionis agere de illis, qui *charitati contrarie* operantur, aut charitatis *actus ſtatis temporibus* (ſemel, iterumque in anno, et tempore tentationis, ut adverſarii definiunt) ommittunt. Ut enim haec poſtulata, et mere fictiones ſunt de *gratiis gratis datis*, et de fide et ſpe, quae ibidem Apoſtolus enumerat, ita et de charitate, quam ut *ſingularem*, et *particularem* virtutem (non contrarium, aut omiſſionem ejus) donis, ac virtutibus illis *ſingularibus*, non earum *contrariis*, aut *omiſſionibus* praefert. Redi ſis ad cap V n LIII not 2.

Charitas Regina Virtutum a caeteris diſtincta.

II. Stabilito proinde eo, quod Apoſtolus 1 ad Cor 13 loquatur de *charitate actuali*, ſequitur 1: Eam eſſe virtutum omnium Reginam: *major autem horum eſt charitas.* 2: Non *Univerſalem*, ſed *ſingularem* virtutem, a caeteris objecto, motivo, et praecepto diſtinctam: *Nunc manent* TRIA *haec: Fides, Spes, Charitas.* 3: Neque *aliarum Legum*, aut virtutum *obſervantiae* incluſam, ſed *perſe*, et *ratione ſui* ſpecialiter, diſtincteque Math 22 v 37 magnificis illis verbis praeceptam: *Diliges Dominum - ex toto corde tuo. Hoc eſt maximum* non unicum, et *primum*, non ſolum *mandatum.* Attamen 4: *Finem, et formam extrinſecam* omnium aliarum virtutum, ac Legum. Cap V a n XIX. Quam idcirco identidem, ſolliciteque inculcat Apoſtolus: ad Colos 3 v 12: *ſuper omnia autem haec* (prioribus verſibus enumeratarum virtutum omnium actus) *charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* 1 ad Cor 16 v 14: *Omnia veſtra in charitate fiant.* Haec nempe eſt *Ignis* ille caeleſtis, quem Servator *venit mittere in terram*, et quo mortalium corda *voluit* vehementer *accendi* Lucae 12 v 49. Eſt character Filiorum Dei, quo veri Chriſtiani a Diaboli mancipiis diſcernuntur; qui enim *non diligit manet in morte* 1 Joan. 3 v 14. Lege, et meditare utrumque cap 12 et 13 1 ad Cor. et de *actuali proximi* charitate ſermonem eſſe non ambiges: quam indiſſolubilem eſſe a *charitate Dei* mox docebimus.

Definitio.

III. Eam Magnus charitatis Magiſter Auguſtinus L 3 de doctrina Chriſtiana cap 10 definit, quod ſit *motus animi ad fruendum Deo propter ſemetipſum, ac ſe, et proximo propter Deum.* Ex quibus perſe lucet nobiliſſimae hujus virtutis objectum materiale *quod diligi debet*, eſſe *Primario* Deum, *ſecundario* noſmetipſos, et proximos noſtros: ſive omnes creaturas rationales aeternae gloriae capaces. Quibus verbis ſoli damnati, et Angeli reprobi a charitatis noſtrae obligatione excluduntur. Contra vero Boni Angeli, Sancti, animae in purgatorio detentae, *homines omnes boni aeque, ac peccatores*, fideles, ac infideles, amici aeque, ac inimici. Eadem obligatione includuntur. Objectum vero formale, PROPTERQUOD, ſive ratio, *ſub qua* charitas Deum reſpicit, eſt *infinita Dei bonitas propter ſe amabilis*; ſive *bonitatis plenitudo in omni genere perfectionum conſiderata.* Aut clarius *cumulus omnium perfectionum DEI* univerſim pleniſſime *IN SE*, *NOBISQUE boni* eodem modo, quo cap II n II *fontem juſtitiae* intelligendum eſſe docuimus. quod breviter complexus eſt Mellifluus tr. *de diligendo Deo cap* 1 dicens: *Cauſſa diligendi Deum Deus eſt: modus ſine modo diligendi.* Atque in hac ratione formali charitas diſtin-

Ejus objectum materiale, et formale.

ſtingvitur a duabus aliis virtutibus *Theologicis* *Omnes,* enim reſpiciunt Deum, ſed ſub diverſa ratione: Fides ut *primam veritatem* falli, et fallere neſciam. *Spes ut olim poſſidendum.* Charitas *ut in ſe*, et *nobis* actu *bonum.* Hoc ipſum eſt *formale motivum* diligendi *nos*, ac *proximum*: quia omnes ſumus creaturae *Dei.* 2. Ad *imaginem ejus* in anima Spirituali, et immortali; in intellectu, memoria, et voluntate *relucentem* conditi- 3. Ad amandum in vita, ad poſſidendum in patria Creatorem noſtrum ordinati. *in gloriam meam creavi eum.* Quin ut ſpes eſt, olim in coelo ſimul Deum, et nos in Deo amaturi ſumus. go hic inchoandum. 4. In proximis relucent perfectiones Divinae ut Creatoris, Redemptoris, bonitatis, miſericordiae. etc. 5. Id Deo gratum eſt. 6. Quia charitas Dei in nobis ardens, et dominans urget no; ad ſatagendum, ut Deus in ſe, et nobis infinite Bonus a quam plurimis, imo ab omnibus, qui adhuc capaces ſunt, diligatur. Proin dilectio proximi *reductive* eſt dilectio Dei juxta illud: *Propter quod unum quodque eſt tale, et ipſum magis eſt tale.* Nempe *amor proximi eſt propter Deum.* Ergo *amando proximum, amamus Deum.* Et praecepta haec: *Diliges Dominum Deum tuum, et proximum tuum ſicut teipſum,* ſunt ita inter ſe connexa, ut nec Deus ſine amore proximi; nec proximus ſine Dei charitate, ut par eſt, diligi queat. Ut clare docet Auguſtinus tr 83 in Joann: *Ubi dilectio proximi, ibi NECESSARIO etiam dilectio Dei; qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proximum tanquam ſeipſum? quando quidem non diligit ſeipſum. Eſt quippe impius, et iniquus: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Haec obſervando preecluditur evaſio eorum, qui dicunt hoc, illudve praeceptum e. g. *Qui non diligit manet in morte*, aut mox cit 1 ad Cor. cap 13 *ad proximi*, non ad *Dei dilectionem* pertinere. Quaſi *proximus* poſſet diligi ſine charitate Dei, cum *is* propter Deum unice diligatur.

Diſticta a Fide, et Spe.

Iſai 43 v 7.

Motivum charitatis noſtri, et proximi eſt Deus.

IV. Haec eſt altiſſima, atque omnibus neceſſaria doctrina *Sanctorum.* Quam ſic explicat D Gregorius M: *Siquis aliquem amat, ſed NON PROPTER DEUM amat, charitatem non habet, ſed habere ſe putat. Charitas vera eſt, cum et IN DEO diligitur amicus, et PROPTER DEUM diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos, quos diligit, qui jam et eos diligere, a quibus non diligitur, ſcit. Ille ergo ſecurus amat, qui PROPTER DEUM illum AMAT, a quo ſe intelligit non amari. Magna ſunt haec! alta ſunt haec, et multis ad exhibendum difficilia! Sed tamen iſta eſt VESTIS NUPTIALIS: quisquis autem hanc recumbens in nuptiis non habet, jam ſollicitus metuat ingrediente Rege, quod mittatur foras.* Idipſum ſeraphice illuſtrat D Bonaventura in 3 Diſt 27 q 2 n 13: *Actus charitatis eſt diligere: diligere autem idem eſt, quod velle bonum. Dum ergo charitas diligit aliquem, bonum optat ei, quem diligit, iſtud autem bonum, quod charitas diligit, unum ſolum eſt, videlicet BONUM AETERNUM, et BONUM SUMMUM. Iſtud autem ſummum bonum aliquando per charitatem optat DEO, aliquando SIBI, aliquando PROXIMO. Secundum quod optat ipſi DEO, dicitur diligere Deum, quia vult, ut ipſe Deus ſit ſummum bonum, et quod habeat omne bonum per eſſentiam. Secundum quod optat illud PROXIMO, ſic dicitur diligere PROXIMUM, quia vult, ut HABEAT ILLUD BONUM per Gratiam, et gloriam. Secundum quod optat illud SIBI, ſic dicitur diligere SEIPSUM. Generaliter ergo IN ACTU dilectionis charitatis UNUM EST BONUM OPTATUM, licet multa, quibus illud bonum optatur: et illud eſt obiectum principale ipſius habitus diligendi, quoniam ipſum PROPTER SE OPTATUR a charitate, ita quod habeat rationem OBJECTI PRINCIPALITER MOVENTIS, ET FINIS QUIETANTIS. Et quia illud eſt unum ſolum, ſive comparetur ad eum, qui habet charitatem, ſive comparetur ad ejus proximum; hinc eſt, quod*

Non eſt vera charitas Theologica niſi ſit PROPTER DEUM.

Quomodo charitas una tendat jam ad Deum:

Jam ad proximum.

Jam ad ſe.

Semper propter Deum.

CHARITATIS HABITUS DEBET ESSE UNUS: quoniam DEUM SEMPER RESPICIT UT UNICUM OBJECTUM, LICET MODIS DIVERSIS. *Etsi objicias* (pergit ibidem n 14 S Doctor) *quod charitas non tantum facit, quod homo velit proximo bonum, quod DEUS est, sed etiam omne aliud bonum: dicendum, quod hoc non est PRINCIPALITER, et ELECTIVE, sed quasi CONSEQUENTER, et IMPERATIVE.* Bonum enim, quod volumus proximo distinctum a Deo, debet esse *medium*, et *adminiculum* ad Deum assequendum, ut docet Augustinus *L de Doctr Christiana* c 29: *Velle debemus, ut omnes diligant nobiscum Deum*, et *totum quod vel eos adjuvamus, vel adjuvamur ab eis, ad illum finem referendum est.* go et eleemosinae dandae motivum, ac finis debet esse, ut pauper vivat ad amorem, et gloriam Dei hic quaerendam, olim assequendam *his mediis*, quae ei do.

Bonum inferius Deo debet esse medium ad assequendum Deum.

Motivum dandae eleemosinae.

V. Ex his porro principiis Divinam charitatem plane Divire exponentibus deducimus sequentes sequales tanto ad salutem magis necessarias, quanto in praxi Fidelium rariores. 1. Si quis teste Magno Moralium Parente *quem amat, non propter Deum amat, charitatem non habet.* go dum Parentes, Superiores, Benefactores *propter beneficia, quia nobis sunt boni*; aut amicos, proximos propter *simpathiam*, similitudinem genii, aliasque Deum non respicientes rationes amamus, non est charitas Theologica, sed pure naturalis, sensualis, sterilis, omnisque meriti supernaturalis vacua dilectio; de qua Doctorum Aquila Augustinus Tract. 83. in Joan. ita pronunciat: *Hoc praeceptum teneamus, ut invicem diligamus, quoniam quidquid aliud est, hic habemus. DISCERNITUR quippe ista dilectio ab illa dilectione, qua SE INVICEM DILIGUNT HOMINES; nam, ut discerneretur, adjunctum:* Sicut dilexi vos. *Ut quid enim dilexit nos Christus? NISI UT REGNARE POSSIMUS CUM CHRISTO. Ad hoc ergo et nos invicem diligamus, UT DILECTIONEM NOSTRAM DISCERNAMUS A CAETERIS, qui NON AD HOC se invicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se PROPTER HABENDUM DEUM diligunt, ipsi se diligunt* (Theologice, et Evangelice.) Quia *ut se diligant, Deum diligunt. Non est haec dilectio in omnibus hominibus, pauci se propterea diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus.* Merito itaque Math. 5 v 46, et 47 aeterna veritas inculcat: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et Publicani hoc faciunt? et si salutaveritis Fratres Vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et Ethnici hoc faciunt? estote ergo perfecti* ex motivo *supernaturali* propter *Deum* indiscriminatim *omnes proximos* diligendo.

Amor ex motivis naturalibus non est vera charitas.

Amor Dei, et proximi separari nequeunt

VI. Sequitur ex dictis II: Quod quia docente Seraphico Doctore in actu charitatis *unum est optatum bonum Deus*, unum *objectum principaliter movens*, et *quietans*: Unus *habitus* Deum, et proximum propter Deum diligens; go nequit homo diligere *Deum* sine dilectione *proximi*. Duo haec praecepta scriptura ordinarie conjungit. Math 22 v 37 39. Marc. 12 v 30 31 Lucae 10 v 27 decretorie dilectus discipulus 1 Joan 4 20: *Siquis dixerit, quoniam diligo Deum; et Fratrem suum oderit, mendax est.* V 21 *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et Fratrem suum.* Pulcherrime haec illustrat S Joannes Damascenus *L 1 parallelorum c* 18: *Quemadmodum nec omnia sine corpore, nec rursum corpus absque anima hominis nomen obtinet; eodem modo nec charitas erga Deum, nisi charitatem erga proximum comitem habeat, charitas dicenda est; nec rursum charitas erga proximum charitatis nomen tueri potest, nisi charitas erga Deum accesserit.* Hinc sicut dilectio *proximi* est convincens argumentum dilectionis *Dei*, ita defectus charitatis *proximi* evidens signum est carentiae charitatis Dei. Hoc dicit Apostolus ad Rom. 13: *qui diligit proximum*

Defectus charitatis proximi est signum defectus charitatis Dei

ximum, legem implevit, et ad Galath. 5: *Omnis enim Lex uno ſermone impletur: diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Quaerit V Beda *in Epiſt. ad Rom. c* 1: quare D Paulus c 1 loquatur de amore proximi, et hoc uno praecepto totam Legem contineri doceat? reſpondetque cum Auguſtino: *quia dilectionem Dei poſſunt homines mentiri: in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum inique cum hominibus agunt. Conſequens eſt autem, ut qui ex toto corde diligit Deum, diligat et proximum ſuum; quia hoc jubet ille, quem ex toto corde diligit. Item diligere proximum, ideſt omnem hominem quis non poteſt, niſi Deum diligat, cujus praecepto, et dono dilectionem proximi poſſit implere. Cum ergo praeceptum utrumque ſit,* UT NULLUM SINE ALTERO POSSIT TENERI, *etiam unum horum commemorare plerumque ſufficit, cum agitur de operibus juſtitiae; ſed* OPPORTUNIUS ILLUD, DE QUO FACILIUS QUISQUE CONVINCITUR.

Quam amplus hic aperitur campus cuique pernoſcendi *amorem* ſuum *erga Deum* ex amore *proximi!* Nam ut nihil dicam de adulterio, homicidio, furto, falſo teſtimonio, concupiſcentia bonorum, et honorum alienorum, aliisque gravioribus proximi injuriis, ex quibus Apoſtolus ad Rom. 13. v 9 et 10 evincit defectum charitatis proximi, et juxta dicta *Dei*: an amabo Te! diligit is proximum, et per conſequens Deum, qui bonis proximi ſui, ut ſuis non laetatur? quin taedio, et maerore aliquo afficitur? qui *perditum ſibi* putat, quod proximo obtingit? qui vix loqui poteſt cum *altero*, quin de tertii defectibus ſermo incidat? qui omnem obvium dijudicat? nullum proximi defectum diſſimulat? nihil in melius interpretatur, quin auget, et exaggerat? *excolans in aliis culicem, camelum in ſe glutiens: ejiciens ex oculis Fratris ſui feſtucam, trabem autem in oculis ſuis non conſiderans?* Haec, et ſexcenta hujusmodi tumoris, philauciae, amoriſque *noſtri*, contemptus vero aliorum prae nobis argumenta, quae levia, quin vix peccata putamus, evincunt, nos vacuos prorſus eſſe charitate *proximi*, et, quod inde juxta dicta ſequitur, *Dei*, *Una* enim, *eademque Dei*, et *proximi* eſt *charitas* juxta Bonaventuram, aut *individibilis* ſaltem juxta Damaſcenum: quae teſte Apoſtolo 1. ad Cor 13: *patiens eſt, benigna eſt, non aemulatur, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quaerit, quae ſua ſunt, non irritatur, non gaudet ſuper iniquitate, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſuſtinet.* etc. Quae charitatis officia niſi erga proximum ſincere, et candide exhibeamus, de regnante in nobis charitate Dei fruſtra, et *mendaciter* dilecto Apoſtolo intonante nobis blandimur.

Modus naſcendi, an charitatem Dei habeas.

Signa defectus charitatis Dei.

VII. Illuſtrat haec 3a ſequela: Praedeſcripta *una, et individibilis Dei, et proximi charitas* debet eſſe *interna, ſeria, ſincera*, ex corde, et animo candido coram Deo profecta. Debemus enim Deum diligere *toto corde, tota anima*; proximum vero SICUT NOS IPSOS: at quis *ex corde intimo* non diligit ſeipſum? go et proximum eadem *interna* ſinceritate fuci, et ſimulationis omnis experte complecti nos oportet. Contraria doctrina in Schola Machiavelli nata diris devota eſt ab Innocentio XI 1679 ppone X: *non tenemur proximum diligere actu interno, et formali.* Similis eſt propoſitio II: *Praecepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

Qualitates charitatis.

Sit interna.

Non tamen ſufficit *interna dilectio*: Sed in actus *externos* prodire identidem debet. Nam opera *externa* charitatis ſunt *fructus, et effectus* internae verae dilectionis. De quibus ita inſtruit Magnus charitatis Magiſter Auguſtinus Lib XI *de vera felicitate: Debet* et *proximum diligere TANQUM SEIPSUM, ut quem potuerit vel BENEFI-*

Et externa.

NEFICENTIAE CONSOLATIONE, *vel* INFORMATIONE DOCTRINAE, *vel disciplinae* COERCITIONE *adducat* AD COLENDUM DEUM. En ſtrictum praeceptum germanae in proximum charitatis omnes mortales ſine exceptione ſtringens *adducere proximum ad colendum Deum!* Vide Gregorium, et Bonaventuram idipſum inculcantes h n IV. Eadem media, quibus *proximum ad colendum Deum adducamus*, Idem Auguſtinus *Enchirid c* 72 generali *eleemoſinae* nomine his complectitur: *Non ſolum qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, aegro, vel incluſo viſitationem, captivo redemptionem, debili ſubvectionem, caeco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medicinam, erranti viam, deliberanti conſilium, et quod cuique neceſſarium eſt indigenti; verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemoſinam dat: Et qui emendat verbere*, in quem poteſtas datur; *vel coercet diſciplina; et tamen peccatum ejus, quo ab illo laeſus eſt, vel offenſus dimittit ex corde, vel orat, ut ei dimittatur, non ſolum in eo, quod dimittit, atque orat, verum etiam in eo, quod corripit, et aliqua emendatoria poena plectit, ELEEMOSINAM DAT, Quia MISERICORDIAM praeſtat. Multa enim bona praeſtantur invitis, quando eorum conſulitur utilitati, quia ipſi ſibi inveniuntur inimici: Amici vero eorum potius illi, quos inimicos putant, et reddunt mala pro bonis; cum reddere mala Chriſtianus non debeat pro malis. Multa itaque ſunt genera eleemoſinarum, quae cum facimus, adjuvamur, ut dimittantur noſtra peccata.* Angelicus Auguſtini diſcipulus breviter haec complectitur 1 2 q 32 a 2 dicens: *Ponuntur ſeptem eleemoſinae corporales, ſcilicet: paſcere eſurientem, potare ſitientem, veſtire nudum, colligere hoſpitem, viſitare infirmum, redimere captivum, ſepelire mortuum.* Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. *Ponuntur etiam ſeptem eleemoſinae ſpirituales, ſcilicet: docere ignorantes, conſulere dubitanti, conſolari triſtem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare oneroſos, et graves, et pro omnibus orare.* Conſule, carpe, doce, ſolare, remitte, fer, ora. De his grandis nobis reſtaret ſermo; ſed ne immenſi ſimus, probamus omnia, quae Antoine tr *de charitate* cap IV *de eleemoſina*, et cap V *de correctione fraterna* differit.

Elemoſina latiſſime patet.

Opera eleemoſinae corporalis:

Et Spiritualis.

VIII. Quin ut charitatis plenam commendamus opinionem ejus cap IV cit: Ubi q II Reſp IV loquens de *ſuperfluis ſtatus* etiam in *communi neceſſitate* pauperum laudatis clariſſimis textibus praecipuorum Eccleſiae Patrum, utpote: Ambroſii, Hieronimi, Auguſtini, Gregorii M, Angelici concludit: *Etſi divites ſint ſuperfluorum domini reſpective ad ALIOS HOMINES; non tamen* RESPECTIVE AD DEUM; *cujus ſunt diſpenſatores, et qui illis haec bona dedit,* UT EA IN PAUPERES IMPENDERENT. *Nam juxta SS Patres laudatos ſuperflua impendi debent in pauperes, non ſolum ex charitate erga proximum, ſed etiam* EX JUSTITIA ERGA DEUM, QUI EA BONA IN HUNC DUMTAXAT FINEM DEDIT.

Grandis obligatio divitum eleemoſinae faciendae.

Qui Domini non ſunt ſuperfluorum reſpectu Dei.

Cum doctrina haec una ex maxime neceſſariis ſit, addamus quosdam PP textus a Patre Antoine laudatis multo clariores: S Baſilius *Hom in Luc: Quem tandem*, quaerit, *injuria afficio, dum, quae mea ſunt, retineo? quaenam autem quaeſo, tua ſunt? an non nudus e materno utero exiviſti? an non nudus rurſus in terram reverteris? quae autem nunc habes, unde tibi contigerunt? Si a fortuna dixeris, impius es; ſi autem ea te a Deo habere confiteris, affer jam cauſſam, quamobrem acceperis? nunquid iniquus eſt Deus, qui ea, quae ad degendam vitam attinent, nobis haud aeque diſtribuit? ecquid eſt, cur tu opibus abundes, ille contra egeat? an non omnino, ut et tu benignitatis, ac* FIDELIS ADMINISTRATIONIS *mercedem referas, et ille ingentibus patientiae praemiis ornetur? Siccine vero cum tu vaſtiſſimo, atque inexplebili avaritiae tuae ſi-*

Igitur ILLA *ex juſtitia erogare debent pauperibus.*

nu

nu omnia coercens, nemini te injuriam inferre censes tot homines eorum usu SPOLIANS? *quis est avarus? nomine is, qui eo, quod satis est, non aquiescit?* QUIS SPOLIATOR? *an non is, qui sua cuique eripit? Tu igitur avarus, et* SPOLIATOR *non es, qui ea, quae* ADMINISTRATIONIS *caussa suscepisti,* TUA *ducis? Si quis homini vestem detrahit, citra controversiam fur est: qui nudum non induit, cum id facere possit, alio nomine appellari debet? Famelici est panis ille, quem retines: Nudi vestimentum, quod asservas: egentis illud aurum, quod humi defossum habes: ac proinde tot homines injuria afficis, quot sunt, quibus praebere poteras.* Pari claritate differit Os aureum *Serm 2 de Lazaro; Quemadmodum,* inquit, *Regalis aerarii Custos si commissas sibi pecunias illis ipsis, quibus est jussus dispensare, impertiri neglexerit, sed in suas contulerit voluptates, plectitur; ita Vir dives seje gerere debet ad instar* QUAESTORIS *cujuspiam, qui a* DEO IPSO PECUNIAS PAUPERIBUS EROGANDAS ACCEPIT. *Quamobrem si majorem ejusmodi pecuniarum copiam, quam poscat sua ipsius necessitas, suos in usus convertat, se gravissime plectendum noverit;* NON ENIM EJUS SUNT, *quae possidet, sed* CONSERVORUM, *quos egestas affluxerit.*

IX. Haec Sancti *de omnibus divitibus.* Quae multo magis urgent CLERICORUM *superflua ex justitia in pias* caussas eroganda esse. Quibus una praecipuum quoque telum excutitur e manibus eorum, qui asserunt, HORUM obligationem erogandi in pauperes *superflua* ex solo *praecepto* Ecclesiae, et ex *charitate*, non ex *justitia* oriri. Nam, inquiunt, SS Patres *Laicorum* etiam *superflua* ajunt esse *pauperum*; et tamen nemo dicet *divites saeculares ex stricta justitia* obligatos esse ad erogandа superflua pauperibus. go ita discurrendum volunt et de *Clericis.* At nos negamus rotunde eorum assumptum. Summorum enim Ecclesiae Luminarium oraculis certum tenemus cum P Antoine, *Saecularium superflua* esse *Dei*, et ex *stricta justitia* in pios fines expendenda. Nihil enim urget tam emphatica SS PP testimonia non in sensu *obvio*, quem verba exprimunt, sed per *auxesim*, et exaggerationem: hoc est dictu minus Theologice, minusque vere dicta intelligendi. go eadem obligatio inconcussa manet tanto fortius respectu *Clericorum.* Ad amoliendam tamen piae sententiae falsam, invidiosamque calumniam notari debent termini Patris Antoine h n VIII: *etsi divites sint Domini superfluorum respective ad* ALIOS HOMINES: *non tamen respective ad Deum.* Ex quo priori membro periodi sequitur, pauperes in *superflua Divitum*, et *Clericorum* Dominium non habere: nec proinde auferre *illa* posse invitis *his* extra casum *extremae* necessitatis. In quo omnia sunt communia. Asserunt quidem PP, illa esse *pauperum*: sed *generaliter*, et *indeterminate*, atque ad *arbitrium Divitis eligendorum.* Ex quo sequitur, nulli *determinato, et singulari* pauperi jus *strictum* competere in superflua. Paritas est ab Eleemosinario, cui Rex tradit pecuniam arbitrio Eleemosinarii eligendis pauperibus distribuendam. Qui absque dubio tenetur ex justitia erogare pecuniam Regis: Sed tamen verum furtum committeret pauper ab Eleemosinario non electus ex illa clependo. Caetera luculenter edisserit Antoine de *obligationibus* cap I q V.

Tanto magis eadem obligatio stringit Clericos.

X. Sed ne praemissa frustra scripserimus, praecludenda est illa multorum evasio ad excusandas excusationes in peccatis de *carentia superfluorum* inventa, et Innocentii XI 2 Martii 1679 ppone 12 his verbis proscripta: *Vix in Saecularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui.* Enimvero si scripturam, si Patres audiamus, multa circa nos inveniemus *superflua.* Pulcherrima sunt illa Gentium Doctoris Timotheo suo, et in eo omnibus nobis data documenta 1 ad

Falsum est, vix inveniri superflua.

Tim 6 v 6 et seqq: EST QUAESTUS MAGNUS PIETAS CUM SUFFICIENTIA. *Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem* ALIMENTA, *et* QUIBUS TEGAMUR, *his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum Diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam appetentes inseruerunt se doloribus multis. Tu autem o homo Dei! haec fuge: Sectare vero pietatem,* CHARITATEM. Pari svavitate instruit Augustinus *in ps* 147: *Multa superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus. Nam si inania quaeramus, nihil sufficit. Fratres! quaerit natura, quod sufficit* OPERI DEI; *non quod sufficit cupiditati vestrae. Cupiditas vestra non est opus Dei.* Quid igitur est *opus Dei? Natura, et status,* in quo nos Divina constituit providentia. Ea igitur tantum sunt *necessaria*, quibus secundum *conditionem nostram* ad praescriptas *modestiae*, et Sanctae *simplicitatis* Christianae regulas sine *anxia sollicitudine, munde, hospitaliter*, in *laudabili mediocritate* nos, ad nosque pertinentes sustentare valemus cum *provida provisione* ad futuros *haud longe distantes*, et *verosimiles* necessitatum eventualium casus. Reliqua omnia *superflua* sunt, ut explicat Doctor Angelicus 2 2 q 52 a 5 dicens: *quibus* homo *non indiget, neque ad sustentationem vitae, et suorum, neque ad decentem sui status conservationem, etsi pauperes extremae necessitatis non compareant. (quibus etiam ex necessariis STATUS, tanto magis ex superfluis subveniendum est.) neque oportet occasionem futurae necessitatis praetendere* ULTRA PROBABILIA SIGNA FUTURAE NECESSITATIS: *quia haec est superflua sollicitudo, quam Dominus prohibet Math. 6: nolite solliciti esse.* Quibus verbis et damnatur *sollicitudo* in *annos plurimos*, Lucae 12 v 19: et probatur *provida* provisio (absque neglectu tamen interea quoque praeceptae miserationis) in unum, alterumve annum *probabilis necessitatis.* Sane qui suo tempore *providus* non est, in necessitate *sollicitus* erit. Pulchre moralium Parens in cap 12 Lucae: *non hoc praeceptum putandum est, ut nihil pecuniae reservetur a Sanctis vel suis scilicet, vel pauperum usibus suggerendae: cum et Dnus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam locutos habuisse legatur, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens: Sed* NE DEO PROPTER ISTA SERVIATUR, *et* OB INOPIOE TIMOREM JUSTITIA DESERATUR. Quod avaritiae est. Cui extreme opponitur *superfluis pauperum* aeque, si non magis inimica *ambitio, prodigalitas, incuria* rerum suarum, et inanis *splendoris studium.* Quibus qui laborant, quidquid undique aquirunt, omnia suo *luxui* necessaria putant; cum simplo *honeste* vivere possent, duplum, triplumque effundunt; ideo saepe in gravissimas angustias, ad ipsasque extremas incitas deveniunt cum gravissimo damno in vita Creditorum, in morte successorum, semper pauperum. His inclamamus cum Augustino: *Si inania quaerimus, nihil sufficit. Cupiditas vestra non est a Deo. Pauperum est, quod ad inanem pompam effunditis.* Papae! curiosus amicus est ille, qui egente amico delicias quaerit: cum sincerus amicus omnibus non necessariis studiose sibi temperet, ut dilectum suum esurientem reficiat. En esurit in pauperibus Deus: *esurivi enim:* et nos superfluis deliciabimur? meditare epist S Hieronimi ad Nepotianum, ubi maximus Doctor *delicatum Clericum velut pestem fugiendum* docet. Adde I Joan c 3 v 17 et 18. Jacob 2 v 15: ut discas esurienti in suis Deo ideo te exaltanti cum modesta, et avaritiae experte parsimonia aeconomizare. Haec de eleemosina *corporali.*

Quae sint bona necessaria?

Quae superflua?

Sollicitudo damnatur, provisum esse laudi est.

Vitia Bonis superfluis inimica.

XI. Jam ut et de *Spirituali, sive Correctione Fraterna* paucula attingamus, juvat audire Augustinum *in expos. c 6 ad Gal* exponen-

nendo illa 2 ad Tim 4: *Insta opportune, importune* ita definientem: *Insta* OPPORTUNE: *quod si hoc modo non proficis,* IMPORTUNE: *Ita intelligendum est, ut tu opportunitatem omnino non deseras: et sic accipias, quod dictum est* IMPORTUNE, *ut illi videaris importunus, qui non libenter audit, quae dicuntur in eum; tu tamen scias, hoc illi esse* OPPORTUNUM, *et dilectionem, curamque sanitatis ejus animo teneus mansueto, et modesto, et Fraterno. Multi enim postea cogitantes quae audierint, et quam juste audierint, ipsi se gravius, et severius arguerunt, et quamvis perturbatiores a Medico viderentur abscedere, paulatim, verbi vigore in medullis penetrante Sanati sunt.* Ex quibus discimus 1: hoc genus *eleemosinae* urgere, etsi correctionem *ingratam*, quin *corrigendum molestum* nobis fore, et *tratum* praevideamus, modo illum spes sit, successive saltem ad cor rediturum. Discimus 2: Hoc officium charitatis magna *cum mansvetudine*, atque unice charitate impellente suscipiendum esse. De qua conditione ita Augustinus l mox cit: *Nunquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquido nobis coram Deo respondemus,* DILECTIONE *nos facere. Quod si convitium, vel minae, vel etiam persecutiones ejus, quem argueris, laceraverint animum, nihil respondeas, donec saneris prior; ne forte carnalibus motibus tuis ad nocendum consentias, et exhibeas lingvam tuam arma iniquitatis peccato ad reddendum malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis. Dilige, et dic quod voles.* (ut Christus Lucae 24 Discipulos *stultos* appellavit non ex convitio, sed ex summa charitate) *nullo modo erit, quod specie maledicti sonuerit, si memineris, senseriscque te in gladio verbi Dei liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. Quod si forte, ut plerumque accidit,* DILECTIONE *talem susceperis actionem, sed inter agendum subrepserit aliquid, dum tibi resistitur, quod te - - isti homini faciat infestum, postea te lacrimis lavantem hujusmodi pulverem multo salubrius meminisse oportebit, quam non debeamus super aliorum superbire peccata, quando et ipsa eorum objurgatione peccamus, cum facilius nos ira peccantis iratos, quam miseria misericordes facit.* S Gregorius L 23 Mor c 8. *Mansvetudini* adjungendam docet *humilitatem*, et *propriae nostrae infirmitatis agnitionem: quia aut* TALES SUMUS, *quales corrigimus; aut tales* ALIQUANDO FUIMUS. (addo: aut tales *esse* POSSUMUS.) item *alia ipsorum bona nobis ante oculos revocemus: quae si nulla sint, ad occulta Dei judicia recurramus: quia sicut nos nullis meritis hoc, quod habemus, accepimus, ita illi supernae virtutis gratia excitati poterunt nos in bonis operibus praevenire. Quis enim crederet, quod per Apostolatus meritum Saulus Lapidatum Stephanum praecessurus erat? dum in morte ejus Lapidantium vestimenta servabat. His ergo primum cogitationibus humiliari cor debet, et tunc demum delinquentium iniquitas increpari.* Mellifluus Doctor *de perf. vitae Spiritual tit ult* sapienter monet: *Quia Fraterna correctio non habet locum, ubi non speratur emendatio, et frustra venit sonus ad aures, nisi Deus in corde loquatur, qui solus convertit corda hominum: Fraterna correctio debet fieri cum magno MODERAMINE, cum GEMITU,* et *BENEVOLENTIA, suo LOCO, suo TEMPORE, ORATIONE PRAECEDENTE.* Svaviſſime inculcat etiam S Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus *L 4 Epist: Semper censurae supercilium frontis serenitate, arrisu oris, blanditio obtutuum mitigari debet; multo autem magis humanitate verborum, et declaratione* AMORIS, *qui te ad molestum, sed necessarium conatum admonitionis impellat. Inferendi etiam colloquio amplexus, demissae venerationes, caeteraque benevolentiae sinceae, reverentiae non fucatae signa idonea; quorum velut mellis, aut balsomi admixtione amarities condiatur nauseosi per se remedii, et si merum* (fine condimentis dictis) *obtrudatur, insalubris evasuri.*

Praeceptum Fraternae correctionis urget.

Etiam cum molestia corrigentis:

Si spes sit emendationis.

Charitate suscipi debet.

Cum patientia.

Cum humilitate.

Oratione praecedente.

Cum mansvetudine.

Cauſſa hoc cur praeceptum fere negligatur.

evaſuri. Nam ſi ad odium triſti negotio innatum aſperitatem vocis, auſteritatem vultus, frontis, ac rigidi aſpectus minas adjunxeris, vereor equidem, ut ſtomacho imperent delicati faſtidii, et tenerarum hominum aurium, quos aſſuetos adulationibus veroſimile potius eſt excuſſuros fraenum omne moderationis, et cenſorem importunum convitio repulſuros. En veram cauſſam penitus fere neglectae inter Chriſtianos Fraternae correctionis! Et ſi tenetur etiam, plerumque in jurgia, contentiones, et inimicitias deſinentis! nempe quia in corrigendo Aureae hae Sanctorum regulae non obſervantur. Proh Deum immortalem! ſi amicus noſter injuria afficiatur, inſurgimus, infremimus, injuriatum pro poſſe defendimus: et ſi Dnus Deus noſter blaſphaemiis, aliiſque iniquitatibus palam laceſſatur, obmuteſcimus, ad nos, quia ſuperiores peccantis non ſumus, pertinere non putamus. Nempe quia vacui ſumus omni in Deum charitate: quia legem correctionis Fraternae ignoramus, aut propter Philauciam, propter tumorem occultae ſuperbae mentis noſtrae humiliari, confundi, aſperius accipi a monendo nolumus, ideo magnum illud mandatum, quo *unicuique mandavit Deus de proximo ſuo* Eccl 17, hodie factum eſt quaſi non eſſet. Sed vae loqui non audentibus! vae non ſuſtinentibus! nam praeceptum hoc *omnes fideles* ſtringit ad *ſummam curam*, ut delinquentes *aut corrigantur, aut ſi incorrigibiles apparuerint, ab Eccleſia ſeparentur: cauſſa* 24 q 3 can 14. 16. 18: Ordine Math. 8 v 15 et ſeqq praeſcripto. Cujus neglectus corruptelam in Eccleſiam invexit adeo miſerandam, ut hodie quidam filii lucis ipſis Haeterodoxis deteriores eſſe videantur. Haec pauca de correctione Fraterna, utinam non fruſtra dixerimus!

Notio dilectionis noſtri Evangelii.

XII. De *dilectione* NOSTRI D Bonaventurae h n IV laudato conſentit, omniaque complectitur Auguſtinus *Lib. XI de vera felicitate* aſſerens: *Nullam eſſe aliam dilectionem qua quiſque diligit ſeipſum, niſi quod diligit Deum: qui enim aliter ſe diligit, potius ſe odiſſe dicendus eſt. Fit quippe iniquus, privatur que luce juſtitiae, qui a potiore, et praeſtantiore bono averſus, atque inde vel ad ſeipſum converſus ad inferiora, et egena utique convertitur, ſitque in ipſo, quod veraciſſime ſcriptum eſt: qui amat iniquitatem, odit animam ſuam.* Quia igitur NEMO, NISI DEUM DILIGENDO DILIGIT SEIPSUM, *non opus erat, ut dato de Dei dilectione praecepto, etiam ſeipſum homo diligere juberetur, cum* IN EO DILIGAT SEIPSUM, QUO DILIGIT DEUM. Quam alte evexit nos miſericors Deus! ut eodem amore, quo diligimus Deum, diligamus noſmet ipſos: et eodem actu, quo offendimus Deum, odio habeamus animas noſtras. Et quanta hinc nobis cura *digne*, et *rationabiliter* amandi nosmetipſos? ut eodem actu Deum ipſum amemus, utrumque perdituri alterutro perdito. Quomodo enim amabimus animam noſtram *digne*? niſi *odiendo*, et *perdendo*, ut ſic et eam, et Deum ipſum inveniamus, juxta quod ait Joann c 12 v 25: *qui amat animam ſuam, perdet eam: et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam aeternam cuſtodit eam.* Concordat Math 10 v 39. et 16 v 25. Marci 8 v 35. Lucae 9 v 24 et 16 v 33. Itaque rationabilis *amor noſtri* conſiſtit in *odio noſtri*, in aſſidua *mortificatione carnis*, et *concupiſcentiae noſtrae*: ut haec perfecte ſuo ſubjaceant Creatori: ut nihil illiciti amemus, amores vero licitos amori Dei ſubjiciamus. atqui in hoc ipſo conſistit Evangelicus amor Dei: *qui enim Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, et* CONCUPISCENTIIS SUIS. Ad Gal 5 v 24. et *qui amat Patrem ſuum pluſquam me, non eſt me dignus.* Pulchre id edifſerit antiquiſſimus Auctor operis imperfecti, vulgo D Chriſoſtomus Hom 42 in c 22 Math: *Quid*, inquit, *eſt diligere Deum extoto corde? ideſt, ut cor tuum non ſit inclinatum ad ullius rei dilectionem* AMPLIUS, *quam ad* DEI: *nec delecteris in aliqua ſpecie mundi* AMPLIUS,

Quae conſiſtit in charitate Dei pradominante.

Us, quam in DEO: Non in honoribus, non in auro, vel argento, non in poſſeſſionibus, aut vineis, non in ornamentis, non in Filiis, aut Parentibus, aut amicis; ſed HAEC OMNIA *exiſtimes* TIBI ESSE IN DEO: *ut* PRAE HIS OMNIBUS DEUM AMES. *ſi autem in aliquo horum amor tuus fuerit occupatus, jam ex toto corde non amas Deum: Pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandam inclinatum, pro tanta parte minus eſt ad Deum.* Imo cum in *hac vita* praecepto charitatis *omnimode* ſatisfacere nequeamus, ſed inchoemus duntaxat aeternum in coelo perfecte continuandum, ideo *in via* omnis *noſtra*, et *charitatis noſtrae perfectio* conſiſtit in *non ſequendo cupiditatem illicitam, licitam* vero *Dei amori ſubordinando, et ad Deum referendo.* Hoc magnifice docet M Auguſtinus *L de Spiritu*, et *Litera C* 36 Sequentibus: *Hoc primum praeceptum, quo jubemur Deum diligere ex toto corde - - in illa vita complebitur, cum videbimus facie ad faciem: ſed ideo nobis hoc* ETIAM NUNC *praeceptum eſt, ut admoneremur, quid fide expoſcere, quo ſpem praemittere, et obliviſcendo quae retro ſunt, in quae anteriora nos extendere debeamus: ac per hoc - - in ea, quae perficienda eſt juſtitia, multum ille in hac vita profecit, qui quam longe ſit a perfectione juſtitiae, proficiendo cognovit. Sed dici poteſt quaedam juſtitia minor huic viae competens; quia juſtus ex fide vivit, quamvis peregrinus a Domino, et ideo perfidem ambulans, nondum per Speciem; non abſurde dicitur etiam ad iſtam pertinere, ne peccet. Neque enim Si eſſe nondum poteſt tanta Dei dilectio, quanta illi cognitioni plenae, et perfectae debetur, culpae deputandum eſt. Aliud enim eſt totam nondum aſſequi charitatem, aliud* NULLAM SEQUI CUPIDITATEM. *Quamobrem debet homo, quamvis longe minus amet Deum, quam Eum poteſt amare conſpectum,* NIHIL *tamen* APPETERE ILLICITUM. *Sicut etiam in his, quae adjacent ſenſibus corporis, poteſt oculus nullis tenebris delectari, quamvis non poteſt in fulgentiſſima luce defigi.* Ex quibus elucet ſumma, et arctiſſima connexio, imo identitas *charitatis Dei, proximi*, et *noſtri.* Ut enim amantiſſimus noſtri Deus omnes amores noſtros obtineret, *proximos, noſque ipſos* a nobis *propter ſe* amandos voluit. Hae de ſecundariis objectis Divinae charitatis. Reverta-mur ad primum.

Idea charitatis praedominantis.

Quae hic inchoatur, in caelo perficietur.

XIII. Perfectiones Divinae aliae ſunt *ad intra*, quae ſolum Deum reſpiciunt: Eaeque vel *abſolutae*, et *communes* toti Trinitati: ut Aſeitas, aeternitas, immenſitas. etc. Aliae *relativae* Divinis perſonis a ſe in unitate naturae diſtinctis propriae, ut Paternitas, filiatio, ſpiratio activa, et paſſiva. Aliae vocantur perfectiones *ad extra*, non quod Deo ita intrinſecae non ſint, ſicut priores; ſed quia *hae* dicunt relationem, et terminum ad creaturas Deo *extrinſecas.* qualia ſunt praedicata Creatoris, Redemptoris, Sanctificatoris, Conſervatoris, Proviſoris, Beatificatoris. etc. Haec enim praedicata *adaequate* ſumpta duo dicunt: primum: Deum ob aeterno *in ſe* infinite *perfectum*, et *Bonum*: Secundo: in tempore infinitam ſuam perfectionem, et *bonitatem* nobis communicantem, aut in caelo communicaturum qua *nobis bonam.* Si hoc ſenſu adaequato ſumatur *notitia* Creatoris, Redemptoris, Beatificatoris, etc, Non dubito, *eam* objectum eſſe verae charitatis Theologicae. Ut voluit Habert. Objectum enim charitatis eſt Deus *in ſe, et nobis Bonus.* h n III. cap III n XXI. At Creatoris, Redemptoris, beatificatoris deſcripta *adaequata* notio palam dicit, et exprimit Deum *in ſe, et nobis Bonum.* Ut conſideranti ſatis patet. go.

Objectum charitatis ſunt omnes perfectiones Dei adaequata ſumptae.

Charitas igitur Theologica fertur in *omnes* Divinas perfectiones enumeratas *abſque ulla praeciſione* mentali. Una enim eſt charitas

viae, ac Patriae. h n XII ex Auguſtino. Atqui in Patria. *Videbimus eum, ſicuti eſt* cum cumulo omnium perfectionum in ſe, et nobis bonarum. Sed et *juſtitiae fontem*, quem Tridentinum juſtificandis diligendum praecipit, cumulum omnium virtutum *Divinarum*, et *nobis* infundendarum eſſe, cap II n II demonſtratum dedimus.

Non concupiſcentia nobis Boni.

Manifeſtum proinde eſt, quod ſi praedicata Divina *extrinſeca* nos reſpicientia ſecundo tantum modo, hoc eſt: inadaequate conſiderentur ut *nobis bona*, et ſic in ea feramur, amorem inadaequatum, mancum, imperfectum, pure concupiſcentiae, et mercenarium fore, de quo cap III n III. XXI. XXII luculenter dictum. Ideo ſufficiat hic Juliani Pomerii *de vita contemplat.* mentem omnium antiquorum loco audire: *Qui amicum propter commodum aliquod amat, non amicum amare convincitur, ſed commodum. Ideo Deus, quo majus, et melius nihil eſt, propter quid diligitur?* PROPTER SE PERFECTE DILIGITUR. *Si vero ſaltem propter illa, quae praeſtat, amatur, non utique gratis amatur: quia jam illud, propter quod diligitur, ei, quod dictu quoque nefas eſt, antefertur.*

Sed in ſe, et nobis Boni.

Aliud eſt de concupiſcentia *Unionis amantis cum amato Deo* cap III n III per nos explicato. Eam enim concupiſcentiam *vera charitate* animatam eſſe, et *ad charitatem* Theologicam plane *pertinere* contendimus cum S Franciſco Saleſio Lib 10 de amore Dei ita nos erudiente: „ſi per imaginationem rei impoſſibilis *eſſet infinita Bonitas, ad quam nullo modo ſpectaremus*, et cum qua nequiremus habere aliquam unionem, *faceremus certe eam pluris, quam nos ipſos - - - Sed proprie loquendo eam non amaremus: amor* enim reſpicit unionem: multo minus poſſemus habere charitatem *adverſus illam.*„ Unde illuſtris Theologus P Maſſoloue tract de amore Dei p 2 c I. Subdit: „*Si* ſemel admittatur, quod actus amoris excludat poſitive deſiderium beatitudinis propriae tanquam boni noſtri proprii, omnes errores hactenus damnati in Fenolonio, redirent ad ſuam ſtationem: qui connaturaliter ſequerentur ex iſto principio.„ Quin Eminentiſſimus Cardinalis de Noailles in ſua Inſtructione Paſtorali demonſtrat, proprium charitatis actum eſſe *deſiderium fruendi Deo ſummo bono noſtro.* Idque recte colligit ex illis Davidis Dei amore aeſtuantis ſuſpiriis: *Diligam te Domine fortitudo mea! Deus Deus meus ad te de luce vigilo! Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum!* Et ex illa Sancti Franciſci Seraphici gnome: *Deus meus, et omnia!* Concludamus igitur, *unionem amantis cum amato Deo* ad charitatem quam maxime pertinere: De caetero objectum Concupiſcentiae, qua Deum pure *ut nobis bonum* amamus, *abſtractione* intellectus, non reipſa a Deo *in ſe bono* diſtingvi: haecque motiva plerumque aut conjuncta eſſe, aut priorem amorem concupiſcentiae ut *viam*, ac *diſpoſitionem ad veram charitatem* prorumpere: tumque, ſi *prorumpat* reipſa, ac *ſimul connectatur*, *illum* ab hac dignitatem, ac pretium *hujus* participare: Se *ſolum vero amorem* purae *concupiſcentiae* charitatem proprie talem non eſſe. de quibus copioſe dictum cap III n III. et ibi a n XX uſque ad n XXV.

Pſal. 17. Pſal. 62. Pſ. 72. v. 26.

Corollaria.

XIV. Ex his porro colligimus I: Malos eos eſſe Theologos, qui ita actum charitatis eliciunt: *Amo Deum non propter immenſa ejus in me beneficia, ſed unice propter infinitam ejus bonitatem.* Dicere volunt, certe debent: *Amo Deum non ſolum propter immenſa ejus in me beneficia, ſed potiſſimum propter infinitam ejus bonitatem.* Amor enim *concupiſcentiae* eſt actus honeſtus, laudabilis, ac ſupernaturalis, *viamque ſternit* ad veram charitatem. cap V n XIX. et ſeqq. ergo non eſt excludendus, quin elicendus, et charitati praemittendus: Ita etiam

In actu charitatis amor concupiſcentiae excludi non debet.

attritio

attritio contritioni dicendo: *Ex hoc ardentiſſimo tui amore doleo de peccatis meis, non* SOLUM *quod iis caelum amiſerim, infernum promeritus ſuerim, ſed* MAXIME *propter infinitam tuam bonitatem a me offenſam.* Si enim amamus homines nobis bonos, quanto magis debemus Deum infinities nobis magis beneficum? et quis ſanae mentis non doleat de caelo amiſſo? inferno promerito? Igitur qui haec excludunt poſitive, ſunt ingrati, vel mendaces: qui iis ſolis inhaerent, imperfecti: qui ea charitate terminant, plane laudabiles.

Excludendae hipotheſes Divinis promiſſionibus contrariae.

Alterum, quod notamus eſt: male pariter eos orare, qui aſſerunt, ſe Deum amare, *etſi eos aeternum damnare vellet, aut annihilare;* vel licet *ſpes nulla ſit* caeli, nullus inferni timor, licet Deus nihil illis daret. etc. Quae, ut cap III n XXIV depictus Feneloniſmus, ſpem a charitate palam excludunt. de quibus illuſtris quidam Theologos ita differit: Hujuſmodi hypotheſes merito dixeris eſſe *Chymericas;* quas fingendo, fingere una debes *Deum non eſſe Deum.* Poſita namque impoſſibili hypotheſi, quod Deus quidpiam faceret adverſus *bonitatem, ſapientiam,* aut *fidelitatem* ſuam, jam non eſſet verus Deus. Porro tametſi *nihil is debeat creaturae* ſuae: cum haec tota ejus dominio ſubjaceat: *debet* tamen ſuae *ſapientiae, bonitati,* ut creaturas ſuas ad *congruum finem* dirigat; atque *fidelitati,* ut quod hominibus *mandata ſervantibus promiſit, adimpleat.* Unde merito dicit Auguſtinus L 3 contra Julianum c 13: *Non poteſt Deus quemquam ſine malis meritis damnare.* Et iterum: *Nemo ſub Deo juſto miſer eſſe poteſt.* Similiter 3: *deſultorii,* et *horarii* ſunt illi affectus: *in inſtanti malo mori, ardere in inferno, annihilari, diſcerpi a Diabolo, quam peccare.* Talia in Sanctis miramur; peccatoribus fragilibus non ſvademus. Teſte D Auguſtino: *poenitentiam certam non facit, niſi amor Dei, et odium peccati.* In his duobus exercendis, et commendandis toti ſimus cum *humili fragilitatis* noſtrae *Confeſſione*, et *Divinae opis imploratione*: ne qui in *ſuavitate*, ac *dulcedine* poenitentiae cedri nobis *videbamur immobiles*, accedente *levi vento tentationis* arundines fragiles nos fuiſſe deploremus. Nec 4: tentandi ſunt poenitentes: an Uxoris, filiorum, bonorum amiſſionem, ignes, rotas, pati malint, quam peccato amplius conſentire? Haec doctrina Angelici eſt ſupl. q 3 a 1 ad 4: *Sciendum, quod quamvis talis deleat eſſe contriti diſpoſitio, non tamen de iis tentandus eſt: quia affectus ſuos homo non de facili menſurare poteſt; et quandoque illud, quod minus diſplicet, videtur magis diſplicere, quia eſt propinquius nocumento ſenſibili, quod magis eſt nobis notum.* Hactenus de *notione* charitatis quoad ejus motiva, et eſſentiam.

Ita et deſultorii alii affectus.

Diviſio charitatis.

XV. Diſtribuitur porro charitas in perfectam, et imperfectam. Illa adeo *vehemens, acris*, et *intenſa* eſt, ut peccatori *mox ante uſum, cum voto* tamen *Sacramenti* remiſſionem peccatorum, juſtificationem, Spiritus Sancti in corde diffuſionem, amicitiam Divinam, ac habitum charitatis permanentem (qui eſt virtus divinitus infuſa, qua Deus propter ſe, proximus propter Deum diligitur) conferat. Imperfecta autem, inchoata, et initialis remiſſior eſt, ac debilior, quam ut extra Sacramentum Divinos illos effectus cauſare valeat. Hoc loco de natura perfectae charitatis actualis agendo, tres quaeſtiones dilucidare neceſſarium videmus: I. An. et qualis intenſio requiratur ad perfectionem charitatis? II. Quid ſentiendum de iis, qui ad Sacramentum poenitentiae perfectam charitatem praerequirunt? III. An, et quomodo componi poſſit *perfecta contritio cum vi clavium* in Sacramento poenitentiae? His intellectis plenam cognitionem habituri ſumus perfectae charitatis quoad ea, quae materiam Noſtram attinent. Ad rem.

Imperfectam, et imperfectam.

XVI.

De intesione charitatis.

XVI. Quoad Iam quaestionem jam diximus, eam esse persectam charitatem, quae cum scelerum magnitudine conferri possit cap IV n XXX. sive quae aequet *libidinis aestum* peccando admissum ibi n XXXII. et quae foras mittit timorem servilem. ibi n XXXV *cum not.* haec est perfectio ejus. ad quam quibus adminiculis pervenire valeamus? hoc in praesentiarum inquirimus. Duplicem in *eodem objecto materiali*, et *formati* distingvunt Theologi amorem perfectae charitatis: *appretiative*, et *intensive* summum. Quae distinctio non multum antiqua est, ut mox videbimus. Amore *appretiativo* Deum prosequimur, dum Eum omnibus rebus *affective* praeferimus, pluriſque facimus cunctis, quidquid non est Deus in se; atque adeo parati sumus mala omnia pati, ac sustinere, et bona omnia creata amittere, quam eum offendere. Haec est initialis charitas nostra *affective* praedominans. ut vidimus cap VI n XLI.

Quid amor appretiative?

Quid intensive summus?

Amor *intensive summus* addit *actualem conatum*, et *industriam* ad Deum amandum *majorem*, quam sint in *subjecto amante* alii sive *illiciti*, sive *liciti*, ac *liberi* creaturarum *amores*. Tota veneranda antiquitas *modum*, et *quantitatem* amoris *ex objecto*, et *intensione* ita sumpsit, ut *appretiationis* vix meminerit, nisi implicite in affectu, et *intensione* Exadverso attritionistae serviles nullam actualem intensionem in amore, aut dolore voluntatis praeter *appretiationem affectivam* statuunt necessariam, contenduntque *minimam*, modo *veram* Dei *dilectionem* mox nos justos ante Sacramentum reddere: *Intensionem* vero omnem, ceu jugum grande nimis perhorrescunt. Quoniam vero ex amore perfecto perfecta oritur peccati detestatio, et contritio, ideo mensura *amoris* est etiam *Contritionis*, ac vice versa: idem proinde est *dolorem* in impii justificatione expendere, ac *amorem charitatis*. Ut definit Cathech. Rom. de poen. n. 27. His suppositis certa primum ab incertis seperemus.

Non requiritur intensio sensualis.

XVII. Primum probe discernendus est amor *sensitivus* ab amore appetitus *rationalis*, seduloque cavendum, ne fervor, et intensio *sensualis* cum intensione voluntatis *rationalis* confundatur. Duplicem proinde distinquere dolorem de peccatis oportet: Alterum *voluntatis* rationalis. qui est *odium*, *detestatio*, et *nolitio* peccati. Alterum appetitus *sentientis*, quem vocamus *tristitiam* de peccato. Hic ortum suum debet *objecto proprio*, sive cuilibet malo inferiori, vel exteriori *sensu* perceptibili. Appetitus enim *sensitivus* circa propria sua objecta, sive mala ad tristitiam, sive bona ad gaudium promptius movetur *proprio suo motu*, quam ad *imperium rationis*, cui ad *nutum* non paret in iis potissimum, quae sola fide apprehenduntur; ut differte docet Angelicus in 4 dist 17 q 2 a 3: *Vires inferiores vehementius moveri ab objectis propriis: nec obedire superioribus*, voluntati, rationi ad *nutum*. Fieri proinde potest, ut minus *sentiatur* peccati malum *in appetitu sensitivo*, minoresque exprimat lacrimas ejus perfectus licet in *voluntate rationali* dolor, ac detestatio, quam vulnus quodpiam, aut mors Patris, amicive, et id genus alia mala sensibilia. Quia nimirum in potestate nostra situm non est *sensibiliter* quando, et quantum volumus, dolere, aut lacrimas fundere. Atque ideo (quae est doctrina Angelici in Supl q. 5 a 3) *parvitas doloris in sensu non impedit magnum rationis dolorem*. Et vice versa *potest esse dolor rationis parvus, et dolor in sensu magnus*. Pariter potest *esse amor rationis* magnus, et *amor sensus parvus*, et vicissim. sic Mater *sensualiter* magis diligit parvulum, *voluntate* vero *rationali* pluris facit adultum frugi filium

suum

ſuum. Quin etviros ſpirituales ſaepe magis delectat *ſenſualiter* muſica, quam Oratio: Colloquium cum amico, quam cum Deo. Et tamen ſi comparatio inſtituenda eſſet, non dubitarent iis Deum voluntate infinities praeferre. Ergo intenſio *voluntatis* rationabilis, non *ſenſus*, non *teneritudo*, in his attendenda; ne forte in *anxietates inducantur* multi, maxime durioris in corpore habitudinis, ac ſenſus viri; aut viciſſim *ne decipiantur* alii facilitate naturae in lacrimas proniores, potiſſimum Faeminae. Unde etiam *lacrimae* paſſim *dubiam* doloris veri cenſentur argumentum.

XVIII. Nihilominus tamen *triſtitia*, aliique *dolores ſenſitivi* nonnunquam velut ſponte ſua ſequuntur *rationis efficaciam*. naturaliter quippe *voluntatem efficacem* ſequuntur *affectus ſenſitivi* adeo, ut rariſſime ſit magnum gaudium, aut dolor eximius in *ratione*, quin redundet *in partem inferiorem*, ſive *ſenſibilem*, ibique paſſionem, ſive *immutationem* ſenſibilem non cauſet. Sicut viciſſim *dolor ſenſitivus* ob arctam connexionem potentiarum animi caulare poteſt maximum in *voluntate rationis* dolorem. Ideo accidere poteſt, ut dolor ſenſibilis, et lacrimae imperentur a *ratione*, et *voluntate* poenitentis, ſecundum illud Pſal 37: *Tota die contriſtatus ingrediebar. Rugiebam a gemitu cordis mei.* Atque hinc diſcimus abundantiam *lacrimarum* inter magna Dei dona eſſe computandam exemplo Coronati Vatis. *Fuerunt mihi lacrimae meae panes die, ac nocte.* pſ. 41. optandamque eſſe: *Cibabis nos pane lacrimarum* pſ. 79. Si enim a *voluntate rationis* eliciatur. Signum eſt *doloris rationis*: ſi vero ab *appetitu ſenſitivo*, tanto magis, ſi a Spiritus Sancti dono ſit, *voluntatem rationis* ad verum dolorem excitare, permovereque apta eſt. Conſervari denique debet, quantum homini conſervare fas eſt, *Divinae bonitatis*, ac *miſericordiae*, *propriae* vero *fragilitatis*, ac *miſeriae animae*, ac *humanae* conſideratione. Deſunt enim imbres lacrimarum. aliarumque gratiarum ad humilitatis convallem. Vide Catechiſmi Romani part 2 cap V. n 28 *de lacrimis in poenitentia ſummopere optandis, et commendandis* exemplo Niniviarum, Davidis, Peccatricis. et Principis Apoſtolorum. Mihi Sufficiat auream ſententiam Magni Auguſtini *Serm* 41 *de Sanctis* ſtic annotare: Ita enim inquit: *Non ſunt in te Chriſtiane! pietatis viſcera, ſi luges corpus, a quo receſſit anima: animam vero, a quo receſſit Deus, non luges!*

Obſervatio de lacrimis.

XIX. Extra dubium ſtatuo 2. *dolorem* etiam *rationis* non debere eſſe *ſummum humanitus*: Sive *ſummo conatu*, ac *totis viribus* productum. Ut Adrianus cum quibusdum aliis voluit. Cujus opinionem praevertit S Auguſtinus Libr de Spiritu, et Littera c 30 dicens: *Praeceptum dilectionis ex toto corde totâ itate intenſionis in hac vita perfecte impleri non poteſt.* Et recte. id enim cum humana fragilitate noſtra manifeſte pugnat; Qua rite conſiderata fieri ſane nequit, ut abſque *valetudinis* ad *ſtatus* noſtri *officia* rite exequenda *neceſſariae diſcrimine omnes* in Deum diligendum *vires* intendamus. Taceo, ſi Deus diligendus foret *ſumma cum intenſione*, et quaſi *ultimo conatu*, homines in ſummas anguſtias redigendos fore. Quum ex una parte ſcirent amorem Dei magis, magiſque ſemper augeri poſſe: ex altera vero ſuum in Deum amorem *intenſiſſimum* eſſe ignorarent. Addo: in hac opinione *omnes amores* praeceptos fore *aequales*. ſimiles *Sanctorum*, quin *Cherubinorum* amoribus. ſed et *illorum* charitatem, utpote Creaturarum, proinde *finitam*, vix dubium eſt amplius quoque *augeri* potuiſſe. Niſi igitur certos limites praeceptae nobis charitati ſtatuamus, in abſona, et abſurda nos labi neceſſe erit, in San-

Nec praecipitur intenſio humanitus ſumma.

ctorum quoque charitatis ardoribus naevos inveniendo. Non opus eſt pluribus. Cum ſeipſa corruat ſingularis opinio.

Nec perfectio ad conſilia impeltens.

XX. Convenit pariter apud omnes 3: Perfectionem charitatis nequaquam exigere eam *intenſionem*, qua ultra *praeceptorum* Divinorum exactae obſervantiae propoſitum ad opera *conſiliorum* Evangelicorum impellamur omnes, atque ad ſublimiorem perfectionis viam amplectendam. Nam Apoſtolus *diligendam Uxorem* praecipit: ſed longe *infra Dei delectionem. Noxios amores* e corde *eliminare*; *licitos*, et *honeſtos Dei amoribus ſubjicere* jubemur, dum *Deum ex toto corde* diligere praecipimur. Ut ſcilicet ſolius *Dei amor* regnet in corde *propter ſe:* caeterarum vero *Creaturarum* amores *principali Divinae charitati ſint ſubalterni*, et ab hac animati, *et ad eam relati. Deum* enim tunc quoque *diligimus*, dum alios *propter Deum* caſto amore proſequimur. Dummodo ut S Gregor Homil 37 In Evang Ait: *Quos* eorum *adverſarios in via Dei patimur, odiendo, et fugiendo neſciamus.* Hoc eſt Evangelicum *odiſſe Patrem, et Matrem*, non diligere pluſquam Deum, imo nec ſicut Deum, quin eorum amorem ultimatim ad Dei amorem referre, et ſubordinare.

Ad Ephes 5 v 25.

Non ſufficit appretiatio ſpeculativa.

XXI. Ut porro Viam ſternam iis, quae dicturus ſum, duplex probe diſtingvenda eſt appretiatio: Altera in *intellectus ſpeculativa cognitione* ſita, qua mens humana proprii amoris praeſtigiis delusa ſaepe jactat, ſe Deum prae omnibus appretiare. Quae tamen *appretiatio* ſolius intellectus ſpeculativa, *ſterilis* eſt, et *vacua* dilectione *practica*; aut ſiquid amoris ei practici *Affective*, et in deſiderio ineſt, juſto, ac debito *imperfectior* eſt, et minor magnitudine peccatorum. Ideo extra Sacrm juſtificationi impar eſt. Ut mox demonſtrabitur. Altera eſt appretiatio *intellectus practici*, voluntatis non *affectum* tantum (qui et in imperfecta charitate adeſſe ſuper omnia debet, ut ajunt Lovanienſes Doctores C VI n XLI, et Clerus Gallicanus cap VII n XI.) ſed et *conatum*, *operationem*, *et intenſionem Actualem* conjunctam habens ad tantam Dei charitatem, *quantum* peccando *in deliciis* fuit. Apoc. 18. v. 7. Si hoc poſteriori modo accipiatur *appretiatio*, convenit cum *intenſione*, ac Lis ſolum eſt de nomine. At ſi priori ſenſu intelligatur, ſpecioſiſſimum pulvinar Diaboli eſt. Hoc pridem dixit Petrus Soto vere doctus Tridentini Concilii Theologus *Lib de Inſt Sacerd. De Sacram poenit. Lect* 15: *Diſtinctio illa appretiationis ab intenſione nova eſt, nihil aliud habens, quam nomina.* (Quia appretiatio *intellectus practici* eſt eadem cum intenſione) *niſi quod interim illa perſvaſione ingeneratur hominibus ſecuritas quaedam, et tepiditas, quod valde timendum.* Si nimirum priori ſenſu appretiatio in ſolius fere intellectus ſpeculativa cognitione ſita eſſe intelligatur. His probe notatis

Sed intenſio practica, aliis amoribus major.

XXII. Venio ad ſummam rei, ajoque cum veneranda antiquitate: Ad perfectionem charitatis requiri *intenſionem voluntatis* rationalis *majorem omnibus aliis amoribus noſtris* licitis: tanto magis *illicitis.* Sive ut in terminis modo expoſitis maneam, requiro appretiationem non *affectivam* modo, ſed et *effectivam*: non *ſpeculativam*, ſed *practicam reſpectivam*, hoc eſt: Omnibus *amoribus* noſtris majorem: proinde illicitos exſtingventem, licitos ſibi ſubordinantem. Verbo: *effective praedominantem.* Quibus terminis ſpero conciliandam antiquitatem cum recentioribus: aut ſi conciliari noluerint, horum pace illis adhaerere non dubito. Audiamus inprimis modo citatum Petrum Soto L. Cit ita differentem: *Quid igitur dicunt non reperiri in Scriptura praeceptum de intenſione aliqua, vel conatu? certe NON*

Haec eſt ſententia Petri Soto.

PU-

PUTAMUS DICI POSSE ABSQUE ERRORE: Quid *ſignificat: convertimini ad me in toto corde Veſtro? non itaque omni diligenti, omni invocanti Deum, omni ſe convertenti ad ipsum, ſed iis, qui ex corde perfecto haec agunt, promittitur gratia, et exauditio.* NEC ALIUD SENTIRI POTEST SINE MAGNO ERRORE. *Prope eſt, inquit pſalmus, Dominus invocantibus eum in veritate. Nec aliud, quod aſſerunt, multum juvat, quod ſcilicet quocunque conatu a Deo recedatur. Quia cum malum ex ſingulis coſtet defectibus, non mirum, ſi facilius fiat.* En hic in nuce totam noſtram doctrinam! Ex *toto corde* ad Deum converſis promittitur extra Sacramentum gratia Sanctificans: imperfectius diligentes etiam diligit Deus, ſed non proxime mox *infundendo juſtitiam*, verum *augendo gratiam dilectionis*, qua proxime ad illam conſequendam diſponantur: aut dando occaſionem *Sacramenti* in re percipiendi, ut *eo* cum initiali dilectione juſtificentur. Hoc ſolum volunt illa: *Ego diligentes me diligo.* Prov. 8. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Joan. 14. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Pet. 4. Hoc dicunt *Patres* charitati veniam promittentes. vel enim loquuntur de *intenſa* charitate; et tunc pro Nobis ſunt: vel de *remiſſa*, et tunc eam non *ſperni* a Deo docent, quia Deus volenti, et conanti cum gratia eam *auget*, et *perficit*, ut proxime ſit ſufficiens juſtificationi. Sic S Joannes Chriſoſtomus Hom. 7 in 2 ad Tim: *Sicut ignis ubi ſilvam occupaverit, ita charitatis FERVOR quocunque inciderit, omnia perimit, et perrumpit.* Exemplo ſumpto ab igne de *magna*, *Ferventi*, vel *creſcente* charitate intelligendus eſt. At Lib. 1 Ad Theodorum lapſum aſſerens: *Deus nunquam averſatur ſinceram poenitentiam: nihil non agit*, ut impium *ad priſtinam ſtatum reſtituat*, loquitur poſteriori ſenſu: nempe *augendo initialem* charitatem, vel modum Confeſſionis faciendae ſubminiſtrando. Ita ſeipſum explicat Os aureum Hom 27 in Geneſim dicens: *Ninivitae tanta peccatorum multitudine aggravati, qui magnam, et veram poenitentiam egerunt, non intiguerunt ampliore, quam trium dierum tempore ad provocandam Dei bonitatem, et antiquandam, quae adverſum ſe lata erat, ſententiam. Latro in Cruce neque uno die opus habet: et quid dico die uno? neque brevi Hora. Tanta eſt Dei erga nos miſericordia. Nam ubi viderit voluntatis noſtrae firmum propoſitum, et FERVENTI nos DESIDERIO ad ſe accedere, non tardat, neque differt, ſed accellerat veniam.* Ubi *intenſam* contritionem extrasacramentalem illico juſtificare docet. go dum *aliquantulam* poenitentiam non ſperni, nec *exiguae converſionis perdi mercedem* aſſerit, de *Sacramentali*, vel *augenda* contritione recte intelligitur, ut ſecum ipſo concordet. Nec ſane ſpernitur a Deo *initialis* charitas: quia in Sacramento ſufficit: extra vero *conanti* de Dei miſericordia in perfectam evadit. C 1 *n* XII *in Guillelmo Pariſienſi.* Ita D Petrus Chryſologus ſerm 94: *Abſolvi vis? Ama. Charitas operit multitudinem peccatorum* vel mediante abſolutione, vel ſi augeatur, extra Sacramentum. Ita omnes textus Scripturae, et Patrum exponi debent. Nam cum Scriptura, et Patres *intenſionem* quoque in charitate requirant, non aliter, quam praemiſſo modo conciliari, et poſſe, et debere videntur. Hoc notaſſe, ſolviſſe eſt, quidquid ex auctoritate nobis opponi poteſt. Porro, ut cum Soto paullulum maneamus: ad peccatum ſufficit unus defectus, quia *bonum ex integra cauſſa, malum ex quolibet defectu.* Ergo ad peccatum non requiritur ulla intenſio, ſed ſufficit quivis defectus operis non recte, nec juxta Legem Dei poſiti. En praecipuam objectionem a Petro Soto breviſſime, et exacte ſolutam!

Qui contrariam opinionem erroreum vocat.

Occurritur contrarijs ex ſcriptura.

Ex Patribus.

Charitatis remiſſae utilitas.

XXIII. In eundem Soti ſenſum intelligimus ſcripturae loca, *modum*, ac *intenſionem* amoris requirentia: *Qui amat Patrem, aut Matrem*

Noſtra ſententia evincitur

Ex ſcriptura.

Quae requirit intenſionem.

Ex toto valde tuo:

Scindentem cor:

Luctum unigeniti;

Gemitum columbae aemulantem.

Exemplo Davidis.

Ninivitarum.

trem plus, quam me, non eſt me dignus. Math. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua* Math. 22. Textus Haebreus habet: *Ex toto valde tuo*, tanquam, ut ait doctiſſimus Calmet, inſolita hac expreſſione oſtendere vellet Evangeliſta, ſibi verba deeſſe, quibus amoris a nobis Deo debiti *ardorem, vim, intenſionemque* exprimeret. Adhaec ſcriptura eam poenitentiam ut virtutem, ſive contritionem in veteri Teſtamento efflagitabat defectu tunc Sacramenti, quae *ex tota tribulatione animae* profluëret. Deut 4. et qua *inter fletus, planctuſque anguſtias* ipſum cor *dividatur*, atque *ſcindatur* in partes. Joel 2. ſic Jerem 6 v 26. Amos 8 v 10: Zachar 12 v 10 jubebantur facere *luctum unigeniti.* Nahum 2 v 7 *gemitum columbae.* qui textus *ſenſu morali* de poenitentibus intelligendi ad contritionem perfectam conatum, intenſionem, vehementiam actualem, et non in praeparatione tantum, et deſiderio (ut de charitate affective ſuper omnia vidimus) in oculis ſolis exigunt. Quid Davidem fecit exemplum perfecti poenitentis? niſi intenſiſſimi illi dolores cordis: *Rugiebam a gemitu cordis mei* pſ 37. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum.* pſ 6. Quin et Ninivitae clamabant ad Dominum *in fortitudine.* Jonae 3. Quis igitur abſque tali intenſione blandiri ſibi de perfecta charitate juſtificante auſit? niſi ſalutis ſuae incurius. quum Divinae Litterae abſque *intenſione* palam negent juſtificationem extra Sacramentalem Deut 4 v 29: *Cum quaeſieris Dominum, invenies eum, ſi tamen toto corde quaeſieris eum, et TOTA TRIBULATIONE animae tuae.* An *tota animae tribulatio* ad *ſpeculativam appretiationem* trahi poteſt? en igitur quos *diligentes* Deus mox diligat infundendo gratiam: *invenies eum, ſi tamen ex tota tribulatione animae tuae quaeſieris eum.*

Ex Patribus.

Quorum praecipui ſunt: Hermas. S Juſtinus M.

S. Chriſoſtomus

S. Caeſarius.

S. Cyprianus.

S. Ambroſius.

XXIV. Scripturae conveniunt Patres: Hermas antiquiſſimus ſcriptor Lib 3 ſimil 7: *Ego ſcio totis praecordiis agere poenitentiam. Nunquid protinus putas aboleri delicta eorum, qui agunt poenitentiam? non proinde continuo, ſed OPORTET EUM affligere animam, et humilem ſe praeſtare, et vexationes multas, variaſque perferre.* S Juſtinus in fine Dialogi cum Triphone exemplum proponit Davidis poenitentis dicens: *Cujus peccatum remiſſum eſt, cum ita ploravit, et lamentatus eſt. Si tanto viro non eſt ante noxa remiſſa, quam tandem iſti, niſi lamentati fuerint, planxerint, ſpem habere poſſunt?* Chriſoſtomus hom. 4 in 2 ad Cor: *Ingemiſce, ac cor tuum conteras, non ſecus, ac ſi quis AMISSO FILIO unice charo in luctu verſatur.* S Caeſarius Hom 1: *Haec principalia mala INGENTI RUGITU, ac gemitu, et fonte indigent lacrimarum, utique per lacrimas clamendum eſt cum Propheta:* Rugiebam a gemitu cordis mei. *Oportet itaque ſicut ſupra mortuum conclamatum, ita MAGNOS ſuper extinctam animam dare PLACTUS. Et quomodo ſolet mater orbata ſuper amiſſione unici filii fracto pectore lamentari, ita convenit ſuper unicam animam ſuam, ſed cum ſpe reparationis affligi.* S Cyprianus ſerm de lapſis: *Quam magna deliquimus, tam GRANDITER defleamus. Poenitentia crimine minor non ſit.* S Ambros ad Virg laps c 8: *Quanta putas, et qualis neceſſaria poenitentia? quae aut aequet crimina, aut certe excelat. Secundum conſcientiae molem exhibenda eſt poenitentiae magnitudo.* S Chriſoſtomus Homilia 27 in Genes: *Non longo tempore, ſed exemplo Latronis FERVENTI deſiderio ad Deum accedere oportet.* Teſte S. Auguſtino de civit Dei L 21 c 16: *Tantum neceſſe eſt, urat dolor, quantum haeſerat amor.* En Fontes! quos ſecutus eſt catech Rom. de poen n 36 definiens *doloris acerbitatem cum ſcelerum magnitudine aequandam eſſe*, nempe Hermam, Cyprianum, Ambroſium, *Auguſtinum.* etc. ſed audiamus *hunc* ſerm 178: *Hujus vitae ſunt quadam gravia, et mortifera crimi-*

na,

na, quae niſi per VEHEMENTISSINAM moleſtiam contritionis Spiritus, ac tribulationis non relaxantur. Haec dimittuntur per claves Eccleſiae: non ſine charitate *Sacrmtali*: ut cap I n XV diſertiſſime vidimus. Item Serm de verbis Apoſt Cap 12: *ſi ſermo meus invenit in cordibus Veſtris aliquam SCINTILLAM GRATUITI AMORIS DEI, hanc nutrite - - hanc SCINTILLAM flate in cordibus Veſtris: ipſa CUM CREVERIT, omnium cupiditatum carnalium foenum conſumet.* Ergo Auguſtinus evidentiſſime diſtinquit charitatem *initialem* ut ſcintillam ab *aucta, acri*, et *vehementi* ut flamma peccata perſe conſumente. Conſpirat S Gregorius Hom 33 in Evan: *Ardere valide per ignem amoris peccatores oportet.* Ne hos ad *publicam* poenitentiam trahas, *antiquis* adſtipulantur mediae aetatis Patres. Ex quibus omnium inſtar merito cenſendus eſt melliſluus Doctor, qui perfectam charitatem *ſerm 10 in cant* ita mellee deſcribit: *Diſce o Chriſtiane! quomodo diligas Chriſtum. Diſce amare dulciter, prudenter, FORTITER. Zelum tuum INFLAMMET Chriſtus, firmet conſcientia, ſit FERVIDUS, ſit invictus, nec teporem habeat, nec timidus ſit. Mihi videtur - - amor cordis ad Zelum quemdam pertinere affectionis: animae vero amor ad INDUSTRIAM, ſeu judicium rationis: virtutis autem dilectio ad animi CONSTANTIAM, ET VIGOREM. Dilige ergo Dominum Deum tuum TOTO, ET PLENO CORDIS AFFECTU: dilige tota rationis vigilantia, et circumſpectione: dilige TOTA VIRTUTE, ut nec mori pro ejus amore pertimeſcas; quoniam fortis eſt, ut mors dilectio.* Igitur Melliſluo perfecta charitas debet eſſe *fortis, Zelo inflammata, fervida, pleno cordis affectu, tota virtute.* Quae omnia intenſionem palam ſignificant. Vis plura? meditare cap IV n XXII Tridentini doctrinam: ibi n XXX Catechiſm Roman. XXXII Auguſtinum, Chriſoſtomum, Gregorium M. Richardatum Attrebatenſem. cap V n LII *Sonnium.* cap VII n IX Card *Denhoffium*: ambos de *antiquitate* hujus ſententiae magnificum teſtimonium reddentes: Petrum Soto contrariam erroris arguentem. Meditare inquam haec mente a praejudiciis libera! et fateberis, aſſertionem hanc noſtram inconcuſſo fundamento ſcripturarum h n XXIII: SS PP, eorumque diſcipulorum antiquorum Doctorum eſſe inaedificam. Qua ergo fiducia jactatur ut certum, omnem minimum charitatis actum mox ante Sacrmtum poen omnes iniquitates delere? id ipſis adverſariis dijudicandum relinquo! Quidquid interim diſputent, noſtrae ſententiae ſolidam probabilitatem non detrahent: ideo eam ipſi quoque in praxi, in defectu Sacrmti poen ſequi debent; ne cum minus tuta opinione ſua animas ſangvine Chriſti emptas in perniciem praecipitent ſempiternam!

S Auguſtinus

Diſtinguens charitatem initialem ab acri, et vehementi.

S Gregorius M.

S. Bernardus.

XXV. Ais: Haec *conſilia* eſſe ad melius, non *praecepta* ad neceſſarium. Nam Patres longam quoque poenitentiam ſvadent; quam tamen hodie neceſſariam eſſe nemini in mentem venit. At qua fiducia haec aſſeruntur, eadem negari et poſſunt, et debent. Enimvero eadem ratione loquuntur Patres, qua ſcriptura. Utrimque docent, ac manducunt poenitentes Laicos, mulieres, idiotas. Non reſtringunt verba ſua ad *conſilia.* Ut conſideranti citatos textus eorum liquet. (*a*) Igitur auditores ſuos in errorem,

Idque ex praecepto, non conſilio tantum.

(*a*) Graviſſimum vulnus infligunt ipſi Eccleſiae, qui textus Patrum ad *Conſilia*, alioſque ſibi placitos ſenſus detorquent. Nam Patres ſunt teſtes TRADITIONIS DIVINAE, et *Intepretes dogmatici* SCRIPTURAE *Sacrae.* Qui duo principales veritatis fontes arbitrariis ejusmodi interpretamentis clauduntur cum maximo praejudicio veritatis, ac ſcandalo haeterodoxorum manifeſto. Niſi igitur *Subterfugium ſium* Adverſarii clare, evidentereque docuerint, in obvio ſen-

atque anxietates importabiles induxiſſent praemiſſa docendo, niſi ea ad *praeceptum* pertinere Sanctiſſimi illi Patres, et Doctores exiſtimaſſent. De longitudine contritionis ita ſtatuo: ſi *haec* exemplo Davidis, Boni Latronis, Paulique ſubito perfecta ſit, nullam temporis moram requiri. At ordinarie amorem Dei tenuibus initiis naſci, ſenſim augeri, et perfici: Ut ex D Thoma cap II n XXIII, et cap V n XXXV *in fine* vidimus. Quo te hujus rei gratia remitto. Adverte etiam animum ad primitivae Eccleſiae publicam multorum Annorum poenitentiam: Nempe fervorem charitatis non tam facili labore, ſed veluti per partes, atque intervalla temporis obtineri poſſe docet Sanctiſſima illa veteris Eccleſiae diſciplina. Deſiit quidem quod erat *caeremoniae*; ſed *ſpiritus* Eccleſiae *poenitentium* ad Deum *practice ſuper omnia propter ſe dilecti converſionem* extraſacramentum, cum hoc vero *initialem*, ſed ope Sacramenti perficiendam deſiderantis *idem* ſemper perſeverat. Recte Auguſtinus Enchir c 65: *In actione poenitentiae non tam conſideranda eſt menſura temporis, quam doloris.* confer cap VIII n XXII. XXIX.

Ex fragilitate lapſi facilius Dei charitate inflammeſcunt.

XXVI. Ut haec clariora fiant, duos poenitentes diſtingvamus: alterum qui de meliori luto natus, Divinoque Spiritu animatus ſalutis permagnam hactenus curam geſſit: Sed humana fragilitate victus in gravem culpam Davidis inſtar prolapſus miſerando caſu eſt. Hic ſane caeteris paribus minori cum difficultate perfectae charitatis contritionem excire in ſeipſo valet: quem et *Dei bonitas* infinita miſericorditer attrahit: et *propriae miſeriae* ſeria *meditatio* ad intenſionem veteris Divini amoris tanto fortius impellit, quanto vivacius apprehendit in praeſentiarum, ex quanta juſtitiae felicitate in profundum mortalis peccati miſere corruerit. Nempe ſuperſunt in hoc quaedam adhuc veteris monumenta doloris: quae ad priſtinum facile revocantur amorem. Quemadmodum

Fax extincta recens facilem trahit eminus ignem:
Ac redit in flammam, quod vapor ante fuit.

Exemplo Davidis.

quod exemplo Davidis illuſtrat Ambroſius *De Apolog David* L I C 2 dicens: *Sancti Domini ſicubi ut homines corruerint - - alacriores ad currendum reſurgunt, pudoris ſtimulo majora reparantes certamina, ut non ſolum nullum attuliſſe aeſtimetur lapſus impedimentum, ſed etiam velocitatis incentiva cumulaſſe.* Prius dixerat: *Ille Rex tantus - - ne exiguo quidem momento manere penes ſe delicti paſſus eſt conſcientiam, ſed praematura confeſſione, atque IMMENSO DOLORE reddidit peccatum ſuum Domino. cum a privato homine* (Nathan) *corriperetur, quod graviter deliquiſſet, non indignatus infremuit, ſed confeſſus ingemuit culpae dolore. Maturitas veniae PROFUNDAM Regis fuiſſe POENITENTIAM declaravit.* Notent hoc illi, qui in hac Davidis contritione *peccavi Domino*, nullam *intenſionem* charitatis, et contritionis inveniunt! In quibus Ambroſius *immenſum dolorem*, *et profundam* Davidis *poenitentiam depraedicat*, ut ut veteris charitatis veſtigiis facile ſuccenſam.

Cujus immenſus fuit dolor.

Malorum inveterati difficillime.

XXVII. At longe difficillimum eſt accendere perfectae charitatis ignem in altero, qui ſcilicet profanis amoribus irretitus, flagitiis pluribus immerſus, peccatorum conſvetudine oppreſſus, omnem fere

---

ſu citatos ſcripturae, et Patrum textus ex praecepto extra ſacramentum intelligimus. Lector conſideret cit ſcripturae, et PP textus h n XXIII, XXIV, ac niſi ego penitus nihil video, deprehendet, nupernorum mollioris Ethices Magiſtorum *diſtinctiones* non ad eruendas, ſed ad eludendas veritates aeternas eſſe inventas. Quis mihi det, ut illis aeterno ſilentio ſepultis PP doctrina in praxim redeat!

fere rerum Divinarum ſenſum, guſtumque amiſit. Huic quemadmodum facilis fuit deſcenſus averni, ita revocare gradum, atque ad auram evadere perfectae dilectionis hic labor, hoc opus eſt. Enimvero cogitare facilius eſt, quam ediſſere, quantus debeat eſſe amor ille Divinus, qui diſrumpere inſtar Samſonis queat vincula veterum amorum! Qua *fortitudine*, qua *intenſione* inſtructa ſit charitas illa, quae *inclinationes* hujus *validiſſimas cohibere*, inveterataeque *concupiſcentiae fortiſſimos impetus* fraenare debet! quid? vetus hic homo creaturarum valentiſſime ardet amore: erga divitias, libidines, vindictam, aliave mundi vetita oblectamenta inolitis ſuis habitibus non tam trahitur, quam rapitur. Dicas nunc velim! qua contentione, quibus viribus inſtructus ſit oportet amor ille Divinus, qui *inclinationes* has *valentiſſimas* cohibere, *violentiſſimos effraenis cupiditatis ardores* extingvere debet? praeſtarene effectus hos valet amor *non vehemens*, *non fervidus*, *non quaſi omnipotens?* Hoc eſt dictu: praeſente, vel praeterita cupiditate, et paſſione nondum debite retractata non major, et *elective* non praedominans? ut cap V n XXXV explicuimus. Ad quem igitur, niſi ad hos praecipue pertinet longe formidoloſiſſimum illud bellum, quod pro *Coelo*, atque adeo pro *pignore* ejus, *perfecta* inquam *charitate* diu, acerrimeque pugnandum eſt dicente Salvatore Math XI: *Regnum Coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud?*

Adminicula et induſtriae elicendae perfectae charitatis.

XXVIII. Vis noſſe arma hujus pugnae, et victoriae? En *remota*: primum *eruendi oculi*, *abſcindendae manus*, *pedeſque* Evangelico ſenſu: abrumpendae ſcilicet omnes *proximae* occaſiones ad peccatum ducentes. Idque etiamſi propterea deſerenda ſit conditio, unde honeſte vivis, aut plurimum in futurum ſperas (niſi ſufficiat ex proximis occaſionibus remotas facere.) *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animae vero ſuae detrimentum patiatur?* Math 16 v 16. 2. *Caro crucifigenda cum vitiis, et concupiſcentiis ſuis, ſubtrahendo* per moderationem in cibo, et potu quidquid *voluptati* ſervit, fovendaeque libidini; ſive quidquid naturae ſuſtentandae neceſſarium non eſt, ac ſenſus omnes in arctiſſimo fraeno continendi. Niſi enim gula, caeterique ſenſus edomentur, fruſtra laboratur, vitia, habituſque inoliti nunquam ſuperabuntur. (*a*) 3 et jam proximius: *Ambulandum coram Deo* per propoſita mane ferree facta, atque identidem in dies repetita, per *examina particularia* ſerio omnino, diligenterque facienda; per *praeſentiae Divinae*, *gladii irae Dei*, ac *Noviſſimorum*, hiantis potiſſimum, ac abſorbere nos anhelantis *inferni aſſiduam*, *vividamque* memoriam. His *remotis mediis praemiſſis*, aut ſi articulus *neceſſitatis* in inſtanti juſtificationem urgeat, *firmiſſime propoſitis*, actibus fidei, ſpei, charitatis, deteſtationis peccatorum, affectibus Davidis, Magdalenae, Filii prodigi, Boni Latronis etc cum gratia Dei (qui *impoſſibilia non jubet*, *ſed jubendo monet*, *et facere quod poſſis: et petere quod non poſſis: et adjuvat ut poſſis* Trid ſeſſ VI cap XI) firmiſſime identidem *majori* ut fieri poteſt humilitate, ac *conatu* inhaerendum, et *deliberati amores* creaturarum peccando exerciti ardentiori charitate, et deteſtatione retundendi, eliminandi, extirpandi, ac ferreo propoſito ne dum vetitis amoribus creaturae, ſed et *cogitationi* eorum

(*a*) Perfectionis Chriſtianae lapis angularis, primumque principium vitae Spiritualis Magiſtrorum eſt hoc Axioma: *Qui gulam, et lingvam non refraenat, fruſtra laborat vitia non ſuperabit.* Ratio primi eſt, quia teſte D Hieronimo: *Caro delicate nutrita deſinunt in libidinem.* Et quidquid ultra neceſſitatem ſuſtendandae naturae aſſumitur, vertitur in luxuriae incentivum. *Alterum* directe docet Jacobus Apoſtolus: *Qui non refraenat lingvam, hujus vana eſt religio. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Lingva univerſitas vitiorum.* C 4 v 2 et 6.

rum *deliberatae* (*a*) aeternus aditus praecludendus. Universim enitendum extrasacramentum justificando est, actum amoris Dei super

omnes

De necessitate grandi reliquias habitum malorum exstirpandi.

(*a*) Cogitationi dico *deliberatae* veterum, aut novorum illicitorum amorum aditum esse praecludendum. Fieri namque potest, imo fit persaepe, ut *habituum vitiosorum* nedum *initiali Sacramentali*, sed et *perfecta* charitate sufficienter *retractatorum*, atque coram Deo *expunctorum* ex praecedentibus *voluntariis* actibus peccaminosis generatorum quaedam reliquiae, et vestigia, sive incidentiae jam *involuntariae* remaneant, quia *medicinalibus satisfactoriis operibus* cap VIII a n XXVI praescriptis non debite usus est paenitens. Etsi vero hae incidentiae, et imagines, quia jam *involuntariae*, peccatum non sint; videndum tamen, ne neglectae sensim *voluntarie* invalescant, et accedente potissimum occasione veterum flagitiorum in miserandum relapsum praecipitent. Ut cap VIII n XXIX, XXX, et seq deflevimus. Palpa hanc veritatem! ut hic n XXVI clare vidimus, viri magnae charitatis si in peccatum mortale ex fragilitate corruant, ordinarie facile resurgunt. Quos teste Christiano Lupo de contritione cap XVIII S Leo Papa M exemplo Petri eadem qua peccavit nocte *flentis amare* vocat in constantia *turbatos*, charitatem talium *suppressam*: S Cyprianus appellat non *plane mortuos*, sed *semineces*, *semivivos*: S Augustinus ramos *infructuosos*, *nec dum tamen praecisos*: Quia *retinent adhuc aliquas ammissae justificationis*, *et charitatis RELIQUIAS miserante Deo cito in ignem*, *et fervidam poenitentiam* ebullientes. Ergo quia contrariorum eadem est ratio, ajo ego: magni, et inveterati peccatores etsi charitate initiali Sacramentali, aut horaria perfecta justificentur, retinent tamen veteris habitus peccaminosi RELIQUIAS, *vestigia*, *inclinationem*, *facilitatem* justificatione horaria *turbatam*, *suppressam*, ideo adhuc *non plene vivi*, sed *semivivi* sunt: quia obvia peccati occasione oblata, aut intrinseca tentatione exsurgente mox prior habitus malus in miserandos relapsus revicisci, inflammescitque. Hoc dicunt Sancti cap VIII a n XXVI usque ad finem, et plures cap X citandi. Ex quibus *medicinalium satisfactionum* absoluta necessitas omnibus sensibus palpari potest; *quibus* nempe dictae *reliquiae* malorum habituum sensim deleantur, et charitas tam actualis, quam habitualis justificatione obtenta, sed adhuc *debilis*, firmetur, *radicetur*, modo humano constabiliatur. Hoc volebant olim Patres longa *poenitentia publica*. Hoc vult hodie Ecclesia *satisfactione medicinali*: sine hac magnos peccatores nunquam *sine miraculo* sanabimus. Quae omnia citam *habituatorum* cum *levi paenitentia* absolutionem damnationis *illorum* caussam esse manifestissime, atque ad oculum demonstrant.

De Colaphizatis.

Sunt alii, qui quantumcunque conentur modo fragilibus hominibus conveniente se in justitia custodire, more tamen Gentium Doctoris 2 ad Cor 12 *a stimulis carnis*, et *ab Angelo Sathanae* importune *colaphizantur*. (*Hoc verbo* utitur Apostolus, quia timoratis *indeliberata prava incidentia* tam ingrata est, et tantam confusionem infert, quasi colapho, vel alapa improvise caederentur.) Adjuvat eorum anxietatem, quod ignorent: an non dederint *ei* aliquam caussam? An debite restiterint? Cum potissimum talis cogitatio furtim illapsa saepe solo contemptu excuti possit: alias vero diu et post dissensum duret, mentem phantasiis, corpus flamma impura accendat, nec nisi post longam pugnam sensim cesset gravi relicto dubio, an, et quam graviter tota durante tempestate peccatum sit? in hoc igitur parvo, sed longo Martyrio misere gementes inpraesentiarum adjuturus scire arbitror omnes, ex doctrina Ecclesiae Trid. sess 5 *de pecc. originali circa finem* in renatis ad coronam *remanere concupiscentiam*. Illa tamen non aeque in omnes justos saevit. Teste enim Kempensi l I c 13 (quod totum hic utiliter releges) *nonnulli satis leviter tentantur. quidam in principio conversionis graviores tentationes patiuntur: quidam autem in fine. Quidam vero quasi per totam vitam suam male habent.* Hi semper prae oculis habere debent doctrinam de gradibus ad peccatum necessariis: quae traditur Distinct VI Canone 2 sequentibus: *Tribus modis impletur omne peccatum*, videlicet: *suggestione*, *delectatione*, *et consensu*. *Suggestio fit per Diabolum*, *delectatio per carnem*, *consensus per Spiritum*. *Necessaria est magna discretio inter haec: cum enim malignus Spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnino perpetratum non est. Cum vero delectari caeperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est: in delectatione fit nutrimentum: in consensu perfectio. Et saepe contingit, ut hoc, quod malignus Spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectioni consentiat. Et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus in delectatione carnali aliquomodo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat, nec consentiat; et tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat - - dicens: Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis.*

omnes *omnium creaturarum liberos amores intensiorem* elicere, *effectumque*, et *intensionem* peccatorum, non *affectum* tantum ut in Sacmto, *valentiori* in Deum intensione charitatis excutere. Sic virtus poenitentiae *exaequabit intensionem* peccati, sive voluntatis *voluptatem*, *quam peccando hausimus*. Sic actus charitatis acris, et vehemens delebit peccati habitum. Nam et in humanis actus levis non delet *habitum*, nec inducit *novum*: sed fortis tantum, ac vehemens. go et charitas sola intensa acris, et vehemens, non initialis delet habitum peccati. Of-

---

Haec est pugna carnis adversus spiritum omnibus Adae Filiis usque ad mortem pugnanda. In qua ad victoriam consequendam, praeter praemissa, haec media a probatissimis vitae spiritualis Magistris praescribuntur: 1. *Oratio* non *vaga*, non *labialis*, sed *seria*, *collecta*, *meditata*, *ardens*, atque ex *humili corde* profecta. Sic oratus Deus *dabit Spiritum bonum petentibus se*. 2. Qui *quinquies mane*, *et toties a meridie* actum *charitatis*, *detestationis* peccati, et firmi *propositi* non peccandi in die elicuerit, is *tentationi* non facile *consentiet*, et *in dubio* taliter *agitatus* potest *praesumere*, *se non consensisse*. Ex manuscriptis P Michaelis Fodor nuperni illustris Spiritualis vitae Magistri. Ratio est, quia talis *moraliter semper* amat Deum, et detestatur peccatum, go praesumi non potest *deliberate* peccato consensisse, quod toties detestatus est. Palpa hic, obtecro! *virtualiter continuae* charitatis ad christiane vivendum absolutam necessitatem! et sine tibi persuaderi Theologiam hanc Sanctorum. cap I n XXIX. Accedit Regula Juris: *Inspicimmus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Sed et Cap 44 de sent Excom *Dubium ex conscientia levi deponere: in prudenti* solum *tutius eligere* jubemur. Adde, quod *consensus* voluntatis *perfectus*, videlicet a *plena*, et *deliberata* peccati *electione*, aut a *clare cognita* rerum, quas exequi tenemur, *omissione* profectus, qui ad *peccatum mortale requiritur*, non facile *ignorari* potest; ideo qui *tenerae conscientiae* est, vel *recens conversus* per *firma proposita saepius statuit* Deum *non amplius offendere*, *in dubio*, an *cogitationi*, indeque exurgentibus *motibus* consenserit? potest judicare se nonnisi *fortem imaginationem*, *subreptitiam cogitationem*, *obscurum*, *imperfectumque* mali *judicium*, aut *sensualem*, *indeliberatamque delectationem passum fuisse*, ac proinde etsi *aliqua pigritia*, ac *negligentia* in *impediendo*, aut *repellendo* interveniset, ad summum venialiter peccasse. E contra homines *improbi*, qui saepius in gravia solent labi, *si* in proemissis *dubitent*, judicare possunt, et debent, se mortaliter peccasse, quia ex *communiter contingentibus fit praesumptio.*

Media contra tentationes, et incidentias.

3. De consensu circa haec notatu dignissima habet Christophorus Schorer Theolog. Ascet P 3 c 6 n 6 Videlicet: I. Si *sensibus*, vel *rationi praecise repraesentetur objectum turpe*, vel *aliter peccaminosum*, *non est peccatum.* II. *Neque motus sensualis*, qui ad hanc repraesentationem consequitur, et rationem praevertit, cum sit *naturalis*, et ex *fomite peccati contra voluntatem*, vel saltem ab *hac* non procedit. III. Neque *delectatio huic motui naturaliter conjuncta*, *quae secum trahit sine* omni *deliberatione partem inferiorem rationis*, *et voluntatis*, vel potius *phantasiae*, et *appetitus sensitivi*: *imo si superior ratio talem motum adverteus statim resistat per actus contrarios saltem virtuales*, *meritum comparatur.* IV. Si *ratio superior haereat nonnihil primis suggestionibus*, *et motibus non resistat*, uti posset, *peccatum quidem committitur*: *sed si ratio alterius rei attentione occupata impediatur*, *ob defectum advertentiae* plenae, adhuc *leve est*, *dicitur*que *delectatio subreptitia*; *sed haec diu durare non solet*, *cum rationem excitet suo objecto.* V. *Si* vero *plene advertat suggestionem*, *neque tamen contra eam insurgat*, *sed ex negligentia*, *et torpore* (*) *sinat motum illum aliqua temporis mora extendi*, *licet nondum deliberationem*, *aut consensum elicuerit*, *peccatum veniale delectationis committitur*, *majus*, *minusve pro modo* NEGLIGENTIAE. VI. Quod si post delectationem hujusmodi sensualem, et indeliberatam non resistatur, *sequitur consensus*

Regulae in dubio, an quis consenserit peccato?

(*) De negligentia *levi* in suggestione *levi* haec intelligo. Quam contemnere muscarum instar satius est, quam cum illa in pugnam aperte descendere. Si vero suggestio sit fortis, vivida, repente inflammans, huic post plenam advertentiam, modo humano, non resistere est *amare periculum*: unde regula generalis in hoc est passim recepta: *mortale est non resistere tunc*, *dum quis videt*, *se totum in malum inclinari.* An autem hoc casu committere negligentiam *levem* sit mortale? non affirmo: nam cum negligentia *levi* fiat conatus *mediocris* resistendi: qui *mediocris conatus* excludit consensum *perfectum* ad peccatum mortale requisitum. go in casu negligentiae levis peccatum mortale asseri non posse, satis videtur.

sensam vero, quam peccando Deo intulimus (ut et hoc contra Calvini sugillationes notemus) illius solum satisfactio potest exae-

quare

---

consensus: qui *si ex vehementi impulsione* PRAECEDAT *adhuc* PLENAM DELIBERATIONEM, *et hac superveniente ratio mox resistat, reiciatque motum, necdum* (*) *peccatur mortaliter, etsi proxime accedatur.* VII. Quando vero *plenae deliberationi consensus accedit, peccatum mortale est, si objectum sit graviter illicitum; sive dein in ipsum opus tendat consensus, sive in solam delectationem cogitatione sumptam.* Ubi insuper notat, *Doemonem*, vel *sensum* subinde *tentationes injicere sub enunciatione consensum significante*, VOLO HOC FACERE. etc. *Cum* tamen longissime *absit voluntas consensus*, qui neutiquam ex ineptis hujusmodi incidentiis, sed *vero suo proprio actu dijudicandus est.* Ex quo apparet, *peccatum mortale non committi*, licet res, circa quam habetur sensualis delectatio, sit graviter illicita, *nisi accedat consensus perfectus cum praevia advertentia*, seu *cognitione malitiae*, et *deliberatione plena*; sed ex *imperfectione* actus, nempe vel *advertentiae*, vel *deliberationis*, aut ob *negligentiam in resistendo* evadere veniale. Haec Schorer Apud Vitum Pickler *de adulteriis.*

Instructio, et consolatio tentatorum.

4. Notetur ex Thoma Kempensi L 3 cap 6: *Certare adversus malos motus animi, suggestionemque spernere Diaboli insigne est virtutis, et magni meriti. Non ergo te perturbent alienae phantasiae de quacunque materia ingestae. Illas enim invite pateris, et* QUAMDIU DISPLICENT, MERITUM EST, NON PERDITIO. ibid c 48: *Beatus, qui propter te Domine! omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit, qui naturae vim infert, et concupiscentias carnis fervore Spiritus crucifigit, ut serenata conscientia puram tibi orationem offerat, dignusque sit Angelicis intereesse Choris omnibus terrenis foris, et intus exclusis.* Item Lib 4 c 10: et L 1 c 13: *Multi quaerunt tentationes fugere, et gravius incidunt in eas. Per solam fugam non possumus vincere, sed per patientiam, et veram humilitatem omnibus hostibus efficiemur fortiores. Qui tantummodo exterius declinat, nec radicem evellit, parum proficiet, imo citius ad eum tentationes redibunt, et pejus sentiet.* PAULATIM, ET PER PATIENTIAM CUM LONGAMINITATE DEO JUVANTE MELIUS SUPARABIS, QUAM CUM DURITIA, ET IMPORTUNITATE PROPRIA. *Saepius accipe consilium in tentatione, et cum tentato noli duriter agere, sed consolationem ingere, sicut tibi optares fieri.* 5. In tentatione animum non desponde: *Fidelis est enim Deus, qui non*

Ad Cor 10 v 13.

patitur nos tentari ultra, quam possimus sustinere, sed faciet cum tentatione proventum meritorum. Sed et Tridentinum docet: *a Deo nos non deseri, nisi prius ipse a nobis deseratur.* 6. *Averte* cogitationem *quocunque alio*: maxime ad *Deum praesentem*, videntem, judicantem, in monento saepe punientem! *Excute, ut serpentem*

Sess 6 cap. 16.

sinu tuo. *Magis intendere* ad id, quod agis, est *positiva resistentia, et facilior, ac tutior* est talis *indirectus contemptus*, quam *directe obsistere* velle. *Sic enim frustra te fatigabis, cum phantasia voluntatis imperio non subsit.* Animo *dissensum praestare, mentem* ALIO *avertere*, viciisse est. 7. *Sub tentatione securitatis licet gratia*, an non placuerit? *Animum non reflecte, nec te de eo examina*, nisi sedata tempestate. Interea teste Kempensi L 2 c 9: *Non est melius remedium, quam* PATIENTIA, ET ABNEGATIO SUI, ac humilis *alio mentis applicatio.* 8. Cessante tempestate etsi *cogitatio cor pervaserit, et contristaverit*, si tamen interrogatus *maluisses quidvis aliud, quam foeda illa agitari cogitatione*, securus sis te non consensisse. Hoc enim est humanum *Uri* tentatione, sed non *comburi.* 9. Consultissimum est *allidere parvulos ad petram*, remotas dico *cogitationes, titillationes*, ac *insinuationes in scintilla praefocare*; ne forte *neglectae* in incendium difficile exstingvendum succrescant. Principiis obsta.

Addo pro viris Spiritualibus 10: Tametsi omnes *non necessariae occasiones* (quibus cederi Ecclesiae, sapientiae, et Sanctitatis dico exempla saepe miserando casu

---

(*) Ratio est, quia ut ait Antoine de peccatis cap II q II consensus plenus, et perfectus ad mortale necessarius ille est, quo *voluntas cum plena deliberatione objectum ab intellectu propositum* FIRMITER *amplectitur.* Sive ut alii exprimunt: *dum absque displicentia* DELIBERATE *placet cogitatio.* Notent hoc timorati. Atqui hoc non fit in hoc casu. Nam *vehemens impulsus deliberationem praecedens* consensum *perturbat*, et *imperfectum* reddit potius, quam perficit. go *consensus sine plena deliberatione* non est *perfectus* in timoratis. Aliter loquemur *de habituatis*: in quibus *deliberatum* illum *consensum*, quo *habitus* pravus admissus est, docet Antoine de peccatis c II q IV, esse *virtualem, in caussa, interpretativam*, et *indirectam advertentiam*, et sufficientiam ad imputanda peccata ex *habitu* sine *advertentia*, et deliberatione *actuali* secuta eo usque, donec *habitus malus* sufficienter retractetur. De quo nos suo loco plenius.

quare, qui *in perſona Divina Deus homo fuit.* Cujus meritis dignificata *charitas* noſtra ita demum delebit offenſam peccati, et juxta cap I n XVIII infundet habitum charitatis, ſi *illa* major fuerit omnium creaturarum, tam praeſentibus, quam praeteritis amoribus: idque ut *appretiative*, ita *intenſive*, ut manifeſte evictum dedimus h n XXIII XXIV. et clare docet et Angelicus. Quod ut ad oculum pateat:

XXIX. Ejusdem cum Soto Dominicani Ordinis illuſtris Theologus Dominicus Bannez 2 2 q 26 a 2 ad praeſentem materiam ita docet: *Teneo ego, quod non diſtingvuntur reſpectu Dei, et quantum eſt ex parte charitatis diligere intenſive, et appretiative: Sed tantum appretiative diligitur Deus, quantum intenſive. Nec Sanctus Thomas aliam quantitatem, vel augmentum tribuit charitati, niſi intenſionis. Ergo augmentum, quod appretiative conſideratur, non eſt diſtinctum.* An teſtimonium hoc verum ſit? exploremus. S Thomas in 3 ſent Diſt 29 q 1 a 2 docet, *plus* unum alio *diligere* pertinere ad *intenſionem. Intenſio actus praecipue in actibus animae non menſuratur ad quantitatem objecti tantum, ſed ad EFFICATIAM agentis, et CONATUM in agendo. Unde non melius videt, qui MAJOREM intuetur rem, ſed qui CLARIUS videt.* Ergo *qui Deum appretiative plus*, ac magis, quam creaturas vult diligere, ex mente Angelici debet diligere INTENSIVE ad EFFICACIAM *agentis, et* CUM CONATU *in diligendo.* Ergo S Thomae idem eſt diligere *appretiative*, et *intenſive.* Idem docet ſibi ſemper conſtans Angelus Scholae de charitate a 9 ad 10: *Aliquem dicimus magis diligere, non ſolum quia majus ei bonum volumus, ſed etiam quia INTENSIORI AFFECTU idem bonum ei optamus. Et ſic licet omnibus optemus unum bonum, quod eſt vita aeterna, non tamen omnes aequaliter diligimus.* Ad cumulum addit 2 2 q 24 a 3: *Ex parte diligentis tum eſſe charitatem perfectam, quando diligit quantum poteſt.* Id eſt, ut ſeipſum explicat ibidem q 184 a 3 ad 2: *Eſt autem infimus Divinae dilectionis gradus, ut nihil SUPER EUM, aut contra eum, aut AEQUALITER*

Angelicus Doctor.

Manifeſte pro intenſione ſtat-

---

fu corruerunt) cane, et angve pejus *fugiendae ſint*, ut monet Sapiens: *Qui amat periculum peribit in illo;* nequeunt tamen *omnes remotae*, alioquin Apoſtolo teſte *deberemus e mundo exire*: nominanter vero ea, quae *muneris*, ac *vocationis* noſtrae *ſunt*, hujus miſeriae intuitu *negligi*, aut *cum timore agi non debent.* Imo vero hoc ſit nobis ſcutum, et remedium penes Sanctam intentionem: *Hoc vocatio, aut obligatio mea a me exigit* (hoc *honeſtas*, neceſſitas, *urbanitas* etc. Modo *non mentiatur iniquitas ſibi*) ergo *intrepide age*, confiſus, quia certe aderit Deus. Hoc ſcuto tectos, ſed una *timore*, et *amore* Dei armatos viros Apoſtolicos cum utroque ſexu intrepide egiſſe, peccatrices convertiſſe, Lupanaria in coenobia commutaſſe, indubium eſt. Imitemur Magiſtros, et Inſtitutores Noſtros, et experiemur, quod ſi cum *firmo propoſito*, et *recta intentione* vi *vocationis noſtrae* cum meretricibus agemus, *Sanctis cogitationibus* abundabimus; ſi vero ex otio, aut puſillanimitate cellae nos includemus, ab Angelo ſathanae colaphiſabimur. Vide Philotheam S Franciſci Saleſii p 4 a c 3 uſque ad 10. Ubi hanc materiam pie, et docte ediſſerit in ſolatium eorum, qui ſub hoc malo longum Martyrium ducunt; atque eo ipſo ad *excellentem* vitae *Sanctitatem*, et *gloriam* electi ſunt: ſi tamen fideles perſeveraverint. Nam *qui tentationes ſuſtinere nequiverunt, reprobi facti ſunt, et defecerunt*, ut ait Kempenſis L 1 c 13. Non ſine ſolatio etiam releges Catechiſmi Romani Part. IV cap XV. Ubi Orationis Dominicae ſexta petitio: *Et ne nos inducas in tentationem* luculenter explanatur, et de tentationum natura, gravitate, vincendi modis, et praemiis copiſſe diſſeritur. Ita et Part III cap VII part poſteriore de remediis caſtitatis conſervandae.

Si quis *antiquorum* peccatorum ſuorum *recordatione* affligitur, ei ſvadetur, *ſeria*, et *exacta* confeſſio *generalis*: at ſemel tantum ad anxietates evitandas. Si praemiſſa *ab atra bile* proveniant, is utatur evicuationibus, honeſtis commotionibus, et diſtractionibus: inter quas harum miſeriarum ſenſim inducetur oblivio. Non tamen obliviſcatur praeſcriptorum remediorum, ne ex *timorato* evadat *Laxus.* In quod extremum tales, ut et ſcrupuloſos perſaepe Labi experientia conſtat.

TER EI DILIGATUR. A quo gradu perfectionis qui deficit, nullo modo implet praeceptum. Confer dicta cap I n XVII: ubi duplicem contritionem, *plenam*, et *non plenam* ad remissionem culpae tradit. Cap II n XII charitatem *praeparatoriam*. Ibid n XIV *inchoationes charitatis a perfectione* charitatis distingvit. Cur hoc? an quia charitas *non plena, praeparatoria, et inchoata* non est *appretiative super omnia*? hoc falsissimum Angelico manifeste vidimus c I ad n XXIX not 12. ergo distingvit illa Angelus Scholae defectu *intensionis*. Quae demonstratio ut tota est Angelici, ita adversariorum opinionem de omni charitate perse justificante sus deque vertit.

Id ipsum evincitur ratione.

Ex natura charitatis praedominantis.

XXX. Et recte sane. Nemo enim insicias ibit, Deum summo, quin omni possibili amore esse dignissimum. Quia igitur amor Dei ex parte nostri nequit esse absolute intensive summus juxta n XIX *hic*: saltem *respective* debet esse summus *comparate* cum aliis liberis nostris tam licitis, quam illicitis, sive praesentibus, sive praeteritis nondum retractatis amoribus. Nemo enim affirmabit coram Deo, se eum *diligere ex toto corde*, et *ex toto valde suo* etiam *respectivo*, qui *remissa*, et *infima* in Eum voluntatis tendit *intensione*. Nemo satis intelligit, quid sit ex parte *voluntatis appretiatio super omnia*, si ab illa *conatus* omnis, efficacia, atque *intensio practica* abesse intelligatur. Enimvero, ut brevi te manu teneamus! homineem paratum esse debere creata omnia potius, quam Deum deserere, fateri debes! sed hinc perspicue consequitur, cor nostrum *arctiori, fortiori, intensiori amore* Deo affigi debere, quam omnibus simul creaturis. Si enim *intensioris* amoris deliberati vinculo alicui creaturae affixi sumus, secundum *praesentem voluntatis dispositionem* parati sumus *Deum* potius, quam fortis, intensiusque *illo* amatam creaturam relinquere. Amor namque nexus est, quo amans amato adstringitur. Igitur si *fortioris amoris deliberati vinculo intensiore creaturis*, quam Deo alligamur, *secundum praesentem* animi nostri, voluntatisque *intensionem* facilius a Deo, qua a creaturis avellemur. Hominem qui *duplici vinculo* libere a se sibi impositio, quorum alterum altero fortius sit, in diversa libere rapitur, ob oculos pone mentis tuae, et res evadet manifesta. Nemo enim non videt, illum eo rapiendum, quo nexus fortior trahit. *Amor meus pondus meum, eo feror, quocunque feror*, inquibat Augustinus de *libero*, et *ferventiori* amore, non de *inliberato*, cui voluntas reluctetur, loquens: Ut nos ipsi. Redisis ad cap V n XXXII. XXXIII. Igitur si amor *creaturarum* deliberate fortior, intensiorque sit, relicto Deo *illas* amplectemur ingruente casu, quo vel Deum dilectum, vel creaturas fortius amatas deserere necesse sit. Imo vero eo ipso, quod aliquam creaturam *intensiori libero* amore, *deliberata* voluntate diligimus, Deum suo modo deserimus. Hoc est dictu: non recte, non perfecte, non *super omnia practice* amamus. Igitur remissior *voluntatis rationalis* dilectio Dei, quam sit creaturae amor etiam *in se licitus*, sed quia *Dei amore major est, eo ipso vitiosus*, tanto magis praesens amor Dei *crimine* patrato necdum retractato *remissior* ad impii justificationem extrasacramentalem consequendam sufficere haud quaquam potest. Manifesta enim est deordinatio, si *finis ultimus* hominis *Deus* etiam extrasacramentum *minore affectu, conatu*, atque *intensione* diligatur, quam omnia creata Deo subordinata, et quam ipsum peccatum fuit perpetratum.

Ex decreto Tridentino.

XXXI. His plena lux accedit ex Decretis Tridentinorum PP: qui posteaquam sess VI cap VI ad Sacramenta mortuorum *charitatem initialem* requisiverunt: *toto cap II*: definiveruntque ibi cap VII, quod

hanc

hanc dispositionem, seu praeparationem (cujus praecipua pars est *charitas initialis* ex cap VI:) *justificatio ipsa* CONSEQUATUR ope Sacrmti ut *caussa instrumentali* causanda: Hacque collatione utriusque cap VI, et VII in evidenti luce collocarunt *initialem* nostram *charitatem*, quae non *PER SE*, sed *OPE SACRMTI* ut *INSTRUMENTI tempore posterius supervenientis* justitiam operatur: ad cumulum addunt sess XIV cap IV: *Contritionem* ALIQUANDO *charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare* ante usum Sacramenti. Non *semper* itaque dum objectum charitatis attingit, sed *aliquando* duntaxat contritio *perfecta* est. Cur ita? rationem dat tuba Concilii Tridentini, interpresque integerrimus, Catechismus ejus p 2 c 5 n 36: *Ut enim concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeo VEHEMENTEM, ACREM, et INTENSAM esse oportere, ut DOLORIS ACERBITAS cum SCELERUM MAGNITUDINE aequari, conferrique possit. At quoniam PAUCI admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a PAUCISSIMIS hac via peccatorum venia speranda esset: quare necesse fuit, ut Clementissimus Dominus FACILIORI ratione communi hominum saluti consuleret. Quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves Regni Coelestis Ecclesiae tradidit.* His sane compendio datur, quid quid ex *Scriptura*, *Patribus*, atque *ratione* tradidimus. Frustra sunt, qui hic aut consilium dari, aut sermonem esse de contritione *appretiative*, non *intensive summa* contendunt. Etenim *contritionem vehementem, acrem, et intensam, cum scelerum magnitudine aequandam esse oportere*, contrarium luce meridiana clarius evincunt. Confer cap IV a XXII. et XXX. Nec felicius pugnant ii, qui Catechismum hunc ad privatam eorum, qui composuerunt, opinionem detrudunt. Compositum equidem lego jussu Concilii a quatuor viris doctrina, pietate, ac rerum in Concilio gestarum notitia clarissimis: Leonardo Marino Archi-Praesule Lancianensi, Aegidio Fuscarario Episcopo Mutinensi, Mutio Calino Archi-Episcopo Jadrensi, et Francisco Forretio Regis Lusitaniae ad Concilium Theologo. Deinde recognitum a Guillelmo Sirleto Card. doctrina, et pietate celeberrimo, aliisque Theologis longe doctissimis. Quod vero maximum est, a S Pio V. et Gregorio XIII probatum, nec non a Clemente XIII omnibus iterum commendatum. (*a*) Vide editionem

Et Catechesi ejus.

(*a*) Juvat ex Enciclyca Clementis XIII ad *omnes Episcopos* in commendationem hujus Catechismi 14 Junii 1761 data quaedam hic deliberare. Ait enim: *Postquam Tridentina Synodus eas, quae tum temporis Ecclesiae lucem obfuscare tentaverant*, HAERESES CONDEMNAVIT, *Praedecessores nostri ex ejusdem Sacri Concilii mente* (Sess 25 de Librorum indice, et Catechismo) *aliud opus confici voluerunt, quod* OMNEM DOCTRINAM *complecteretur*, QUA FIDELES INFORMARI OPORTERET, *et ab* OMNI ERRORE QUAM LONGISSIME ABESSET. *Quem Librum* CATECHISMI ROMANI *nomine typis evulgaverunt, dupliciter ea in re laudandi: Nam et illuc eam doctrinam contulerunt*, QUAE COMMUNIS EST IN ECCLESIA, et PROCUL AB OMNI PERICULO ERRORIS: et *hanc PALAM POPULO TRADENDAM disertissimis verbis proposuerunt.*

Auctoritas Cateh Romani maxima.

Continet omnem doctrinam fidelibus tradendam.

Erroris immunem.

Quibus verbis *Vicarius Christi universam docens Ecclesiam*, declarat in Catechismo Romano *communem doctrinam in Ecclesia, qua fideles informari oportet, et quae ab omni errore quam longissime abest, contineri.* Igitur dum nos in superioribus capitibus, et in praesenti, et deinceps sententiam nostram apertis verbis hujus Catechismi conprobamus, oraculo Pontificio certi [illegible]nus, *communem in Ecclesia doctrinam procul ab omni periculo erroris* positam, *fideliqne populo tradendam esse* eam, quam proponimus, atque sectandam omni opum vi inculcamus. An adversarii nostri dicti Catechismi depretiatores hac securitatis opinionum suarum conscientia tuti sint? Audiamus eundem Ecclesiae Pastorem: *noverant*, inquit, Antecessores nostri *fuisse antea, et deinceps futuros, qui pascentes invitarent, et sapientiae, scientiaeque uberiora promitterent pascua, ad quos multi confluerent, quia aquae furtivae*

Augustae Vindelicor 1762. ac dissertationem I Andreae Serrai de Romani Catechismi Auctoribus, atque praestantia apud Nat Alexandrum

---

Christianis necessariam.

(prov 9 v 27) *dulciores sunt, et suavior panis absconditus. Ne igitur* SEDUCTA VAGARETUR ECCLESIA *post greges sodalium, qui et ipsi sint vagi nulla stabiles certitudine veritatis, semper discentes* (2 ad Tim 3 v 7) *et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes; idcirco quae* AD SALUTEM TANTUMMODO *essent* NECESSARIA, *et* MAXIME UTILIA, *clare in Romano Catechismo, et dilucide explanata Christiano populo tradenda proposuerunt. Verum hunc Librum non mediocri labore, et studio compositum, omnium consensione probatum, et summis laudibus exceptum his temporibus e Pastorum manibus propemodum novitatis amor excussit. Unde duo mala exstiterunt: alterum, quod illa ratione in docendo fuerit prope sublata consensio: oblatumque pusillis quoddam scandali genus, qui sibi ipsis jam non esse videantur labii unius:* Genes 11 v. 1. et *sermonum eorundem. Alterum, quod ex diversis tradendae Catholicae veritatis rationibus ortae sint contentiones, et aemulationes: dum alius se Apollo, alius Cephae, alius Pauli se dictitat Sectatorem, disjunctiones animorum, et magna dissidia. Quorum acerbitate nihil ad Dei gloriam minuendam exitialius putamus. Ut itaque duplex hoc malum ab Ecclesia tandem amoliremur, illuc duximus redeandum, unde quidam parum prudenti consilio, nonnulli etiam superbia ducti, ut sese in Ecclesia jactitent sapientiores jam dudum fidelem populum avocaverant: et eundem Catechismum Romanum Pastoribus animarum iterum porrigendum existimavimus, ut qua ratione confirmata olim fuit Catholicae fidei doctrina, eadem nunc a novis quoque opinionibus, quibus nec consensio, nec antiquitas suffragantur, quam longissime avertatur.* etc.

Ejus neglectus gravissima mala invexit.

go eo redeundum, unde discessum est.

Habes hic Lector! veram rationem, exqua in tradenda, et explicanda doctrina Ecclesiae tot Sectae Scholasticae, tot opiniones, tot probabilitates sunt enatae! quibus omnibus extirpandis *Catechismus Romanus*, cen. *Catholicae fidei, et Christianae disciplinae norma* sapientissimo Pontifici suffecturus videtur, *quo tum eruditionis unitas, tum charitas, animorumque servetur concordia - - ne dissensio populum fidelem disturbet, utque in vinculo pacis, et in charitate spiritus unum sapiamus omnes, unum laudemus, et glorificemus Deum, et Dominum Nostrum Jesum Christum.* Ut ibidem prosequitur Christi Vicarius.

Servit ad unitatem doctrinae reducendam.

A variis Sinodis commendatus.

Quanto haec optanda sunt ardentius, tanto deplorandum est acerbius! aureum hunc Librum multis Parochorum vix nominetus notum esse. Ubi tamen illum *ab omnibus animarum Curatoribus versandum, terendumque esse* graviſſime praecipiunt praeter modo citatum summum Ecclesiae caput S Carolus Borromaeus (immortale illud Ecclesiae decus, et Catechismi hujus conficiendi Promotor singularis) in Sinodo *Mediolanensi* Anno 1565. Sinodus *Benevenana* a 1567. Sinodus *Ravennatensis* 1668. *Salisburgensis* 1569. *Genuensis* 1574. Sinodus Provincialis *Aquensis* 1585. Itidem Provincialis *Tolosana* 1590. *Avenionensis* 1594. *Aquilejensis* 1596. ut innumeras alias omittam.

In praxi periculose deseritur.

Obtemperemus Sanctissimis his Legibus, et in uno hoc Libro non magno habebimus admirandum compendium scripturae, Patrum, Conciliorum, antiquorum Doctorum: verbo *Doctrinae Ecclesiae.* Exulabit a nobis attritio, probabilitas, et tot alia monstra laxarum opinionum, quae christianam Ethicam hodiedum miserandum in modum devastant, et ideo potissimum devastant, quia mediae aetatis opinionum, imo laxitatum sectatores aureum hoc doctrinae Ecclesiae *ab omni errore*, ut Clemens XIII asserit, *longissime* distantis compendium, utpote laxitatibus eorum e diametro oppositum in sortem *privatorum Catechismorum* detruserunt contemptim dictitantes: *A Catechismi Romani Sententiis recedere piaculum non fore.* Quam propositionem a nullo Catholico viro deinceps proferendam esse evinco hac paritate: Enimvero Librum aliquem a tribus Pontificibus, innumerisque Sinodis particularibus *reprobatum* amplecti, sequi, Fidelibusque a privato quodam Doctore commendari, esset profecto piaculum, audax, temerariumque factum: ergo par est in *praxi* (cui unice laboramus) recedere a doctrina Cathechismi Romani a triade Pontificum, diversisque, ut vidimus, Sinodis probati, Fidelibusque post articulos Fidei ad sequendum propositi, ac commendati.

Utpote a Tribus summis Pontificibus probatus.

Nec praetendatur recessum ab illo fieri *gravibus ex rationibus.* Plane enim non dubito, futiles, vanissimasque esse rationes illas, quas Cathechismi Auctores, tot Christi Vicarii ejus approbatores, tot item Sinodi commendatores non viderunt. Quid? quod si liceat Catholicis reformare *praxim* contra Libros Ecclesiae *doctrinales* praetextu gravium rationum, mox licitum quoque sibi putabunt heterodoxi reformare *articulos Fidei* contra *Libros Canonicos* praetextu gravium rationum. Ergo disputent *Scholae*, si velint, ex rationibus: maneat Cathechismus Romanus in praxi, quo *Fideles* teste Clemente XIII *informari oportet.*

drum ſupl. p 1. Etſi igitur *irrefragabilem* ejus *auctoritatem generali Concilio parem* nec ipſe venditem; puto tamen *majorem* eſſe, quam *omnium privatorum Orbis terrarum recentium Scholaſticorum.* Plus vult Antoninus Reginaldus Ord Praed de *Catechiſmi Romani Auctoritate* apud Natalem Alexandrum 1 prius laud: ubi cap VII cum Bellarmino aſſerit, ejus auctoritatem majorem eſſe *quolibet ſingulari Eccleſiae Doctore*: doctrinam ejus tanquam *Catholicam* habendam: et ei aperte contradicere *temerarium* eſſe: idque duplici ex ratione: quia ejus doctrina eſt quadam ratione *Conc Tridentini*, utpote *ejus* juſſu edita, et cum doctrina ejus concordans. Dein quia plures Pontifices probarunt, ut ex dictis ſatis patet. Haec de Cat. Romano. Cujus teſtimonio neceſſitas in charitate extra Sacrm juſtificante *Intenſionis* indubia eſt.

Ex Pallavicino.

XXXII. In eadem porro materia et Purpuratus Hiſtoricus Pallavicinus ineluctabile prorſus pro nobis ſuppeditat argumentum: Scribit enim L 8 c 12: diſceptatum magnopere in Concilio fuiſſe: An ſine Divina revelatione *poſſit homo habere certitudinem indubiam acceptae a ſe juſtificationis?* Negantemque ſententiam probatam fuiſſe ex hac ratione: quod *nec ſcire quis poſſit ſe Deum ſuper omnia diligere:* ac praeterea, ut amor Dei extra Sacramentum juſtitiam operetur, *quosdam complures exigere conditiones: ac praecipue* QUAMDAM ACTUS INTENSIONEM, *de qua nemini evidenter conſtare poſſit.* Imperite igitur opinio noſtra fugillatur invidioſo Janſeniſmi, aut rigoriſmi nomine: utpote in Conc Tridno relata, ſuoque loco cum honore relicta. go eo ipſo in praxi unice retinenda.

Aliae rationes.

Pecatum majus, ut ſatisfactionem, ita majorem contritionem requirit.

XXXIII. Accedunt aliae rationes ſane urgentiſſimae: Nam unum peccatum mortale majus eſſe altero, fidei caput eſt. Ergo peccatum gravius, extra Sacramentum *majorem* contritionem, ſicut majorem ſatisfactionem, exigit. (Aliud eſt *in Sacramento*, cujus valor eſt infinitus, *applicans ex opere operato* infinita Chriſti *merita.* Extra vero Sacrm *haec* appiicari *pro menſura* contritionis, ſatis patet ex n XXIII XXIV hic: quibus mox plura addemus.) Atqui adverſariis non negantibus, peccatum mortale ut *unum* exigit contritionem *appretiative* ſummam. Ergo mortale ut *Octo* exigit contritionem *intenſive* priori majorem. Illuſtratur prior ſequela: Unum peccatum majori cum *intenſione*, et *voluptate* committitur, quam aliud. Ergo aequiſſimum eſt, ut et majori *intenſione* contritionis deleatur. Secus ſummum, et infimum peccatum *aequali* contritione deleri poſſet. Quod contrarium eſt doctrinae *Sanctorum*, qui pro gravioribus peccatis graviorem contritionem exigunt. Ne jam n XXIV recenſitos textus iterum repetamus, S Ambroſius Lib 1 *de poen c 2: Qui culpam exaggeravit, exaggeret etiam poenitentiam. MAJORA* enim CRIMINA MAJORIBUS ABLUUNTUR FLETIBUS. *Ita nec Novatianus probatur, qui veniam intercluſit omnibus: nec* VOS, QUI IBI MINUITIS STUDIA POENITENTIAE, UBI AUGERI OPORTET. *Quia graviora peccata majoribus ſuſtentanda fulcris docuit Chriſti miſericordia.* Quibus verbis aperte docet Sanctus, eos, qui *minimae* charitati graviorum peccatorum veniam ſpondent, in contrarium Novatiano errorem inpingere. (Quod argumenti duntaxat, non cenſurae cauſſa dictum volo.) Nos vero media via tutiſſimos ire. Conſpirat S Hieronimus Epiſt 27 ad Euſtochium noſtram ſententiam indubiam ſupponens: ait enim: *in Paula crederes fontes lacrimarum. Ita levia peccata plangebat, ut illam* GRAVISSIMORUM CRIMINUM CREDERES REAM. Non diſcedamus adhuc a S. Cypriano, qui *laud* Serm. *de lapſis* urget: *Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemisceres, fleres, facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto maeroris indicia dares. Animam tuam miſere perdidiſti, et ambulans*

Ut docet S Ambroſius.

S Hieronimus.

S Cypriani notandae ſententiae.

bulans funus tuum portare caepisti, et non acriter plangis? non jugiter ingemiscis? Hanc paritatem aurea eloqventia edisserunt, urgentque S Chrisostomus *L 1 de Conpunctione cordis.* S Augustinus *Serm* 65 *alias* 13 *cap* 4 apud Natalem Alexandrum de Sacramento poenitentiae cap IV. sed ne immensi simus, audiamus Cyprianum concludentem: *agite poenitentiam plenam dolentis, et lacrimantis animi probate moestitiam. Nec vos quorundam moveat aut error improvidus, aut stupor vanus, qui cum teneantur tam grandi crimine, percussi sunt animi caecitate, ut nec intelligant delicta, nec plangat. Indignantis Dei major haec plaga est!*

go Catech Rom PP tradit doctrinam.

Concludamus igitur, Authores Catechismi Romani extra Sacramentum contritionem *acrem, vehementem, et cum scelerum magnitudine quodammodo aequabilem* ad justificationem requirentes doctrinam suam a *Patribus* accepisse: unaque nos certissimos reddere, *Sanctos Patres* ad contritionis perfectionem *intensionem* requirentes non loqui de PUBLICA tantum *poenitentia.* Hac enim hodie cessante, ita docent Catechismi Auctores, et Iuniores Patres h n XXIV in fine. ergo utrinque unum *Spiritum*, eundem finem utriusque poenitentiae publicae, et privatae, nempe extra Sacrm contritionis intensionem urgent.

Solvuntur contraria. Objicit Tract Tyrnaevienſis Ex scriptura.

XXXIV. Solvi etiam clare possunt contraria huic doctrinae. Quorum multa jam dissolvimus cap III not ad n VI. quae hic relegere debet veritatis studiosus. Urget Tract Tyrnav de poenit n 82: Scriptura minimae contritioni justificationem promittit dicens Isaiae 30 v 15: *Si revertamini, et quiescatis, salvi eritis.* Graecus textus ita habet: *Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis.* Ibid v 19: *Ad vocem clamoris tui statim, ut audierit, respondebit tibi.* Et Ezech 33: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque hora conversus fuerit ab impietate sua.* His locis nulla intensio conversioni impiorum praescribitur. Ergo. Resp 1: Haec componi debent cum textibus n XXIII hic pro *intensionis* extra Sacramentalis necessitate laudatis. Optime conciliantur, dicendo: his locis verae conversionis *EFFECTUM* describi: qualis vero debeat esse *extra Sacramentalis vera conversio*, et *gemitus*, hoc ex n XXIII laudatis locis scripturae summendum esse, in quibus *conditiones* ejus describuntur. R 2: Ad priores Isaiae textus cum S Fulgentio L 7 de remiss peccator c 12: *Quia ingemuit David, et toto corde conversus, salvus factus est, atque ita in eo completum est, quod per Prophetam praecipitur, si conversus fueris, et ingemueris, salvus eris.* Ergo gemitus in primo textu requirit *ex toto corde*, ut exemplo Davidis probat Fulgentius. Cui consentit Ambrosius *L de Apologia David cap* 1, ubi ejus gemitum sic describit: *Praematura confessione, atque IMMENSO dolore redditit peccatum suum Domino. Maturitas veniae PROFUNDAM fuisse Regis POENITENTIAM declaravit. poenitentiam egit, flevit, ingemuit, humi stratus deploravit aerumnam* suam, *jejunavit, confessionis suae testimonium in perpetua saecula vulgato dolore transmisit.* En qualem *gemitum* intelligant a scriptura requiri SS Patres ad justificationem extra Sacramentalem! Qui si minus intensus sit, in ipso Sacramento necessarius erit, docente S Leone M Epist 82 ad Theodorum Forojulienſem Episcopum: *His, qui tempore necessitatis, aut instantis periculi praesidium POENITENTIAE, et mox RECONCILIATIONIS IMPLORANT, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio denegande: quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras vera conversio, dicente Spi-*

Quae loquitur DE EFFECTU contritionis.

Vel de intensa contritione.

Ut Explicant PP.

te Spiritu Dei per Prophetam: Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris. Et alibi: DIC tu INIQUITATES prior, ut juſtificeris. Et iterum: Quia apud Deum miſericordia, et copioſa apud Eum redemptio. IN DISPENSANDIS ITAQUE DEI DONIS non debemus eſſe difficiles, nec ACCUSANTIUM SE *lacrimas, gemitusque negligere, cum ipſam poenitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam.* Quibus verbis S Doctor aperte loquitur de gemitu *Sacramentali*, in quo nulla intenſio requiritur. Reſp 3: Praemiſſis auctoritatibus Scripturae contritioni *momentaneae*, ſi tamen *vehemens, intenſaque* ſit, veniam promitti: non remiſſae, et mi mae extra Sacramentum. Colligitur id maxime ex Graeco textu c 30 v 19 Iſaiae, qui apud LXX Interpretes ita legitur: *Jeruſalem PLORATU PLORAVIT, miſerere mei! miſerebitur tui, VOCEM CLAMORIS tui ut primum audierit, exaudiet te.* Quibus verbis: *PLORANS PLORAVIT*, ideſt: *vehementer* ploravit, et *AD VOCEM CLAMORIS* momentanea, ſed vehemens, acris, et intenſa poenitentia mox juſtificans deſcribitur. Similiter ab Ezechiele Propheta converſio requiritur juxta ea, quae n XXIII ex ſcriptura, et ſeqq nris ex Patribus, et Catechiſmo Tridentini vidimus.

Vel de momentanea intenſa.

XXXV. Objicit Turnelius *de contrit perfecta conclus II* praeter cap III not ad n VI praeoccupata I: Charitas habitualis in quocunque gradu perfecta eſt, ergo et actualis. II: In eo, qui Deum remiſſe amat, nihil eſt exoſum Deo: amat enim is Deum, deteſtatur peccatum, voluntas ejus converſa eſt ad Deum. Ergo eum debet redamare Deus juſtitiam infundendo. Reſp Ad I: Diſparitas palmaris eſt. Nam *charitas habitualis*, etiam minima, eſt effectus Sacramenti, aut perfectae charitatis: eſt *Filiatio Dei*, et *inhabitatio Spiritus Sancti*, ac FORMA SANCTIFICANS. Tridentinum Seſſ VI cap VII. Ergo *in ſuo eſſe* perfecta eſt, ut dona haec Divina perfecta ſunt. Quos tamen effectus habere *initialem charitatem actualem* nondum evicerunt Attritioniſtae. Imo nos eis oſtendimus, *actualem*, etiam *perfectam*, charitatem eſſe *diſpoſitionem ad juſtificationem*. cap I n VIII in Durando: et in Angelico ibi n XVII. Metire tuipſe Lector! quam *ardens* eſſe debeat charitas illa, quae vicem ſupleat Sacrmti: ſive quae Sacrm Poen moraliter ita exhibeat *Patri*, itaque moveat *Eum* ad miſericordiam, ſicut *ipſum Sacrm phiſice* exhibitum: *cujus vi*, et *efficacia Chriſti Sangvis ad nos defluens peccata noſtra eluit.* Ut docet cath Rom de poen n 10. (*a*) Ad II: In tali exoſum Deo eſſe veteris peccati *habitum*; cui delendo initialis charitas perſe, et ſine Sacramento impar eſt. Ut hactenus vidimus. Item deeſſe in eo juſtificationis *diſpoſitionem proximam* charitatem perfectam, vel Sacramentum: et *formam* charitatem *habitualem*. Rationem additam diſt: Amat Deum, et deteſtatur peccatum *modo juſtificationi in Sacramento* ſufficienti C: *extra illud ſufficienter* N. Patet ex dictis h a n XXIII uſque; huc, et paritas eſt e domo Attritioniſtarum: qui timore, et amo-

Objicit Turnelius.

Charitas Habitualis eſt forma, actualis diſpoo ad juſtificationem.

Amat Deus initialiter attritum, odit in eo habituale peccatum.

(*a*) Ex hac doctrina Cath Rom ampliſſimam videre eſt diſparitatem inter charitatem Sacramentalem, et perfectam. Nam actio phiſica Sacramentalis eſt *moraliter*, et in *acceptatione Patris* ACTIO CHRISTI *ex opere operato* abluens peccata noſtra. go in Sacramento ſufficit *initialis charitas, ſitis, et deſiderium* illarum *virtutum, quarum habitum* mox Sacramentum ipſum infundet. Ut liquet ex cap II dictis. At cum ex mox dicendis extra Sacram *in re* Juſtificet *ipſum Sacramentum in voto charitati incluſum*, haec ardens, vehemenſque ſit oportet, ut *ex opere operantis* tantum praeſtet, ſicut Sacramentum *ex opere operato*: ſive ut exhibeat Patri *ipſum Sacrm*, et hoc mediante *merita* Chriſti, quibus peccata noſtra delentur. Uterque hic modus juſtificationis colligitur ex Catech Rom de poen n 36 juncto 37, et 10. et ex fine hujus capitis.

et amore spei contendunt excludi voluntatem peccandi, averti animum ab affectu peccati: et tamen manere *habitum*, et *maculam* peccati ante Sacramentum in re susceptum. Ita nos discurrimus de Initiali charitate cap V n XI, et cap I n XXI.

Alia difficultas Turnelii.

XXXVI. Instat: Teste D Augustino L de natura, et gratia c 38: ut In Abel, ita in omnibus justis charitas justificans augeri, ampliusque perfici potest. Ergo charitas initialis etsi perfici, augerique possit, est tamen justificans. Ergo *intensio* non requiritur ad *justificationem*, sed ad *incrementum justificationis* praehabitae. Unde idem Augustinus ibidem cap ult haec habet: *Charitas inchoata, inchoata justitia est. Charitas provecta, provecta justitia est. Charitas perfecta, perfecta justitia est.* Resp: De fide utique est, justitiam adeptam, charitatemque tam *habitualem*, quam *actualem augeri* in justis posse. De hoc loquitur Angelicus 2 2 q 24: ubi *justorum* tres classes distingvit, nempe: *incipientium, proficientium, et perfectorum.* Ait enim: *Charitas cum fuerit nata, nutritur, quod pertinet ad incipientes. Cum fuerit nutrita, roboratur, quod pertinet ad proficientes. Ergo est triplex gradus charitatis jam natae. Charitas nutrita, sive incipiens* ex mente S Augustini tract 5 in epist Joannis, Et D Thomae loco modo cit *est via purgativa*: hominem Deo subjicit, concupiscentiam, et cupiditatem coercet, vitia eradicat; amoris coelestis impedimenta removet. *Charitas proficiens* altius assurgit, grandia conatur, in virtutum exercitia incumbit, legem exacte observat, consilia Evangelica exequi conatur. *Charitas perfecta* quasi *triumphans* de hostibus prostratis *Deo suo fruitur*, et deliciis coelestibus tranquilla laetatur. Ex his, quae apud omnes vitae Spiritualis Magistros, Sanctosque Patres certa sunt, evidens est, charitatem *incipientium perfectam* jam *esse in sua linea sufficientiae ad justificationem.* Nam effectus recensitos charitatis *incipientium* non nisi *acris, vehemens,* et *intensa charitas* causare potest. Ut patet h ex nro XXVIII. *Incipientium* enim est maxime *vim pati*, vim sibimet inferre, *violenterque* arham Regni Coelestis charitatem justificantem rapere.

Charitas nata initialis est.

Triplicis charitatis officia. Tres gradus perfectionis.

Ex charitatis variis gradibus erutur initialis.

Seb nunquid omnis dilectio Dei mox, *ut nascitur*, tam pugnax, acris, perfectaque est? minime sane. ut hic Doctori Sorbonico Turnelio, ejusque sequacibus Atritionistis ad oculum demonstro: Nam ex modo citato Angelico Doctore charitas *nascitur, nutritur, roboratur, perficitur.* Ergo quatuor aetates sunt charitatis. Ergo interea, ut *nascitur*, et donec *nutriatur*, *initialis*, *imperfectaque* est. Verba ipsa, nedum doctrinam hanc accepit Angelicus a Magistro suo D Augustino, qui in cit tract 5 in epist Joan sic loquitur: *Perfecta charitas haec est: siquis tantam habuerit charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori. Sed nunquid mox, ut nascitur, jam jam perfecta est? ut perficiatur, nascitur, cum fuerit nata, nutritur. Cum fuerit nutrita, roboratur. Cum fuerit roborata perficitur. Cum ad perfectionem venerit, quid dicit? mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Optabam dissolvi, et esse cum Christo.* Ergo et Augustinus, et Angelicus quatuor aetates tribuunt charitati: nempe nascitur, nutritur, roboratur, perficitur. *Ut perficiatur, nascitur.* Ergo inter *nasci* ejus, et *nutriri* imperfecta est. Quia *nutrita* convenit statui *incipientium.* Quin non *nativitatem* solum, sed et *Conceptionem* tribuit imperfectae charitati S Augustinus L 1 ad Simplicianum 9 2: *in quibusdam tanta est gratia fidei* (charitate utique formatae, ut ex sequentibus verbis patet) *quanta non sufficit ad obtinendum regnum coelorum: sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam Sacramentorum participatione incorporare-*

Charitas CONCEPTA, *et* NATA *non justificat.*

raretur Ecclesiae. Fiunt ergo INCHOATIONES quaedam fidei CONCEPTIONIBUS similes: non tamen solum CONCIPI, sed et natci opus est, ut ad vitam perveniatur aeternam. Hic sermo est de Corneho qui certe Baptismum non contempsit, nec distulit, quin mox ut a Petro instructus est, in re suscepit. Nec *inchoationes* ejus ad *informem fidem*, ac *spem* restringi possunt: quia is Actor 10 vocatur *religiosus*, *ac timens Deum*, *faciens elemosinas*, *et deprecans Deum*. A Petro *acceptus Deo*. Ergo *inchoationes fidei* ejus *conceptionibus similes*, insufficientes *ad obtinendum regnum Coelorum*, erant charitas *initialis* sine baptismo ad salvandum eum impar. Quod apertissime iterum docet Augustinus L de gratia, et Libero arbitrio c 18 dicens: *Praecepto dilectionis proximi admonitum est Liberum arbitrium, ut quaereret Dei donum: quod quidem sine suo fructa prorsus admoneretur, nisi prius acciperet ALIQUID DILECTIONIS, ut ADDI sibi quaereret, unde, quod jubebatur, impleret.* Vult dicere S Doctor: *initialem*, et *inchoatam* proximi dilectionem accipit homo, ut illa recte utens *perfectam* consequatur. Unde S Augustinus per illa verba: *Charitas inchoata, inchoata justitia est*, intelligit charitatem, et justitiam *conceptam*, et *natam*: sive *inchoationes* dilectionis Dei *conceptionibus* similes, si nutriantur, aut *Sacramento*, aut *intensiori charitate* perficiendas ad *statum incipientium*: interea vero dum nutriantur, justificationem causare insufficientes. Confer cap 1 ad n XXIX not 13: ubi amoris Divini sex gradus distinximus. Haec palmaria sunt! *Ab exemplo Cornelii Centurionis.*

XXXVII. Id ipsum luculenter evincit exemplum *Magdalenae*. Nemo negaverit, Eam *recogitatis* in *amaritudine* animae *peccatis* suis cum *desiderio*, et *proposito vitae melioris* ad convivium Dominicum accessisse. Atqui tamen illa *tardius ad pedes Domini justificata* est perfecta contritione, non statim, ut accedere statuit. Ait enim de illa S Augustinus Hom 25 inter 50: *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda.* Et S Gregorius homil 33 in Evang: *Nondum lota, sed lavanda ad fontem misericordiae cucurrit.* Et rursum: *Quae ad Medicum venerat aegra, sanata est.* Respondet Tract Tyrn I: Magdalenam mox post *primum actum perfectae charitatis* elicitum *sanatam* esse. Audio eludi difficultatem: Sed quia SS PP eam *in accessu* ad Christum adhuc *immundam* asserunt, quaero: ubi physice constituta Magdalena justitiam consecuta sit? docet me id S Bernardus serm de Magdal: TANGIT PEDES MUNDI, ATQUE MUNDANTIS IMMUNDA, *et* VESTIGIIS CRAETORIS *mulier* CRIMINOSA PROCUMBIT. Ergo dum ad pedes Domini physice procubuit, adhuc *Immunda*, et *criminosa fuit.* Ergo mundata est, posteaquam ibi constituta perfecta charitate exardescens *Lacrimis caepit rigare pedes Domini.* go dum *cogitavit*, *statuit*, *venit*, *procubuit*, habuit *charitatem* IMPERFECTAM *justificationi* suae *imparem*. *Nondum lota*, *sed lavanda erat* lacrimis suis: *Vestigiis Creatoris mulier criminosa procumbit.* haec sole clariora sunt. Respondet 2 Tyrnavienfis: in accessu suo inchoato, et inadaequate sumpto (prout hic complectitur *veniendi*, et *ea pietatis officia exercendi propositum*, quae Lucas commemorat) Magdalenae poenitentiam *a fide*, *amoreque spei caepisse*, postea *charitate perfectam fuisse*: ut Trident sess 6 c 6 initium, et progressum justificationis describit. Sed enim jam nos habemus ex S Bernardo, *accessum* Magdalenae non tantum *inchoatum*, sed et physice *completum* per *procubitum* adhuc in peccatis fuisse: *criminosa procumbit.* Poenitentiam ejus a fide, et spe caepisse non negamus, libenterque patimur nos relegari ad Tridentini sess 6 c 6: capite enim 11 invicte nos demonstrasse confidimus, Laud loco Tridentinum ad *Ab exemplo Magdalenae.* *Luc 7 v 37.*

justi-

juſtificationem *initialem charitatem per ſe non juſtificantem*, niſi *augeatur*, vel ope Sacramenti *perficiciatur*, requirere. Audiat hic Tyrnavienſis ex S Auguſtino epiſt 221, quid ſit *diligere fontem juſtitiae*: *Eſt plane ille ſummus Deus ſumma juſtitia. Quem eſurire, et ſitire ea eſt noſtra in hac peregrinatione juſtitia: et quæ poſtea ſaturari, ea eſt in aeternitate plena juſtitia.* go *diligere fontem juſtitiae* eſt vera charitas *eadem* quoad ſubſtantiam *in ſtatu viae, et Patriæ.* Cujus *inchoationem* Sacro Sancta Tridna Sinodus ſeſſ VI cap VI requirit ut *praeparationem* ad juſtificationem *ope Sacramenti cauſſandam.* Ibi cap VII. ergo palam in oculis ſolis agnoſcit organum Spiritus Sancti aliquam *veram*, ſive *initialem* charitatem per ſe non juſtificare: ſed ultra fidem, et ſpem ad juſtificationem *diſponere* etiam in Sacramento. Ita diſpoſitam fuiſſe Magdalenam ſolido dubio caret. Quod enim illa a pio ſuo veniendi ad Chriſtum propoſito incluſive uſque dum ad pedes Domini *procubuit criminoſa*, nullam, ne ſcintillam quidem *charitatis* habuerit, hoc ut gratis fingeretur, ita ſolidiſſime negatur ex iis, quae cap II n IX ad illa verba Tridentini: *dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, et inchoare novam vitam* diximus. Quidquid igitur dicatur, evidens eſt, Magdalenam uſque dum *Lacrimis caepit rigare pedes Domini*, initialem charitatem juſtificationi ejusdem imparem habuiſſe.

XXXVIII. Tertium exemplum pro initiali charitate per ſe non juſtificante deſumitur a juſtificatione S Pauli Apoſtoli. Duplex autem eſt Sententia. Alia S Thomae: quam tradidimus cap II n XXIII: *Iſte*, inquit, *eſt communis curſus juſtificationis, ut Deo movente intus animam homo convertatur ad Deum primo quidem converſione imperfecta, ut poſtmodum ad perfectam deveniat. Quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici. Quandoque vero tam vehementer movet Deus animam, ut ſtatim quandam perfectionem conſequatur. Sicut fuit in* CONVERSIONE PAULI. *Et ideo converſio Pauli tanquam miraculoſa in Eccleſia commemoratur celebriter.* Et hanc ſententiam tradit S Auguſtinus ſerm 175 de verbis Apoſtoli: *Quare trepidas ire, Anania! ad eum, qui jam non eſt Lupus? Lupum timebas: ſed reſpondit tibi Dominus: de Lupo ovem feci.* Ex hac ſententia ſic inperfectam charitatem eruimus: *Subitanea converſio*, et *charitatis momentanea perfectio* in gentium Doctore grande, et extraordinarium *miraculum* cenſetur ab Angelico, et ab Eccleſia, illam peculiari feſtivitate celebrante. Ergo *ordinaria converſio* impii non fit per *ſubitam charitatis perfectionem*, ſed ut ex Angelico, et Auguſtino vidimus. primum in illo *charitas inchoatur*, dein *augetur*, tandem *perficitur*.

S. Pauli Apoſt.

Altera ſententia ſtatuit gentium Doctorem *in ipſo Baptiſmo* ab Anania recepto juſtificatum fuiſſe. Et pro hac citatur aeque S Auguſtinus ſerm 1 de Sanctis (*a*) *Ananias baptizavit Saulum, et fecit de lupo Agnum.* Et ſerm 25 de iisdem: *Venit ergo Ananias, baptizavit Saulum, et fecit Paulum. Baptizavit lupum, et fecit Agnum.* Et pro hac ſententia ſtat actor 22 v 16: Ubi Paulo ait Ananias: *Et nunc quid moraris? Exurge, et baptiſare, et* ABLUE PECCATA TUA. Et actor 9: ubi converſio ejus a Luca narratur, Paulus non tam *mox perfectus*. quam ab Anania *perficiendus* exhibetur v 6: *tremens, ac ſtupens dixit*: *Domine quid me vis facere?* v 7 *Vade in civitatem,*

et

(*a*) Sermones de Sanctis *inter dubia* opera S Auguſtini relatos ab editoribus Patribus S Mauri Scio. Saltem antiqui Doctoris anonimi verba illa, et ſequentes ex ſcriptura rationes veroſimilem faciunt hanc quoque opinionem. Praefero tamen doctrinam *Angelici*. Quia *hujus* mentem nunquam defero, niſi *certitudine* in contrarium inventa.

et ibi dicetur, quid te oporteat facere. Ex quo sic argumentamur pro charitate perse non justificante: Nemo negaverit, Saulum miraculose in via prostratum illis verbis: *Domine quid me vis facere?* Vera in Deum charitate exarsisse. Et tamen testimonio antiqui Doctoris *In baptismo ex lupo factus est agnus.* Item Ananiae revelata erant, quae circa Saulum gesta fuerant Actor 9 v 11: *Ecce enim orat.* v 15: *Vade, quoniam Vas electionis est mihi iste.* v 17: *Saule frater! Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua venisbas* (quae per revelationem didicerat Ananias) *Ut videas, et IMPLEARIS SPIRITU SANCTO.* Et mox hortatus est Saulum: *Exurge, et* ABLUE PECCATA TUA. Non proinde credidit Ananias vir a Deo *inspiratus, omnem Dei amorem* ad justificationem *extra Sacramentum* sufficientem esse. Inspice et ad Titum cap 3 v 3 4 5: Ubi ipse Gentium Doctor narraus sua peccata *justificationem suam Baptismo* tribuit. Nisi dicas, h l per ly *nos* intelligi *alios praeter se* ordinarie justificari solitos *per lavacrum regenerationis.* Sed et hinc novum argumentum exurgit pro *charitate per se non justificante*: Nam tempore *Apostoli*, et inter Auditores Titi, ad quos instruendos directa est haec epistola, multi erant adulti baptisati: quis credat omni eos charitate fuisse vacuos? et tamen Vas electionis eorum justificationem *Baptismo* tribuit. go palam agnoscit *charitatem* non ante, sed *cum baptismo* justificantem, id est *Sacramentalem.*

XXXIX. Quartum exemplum inchoatae charitatis producitur ipsius Sancti Augustini. Testatur is de suo *in Catechumenatu erga Deum amore*, cum dicit Libr 8 confess cap 12: *Jactabam voces mirabiles: quamdiu? quamdiu? cras et cras: quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meae? dicebam haec, et flebam AMARISSIMA CONTRITIONE cordis mei.* Et eodem L 9 c 4: *quas tibi voces dabam in Psalmis istis? et quomodo IN TE INFLAMMABAR ex eis? et ACCENDEBAR recitare, si possem, toto orbe terrarum.* Et paulo post: *Mihi iratus eram intus in cubili, ubi COMPUNCTUS eram, ubi SACRIFICAVERAM* mactans *vetustatem meam; et INCHOATA MEDITATIONE VETUSTATIS MEAE sperans in te ibi mihi DULCESCERE CAEPERAS, et dederas Laetitiam in corde meo, et exclamabam legens haec foris, nec volebam multiplicari terrenis bonis, cum haberem in aeterna simplicitate aliud frumentum, et vinum, et oleum.* Item eodem L 9 Confess cap 2: *Sagittaveras tu cor nostrum Charitate tua: et gestabamus verba tua transfixa visceribus, et exempla fervorum tuorum, quos de nigris lucidos, et de mortuis vivos feceras, congesta in animum cogitationis nostrae urebant, et absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus.* Et tamen incertus erat de remissis peccatis Suis c 4: *Ea fides me securum esse non sinebat de peccatis meis praeteritis: Quae mihi per baptismum tuum remissa non dum erant.* At c 6 exultans narrat: *baptizati sumus, et fugit a nobis sollicitudo vitae praeteritae.* Nec reponas: Augustinum de *charitatis suae sinceritate*, et *supernaturalitate* securum non fuisse. Etenim nec de baptismi *effectu omnimode certus* esse poterat eo ipso, quod ad eum quoque pro delendis peccatis in adultis *dolor supernaturalis* requiratur. Quae *supernaturalitas doloris* viatori absque *revelatione* nota esse nequit. Ergo fateri debes, ideo *post baptismum* Augustinum securum fuisse de ante actis suis, quia baptismo magis fidebat, quam *charitati* suae: *Quam* amplius crescere posse, nec scelerum suorum magnitudini parem esse noverat, etsi *aliquam eam*, idest *initialem*, et *inchoatam* fuisse sciverit. Ideo peccata sua *horrenda, et funerea in aqua Sancta dimissa esse.* ibidem scribit. Ergo agnovit in se *aliquam charitatem sine remissione* suorum *peccatorum.* *S. Augustini.*

Idem Auguſtinus L 4 cap 21 contra Petilianum ad juſtificationem requirit *duas* CONCAUSSAS: *Converſionem cordis* cap V n XXVI XXVII expoſitam: et *baptiſmatis Sacramentum*: addens: *Alterum ſine altero non perducit ad regna coelorum.* Et libr de unitate Eccleſiae: *Utrumque neceſſarium eſt ad Dei regnum capeſſendum, et BAPTISMUS, et JUSTITIA* Inchoata: Ut hic n XXXVII ex eodem audivimus. Item L de Catechiz rudibus c 4 in Catechumenis *dilectionem* aperte exigit: *diligenter*, inquit, *curandum, ut* catechumenus antequam baptiſetur, *audiendo credat, credendo ſperet, ſperando* AMET. Et ſic loquitur de iis, qui baptiſmum deſiderabant: Nam de eo, qui *eum* nulla neceſſitate *procraſtinando* contemnebat, tract 13 in Joan ait: Antequam ad *baptiſmum* veniat, *etiam ſi credat, et diligat, adhuc portare ſarcinam iniquitatis ſuae.* Quia nempe perfectam charitatem non agnoſcebat in differente ſuum baptiſmum ſine juſta cauſa. Itaque prioribus illis ſuis teſtimoniis clare praeivit S Doctor Concilio Tridentino, et Diſcipulo ſuo D Thomae, ad Baptiſmi, et poenitentiae Sacramenta praeter alias diſpoſitiones requirentibus, *ut Deum tanquam omnis juſtitiae fontem diligere incipiant.* Quemadmodum c 11 pluribus ediſſeruimus. Denique magnus charitatis Magiſter verbis cubitalibus diſtingvit charitatem *initialem* a *perfecta*: huic tantum extra Sacm juſtificationem tribuit, non illi. Sic conc 3 in ps 103: *Si charitas primum locum habeat in corde, et ei nihil omnino anteponatur, tolerantur et tales*: VENIET CAMINUS, INCENDET *ligna, faenum, ſtipulam. Alios illo carentes in ſiniſtram ſeparabit: Alios in dextram eliquabit.* Initio hujus textus ſermo eſt de charitate *affective ſuper omnia.* Non tamen illi: Sed CAMINO *perfectae charitatis* tribuit Sanctus juſtificationem. Confer h n XXIV alios clariſſimos ejus textus: et claram habebis notionem initialis, ac perfectae charitatis.

Ex ratione evidenti.

XL. Succedit ratio efficaciſſima. Enimvero *Omnes actus, tam naturales*, quam *ſupernaturales* ſub eodem *objecto materiali, et formali* ordinarie, et exceptis caſibus rariſſimis *initio ſunt imperfecti*, et non producunt totalem ſuum effectum, ſed diſponunt ad augmentum ſuae ſpeciei, ac *paulatim creſcendo*, augendo, per frequentatos actus imperfectos *perveniunt ad perfectionem.* Hoc in naturalibus quotidie omnibus ſenſibus noſtris experimur. Sic Lux aurorae ſenſim creſcit, ut fiat dies. Ignis paulatim ſerpit, ut in incendium evadat. Vinum modicum non inebriat. etc. Quin et *contraria in eodem ſubjecto* in *gradu remiſſo* conſiſtere poſſunt, e g temperatus calor, et frigus faciunt teporem. Eandem doctrinam in ſupernaturalibus ut communem Theologorum ſenſum tradunt Doctores Salmanticentes tom 12 tract 24 diſp 7 dub 1 n 8 in haec verba: „*Dubitari* non debet, quod in ſupernaturali ordine dentur aliqui actus pertinentes de ſe, ſive *ex parte motivi ad ejusdem ordinis virtutes*: ut odium peccati, deſiderium beatitudinis, propoſitum emendationis - - - - qui ſuo modo cor emolliunt pro converſione. *Deſtituuntur tamen frequenter efficacitate*, ut voluntatem trahant ad effectum, et ad executionem inducant: quia etſi honeſti, et ſupernaturales, *ſunt tamen imperfecti* - - Quod itaque in aliis tam naturalibus, quam ſupernaturalibus videmus, contingit etiam in ſupernaturali attritione. (addo ego *et in actu charitatis Divinae*: nam omnia quae praeceſſerunt, et quae ſequentur pro Hac quoque militant perinde, ac pro attritione: ut conſideranti patet) *alia enim eſt efficax, effectumque inducens: alia vero, quae hanc perfectionem non habet, licet ad eundem effectum inclinet. Quae diverſitas non in objecta, nec in motiva revocanda: quippe poſſunt eadem proponi, et attingi.*

Omnes actus primo ſunt imperfecti.

ergo et charitas.

attingi. Nec etiam reducitur ad auxilia ſufficientia: quae ad utrumque parantur, et conferuntur. Sed quod una attritio (et contritio) *ſit abſoluta, et efficax, gratiae efficaciter ad id moventi tribui primario debet. Et ſimiliter quod altera ſit Honeſta, et ſupernaturalis, atque in ſuo genere DISPONAT, gratiae etiam deferendum eſt: ſed quod* CAREAT PERFECTIONE EFFICACITATIS, *et* AD EXECUTIONEM NON PERVENIAT, *revocari debet ad defectum voluntatis.* Addunt demum: *actus ejusmodi imperfecti virtutum pertinent reductive ad eas virtutes, quarum motiva attingunt.*„ Teſtibus igitur Salmanticenſibus communis Theologorum doctrina eſt, *omnium virtutum* actus, conſequenter et charitatis Divinae (quam ſolam ſi exciperent, eo ipſo *Veteres* a ſe deſertos eſſe palam convincerentur ex dictis cap I n V VIII IX ex Guillelmo Pariſienſi, Angelico, Angelo a Claviſio. etc.) *ſub eodem objecto materiali*, et *formali alios eſſe perfectos, alios imperfectos, et remiſſos* humanae voluntatis imbecillitate: qui *imperfecti actus* charitatis *non producunt ultimum ſuum effectum, juſtificationem:* ſed id non defectu *objecti*, vel *motivi*, quod eſt omnino *idem cum perfecta charitate*, ſed ex *remiſſione actus, et voluntatis. Initialis* ergo amor charitatis attingit idem motivum *perfectae charitatis*: nempe Divinam *bonitatem propter ſe* diligendam. Sed quia *imperfectus* eſt, *non producit ultimum* ſuum *effectum, expulſionem* peccati defectu *voluntatis*, ſive *intenſionis actus. Diſponit* tamen ad *perfectam charitatem*, ut omnes imperfecti actus ad *perfectum*, ſive ad expulſionem peccati. nempe ſe ſolo expellit *affectum peccati*, et quidem *poſitive* et *directe.* c V a n XI. convertit item poſitive ad Deum. cap V n XXVI XXVII. ſi vero *intendatur*, vel *accedat forma Sacramenti, perficietur*, et *expellet* ipſum etiam *peccatum.* Iſta eſt natura *initialium actuum tam in naturalibus, quam in ſupernaturalibus.* Ergo niſi naturam rerum, et virtutum omnium pervertamus, initialem charitatem ſe ſola non juſtificantem negare non poſſumus.

Explicatur charitas initialis.

XLI. Vis haec adhuc clarius noſſe? Iſta eſt conſtans doctrina Auguſtini: cui *bona voluntas*, et *cupiditas* eſt *charitas*, ut vidimus cap 1 ad n XXIX not 13: ejus tamen imperfectionem ita deſcribit L de Paſtoribus cap VI: *Attendite illos homines volentes bene vivere: jam ſtatuentes bene vivere, et minus idoneos mala pati, ſicut parati ſunt bona facere.* et libr de libero arbitrio: *qui vult facere Dei mandatum, et non poteſt, jam quidem habet* BONAM VOLUNTATEM, *ſed adhuc* PARVAM, *et* INVALIDAM: *poterit autem, cum* MAGNAM *habuerit, et* ROBUSTAM. *Quando enim Martyres illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc eſt:* MAGNA CHARITATE *fecerunt: de qua charitate ipſe Dnus ait: majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis.* Item ibidem docet: *Gratia Dei fieri, ut* BONA VOLUNTAS, *quae jam eſſe caepit,* AUGEATUR, *et tam* MAGNA *fiat, ut poſſit implere Divina mandata, quae voluerit. Ad hoc enim valet, quod ſcriptum eſt,* ſi volueris, conſervabis mandata, *ut homo, qui voluerit, et* NON POTUERIT, NONDUM SE PLENE VELLE COGNOSCAT, *et* ORET, *ut habeat* TANTAM *voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Certum eſt enim, nos mandata ſervare, ſi volumus: ſed quia paratur voluntas a Dno: ab illo petendum eſt, ut* TANTUM *velimus,* QVANTUM SUFFICIT, *ut volendo faciamus.* Quibus manifeſte docet Doctorum Doctor, dari *charitatem* tam *tenuem*, et *imperfectam, cujus VI* quaedam mandata Dei *proxime*, et *immediate* impleri non poſſunt: Adeſſe tamen *volentibus, et petentibus* gratiam ORATIONIS, qua PARVA ejuſmodi, et *invalida* charitas MAGNA, *robuſta*, et implendo mandato par fiat. Quod idem eſt, ac in charitate *varios gradus, initium*, et *perfectionem* palam docere. Sane ſi teſte Auguſtino datur *charitas tam parva*, ut non ſufficiat proxime ad implen-

Et demonſtratur.

Ex Auguſtino.

Modus obtinendi charit perfectam orando, et volendo.

da

da mandata, dabitur *etiam tam parva*, ut non ſufficiat *juſtificationi extra-Sacramentali*. Et ſi juxta adverſarios omnis charitas minima per ſe juſtificat, non video, cur Auguſtinus habentem *parvam charitatem* ad orandum pro magna, et *robuſta* exſtimulet, ut poſſit Divina implere praecepta. Atqui praemiſſam Auguſtini doctrinam confecravit ſacrum Tridnum Concilium ſeſſ VI cap XI definiens: *Deus impoſſibilia non jubet: ſed jubendo monet et facere quod poſſis: et* PETERE QUOD NON POSSIS: *et adjuvat ut poſſis.* Fateamur ergo Duce Auguſtino, dari charitatem tam *parvam*, et *invalidam*, quae extra Sacramentum juſtificationem cauſſare ſit impar. Conſer cap V n XXXV XXXVI XXXVII: ubi charitatem perfectam *elective praedominantem*: ſive praeſentibus cupiditatibus *deliberate*, et EFFECTIVE *majorem* eſſe debere ex principiis Auguſtinianis demoſtratum dedimus. Unde natura charitatis *initialis* amoribus illicitis praeteritis, aut praeſentibus *affective tantum* ſuperioris, *effective* minoris, clare lucet.

Et Angelico. XLII. Praemiſſam doctrinam Salmanticenſium reſpectu charitatis palam tradit Angelicus in Suplem q 5 a 3: *amor*, inquit, *poteſt eſſe adeo remiſſus* defectu intenſionis, *ut non ſufficiat ad rationem charitati.* Item in 2 diſt 28 q 1 a 3: *Ad 2 dicendum, quod ſicut aliarum virtutum actus dupliciter conſiderari poſſunt, vel ſecundum quod ſunt a virtute, vel ſecundum quod virtutem antecedunt: Ita etiam eſt de charitate. Poteſt enim aliquis etiam charitatem* habitualem *non Habens diligere proximum, et Deum etiam ſuper omnia*, ut *quidam dicunt. Et Hoc diligere intelligitur actus charitatis ſub praecepto cadere.* En verum ſenſum illius Auguſtini: *charitas inchoata inchoata juſtitia eſt.* Et in hac ſententia clarum eſt intelligere, quomodo *initialis charitas* ſit *proxima diſpoſitio* ad *ſuam ſpeciem perfectam charitatem.* Nam et voluntatem peccandi *poſitive excludit*, et *in ſua ſpecie facile flammeſcit.* Ut cap V a nXXVI ediſſeruimus. Quae ibi dicta huc plane pertinent.

Aliae difficultates enodantur. XLIII. His et evaneſcit objectio Turnelii h n XXXVI propoſita, et charitas Sacramentalis, et neceſſitas intenſionis ad perfectam charitatem plena luce fulgeſcit. Sed revertamur ad adverſarios. Qui porro ſic Arguunt: *Comparatio* charitatis *cum affectu* peccati fieri non debet: nam 1: eam non exigit ſcriptura, nec Patres, nec praxis Eccleſiae. 2: Saepe magis dolemus de damno temporali, quam ſpirituali. 3: *Affectum* peccati praeſertim praeteriti appendere impoſſibile, et periculi conſenſus plenum eſt. 4: Nemini notum eſt, quanta debeat eſſe *intenſio* charitatis: indeque homo ſemper invincibiliter ignoraret, an praecepto ejus ſatisfecerit? Ex quo ſcrupuli, et anxietates animorum inſuperabiles orirentur. R Ad 1: ex ſcriptura, et Patribus contrarium patet a n XXIII: praxim pro nobis ſtare certo affirmo. Quis eſt enim tam negligens ſalutis, qui urgente praecepto perfectae charitatis non conetur ad ejus intenſionem? et recte. Nam *Affectus ſpecialiter intenſus ad peccatum* eſt circumſtantia *intra eandem ſpeciem notabiliter aggravans.* Ergo *ſicut confeſſioni ſubjeciendum* non dubito eo, quod notabiliter mutet judicium Confeſſarii, *ita ſpecialiter deteſtandum* charitate vehementiori extra Sacramentum e praemiſſis cenſeo. Ad 2: Hoc ad ſenſuales inferiores potentias pertinere patet ex n hic XVII. Ad 3: Haec *appenſio affectus* peccati non ſcrupuloſe, ſed in morali aeſtimatione coram Deo, facienda exemplo Ezechiae: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Periculum conſenſus ut in

Con-

confeſſione ſpecifica (*a*) ſpurciſſimorum peccatorum, ita in *contritionis intenſione* abeſt: cum incredibile ſit, ſanae mentis hominem offendere velle *Deum tunc plane, dum Eum acriori contritione placare intendit.* et cogitatio illa *dolorosa* eſſe debet. Juvabunt etiam induſtriae hic n XXVII adductae. Ad 4 Ajo: id ipſum per Calvinum exprobrari Catholicis Doctoribus I 3 Inſt c 34 apud Chriſt Lupum ep ad Noris c 6 his verbis: *De contritione, et attritione multus apud eos ſermo: multis ſcrupulis animas torquent, et plurimum moleſtiae, ac anxietatis ingerunt. Contritionem faciunt primam obtinendae veniae partem, eamque DEBITAM exigunt, hoc eſt JUSTAM, et PLENAM: ſed interim non conſtituunt, quando ſecurus aliquis eſſe poſſit, ſe hac contritione da juſtum modum eſſe defunctum. Exigitur DOLORIS ACERBITAS, quae CULPAE MAGNITUDINI RESPONDEAT; hic vero miſerae conſcientiae miris modis torquentur, et exagitantur, dum ſibi debitam peccatorum contritionem imponi vident, nec ASSEQUUNTUR DEBITI MENSURAM, ut ſecum decernere poſſint, ſe PERSOLVISSE, QUOD DEBEBANT.* Quibus Haereſiarcha et noſtram ſententiam depingit ut *ſui temporis Catholicorum*: et relatam hic adverſariorum noſtrorum objectionem Primus intorquet Catholicis Doctoribus: quia vellet Reformator, juſtificationem adeptam ab uno quoque fide Divina credi. Quod deteſtatur Eccleſia Tridn ſeſſ VI cap IX. Et can 13 14. Videant, qui talia objiciunt, quem ſequantur! non eodem quidem *fine*: ſed tamen antiquae Catholicae ſententiae magno cum praejudicio. Ut vidimus cap II n XXIV *cum not.* Quorum veſtigiis inhaerentes ſufficienter exhibuimus quantitatem doloris hic n XXIII. XXIV. Etiam *appretiationis*, ut *intenſionis* certitudinem omnimodam ignoramus. Ut h n XXXII ex Pallavicino vidimus. Quia ſcilicet *neſcit homo, an amore, vel odio ſit dignus*, ideo *cum timore, et tremore ſalutem noſtram operari* oportet, et *magis ſatagere, ut per bona opera* per *intenſiſſimos*, ſive quod ad idem recidit, per *practice*, ac *reſpective* ſuper omnia *appretiatae* charitatis actus *certam noſtram vocationem, et electionem faciamus.* 2 Petri 1 v 10.

Opinio de contritionis intenſione eſt antiquorum.

XLIV. Neque tamen ita *occultam* a nobis ſui dilectionem voluit miſericors Deus, ut nos *anxios, perplexosque* de ea relinqueret. Quin ea ſigna dedit, quibus formido prudens actualis (non logica, et poſſibilitatis) a nobis removeretur. Ejuſmodi eſt illud dilecti Apoſtoli: *charitas perfecta foras mittit timorem.* Ut cap IV n XXXV attigimus. Audiamus hic Auguſtinum tract 9 in Epiſt S Joan: *Perfecta charitas perfectum facit juſtitiam, ut non habeat quare timeat, imo habet, quare deſideret, ut tranſeat iniquitas, et veniat regnum Dei. Perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor tormentum habet. Torquet cor conſcientia peccatorum? non dum facta eſt juſtificatio. Eſt tibi quod jungat? ideo in Pſalmo de perfectione juſtitiae dicitur:* Convertiſti luctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum, et cinxiſti me laeticia, ut cantet tibi gloria mea, et non compurger. *quid eſt non compungar? non ſit, quod ſtimulet conſcientiam meam.* Ad hunc autem ſtatum dilectionis perveniemus 1: Si Deum *ex toto corde*, ſive *ex toto valde noſtro*, hoc eſt dictu: cum *feria, acri, et intenſa* intellectus, ac voluntatis noſtrae *applicatione* (modo tamen fragilibus hominibus conveniente) infinitam *Dei bonitatem ſibi*, et *nobis* bonam ſuper omnes omnium creaturarum amores confuſe, et generaliter apprehenſos diligere, peccata vero

Signa verae, et perfectae charitatis: non tamen certa.

(*a*) Haec difficultas impetit et ſpecificam peccatorum confeſſionem. go ſuſpecta probe Catholico ſit.

omnia uno actu doloris (*a*) ita deteſtari ſatagamus, *ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine aequari, conferrique poſſit.* Idque II: non *ſpeculative* duntaxat, ne forte *mentiatur iniquitas ſibi*, ſed *opere, et veritate* in praxim illico vocando quatuor illa puncta, quae h n XXVIII recens e caeno vitiorum converſis praeſcripſimus. Maxime vero III: *Ex fructibus ejus cognoſcemus* perfectionem noſtrae charitatis, ſi videlicet experiamur in nobis ea, quae hic n XXXVI *incipientis*, ac *primo juſtificantis* charitatis officia, effectuſque eſſe diximus. Haec de ſignis charitatis juſtificantis, ſive *incipientium.* Quam *auctam* in nobis cenſere poterimus, ſi I: inter mundanas varietates, inter continuas, maximaſque hujus vitae difficultates *patienter vivamus, et delectabiliter moriamur.* Quod a perfecte Deum diligentibus S Auguſt. tract 5 in epiſt S Joan efflagitat. aut 2: quod S Thomas 2 2 q 24 a 8 affirmat: ſi *ſtudio vacandi Divinis* prorſus nobis *temperemus ab uſu rerum licitarum, niſi quantum neceſſitas praeſentis vitae requirit.* Quod et Apoſtolus monet non Religioſos duntaxat, ſed omnes fideles, *Ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Qui itaque ſive haec *perfectorum*, ſive illa *incipientium* argumenta *corde non reprehendente* in ſe ſenſerit, is demum aram, et anchoram, quam in re ancipiti arripiat, charitatis ſuae habet (*b*) ſuſcepto tamen rite poſt commiſſum peccatum poen Sacrmto.

XLIII.

Sufficit unus dolor ad omnia peccata.

(*a*) Non enim habemus ſufficiens fundamentum de ſingulis numero peccatis *diſtinctam* contritionem neceſſariam eſſe. Certe in caſu Davidis plura peccata intervenerunt, ut adulterium, homicidium, ſcandalum, etr. Nihilominus ille poſt unam contritionem *Peccavi Domino* audire meruit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum* Addit tamen Natalis Alexander de poen Sacrmto c IV a 4 neceſſe eſſe, ut peccatis *ſingulis* diſcuſſis, collectis, et in memoriam *ſingilatim* revocatis *unus contritionis actus* in *omnia, et ſingula* feratur, et ad omnia, et ſingula terminetur. Tridnum ſeſſ 14 can 5. D Thomas in 4 Diſt 17 q 2 a 2. Catechiſmus quidem Romanus de poen § 29 ſvadet, monendos, hortandoſque eſſe Fideles, ut ad *ſingula* mortalia crimina *proprium* contritionis dolorem adhibere ſtudeant: Addit tamen § 30 ſufficere poenitenti, ſi *ſimul, atque ſe collegerit, UNIVERSE peccata ſua* (etiam quorum hic, et nunc conſcientiam non habet, ſive quae actu memoriae non occurrunt) *deteſtatus fuerit. quae dein alio tempore* (maxime confeſſionis quoad ſpeciem, et numerum diſtincte faciendae) *ſingula in memoriam reducere, ac deteſtari in animo habeat.*

Alia ſigna verae charitatis.

(*b*) Alexander Natalis de contritione a VII Regula VII ſequentia verae contritionis, et ſincerae ad Deum converſionis ſigna exhibet videlicet I: *Fugam occaſionum* juxta illud Melliflui ſerm de paſchate: *Verae compunctionis indicium, opportunitatis fuga, ſubtractio occaſionis.* 2: *Frequentem de Deo cogitationem: Vis ſcire* (quaerit S Bonaventura) *ſi Deum perfecte diligas, vel aliud plus Deo ames? attende, ſi de Deo plus, quam de aliis cogitas. Quia de illo plus cogitas, quod plus amas. ubi enim theſaurus tuus, ubi cor tuum eſt. Ergo ſi plus cogitas de mundo, plus de lucro, plus de carnali amico, quam de Chriſto, amas iſta plus, quam Chriſtum. Nam ſicut S Bernardus dicit, diligere Deum ex toto corde eſt diligere toto intellectu ſine errore. Diligere Deum tota anima eſt diligere tota voluntate ſine contradictione. Diligere vero tota mente eſt diligere TOTA MEMORIA SINE OBLIVIONE.* Hoc proſtremum *moraliter*, et in ſenſu *accomodo* intelligimus. De quo ſuo loco pluribus. 3: *Ardens ſtudium quaerendi Deum.* Ut moralium Doctor Hom 25 in Evang ait: *Vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis.* Sic quaerit ſponſa coeleſtem Sponſum ardentiſſima ſollicitudine toto libro Canticorum 4: *Studium bonorum operum.* Recte Auguſtinus: *Da mihi vacantem amorem, et nihil operantem? dilectio vacare non poteſt, niſi et mali nihil operetur, et quidquid poteſt boni, operetur.* 5: *Vindictam peccati, et mortificationem paſſionum. Qui* enim *Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, et concupiſcentiis ſuis.* Vitia punienda ſunt aut a Deo, aut ab homine, exigente juſtitia vindicativa. Hanc juſti ultro exhibent Deo amato, cujus bonitatem ſciunt ſe laeſiſſe; ideo zelo uſti charitatis ſpontaneam Satisfactionem amantiſſimo Deo ſuo praeſtare ſatagunt. 6: *Perſeverantem obſervantiam mandatorum. Si quis diligit me, Sermonem meum ſervabit.* ait veritas. et Apoſtolo teſte 2 *ad Cor* 7: *Quae ſecundum Deum triſtitia eſt, poenitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* In quem

Omne peccatum mortale confessioni Subjiciendum.

XLV. Dico *suscepto rite poen Sacrmto:* Ex ordinatione enim Divina in lege evangelica nullum peccatum mortale dimittitur, nisi cum onere explendi VOTI *confessionis Sacramtalis*, QUOD in contritione perfecta continetur. Quare Sacro Sancta Tridna Sinodus sess XIII can XI, *ne Sacrm* Eucharistiae *indigne, atque adeo in mortem, et condemnationem sumatur* (et propter inefficaciter tentatam contritionem perfectam, et propter neglectum *votum* in illa inclusum confitendi peccatum etiam contritione deletum) *Statuit, ac declarat, illis, quos conscientia peccati mortalis* admissi *gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris necessario praemittendam esse confessionem Sacramtalem* ut ordinarium justificationis medium juxta illud: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Si quis autem contrarium* quocunque modo *asserere praesumserit, eo ipso excomunicatus existat* go nulli mortalium licet Eucharistiam sumere post admissum peccatum mortale sola contritione praemissa, nisi illis Sacerdotibus, *quibus ex officio incubuerit celebrare necessitate urgente: ET COPIA CONFESSORIS DEFUERIT.* Qui ipsi tamen sic celebrantes *quam primum confiteri* tenentur ex decreto ejusdem sess cap VII. Ratio *exceptionis* fuerit, quia *obligatio* in *populo* diebus praeceptis *sacrum audiendi*, et in *Curato* (quem supponit Tridnum nec Supplentem habere, nec alia justa causa in conscientia excusari) *celebrandi* ut *correlattva* aeque urgent. Nec Concilium talem a celebrando deobligat: imo *implicite* eam obligationem agnoscit. Neque tamen Sacra Sinodus sic *Sanctum dat canibus*, aut innuit, *minima contritione* talem Sacerdotem justificari posse: verum suae enim relinqvit conscientiae, ut *si voluerit* perfectam contritionem elicere, *et non potuerit, nondum se PLENE VELLE COGNOSCAT, et ORET, ut habeat TANTAM voluntatem, QUANTA SUFFICIT ad implendum praeceptum* modo eum urgentis *perfectae* charitatis. eliciet enim *hanc*, si a Deo *petat*, ut TANTUM VELIT, QUANTUM SUFFICIT. Ut h n XLI ex Augustino, et Tridno didicimus. Utinam omnem Sacerdotem liberet misericors Deus ab hoc *articulo necessitatis!* Si quis tamen in eum ex fragilitate humana incidat, eum ego per animae suae salutem adjuro! ut etiam, atque etiam videat, ne post tentatam imperfectam aliquam contritionem *tantum Sacrm in mortem, et condemnationem*, Judae Proditoris instar *sumat*! modos tentandae cum gratia Dei perfectae contritionis habet h n XLIV. sic CONANTI Angelicam promitto consolationem. (*a*)

Sine qua nullo casu fas est Comunicare.

Nisi Curatis celebrare necessitatis.

Qui conari debent ad perfectam charitatem.

Ex

---

locum Angelicus: *Amor*, inquit, *quo diligimus Deum, facit nos libenter servire Deo, sollicite quaevere bonorem Dei, et vacare Deo dulciter: et quia peccando impedimur a servitio Dei, ideo amor Dei causat tristitiam de peccato. Et haec est tristitia secundum Deum*, quae operatur I: *poenitentiam stabilem*, non *desultoriam*, et fugacem. 2: *Solicitudinem* ad vitanda mala, facienda bona. 3: *Defensionem* parat contra eos, qui nos in peccata inducere volunt. 4: *Indignationem.* Indignatur enim vere poenitens sibi, quod ob vilissimas res Deum offenderit. 5: *timorem.* Quo metuit, ne displiceat Deo, et Eo peccando privetur. 6. *Desiderium* adimplendi omnes justificationes Dei omni tempore. 7. *Aemulationem* charismatum meliorum, et imitandi eos, qui recte coram Deo ambulant. 8. *Vindictam*, qua Deo satisfacere cupiens a se ipso poenas exigit peccatorum. En lapidem lidium! quo justitiam, et charitatem nostram probare debemus non quidem haereticorum more *certa fide credendo*, sed ex conjecturis late moraliter certis, excludentibus actuale prudens dubium. An poenitentiae Sacrm mere servili timore, aut etiam momentanea initiali charitate, sine dignis fructibus medicinalis poenitentiae susceptum haec signa justitiae parit? Meditentur tam Confessarii, quam poenitentes! et sicut se, suosve Filios Spirituales deprehenderint, sic ex fructibus de arbore sua coram Deo falli nescio ipsi statuant!

Effectus verae charitatis.

(*a*) Christianus Lupus, quem caetera summi facio, *de contritione* cap XI ut mox dictos Curatos juvet, asserit, *antiquissimam* esse *Theologiam*, quod vi-

XLVI. Ex eadem ratione, ne alia quoque Sacramenta *indigne* tractentur, aut sumantur, non placet mihi eorum Sententia, qui praeter Eucharistiam. *ad alia Sacramenta vivorum* sumenda, vel administranda

---

Eucharistia per accidens non justificat impium.

vorum Sacrmta, praesertim Eucharistia in peccatoribus *per accidens primam gratiam* causet: Et probat 1: Exemplo Serapionis Alexandrini lapsi poenitentis: cui extremo morbo correpto Presbyter pariter infirmitate detentus per puerum misit Eucharistiam ori ejus infundendam: Quo sumpto Serapion pie mox obiit. De quo Dionysius Patriarcha Alexandrinus apud Eusebium Libr 6 c 36 asserit, *Serapionem fuisse reservatum, et eo usque in vita mansisse, quoad esset poenitus CULPAE VINCULIS SOLUTUS, LABE OMNINO DELETA.* Quibus satis innuitur, Serapionem sumpta *Eucharistia* fuisse *justificatum.* 2: exemplo quorundam Monachorum, et saecularium tempestate maris periclitantium, qui referente S Gregorio M dialog L 3 c 36 In defectu Sacerdotis, prop iis manibus *corpus, et sangvinem Redemptoris acceperunt Deo se commendantes.* At hos inter haud dubie quidam erant *maculosi.* ergo sumpto Divino epulo *mundati.* Haec, et similia Lupus.

Quam ego *Theologiam* nego esse *antiquam.* Quae doctrina exponit panem Angelorum periculo indignae sumptionis: et haec opinio ad summum probabilis est tantum. Nec adducta Lupi argumenta consensum extorquent: Nam ad 1 ajo: Presbyter Ille sciverit Serapionem jam *Sacrmtaliter* fuisse absolutum: secus dicendum esset vel illum male egisse Divinum epulum *peccatori non absolvto* mittendo: Vel Tridnum Rigidum fuisse, dum sess 13 cap 7 declarat, *eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis* (ne agonizantibus quidem exceptis) *quantumvis sibi contritus videatur, sine Sacrmtali confessione ad Sacrm Eucharistiam accedat.* Verba Dionysii Patriarchae accipi commode possunt de *solutione totali Coeremoniali poenitentiae publicae:* Cujus pignus erat Communio Eucharistica ordinarie in fine poenitentiae dari solita. Ut passim docent Theologi illustriores.

Ad 2: Nego minorem pponem saltem in suppposito piae consvetudinis Ecclesiae talem usum tunc tollerantis. Secus eadem macula inuri posset et primis christianis *quotidie communicantibus* act 2 v 42: et illis, de quibus Tertulianus ad Uxorem: *nesciat maritus* infidelis, *quid singulis diebus ante alium cibum gustes.* Illis item, qui tempore persecutionis secum circumferebant Divinum Epulum instante periculo sumendum. Etsi igitur (Ut et hodie reperire est tales, qui ps. 25 v 8: *Dne dilexi decorem domus tuae* mendaciter pronunciant) ita in privata illa conservatione Divini panis interdum minor reverentia intervenerit: Quam Graeculus quidam sic exprobrat Latinis apud Lupum L c: *Latini Sanctam Eucharistiam negligentissime Spectant· Nam qui castra sequuntur, in marsupio ponunt, portant in vestibus, et in pileis:* Ideo etiam usus ille successive abolitus sit; nequeo tamen adduci, ut credam, *Ecclesiam* unquam *speravisse, cibo Spirituali vivorum, vivificari* posse *mortuos.* sicut cibo corporali *nec per accidens* vivificari queunt corporaliter mortui.

Sed bona fide accedens non pecat.

2. Id tamen do praemissis exemplis, quod si Sacerdos, aut laicus communicans *bona fide* putaret se *justum*, cum talis non esset, communicando novum peccatum non incurreret. Ut Seraphice docet Bonaventura cap I n XII de charitate Sacrmtali: *Alii se credunt habere, qui non habent;* et tales propter bonam fidem *evadunt offensam, quamvis* NON AQUIRANT GRATIAM. Id quod et de pane Angelorum tenebo, quoad convincar, sive communione, sive initiali charitate, sive utroque simul justificari impium. Angelicus trahitur in contrariam opinionem a Tyrnavienſi *de Sacrmtis in genere* n 108: Qui tamen non plus vult 3 p q 79 a 3 in O: Quam quod Bona fide accedens ad Eucharistiam peccati *mortalis* Reus, sed *hujus* conscientiam non habens *consequatur gratiam* CHARITATIS, QUAE CONTRITIONEM PERFICIAT, *et remissionem peccati.* At longe dissincta sunt ista: Aquirere *gratiam charitatis contritionis perfectivam ob bonam fidem:* aliud epulo Divino remitti peccatum. Prius docet Angelicus, non posterius. Cujus ulterior ratio est, quia Deo convenit talium misereri ob bonam fidem augendo charitatem remissivam peccati occulti. At si teste Angelo Scholarum in tali *contritio charitate perfecta* remittit peccatum, palam falsum est, dictum effectum sive Eucharistico cibo: sive minimae contritioni: Sive utrique simul tribui posse.

Imo consequitur perfectionem contritionis:

Si tamen ad eam conetur.

Atque mox dicta doctrina Angelica solatio esse potest miseris illis Curatis, de quibus h n locuti sumus: Modo tamen illi ad charitatem eliciendam *pro posse conentur.* CONANTES enim ad charitatem adjuvat Deus ad perfectionem charitatis. Ut cap I n XI in Guillelmo Parisiensi, et hic n XLI clare vidimus. Qui ex adverso *tepidos evomet ex ore suo.* Apoc 3 v 16.

da ſolam contritionem requirunt. Fateor non adeſſe ad reliqua adeo claram legem. Sed Lex naturalis, et Divina clamat: non tantum Euchariſtiam, ſed *Sancta omnia Sancte* eſſe *tractanda*. Ex altera vero parte contritio *perfecta rara* eſt, et albo ſimillima corvo. Si per auxeſim loqui licet. Conf h XLI. Igitur grande video periculum, ne et alia Sacramenta *contritione perfecta non ſuccedente* ab iis, qui gravioris peccati conſcii erant, *indigne, et in mortem* tractentur. Certe omnia huc quoque militant, quae de Euchariſtia Tridentinum ſtatuit: cujus alioquin generalis eſt locutio illa Seſſ. 13 cap 7: *ſi non decet ad ſanctas functiones ullas quempiam accedere niſi ſancte.* Do equidem Sacroſanctae Euchariſtiae *primas* Venerationis; at nunquid et alia Sacramenta *Sancta* ſunt, et *Sancte* tractanda? igitur haec quoque *ſive adminiſtrare, ſive ſuſcipere* cum *tentata* quidem, ſed vix non ſemper *dubia* perfecta *contritione* periculi ſacrilegii incurrendi plenum eſt. (*a*) cui autem deſuerit copia Confeſſoris, ad tabulam confugiat *Orationis*, ut de celebraturo in caſu urgentis neceſſitatis modo diximus h n XLV.

XLVII. Quod ſequitur majoris conſiderationis eſt: non quod fortius urgeat, ſed quia grave praejudicium altius animis attritionistarum inſedit. Tentabimus autem radicitus evellere. Ita ergo inſurgunt: *Jugum* Chriſti *ſuave*, et *onus ejus leve* prae jugo Veteris Teſtamenti *gravius* reddetur, ſi praeter *onus confeſſionis*, charitas quoque aliqua requiratur, quae ſola ſub priori Teſtamento juſtificabat. Igitur ſententia propugnans charitatis cujuscunque ad Sacramentum neceſſitatem *trucalentam praeſefert ſeveritatem ad caſtra Lutheri, et Baii a Chriſtianorum poenitentiali tribunali amandandam.* At haec lacrimis potius, quam argumentorum vi ſolvenda cenſent initialis charitatis ſtudioſi. Ajunt enim, Deum amantibus auribus, cordibusque intolerandam videri vel cogitationem differentiam *veteris* legis *a nova* in eo collocantem, quaſi minus *in hac*, quam *in illa* urgeat primum, et maximum Divini amoris mandatum, et quaſi ut lamentatur Juenin de contrit pag mihi 286: *ideo aeterni Patris amor Verbum ineffabili in nos amore Carnem induerit, paſſus, mortuusque ſit, ideo inſtituerit ſui in nos amoris pignora, Sacramenta, ut nos ab amore in Deum jure naturali, et veteris teſtamenti debito liberaret!* Non ita profecto a ſanctiſſimis Inſtitutoribus noſtris eruditi ſumus: clamat Paulus ad Rom 8: *non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore*: audite o meticuloſi attritioniſtae! *ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater!* clamant uno ore Patres Eccleſiae, *Jugum* Chriſti *Divinae dilectionis ſuavi unctione*, non amoris a Sacramento poenitentiae remotione levigatum eſſe. Intonat S Auguſtinus tract 13 in Joan: *Verum eſt, quod ipſe dixerit, jugum meum ſuave eſt. Quidquid enim durum eſt in praeceptis, ut ſit leve, charitas facit.* Et in epiſtolam Ad Rom: *Evidentiſſime duorum teſtamentorum diſtincta ſunt tempora. Illud enim ad*

Jugum Chriſti ſuave ope charitatis.

Differentia duorum teſtamentorum per charitatem.

(*a*) Rem extra controverſiam ſtatuit Tuba Conc Tridni Cathechiſmus ejus de Poenit n 45 clariſſime pronuncians: *ſi quid ſalutis noſtrae ratio poſtulet, conſideremus, profecto quoties vel mortis periculum imminet, vel aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat; veluti cum* SACRAMENTA ADMINISTRAMUS, VEL SUSCIPIMUS, *toties confeſſio praemittenda eſt. Neque enim peccatorum veniam a Dno impetramus, niſi ea poenitentiae Sacramentum per confeſſionem deleat.* Qui minima charitate animatam contritionem mox ante Sacramentum juſtificare praetendunt, habent in adjecta hac ratione, quod meditentur! Ita enim loquitur Catechiſmus, quia contritionem acrem, incenſam, vehementem per ſe juſtificantem ordinarie non contingere § 36 ibi tradit.

timorem pertinet: novum autem ad charitatem. Et S Thomas in cap 4 Mathaei: *vetus erat lex timoris, nova vero amoris.* Durum est jugum Confessionis: sed charitate svave fit. Omnia enim levia sunt amanti. Ab hoc jugo attritionistae auferunt charitatem etiam initialem: ergo jugum durum durissimum reddunt, et Christianos, dum in ipso maximo justificationis per Sacramentum poenitentiae opere *solo spiritu timoris* incurrendae gehennae, et amittendi coeli dirigere contendunt, *in Judaeorum sortem* miserrimam detrudunt, et *gravissimum Sinagogae onus liberae filiis* imponunt. Non mea haec est assertio, sed eam ab Angelico Praeceptore didici 2 2 q 108 a 1 ad 3 absque ambagibus pronunciante: *Qui ex amore bonum operantur, proprie ad Evangelium pertinent: qui vero ex amore non moventur in bonum, sed ex timore, etsi numero sint de Ecclesia, non tamen merito.* Non igitur attritio formidolosa distingvit, levisque redit Sacramentum poenitentiae Christianorum prae virtute poenitentiae Judaeorum. Quid igitur? dabimus duplicem disparitatem, utramque latissimam, et manifestam. Primam jam exhibuimus hic n XXXI ex Tridentino, et ejus catechesi: ibi enim vidimus, virtute poenitentiae propter necessariam ejus perfectionem *a paucissimis peccatorum veniam sperandam esse: quare necesse, fuisse, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret.* Idque *admirabili consilio effecisse, cum claves regni coelestis Ecclesiae tradidit*, quarum quidem clavium virtute charitas inchoata eandem peccatorum remissionem praestaret, quam virtus poenitentiae cum contritione perfecta, *vehementi, acri, intensa*, et *cum scelerum magnitudine exaequanda* confert hodiedum, olimque *Judaeis paucissimis in raro casu* conferebat. Hoc itaque titulo *jugum Christi svave, et onus ejus leve* fide credimus fatente Cat Rom n 37 de poen.

Attritionistae teste Angelico ad vetus testamentum pertinent.

XLVIII. Sed et *onus Confessionis* longe gravius fuit *Judaeis impositum*, quam Christianis. Quid? onus confessionis Judaeis impositum ais? et longe gravius, quam nobis Christianis. Docet id Catechismus Tridentini de poenit n 41 apertis his verbis: *Quod si etiam veteris testamenti figuras exquirimus, sine dubio ad peccatorum confessionem videntur pertinere varia illa Sacrificiorum genera, quae ad expianda varii generis peccata a Sacerdotibus fiebant.* Plenus est hujusmodi sacrificiis pro peccato offerendis liber Levit, et Numer. Levitici c 4 v 3: *si Sacerdos peccaverit, offeret vitulum immaculatum Domino.* v 13: *si omnis turba Israel per ignorantiam fecerit contra mandata* Dni, *offeret pro peccato Suo vitulum.* v 22: *si peccaverit Princeps, offeret hircum.* v 27: *si peccaverit anima per ignorantiam, offeret capram.* cap 5 v 4: *Anima quae juraverit, ut vel male quid faceret, vel bene, agat poenitentiam pro peccato suo, et offerat de gregibus suis agnam, sive capram.* v 15: *Anima si praevaricans caeremonias peccaverit, offerat arietem immaculatum.* v 17: *Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his, quae Domini lege prohibentur, offeret sarietem immaculatum Sacerdoti* JUXTA MENSURAM, AESTIMATIONEMQUE PECCATI. cap 6 v 2: *Anima quae peccaverit, et contempto Domino negaverit proximo suo depositum, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, vel quodlibet fecerit ex pluribus, in quibus solent peccare homines, pro peccato offeret arietem immaculatum, et dabit eum sacerdoti juxta* AESTIMATIONEM, MENSURAMQUE DELICTI. Numer c 5 v 6: *vir, sive mulier cum fecerint* EX OMNIBUS PECCATIS, QUAE SOLENT HOMINIBUS ACCIDERE (haec generalis locutio ad peccata publica restringi nullatenus potest) CONFITEBUNTUR PECCATUM SUUM, *et reddent ipsum caput,* (rem alienam) *quintam partem desuper ei, in quem peccaverint. sin autem non fuerit, qui recipiat, dabunt Domino, et erit sacerdotis, excepto ariete,* (ultra, et praeter arietem) *qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis*

Onus confessionis Judaeorum longe maximum.

placabilis hostia. (*a*) Plura similia in utroque Libro legi possunt: nempe pro *diversitate delictorum diversa genera Sacrificiorum* praescribuntur: eaque *praeter charitatem perfectam*, ut vidimus ex Catech Rom de poen n 36: Et ex textibus scripturae h n XXIV Laudatis: sine qua *egena illa*, et *infirma* Sacrificiorum *elementa*. ut illa vocat Apostolus, neminem a peccato liberabant. Ex quibus demonstrat S Thomas, synagogam quoddam poenitentiae Sacramentum reipsa habuisse figuram moderni Sacramenti 3 p q 86 a 6 docens: *Sciendum, quod etiam in veteri lege, et in Lege naturae erat aliqualiter Sacramentum poenitentiae, ut supra dictum est.* Superius vero q 84 a 7 ad 7 haec habet ad 2: *Dicendum, quod ea, quae sunt juris naturalis, diversimode determinationem accipiunt in veteri, et in nova lege, secundum quod congruit imperfectioni veteris legis, et perfectioni novae legis. Unde et poenitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit quantum quidem ad dolorem, ut esset magis in corde, quam in exterioribus signis, secundum illud Joel 2: Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Quantum autem ad remedium doloris quaerendum, ut* ALIQUOMODO MINISTRIS DEI *PECCATA SUA CONFITERENTUR ad minus in generali. Unde Dominus Levit 5 dicit: Anima si peccaverit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti juxta mensuram, aestimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit, et dimittetur ei. In hoc enim ipso, quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum confitebatur Sacerdoti, et secundum hoc dicitur prov 28: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. Nondum autem instituta erat potestas clavium, quae a passione Christi derivatur, et per consequens nondum erat institutum, quod aliquis doleret de peccato cum proposito subjiciendi se per Confessionem, et satisfactionem clavibus Ecclesiae sub spe consequendae venae virtute passionis Christi.* Hoc est dictu: tota illa *Confessio* Judaeorum, ut *alia Sacramenta* Synagogae, *ex opere operantis* justitiam causabat.

Al Gal 4 v 9.

XLIX. Quamquam vero Angelicus indecisum relinquat, *Confessionem Judaeorum* fuisse *specificam* illis suis verbis: peccata sua confiterentur *ad minus in generali*: illam tamen quoad *speciem*, et *numerum* peccatorum *determinatam* fuisse, elucet ex adjecta ejus ratione: *In hoc enim ipso, quod oblationem determinati animalis* Lege Mosis a singulis peccatis distinctam *faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum confitebatur Sacerdoti.* Sacerdos enim ex *determinata* oblatione *peccatum in specie* offerentis intelligebat. Quinimo *Confessionem* illam non tantum *facto oblationis*, sed et *ore, voceque* faciendam fuisse colligit Franciscus Videnhoffer in cap 5 et 6 Levitici I: ex c 5 v 17. et c 6 v 2 verbis illis: *juxta aestimationem delicti.* Nempe Sacerdos debebat *aestimare*, qualem arietem poenitens deberet offerre pro peccato suo, majorem, vel minorem, juxta *gravitatem* delicti? Deus determinaverat *speciem arietis*: sed Sacerdos individuum, *majoris*, vel *minoris* pretii. *Quod non poterat, nisi poenitens delictum suum ante Sacerdoti diceret.* II: Ex c 5 v 5: Ubi vulgata habet: *Agat poeniten-*

Oralis specifica peccatorum Confessio apud Judaeos.

Modus confessionis Judaeorum.

(*a*) Evidentes hi scripturae textus de *Confessione Judaeorum* invictum etiam suppeditant argumentum contra haeterodoxos Sacramentum poenitentiae *humanum inventum*, ab Innocentio III *praeceptum*, atque ideo *tormentum Innocentianum* dictitantes. Quae eorum calumnia tantum distat a vero, quantum *Mojses* ab *Innocentio* praeceptum Confessionis *ab illo pro Judaeis* statutum, *a Christo autem pro Ecclesia* sua ad *rationem Sacramenti elevatum*, et in genere *omnibus lapsis injunctum* pro *singulis annis determinante. Cap. omnis utriusque. de poenit.*

nitentiam pro peccato, Haebraeus, et Chaldaeus legunt: *Confitebitur, quod peccavit.* Ita et Numeror 5 v 6 in ipsa vulgata haec omnia distingvuntur: *confitebuntur peccatum: Redient ipsum caput* damnificato. *Quintam partem desuper* eidem damnificato. Tandem *arietem pro expiatione peccati.* obsecro! Quid plus hodie veritatis Magistra Ecclesia a poenitentibus exigit? imo ne haec quidem omnia: Ut consideranti patet. Idem Vindenhoffer modum quoque confessionis Judaeorum exhibet ex cap 4 Levit v 15, et 24: Nempe ut poenitens *manum suam super caput arietis* poneret ex *traditione suorum* dicens: *Obsecro Domine! peccavi! inique feci! sic sic - - - - poenitet me: nunquam revertar ad rem istam.* Addit porro hoc Philonis Judaei testimonium: *Siquis arguente intus conscientia perjurium suum, abnegationemque damnans confessus fuerit, ac veniam petierit, merebitur delicti oblivionem.* Citatque Galatinum Lib 10 c 3: Ubi is Confessionem *oralem* Judaeorum ex propriis eorum Libris probat. Observari adhaec peto, *Confessionem* hujusmodi *ex* ipsa *oblatione hostiae* pro peccato plerumque saltem, si non semper *publicam* redditam fuisse. Neque enim ex Levitici c 4 v 2 *Sacerdos vitulum*, v 22 *Princeps arietem*, aliique illustres eorum hostias suas a grege ita separare, Sacerdotique *per se ipsos* offerre poterant, quin idipsum, atque ex specie *oblatae victimae peccatum* eorum *ad plurium notitiam* perveniret.

Igitur initialis charitas in Sacramento onus reputari non debet. Math 16 v 26.

L. Haec in solatium eorum dicta sint, qui *initialis charitatis*, ac secretae confessionis *jugum grande nimis* reputant. Quid si hi Judaeorum more praeter contritionem perfectam *Cath Rom n* 36 pro singulis peccatis singulos vitulos, arietes, capraſue offerre sacerdoti deberent? idque cum notitia aliorum? ferendum tamen esset onus hoc salutis consequendae causa: *quam enim dabit homo commutationem pro anima sua?* nunquid vita ipsa millies danda esset, si secus Deus offensus reconciliari peccantibus nollet? nunc vero cum manifeste demonstratum habeant, Salvatorem instituto Sacramento poenitentiae *perfectam* quidem *charitatem* in *initialem*: notabilis vero *hostiae* pro peccato oblatione *oneratam confessionem* in *secretam*, et *auricularem* ineffabili in nos benignitate commutasse, initialem charitatem pro Sacramento poenitentiae requisitam Judaeorum onere gravius non amplius dicent, nisi eo ipso se legis Mosaicae onera ignorare prodant.

Gravissima mala ex attritionis opinione.

LI. De consequentia antecedentis n XLVII positi resecrimus nos ad ea, quae cap VI n XXXIV, et XXXVI diximus, obsecrantes adversarios nostros, ut tandem animadvertant luctuosissimam illam cladem, quam Ecclesiae Dei inferunt, dum Zelo *pro domo*, pro *privata* inquam *sua opinione piam* Catholicorum Theologorum *sententiam severitatis*, *Lutheranismi*, *Bajanismi*, aliorumque errorum contra mentem *Alexandri VII* arguere non horrescunt: eaque ratione haeterodoxos scandalum hac in lite patientes in *errore*! frigidos in amando Deo Catholicos in *tepore* suo detinent! Ethices vero Christianae tantopere exoptatam reformationem inpediunt! Ut nihil iterum dicam de *periculo nullitatis* saluberrimi Sacramenti cum attritione formidolosa. Quae quoties menti meae occurrit, toties artubus omnibus contremisco! recogitans gravissimam illam Catecheſis Tridentinae doctrinam § 36 de Poenit Saramento: *omnibus fere piis persvasum est, quidquid hoc tempore Sanctitatis, pietatis, ac religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte confessioni* debite dolorosae *tribuendum esse: ut nulli mirandum sit, humani generis hostem cum fidem Catholicam funditus evertere cogitaret, hanc Christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum fuisse.* Sola haec saluber-

rima

rima monitio ſufficeret, ut omnes pii fideles, omnes zeloſi Sacerdotes, omnes Catholici Doctores (nam Eccleſiam junctam eſſe officio ſuo dicam, dum de propoſitione Innocentii XI) ad eliminandam, exterminandamque a *praxi Sacramentali* attritionem formidoloſam junctis ſtudiis conjurarent. Ne forte (quod avertat miſericors Deus) humani generis hoſtis *arcem hanc pietatis*, Sacramentum poenitentiae per *attritionem formidoloſam* nuper poſt Tridentinum, ut vidimus, privatim natam, non advertentibus ejus opinionis Patronis, idque optima licet fide, ut ſupponere par eſt, (*a*) agentibus, evertere hactenus conniſus fuerit, aut deinceps connitatur. Nulla ibi eſt, niſi *in tutiori ſententia ſecuritas*, ubi Sacramenti ſalutiferi periclitatus integritas. De differentia inter Bajaniſmum, et nos conf c 1 not. ad n XXIX.

LII. Ajunt demum: Accidere poſſe in noſtra ſententia, ut *Catechumenus*, vel *cui copia deſit Confeſſoris*, in articulo mortis cum

Judicium Terilli de Benigniſtis.

(*a*) Longe aliter loquitur P Antonius Terillus de quibuſdam ſui temporis Caſiſtis, cujus verba P Corbinianus Lujdl Ord S Franciſci illuſtris Theologus Theol Evang tom II diſſ 2 cap 1 n 34 ita refert: „Ad hanc claſſem accedunt ii, qui neſcio qua de cauſa inducti, *toti* in eo laborant, ut *rationes* inveniant ad *obligationes* aut *tollendas*, aut *minuendas*. Hi enim cum *debita* animi *diſpoſitione* ad inveſtigandam *veritatem* non accedunt; quia ex *induſtria* in omnibus *latiſſimam* viam inire conantur: Atque dum *laxiorem* viam ſua *auctoritate* conantur ſtabilire, ſibimet ipſis *obſtant*; illudque, quod praetendunt, non modo non aſſequuntur; ſed illi obſiſtendo potius obicem ponunt. Efficiunt enim, ut ex *ſua* ipſorum auctoritate *nulla probabilitatis acceſſio* parti, cui *favent*, accedat: Quum anſam dent *praeſumptionibus*, quod ob *affectum in unam partem indebite propenſum* in ſuis diſcurſibus non (ut virum *prudentem* decet) concluſiones elicuerint, rationeſque pro parte *oppoſita*, ut decet, examinaverit. Atque ita fit, ut apud *ſinceros* rerum aeſtimatores *propria eorum auctoritas* vileſcat: quodque in omni deliberatione, quam *inordinatus affectus* regulat, *ut moris eſt*, evenit, ut medium, quod *auctoritati* aquirendae opportunum credebant, eidem aut *perdendae*, aut diminuendae cauſam praebeat. - - - Neque vero ex *modernis* caſuum Scriptoribus, et Collectoribus *deſunt aliqui*, quibus haec nota inuri poſſe videtur: Ut ex eorum *libris*, et modo *diſcurrendi* apparet; qui proinde *parvam* ſuis dictis *auctoritatem* conciliant. Novi etiam *ingenioſos* Theologice Magiſtros, qui ſibi *laudi* vertebant, ad *laxiorem* in rebus *moralibus* ſententiam propendere, eamque *defendere*. „Haec Terillus in tractat de conſciem q VI n 44. In prologo autem tract ejuſdem praemiſit haec: „*Innumerabiles* eſſe, qui a 30 annis ſummis caſuum, rerumque moralium tractatibus *Bibliotbecas* impleverunt. Quum enim plus aequo *famae* (ad quam nunquam non *amor ſui* graſſari adſvevit) *vanaeque* de ſua doctrina *aeſtimationis* eſſent cupidi, ad *nova* promenda animoſiores effecti, in opiniones *Laxas* oculos conjecerunt, Ex *Laxis* reſolutionibus ad alias *laxiores* aliis, et ſibi praecipitium aperuerunt. Nec deſuere, qui *laudi* ſibi verterent, *laxiores* ſententias in unum *colligere*. Imo *incredibile non eſt*, *eos* SUBTILI SATHANÆ INSINUATIONE DECEPTOS. *Hac arte doloſus* inimicus poſtquam *doctiores praeguſtato plauſu ampliori famae* per *laxarum opinionum evulgationem* ſibi certo aquirendae *faſcinaſſet*, per eos *in campo moralis Theologiae* DETESTANDA LAXITATIS ZIZANIA SUPERSEMINAVIT. „Item ibidem appellat eos VIROS MAGNOS, ſed EFFRAENIS INGENII, *qui fractis ſeverae, juſtaeque moderationis habaenis ad laxe opinandum quaſi calcaribus adacti, praecipitanter cucurrerunt, et adhuc currunt*. „Acciderunt haec teſte Terillo circit ab a 1630 et deinceps, quo tempore *atritioniſmus*, et germana ejus Soror *probabiliſmus* regnum, et imperium in Scholis tenuerunt. Ut ipſe fatetur eod tract q 223: *Certum eſt, omnes omnino Doctores totius Eccleſiae* (Hoc nomine compellat *Scholaſticos*, et *Caſuiſtas* ſui temporis, qui in *Patrum* locum, ſi ſuperis placet, ſucceſſerint, quorum tamen nec *Sanctitatem*, nec *ſcientiam*, nec SIMPLICITATEM EVANGELICAM aemulati ſunt teſte Alexandro VII in praef damnatar propos) *jam a* 100, *et amplius annis in terminis expreſſis tradidiſſe benignam ſententiam probabiliſmi*. Quam nemo tradidit, quin una *attritionem ſervilem* defenderet; ſed non e contra. Ut patet exemplo Turnelii, Antoine, Charmeſ etc. Qui *probabiliſmum* inſectantur, *attritionem ſequuntur*. Judicium Terilli ideo duntaxat hic notavimus, ut *illorum temporum Caſuiſtas*, eorumque *principia caute declinare valeamus*. Nam intentionem eorum, qua ſcripſerunt, nobis nefas eſt judicare, cum *in pace Eccleſiae* dormierint.

amore Dei super omnia, sed *remisso*, et *imperfecto* aeternum pereat. Sed hoc vel cogitare immitem redolet severitatem. Ergo. Rdeo: nos non admittimus hanc sequelam. (*a*) dicimus enim ex D Thoma, *charitatem inchoatam mereri ut augeatur, et aucta perficiatur.* Nec dubitamus in articulo mortis constitutum facere velle cum gratia Dei, quod in se est: Ideo plane confidimus, amorem ejus *initialem auctum*, *perfectumque* iri. Casum hunc refert cap 2 de Presb non baptizato, deciditque: *Baptismum*, ita et nos intelligimus Sacramentum poenitentiae, *invisibiliter ministrari ei, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.* Audiamus Conditorem Canonis cit: „*Presbyterum, quem sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in S Matris Ecclesiae fide, et in Christi nominis confessione perseveravit, ab originali labe solutum, et coelestis patriae gaudium adeptum asserimus incunctanter.* „ Quia Presbyterum per decursum vitae *perfectam contritionem* (quae baptismus *flaminis*, et Sacramentum poenitentiae *in voto* est) saepius elicuisse, nefas esset dubitare, misericordia Dei virum hunc status sui inculpate ignarum, et quod facere poterat, conantem specialiter adjuvante. „*Lege Augustinum de Civitate Dei, ubi inter caetera legitur: Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.* „ His verbis non dicit sive Innocentius III, sive Augustinus, quod remissa charitate contritio in necessitate justificet, sed quod tali *baptismus invisibiliter ministretur.* Quo modo *invisibilis* haec *ministratio* baptismi fiat? neuter exprimit. Si *aucta* miserante Deo *charitate*, jam non *remissa* charitas justificat, sed *perfecta.* Si vero cum remissa charitate *Baptismus* ei *in re* vel a *Deo*, vel ab *Angelis* ministretur (ut reipsa legi in vita S Catharinae de Ricciis, eam ab ipso Christo, absente Confessario, a peccatis absolutam; et multos Sanctorum ab Angelis pane Angelorum refectos) tunc rursum non *remissa* charitas, sed *haec* cum *Sacramento* ipso justificat. Finge Lector! quamcunque hypothesim, et modum, quo *invisibiliter ministrari* putes *Sacramentum necessitatis in termino*

Cum initiali charitate peccatorem perire posse negamus.

In casu necessitatis charitas perficitur.

(*a*) Incomparabilis Merbesius de poenit q XIV Quaerit: An contritio, quae *ordinarie* sine Sacramto non justificat, *aliquando* sufficiat ad justificationem, et salutem? Respondet *affirmative.* Ex rationibus vero, quas in eandem rem affert, colligere licet, in casu *impossibilitatis suscipiendi in re Sacramti imperfectam* contritionem Deo miserente *perfici*, et sic *qua jam perfectam* justificare. Hoc docet S Augustinus L 4 De bapt contra Donatist c 24: In *Latrone quod ex baptismi Sacramto defuerat, complevit omnipotentis benignitas.* At de Boni Latronis *perfecta contritione* nemo cum fundamento dubitabit. Id ipsum docet 2: S Ambrosius concione in obitu Valentiniani Imperatoris catechumeni sine Baptismo in re suscepto praemortui, de quo ita ait maximus Doctor: *qui habuit Spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam* justificationis? *an quia solenniter non sunt celebrata misteria? hoc movet? ergo nec Martyres, si Catechumeni fuerint, coronentur. quod si illi suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit, et voluntas.* Qua comparatione innuit Divus. Valentiniani *perfectam* fuisse) contritionem, *ut Martyrum.* 3: eandem comparationem facit Mellifluus Doctor epist 77 cap 2, Ubi citans pro se Augustinum, et Ambrosium ita ait: *Si martyrium sine dubio pro baptismate reputatur, nonne velut martyrem habebit Deus, in cujus corde aequalem martiris fidei fidem, martirio quidem non interrogatam, martirio tamen idoneam inspexerit? damnabit fidelem suum Deus? damnabit inquam hominem pro se paratum etiam mori?* talis *Salvatorem habet habitantem per fidem in corde, et in ore per confessionem. et damnabitur?* Trias haec Sanctorum Doctorum asserit *perfectam* contritionem supplere *in necessitate* Sacramentum *in re:* Ex hactenus a nobis dictis patet, *initialem charitate contritionem* eam vim *ordinarie* non habere. Igitur recte colligimus, et *in casu necessitatis* non *initialem*, et *inchoatam*, sed a Deo *misericorditer perfectam* contritionem justificare. Ut innuit Angelicus etiam hoc nro a nobis citatus. Ut vero hanc *misericordiam* (quae inter maximas gratias *finales* censenda est) Pater misericordiarum olim praestet, supplicibus precibus assidue orari merito debet. Recole ea, quae cap I n XII ad Guillelmum Parisiensem notavimus; Et hic n XLI ex Augustino diximus. nec non *not* ad n XLV.

termino neceſſitatis conſtituto, ſemper verum erit, eum non remiſſa contritione, ſed una *Sacramento inviſibiliter* ſibi *miniſtrato* fuiſſe juſtificatum. Si ad *baptiſmum flaminis* recurras, eum in contritione charitate perfecta conſiſtere ſcio: Charitate inchoata, et imperfecta ſuppleri, ignoro. Urgebis auctoritatem Theobaldi Stampenſis in Gallia Abbatis epiſt ad Lincolnienſem in Anglia Eppum ita ſuam ſententiam concludentis: *Patet ergo, quod quicunque bonam voluntatem habebit in terris, pacem, et gloriam indubitanter conſequetur in coelis. Amen. Si quis vero hanc epiſtolam improbare voluerit, et hos praefatos Doctores Catholicos recipere noluerit, lapide percuttatur, percuſſus comminuatur, comminutus in pulverem redigatur.* At nos cap 1 ad n XXIX not 13 ſex *bonas in Deum cupiditates*, ſive *voluntates* diſtinximus, ex quibus 1 perfectam eſſe charitatem docuimus. Qua flagrantem in terris pacem habiturum in coelis cum Theobaldo, quin cum omnibus Catholicis certo affirmamus. Si vero *imperfecta* ſit *bona* illa *voluntas*, nec *conans ad perfectam*, ſuſpendimus judicium noſtrum. Vide Natalem Alexandrum de Sacrmto poen c 4 a 3. ubi una nobiſcum pie ſentit, *Divina bonitate naſcentem poenitentis in extremis conſtituti charitatem ad illum* GRADUM *provehi, qui ad juſtificationem neceſſarius eſt.* Quem Chriſtiano Lupo, et quibusdam aliis initialiſtis, initiali charitati *in neceſſitate* vim juſtificandi admittentibus opponimus.

LIII. Caeterum Longe urgentius adverſarios noſtros haec difficultas premit. Ita enim eam invertere licet: accidere poteſt, ut Catechumenus, vel poenitens ſine copia Confeſſarii cum ſolo *amore* purae *concupiſcentiae* beatitudinis: aut plane cum ſimpliciter ſervili, ideoque honeſto, et ſupernaturali gehennae *timore* vitam finiat. An ſalvum talem putabunt attritioniſtae? ſi affirment: ejurabunt ſuam, quin omnium Catholicorum Sententiam, qua docent, *amorem* purae *concupiſcentiae*, aut *gehennae timorem ſe ſolo ſine Sacramento juſtificando impio imparem eſſe.* Si negent: *immitis ſeveritatis* ſe ſe condemnabunt, *damnando* illum, qui *Deum* ut objectum Spei, *ſibi bonum vere amavit, aut qui gehennam actu honeſto. et ſupernaturali horruit*, timuitque. Reſpondebunt: cur Deum *non propter ſe* amavit? idem nobis reponere licet: Cur in noſtro caſu non eſt conatus Deum *intenſiori* charitate diligere? ait Turnely *de contr perfecta art* 1 *concl* 1: *Metaphyſicae illae ſuppoſitiones in rebus practicis, ac moralibus non ita moroſe urgeri debent: atque Divino judicio relinquendum, quid faciat de homine in dicta hypotheſi conſtituto? ſive Deus nunquam permittat ex infinita ſua miſericordia hominem SIC BENE AFFECTUM mori ſine vera contritione, et charitate. Sive bonam ejus voluntatem, quamquam imperfectam accipiat. Sive quocunque alio modo ſaluti illius hominis provideat.* At ego lego in ſcriptura: *qui non diligit, manet in morte.* In Patribus: *neminem ſine charitate ſalvum fieri.* de quo capite ſeq pluribus. Hic ut difficultatem nobis objectam *practive* omnes eviteamus:

Cum timore, vel amore ſi ei ſalvari hominem nec adverſarii affirmare poſſunt.

LIV. Addo ſaluberrimum conſilium, ut *dum tempus habemus*, nos in ferventiſſimis charitatis Divinae actibus identidem ſedulo exerceamus, ne forte olim in articulo mortis conſtitutis ſero nimis in vanum nobis accurrat tragicum illud: *cum potui nolui, cum volo, non poſſum.* Aut illud aeque miſerandum: *non uſum habeo.* Vere enim dicit S Auguſtinus Lib 3 de Lib arb: *Illa eſt peccati poena juſtiſſima, ut qui recte facere, cum poſſet, noluit; amittat poſſe cum velit.* Ut et S Eucherius homil de dilat: *Stultiſſimum eſt, ut cauſa, qua de neceſſitatibus agitur aeternis, mutabilibus vitae deficientis committatur extremis.* Poenitentia ſive ut virtus, ſive ut Sacramentum, quae ab infirmo, aut mori-

Interim SANIS uſum aſſiduum perfectae charitatis toto corde commendamus.

moribundo agitur, dubia, incerta, moribunda, quid dicam? *pene mortua* est. Certe gravis Auctor lib *de verit Christian* cap 32 narrat, aegrum morti proximum, ut varios virtutum actus eliceret, monitum, respondisse: *Non equidem possum, cerebrum mihi nimis infirmum est, et debile. Et nisi oportuno tempore id ante feci̇ssem, jam de salute mea esset conclamatum.* Idem P Julium Recupitum, S I. Virum Sanctis cogitationibus, jaculatoriisque precibus diu, noctuque assidue intentum, postquam graviore, qua detinebatur, infirmitate fuisset recreatus, haec de se commemorasse: *Dum circumstantes Patres me compellabant, multasque de more mihi praelegebant preces pis refertas suspiriis, et affectibus, adeo perturbata eram mente, ut solam eorum vocem percipere, sensum autem verborum aut nunquam, aut certe raro admodum, omni licet conatu adhibito assequi possem.* Et nos, qui *valentes* licet, Sanctissimos Theologicarum virtutum actus *vix exacte elicere novimus*, quia *raro* eas, *ascitanterque* exercemus, *dubia mortis hora debili cum cerebro, morientibus viribus*, in *omnia alia distractis animae potentiis* perfectam contritionem elicituros speramus? ego vero metuo vehementer, ne tales sint triste exemplum dicti Coronati Vatis: *desiderium peccatorum peribit.* Ps V 3 v 9. Plura de hoc cap seq. nunc ad laetiora transeamus.

Perfecta contritio non est necessaria ad Sacram poenit.

LV. Altera quaestio erat n XV proposita: *Quid sit sentiendum de iis, qui ad Sacramentum poenitentiae perfectam contritionem praerequirunt?* Hanc opinionem ante-Tridentinum multorum fuisse jam cap 1 not ad n XVII diximus, ubi praecipuos *eorum* recensuimus. Non omnes tamen veteres contritionistas fuisse, evidentissimum fit ex cap 1 n I II V VIII IX XXII XVI XVII XIX: et seqq capitibus hactenus omnibus. Priorum illorum sententiam in Tridentino tuitus est Joannes Aemilianus Tudetanus Antistes, asserens praeviam perfectam contritionem non officere Sacramenti efficaciae, quod *ipsa contritio* remissionem peccatorum praestet *virtute Sacramenti, cujus votum in contritione continetur.* Ut c V n XLVIII ex Pallavicino observavimus. Et haec ratio ejus canonizata est per Concilium sess 14 c 4 illis verbis: *Ipsam reconciliationem contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Sive ut ait Biel cap 1 not ad n XVII relatus: *Sacramentum effectum suum operatur* IN VOTO *(quod includitur in contritione) antequam exhibeatur* IN OPERE. Ex quibus certissimi sumus, perfectam contritionem efficaciae Sacramenti non officere: illamque *laudabiliter praemitti salva* hujus *efficacitate posse.* Quaestione tamen principali cecidit *Tudetanus:* Concilio ibidem decernente: *contritionem* ALIQUANDO duntaxat *charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare* ante usum, cum voto quidem Sacramenti. Eo ipso enim, quod declaret Concilium, contritionem *aliquando*, idest *raro* esse perfectam charitate, statuit hanc, perfectam inquam charitate contritionem necessariam ad Sacramentum non esse. Secus magnum hoc, Salubreque Sacramentum *aliquando* duntaxat perficeretur, dum nempe contritionem *aliquando* charitate *perfectam esse* contingeret: ordinarie vero, et exceptis *raris casibus* Sacramentum absque debita sua materia, *perfecta charitate*, nullum, irritum, iterandumque esset. Quod vel cogitasse, nedum decidisse magnum hoc Concilium, avertat misericors Deus! Proinde ex his verbis manifesta veritate Theologica (non strictae fidei, quia *in decretis*, non *in Canonibus* continetur) consequitur, contritionem perfectam ad hoc Sacramentum necessariam non esse. Itaque hodie jam post Tridentini decretum *temerarium illum* fore, qui ad Sacramentum poenitentiae *necessariam absolute* perfectam charitatem esse opinaretur.

Si tamen interveniat, non officit Sacramenti efficaciae.

LVI. Sed

LVI. Sed et caſtigandi illi videntur, qui clamitare non verentur, charitatem perfectam *efficaciam* Sacramenti *diminuere*, aut *clavium poteſtati* DETRAHERE. (*a*) poſteaquam Concilium ſtatuit, *reconciliationem* contritione praevia cauſatam *voto, quod eidem includitur*, Sacramenti eſſe adſcribendam. Quid enim? an vel cogitare licet, Tridentinum haec declarando *clavium poteſtati* derogare voluiſſe? aut forte orbis terrarum pii, bonique Catholici in eandem clavium poteſtatem conjuraſſe cenſendi ſunt, dum una omnes pietate (nec ipſis attritioniſtis exceptis) quam perfectiſſimam conantur ad Sacramentum hoc adferre contritionem? ais quidem: raro ſuccedere perfectam contritionem. At *ſi* perfecta *charitas* DETRAHIT *poteſtati clavium*, ipſe *conatus* ad illam illicitus eſt. Deinde quis negare auſit contritionem perfectam aliquibus *ſaltem* ſuccedere? quum toties audiverimus, conanti ad perfectam charitatem Divinum auxilium non negari. *Hi* igitur in hac hypotheſi *detrahunt clavium poteſtati*. Hoc eſt dicta: dum perfectiſſime agunt, *diminuunt poteſtatem clavium*. Imo ſi *antiquos* audiamus, *PERFICIUNT*. Igitur fateamur oportet, *perfectam contritionem cum clavium poteſtate* conciliari et poſſe, et debere, etiam ſi nos modum conciliandi ignoraremus. De quo mox. Prius tamen paucis Eſtii opinionem refellamus.

Perfecta charitas debet conciliari cum clavium poteſtate.

LVII. Praemiſſi itaque Patres, et Theologi ita perfectam contritionem ad hoc Sacramentum requirebant, ut ejusdem vim juſtificandi impios extra Sacramentum non negarent, quin aſſeverarent cum incluſo jam dicto voto. Singularis in hoc eſt opinio Guillelmi Eſtii in 4 Diſt 17 § 2 docentis: *Contritionem* quamvis *perfectam*, et *intenſam* Deo haud quaquam reconciliare peccatorem, niſi in caſu *neceſſitatis*: ſive *inſtantis mortis*, *ſcandali*, aut alterius *peccati*, *infamiaeve* incurrendae. Quae ſententia communi omnium in rebus theologicis vel mediocriter verſatorum conſenſu rejicitur. Nec immerito. Ubi enim eſt ſcriptum in *verbo* Dei *ſcripto*, vel *tradito*? pro menſura amoris noſtri nos redamentem Deum *perfectam* ſui dilectionem in *caſibus ſolum* ab Eſtio *praefixis* in vim juſtificationis *acceptare* voluiſſe? nuſpiam ſane. Exadverſo autem omnis ſcriptura diſertiſſime adſtruit, charitatem, *ubi gradum debitae perfectionis attigerit*, impium amicum Deo reddere. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc 7 v 47. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1 Pet 4. Et apud Ezechilem ſicut juſto peccanti *aeterna* mox *oblivio* juſtitiarum ejus, ita impio perfecte contrito *illimitata* venia promittitur *ad nullos caſus neceſſitatis reſtricta. Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die* (hora, momento, nullo caſu excepto) *converſus fuerit*

Eſtii opinio refellitur.

(*a*) Conc. Conſtantienſe damnavit hunc Vicleſi articulum: *Si homo fuerit debite contritus, confeſſio Sacramtalis eſt ſibi ſuperflua, et inutilis.* Hoc non docent attritioniſtae. Si tamen urgeant, *contritionem perfectam derogare clavium poteſtati*, aut mitius. *Praeoccupare vim Sacrmti*, facile haereticus inferet: go habita perfecta contritione, *Sacrm in re erit inutile.* Tyrnavienſis ut ſervilimum commendet, aſſerit de poenit n 122, et 125: quod charitas actualis *efficaciam Sacmti poen NON PARUM DIMINUAT, quin de ea MULTUM DETRAHAT.* ut illam Vicleſi, ita has attritioniſtarum ppones in oculis ſolis falſas falliſſimas eſſe *aeque* evincunt haec theoremata Catholica: 1: in nova lege nullum mortale remittitur *ſine onere Confeſſionis* in re, ſi occaſio adſit, faciendae. 2: Confeſſio in re a prius perfecte contrito exhibita *confirmat*, et *ex opere operato auget juſtitiam* prius *ex opere operantis adeptam.* 3. Sacrm poen non eſt eſſentialiter mortuorum: quin in juſtis Laudabiliter confitentibus ſecundam gratiam confert. Etſi igitur perfecta contritio praevia juſtitiam praeſtet, an *ſubſequa Confeſſio* explens praeceptum, et votum contritioni incluſum *inutilis* dici poteſt? aut praeoccupare *vim Sacrmti ex opere operato confirmatoriam, et auctivam juſtitiae* praehabitae? de monſtris Salmanticenſium ſuo loco.

ab impietate sua. Ezech 33. Anne putandum est, *Salvatorem virtuti perfectae charitatis* ORDINARIO ANTEA *justificationis* MEDIO *aliquid derogasse*, illiusque vim, et efficaciam ad *necessitatis* angustias restrinxisse tunc, dum poenitentiam ad Sacramenti dignitatem extulit? hoc nonnisi Estius sibi persvaserit. *Dona* namque *Dei sunt sine poenitentia.* Ut praeceptum dilectionis *morale*, proinde *aeternum* est, ita *effectus* perfectae dilectionis a Deo liberaliter ei in veteri testamento attributus ad nos quoque filios gratiae, et charitatis velut aeternum privilegium transmissus est absque ulla limitatione. Patres omni exceptione exclusa asserentes *solo Sacramenti usu* homines Deo reconciliari (quod Estium ad singularem hanc opinionem induxit) tria dicunt: 1 in casu praecedentis perfectae charitatis subsequenti in re *Sacramento* justificationem praeadeptam mire augeri. Adeoque hoc quoque in casu Sacrm ex praecepto Divino suscipiendum infructuosum non esse. 2: *perfectam charitatem raram* esse: *imperfectam* proinde charitatem *cum Sacramento ad nos* justificandos in lege gratiae Deo infirmitati nostrae condescendente sufficere. 3: ac potissimum in casu perfectae etiam contritionis (dequa tamen nemini constare potest humanitus) *explendum esse votum* Sacramenti reipsa suscipiendi *contritioni perfectae inclusum:* Idque sub obligatione secus peccati mortalis incurrendi. Unde S Augustinus L 4 contra Donatistas c 21, et 22, et passim alii Patres hortantur Catechumenos, ne fiducia perfectae charitatis Baptismum suscipere contemnant: *nemo debet,* inquit, *in quolibet provectu interioris hominis, si forte ante Baptismum* (vel poenitentiae Sacramentum) *usque ad Spiritualem intellectum pio corde profecerit, contemnere Sacramentum, quod ministrorum ope corporaliter adhibetur, sed per hoc Deus hominis consecrationem Spiritualem operatur.* Haec, et non plus docere *Patres* admittere debet Estius, secus *illos* contra eum sic intorqueo: Asserente Estio Patres docent *solo* Sacramenti usu homines Deo reconciliari nulla facta exceptione perfectae charitatis, aut *necessitatis:* ergo perfecta charitas sine actuali Sacramento nec in *casu cujuscunque* demum *necessitatis* justificat. Quod tamen voluit Estius.

Falsum est, perfectam contritionem derogare clavium potestati.

Perfecta charitas perficit Sacrm.

LVIII. Patere jam ex his videtur: luculenter, *perfectam charitatem* semper, et in omni casu justificantem *ad Sacramentum* poenitentiae *necessariam* absolute *non esse*, quod ex clara Tridentini doctrina multis hactenus confirmata evidenter sufficiat ad Sacramentum in re, si peccator *Deum ut omnis justitiae fontem diligere incipiat* sess. 6. c 6: Si tamen illa interveniat reipsa magno Dei dono, eam potestati remittendi peccati penitus non obesse, neque hanc ab illa *diminui.* Audite meticulosi! Moralium Parentem in cap 3 l. 1 Regum ita commentantem: *A nonnullis valde quaeri solet, si statim vitam post mortem inveniant, qui - - - tantum in vitae exitu se nequiter egisse accusant? ad quod dicendum est, quia ex vi conversionis magnitudo deletur criminis. VIS autem CONVERSIONIS EST AFFECTIO CHARITATIS cordi infusae visitatione Spiritus Sancti. - - STATIM IN VITAM recipitur, si tantum AMORIS IGNEM recipit in conversione, qui consumere in anima possit omnem congestam peccati rubiginem. - - Nam qui PERFECTIONEM BONAE VOLUNTATIS non habuerunt in CONFESSIONE PECCATI, post mortem purgatoria poena peccati ad vitam transeunt, si* ad *DELENDA PECCATA SUFFICIENTEM VIM AMORIS NEQUAQUAM HABUERUNT. Sed peccator - - hic per afflictionem carnis adimpleat hoc, quod sibi DE VI AMORIS deesse cognoscit.* Genuina haec est totius doctrinae nostrae idea. Vera peccatoris conversio est *affectio charitatis*, quae duplex est: *perfecta*, ut *ignis* consumens omnem rubiginem peccati: talis absque purga-

torio

torio *ſtatim* poſt mortem in vitam recipitur. Et *imperfecta* in *bona voluntate* ſita (cap I ad n XXIX not 13 2:) qua confeſſus poenitens *per purgatorium* ad vitam tranſit, quia *vim amoris ſufficientem ad delenda peccata* quoad poenam temporalem non habuit. Ergo ex mente S Doctoris 1: ad veram converſionem cum *Confeſſione* requiritur *affectus charitatis.* 2: Non omnis charitas delet peccata, ſed tantum *vehemens, ut ignis.* 3. *Haec* non eſt neceſſaria Sacrmto. ſi tamen interveniat, adeo non officit Sacramento, ut potius animam ea poenitentem recta ſine purgatorio mittat in vitam aeternam. Omnes hae conſequentiae e textu Moralium Parentis clare fluunt. Fateamur igitur, *vanum*, vaniſſimum *eſſe timorem* hunc, ne perfecta *contritio clavibus Eccleſia praejudicet:* Imo Scripturae, Patribus, totique antiquitati Sacrae inauditum: aſſeramuſque ſalvam, ſalvandamque eſſe rationem Sacramenti poenitentiae, et poteſtatem clavium in caſu, quo poenitens *ex Conſilio*, atque ex ſpeciali Spiritus Sancti dono ad Confeſſionem perfectam adfert contritionem. Eandem doctrinam clariſſime tradit Illuſtris Conc Tridni Theologus Petrus Soto Lectione IV de mat. et Forma Sacramenti poen: *contingit, ut cum abſolvitur poenitens, veraciter conteratur, et tunc, ſicut in Baptiſmo, INTEGER EST, ET PLENUS EFFECTUS SACRAMENTI.* Quis non miretur quantum diſt ut Juniores ab antiquis Theologis? quando magnus hic Doctor cum perfecta contritione clavibus Eccleſiae adeo non metuit, ut potius in illa feliciſſima conjunctione abſolutioni Sacramentali *baptiſmalem* tribuat cum omnis poenae etiam temporalis remiſſione plenitudinem, ac perfectionem. *Et tunc ſicut in baptiſmo, integer eſt, et plenus effectus Sacramenti.* Quae ſane doctrina mire urgere debet unum quemque pietatis ſtudioſum ad initialem contritionem pro Sacramento adſerandam, ut illa in uſu Sacramenti in perfectam adoleſcat ſive in *praeparatione*, dum poenitens *recogitat dies ſuos in amaritudine animae ſuae* ſive *Sub Confeſſione*, et *abſolutione*, dum fide credit, *Verbis Sacerdotis* ut clavibus *aperiri caelum*, et *ſangvinem JESU Chriſti derivari in miſeram animam poenitentis*, illoque *hanc* totam ablui, mundari, Sanctificari. Cath. Rom de poen n 10. In cujus Divinae miſericordiae ſpe, ac conſideratione omnem profecto Divini amoris *ſcintillam* pii, et docti Confeſſoris monitis *in flammas*, atque incendia charitatis ſuccendi oportet. (*a*) Si potiſſimum ardeat Orator, qui vult accendere plebem. Nam apud illos Sacerdotes, qui obvios quoſque ſine examine, ſine inſtructione debita, ſine neceſſariis monitis, ſine exacta contritione abſolvunt, non mirum, aridas eſſe confeſſiones, atque utinam non nova poenitentia expiandas!

Baptiſmalem tribuens innocentiam.

Charitas initialis ſaepe uſu Sacramti adoleſcit.

LIX. Etſi igitur *modum*, quo duo illa conſiſtant, ignoraremus penitus, adhuc neganda res ipſa non eſſet. Multa namque in My-

ſte-

(*a*) Enı veriſſimum unum ſenſum illius axiomatis: *attritus in Sacramento fit contritus.* Alter ſenſus aeque verus eſt: Quod attritus ſerviliter fiat contritus *diſpoſitive*, in quantum timor bonus eſt oſtiaria charitatis in Sacramento neceſſariae. Ut cap V n XVI docuimus. Tertius verus ſenſus eſt, quod attritus charitate initiali, accedente vi, et efficacia Sacramentalis abſolutionis conſequatur remiſſionem peccatorum. cap V n XXXIX et paſſim. Si vero dictum axioma ſic intelligas, quod attritio ſervilis ope Sacramenti fiat contritio ſive perfecta, ſive initialis *formaliter*, manifeſte falſum ſtatuo: nam Sacrm objecta virtutum materialiter, et formaliter diſtinctarum non immutat: ſic ope ſacramenti poen humilitas non fit caſtitas, fides non fit ſpes, go nec timor evadit charitas. Denique illo ſenſu, quod attritio ſervilis (ut contritio initialis) ſufficiat in Sacramento poen ad juſtificationem: eſt ſtatus quaeſtionis, et aſſertum nudum attritioniſtarum, a nobis omnibus capititibus luculenter rejectum. Confer cap V n LVI. LVII.

Aximatis: attritus in Sacramento fit contritus . variis ſenſus.

fteriis fidei nos latent *quoad modum*, quorum tamen *fubſtantiam*, ſi Chriſtiani eſſe cupimus, negare non poſſumus. Quis enim explicabit? niſi clara olim viſio beatifica, quomodo *Trinitas Perſonarum* in *Unitate Naturae* Divinae ſubſiſtat? quomodo in Verbi incarnatione Divina, et humana natura in *unitatem perſonae Divinae* convenerit? quis enarrabit? quibus viis originale peccatum ab Adamo in nos propagatum ſit? quin et de *modo* gratiam *efficacem* cum *Libertate* Humana componendi eae hactenus factae ſunt *diſputationes a* tempore Auguſtini uſque ad nos, potiſſimum occaſione *ſcientiae mediae*, quae magnorum virorum judicio orbi univerſo ad veram fidem convertendo ſuffecturae fuiſſent. Et tamen adhuc palpamus in alto hoc Myſterio. Pariter etſi neſciremus rationem componendae perfectae contritionis cum vera poteſtate Sacerdotis remittendi peccata; quia tamen ex *verbo Dei ſcripto*, et *tradito utrumque conſtat*: et quod perfectus *amor Dei incompoſſibilis ſit cum peccato mortali*: et quod vere *judicialis* ſit abſolutio peccati praevia perfecta contritione jam deleti: Ideo utrumque credere debemus. Si enim charitatem perfectam componemus cum peccato mortali: *in Bajanos errores* prolabemur. ſi actionem Sacerdotis abſolventis nudam annunciationem remiſſorum a Deo nobis peccatorum dixerimus, *in Lutheri caſtris* militabimus. Ut Catholici inveniamur, credere debemus utrumque. Sed *modum* explicandi ſcire non jubemur. *Fides* enim *eſt argumentum non apparentium*. Ad Haebr XI v 1.

Multorum miſteriorum modos ignoramus, rem ipſam credimus.

LX. Haec quamquam ſufficiant Catholico, Theologi tamen plures modos praedicta duo conciliandi nobis ſubminiſtrant. Quae hic (ut Tertiae quoque quaeſtioni h n XV propoſitae fiat ſatis) breviter proferre placet. Primus itaque modus proponitur ex Concilii Tridentini ſeſſ. 14 cap IV illis verbis: *Docet praeterea* Sacra ſynodus *etſi contritionem perfectam eſſe contingat prius, quam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur: ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacrmti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Quae ratio *Tudetani* Epiſcopi fuit: qui eam a Biel acceperat. h n LV. Id quod illuſtrat pulcherrime Leonardus Vanroj de poenit q 3 c 4 apud Berti Theol. diſcipl l 34 c 6 exemplo deſumpto a *Paſſione Domini*: cujus *Olim venturae meritis*, ac *fide* per dilectionem operante *juſtificati ſunt* omnes *juſti Veteris teſtamenti*: ita inpraeſentiarum nos *per contritionem* perfectam non aliter juſtificamur, quam *meritis Chriſti Sacramento poenitentiae adligatis*. quod quidem poenitentiae Sacramentum in re ipſa ſuſcipere *vovet*, ſive *proponit* data opportunitate omnis, *quicunque Deum perfecte amat*: eo ipſo enim *vult generaliter*, et *implicite* ſaltem, ideſt *facto ipſo amando Deum perfecte*, omnibus ejus praeceptis ſatisfacere: *unum* autem e praecipuis *Dei praeceptis* eſt poſt erectum a Chriſto in nova lege Sacramentale forum illis verbis: *accipite ſpiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittentur eis: et quorum retinueritis, retenta ſunt.* Joan 20 v 23: Tridn ſeſſ XIV cap V et can I III VIII, ut *omnis*, qui in lege gratiae illum *graviter offendit*, *peccatum ſuum clavibus Eccleſiae ſubjicere teneatur*, quamcunque contritus videatur, reque ipſa ſit. Hoc igitur *votum*, ſive *propoſitum contritioni perfectae incluſum contritionem* ipſam *dignificat*, *merita Chriſti* in futurum ſuſcipiendo Sacramento inclusa *anticipat*, ita, ut *intentionaliter*, et *in voto ipſum Sacramentum videatur ſuſcipere, qui perfecte* cum tali voto etiam implicito *contritus* eſt. Atque hic modus, quia a Tridentino traditus, communis, et paſſim receptus eſt. Cui id unice opponi poteſt, quod Sacramentum *in voto*, non *in re*, hac ratione cauſet gratiam. Quod tamen argumentum premit eos duntaxat, qui *contritionem* perfectam *neceſſario* requi-

I Modus conciliandi contritionem perfectam cum Sacramto.

In contritione perfecta Sacram in voto juſtificat

quirunt ad Sacramentum: non nos, qui hanc *ex Consilio* svademus: initiali autem charitate de necessitate Sacramenti contenti sumus. Cum qua Sacramentum primam gratiam reipsa causſat. Interim pro stabiliendo dicto *Consilio nostro* salvandae perfectae charitatis cum vi clavium assignamus 2 modum; qui in his consistit:

LXI. Ad *salvandam clavium potestatem duos* tantum *errores*, quantum ad hanc materiam, *vitare necesse est*. Primum, quod *absolutio non sit actus judicialis, sed nudum ministerium pronunciandi, et declarandi remissa esse peccata confitentis.* Ut can IX sess 14 Tridn: Alterum quod Sacramentum poenitentiae in re susceptum *non conferat gratiam.* Quod canon V. VI. VII. VIII *de Sacr - in Genere* sess VII ejusdem Concilii anathemate feritur. Utrumque vero abunde salvari in casu praemissae perfectae contritionis manifestum est ex eo, quod *ad actum vere judicialem*, et *collativum gratiae* non requiratur necessario, ut primo remittatur peccatum, verum sufficiat *ministerialis*, et *judicialis confirmatio prioris remissionis* cum novo *augmento* gratiae Sanctificantis. Sic Tridentinum sess 14 can VII anathemate ferit eos, qui docent *non licere confiteri peccata venialia*: et *praxis fidelium* tradit, laudabiliter *clavibus* subjici *peccata mortalia prius jam iisdem debite subjecta.* Quo posteriori casu prior duntaxat *absolutio judicialiter confirmatur*, et in utroque *praexistens gratia Sanctificans* (quam peccata Venialia non evertunt, sed debilitant tantum) *augetur*, et *roboratur.* Sic et in humanis *vere absolvitur* quis ab eodem scelere *in duobus foris*, quibus reus subjectus est. Quin et Rex potest idem delictum remittere auctoritative, et tamen relegare ad Judicem inferiorem, ut is ab eodem absolvat *ministerialiter*, et executive. Atque ita reipsa in terminis docet Alensis relatus cap IV not 2 ad n XXX. In eandem rem margaritam invenimus in exemplo *Mulieris peccatricis*: de qua Salvator ad murmur Pharisaei ita pronunciat Lucae 7: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Graecus textus (cui consentiunt Sirus, et Arabicus) legit: *Remissa sunt ei peccato multa.* Utraque lectio vera est. Graeca innuit, poenitenti illi *dimissa esse* peccata *mox, ut ad pedes Domini illa perfecta charitate exarsit.* Unde S Bernardus serm 4 in Dedic Eccle ait: *Pharisaeus errabat, qui tanquam adhuc peccatricem horrebat. Quis crimina jam deleta recenseat? Nunquid possibile est regnare peccatum in animo contrito? aut non multa charitas operit multitudinem peccatorum?* Lectio vero Vulgatae docet, Salvatorem verbo praesenti REMITTUNTUR *non nude declarasse*, verum Divina sua auctoritate *confirmasse remissionem peccatorum* eidem poenitenti *jam antea factam*, cum novo *augmento gratiae* Sanctificantis. Quam putamus spiritus *exultationem* habuisse Magdalenam (antea, etiam ad pedes Domini de remissione peccatorum incertam) ad Divinas has voces: *Remittuntur ei peccata multa:* ejusdem, aut similis desiderio ad Sacramentum poenitentiae perfectam adferre contritionem satagamus. Nam teste Catechismo Tridentini de poe § 10: *Non aliter accipienda est vox Sacerdotis peccata nobis legitime condonantis*, aut in casu *perfectae charitatis cum augmento gratiae ministerialiter confirmantis, quam Christi Domini cum dixit: remittuntur ei peccata multa.*

II modus.

Cum charitate perfecta fiat actus judicialis conferens gratiam.

Charitate remittuntur peccata auctoritative: absolutione ministerialiter.

Exemplo Christo bis Magdalenae remittentis peccata.

LXII. Tertius modus conciliandi perfectam charitatem cum vi clavium sic proponitur: Contritio ut *initialis necessaria*, ita PERFECTA est *materia* Sacramenti poen UTILISSIMA. Sed materia Sacramenti poen non praejudicat Sacramento poen, nec vi clavium. go contritio perfecta neutri est inimica. Minor satis patet. Major colligitur I: ex or S Chrisostomi cap I n XIV laudata. II: Auctoritate veterum *Contritionistarum* ibi not ad n XVII recen-

III modus.

Contritio perfecta justificat ut materia Sacrmti.

recenſitorum. Id ipſum urgent III: dicta cap IV a n III: potiſſimum XVII. XXX. colligitur IV ex dictis cap VIII n IV in Gregorio Prothoſincello. n IX X ibi. Hoc cap n LV. colligitur V: ex Catech Rom de poen: qui n 2 poenitentiae virtutem definit: *cum unus Dei cauſſa in maerore ſumus.* n 8 ad eam *charitatem* requirit, et *timorem filialem.* n vero 10 hanc virtutem poenitentiae ad Sacrmti dignitatem evectam docet, ut nobis *de remiſſionem peccatorum minus dubitare liceret.* Quae omnia ad oculum demonſtrant, contritionem *charitatae animatam* elevatam eſſe ad rationem materiae hujus Sacrmti. go tam *initialem*, quam *perfectam*: quia *hanc* nullibi excludit, imo commendat n 27: ut meditanti evidens eſt. Ita tamen commendat perfectam charitatem, ut initiali ad Sacmti *vim*, et *effectum* contentus ſit n 10 36 37. go ſalvis terminis cath Rom. (Quem regulam credendorum, et faciendorum eſſe jam demonſtravimus) negari nequit, contritionem charitate formatam *cum tota ſua latitudine*, hoc eſt: tam initialem, quam perfectam a Chriſto ad rationem Sacrmti eſſe elevatam ea cum conditione, ut ſi initialis ſit, primam: ſi perfecta, ſecundam cauſſaret gratiam cum conſcientiarum noſtrarum pace, et tranquillitate viatoribus poſſibili. Tota haec doctrina eſt SS PP: Nam ut cap I n I et II fundamenti loco praemiſimus, omnis antiquitas SS PP duplicem agnovit contritionem charitate animatam: perfectam, et imperfectam. Atqui iidem PP contritionem *abſolute*, et *ſine reſtrictione ad initialem*, aſſerunt eſſe materiam Sacrmti. go *perfectam* quoque agnoſcunt *ſuo modo* eſſe elevatam ad dignitatem Sacrmti. Secus ſollicite monere debebant, ut acceſſuri ad naufragorum tabulam *caveamus a perfecta contritione, ne non utamur materia debita, et a Salvatore elevata.* Imo ex eadem ratione *fines*, et *terminos contritionis initialis* ſollicite circumſcribere debebant; ne forte *eos* egreſſi, hoc eſt dictu *perfecte contriti* irritum reddamus Sacrm ſine debita materia nulliter ſuſceptum. Id quod ſi cui ſomniare incideret, nae is ſeſe ipſis rudibus, pueris, et mulieribus deridendum propinaret. Neceſſe ergo eſt fateri cunctis, contritionem *perfectam* UTILISSIMAM eſſe MATERIAM Sacrmti poen a Chriſto ad id elevatam. At materia poenit Sacrmti hoc perficit, non evertit. go vane, et infundate metuunt attritioniſtae Sacrmto poen a charitate perfecta.

Sacrmta cauſſant gratiam etiam ratione materiae.

LXIII. Tradita hactenus doctrina mire clareſcit ex Angelico 3 p q 86 a 6 ita eam illuſtrante: *Dicendum, quod poenitentia eſt virtus, ſecundum quod eſt principium quorundam actuum humanorum. Actus autem humani, qui ſunt ex parte peccatoris, materialiter ſe habent in hoc Sacramento. Omne autem Sacramentum producit effectum ſuum non ſolum virtute formae, ſed etium virtute materiae. Ex utroque enim eſt unum Sacramentum. Unde ſicut remiſſio culpae fit in baptiſmo non ſolum virtute formae, ſed etiam virtute materiae, aquae ſcilicet; principalius tamen virtute formae, ex qua et ipſa aqua virtutem recipit: ita etiam remiſſio culpae eſt effectus poenitentiae, principalius quidam ex virtute clavium, quas habent miniſtri: ex quorum parte accipitur id, quod eſt formale in hoc Sacramento. Secundario autem ex vi actuum poenitentis pertinentium ad claves Eccleſiae. Et ſic patet, quod* REMISSIO CULPAE EST EFFECTUS POENITENTIAE SECUNDUM QUOD EST VIRTUS. Et ibid a 2: *offenſa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis eſt averſa a Deo per converſionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remiſſionem Divinae offenſae, quod voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis praedictae, et*

pro

propoſito emendae. Quod pertinet ad rationem poenitentiae ſecundum quod eſt virtus: et ideo IMPOSSIBILE EST, *quod* PECCATUM REMITTATUR SINE POENITENTIA SECUNDUM QUOD EST VIRTUS. *Sacramentum autem poenitentiae perficitur per officium Sacerdotis ligantis, et ſolventis.* Ex quibus diſcimus 1: virtutem poenitentiae in tota ſua latitudine (go et perfectam, quae ſola in veteri teſmto juſtificabat, et quam Angelicus non excipit) eſſe materiam Sacrmti poen. 2: Sacramentum producere ſuum effectum *non ſolum virtute formae*, ſed etiam virtute *materiae*. 3: dum ponitur *materia*, (virtus poenitentiae) illa *ordinatur*, refertur per intentionem poenitentis *ad claves* Eccleſiae, et *ad formam abſolutionis. A qua forma* 4: *materia* ipſa *dignificatur*, et *vim ſuam ſortitur*. Ex quibus liquet, contritionem perfectam abſolutioni praeviam juſtificare ut *materiam Sacramenti per relationem ad claves* vi voti Sacrmti a forma dignificatam. Unde ſequitur, Sacramentum poenitentiae conſiderari poſſe ut *totum morale* tempore *diviſibile*. In quo praecedens contritio perfecta *ut materia ad claves relata* delet peccatum. *Accedens forma* auget gratiam. *Subſequens* ſubinde *ſatisfactio* ex parte ſaltem *delet poenam temporalem*. Idque omnia *intentionaliter* ut *relata ad formam*, et *ad claves Eccleſiae*. Si enim (ut communis ſenſus tenet) ſatisfactio *ſubſequens* delet paenam temporalem *ut pars integralis* Sacramenti poenitentiae; quid prohibet dicere, contritionem *praeviam*, ſed *ad claves relatam materiam* vi ejusdem *Sacramenti* culpam delere? quo ſuppoſito clarum rurſum eſt, contritionem perfectam nihil derogare clavium poteſtati: cum illa hujus virtute, et *ut ad hanc relata* MATERIA *Sacramenti* effectum ſuum praeſtet. In praxi tamen *contritio aliquomodo, moraliter ſaltem*, ſi non phyſico tempore *conjungi debet abſolutioni*. Quia id tutius eſt. Priora ad nudam ſpeculationem pertinent, quomodo contritio perfecta non obſit poteſtati clavium? De qua in praxi dubitare nemini in mentem venit. Fruſtra igitur attritioniſtae nos *moleſtant ſpeculative*, timentes *clavium poteſtati* a perfecta *contritione*. qui eorum clamores merito contemnendi ſunt. Tantum enim abeſt, ut contritio perfecta quidquam deroget abſolutioni Sacramentali, ut potius haec mutuo ſe ſe perficiant. Nam ut ex S Gregorio M h n LVIII didicimus, contritio perfecta perfectiorem reddit abſolutionem augendo gratiam Sanctificantem, et delendo omnem poenam temporalem. Ex adverſo abſolutio contritionem *initialem* perficit, ſive elevat ad remiſſionem peccatorum. Et hoc ut *fidei doctrinam* omnibus credendam proponit Cath. Rom n 37, et probat ex Concilio Florentino, quod de contritione *ſpecifica* loqui, nec adverſarii negant. Non igitur ex hoc capite rejicimus *neceſſitatem perfectae* contritionis, quod haec vim clavium evertat (falſiſſimum enim id eſſe jam palpavimus) ſed quod miſericors Deus infirmitati noſtrae condeſcendens cum initialis charitatis contritione perfectum eſſe voluerit poenitentiae Sacrm ad remiſſionem peccatorum, in V t non niſi perfecta contritione obtentam. ibi n 36 37.

Sacrm poen eſt diviſibile.

In praxi tamen conjungi debet materia formae

LXIV. Haec quamquam indubia ſint, nihilominus quia Joan Vinc. Patuzzi Ordinis Praed amaenus Theologus Ethicae Chriſt. tom. XV de poen Sacramto Diſſ 2 cap IV *Claves Eccleſiae*, ac *vim Sacramenti* poen cum *contritione perfecta* praemiſſo fere modo, at uſque adeo clare, eruditeque conciliat, ut os attritioniſtarum a perfecta contritione efficaciae Sacramenti metuentium penitus obſtruere videatur, ideo ſententiam ejus iſtic breviter exhibemus.

IV modus ex Patuzzio.

Contrio perfecta juſtificat ex MISERICORDIA.

Propoſitio 1 : *Contritio etiam charitate perfectiſſima nequaquam ex natura ſua, ſed ex pura Dei miſericordia remittit peccatum mortale, et reddit gratiam ſanctificantem, ac filiationem Dei.* Colligitur 1 ex pſ 50: *Cor contritum,*

et

et humiliatum Deus non despicies. Jonae 3: *Vidit Deus opera eorum* (Ninivitarum) *et misertus est.* Utroque loco clare indicatur, solius *misericordiae Divinae* opus esse peccatorem contritum in gratiam recipere. Eamque 2: Misericordiam scriptura, et Patres exaltant, quod peccatorum lacrimas, preces, ac conversionem sinceram non reputat, sed benigne, clementerque admittat. Adhaec Deus passim pollicetur veniam peccatoribus toto corde eam poscentibus. At neutrum necessarium erat, si charitas, et contritio perfecta natura sua cum gratia sanctificante conjungeretur. 3: Clare ait S Ambrosius in cap 2 Lucae: *Lacrimae veniam non postulant, sed merentur.* 4: Sic in humanis rebellis subditus quemcunque amorem, aut dolorem exhibeat Regi de offensa, aut rebellione, nunquam tamen *jus habet* ad Principis amicitiam, nec Princeps amittit jus eum pro merito puniendi: et si quacunque sub conditione offensam ei remittat, *puram misericordiam* praestat. Pari passu id procedit de Deo *antecedenter* ad promissionem suam veniae contritis dandae: Utpote qui poterat mortalibus jus dicere (imo illud dixit reipsa Angelis) ut quicumque gratiam suam sanctificantem ex pura liberalitate donatam sua malitia perderent, non possent amplius quacunque posita dilectione, aut contritione recuperare. Quis Deum in hoc injustum, crudelemque? quo jure? qua ex natura diceret? Fateamur igitur, ex *sola misericordia* Dei proficisci, quod dilectioni nostrae dilectionem rependat: quod contritionem nostram non abjiciat, non aspernetur, sed bonitatem suam clementer exorari, placarique patiatur. In hoc sane positae sunt post Redemptionem, *miserationes ejus super omnia opera ejus.* ps 144. conf c 1 n XVIII.

LXV. *Propositio* 2: *Contritio perfecta reconciliationem peccatoris operatur virtute, et efficacia ipsius Sacrmti in voto habiti, et moraliter in acceptatione Dei cum contritione praevia conjuncti.* Explicatur: Reconciliatio perfecte contriti est adscribenda *virtuti Sacrmti*; quae virtus Sacramti ex Divina misericordia, et acceptatione *in voto aeque operatur, et merita Xti applicat* contrito, ac si Sacrmtm ipsum *physice* susciperet. Proinde *votum* contritioni inclusum non operatur justificationem *ut est contritio, aut ut est actio poenitentis*; sed *ex Decreto Dei vi*, et efficacia *Sacramentalis actionis* non quidem *formaliter*, sed coram Deo *moraliter* praesentis. Sive actio Sacramentalis in voto hominis contriti praeexistens tantum valet in acceptatione Dei, et aeque applicat Christi merita ad remissionem peccatorum, ac si actu, et formaliter Sacramentum administraretur. Sic *Passio* Christi aeque profuit justis V t, ac si Christus *eandem* effective jam tum subiisset, Deo Patre eam pro illis jam tum acceptante. Sic Sacrmta ficte suscepta, remoto impedimento, jam physice praeterita tantum valent, et efficiunt *ex decreto Dei*, quantum si tunc primo reipsa susciperentur ob acceptationem Divinam *moraliter* ad effectum suum producendum adhuc perseverantia. Sic et in humanis *pretium habitum pro soluto* eandem vim habet in contractibus, et rei dominium aeque transfert in alium, ac si defacto solutum foret. Hoc modo exposita doctrina vix contradictorem habere potest. Nam 1: Christus ideo Sacramenta instituit, ut per illa tanquam *instrumenta*, et *media* nobis redemptionis suae merita applicarentur, et velut per *canales* Sangvis Jesu Christi in baptismo, et poenitentia in animam nostram defluret, nosque a peccatis abluret. Cateh Rom de poen n 10. Ut adeo vere Catholica sit haec propositio: *impius adultus non nisi per Sacramentum in re, vel in voto susceptum iustificari potest.* Trid sess 6 cap 2 et 4. go et qui ante susceptum in re Sacrm reconciliantur Deo, hoc beneficium ex meritis Christi consequuntur: go et tunc Sacramentum applicat merita Christi. consequenter

Sacrm in voto id praestat, quod in re.

quenter tunc quoque juſtificatio fit per Sacramtm: Igitur *votum* quoque Sacramenti habet *vim Sacramenti.* Quid aliud eſt *virtus Sacramenti*, niſi quod *haec actio* non ut phyſice conſiderata, verum ut *moraliter*, et *in acceptatione Dei actio Chriſti* moveat Deum ad tribuendam huic impio rite diſpoſito juſtitiam ex meritis Chriſti? At *eadem actio* ſive phyſice exhibeatur, ſive ob impotentiam hic et nunc a perfecte contrito deſideretur, *exhibenda mox ut licuerit*, movet Deum ad dandam illi juſtificationem ex meritis Chriſti. go *actio illa* etiam in voto expetita cenſetur a Patre aeterno actio Chriſti; go vi ejus voti confertur juſtitia perfecte contrito. 2: Ex Ioan 3 *niſi quis renatus fuerit ex aqua, et ſpiritu Sancto* probat Tridnum ſeſſ 6 c 4 *juſtificationem impii ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poſſe.* Habet igitur *aqua in voto quoque* contritioni perfectae juncta *vim regenerationis*: alias niſi Deus talem *ob deſiderium aquae* regeneraret, jam verum foret, hunc renatum, et ſalvatum eſſe non *ex aquâ*, ſed ioJum *ex ſpiritu Sancto*, ſive ex contritione a gratia ſpiritus Sancti inſpirata, et *ex opere proprio elicientis contritionem*, et *deſiderantis aquam*, ſed *hanc* nec *phiſice*, *nec moraliter* aſſequentis. Similiter Tridnum ſeſſ 14 c 4 docet *reconciliationem contritioni etiam perfectae ſine Sacrmti voto* non *eſſe adſcribendam.* go etiam tunc *Sacrmti votum* reconciliat. go votum id praeſtat, quod *Sacrmtm.* ſed *hoc* reconciliat *ex vi propria.* go et votum ejus. 3: Atque haec eſt doctrina Angelici aſſerentis, *votum* Sacrmti *moraliter* id praeſtare, ac *ſi phiſice* exhiberetur: in ſupl q 1 a 1: *ſi clavis, adeoque ipſum poenitentiae Sacramentum nullo modo ad culpae remiſſionem ordinaretur, non exigeretur votum ſuſcipiendi effectum clavium ad culpae remiſſionem: ſicut non exigitur votum ſuſcipiendi alia Sacrmta, quae non ordinantur ad culpae dimiſſionem.* Et quodlib 4 q 7 in O: *Sacrmta dupliciter operantur: uno modo ſecundum quod habentur in voto. Quia Sacrmta operantur ut inſtrumenta Divinae miſericordiae juſtificantis: Dei autem eſt reſpicere ad cor hominis, et ideo quamvis res naturales non agant niſi praeſentialiter exhibitae, Sacrmta tamen agunt ſecundum quod ſunt in voto. Cum enim aliquis abſolvitur, conſequitur plenarie Sacrmti effectum: ſed ſi antequam abſolvatur, habet hoc Sacrmtm in voto, qvando ſcilicet proponit ſe ſubjecere clavibus Eccleſiae, jam virtus clavium operat in illo, et conſequitur remiſſionem culpae*: idque *ex vi Sacramenti:* quia ut ait Angelicus, *virtus clavium operatur in illo*, non propria contritio ſola. 4: Suffragatur Auguſtinus l 4 de Baptiſm contra Donatiſtas: SACRAMENTUM VISIBILE INVISIBILITER IMPLETUR, *cum miniſterium baptiſmi* (adde et poenitentiae) *non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit.* idem repetit Innocentius III ex eod Auguſtino cap *Apoſtolicam* de Preſbytero non baptizato. Innegabile igitur eſt, *Sacrmtm* in voto *eundem effectum* producere, quem phiſice *collatum*: quia et Angelicus, et Auguſtinus, et Innocentius effectum hunc *Sacramento* attribuunt: at Sacrmto proprium eſt *vi ſua gratiam cauſſare, eſſe opus Chriſti et in voto, et in opere.* ergo.

LXVI. Pro ſolvendis, quae objici poſſent, nota 1: Cauſſare quidem gratiam nequit id, *quod nullo modo eſt;* At Sacrmtm eſt *in voto:* et Deus ita hoc *acceptat* libera ſua voluntate, ac ſi *phiſice* exiſteret. Ut patet ex inſtantiis in explicatione adductis. 2: Hoc *privilegium effectus Sacrmtalis cum voto Sacrmti* a Deo ſoli contritioni, et *charitati perfectae* attributum eſſe ex traditione novimus. Quare negamus paritatem ab hac *ad initialem* charitatem: longe magis ad attritionem formidoloſam. Liberum erat Deo miſericordiam ſuam in peccatores certis tantum conditionibus alligare. Ut patet ex ppone I.

Hoc privilegium eſt ſolius charitatis perfectae.

atque ita reipsa alligasse, probant omnia pro *necessitate initialis charitatis in Sacrmto*: et pro *perfecta charitate ad justificationem extra Sacramentalem* hactenus adducta. Confer h n XXXIII. XXIV. et a n XXXIV. 3: Contritio, et charitas perfecta ejusdem virtutis est *hodie*, ac *in veteri* testmto: diversis tamen sub conditionibus: et tunc justificabat non *ex se*, ut vidimus ppone 1; sed ex *fide in venturum Messiam, et ex meritis ejus.* Ut docet Angelicus 2 2 q a 7. Neque tunc erant institutа Sacrmta talia, quibus *ut actionibus Xti* alligata fuissent merita Christi: ut nunc sunt talia nostra Sacrmta. Quare hodie justificationem Deus his *vel in re, vel in voto* susceptis alligans duplicavit in eo misericordiam suam, quod respectu perfecte contritorum *Eundem effectum* attribuerit *voto*, quem caussat ipsum Sacrmtm in re susceptum. 4: Hoc opus justificationis etsi non fiat vi contritionis solius, sed et vi voti Sacrmti: non appellamus tamen *opus operatum.* Hoc enim termino dogmatico exprimunt Theologi effectum Sacrmti *ministerialiter* exhibiti, et *in re* suscepti. At a terminis usu consecratis recedendum non est.

Absolutio confirmat, et auget justificationem praevia contr. perf. adeptam.

LXVII. *Propositio 3: Subsequens absolutio Sacerdotis EANDEM effici, confirmat, et auget reconciliationem, quae VI voti plene contriti jam facta fuerat.* Sic passio Christi in cruce reipsa exhibita eandem caussavit redemptionem effective, quae a Patre jam antea propter fidem justorum v t *moraliter praesens* reputata, acceptataque fuerat, et ex qua illi remissionem, et justificationem acceperant. In hac sententia pulcherime explicatur, quod ait Tridnum, et docet Ecclesia: *absolutionem* nempe *Sacerdotis peccata remittere, a peccatis liberare.* Nam per absolutionem opere ipso exhibetur id, cujus intuitu ut olim reipsa exhibendi (si occasio detur) facta fuit invisibiliter a Deo Impii justificatio, et liberatio a peccatis: eodem plane modo, quo liberari a carcere, vel servitute dicitur quis et tunc, dum praesens pecunia effective persolvitur pro eo, quem ad stipulationem futurae certae persolutionis Judex, vel Barbarus jam prius liberum dimiserat. Sic et vere dicitur emi bonum, pro quo conventum pretium effective persolvitur, ut ut jam ante cum onere solutionis *ex conventione pura* in dominium ejus admissus fueris, reipsaque illud possederis. docet id Angelicus IV Dist 3 q 3 a 5: *liberat baptismus a morte peccati non solum secundum quod actu recipitur; sed etiam secundum quod in voto habetur. et similiter dicendum de confessione adjuncta absolutione: quae secundum quod in voto poenitentis praecessit, a culpa liberavit: postmodum autem in actu confessionis, et absolutionis gratia augetur.*

go etiam in tali casu Sacrm in re est necessarium.

LXVIII. Ex his porro colligimus 1: *Sacrmta baptismi, et poenitentiae etiam in casu perfecta contritione praevia factae justificationis* NECESSARIA *dicenda esse ad remissionem culpae.* Sic necessaria est persolutio litri, aut pretii, cujus intuitu libertas concessa, aut dominium emptum est. Sic necessario consummanda erat mors Christi, cujus intuitu Sancti in v t justitiam fuerant consecuti. Ratio est, quia praevie contriti gratiam Sanctificantem adepti sunt *ex ipsorum Sacramentorum* virtute, et efficacia, quatenus *haec* vi voti virtualiter in acceptatione Dei praecesserunt, et quatenus *ealem* suo tempore ministerialiter exhibebuntur, reipsaque visibiliter suscipientur. Una enim in *utroque statu* est vis, et efficacia Sacrmtorum. go *utroque actu eadem gratia* confertur, *eadem* peccata remittuntur, sola *actione Sacrmtali distincta.* Quam tamen Deus *in voto* praecedentem ita acceptat, ita merita filii sui *illi* alligat, ac dum *opere ipso* fit confessio, et *absolutio. Hac* vero consumatur, et perficitur reconciliatio prius *vi voti facta*, et quia poena temporalis in parte saltem minuitur, et quia gratia Sanctificans augetur, ac *praecipue*, quia exhibetur, ac completur id, cujus *voto*, virtute, ac pacto reconciliatio praecessit.

LXIX.

LXIX. Colligimus 2: In hac ſententia pulchre intelligi, quo pacto *Sacerdos abſolvendo, aut differendo abſolutionem perfecte contritis vere dici poſſit retinere eorum peccata.* Quia negat, aut differt id, per quod inviſibiliter facta juſtificatio *ex inſtitutione Divina compleri viſibiliter* miniſterialiter neceſſario debet.

LXX. Colligimus 3: Etiam in caſu perfectae contritionis *abſolutionem dici non poſſe miniſterium mere declarandi remiſſa eſſe a Deo peccata.* Vera enim remiſſio eſt illa quoque, quae *ex inſtitutione Divina Complere debet judicialiter* remiſſionem prius *inviſibiliter* ſub hoc onere factam, ut fiat *miniſterialiter confirmatio*, et *conſumatio* ejus. Sicut vera emptio eſt agri traditione pretii, licet illum prius ex contractu puro poſſederis. *Complens judicialiter priorem remiſſionem.*

LXXI. Colligimus 4: *Vane timere* meticuloſos attritioniſtas, *ne forte perfecta contritio confeſſionem, et abſolutionem praecedens tollat, aut minuat vel in minimo virtutem, et efficaciam Sacrmti in re ſuſcipiendi.* Nam et *in voto* contritionis, et *in reipſa* ſuſceptum *idem* Sacramentum operatur *eandam juſtificationem.* Sicut ante paſſionem Chriſti a Patre miſericorditer acceptata merita Redemptoris eandem juſtorum v t redemptionem operata ſunt, quam mors Dei hominis in cruce conſumavit, et perfecit: et ſicut conventio pura, et ſubſequa dein numeratio pecuniae eandem emptionem complet, non evertit. Addo ex hac paritate: ſi emptor facta conventione, et traditione poſtea nollet, et tergiverſaretur numerare pecuniam; venditor haberet jus non ad rem revindicandam (quae jam emptione, et traditione facta eſt emptoris) ſed actionem adverſus emptorem *numerandae pecuniae*, qui non *numerando eandem* faceret venditori injuriam. Ita etiam ſi contritus nollet poſtea confeſſionem reipſa peragere, *novo* peccato ſe ſe obſtringeret non explendo, quum poſſet id, cujus praeſtandi voto, virtute, et efficacia juſtificatus eſt: *priora* tamen peccata vi contritionis perfectae deleta non redirent: quia *dona Dei ſunt ſine poenitentia.* Haec in ſubſtantia ex celeberrimo Theologo Patuzzio. Cujus pleraeque ſententiae, totumque opus mirifice mihi placet. Ex quibus ſequuntur hujus capitis *Sacrm et in re, et in voto eandem juſtificationem operatur.*

Peccata contritione deleta omiſſo Sacrmto non redeunt; ſed NOVUM *committitur.*

LXXII. COROLARIA. I. Ex iis, quae de natura et conditionibus *perfectae* Contritionis congeſſimus hic a n XV, ſatis claret, contritionem imperfectam initiali charitate animatam eam eſſe, quae ſub eodem objecto materiali, et formali cum perfecta, ſola *intenſione* actuali caret, affective tamen eſt etiam *ſuper omnia.* De qua jam nos copioſe, potiſſimum cap V n XXXVIII, et ſeqq. *Notio contritionis initialis.*

II. Hanc, initialem inquam, contritionem per ſe non juſtificare; atque adeo non omnem Dei propter ſe charitatem intenſione actuali deſtitutam juſtitiam operari ſine Sacrmto, enincunt dicta h a n XXXVI, et prioribus capitibus copioſe. *Quae perſe non juſtificat.*

III Eam tamen contritionem imperfectam in Sacrmto practice, et moraliter certo ſufficere uſque adeo non dubito, ut hanc veritatem fidei proximam exiſtimem ex Cat Rom n 36 37. id quod omnibus hactenus capitibus dicta ineluctabiliter urgent. *Sed cum Sacrmto ſufficit.*

IV. Pari certitudine affirmo ex dictis h a n LV contritionem quamcunque perfectiſſimam Sacrmto, et clavium vi non officere, proinde ad eam poenitentes modis omnibus excitandos eſſe non ut neceſſariam, ſed utiliſſimam Sacrmti materiam. *Perfecta non obſicit Sacrmto, go omnibus Commendanda.*

Sensus absolutionis.

V. Ex modis conciliatae perfectae contritionis cum vi clavium sequitur, sensum absolutionis Sacramentalis hunc esse: Absolvo te *in quantum indiges*: Si indiges propter contritionem tuam initialem absolutione primo remissiva peccatorum, remitto tibi Dei nomine primo peccata tua. Si vero per contritionem *perfectam* jam *remissionem* peccatorum tuorum a Deo impetrasti, *eandem* judicialiter confirmo cum augmento praeadeptae gratiae Sanctificantis.

Sacrm poen. Non est essentialiter motuorum in re.

Ex iisdem sequitur demum VI: *Sacrm poen in re* non esse necessario, et essentialiter *mortuorum*: Sed ordinarie, dum suscipitur sine praevia perfecta contritione. Aut si vis, dicam esse absolute *mortuorum* in ratione *materiae* suae contritionis perfectae sensu h n LXII expositio. Id quod coincidit cum illo loquendi modo, quo passim dicitur Sacrm poen mortaliter post baptismum Lapsis esse necessarium absolute *in voto:* Quod idem est in contritione perfecta, semper justificante. Ut contra Estium demonstratum dedimus hic n LVII.

CAPUT DECIMUM.

Charitatis Sacramentalis necessitas novis rationibus Theologicis demonstratur. Idaea verae justificationis. quam quia ex antiqua nequitia, aut ex pravo habitu relapsi convincuntur non habere, differendi sunt usque ad emendationem quoad absolutionem, et comunionem. excusationibus Benignistarum luculenter refutatis.

I. Capite VI n III, et XLII cum horrore contemplati sumus, sistema servile *futili rationi* inaedificatum esse. Posteaquam itaque nos *Sacramentalem charitatem* in praemissis invictis auctoritatibus ex omni antiquitate *ante, sub*, et *post* Tridentina petitis illustravimus, juvat *eam* argumentis quoque Theologicis demonstrare; ut appareat, piam hanc sententiam ex hac etiam parte servili opinioni *extrinseca nuper probabilitate terribili* immensum praestare. Qua in re ita versabimur, ut quae jam edisseruimus, novis rationibus constabiliamus, tum iniquitatis vitiosum circulum currentibus viam justitiae, ac salutis ostendamus. Adesto o Deus! pro tua charitate cordibus nostris implantanda laboranti! sit proinde *Primum* argumentum a *necessitate* maximi mandati. in quo sic procedimus:

Rationes Theologicae pro Sacrmtli charitate.

Quanto pietatis incremento inventa, propagataque sit servilis attritio, inde patet ad Lacrimas, quod ab illius Patronis magnum *charitatis praeceptum* eversum indubie fuisset, nisi Deus, qui *charitate coli* potissimum vult, Ecclesiae suae in hoc quoque specialius adstitisset. Deum immortalem! Angelico Doctore teste 1 2 q 100 a 1 illa duo charitatis Dei, et proximi mandata a Mojse Judaeis inculcata, a Salvatore specialius confirmata, *sunt prima, et comunia praecepta Legis naturae, quae sunt perse nota rationi humanae* digito Dei Creatoris mortalium pectoribus adeo clare inscripta, ut illa teste Lactantio Lib *de vero cultu* nec ipsi Ethnici, qui caetera *evanuerunt* in *cogitationibus suis*, evelli, abrogarique posse censuerint. Quae obsecro? unquam fuit gens tam inculta, tam barbara, tamque irreligiosa, ut Deos suos esse crederet, adoraret, sed *amandos* aut *nunquam*, aut *raro* admodum putaret? Qui igitur accidere potuit, ut post inventam attritionis servilis opinionem quidam Ethices Christianae Magistri parturirent, quin orbi Christiano parerent monstra doctrinae in ipsis etiam silvestribus semihominibus execranda? palam docentes

Praeceptum charitatis est juris naturae.

centes, *Filios gratiae*, ſpiritu Evangelii viventes *raro* admodum, nec *intra quinquennium, ſemel in vita*, aut *ne tunc* quidem *ex vi praecepti hujus virtutis Deum* ſuum *diligere* obſtrictos eſſe. *Corruptos* mortalium *mores* digniſſime lugemus: ſed hos *corruptis doctrinis* ab iis cauſſatos eſſe, qvorum ſuiſſet *Corruptioni* hominum *remedium adhibere*, nunquam pro dignitate poterit deplorari. De quibus illud Abbatis pſ licet uſurpare: *utinam vero periſſent omnes libri illi: charitas autem inventa eſſet!* eam nos toto ſtudio, atque induſtria quaerimus, et inculcamus. Maximi hujus mandati *naturalem*, et *Divinam* utriusque Teſtamenti tabulis expreſſam eſſe legem diſtinctam, et manifeſtam, conſtat evidenter. Peſtilentes, quas commemoravimus, doctrinas Apoſtolico fulmine juſtiſſime protritas eſſe, nemo negaverit. (*a*) Ex quibus ipſi etiam attritioni ſervili devoti agnoſcunt communiſſime, nullo hodie quod ſciam repugnante, dulciſſimam hanc Dei propter ſe *amandi* legem *ſingulis ſaltem annis obligare* unumquemque hominem, tanto fortius Chriſtianum, fortiſſime vero Catholicum. Haec extra controverſiam eſſe conſtat.

II. Ajo autem, nullum aſſignari poſſe tempus, quo ſvaviſſimum hoc praeceptum magis urgeat, quam dum peccator Divinam reparare amicitiam per Sacramentum poenitentiae cogitat. Aſſertionem hanc omni argumentorum genere demonſtrandam mihi ſtatuo. Atque ut primum argumentum *ad hominem* ut ajunt, ſive ex hodiernorum Catholicorum moribus ducam: Hi ex una parte norunt ex doctrina attritioniſtarum, quam hic argumenti cauſſa veram ſupponamus, norunt, inquam, ſibi *ſingulis annis* ſemel et *Sacramentum poenitentiae peragendum*, et *actum charitatis* ſuo tempore, eodem anno, ut ipſi ajunt, *eliciendum* eſſe. Ex altera parte onera ſibi praeceptorum multiplicari non ferunt, non patiuntur. Quin et duo haec praecepta gravia admodum reputant. Ad haec ex dictis patet, actum charitatis cum Sacramento poenitentiae certiſſime conſociari poſſe: quin et *initialem* charitatem in eodem Sacramento non raro *perfectam* evadere. Quid ni ergo *pia hac aeconomia* in favorem ſuum neceſſario utantur *duo haec* praecepta *conjungendo*, SIMULQUE utroque onere ſe ſe expediendo? Cum potiſſimum ſi illa diſjungere velint, longe difficilius ipſis accidet ALIAS *contritio*, quam ex doctrina Catechiſmi Tridentini *confeſſio, et abſolutio perficit*. Quia igitur populus hodiernus *minui ſibi onera deſiderat*, duorum horum praeceptorum *conjunctionem* omnes circumſtantiae quam maxime urgent. Ex quo illud maximum ſane conſequeremur emolumentum, quod populus Chriſtianus ſi reliquo tempore in ſordibus peccatorum ſuorum ſuo vitio haerere voluerit, ſaltem *annuam confeſſionem*, et tunc *actum charitatis digne*, ac *cum fructu obiturus eſſet*. Cum ex adverſo ſi haec ſeparentur, ut reipſa attritioniſtae ajunt, non in Sacrmto, ſed *dem ſuo tempore* actum charitatis eliciendum eſſe: ſi igitur, ut dicebam, haec ſeparentur, et Sacramentum *cum* ſervili *attritione nullitatis exponi periculo* hactenus dicta omnia urgent; et verendum non e vano eſt, ne poſtea *actus* quoque *charitatis* aut plane

Praeceptum charitatis paſſim negligetur, niſi cum Sacrmto poenit adimpleatur.

De poen ñ 36. 37.

(*a*) En propoſitiones illas: Alexander VII inter 45 Ordine 1: *Homo nullo unquam vitae ſuae tempore tenetur elicere actum Fidei, ſpei, et charitatis ex vi praeceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Innocentius XI inter 60 5: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret? condemnare non audemus.* 6: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquennis perſe obligare praeceptum charitatis erga Deum.* 7: *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, et non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.*

emaneat, aut elici tentatus sit admodum evanidus.

III. Enimvero norunt animarum curae praepositi, triplicem esse hodie Catholicorum classem. *Primam Piorum*, qui Sacramentum hoc singulis quasi mensibus frequentant. *Alteram* eorum, qui ad salutiferum hunc fontem aliquoties per annum accedunt. Hi praecepto magno utcunque satisfacient, si tamen magna non teneantur actum Divini amoris rite eliciendi ignorantia. In *tertiam* classem venit maxima hodie Christianorum pars, qui nempe bibunt assidue ut aquam iniquitatem: dum interim de confessione velut onere Ethna sibi graviore semel duntaxat in anno cogitant. Si igitur tales ne tunc quidem, dum aegre ad confessionem peragendam se se tandem resolvunt, sincero in Deum amore effervescant, hi profecto nunquam magno charitatis praecepto facient satis. Finita enim cum servili attritione hacce obligatione quasi immenso onere levati eunt in antiquam transacto Paschate silvam: nec se toto deinceps anno sincere in spiritu recolligunt. Totis septimanae diebus carni, et sanguini, lucris, curis saecularibus, gulae, ventri, otio, verbo: omnibus longe aliis, quam pietati dediti. Dominicis, Festisque diebus dum ad Ecclesiam comparent, raro id quidem, veniunt ut adsint, ut videant, et videantur: non ut Deum placent, sed irritent magis: et si quas preculas interdum recitant, id usque adeo oscitanter, negligenter, distracteque agunt, ut Propheta non verius de Judaeis, quam de his lamentatus esse videatur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longe est a me.* Quando ergo hi magno dilectionis mandato facient satis? ad kalendas, quod ajunt, Graecas! nec volunt, nec conantur, nec sciunt. qvando in templis formulas Theologicorum actuum praelegi audiunt, animum non advertunt, *cor, affectumque suum* non applicant: *Sensum*, et *Spiritum vocant* non penetrant: *conatum*, atque *industriam* nullam addunt; ex se vero, ac suo marte neque in quo consistat verus Dei amor? nec quomodo elici recte debeat? norunt. Profecto non ignoravit Tridentinum in Ecclesia Dei multos assidue conari ad perfectam contritionem: nihilominus tamen illam *aliquando* duntaxat asseruit esse charitate *perfectam*: idque ita asseruit, nec piis, nec religiosis, nec doctis exceptis. Quid ego statuemus de maxima parte populi Christiani, qui in nullam trium illorum classem venire possunt? certum statuo, actum apud illos esse de magno *mandato charitatis*, nisi illud occasione annuae Confessionis reipsa expleant quanto maximo possunt affectu.

Tres classes Catholicorum.

Isai 29 v 13. Math 15 v 8.

IV. His praemissis sic assumo argumentum. Atqui quod in annua, hoc necessarium puto in omni Confessione. Nam sola charitas *positive* excludit affectum peccati. cap V n XII. XXVI. sola positive convertit impium ad Deum. Ibi n XXVI. Sola demum charitas initialis est *praeparatoria*, sive proxima dispositio ad habitualem cap II n XII. XIII. Quibus ineluctabiliter refelluntur illa adversariorum commenta, ac subterfugia, quod *ipsum Sacrm poen suppleat in attrito vicem charitatis*: Aut quod *defectus charitatis actualis in illo non sit obex justificationis:* Vel quod *attritus cum Sacrmto tantum reddat Deo, quantum per actualem* ipsam *charitatem.* Quibus omnibus aliis verbis id asserunt, quod probare deberent: nempe *attritionem in Sacrmto ad justificationem sufficere.* Verbo: speciosam committunt *principii petitionem* id respondendo, quod est in quaestione. Audiatur Joannes Daventria illustris Franciscanae Familiae anteTridnus Theologus apud Christianum Lupum Epist ad Norisium cap II per latus Augustanae confessionis praemissas servilistarum *fictiones* confodiens: *Haud impari mendacio nugantur* Lutherani, *tradidisse Catholicos, quod susceptio Sacrmti poen ex opere operato sine bono motu utentis, hoc est sine fide in Christum, consequatur gratiam,*

Quod in annua, hoc necessarium in omni confessione.

Adversariorum subterfugia refelluntur.

tiam. Sic autem tradiderunt, et quidem Catholice, quod Sacrmta dent gratiam his, qui non ponunt obicem. qualem vero *obicem?* luculenter explicat dicens: *Catholici vero certissimi, quod nunquam remittantur peccata, nisi - - PER FIDEM CHARITATE FORMATAM, asserunt, CHARITATEM esse necessariam ad reconciliationem. Nunquam inimicus reconciliatur, nisi prius diligat eum, quem prius odio prosequebatur. Ideo tradunt* Catholici, *non sufficere ad peccati remissionem, si tantum timeat, et peccati remissionem speret; sed quod oporteat eum ex corde dolere, et converti ad Deum, ita ut non tantum timeat, sed et diligat Deum.* go ex mente Ante Tridnorum Doctorum, quorum ore loquitur Daventriensis, carentia FIDEI CHARITATE FORMATAE est OBEX ille, qui impedit, ne Sacrm poen ex opere operato effectum suum praest. Quibus mox citatae serviliarum *fictiones*, et *principii petitiones* manifestissimae falsitatis convincuntur.

Luculentum testimonium pro charitate Sacrmtali.

V. Et juste sane. Finge enim *pro 2 argmto* aliquem ex Deicidis, *qui Christum propriis manibus* flagellarunt, spinis coronarunt, abysso injuriarum immerserunt, in crucemqu tandem egerunt, promulgato Evangelio *conversum*, ideo tantum *doluisse* de infinita sua malitia, quod *infernum promeritus* sit; *non vero* quod in *Redemptorem amantissimum* (quem jam Deum verum esse agnovit) *injustus fuerit.* An putas talem Baptismo idoneum judicandum fuisse? si *non positive de Deicidio doluisset*, amassetque sincere, quem infinite odio habuerat Servatorem? Hoc necessarium exist mabit quisquis guttam habet Christiani sanguinis. con cap II n XI. e cap IV n IV. Et *quomodo* amabo! *in timore inferni*, quo *malum suum* peccator evitare intendit, *continetur odium peccati, quia est contra Deum super omnia dilectum?* Quod teste Angelico 3 p q 85 a 3 *requiritur ad rationem veras poenitentiae*, maxime in nostro hoc casu infandi Deicidii. recole cap II n VI. Atqui tamen pe quodvis grave peccatum *Idem Deus vilipenditur, injuria afficitur, rursus crucifigitur, qui olim in monte Golgotheo in crucem actus est*, cum hac adhuc paritate, quod, ut modo, ita *nec tunc sensit Divinitas injuriam suppositio* quidem *Divino illatam*; at *ab homine tantum, qui Deus erat*, sed *in Divinitate sua pati non poterat, tolleratam.* Igitur hodiedum etiam per Sacramentum quodvis mortale peccatum, nonnisi accedente positivo amore Divino deleri potest. neque enim Autor Sacrmtorum aliud Sacrm instituit pro suis carnificibus: aliud pro hodiernis Peccatoribus.

Illustratur exemplis.

Odium peccati ut offensae Divinae non continetur in timore inferni.

VI. *Tert argm.* Sed quid opus est fingere nobis casus, quando quotidiani sunt? Accedit Confessarium *attritionistam* Cajus, confiteturque, a se Vicinum suum integri a confessione anni intervallo repetitis saepe injuriis, contumeliis, damnisque gravem illi offensionem, tristitiam, ac moerorem causantibus lacessitum esse: Nunc vero ita animo *affectum* esse, ut *eum positive* quidem non *amet*. omnem tamen eum amplius laedendi *animum*, atque *affectum* deposuisse, timoreque gehennae dolere de hactenus factis. Quid ad haec Confessarius? Nunquid non continuo reponet: *Vade primum reconciliari Fratri tuo!* Idque non signis tantum *externae benevolentiae* in eum editis, sed et *interno* animi tui *benevoli affectu* erga eum concepto. Hoc et Pagenses bene instructi respondèrent Recte, et Sancte. Igitur qui odio erga proximum arsit, absolutionis capax non est, nisi non solum odium deponat, sed et *positivi* amoris in eum *affectum* concipiat. Hoc omnes attritionistae admittent. Infero itaque: nullum, qui Divinam amicitiam gravi peccato infregit, absolutionis capacem esse, nisi infinitam illam Majestatem diligere, injuriam in eum perinde exercitam *contrario positivo*, et *actuali amore* depellere, et fractae *amicitiae* jura sinceraé *dilectionis affectu* reparare satagat. Hac paritate utitur

Aliud exemplum.

Math c v 24.

Catech-

Catechiſmus Romanus ad explicandum dolorem de *admiſſo peccato* in poenitente neceſſarium parte II cap 5 de Sacrm poenit n 38 his verbis: *Nam qui amico reconciliari velit, quem injuria affecerit, doleat oportet, quod in eum injurioſus, et contumelioſus fuerit.* Neque id ſine maxima ratione: Quid enim? amabo Te! an ex *inimico* ſine *amore amicus* quis fieri poterit? illud commune vulgi: *Si vis amari, ama*, *Inter duos inimicos* reconciliari mutuo volentes locum plane habebit? *inter peccatorem, et Deum offenſum non* neceſſario *habebit*? Ubi tamen Deus ut abjicere in ſempiternum poterat omnes poſt unicum peccatum, ita proteſtatur, ſe *diligentes* ſe tantum diligere, non *timentes*, non *concupiſcentes*. *Ego diligentes me diligo. Si quis diligit me, - Ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus. Fili praebe mihi cor tuum* per benevolentiae ſaltem *affectum*. Quamdiu *cor* noſtrum *pavet*, et *concupiſcit*, *ſe amat*, ſibi cavet, *non Deo placere ſtudet*. Ut *ametur* a Deo, non *timeat* ſolum, *non ſe*, ſuamque unice *beatitudinem quaerat*, ſed et *amet amandus*. Conf cap III n XXI. XXII.

prov 8 v 17. Joan 14 v 21. Prov 23 v 26.

Tertium exemplum. Vitiis admiſſi contrariarum virtutum amor neceſſarius.

VII. *Quart argm.* Alium caſum aſſumamus expendendum. Confitetur *Titius*, ſe hucdum injuſtitiae, ebrietati, intemperantiae, impudicitiae, aliiſque expreſſis a ſe vitiis collotenus immerſum fuiſſe. En ſinceram confeſſionem. At nunc omnem *affectum* ad haec, aliqua crimina ſincere depoſuiſſe: Ex animo dolere de omnibus *metu inferni*, quo omnino ſerio correptus eſt. En *dolorem verum ſine* omni ad *peccata affectu*. Fatetur tamen ingenue, ſe *contrarias vitiis ſuis virtutes nondum amare poſitive*, utpote *tanto oneri adhucdum imparem*. In *futurum* tamen et ſperare, et *proponere* cum gratia Dei, ſe et illas omnes, quin et Deum ipſum ut par eſt *amaturum*. Dic amabo te mi attritioniſta! abſolveſne hunc? ſi negas, habeo ego intentum meum, tu vero ſubruis omnia principia ſervilis tuae attritionis. Nam *Titius* noſter habet omnia, quae attritioniſtae ad ſacramentum requiritis: nempe praeter carentiam *affectus ad peccatum*, *dolorem* verum *metu inferni*, atque ut Tyrnavienſis de poenitentia n 119 aſſerit, ſufficere *converſionem actualem exiſtentem in PRAEPARATIONE ANIMI TANTUM, ſeu PROPOSITUM ſervandi omnia praecepta Dei, adeoque et actus perfectae charitatis SUO TEMPORE eliciendi*. Quae omnia exprimit *Titius* clare his: *In futurum proponit et virtutes omnes, et Deum ipſum ſe, ut par eſt, amaturum*. Quod virtutes *actu* non amet, ſed *in preparatione animi tantum*: quod eas amare *jugum ſibi ducat*, a vobis didicit, qui actualem praeſentem *amorem* non exigitis, ſed *carentiam tantum affectus peccati*. Quin *hunc*, Dei inquam amorem etiam initialem cum *confeſſione onus* grande nimis reputatis. Niſi ergo hunc abſolvas, corruet totum ſyſtema, ac moles attritionis ſervilis. Quod ſi vero abſolvendum affirmes, apello ad comunem ſenſum non chriſtianorum tantum, ſed et ſanioris moralis Ethnicorum Philoſophorum! an hic Titius, qui *virtutes* actu *non amat poſitive*, qui eas *amare jugum ſibi ducit*, ſit reipſa non dico *verus poenitens*, ſed et *vir bonus*, honeſtuſque? non dubito omnes probe moratas gentes id negaturas; cum virtutum praemiſſis vitiis contrariarum amor ex primis principiis luminis naturalis profluat. Ego vero *ita* ſtatuo: *amorem Dei*, et *amorem virtutum* eſſe *correlativa*, *mutuoque connexa*, atque ad Sacramentum poenitentiae *aeque neceſſaria*: qui enim amat juſtitiam, temperantiam, caſtimoniam, caeteraſque virtutes, *amat earum fontem Deum* ipſum: Quin ſeſſ 6 c 6. *ajo*: ideo Tridentinum requiſiviſſe initialem dilectionem *Dei juſtitiae fontis*, ut *dilectio Dei* amorem *virtutum*: et amor virtutum earum fontis amorem in nobis accenderent actualem. Rediſis ad cap II n II. Habet etiam rectum *miſer* Titius, quod vadum attritio-

nis

nis servilis natans *non dum amet virtutes positive*, quia ut cap V n IX vidimus, timor gehennae *affectum* ad peccatum *negative* tantum excludit, ideo *affectum* ad contrarias virtutes accendere (ut contrariorum ratio ferret) *positive* nequit. Nisi igitur Titio *amorem Dei* initialem *affective super omnia*, qui *eodem gradu virtutum amorem* in illo excitabit, inspires, e caeno vitiorum suorum non extrahes.

VIII. Dices: ex dictis sequitur, nullam esse poenitentiam, nisi poenitens amet *singillatim omnes virtutes, contra quas peccavit.* Ita etiam a pari nisi *singillatim* detestetur *singula* sua peccata, et proponat servare omnia *distinctim* mandata. At certe haec onera sunt importabilia, et in praxi impracticabilia. Resp. Exactum conscientiae examen juxta illud: *recogitabo tibi omnes annos vitae meae in amaritudine animae meae* exigit dolorosam *recogitationem omnium SINGILLATIM peccatorum*, atque ideo *virtutum*, et *praeceptorum*, quae poenitens transgressus est. Rursum *propositum*, et INCHOATIO NOVAE VITAE, et in posterum *servandi Divina mandata*, (Trid sess VI cap VI) exigit saltem *affectum* super omnia *ad eas virtutes*, et *mandata*, quae poenitens dolet se violasse. Ita etiam *voluntaria susceptio gratiae, et donorum*, Trid sess VI cap VII, requirit *earum* saltem *virtutum, quarum habitum peccando amisimus*, sitim, desiderium, hoc est *inchoationem.* Sensus ad *earum* infusionem *mere passive se haberet* poenitens. Quod damnatum est ibi can IV. Facta tamen praemissa *distincta* conscientiae discussione, ut non requiritur *distincta ad singula peccata contritio* (cap IX not XLIV) ita sufficit *in charitate fontis justitiae GENERATIM IMPLICITE* desiderare *omnes virtutes maximae peccatis praesentibus amissas:* ita et *in proposito UNIVERSALI* servandi omnia mandata satis includuntur et ea, quae modo dolemus nos fuisse transgressos. Si reponas, has subtilitates ignorari a rudibus poenitentibus: Ajo haec saltem ignorari non posse I: Quod per Sarm poen *recuperare velint amissas a se virtutes*, atque adeo *eas* omnes *nulla exclusa*, desiderare debeant *amando Deum earum fontem.* II: Quod proponere firmiter debeant *omnium* mandatorum *indistincte* observationem. Duobus his praestitis rudes quoque amabunt *omnes virtutes.* go et eas, contra quas peccarunt: Et proponent satis mandatorum, qnae potissimum modo se violasse dolent, observantiam: consequenter *inchoabunt novam vitam* exigente Tridentino, *affectu super omnia* ad Deum, ad virtutes amandas, ad mandata omnia servanda conversо, et sic inchoatam charitatem habebunt. Ut satis patet. Si insurgas: majora haec esse, quam ut a magnis peccatoribus praestari possint: Satisfacit sequens

Amando Fontem amamus omnes virtutes saltem implicite.

IX. *Quintum argm.* Cedo! dum justus in peccatum prolabitur, eximiturne ab obligatione amandi Deum? ipsa quaestio horrorem mihi parit: Quasi quaererem: an Filius graviter offendens Patrem amore mox compensare injuriam teneatur? de quo nec Scitha dubitat. Si affirmas, habeo quod volui. Si negas, quaero: Quo id jure? quo titulo? an quia peccavit? an quia Christianus est? vel quia creatura Dei est? quin omnes hi tituli urgent potius amorem. Tenebatur amare *in tentatione constitutus*, ne Labatur: et postquam *non amando* lapsus est, non tenetur amare, *ut resurgat*? *An velamen* non amandi *habet* ipsam *malitiam*, et peccatum, in quo sordet? sed *non dimittam te, nisi* respondeas mihi, an? et quo titulo *peccator eximatur a Lege charitatis?* reponis: Non potest amare, quia peccatis totus quantus irretitus, constrictusque est. At *impotentiam* hanc non esse *absolutam*, sed *consequentem* tantum, ac cum *gratia* Dei, quae nulli conver-

Peccator non eximitur ab amore Dei.

I Petr 2 v 16.

ti *volenti deeſt, ſuperabilem, ſuperandamque* eſſe, caput Fidei eſt, intonante Spiritu Sancto per organum ſuum Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 c XI: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet et facere, quod poſſis, et petere quod non poſſis: Et adjuvat, ut poſſis.* Confer dicta ex Auguſtino cap IX n XLI. An idem peccator ſine auxilio gratiae Fidem, ſpem, metumque inferni excire in ſe poteſt? Pelagianum hoc eſt. Nunquid Deus charitatis *peccatorem* ad ſalutarem timorem praeveniet, excitabit, movebitque, non item ad amorem? an is tenetur parere Spiritui Sancto *cor* ad *timorem* cienti, et reſiſtere Liberum ei erit ad initialem, ſenſimque creſcentem *Dei amorem* excitanti? exulent abſurda haec a nobis! Atque ut exulent reipſa in ultima Thule, fateamur, non congruum ſolum, ſed et neceſſarium eſſe, ut peccator aut *amet*, quem perinde laeſit, *Deum Suum:* Aut *amorem petat*, et petendo amare incipiat. *Amare* enim *incipit*, qui *amorem deſiderat*, et *conatur habere.* Quae incipiens dilectio *praeparatoria*, et *diſpoſitoria* eſt ad juſtificationem ſive in, ſive extra Sacramentum obtinendam. Ut dictum ex D. Thoma c II n XII. Enimvero quemadmodum Deus in *neceſſariis* non deeſt, ita non abundat *in ſuperfluis*, atque in *ordine ſupernaturali* (ubi natura rerum patitur) ſequitur *ordinem* rerum *naturalium.* Atqui in *naturalibus habitum* praecedunt neceſſario *actus imperfecti.* cap IX n XL. Igitur et in ordine ſupernaturali *habitum charitatis* in Sacramento infundendum praecedere debere *actum imperfectum charitatis Ut praeparatorium* eouſque docebimus, donec attritioniſtae evidenter demonſtrent: Aut *inchoatam charitatem praejudicare Sacramento*, aut alio ex capite Deum *poſitive* noluiſſe, *ut habitum charitatis actus* ejuſdem *virtutis* ut *praeparatorii* praecurrant.

Imago attritioniſtae poenitentis.

X. *Sext argm.* Quod dum adverſarii noſtri praeſtent reipſa, interea ut pateat luculentius, quam vere, ac jure praemiſſa urgeamus, intueamur, quam miſerabilis, horridaque ſit imago poenitentis gehennae timore, et nuda coeleſtis beatitudinis concupiſcentia moti. Audiamus ſervili attritione poenitentem Filium prodigum Patrem alloquentem: Doleo o Pater, et quam poſſum vehementiſſime doleo de peccatis meis! Anteactae vitae meae horrenda ſcelera deteſtor, eorumque veniam enixe rogo, ſeriam, ſinceramque ſpondens emendationem, et mandatorum tuorum obſervantiam! Atque haec omnia ideo, quia poenas tuas ſempiternas timeo, ingentis vero haereditatis tuae ſpe, deſiderioque ardeo! firmam concipiens ſpem, te mihi veniam, ac coeleſtem Beatitudinem non negaturum. Hinc juſtitia tua me terret ſcientem, quia *non parcis delinquenti:* inde vero ineffabilium bonorum tuorum concupiſcentia deflagro. Tu qui omnia noſti
Job 9 v 28. Pſal 7 v 10. O Pater, *et ſcrutaris renes, ac corda*, vides imperfectionem meam, quod in corde meo non dum adeſt amor bonitatis tuae, cujus ne ſcintillam quidem in me hucdum experior: Propono tamen, me amori quoque tibi a me debito ſuis temporibus ſatiſfacturum: Interea tu o Pater! ama Filium tuum, nondum *te* quidem *amantem*, ſed poenas tuas *pertimeſcentem*, ac bona tua concupiſcentem. *Pater.* Oh filium *ſervilem*, et *mercenarium*! non *me*, ſed *mea* tantum amantem! *ſi ego Pater, ubi eſt amor meus?* haeccine eſt poenitentia tua? toto, quod
Luc 14 v 21. ajunt, caelo diſtincta ab illa, quae tibi in Evangelio imitanda proponitur: *Pater peccavi in Coelum* in Deum! *et coram* contra *te! Non ſum dignus vocari filius tuus. Fac me ſicut unum ex mercenariis* infimis ſervis *tuis. Filius.* O Clementiſſime Pater, ſi mea te poenitentia non placavit, tempera quaeſo tantiſper indignationem tuam, et cauſſam, cur ita locutus ſim, audire ne dedigneris. Magiſtri, qui mihi ab ado-

les-

leſcentia huc dum obtigerunt, hanc mihi doctrinam indiderunt: Et *meliorum affectuum* avido perſvaſerunt, haud neceſſe eſſe, ut in hac mea poenitentia Sacramentali vel *initialis charitatis affectu* te prolequar, ſed ſufficere ad *Paternum tuum amorem habitualem* ope Sacramenti conſequendum aſſeruerunt, ut de horrendis erga te peccatis meis metu poenarum inferni doleam, *amoreque nudae concupiſcentiae* erga infinitam haereditatem tuam ardeam. Hanc, fateor, ſervilem, mercenariam, omnique in te amoris affectu jejunam Theologiſandi rationem ipſe ego o Pater! communi ſenſui, neplus loquar, adverſari diu reputabam: Quid enim? dicebam: *Patris amorem* quaero abſque ullo Filiali affectu? *inimicus, offenſorque* ejus novum *amicitiae faedus* inſtaurare intendo, quin *ad hanc* vel initialem benevolentiam adſeram? volo, ut ille *me impenſe diligat* nec *imperfecte diligentem?* Ad haereditatem ejus anhelo, quam *diligentibus ſe* tantum *paravit*, conferendamque ſpoponsit? Talia conantem magni nominis Theologi illi, qui me primis Theologiae initiis imbuendum ſuſceperant, me tetrici *rigoris*, Lutheraniſmi, Bajaniſmi, Janſeniſmique inſimularunt, ac velut *Haereticae ſententiae fautorem* redarguerunt. Quarum vocum ſtrepitu, illorumque velut Magiſtrorum in Izrael, et modernorum Eccleſiae Doctorum, ut ſe vocari amant, magna auctoritate, atque ut ajebant, *communiori Eccleſiae ſenſu* perterrefactus illorum tandem opinioni aquievi, mallens eſſe *attritioniſta*, quam, ut illi contendebant, *Lutheriſta, Janſeniſta*, aut *Bajanuſta*. Adjiciebant tamen, nequid diſſimulem, me poſteaquam media abſolutione Sacramentali in jus haereditatis tuae, amicitiamque tuam plene reſtitutus fuero, obſtrictum omnino fore, ſingulis *annis*, *bienniſve*, occaſione item *gravis tentationis* aliter inſuperabilis, atque *in fine morali vitae* magno charitatis tuae praecepto facere ſatis. His me probum filium tuum fore, quin et haereditatem tuam mihi ſpoponderunt. Haec eſt imago attritioniſtae poenitentis, multiſ quidem ſervilem animum exhibentibus coloribus deſtituta (ne multa repeti opus eſſet) nulla tamen vel umbra (quae illorum doctrina non eſſet) aucta.

I ad cor 2 v 9.

XI. *Sept. argm.* Praemiſſae imagini attritionis ſimile eſt hoc argumentum, velut ſequela ejus. Juxta omnes SS Patres rariſſima, et difficillima eſt poenitentia peccatorum uſque ad mortis articulum dilata. (*a*) de quibus veriſſimum eſt illud Auguſtini: *Sacramentum conferimus, ſed non ſecuritatem.* Qui hom 41 inter 50 recte ait: *ſi agis poenitentiam, dum ſanus es, ſecurus es: quia egiſti poenitentiam eo tempore, quo et peccare potuiſti. Siquis poſitus in ultima neceſſitate aegritudinis ſuae voluerit accipere poenitentiam, et accipit, mox reconciliatur, et hinc vadit: Fateor vobis, non illi negamus, quod petit; ſed non*

Dictum illud: Poenitentia ſera raro vera: *Evertit attritionem.*

(*a*) De hoc axiomate Patrum recole cap I n XI Angelicum. n XII Scotum, Joan Baſſolium, Robertum de Sorbona. XIII Gerſonem, Vorillonium. XIV S Antoninum. XXXIII S Bernardinum citantem S Bonaventuram, et Scotum. Quam in rem terribile eſt, quod refert S Antoninus ex libro ſuo tempore edito *de ſeptem donis* apud Natalem Alexandrum *de contrit a 3 propone VII* de quodam Scholaſtico Pariſienſi, qui ultima Sacramenta inter lacrimas, humano judicio devote ſuſcipiens poſt mortem Deo volente Doctori ſuo apparuit, et ſciſcitanti de ſtatu ſuo reſpondit: Se aeternum periiſſe adjecta hac cauſſa: qvia *Poenitentia mea, et lacrimae illae non fuerunt EX AMORE DEI, et principaliter PROPTER DEI OFFENSAM: Sed propter timorem inferni, et ideo mihi NIHIL VALUIT.* Haec Natalis Alexander ex S Antonino. Si de illorum numero es, qui hiſtorias ſuſpectas habent, ajo: Aeque periculoſum eſſe, incertis exemplis anilem mox fidem praeſtare, et a viris etiam graviſſimis, ac ſanctis relata reſpuere eo ipſo, quod fide tantum hiſtorica nitantur. *Narrationem virorum Nominatorum exquiret Sapiens*, non reſpuet.

non praesumimus, quod bene hinc exit. Agens poenitentiam ad ultimum, et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non jam securus. Ad terrorem est ferm 57 de tempore dicens: *poenitentia, quae ab infirmo petitur, infirma est. Poenitentia, quae a moriente petitur, timeo ne et ipsa moriatur.* Ideo salubriter monet: *Qui vult invenire misericordiam, sanus agat poenitentiam in hoc saeculo; ut sanus esse possit in futuro.* Atqui tamen nemo negaverit, metum inferni in articulo mortis maxime, et potentissime urgere. Ergo evidens vel hinc solum est, ad veram poenitentiam etiam cum Sacramento agendam praeter metum inferni amorem quoque Dei necessarium esse.

Charit Sacrlem constabilit.

XII. Atque ita reipsa est. Cur enim Doctorum Magister Augustinus moribundorum poenitentiam *moribundam*, agonizantem, quin *mortuam* appellet, rationem dat Fidissimus ejus Discipulus D Thomas Aquinas in IV senten Dist 20 q 1 a 1 ad 1 inquiens: *Antiochus veniam consecutus fuisse, si vere poenituisset. Sed non habuit veram poenitentiam, quia non ex amore justitiae dolebat, sed timore poenae, quam expectabat, vel dolore poenae, quam sustinebat. Et hoc etiam multis in fine poenitentibus contingit. Quia non est facile, ut affectus, quem homo toto tempore vitae suae inclinavit in aliquid, subito in contrarium retrahatur.* Et L 4 contra gentes c 72: *Primum, quod in poenitentia requiritur, est ordinatio mentis, ut scilicet mens convertatur ad Deum, et avertatur a peccato: dolens de commisso, et proponens non committendum, quod est de ratione contritionis. Haec vero mentis reordinatio sine gratia esse non potest: nam mens nostra debite ad Deum converti non potest sine charitate.* Et de veritate q 7 a 11 ad 3: *Ejusdem rationis est, quod voluntas feratur in appetitum contrarii, et in detestationem alterius. Nullus habens usum liberi arbitrii potest inchoare novam vitam, quae est per gratiae infusionem,* NISI AMET, *et appetat gratiae bonum. Et ideo oportet, ut detestetur omne malum repugnans.* Haec ipsa est sententia *Scoti* constanter asserentis, *periculosam esse poenitentiam in ultimo morbo*, quia vi morbi, amore Charorum, sollicitudine futurorum EX AMORE CREATURARUM AD AMOREM DEI MENTEM *suam difficile* EST CONVERTERE. Unde S Bernardinus ex eodem Scoto ad veram poenitentiam requirit, ut licet *in peccatore initiet timor poenae, sequatur* tamen *amor Dei timorem repellens*, aut *temperans* saltem: Ideo eum, qui *principaliter conteritur propter timorem inferni, et non propter amorem Dei, non esse in statu salutis.*

Quam PP requirunt.

XIII. His sane in vanum reponeretur, Antiochum, et alios dubie in articulo mortis poenitentes *timorem serviliter servilem cum affectu ad peccatum* habuisse, habereque. Nam Patres hi ad veram poenitentiam agendam et alias, et in mortis periculo requirunt *amorem justitiae, affectum a peccato ad Deum positive retractum. Aversionem a peccato, et conversionem ad Deum: detestationem offensae.* Quae *timori etiam simpliciter servili* penitus non conveniunt. Ergo necesse est fateri, Thomam, Scotum, Bernardinum, eorumque Magistrum Augustinum timorem omnem pro Sacramento poenitentiae insufficientem habuisse. Sine ambagibus inquit Auctor libri de vera, et falsa poenit: *Quem serio poenitet, oportet non solum Deum timere, sed et* JUSTUM DILIGERE: *scriptum est enim*: SINE CHARITATE NEMINEM SALVUM FIERI. Scio librum hunc *inter dubia* S Augustini opera recenseri. Verum quisquis sit antiquissimus auctor, eum in hoc puncto errasse attritionistae aut doceant, aut taceant.

XIV.

XIV. Quod modo cit Auctor ait: *ſcriptum eſſe, neminem ſine charitate ſalvum fieri*, extreme diſcruciat attritioniſtas. Quid eſt enim id? niſi quod intonat Salvator: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et dilectus Apoſtolus: *qui non diligit, manet in morte.* Vis fide dignam horum textuum explanationem? Ionas Aurelianenſis ſub Ludovico Pio doctrina celeberrimus Epiſcopus l *de Regia inſtitutione* decretorie pronunciat: *miſerabiliter plane decipiuntur, qui ſine charitate aut Deo placere, aut ad eum ſe putant pervenire.* Richardus a S Victore *de ſolvendi, et ligandi poteſtate* cap 19: *Nemo, qui charitatis capax eſt, ſine charitate ſalvari poteſt.* Conſonat Petrus Soto *in Catholica confeſſione* apud Chriſtianum Lupum ep ad Noriſium definiens: *contritionem vocat Catholica Eccleſia perfectum animi dolorem de peccato voluntati illi, qua peccare libuit, oppoſitum, frangentemque illam duritiam cordis, qua peccatores Divinis praeceptis, et* BONITATI *reſiſtimus. Dolor imperfectus eſt ex quantacunque fide procedat, et quantaſcunque lacrimas habeat, quouſque* EX DEI CHARITATE, *quae veram fidem requirit, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; Charitate, inquam, dilectioneque illius ſuper omnia bona, et amabilia procedat, atque ita peccata tanquam Deo oppoſita ſuper omnia, quae odio habet, idque vere in oculis Dei deteſtetur. Haec contritio ſemper et ante legem, et ſub lege, et revelatae gratiae tempore ad remiſſionem Lethalis peccati neceſſaria eſt in adultis.* His concordes PP ſine charitate juſtificari impios negantes per omnia capita audivimus. Quorum omnium Dux eſt Auguſtinus tr 5 in Ioan intonans: *Filii Dei ſola charitate diſcernuntur a filiis diaboli.* Sed ut haec veritas omnibus ſenſibus palpari poſſit, pone ob oculos mentis tuae obvium quemvis (ex multis, qui hodie paſſim vivunt) iniquitatis Filium, qui nunquam Divinum ſuum finem ſincera charitate tota vita honoravit, opera attritioniſtae repente converſum, *Sacramento cum ſervili attritione expiari, et* ſtatim *mori*: quo amabo! hunc ſuum poenitentem adverſarii noſtri collocabunt? in infernum? actum ergo eſt de attritione ſervili! triumphavimus! In coelum? at *ſcriptum eſt*, inquit antiquiſſimae Eccleſiae doctrinae teſtis fideliſſimus, *ſine charitate neminem ſalvum fieri.* Quomodo obſecro in coelum illum collocabunt, qui Deum charitae actuali nunquam amavit? ſi hoc aſſeris, *actum eſt de magno praecepto charitatis!* quod hic poenitens nunquam implevit. Per accidens eſt, inquis, quia tempus non habuit, poſt abſolutionem ſtatim mortuus. Ergo per *accidens* poteſt Deum aeternum amare in coelo, qui in terra nunquam amavit? ergo *per accidens* evacuatum eſt magnum praeceptum charitatis? utinam *per accidens* valeret apud Deum haec Theologia, quae in Eccleſia usque ad attritioniſtas fuit inaudita! at ſi *ſcriptum eſt*, teſte antiquiſſimo Auctore, *abſque charitate Dei neminem ſalvum fieri*, ſi poenitentiae Sacramentum charitatem ſaltem initialem requirit, ut ex omnibus his liquet, profecto poenitens hic attritioniſta et *per ſe*, et *per accidens* aeternum periit! idque vitio Confeſſarii attritioniſtae.

Si cum attritione ſalvari quis poteſt, actum eſt de praecepto charitatis.

XV. Pro *octavo argumento* Expendamus *pacta*, et *foedera* illa, quae a *Catechumenis* in Baptiſmo vice Dei *exiguntur*, et *a poenitentibus innovantur.* Quis ignorat? *ut circumciſionem* in Veteri teſtamento Gen 17, et ad Rom 4: *Ita* in nova lege *baptiſmum* eſſe *proteſtationem*, et *ſignaculum totius Legis Evangelicae* obſervandae, et cuſtodiendae. At teſte Mathaeo c 22 v 40 *in duobus mandatis* Dei videlicet, et proximi amore *univerſa lex pendet, et Prophetae.* Ergo *Baptiſandus* eo ipſo actu, quo Sacramentum baptiſmi ſuſcipit, *pactum init cum Deo*

Pacta baptiſmi per poenitentiam redintegrantur charitate Dei.

proteſtando, et promittendo ſeriam, et ſinceram ejus dilectionem. Quod ipſum elucet *ex Caeremoniis* Baptiſmi, quae manifeſte produnt, quem *animum*, quam *praeparationem* a baptizando Eccleſia requirat. Sacerdos Catechumenum interrogat, quid petat ab Eccleſia Dei? qui reſpondet, ſe *Fidem* poſtulare. Sed quam Fidem? eam, quae praeſtat *vitam aeternam*: eam, inquam, *fidem in Deum*, de qua Auguſtinus in ps 33: *Qui credunt in Chriſtum, ſic credunt, ut DILIGANT. Hoc eſt enim credere in Chriſtum, DILIGERE Chriſtum.* Et tract 29: *Quid eſt credere in eum? credendo amare: credendo in eum ire, et ejus membris incorporari: Ipſa eſt fides, quam a nobis exigit Deus, - - non qualiſcunque fides, ſed quae* PER DILECTIONEM OPERATUR. Item ſerm 60 de verbis Dni: *Multum inter eſt, utrum quis credat ipſum ESSE CHISTUM, et utrum credat IN CHRISTUM. Nam ipſum eſſe Chriſtum et daemones crediderunt nec tamen in Chriſtum crediderunt. Ille enim credit in Chriſtum, qui ET SPERAT IN CHRISTUM, et DILIGIT CHRISTUM. Nam ſi fidem habet ſine ſpe, et ſine dilectione, CHRISTUM ESSE CREDIT, NON IN CHRISTUM* CREDIT. *Qui ergo in Chriſtum credit, credendo venit ad Chriſtum, et quodammodo UNITUR IN EUM, et MEMBRUM IN EJUS CORPORE EFFICITUR. Quod fieri non poteſt, niſi et ſpes accedat, et CHARITAS.* Sole igitur clarius eſt, baptiſmo adultorum *charitatem* eſſe neceſſariam. Idem a fortiori affirmandum de *baptiſmo laborioſo* Sacrmto poenitentiae. de quo mox. Interim Sacerdos ad Catechumenum: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Vide Rituale in Baptiſmo adultorum. Quod idem tenuitati meae videtur, ac ſi diceret Sacerdos catechumeno: *Fidem in te mortuam*, et *infructuoſum fore, niſi Deum ſuper omnia diligas.* Unde etiam Sacerdos ubi laudatis verbis Catechumenus aſſenſum tacendo praebuit, ab eo in ſignum amoris Divini poſtulat, ut *abrenunciet Sathanae, et omnibus operibus, ac pompis ejus.* Catechumeno affirmante Sacerdos poſt pauca facit ſignum Crucis in fronte, et pectore ejus dicens: *Sume fidem Coeleſtium praeceptorum, cole Deum omnipotentem.* Quid obſecro eſt *pompa* diaboli? *ſpectacula* aſſerit in catech Miſtagog S Cyrillius Jeroſolimitanus; *opera* vero ejus *omne genus peccati.* Quibus cum *renuntiamus*, Deo initiamur, et conſaederamur, promittentes, nos Deo aeterno Sacramento adhaeſuros. Audiatur Os Aureum Hom 21 ad populum Antioch: *ſicut ſervos ementes, ipſos prius interrogamus, an nobis ſervire velint? ita facit Chriſtus, quando debet te in ſervitutem capere: Prius interrogat, an velis illum crudelem tyrannum dimittere? et Te AD FAEDERA SUSCIPIT.* Et S Hieronimus in cap 6 Amos: *In miſteriis primum renunciamus ſathanae, et pactum inimus cum ſole juſtitiae, et nos ei ſervituros promittimus.* S Gregorius Niſſenus de Baptiſmo Chriſti: *Homo in traditione myſterii* baptiſmalis PACTUM CUM DEO FACIT, *cum omnem poenam, et voluptatem pro illius dilectione ſe neglecturum eſſe promittit.* Unde et Auguſtinus Epiſt 59 ad Paulinum *hoc baptiſmale foedus* vocat *votum noſtrum maximum, quo nos vovemus in Chriſto eſſe manſuros.* Jam vero haec tam ſplendida amoris Divini promiſſa quis vere poteſt polliceri? *qui ſolem, ac fontem juſtitiae non ſuper omnia diligit?* eſt ne poſſibile? ut quis ſincere affirmet, ſe *Dei amore* renunciare omnibus ſathanae pompis? ac operibus? omnibus mundi voluptatibus? qui non actu Fontem juſtitiae *affectu* ſaltem omnibus his praeferat? poteſt ne fieri? ut quis voveat, ſe conſtanter in Chriſto manſurum, inter proſpera, et adverſa, inter blandientia, et torquentia immobilem in ejus amore futurum, qui actu Deo ſincero amore non adhaereſcit? profecto ſiquis haec ſine amore Dei promittit, is quod ore dicit, corde

Charitas neſaria in baptſmo adultorum.

Quae in pacto baptiſmali promittitur.

de contradicit, et *mentitur iniquitas sibi.* Cum itaque in Baptismo haec *vota*, haec *inter Deum*, et *baptizandum* hominem *pacta requirantur*, illa vero sincera esse nequeant, nisi Deus *super omnia diligatur*, dubium esse nequit, quin ad baptismum adultorum verus, et sincerus Dei amor super omnia requiratur. Est nempe Baptismus noster imitatio vivificae mortis Christi, ut ait Gentium Doctor ad Rom 6 v 3: *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris*, ITA ET NOS IN NOVITATE VITAE AMBULEMUS. *Mori* scilicet debemus peccatis, concupiscentiis, pompis, atque operibus sathanae, ut *in novitate vitae*, in amore justitiae Divinae *ambulemus.* Non est ergo in baptismo justitia sine charitate, ut verissimum sit illud Augustini de serm. Domini in monte c 5: *Ubi charitas non est, non potest esse justitia.* Faceſſant ergo, et corrigi se patiantur, qui ad Sacramentum Fidei Baptismum solam attritionem formidolosam requirunt. Qui si Sacrosanctorum horum pactorum in baptismo intervenientium meminissent, populumque de eorum observantia identidem pro munere suo commonuissent, vererem Scholae opinionem pridem cum pulveribus Scholasticis excussissent..

XVI. Quae *de Baptismo* diximus, *longe magis locum habent in poenitentiae Sacramento. Pacta* enim *Baptismatis* de amando Deo *per* omne *peccatum mortale violantur* tanto majori cum perfidia, quanto gravior est offensa Dei a foederato, ab amico, a domestico, a Filio, quam ab extraneo, et infideli illata. Unde etiam docent Patres praelucente Scriptura, immundum spiritum baptismate pulsum, cum *Septem aliis spiritibus fortioribus se redire ad illos, qui Divina illa foedera temerare ausi fuerint, fierique novissima foedifragorum illorum pejora prioribus*, ut impleatur in eis illud Principis Apostolorum omnibus Fidei Baptismalis praevaricatoribus tremendum edictum: *Melius erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod traditum* (in baptismo) *est illis Sancto mandato* Divinae dilectionis. 2 Pet 2 v 21.

Quod pactum mortali peccato violatur.

Math 12 v 43.

XVII. Quid igitur agendum? quid remedii supereſt perfidis his Baptismalis pacti violatoribus? quam ut poenitendo de perfidia, *violatum foedus* eo, *quo primum coaluerat, novo*, ac *firmiori Deum amandi pacto redintegrare enitantur.* Nunquid et in humanis pacta amicitiae si violentur, eo, quo inita erant, modo conflabiliri debent? ita et in Divinis svadet Gregorius hujus nominis septimus Epist 10 ad Britanniae Episcopos: *Quis quis*, inquit, *digne vult poenitere, necesse est. ut ad Fidei recurrat originem, et quod in Baptismo promisit, diabolo scilicet, pompisque ejus renunciare, mandatis ipsius obedire, sollicitus sit vigilanter custodire. Quoniam aliter simulatio dici potest, non poenitentia.* Hoc habuit prae oculis S Grodogangus Episcopus Metensis, dum in regula, quam Canonicis scripsit, jubet cap 32, ut *poenitentes foedera Baptismi Sacrilege violata renovent.* Non fit equidem hoc hodiernis Ecclesiae moribus, ut poenitentes *disertis verbis* diabolo, et pompis ejus se renunciare profiteantur. At id exigit ipsa *natura verae poenitentiae*: id urget tota quanta est ratio agendae sincerae poenitentiae. Neque enim vel concipi potest, qui possit poenitens dolere de peccatis post Baptismum commissis, nisi eo ipso *doleat de perfidia sponsionis suae* in Baptismo Deo factae, et per peccata subsequa turpiter violatae? nec intelligo, quomodo firmum *propositum non peccandi de caetero* elicere valeat, nisi doleat de *Baptismali suo propositio foede rup-*

Charitate Sacrmli reparatur.

go idem pactum in Sacto poen innovandum.

to, illudque renovare sincera charitate conetur. Atque hinc est, quod poenitentiae Sacramentum a Patribus Tridentinis sess 14 c 2 circa finem *Laboriosus baptismus* nuncupetur, ut intelligamus, ad *novitatem vitae* per poenitentiae Sucramentum recuperandam eandem *protestationem universae legis* observandae: *eundem dolorem de peccatis* commissis, *idem propositum amandi Deum:* eandem *abrenunciationem Diabolo, operibus, et pompis ejus*: idem *votum manendi in Christo*: verbo *eadem pacta, et faedera cum Deo*, sicut *ante Baptismum* inita sunt, *poenitentibus ineunda, innovandaque* esse. Est igitur necesse, ut poenitentes, si *vere sint poenitentes, et non irridentes*, non verbis, *sed facto ipso*, animo, et corde redintegrent Sacra Baptismatis faedera. Illa autem ut vidimus, vere, et sincere iniri non possunt, (ergo nec redintegrari) nisi *amor Solis justitiae incipiat in corde dominari.* Quomodo enim quis potest cum sole justitiae confaederari, qui eum actu non amat? saltem non velit, quae voluntas ipsa amor est, amare? qui *non obtemperat primo, et maximo Dei de Sui amore praecepto*? statuamus igitur, nobisque persvadeamus, nullam esse posse in Sacramento poenitentiae aut justificationem, aut remissionem peccatorum, si ab animo poenitentis Dei absit dilectio. Discamus tandem a D Thoma de Villa Nova concion in Dom. 4 Quadrag: *Contritio* (objective, et quoad motivum, non *intensive*, ut et amori initiali Dei conveniat, excludat vero pure formidolosum gehennae timorem) *Contritio*, inquam, in sensu veterum *est remedium peccatorum omnino necessarium, proprium, naturale, universale.* Item ibidem: *Contritio omni tempore, et in omni lege, naturae, Scripta, et gratiae tanquam naturale, et propriam peccatorum remedium immobilis, et immutabilis perseverat: unde et omnia sine hac non sufficiunt.*

Conversio vera, et perseverans fit ope charitatis.

XVIII. *Nonum argumentum* similis priori est evidentiae. Atque utinam utrumque omnium Confessariorum, et poenitentium cordibus, et animis altissime inscripatur! sic autem proponitur: Idea, ac indoles verae poenitentiae ea est, ut vera conversio peccatoris *non sit momentanea*, sed *perdurans:* non *fugax*, sed *permanens*: non inconstans, sed stabilis, et perseverans, quin et in dies novis incrementis *accrescens usque ad perfectam diem* virtutis in via, beatitudinis in patria. Si sacra eloquia consulamus, illa justum describunt non tanquam in justitia vacillantem, ac instar lunae mutabilem, sed ut ait Psaltes Ps I v 3: *Tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia, quaecunque faciet, prosperabuntur.* Ps 91: *Justus ut palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur.* Prov 4: *Justorum semita quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectum diem.* Et Prov 10: *Justus in aeternum non commovebitur.* Eccli 27 12: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, stultus sicut luna mutatur.* Ita et Paulus justificatis perseverantem Sactimoniam promittit a Christo: *Confirmabit vos usque in finem sine crimine.* I ad Cor I v 8. Hi, et similes textus non evincunt quidem *pro Calvino*, quod justificatus excidere a justitia sua nequeat: Ostendunt tamen, veram coram Deo justitiam non esse adeo fugacem, et instabilem, ut hominis Christiani vita quasi ex perpetua mutatione, et *circulo vitioso a justitia ad peccata mortalia* consistat.

XIX Quid obsecro! perseverantem hanc in justitia constantiam, ac stabilitatem caussat? dico apud omnes Catholicos notum est, eam a charitate Dei certo provenire. Audiamus Salvatorem Joan 14 v 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et MANSIONEM APUD EUM*

EUM faciemus. Quibus verbis diligenti Deum permanens juſtitia promittitur. Eandem juſtitiae conſtantiam charitati Dei adſcribit Joannes 1 Epiſt c 3 v 9: *Omnis qui natus eſt ex Deo* (per charitatem habitualem) *peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius IN EO MANET: et non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Apud Ezech c 36 Filiis gratiae promittitur *cor novum* amore Dei plenum, et *ſpiritus novus* charitatis, et proſequitur ibidem: *ſpiritum meum* (dilectionis) *ponam in medio veſtri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis.* Et Paulus ad Ephes 3 hanc CONSTANTIAM promittit eis, qui ſunt IN CHARITATE RADICATI, Et FUNDATI. *Ideo etiam ibi c 1 v 4 Electos* nos eſſe ait *ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti, et immaculati in conſpectu ejus in charitate.* Certum igitur eſt, *charitatem* Dei *cauſſare in nobis perſeverantem juſtitiae ſanctitatem.* Nec ſine ratione evidenti: Quid eſt enim in idaea juſtitiae Chriſtianae tam arduum, et difficile, quod charitatis Divinae ſvavitate illectus animus non vincat, non perrumpat? amor omnia poteſt, moras neſcit, obſtacula perfringit, impedimenta diſjicit, tentationes contrarias vincit. *Si reſpexeverit Dominus* (inquit Auguſtinus Enchiridii cap 118) *et agi homo caeperit Dei ſpiritu, concupiſcitur adverſus carnem fortiori robore charitatis; ut quamvis adhuc ſit, quod homini repugnet ab homine, nondum tota infirmitate Sanata; ex Fide tamen juſtus vivat, juſteque vivat, in quantum* NON CEDIT MALAE CONCUPISCENTIAE VINCENTE DELECTATIONE JUSTITIAE. Juſtitia hominis Chriſtiani poſita eſt non tam in externa legum obſervantia, quam in charitate, cujus vi, efficacia, ac dulcedine anima ab inveteratis vitiis, ac habitibus emundatur, exuritur, ſanatur, et renovatur. Unde praeclare epiſt 52 ad Macedonium, ut ſemper ait Auguſtinus: *Bonos, vel malos mores non faciunt, niſi boni, vel mali amores.*

Charitas permanens eſt.

XX. Atque hinc etiam intelligimus, quare juſtitia hominis Chriſtiani etſi non ſit *inamiſſibilis*, *habeat* tamen *firmitudinem* quandam, et *ſtabilitatem perſeverantem.* Ea enim eſt indoles amoris, ut ubi ſemel arcem cordis obtinuerit, eidem firmiſſime adhaereſcat. Patet id exemplo amoris creaturarum, ubi dominium fixerit: fere enim nunquam accidit, ut prava dominans cupiditas uno impetu, et ictu proſternatur, exterminetur, eradicetur. Quod triſtis quotidiana experientia docet in avaris, ſuperbis, luxurioſis, aliisque circumcatenatis miſeris peccatoribus: quibus ſuae *paſſiones induratae miſeram* quamdam, etſi abſolute *vincibilem*, et cum gratia Dei perrumpendam, *faciunt conſequentem neceſſitatem.* Ita a fortiori ubi charitas Dei concupiſcentiam malam ſuperaverit, tantumque robur acceperit, ut arcem cordis noſtri obtineat, tam ſolide tenet imperium, ut cum Apoſtolo exclamare liceat: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? certus ſum* (cum gratia Dei) *quia neque mors, neque tribulatio, neque anguſtia, nec ulla creatura* aut ulla tentatio id facile efficiet. Charitas enim Dei tantam in anima cauſſat *ſvavitatem*, ac *delectationem*, ut juſti *ſibi* cum Apoſtolo *morientes, Chriſto unice vivant: Deo* ſuo *amato indivulſe adhaereant*, qui ſpiritu amoris legem carni, et ſangvini duriſſimam menti reddet ſvavem, et amabilem. Ut Auguſtinus teſtatur dicens: *In eo, quod amatur, aut non laboratur, aut ſi laboratur, labor ipſe amatur.* O vere Divinos charitatis Dei effectus! quorum deſiderio non in Sacramentali ſolum confeſſione, ſed *quotidie*, et *frequentiſſime* ab omnibus, qui Chriſtiano nomine cenſentur, amor Dei merito exercendus eſſet, ut is in nobis ſenſim augeatur, flammeſcat, perficiaturque, et dulciſſimos hos in nobis fructus producat conſtantis, ac perſeverantis ſanctitatis.

Ut amor mundanus.

Ad Rom 8 v 35.

Omnia levia facit amor.

Ex adverso timor inconstans est.

XXI. Ex adverso autem (quod sit *Decimum argumentum*) timor servilis omni Dei charitate destitutus ne in Sacramento quidem poenitentiae habet praedescriptam stabilitatem, justitiaeque constantiam. Solius nempe charitatis est voluntatem peccandi *positive* excludere. Ideo timor se solo peccatum quidem cohibet, animum concutit, commovet, sed perseveranter non immutat. Exteriora componit, sed interiora animi vulnera non sanat. Cap V IX XII. Hinc consequens est, ut metu deferveſcente, gehennaeque memoria in oblivionem abeunte, animus non bene purgatus, sed solum tantisper coercitus ad pristina mala cito relabatur. Ut commune effatum habet: *nihil violentum durabile.* Augustini haec doctrina est serm 15 De verbis Apostoli cap 6: *concupiscentiam malam non timor tollit*, SED PREMIT. et in ps 118: *timor iste, quo non amatur justitia, sed timetur poena, servilis est, et ideo non crucifigit carnem.* Item epist 114: *inaniter putat se victorem peccati, qui poenae timore non non peccat. Nam qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille quippe peccatum odit, qui justitiam diligit: quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam.* S Ambrosius epist 44: *charitas peccandi excludit affectum.* consentit S Gregorius l 3 Pastoralis curae admon 14: *Admonendi sunt, qui flagella metuunt, ut si malis veraciter carere desiderant, aeterna supplicia perhorescant; neque in hoc supliciorum timore permaneant, sed ad amoris gradum nutrimento charitatis excrescant.* Clare Angelicus 1 2 q 6 a 7 ad 2: *dicendum, quod id, quod per metum agitur, quodammodo est involuntarium.* Et q 107 a 1 ad 2: *lex vetus dicitur cohibere manum, non animum: quia qui timore poenae a peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas a peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiae abstinet a peccato.* Item Lect 3 in cap 8 ad Romanos: *si per timorem aliquis bonum facit, non facit sponte, sed coactus metu poenae. Quod proprie est servorum.* Perpetua itaque est Sanctorum doctrina, quod solo timore non *sanetur*, sed *compescatur peccati voluntas*: non *eradicetur*, sed *maneat repressus* dumtaxat *intus hostis* habitualis cupiditas. confer cap V n XXVII. Quid igitur mirum, quod qui ad justificationem in Sacramento poenitentiae solo timore servili contenti sunt, illi *justitia* quadam *transitoria*, atque ad tentationes quasvis obvie occurrentes mox diffluente, et corruente contenti esse debeant. Profecto cum *omnis arbor ex fructibus noscenda* sit, monente Salvatore, poenitentia ex pura attritione servili orta *arbor* esse solet *autumnalis folia terroris*, et lacrimarum tantum, *nullos solidae virtutis*, et *constantiae in bono fructus proferens.* Quemadmodum *venti*, et *tempestates*, ita *gehenna* serio recogitata animum peccatoris *commovet*, imbres lacrimarum, *fulgura*, et *corruscationes ejulatuum* cauſſat: sed ut *post tempestatem* redeunte serenitate *omnia* mox *in pristinum statum redeunt*, ita *cessante inferni terrore anima immutata, et insanata manet.* Cujus ratio est, quia ut saepius vidimus, timor *disponit duntaxat ad gratiam charitatis* in Sacramento necessariam: Audiatur hic Petrus Lombardus L 3 dist 34: *Timor servilis ideo dicitur initium sapientiae, quia praeparat locum sapientiae. initialis vero dicitur initium sapientiae, quia est* INCHOATA SAPIENTIA; *quem cum quis habere incipit, sapientiam, et* CHARITATEM HABERE INCIPIT. Et Petrus Pictavienſis L 3 cap 15: *Servilis timor bonus est, hoc est utilis, quia introductorius ad charitatem.* Conf c V n XVI. Verum si *charitas* illabens, et nascens *negligatur*, *timor* sine charitate *vulnera animae non sanat*, habitus pravos non eradicat, vitia non evellit, sed reprimit, et coercet: Ideo attritionistae pure formidolosi similes sunt febricitantibus non bene curatis, qui post modi-

dici-

diciſſimum exceſſum iterum febriunt; quia *radix mali evulſa non eſt.* Ita illi *cum in tentationes inciderint*, ad priſtina vitia relabuntur, quia *ignis charitatis in iis non exuſſit vitiorum radicem.* Fruſtra eſt, quia ut identidem ingeminat Auguſtinus: *Poenitentiam certam non facit, niſi amor Dei, et odium peccati.* Haec duo tantum immutant animum, ſanant vulnera animae, radicem peccatorum exterminant, dant perſeverantem in juſtitia voluntatem.

Idaea juſtificationis verae.

XXII. Ex his noſſe jam fas eſt ideam juſtificationis Evangelicae. Venit nempe Chriſtus canente Zacharia Lucae I: *ut per* Baptiſmum, aut poenitentiae Sacramentum *de manu inimicorum noſtrorum liberati SERVIAMUS illi IN SANCTITATE, et JUSTITIA OMNIBUS DIEBUS NOSTRIS.* Unde inculcat Apoſtolus 2 ad Cor. 7: *Quae ſecundum Deum triſtitia eſt, poenitentiam in SALUTEM STABILEM OPERATUR.* Hoc eſt dictu: Poenitentia ſecundum regulas a Deo praeſcriptas acta *ſtabilem* operatur vitae *ſanctitatem.* En auream hujus textus expoſitionem ex Divo Thoma in eundem commentante: *Triſtitia*, inquit, *ex amore oritur: Triſtatur enim quis, quia caret eo, quod amat. Qualis autem eſt amor, talis eſt triſtitia ex amore orta. Eſt autem duplex amor: unus, quo diligitur Deus, ex quo naſcitur triſtitia 2dum Deum. alius, quo amatur ſaeculum: ex quo naſcitur triſtitia ſaeculi. Amor, quo diligimus Deum, facit nos libenter ſervire Deo, ſollicite quaerere honorem Dei, et vacare Deo DULCITER. Et quia peccando impedimur a ſervitio Dei, et ei non vacamus, nec ejus honorem quaerimus: ideo amor Dei cauſſat triſtitiam de peccato: et haec triſtitia 2dum Deum I: POENITENTIAM STABILEM, et conſtantem operatur, non FUGAM DESULTORIAM, ET VACILLANTEM. 2: SOLLICITUDINEM adhibet ad vitanda mala, et facienda bona. 3. DEFENSIONEM parat contra eos, qui nos ad malum inducunt, facitque, ut eis reſiſtamus fortes in fide, illisque armaturam Dei opponamus. 4. INDIGNATIONEM excitat, qua poenitens ſibi ipſi iraſcitur, quod ob vilia, et peritura Deum dereliquerit. 5: timorem, quo metuit, ne Deum offendat, illique diſpliceat. 6. DESIDERIUM, quo anima fertur ad omnia, quae Deus jubet 2dum illud Regis poenitentis: Concupiſcit anima mea deſiderare juſtificationes tuas omni tempore. 7. AEMULATIONEM, qua aemulatur Chariſmata meliora, et eos, qui in via mandatorum incedunt, aemulari ſtudet.* Denique 8: *VINDICTAM, qua poenitens in ſe ipſo poenas exigit, Deique juſtitiae ſatiſfacere pro virili conatur.* Haec teſte Angelico omnia dicit Apoſtolus verbis illis: *Ecce enim hoc ipſum triſtari vos ſecundum Deum, quantam in vobis operatur ſollicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed vindictam.* Haec chariſmata amoroſae poenitentiae et nobis ſectanda, et poenitentibus inculcanda ſunt, non *deſultoria, et vacillans*, ut Angelicus ait, *fuga* poenarum, ut ſtabilis ſit converſio. Praemiſerat I ad eoſdem Cor cap 15 v 58 Gentium Doctor: *Itaque Fratres mei STABILES eſtote, et IMMOBILES, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino.*

Effectus charitatis.

Exemplum primorum chriſtianorum.

XXIII. Vis hanc chriſtianae juſtitiae ſtabilitatem omnibus ſenſibus palpare? en! olim Judaei, et Pagani ſervitute diaboli abjecta, falſorum Numinum cultu ejurato, Fide Chriſti, baptiſmoque ſuſcepto continuo *erant perſeverantes in oratione, et fractione panis* Euchariſtici, adeo ſtabiles in juſtificatione reddîti, ut digni eſſent, qui *quotidie* Diviniſſimum panem laici licet, ac conjugati, ipſaeque mulieres ſumerent: Nos hodierni Chriſtiani *eadem cum illis Fide* perfuſi, *ejusdem* Chriſti *diſciplinis* imbuti, *iiſdem Sacramentis* initiati, *eadem juſtificatione*

ſan-

Et humanae amicitiae.

ſantificati, *eodem Diviniſſimo cibo*, et *potu ſaginati* quantum diſtamus ab illis! quin et in humanis amicitia *ſincera charitate fundata* raro poenitus diſſolvitur, ſed conſtans, atque uſque ad mortem perſeverans eſt. Aſſerente D Hieronimo epiſt ad Ruffinum *amicitia, quae deſinere poteſt, Vera nunquam fuit.* cui praeluſerat Tullius Oratorum Princeps de amicitia c 9: *Verae*, inquiens, *amicitiae ſempiternae ſunt.* Tanto firmior ſit oportet amicitia *ſupernaturalis* inter Deum, et hominem *charitate radicata*: Quam *comitantur dona coeleſtia vires humanas reſtaurantia, infirmitatem conſolidantia, fortitudinem*, ac *ſtabilem* in bono *perſeverantiam* infundentia. Conſiderentur hodiedum Dei amantes animae! qui revera juſti ſunt, *fortes* ſunt, *ſtabiles* ſunt: Raro labuntur: occaſiones peccatorum fugiunt, mundi vanitates deteſtantur: *precibus aſſiduis Divinam implorant in charitate perſeverantiae gratiam*: Si forte caſu urgentiſſimae tentationis gravius labantur, *protinus* reſurgunt, amariſſimiſque Lacrimis *abluta ſorde peccatorum, ex* ipſo *lapſu cautiores*, diligentiores, vigilantiores, atque in bono *conſtantiores* reddantur. Dum interim quotidianos naevulos ſuos freqventi Sacramentorum uſu emundare, atque per aſſidua *bona opera vocationem*, et *electionem ſuam certam reddere* in dies Principis Apoſtolorum monitu *ſatagunt.*

Urget juſtitae noſtrae ſtabilitatem.

XXIV. Sed heu temporum noſtrorum iniquitatem! quam pauci hodie tales! videmus cum Lacrimis in hac ultima temporum ſece Chriſtianos libidinoſos, maechos, adulteros, molles, carni, et ſanguini viventes, ſe ipſos amantes, ſuperbos, avaros, perjuros, blaſphemos, fraudulentos, *omniumque vitiorum conſvetudinarios* ſemel, aut bis in anno Sacramenta frequentare. Quae emendatio? nulla poenitus. Hodie confitentur, cras rurſum perpetrant confeſſa. Vix reſurgunt, iterum priſtina vitia reſumunt, ac denuo pro ſequentis anni confeſſione ſcelera accumulant. Eas tunc, tertio, quin et decimo anno conſvetudines, libidines, fraudes, adulteria, perjuria, blaſphemias, injuſtitias confitentur. In quibus totos annos conſumunt, aliquot forte diebus ante, et poſt confeſſionem, ſi tamen et illis, exceptis. Haec in ſceleribus acta vita *in hoc relapſuum circulo vitioſo* totam fere aetatem hodiernorum fidelium cumprehendit. Omnibus comperta haec veritas Judex eſto! Ut adeo attigiſſe jam videamur noviſſimorum illorum temporum calamitatem miſerandam, quam praedixit Gentium Doctor 2 ad Timoth 3, dum dixit: *Hoc autem ſcito, quod in noviſſimis temporibus inſtabunt tempora periculoſa. Erunt enim homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi. blaſphaemi, Parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis, quam Dei. Habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Conſideremus toto anno, imo vero mox a Paſchali confeſſione peracta majorem partem eorum, qui ſe Catholicos venditant, et oſtentant, et palpabimus, Apoſtolum praemiſſis luctuoſiſſimam, quia curruptiſſimam hanc aetatem noſtram depinxiſſe vivis coloribus. Deum immortalem! iſtene eſt chriſtanae juſtificationis fructus? iſtine Filii Dei? Hine vitam, moreſque ſuos ad Chriſti exemplar componunt? *Quos praeſcivit, et praedeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui* ad Rom 8 v 29.

Hodierna morum corruptela.

An Patres per auxeſim locuti ſint?

XXV. Ais: Deſcripta hic a n XVIII juſtitiae idea multum habet *auxeſis*. *Conſilii*, aut veſtigii *publicae* poenitentiae, go praemiſſa hodiernis moribus aptari nequeunt. Reſp 1: Qui haec, illave per *auxeſim* dicta praetendit, onus in ſe aſſumit probandi *ex*

aliis

aliis locis, SS Patres planum, et verum ſenſum ſuum eadem in re longe aliter tradidiſſe. Quod niſi praeſtet objiciens, manemus in poſſeſſione obvii ſenſus. Id vero demonſtraturos adverſarios penitus non metuimus. Nam SS Patres praemiſſa loquuntur *conformiter*, et *aequaliter* ubique. Id: idque non in *affectibus*, et *amplificationibus* dumtaxat oratoriis, ſed *docendo, aſſerendo*, et *probando* doctrinam ſuam *ſcripturae Sacrae* utriusque teſtamenti *teſtimoniis*. Tales igitur exceptiones adverſariorum ad paradoxa merito rejici debent. Juvat audire cit. Patrem Elizalde pro unitate doctrinae inter Aſcetas, Concionatores, et Theologos ita ad hominem differentem p 2 q 6 § 6: *Neque enim Apoſtolorum - - nec Martirum tempore - - nec aetate Doctorum fuit iſta ſacrorum Oratorum, Theologorumque diviſio. - - - Nequaquam Auguſtini, Chriſoſtomi, Ambroſii, Gregorii, ac ſimiles viri Dei ex alto quidem, et in templis docebant: ſupererant autem alii dein quaſi Theologi, ad quos appellaretur: et ex quorum theologia vita inſtitueretur. Neque rurſus ſummi illi viri quaſi unam facultatem, homilias ſuas, et conciones, ſermonesque tradebant: ac deinde quaſi rem prorſus aliam morum diſciplinam, moralemque theologiam, ex qua viveretur, conſignabant. Sed conciones, homiliae, ſermones, theologia moralis, morum diſciplina, et hoc genus omnia unum, idemque erant. Unde nulli nobis ſuperſunt eorum libri alii quaſi concionatorii, alii - - qui Theologi morales vocarentur. Et opera etiam illa, quae de concionibus non ſunt, talia exiſtunt, quae ex concione dari poſſent, ejusdem plane naturae, ut icae doctrinae, ex eadem libris compactae, atque verbis Dei confertae. At modo utraque illa facultas differt adeo, ut vix aliae diſcrepent magis. - - - utinam ergo conciones eas habeamus, quae in ſcholis quoque valeant! utinam theologiam eam, quae in templis etiam aediſicet! et utraque iſta facultas in unum conſpirans ſeſe viciſſim juvet: ne altera diſſipet, quae altera plantavit, rigavitque. Certe - - - citra metum dicam: vitam Chriſtianam nuſquam vel in templis, vel in foris addiſcendam, ubi omnium caput non ſit Jeſus Chriſtus, et hic Crucifixus.* En idaeam veri Theologi, Concionatoris, et *Aſcetae!* Eam tota quanta inculcat ſcriptura, Patres omnes: *ſcire Jeſum, et hunc crucifixum*, ejuſque tenerrimum amorem *in*, et *extra Sacramentum!* ſi quis haec *per auxeſim* dicta, aut ad *Concionatores, Aſcetaſque*, aut demum ad *conſilia* pertinere dixerit, eum ego non tam verum Theologum, quam Diſputatorem, et Rabulam in Theologia deinceps ſum habiturus: ut exemplo *Apoſtolorum, Martirum*, et *Eccleſiae Doctorum* una ſit omnibus, et in omnibus theologia ſcholaſtica, Dogmatica, moralis, concionatoria, aſcetica. Profecto nunquam major ruina Theologiae moralis accidit, quam quum poſtremis his ſaeculis *Theologi*, et *Caſuiſtae* ſe ſe *ab Aſcetis*, et *Concionatoribus* diſcreverunt, aliterque ab illis loqui, docereque caeperunt. *Unum* eſt *verbum* Dei: *eodem ab omnibus* (quamcunque profiteantur verbi Dei exponendi rationem) *modo* intelligi debet: *unum eſt labium Eccleſiae.* Ex quo *apud heterodoxos* invaluit *licentia linguarum* ſcripturam, et Patres pro ſuo arbitrio interpretandi, facta eſt *confuſio Babylonica.* Adde, quod praefatum aſſertum ſit unum ex illis, *quibus* teſte praeclariſſimo Theologo P Corbiniano Luidl Joannes *Dallaeus* libro de uſu Patrum c 5 *adverſus SS Patrum auctoritatem pugnavit.* Quod item *aſſertum* adeo diſplicuit ipſis etiam magis ingenuis acatholicis, ut eodem teſte quidam eorum eminentioris doctrinae reponere non dubitaverit: *ſi concedamus Patres* PER AUXESIM *locutos fuiſſe, concedendum neceſſario fore*, EOS INSIGNITER MENTITOS FUISSE. Erubeſco, videns, quosdam heterodoxorum modeſtiores, atque in Sanctos Eccleſiae Doctores reverentiores eſſe nonnullis Catholicis morum ſcriptoribus.

Negativa.

Exemplo PP una ſit Theologia Dogmatica, Concionatoria, Aſcetica, Moralis.

Nec ex consilio. Resp II: Praemissa idea poenitentiae Christianae ad *Consilia* trahi penitus non potest. Patet luculenter ex dictis cap IX n XXV.

Nec de publica poen. Resp III. Neque dicta idea poenitentiae *ad Caeremonias publicae* poenitentiae amandari potest: nam a n hic XVIII ideam verae poenitentiae majori parte ex scriptura depinximus. At manifesta scripturae loca ad *publicam caeremonialem* poenitentiam detrudi nullatenus possunt. Adde, publicae poenitentiae *Spiritum*, ac *finem* fuisse *emendationem* omni poenitenti jure Divino necessariam. De quo mox pluribus.

Nec de extrasacmtali. Resp IV. Neque depicta imago poenitentiae ad *extraSacramentalem* rejici potest. Ut enim virtuti, ita Sacramentali poenitentiae proprium est ex citatis hic a n XVIII scripturae oraculis, ut justitiam cauliet non fugacem, inconstantem, desultoriam, sed modo fragilibus hominibus proprio stabilem, permanentem, atque in dies crescentem usque ad perfectum diem perfectionis viae, ac patriae. Ut igitur verum sensum doctrinae PP h a n XVIII relatae assequamur:

Relapsus illimitate dici nequit signum invalidae absolutionis. XXVI. Quaeres: An in *magnis*, et *habituatis peccatoribus* proximus RELAPSUS sit signum, tales absolutione cito obtenta non fuisse justificatos? Resp I: Id *absolute*, et *illimitate* asseri nequit. Colligitur ex dictis cap. VIII n XXIX. accedit ratio: nam Tridnum sess VI cap VI juncto VII ad justificationem Sacramentalem charitatem initialem requirens non excipit *magnos*, et *habituatos* peccatores, nec pro his ullibi requirit charitatem, et contritionem *perfectam*. go evidens est, initialem charitatem, si caetera adsint, summis etiam peccatoribus habitualis justificandis in Sacrmto sufficere. Atque ita sentire videtur Mellifluus epist 42 dicens: *fictam ego arbitror vocari eam fidem, quae susceptа quidem ex charitate moveri incipit ad operandum, sed non perseverans deficit, ac moritur tanquam abortiva. Eo utique sensu FICTAM dixerim, quo vasa figuli vocamus* FICTILIA: *non quia* UTILIA *non sunt, quamdiu durant; sed quia* FRAGILIA *cum sint, diu minime durant. De hac fictione puto eos notari, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.*

Absolvi possunt semel Curati ad celebrandum arctati. Ex hac doctrina discimus I: Eos *habituatos*, et *relapsos*, qui vere coram Deo differre nequeunt *hodie* communionem (quales censentur esse Curati illi miserandi, de quibus cap IX n XLV egimus: aliis consulam suo commodiori loco) si *ferree proponant seriam emendationem, nec alias deceperunt Confessarium*, et *medicinales satisfactiones prompte* amplectantur, cum initiali contritione SEMEL caute absolvi posse. Nam ex una parte ut vidimus c IX n XLV, hos Tridnum suae conscientiae relinquit, ut in defectu Confessarii cum tentata humanitus contritione celebrare possint: ex altera parte hi, ut supponimus, dant signa verosimilia emendationis. go praestat eos initiali charitate contritos absolutione sacrmli juvare ad justificationem assequendam, quam incertae contritioni perfectae relinquere alioquin celebraturos. Si tamen me *alias decepisset*, nec modo praeberet *extraordiariam spem* emendationis, absolvere non auderem ante secutam effective emendationem. Ut mox

Et moribundi. pluribus dicam. Dis imus e praemissa doctrina II: *Habituatos*, et *relapsos* in *articulo mortis initialiter* contritos differendos non esse, sed absolvendos. Nam ut patet ex responsione, spes est, talium poenitentiam efficacem esse: Et si reipsa moriantur, defectu temporis, et occasionis non amplius relapsuros. Ipse scio, multos moribus antea magnos peccatores susceptis Sacrmtis mox usu rationis privatos,

in

in phraeneſim verſos, aut illico extinctos eſſe. Quae magna eſt gratia Dei auferentis talibus tempus, vel uſum rationis ad tentationes, et ſic ad relapſum. Ex adverſo autem ſi tales *praetextu relapſus* differentur, eveniente morte aeternum perirent. Quod eſt alienum ab Eccleſiae mente, quae ut vidimus h n XI, moribundis petentibus (*a*) Sacramenta non negat, ut ut ſecuritatem non praeſtet.

XXVII.

(*a*) Eos, qui in *articulo* (ſive veroſimili periculo *mortis*, in quo multi moriuntur, licet multi etiam evadant) integre confiteri nequeunt, conveniunt omnes, abſolvendos eſſe I: Qui unum ſaltem peccatum confeſſus: vel II: Se peccatorem eſſe: confiteri velle, coram Sacerdote proteſſus repente obmutuit. Vel III: Sacerdoti praeſenti *ſignum* dedit poenitentis animi tundendo pectus, oculos in coelum elevando, manus Confeſſarii comprimendo. Si horum omnium nihil praeſtare poſſit, adhuc tamen abſolvendum cenſent IV eum, qui abſente Confeſſario voce, ſignis, nutu ſacerdotem petiit, confiteri velle ſignificavit: Etiam ſi V: Id unus tantum teſtis referat. Imo etſi hic teſtis id ab alio audiverit. Colliguntur hi caſus ex Auguſtino L de adulterin Nupt cap 28 aſſerente, ſe *baptizandos putare eos catechumenos, qui retinent adulterina conſortia - ſi deſperati, et intra ſe poenitentes*, ideſt: aliquo ſigno poenitentiam manifeſtantes *jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint. Quae autem baptiſmatis eadem eſt reconciliationis cauſſa, ſi forte poenitentem vitae periculum praeoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arha ſuae pacis exire velle debet Mater Eccleſia*, go *maximos* etiam *peccatores aliquod* poenitentiae *ſignum dantes* abſolvendos *abſolute* jubet rigidus cuſtos diſciplinae Auguſtinus. conſentit Rituale Strigonienſe de Sacrmto poen: *Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, et loquela aegrum deficiat, nutibus, et ſignis conetur quoad ejus fieri poterit, peccata poenitentis cognoſcere. Quibus utcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiamſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.* Si his opponas, confeſſionem per litteras, vel internuncium abſolute vetitam a Clemente VIII eſſe. Reſp: caſum *morbundorum* ab eodem exceptum eſſe ita, ut Confeſſarii ſubinde *praeſentes* abſolutionem impertiri valeant.

De illis, qui in articulo mortis integre confiteri nequeunt.

Abſolvi debent, qui aliquomodo manifeſtant ſe velle abſolvi.

Eppus Vaſionenſis de poen cap XII q 5: et Vitaſſe ibi q VI a II concedunt *abſolvi poſſe abſolute* eum, qui praemiſſorum praeſtare nihil poteſt, quia *repente obmutuit; prius tamen Chriſtiane vixit.* Colligunt I ex ſacerdotali Romano 1560 Venetiis impreſſo. 2. idem docuit Gregorius XV 1623 dum eſſet Archi-Eppus Bononienſis *In memoriali cap I de forma Sacrti poen* his verbis: *Addit ſacerdotale Romanum ex doctrina S Antonini, poſſe etiam abſolvi moribundum aſvetum frequentare confeſſionem, quamvis repentino caſu oppreſſus SACRM NON PETIERIT.* 3. Subſcribunt ſtatuta ſinodalia Eccleſiae Lemovicenſis 1610 cap 10: quia, inquiunt, *fieri poteſt jud cium ex actionibus vitae, et moribus eum, libenter poen Sacrm petiturum fore, ſi tempus, et morbi violentia permiſiſſet.* Addunt tamen: *Licet hoc in caſu nihil de abſolutionis effectu promittere poſſimus: Sed animarum ſalvandarum cauſſa nullum remedium omittere debemus, quod Deus poteſtati noſtrae commiſit, Deum orantes, ut immenſa bonitate, et miſericordia, quod deeſt aegrotorum diſpoſitioni, ſupleat: Caetera inſcrutabilibus Dei judciis commendantes.* 4. Vitaſſe pro hac ſententia citat totam Lovanienſem Academiam, et plures alios Auctores. go in praxi tuta ſatis eſt. Addit tamen, a Facultate Pariſienſi declaratam eſſe in praxi periculoſam doctrinam *Amidei Guimenii* docentis, tales *univerſe*, et *abſolute* DEBERE *abſolvi*. Ideo nos dicimus, POSSE.

Abſolvi poſſunt, qui pie viventes velle praeſumuntur.

Sed graviſſima eſt controverſia, an abſolvi poſſit ſine ullo ſigno poen repente obmutefcens ſi *prius notorie nimia cum licentia in luxuria, aliiſque peccatis vixit?* Rdet Vitaſſe L c *negative*: Quia homo talis eſſe praeſumitur, qualis fuit ſemper, quamdiu aliud non apparet. quae ejus ratio *pro articulo mortis* negari, et reſelli poteſt ex iis, quae idem Vitaſſe ſequenti mox folio adducit pro *obmutefcentibus chriſtiane viventibus.* Ait enim ideo Auguſtinum voluiſſe baptizari catechumenos luxuriofe viventes, quia *incredibile eſt, eos nec in fine vitae baptizari voluiſſe.* Quod et de *hoc caſu* affirmari poteſt: Etenim ſceleſtiſſimus quiſque quamdiu palam ſe ab Eccleſia Catholica non ſegregat, ſperat, et *vult in Eccleſia medio Sacrmtorum expiatum pie mori.* Ideo enim profitetur religionem catholicam. Etſi vero haec ſpes, et voluntas, quamdiu vita ſceleſta erat, inefficax fuerit, et modo incerta ſit, tamen ut ibi continuat Vitaſſe: *multo ſatius eſt Sacrm poen nolenti dare, quam volenti negare.* Quis adhaec Conſiliarius Dei fuit, an huic hactenus ſceleſto non dederit in articulo mortis *gratiam contritionis?* aut ſaltem *voluntatem contritionis ſeriam*, et *cum abſolutione perficiendam?* Rdet Vaſionenſis L c itidem *negative*: Quia nullum adeſt fundamentum credendi materiam Sacrmti poen *contritionem*, et *confeſſionem* adeſſe.

Quin et ſcelerate viventes praeſumuntur velle.

Extra eit casus sensus PP de recidivis.

XXVII. Resp II: Extra HOS casus absolutio *habituatorum*, et *recidivorum*, sive quod idem est: *Qui ex antiquo habitu, vei ex antiqua nequitia peccant*, antequam *medicinalibus* poenitentiis moraliter sanentur, *saltem illicita* est. Patet Luculenter ex natura justitiaeC hristianae h a n XVIII descriptae. Referente Christiano Lupo de *contritione cap VI* Joviniani, et Godeschalchi error fuit, eos, qui post baptismum, aut poenit Sacrm cadunt, omni poenitus charitate caruisse, proinde nec justificatos fuisse. Nemo hodie adeo delirat. Ideo dum scriptura, et PP in recidivos stupendum detonant, haec dicunt 1:, Habituatorum emendationem esse longe difficillimam. Cap VIII n XXVII. 2. Spiritum Evangelii exigere *poenitentiam stabilem*. 3. In habituatis relapsum argumentum esse *defectus veri doloris, et propositi*. Nec proinde

---

adesse. At dici potest adesse *probabiliter praesumptam*, *et dubiam* in articulo mortis pro absolutione saltem *sub conditione* sufficientem. Ideo enim quisque in fide catholica vivit, ut pie moriatur. Hoc omnes volunt. Atqui ex contingentibus comuniter fit praesumptio. go et talis censetur dolere de peccatis, et velle Saluti suae modo optimo consulere. Ac forte hanc voluntatem licet confessarius non advertat, moribundus manifestat oculis, omnibus corporis sui motibus: saltem contrarium non constat. go quia 1: In dubio HOC id est probabilius, quod saluti hominum est conducibilius: nisi quid *indubitatum* obstet. Quia 2: Sacramenta in gratiam hominum sunt instituta: Non e contra: ideo satius est illa esse *innocenter* irrita; quam hominem forte absolvi volentem perire. Quia 3: Probabilis est opinio Scotistarum *totam essentiam sacrmti poen in sola absolutione* constituentium. Ex his inquam rationibus (quae in substantia sunt Vitasii l c) puto me non manifeste errare, si affirmem, probabile esse, *hos* quoque sub conditione *si es capax, absolvi posse*. Sane haec conditio *si es capax* utpote de praesenti facit sacrm validum casu quo hic *mutus* est capax. Si vero *is* est reipsa incapax, facit ut Sacrm eo ipso sacerdos *nolit* administrare: Habet enim a contrario hunc sensum: *si non es capax, non te absolvo, nolo Sacrm.* go hic *innocenter consulitur Sacrmti reverentiae.* Neque dicant recentiores cum Vasionensi l c: Morem dandi absolutionem *sub conditione* in Ecclesia per XVI saecula nunquam viguisse: Ideo non sine temeritate rem tanti momenti introduci posse sine aliqua auctoritate, et contra morem omnium Ecclesiarum. Haec enim quam fidenter dicuntur, tam vere negantur. Refert enim Vitasse l c Clementem VIII cuidam ex fabrica D Petri Ruenti cum caderet absolutionem dedisse dicendo: *si ex capax, absolvo te a peccatis tuis.* At tantus Christi Vicarius, qui exeunte saeculo XVI a 1592 electus est, et vir fuit non magis dignitate, quam scientia maximus, formulam illam ex digito, ut ajunt, suo non suxit, sed Majorum traditione accepit. Imo videor mihi videre, totam formam absolutionis Sacrmtalis aliquo modo esse conditionatam: *In quantum possum, et tu indiges.* Si quis putaret, hanc conditionem ad solas censuras pertinere, recordetur declarationis Benedicti XIV contractum matrimonialem Reformatorum nostrorum (in quo consensus matrimonialis pure praecedebat, dein conditio *donec in honestate permanseris* adjiciebatur) *conditionatum* esse definientis, et totam contractus eorum rationem sic breviter contrahentis: *Accipio te, et juro quod non te deseram, donec in honestate permanseris.* Ita vice versa ego puto contrahi posse formam absolutionis: *in quantum possum, et tu indiges, absolvo te ab omnibus censuris, et peccatis tuis.* Nam conditio initio praemissa magis influit in subsequa; Quam in fine adjecta retro agat. Quod tamen declaravit Benedictus XIV.

go probabile est, et hos absolvi posse.

Sub conditione de praesenti.

Quod tamen Lectoris judicio permittitur.

Ex his statuat Lector, an *post diligentem actuum Theologicorum, et doloris de peccatis inspirationem* absolvere *sub conditione* ausit eum, qui diu scelerate vivens repente, non tamen in ipso actu peccati, obmutescit: Aut si in actu peccati id fiat, puta si in rixa mortaliter peccaminosa, in *duello*: (*Hos* excommunicat, et si in loco duelli moriantur, sepultura Sacra privat Tridnum Sess XXV cap 19 ref. at nemo eos ad poenitentiam disponi posse prohibuit. Et quia in articulo mortis nulla est reservatio, in *hoc puncto* ut alii in furto, fornicatione, adulterio obmutescentes tractari debent) lethaliter vulneretur, non statim tamen moriatur, sed tempore sufficienti ad *inspirandam ei contritionem*, et ad sui recollectionem supervivat: an, inquam, hujusmodi *nullo accepto signo contritionis* sub *conditione* dicta absolvat? adest hic contritio, et voluntas confitendi *praesumpta*, et *dubia*. Ut fere in christiane viventibus obmutescentibus. Conditio *si es capax* consulit Sacrmti *nullitati*, ut diximus: Imo hic magis, quam consulant illi, qui Christiane viven-

inde eos absolvendos esse *ante emendationem* (extra articulum mortis) nisi extraordinaria contritione ipem indubiam faciant fore, ut ad vomitum non amplius sint redituri. Haec dicit Math c 7 v 24: *Omnis, qui audit verba mea, et facit ea, assimilatur viro sapienti, qui aedificat domum suam* justitiam suam *supra PETRAM, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti* tentationum, *et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat supra FIRMAM PETRAM* solidae, et radicatae charitatis. 1 Joan 3 v 6: *omnis, qui manet in eo* per charitatem, *non peccat* facile: *Omnis, qui peccat* cito relabens, *non vidit eum, nec cognovit eum* per charitatem habitualem. v 9: *Omnis qui natus est ex Deo* per habitum charitatis, *peccatum non facit* facile: *quoniam semen ejus* dictus habitus *in eo manet, et non potest peccare* moraliter loquendo. Cant 8 v 7: *Fortis est ut mors dilectio.* quae verba explicans Moralium-Doctor L 10 mor cap 12 ait: *virtuti mortis comparatur dilectio, quia mentem, quam semel caeperit, a dilectione mundi penitus occidit, et tanto valentius erigit, quanto et insensibilem contra terrores reddit.* Teste Augustino serm 182: *Tala peccata, quae uno ictu animam perimunt, non facit Bonae fidei Christianus, sed illa sola, quae quotidiano orationis penicillo tergantur.* Et tract 8 in Joan: *Radicata,* inquit, *est charitas, securus esto: Nihil mali procedere potest.* Exadverso Tertulianus 1 praescript c 3 asserit: *Nemo Christianus, nisi qui ad finem usque perseveraverit.* Et ne hunc Montanizare credas, longe terribilius est, quod intonat S Gregorius M 1 34 mor cap 13: *Qui seduci non reversuri possunt, quasi habitam sanctitatem ante oculos hominum videntur amittere; sed eam ante oculos Dei nunquam habuerunt.* Audi et illud sulmen Augustini L 1 cap 22 de serm Dni in monte: *multum inter est, quali poenitentiae ignoscat Deus.* Me quidem prope exanimat tremenda illa S Ambrosii L 2 de poen c 10 sententia: *Facilius inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint poenitentiam.* *Justitia adepta est constans.*

Ex quibus illud saltem certissimum est, habituatorum, et relabentium poenitentiam *anxie dubiam* esse: proinde eorum absolutionem in pra-

viventem obmutescentem cum *praesumpta* materia *absolute* absolvunt: nec aliud *indubitatum* obstat. go nisi hos absolvas conditionate, contra monitum Sinodi Lemovicensis *earum salvandarum causa aliquod remedium omittis, quod Deus tuae potestati commisit.* Imo contra doctrinam Augustini *Poenitentes PRAESUMPTOS ex hac vita sine arha pacis suae exire vis* contra materna Ecclesiae viscera, quae sunt *misericordiae* respectu potissimum agonizantium. Si Ritualia objicias, haec tales vetant absolvi *absolute*: silent de absolutione *conditionata: quae* tamen post factum Clementis VIII temere sugillatur. Sic nemo dubitat Baptismum persaepe sub conditione conferri et posse, et debere. At nisi de exceptione constet, quae baptismi, eadem Sacrmti poen *est ratio* propter summam utriusque necessitatem. Haec quamquam urgentia videantur, non tamen Lectorem ad iis assentiendum cogo: Quin ipse quoque haec momenta altiorum judicio libenter subjicio. Etsi enim agonizantibus maxime consulere velim, eorum tamen poenitentiam cum Augustino pene *mortuam* habeo.

Interim certum teneo. absolvi nec sub conditione posse eos 1: Qui sub ipso actu peccati mortalis sive apoplexia, sive extrinseco vulnere occumbunt. 2: Qui in actu gravis peccati in amentiam, aut Phraenesim sine lucido intervallo incidunt, et sic diutius vivunt. quia in his prudenter nequit praesumi contritio, et voluntas confitendi. Nec 3: absolvi possunt etiam sub conditione in articulo mortis haeretici *formales* nullum signum dantes: Aut 4: Obstinati Naturalistae. Et his similes. Ex eadem ratione: Et quia hi Ecclesiam, et ejus Sacrmta rident, contemnunt. Aliter loquerer de haereticis *materialibus*, nisi metuerem, ignorantiam in eis necessariorum *necessitate medii* absolutionem cassam redditurum. Qui prius *Spem dederant conversionis*, nisi his quoque ignorantia obstet, tractentur pro ratione *Spei*.

xi extra mox dictos casus graviter *illicitam ante dignos fructus poenitentiae.* quos quidem fructus dignos poenitentiae ab omnibus poenitentibus in ratione *satisfactionis congruae* multis ursimus cap VIII a n XIX. At quia sensim crescit et oratio, et doctrina, hic jam ex professo de Consvetudinariis, et relabentibus acturus statuo expraemissis sequentia, jam dicta mire illustratura, ac miserante Deo mores populi (si debite in usum vocentur) certo emendatura

XXVIII. COROLLARIA. Recidivi, et Consvetudinarii, sive ut in terminis prioribus maneam: *Qui ex antiquo habitu, vel ex veteri nequitia peccant*, absolvi nequeunt nisi post moraliter certam spem emendationis. Haec assertio si tam exacte observaretur, quam certa est, maxima pars peccatorum inter catholicos impediretur. Evinco illam omni argumentorum vi. I. Ex dictis hic a n XVIII Justificatio Evangelica a scriptura, et SS Patribus descripta debet esse stabilis, constans, et perseverans. go qui in continuo *circulo vitioso poenitentiae, et recidivae* vivunt, non secundum evangelium, et Ecclesiae spiritum agunt poenitentiam. go indigni sunt absolutione eo usque, dum spem certam praestent emendationis. II. Atque haec est certa mens SS PP. Audiamus Augustinum serm 7 de temp: *Ista est Filioli mei! vera poenitentia, quando sic convertitur quis, ut non revertatur: Quando sic poenitet, ut non repetat: Lavatur, et mundatus est, qui praeterita plangit, et iterum non admittit. Lavatur, et non EST MUNDUS, qui plangit, quod gessit, NEC DESERIT; sed post lacrimas flenda haec, QUAE FLEVERAT, REPETIT.* S Fulgentius ejus discipulus L I de remis pecc: *Nunquam diluunt gemendo peccatum, qui non desinunt peccare post gemitum.* S Ambrosius L de bono mortis c 7: *Plerique criminum suorum absolutione laetantur: Si emendaturi sunt, recte. Si in eis perseveraturi sunt, stulte: Quia longe plus eis damnatio profuisset.* S Hieronymus in ps 118: *Vera est poenitentia jugiter fletibus commissa diluere, et ABLUTA NON INTERARE.* S Gregorius M Hom 34 in Ezech: *Poenitentiam agere est perpetrata mala plangere, et PLANGENDA NON PERPETRARE. Nam qui sic deplorat alia, ut tamen alia committat, poenitentiam agere aut IGNORAT, AUT SIMULAT.* Consentit S Isidorus Hispalensis: *Poenitentia est praeterita plangere, et plangenda iterum non committere.* IRRISOR *est, non poenitens, qui adhuc agit, quae poenitet.* Et S Gregorius VII libr 7 epist 10: *Poenitentia est mala praeterita plangere, et plangenda non committere. Ita poenitere, ut non repetat: Ita gemere peccatum, ut desinamus peccare post gemitum. Quoniam ALITER SIMULATIO DICI POTEST, non poenitentia.* Qui praecipuis his PP non credit, nec innumeris credet. Neque hi ad publicam poenitentiam restringi possunt, quia conformiter scripturae loquuntur: Et *essentiam* ac *naturam* poenitentiae describunt, non Coeremonias, non solennitates. Praecipue vero III: Quia *antiquis* conspirant *juniores* Patres: S Thomas a villa nova serm in fer 6 post Dom 4 Quad quaerit: *quando absolvendi sint recidivi?* et Respdet: *quando peccata deseruerunt.* Idque probat exemplo Ninivitarum Ionae 3 v 10: *Et vidit Deus OPERA EORUM, quia* CONVERSI SUNT *de via sua mala. et misertus est Nonait: Vidit gemitus, vidit lacrimas. vidit saccos, vidit cineres.* (Quamquam et illa viderit ibi v 6. 7. 8: Sed a l illa misertus non est) *sed vidit* OPERA EORUM, *quia conversi sunt a via sua mala, et misertus est. Si vitia non deseruntur, frustra Dei misericordia imploratur. Frustra oculus plorat, si animus in crimine perseverat.* Igitur *ex fructibus cognoscetis eos*, qui ita vivunt, ut jam impudici, blasphemi, ebriosi, maledici, etr ut ante, dici nequeant; quia a longe tempore, praescriptis sibi mediis cap VIII n XXVI debite usi,

Recidivos absolvi vetant

PP antiqui.

Et mediae aetatis.

prava

prava consvetudine expugnata, peccare desierunt. Hi sunt absolutione, et communione Sacra donandi. (Ita Patuzzi de Sacrmtis cap XI) Quod nisi fiat: Confessarii illi, qui recidivorum, et habituatorum *miserentur inique*, ut contineat eodem sermone cit Divus, *animas* MORTUAS *a pedibus suis dimittunt, vulnera linunt, et securos peccatores* AD INFERNA DIMITTUNT: *Qui si timorem populo incuterent, forsitan illum a vitiis revocassent.* Merito exclamans concludit: *Quid Ecclesiam Dei hodie perdit? nisi confessariorum blandiens adulatio?* S Franciscus Salesius in sinodal instruct graviter praecipit dicens: *Confessarii differant absolutionem eis, qui vitiosis habitibus eradicandis nervos omnes non intendunt, alias in confessione admoniti, et correpti.* Totus quantus meus est in hoc quoque junior Ambrosius D Carolus Borromaeus In instr confessarior ita instruens: *confessarios monitos volumus, ut donec* EMENDATIONEM PERSPEXERINT, *absolutionem iis poenitentibus prorastinent, quis verosimile est iterum in peccata prolapsuros, quantumvis* POLLICEANTUR, AC SPONDEANT *ea se dimissuros. Hujusmodi vero sunt adolescentes otio ut plurimum dediti: Qui in ludis, comessationibus, ebrietatibus, et impudicitiis majorem vitae partem impendunt. Iis pariter accenseri debent blasphemi, detractores, turpiloquio addicti, innumerique alii impii, qui semel tantum quottannis tempore quadragesimali sese Sacerdoti sistunt ad confessionem. Sicut universim omnes, qui per multos annos in eadem peccata prolapsi erant, abjecto debitae correctionis studio.* Igitur media quoque aetas SS PP in habituatis non transeuntem dolorem, non vocale tantum propositum, sed *realem emendationem* exposcit. Cujus neglectum Ven Bellarminus (cui adesse S Patris sola deest canonizatio) ita deplorat serm 8 de adventu: *Multi sua imperitia, et superbia corrumpunt populos, et eis verae poenitentiae viam praecludunt.* NEC ENIM ESSET HODIE TANTA FACILITAS PECCANDI, SI NON ESSET TANTA FACILITAS ABSOLVENDI. *Veniunt homines onusti peccatis, et milies in eadem ceciderunt: Et veniunt saepe sine ullo signo doloris vel pridie, vel ipso die summae celebritatis, et statim absolvi, et ad Sacrorum misteriorum communionem accedere volunt: Et nos Judices inconsiderati, et dispensatores infideles! omnibus manum imponimus, omnibus dicimus:* Ego te absolvo: vade in pace. *Sed vae nobis! cum Dominus ponet rationem cum servis suis.* Haec si rite quis consideret, me nihil, nisi in praxi quotidiana necessariam PP doctrinam docere, evidens erit.

XXIX. Evinco eandem doctrinam ratione in PP fundata: Praeposterа haec absolutio recidivis inutilis, noxia, et exitialis in vita, et morte est. Hoc dicunt mox recensiti PP: Augustinus, Ambrosius, Isidorus, Gregorius VII, Thomas a V Nova. Eandem doctrinam Moralium Parens sic mire illustrat: *Qui admissum plangit, nec tamen deserit, poenae graviori se subjicit: quia quasi* IN LUTOSA AQUA SEMETIPSUM VOLVIT: *dum fletibus vitae munditiam subtrahit, ante Dei oculos* SORDIDAS IPSAS LACRIMAS *facit.* Legi cum horrore apud Auctorem magni nominis, Mulierem in peccatum, quod magnis cum lacrimis confessa erat, post quantuor horas oblata occasione misere relapsam fuisse! et credemus deinceps *sordidis* hujusmodi lacrimis sine emendatione? Alia id similitudine exprimit S Isidorus: *qui plangit peccatum, et iterum admittit peccatum, quasi* SI QUIS LAVET LATEREM CRUDUM: *Quia quanto magis laverit, tanto magis lutum facit.* Ita habituatus absolutione Sacrmtali auget peccatum sacrilegio, et diabolica peccati prioris securitate induta. Id quod alio mirabili modo exprimit Doctorum sol Augustinus serm 28 dicens: *Pectora vestra tundere, et haec eadem facere, nihil aliud est, quam peccata* PAVIMENTARE. Quibus docet Sanctus, habituatos *ante absolutionem*

Absolutio eorum quam exitialis.

nem conſcientiae ſtimulis horrendum pungi quaſi ſuper lapides inordinatos pedes ſecantes ambularent: At *obtenda abſolutione* anxietates, et ſtimulos conſcientiarum ut lapides ordinatos *pavimentari:* timorem exui: conſcientiam culpabiliter erroneam indui: ſecuritatem ſalutis impie contrahi, et ſic peccata quaſi per ſecurum *pavimentum* ambulando longe facilius frequentari. Seipſum explicat maximus Doctorum in ps 6 aſſerens: *Quod facile ſanatur, non multum curatur: Ex difficultate autem ſanationis erit diligenter cura receptae ſanitatis.* Et ſerm 17: *Omne peccatum conſvetudine vileſcit, et fit homini quaſi nullum ſit.*

Fomentum omnis corruptelae.

XXX. Vos ego hic appello Sacri Judices! an non propria experientia compertum habeatis, pleroſque *habituatos* primum ut par eſt cum manſvetudine objurgatos pro altera confeſſione ſibi utcunque attendere, numerum relapſuum quoquo modo minuere; et tamen metu denegandae abſolutionis anxios, trepidanteſque ad Sacrum tribunal cum horrore accedere? Exadverſo autem Fac *eos* a molli Confeſſario, in quem magno Dei judicio incidunt, et apud quos conſtanter manent, quocunque titulo mox examinando ante emendationem abſolutionem facile obtinere: mox velut jam ſecuros, *peccatis pavimentatis,* amiſſo conſcitiae remorſu, poſito timore, et angore in priſtina, et nova ſcelera ruere, in iiſque abſque plena emendatione quaſi tota vita falſa cum pace quieſcere jam minori, jam majori peccatorum numero ad confeſſionem adducto? In his etſi confeſſarii taceant, mores populi loquuntur! Itaque *pavimentatio* haec conſcientiarum, ſceleſta haec fiducia, qua miſeri hi in criminibus mortalibus circumcelliones ſperant ſe a benignis Confeſſariis abſolvendos, eſt potentiſſimum illicium ad miſerandos relapſus: eſt pallium omnium iniquitatum. Qui niſi in zeloſum, et ſpiritus SS PP aemulatorem confeſſarium incidant, contremiſco vel cogitare! ſi recenſitis hactenus Sanctis Patribus credimus, *omnes ſimiliter peribunt*: Quia in mortuali quoque exomologeſi eadem *pavimentata* conſcientia ſtulte ſecuri, in *eadem lutoſa aqua* ſemetipſos volvent, quibus ipſas *lacrimas ſordidas* reddent: Eundem *laterem lavabunt* majus lutum facturi peccatorum. Ut triſtis experientia docet multorum, qui in eadem ſcelera, quibus in vita aſveverant, et quae in mortuali infirmitate cum lacrimis confeſſi fuerant, reſtituta valitudine ut ſues ad volutabrum reverſi ſunt: Invicto argumento, eos nec in mortis articulo adhibuiſſe media illa, quae edomandis pravis habitibus SS PP praeſcribunt: Cap VIII n XXVII: Nempe *vim*, ac *violentiam: Magnum conatum: Laborem quantitati peccati reſpondentem.* Nec melius haec adhibebunt, dum reipſa mori eos contigerit: Quia ut h n XI audivimus, *poenitentia infirmi infirma, quin pene mortua eſt.*

XXXI. Nullum igitur relictum eſt nobis aliud medium juvandi habituatos, et relabentes, quam negando eis abſolutionem uſque ad emendationem. Fac enim in id hodie conjurare omnes Sacrmti poen Miniſtros: Quid futurum putas? Benigniſtae extremam confuſionem, murmura, quin et apoſtaſias metuent. Quid tum poſtea? *per inconceſſum loquor*: an facienda mala? profananda ſunt Sacrmta, ut illa evitentur? non hoc dicet ullus. At cit PP abſolutionem illorum *lutoſam, ſordidamque*, hoc eſt dictu: Sacrilegam affirmant. go haec danda non eſt ad ulla mala evitanda. Ego vero triplicem in illa hipotheſi poenitentium claſſem fore ſtatuo: Concedo quoſdam diſciplinae impatientes in reprobum ſenſum abituros. At his ipſis mitius judicium, leviorem fore infernum aſſerunt laudati PP cum paucioribus, quam cum continuandis ſacrilegiis; ſi tamen perire ſponte velint. Conſidera Ambroſium, Gregorium M, Iſidorum. etr. Multo plures promptam illico praeſtabunt obedientiam audientes ſalutis ſuae periculum. Alii

Medela ejus negatio abſolutionis.

etſi

etſi primum quidem impatientes ſint; ſubinde tamen ex una parte non invenientes jam Confeſſarium *loquentem*, et facientem ſibi *placentia:* ex altera memores piorum monitorum (cum quibus ſemper dimitti debent tales cap VIII n XXVI) conſcientiaque peccatorum urgente ſenſim ad cor redibunt, et victas dabunt Spiritui Sancto manus: ſi non prius, ſaltem in morte. En! in poſtulata a me hypotheſi duas ſaltes partes conſvetudinariorum, et recidivorum ſalvabimus: et quod caput rei eſt, nos innocentes erimus a ſangvine tertiae partes *Peccatorum* ſponte in baratrum ruentium non cooperando eorum Sacrilegiis! Ad haec Eccleſiam purgabimus innumeris turpitudinibus, et ſcandalis: et ſi non habuerimus *theatralem multitudinem*, certe *probatam paucitatem.* Cap VIII n XXXII. qui eſt Spiritus primitivae Eccleſiae In qua pauci boni Catholici bonae vitae odore aedificarunt Eccleſiam: Hodie ſceleſti Filii deturpant matrem ſuam Eccleſiam, et improbitate ſua ipſis acatholicis, quin barbaris, et Turcis horrori, et offenſioni ſunt. Zelo itaque uſti propriae, et alienae ſalutis obtemperemus omnes decreto Sinodi Spalatenſis (1618 tit. 2) Sic ſtatuentis: *maxime diligentia adhibenda eſt cum duplici poenitentium claſſe: nempe cum recidivis, et cum iis, qui res, aut famam reſtituere tenentur. Reputet ſecum diligentiſſime Confeſſarius, ne ut alios abſolvat, ſeu verius magis illiget (neque enim abſolutio male collata eſt abſolutio) incidat ipſe in laqueum diaboli, et cum caecus caecum ducit, ambo in infernum prolabantur.*

Sed quoniam haec doctrina latiſſime patet, atque a Benigniſtis innumeras paſſa eſt exceptiones, juvat eas in examen vocare ſequentibus particularibus pponibus:

XXXII. Propoſitio I. *Recidivi, et conſvetudinarii abſolvi ante EMENDATIONEM nequeunt, etſi lacrimis, et gemitibus, aliisque vocibus ſerio, et ſincere ſpondeant emendationem.* Prima pars contra eos, qui lacrimas *extraordinarium doloris ſignum* volunt, atque ad abſolutionem ſufficere contendunt, manifeſte colligitur ex SS PP h n XXVIII, XXIX, praecipue ex Auguſtino, Hieronimo, Gregorio M, Thoma a Villa nova. etc. Qui lacrimas ſine emendatione rejiciunt. Altera pars ſatis patet ex ppone to ab Innocentio XI damnata: *Poenitenti habenti conſvetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, et Eccleſiae, etſi ſpes emendationis nulla appareat, non eſt deneganda, nec differenda abſolutio, dummodo ORE proferat, ſe dolere, et pponere emendationem.* Hujus p onis d enſores utpote viri Catholici, doc i, et pii (ut advertit Patuzzius) contenti non erant *dolore*, et *propoſito* ſenſibiliter, et advertibiliter *fucato*, mere *labiali*, et *evanido*: Sed requirebant *dolorem*, et *propoſitum* judicio humano *ſerium*, *ſincerum*, ac *verum* ita *ore prolatum*, ut *fictio*, aut *ſimulatio* adverti non poſſet *ex ore* poenitentis. Et tamen damnata eſt eorum doctrina. go hodie certum fit, in *conſvetudinariis* non *verbis*, ſed *emendatione* ipſa probatum dolorem, et propoſitum ad abſolutionem requiri. Ad haec mox relata damnata propoſitio ex illa ratione defendebatur, quod *praeſens ſincerus dolor*, non *futura emendatio* ſit materia Sacramenti poen. go dum *illa* ponitur, abſolutio negari nequit. Haec itaque ratio, quam hodiedum venditant non pauci, indirecte, et conſequenter damnata eſt. Illuſtratur utraque pars: Teſte D Anſelmo cap VIII n XXVII relato, ipſe poenitens ſibimet ipſi credere non poteſt, putans ſe libere volare, quum more avis irretitus ſit. Minus go credere poteſt Confeſſarius. Quia ut Vaſionenſis de poenitentia Cap. VI q 14 ex principiis Angelici docet, in talibus ex *emendatio longiori tempore duratura cognoſcitur vera contritio a falſa.* Drouven vero de

Abſolvi nequeunt, etſi lacrimis, et verbis ſerio ſpondeant emendationem.

poen q. 10 § 3 nixus auctoritate S Caroli Bor asserit, *relapsum signum* esse in poenitente prius *defuisse verum propositum* non peccandi de caetero. go *verbis* ejus jam prudenter credi nequit, *ut foliis*, sed *fructus* exigendi sunt *emendationis*. Ut patet exemplo Ninivitarum h n XXVIII a D Thoma Nonavillano explicato. Itaque mox allatam rationem Distingvo: Praesens dolor est materia Sacramenti, et talis dolor in recidivis ex verbis, vel lacrimis mox certus est: *nego*. ex emendatione cognoscitur esse verus: *Concedo*. cof h n XXVIII.

Etiam post aliquem conatum.

XXXIII. Propoo II. *Nec Absolvi possunt post ALIQUALEM CONATUM emendationis*. Patet manifeste ex dictis, et cap VIII n XXVII. Sane si unquam alias, in habituatis, et recidivis maxime locum habet illud Evangelicum: *regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*: dum nempe pravus habitus quasi alia natura, ut vincula, dura necessitate consequente ad asveta peccata trahentia sunt disrumpenda. Si quis Deo, et carni simul servire cupiens asserat, se sufficienter conatum esse, nec tamen profeciisse: *ex fructibus cognoscetis eos*. Jam audivimus ex Augustino: *Unde hoc monstrum? imperat animus, ut velit, et non fit*: *quia NON EX TOTO VULT*. Scriptum est Trid sess VI cap XI: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possit, et petere quod non possis, et adjuvat, ut possis. Cujus mandata gravia non sunt. Qui enim sunt*, aut esse cupiunt *Filii Dei, Christum diligunt*; *qui autem diligunt eum, ut ipse testatur, servant sermones ejus*. En medium in hoc quoque casu servandi mandata Dei! diligendo Eum ex toto corde. Ibidem contestatur Spiritus Sanctus per Tridnum, quod *Deus non deserit, nisi prius deseratur*. Quin cap 13 ibi *sicut coepit opus bonum* justificationis *perficiet operans velle, et perficere*, nisi ipsi gratiae ejus defuerimus. *Nec patitur nos supra id, quod possumus, tentari, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere*. 1 ad Cor 10, v 13. Confer cap IX n XLI. Talis ergo per omnia svadendus est, ut mediis cap VIII n XXVI coram Deo diligentissime utatur.

Aut imminutionem peccatorum.

XXXIV. Propositio III. *Consvetudinarii, et recidivi QUANTUMCUNQUE MINUANT PECCATA, quamdiu ex ANTIQUO HABITU*, vel *veteri NEQUITIA peccant, absolvi nequeunt*. Reclamant multi, si imminutio numeri peccatorum sit notabilis. Nostra ppoo ostenditur hac demonstratione: Scriptura, et PP ad evangelicam poenitentiam requirunt stabilem *emendationem*. h a n XXVIII. At quamdiu quis ex *antiquo habitu*, vel ex *veteri nequitia*, rarius licet, peccat, emendatus dici nullo modo potest: quia adhuc *repetit flenda, quae fleverat*, Ut Augustinus: Nec *desiit peccare post gemitum*, Ut Fulgentius: *adhuc abluta* lacrimis *iterat*, Ut Hieronimus: adhuc *peccata non deseruit*, Ut S Thomas a villa nova: adhuc *in eadem lutosa aqua semetipsum volvit*, Ut Gregorius VII: *Adhuc laterem crudum lavat*, Ut S Isidorus ait. go adhuc lutum facit, sordidusque est; minus quidem quam ante: Indignus tamen absolutione dicendus est stilo SS PP, donec adversarii pari numero PP ostendant, eum, qui imminuit numerum peccatorum, *emendatum* dici posse. meditare coram Deo omnes citatos PP. Omnes enim hanc pponem inculcant. 2: ex Catech Rom de poen n 64 teste S Augustino *Satisfacere est peccatorum causas exscindere, et eorum suggestioni aditum non indulgere*. At qui ex *antiquo habitu*, vel veteri *nequitia* rarius licet, peccat, non dum *peccatorum causas excidit*, quin adhuc peccatorum *suggestioni aditum indulget*. Sed et Tridnum sess 14 cap 8 eam exigit satisfactionem, quae *vitiosos habitus TOLLAT*. quod non sit in casu nostro. Quia igitur Ecclesia ab *habituatis*, et *relapsis* dignam satisfactionem absolutioni praemitti hodie-

hodiedum vult, ut cognoscere possit eorum *verum dolorem*: ut dixi cap VIII n XXVII, XXVIII, XXIX: Et colligitur h n XXXII, et XXXIII: ideo necessario talibus absolutionem negare debeo. Potissimum 3: Quia talem *emendatum* esse communi sensui, et rationi repugnat. Quis enim sanus sanum illum dicet, qui antea singulis diebus, jam singulis septimanis febri, vel Phrenesi laborat? quis affirmabit eum vere cum inimico reconciliatum fuisse, qui intra octiduum hunc iterum lethaliter vulneravit? an non furem eum adhuc habes, qui olim crebrius, hodie rarius quidem, clepit tamen? Cum de bonis temporalibus agitur (ut arguit Instr Lugd de poen Diss VI a 2 § IV) si quis datam fidem antea saepius, hodie rarius frangit, adhuc tamen ei prudenter non credimus, quin mendacem, et fallum eum habemus, donec *longiori experimento* se talem jam non esse, qualis antea fuerat, certo probet. go prudenter idem sentiendum de *habituatis*, et *relapsis*, licet jam rarius in eis *antiquus habitus*, et *vetus nequitia* saeviat. Nunquid enim in rebus ad salutem pertinentibus minor adhibenda est *prudentia*, quam in mundanis? nunquid vilior est Sangvis Christi recidiva rariore quidem, adhuc tamen conculcandus, quam res temporales? quam sensibiles sumus circa injurias *nobis* illatas, etsi rariores! et qui Divinam Majestatem jam rarius lethaliter irritant: Qui intra octiduum *rursum crucifigunt Filium Dei*; eos *emendatos* putamus, quod non singulis diebus, ut antea, *sangvine* Amantissimi Salvatoris nostri *manus eorum plenae* sint? quae ista est Theologia? Deum immortalem! communi sensui, rationi, Ipsis bene moratis barbaris, si intelligerent, horribilis, et execranda! 4. Docente Vitasio de poen q VI a II Recenter ex antiquo habitu conversi adhuc probandi sunt ante absolutionem: cum fundamento enim dubitamus, an vera sit eorum conversio? Nam 1 Habitus non tam facile exuitur *consuetudine velut catenis animum constringente*, Ut ait Augustinus l 8 confession c 5. 2. Quae post diuturnam consuetudinem nova nascitur ad rectum propensio, infirma diu esse solet eodem Augustino ibidem attestante: *voluntas nova, quae mihi esse coeperat, ut Te gratis diligerem, fruique Te vellem, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* 3. Ad digne recipiendam absolutionem necessarius est amor in poenitente *affective* saltem *praedominans* cap V a n XXXVI, et seqq expositus. Quae omnia a majoritate rationis *adhuc relabentes* absolutione privandos, atque ad remedia cap VIII n XXVI praescripta majori conatu frequentanda, augendaque tenerrima cum contestatione sitis salutis eorum relegandos evincunt. Praesertim 5 quia ut in instr. Confess 3 p n 8 celebris animarum medicus Paulus Segneri instruit, imminutio peccatorum potuit accidere 1: Ex verecundia, quia Confessarius gravius reprehendit. vel 2: Urgebat annua confessio. Vel absolutio quoquo modo rapienda erat. Vel 3: Ex *lassitudine in via iniquitatis*. Vel 4: Defectu occasionis. Vel 5: Ob infirmitatem, debilitatem corporalem. etc. Ergo imminutio peccatorum nec est signum debiti *conatus*, minus *emendationis*. Et profecto 6: Si iterum cito lapsus est, manifeste convincitur, non adhibuisse ut par est remedia sibi praescripta. Quis enim dubitet ea efficacia fore si rite adhibeantur? ut vidimus h n XXXIII. Conf cap VIII n XXVII. Demum 7: videndum hic maxime de pietate! sive ut verbis D Ambrosii in Ps 118 utar: *'consideremus, ne et ipsum deteriorem faciamus, cujus miseremur injuste.* Si enim advertant tales, consideratione *notabilis imminutionis* peccatorum se absolutione donari, rari eorum conabuntur ad perfectam emendationem, contenti, ut sunt hodie corrupti fidelium mores, hoc titulo annuam absolutionem consequi posse. Et sic in perpetuo circulo vitioso vivent. Ut dixi h n XXX.

Licet bis, terve eadem adferant.

XXXV. Propoo IV. *Pro consvetudinariis in praxi habendi sunt, qui in BINIS, TERNISVE confessionibus eadem gravia adferunt.* Benignistae requirunt *multas* confessiones. Nostra doctrina evincitur hoc dilemmate: Qui bis, terve continuo eadem peccata adferunt, vel jam consvetudinem imbiberunt: vel certe in proximo periculo sunt habitum in iis contrahendi. Si primum (ut reipsa habitus pravus facillime contrahitur etiam per unum peccatum magna cum passive commissum: Sicut una Confessio, et communio magno cum servore peracta multorum Sanctorum exemplo sufficit ad stabilem vitae Sanctitatem. Et experientia misere docet, quosdam post unum peccatum perpetuo in eodem luto sordescere) tunc juxta omnes absolvendi non sunt ante emendationem. Si alterum, per dilationem absolutionis (post monitionem, et correptionem, ut ex S Francisco Salesio vidimus hic n XXVIII) probandi, emendandique sunt, ut a peccato illo penitus recedant, ne per repetitos relapsus fiant reipsa consvetudinarii. Hanc unice viam, utpote saluti animarum necessariam sequendam esse, recte monet saepe laudatus Patuzzius.

Aut diversa gravia.

XXXVI. Propoo V. *Phrasi Benignorum RELAPSUS, et RECIDIVA est in eadem crimina SINE CONSVETUDINE: HABITUS est relapsus in eadem CUM CONSVETUDINE. Verum in praxi Confessarii ad differandam absolutionem usque ad emendationem distingvere non debent inter eos omnes, qui post absolutionem, et monitionem sive in EADEM, sive ALIA gravia crimina CITO prorunt.* Nec sane inter haec distingvunt h n XXVIII S Fulgentius, S Gregorius M, Isidorus. S Thomas a Villa Nova. Nec distingvit S Caesarius inter opera Augustini serm 117 dicens: *Multi assidue dicunt se peccatores, et tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio. Caussatur anima, non Sanatur. Pronunciatur offensa, non tollitur. Poenitentiam certam non facit nisi odium* universale *peccati, et amor Dei.* Nec distingvit S Gregorius VII, qui decretorie pronunciat libr 7 epist 10: *Instructuosam poenitentiam dicimus, quae ita accipitur, ut in EADEM culpa, vel SIMILI, vel DETERIORI, vel PARUM MINORI permaneatur.* 90 Nec nos distingvere debemus, qui secundum SS PP judicamus: Et qui juxta Apostolum illam tantum *tristitiam*, et accusationem peccatorum absolutione dignam censemus, quae spem moraliter certam (extra articulum mortis) praebet *stabilis justitiae*, et emendationis. Si alii SS PP ex n XXVIII recensitis nominanter in *eadem* crimina relapsos gravius exagitant, at certe absolvi nullibi permittunt *cito* in *alia* gravia prolapsos. Absque distinctione intonat Augustinus: *Frequenter* PECCANS, et LUGENS *vix veniam meretur.* Et Hieronimus: *Assidue peccantium non miseretur Deus.* Idest: non *facile* miseretur. Ut exponit glossa. Confer totam *Dist 3 de poenitentia*, potissimum Can 6 9 10 12 18. Idque evincit manifesta ratio. Nam ad veram poenitentiam requirunt omnia jura *propositum firmum*, et *universale* abstinendi ab omnibus peccatis sive *commissis*, sive *aliis indistincte omnibus.* Ut Catech Rom de poen n 31 ait: *Ut poenitens vitae emendandae CERTAM, Et STABILEM cogitationem suscipiat.* 58: Ut *certum* eidem *sit, ac deliberatum in posterum a peccatis abstinere.* n 64: Ut *peccata OMNINO vitare instituat.* Atqui cita recidiva, sicut *in eadem* h n XXXII, ita *in alia gravia* evincit in relabente defuisse tale propositum. Edic, amabo te! sed ea sinceritate, qua tu ipse Deum tuum diligis, atque in articulo mortis judicaberis! (neque enim hic. ubi de salute aarum, et Sacrmti profanatione vitanda agitur, ex scholae subtilitatibus media aetate inventis,

inventis, ſed ex conſcientia coram Deo ſincera judicandum eſt) edic, inquam, an putes eos *deſcriptum propoſitum* habere, qui ſingulis annis, ſemeſtribus, in praecipuis ſolennitatibus *ſemper gravia*, utut *diverſa*, adferunt? nempe jam fornicationes, adulteria, aut pollutiones, jam blaſphaemias, alias detractiones, ebrietates, injurias verbales, et reales proximo illatas: jam iterum priora poſterioribus, aliiſque gravibus mixta confitentur? iſtos ne tu cenſes *ſecundum Deum triſtari? juſtitiam in ſalutem ſtabilem* abſolutione conſequi? Horumne tu vitam Evangelicam dices? quae tota in *circulo vitioſo* verſatur: Ego vero vehementiſſime contremiſco, ne tales viam *currant, quae videtur* tibi *homini recta, noviſſima autem ejus ducunt ad mortem.* Hi ſaepe blandiuntur ſibi dicentes: Peccavi, fateor, millies: Sed *omnia ſemper confeſſus ſum, et abſolutus ſum. go Salutem meam in tuto collocatam habeo.* Dum interim ex *neglecta emendatione*, ex *continuis lapſibus veri doloris*, *firmique propoſiti defectus*, atque hinc ſacrilegiorum congeries in illis urgentiſſime ſint timenda, Confeſſariorumque ſive negligentia, ſive nimia indulgentia amaris lacrimis deploranda. Praeclare S Gregorius M 3 p Paſt adm 31: *admonendi ſunt, qui admiſſa plangunt, ut conſiderare ſollicite ſciant, quia* FLENDO INANITER SE MUNDANT, *qui vivendo nequiter ſe inquinant. cum idcirco lacrimis lavant, ut mundi ad ſordes redeant.* Et l 6 cap 15 in L I Regum: *Joannes Baptiſta male converſos Judaeos increpans ait:* Facite fructus dignos poenitentiae. In fructu ergo, non in foliis *poenitentia dignoſcenda eſt. Confeſſionis verba quid ſunt niſi folia? omnis confeſſio idcirco recipitur, ut fructus poenitentiae ſubſequatur.* At quis, oro fructus ſubſequitur in ſubito ad diverſa gravia lapſis? an *afflictionis*, et *ſatisfactionis*? Hodie cum confeſſione ipſa utrumque terminant tales, cras veteri more ad principia mundi victuri. An *emendationis*? eunt in antiquam, aut novam tranſacto Paſchate ſilvam. An emendatum tu dices *coram mundo* eum, qui hodie clepit, cras verbis, dein factis gravem injuriam facit; interim ſaepius mentem ſicera ſepelit, maechatur, blaſphaemat. etr. Atque in his et ſimilibus aetatem exigit? a Judice correptus caſtigatus omnia meliora promittit: Sed vix ab illo liberatus eadem, vel nova gravia committit? non ne hic coram plebe ipſa homo ſceleſtiſſimus audit? nec ego emendatum, ſed conſceleratiſſimum habeo eum, qui poſt Confeſſionem cito ad diverſa gravia proruit: quia, ut continuat ibi Moralium Parens: *Dominus arborem foliis decoram, fructu ſterilem maledixit, quia Confeſſionis ornatum non recipit ſine fructu afflictionis*, et hinc ſecuturae emendationis.

De occaſione proxima: quomodo fiat remota?

XXXVII. Sed quum relapſuum cauſſae fere ſint *occaſiones proximae*, de his quoque ex laudato Patuzzio l c ſequentia notanda duco. Atque inprimis convenit apud omnes, occaſiones *remotas* peccandi quia non poſſe, ideo evitandas non eſſe: alioquin, ut Apoſtolus animadvertit, *deberemus ex mundo exire.* Et tales ſuperari poſſunt, et debent oportunis remediis contra tentationes praeſcribi ſolitis. Quorum nos multa congeſſimus cap IX not ad n XXVIII. Convenit II: Ex *occaſione proxima* faciendam eſſe *remotam.* Cujus modos dedimus cap VIII n XXVI. Adde eis: ſolicitatum minari debere ſollicitanti, hunc a ſe palam proſtitutum, capiti domus denunciatum iri, niſi penitus deſiſtat a malo. Quin et aegritudinis titulo decumbere juvabit, dum Deus, et circumſtantiae alia media ſuggerant peccato evitando. Interim inculcanda frequens collatio cum *Confeſſario*, an, et quomodo ſuccedant praeſcripta media? Confeſſio dolorosa, communio amaroſa *illo* probante. Quem unice ſequi, viciſſe eſt. Quid multis? Si poenitens *impudentem ſollicitantem* verbis zeloſe reprehendat, animum ejus ſe deteſtari graviter oſtendat: Si ad verba turpia, ad primum tactum etiam minus pudicum ſe e conſpectu ejus

proripiat: Si ad aliquam vim se manibus, dentibus, pedibus, clamoribus generose defendat, credo *illum* nihil amplius impudenter tentaturum. Haec faciunt veram Heroinam Christianam in coelo, et terra aeterna praedicatione dignissimam! Quae si fierent reipsa, ut par est, pluribus quaestionibus opus non haberemus. Quia vero rara est tanta virtus, ideo quaero: quid si omnibus tentatis relapsus non evitentur? Satisfacit

Si praemissis peccatum non evitetur, deserenda est occasio voluntaria.

XXXVIII. Propoo VI. *Eo casu occasio peccati VOLUNTARIA* (sive in ejus potestate sita, ut omnino tollatur) *ante absolutionem tolli debet.* Ratio manifesta est, non perseverare in *occasione proxima* peccandi sibi *libera*, et *voluntaria* est peccatum mortale juxta illud: *qui amat periculum, peribit in illo. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Qui enim vult *causam*, vult ipsum *peccatum.* Occasio proxima est causa moralis peccati. go qui eam, dum in sua est potestate, non tollit, vult ipsum peccatum. Ajunt Benigniatae, si id *sine gravi damno* fieri pollit: negant cum *eodem.* At quodnam est illud damnum temporale, quod perseverantiam *in occasione proxima voluntaria* licitam reddit? Si Ethnico Philosopho lumen rationis persvaleret, *praestare milles mori, quam Deum vel levissime offendere*, quae Christiana Theologia licite dissimulat peccatum mortale, ejusque moraliter, certam occasionem proximam, quam abscindere in tua est potestate *propter damnum temporale*? Ergo licebit concubinae cum concubinario manere, ne illa ad mendicitatem redigatur? aut licebit id ipsum concubinario, ne si concubinam ejiciat, gravem summam ei mutuo datam ammittat? An forte licebit ancillae (cum qua herus, vel Filius, aut famulus ejus: vel servo cum quo Domina, vel filia ejus abutuntur) in servitio usque ad annum expletum perseverare, ne salarium ammittant? aut fortasse scriba Juvenis bonae spei, alter olim Joseph, sed quem Domina jam seduxit, et quotidie ad peccatum ob consvetudinem pellicit, remanere in eodem tecto poterit, ne excidat Domini gratia, ac spe proximae promotionis, et matrimonii cum unica haerede dominicella? Si haec devoras, palam inficiaris, magnum illud Evangelii theorema, quod Servator altum intonat: *quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur:* Ex quo fidei caput est, omnia temporalia contemnenda ibi esse, ubi aut haec, aut salus aeterna periclitatur. Clamabunt adhaec Doctores Benigni: monendos, instruendosque tales rite esse, ut ex occasione proxima faciant remotam. 2: Ut quid privantur mercede justa, quae ante annum a servitio discedentibus negabitur, quin et carcerum poenis ad redeundum adstringi possunt. Resp ad 1. omnibus digitis subscribo. At loquor de eo casu, quo id omnino non juvat. (*a*) Ad 2. Non tantum paenitentiam, sed et vitam perdendam esse, ne Deus offendatur, ne anima pereat, Evangelium jubet. Et qui relinquentibus sua propter Deum, centuplum promisit *nunc in tempore hoc domos, agros cum persecutionibus, et in futuro vitam aeternam,* Marci 10 v 30, illa omnia conpensabit in se confidentibus, et amore sui patientibus.

(*a*) Ab hac doctrina exceptos volo *concubinarios*: quos lex Dioecesana *inter casus reservatos* absolvi vetat: *nisi dimittant concubinas*, nulla facta mentione praeviae monitionis, ea, ut reor, ex ratione, quia promittere emendationem, et turpes has appendices libere domi retinere, esset manifeste *mentiri iniquitatem sibi*, ad ignem sedere, et calefieri nolle. Unde elucet, *concubinatum* non esse casum reservatum, sed positivam indispositionem ad absolutionem, utpote *amare periculum.* Ejecta vero pernitiosa Hospite, caeterisque ad digne poenitendum positis a quocunque approbato confessario *illum* absolvi posse.

bus. Antequam tamen quid triſtem ſequelam parere natum in foro externo, ſvadeatur, Praelatum conſulendum nox videbimus.

XXXIX. Propoo VII. *In OCCASIONE NECESSARIA conſtitutis differenda eſt abſolutio, donec ex occaſione proxima ſint remota.* (ut h n XXXVII dictum) *aut eo modo non ſuccedente emendatione, illa omnino deſeratur, etiam cum periculo bonorum, vel famae: IN GRAVIORIBUS CONSULTO EPISCOPO.* Occaſionem *neceſſariam* voco eam, quam tollere non eſt in ſolius *ſollicitati* poteſtate. Ut ſi conjux conjugem contra naturam, vel ad alia gravia, ut furta, latrocinia, etc cogat: ſi proles, conſangvinei, affines Simul viventes inter ſe peccent: vel ex his aliquem ſeduxerit famula, vel ſervus capiti domus acceptus, quem proinde pars ſeducta e domo expellere nequit. Hae circumſtantiae cum potentiſſime ad peccatum jam ſemel commiſſum alliciant, ideo ut illae *remota* fiant *occaſio*. primo diligentiſſime eſt curanum. h n XXXVII. S Carolus Borromaeus in inſtr Confeſſ. talibus abſolutionem vel prima vice dandam ſequentibus circumſcribit: 1. Si illa differri abſque infamia, vel alio periculo nequeat. 2. Si manifeſta adſint verae contritionis ſigna. 3. Si parati inveniantur ad exequenda emendationi eorum neceſſaria remedia. Addit tamen Sanctus: *Si haec diligentia - a diſcreto Confeſſario tentata, emendatus non fuit, non abſolvatur.* Quid igitur facto opus? *Deferendam quoquomodo*, non obſtante quocunque praejudicio temporali *eſſe* talem occaſionem (ſi aliud medium impediendo peccato circumſtantiae non ſubminiſtrent) rationes h n XXXVIII urgent. Et profecto ubi aeterna ſalus periclitatur, omnia terrena abjicienda eſſe jubent exempla Martyrum, et Confeſſorum propter periculum fidei abnegandae, tradendorum Sacrorum librorum, vaſorum, aliorumque peccatorum ad ſolitudines, montes, et cavernas auſugientium, ibique famem, ſitim, nuditatem mortem tolerantium. Hoc jubet Evangelium: *Qui non odit Patrem, - - adhuc autem et animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ubi *odium Patris*, et aliorum charorum, eos deſerendos: *odium animae* ipſam mortem fortiter oppetendam ſignificat, ut offenſa Dei evitetur ab eo, qui aut moraliter peccare, aut fugere, vel mori debet. Etſi locum unquam habuit illud Math 10 v 35, quo Magiſter Divinus conteſtatur, ſe *veniſſe ſeparare hominem a Patre ſuo, et Filiam a matre ſua, nurum a Socru ſua*, Alioſque neceſſarios ab invicem, hoc omnino eſt tempus illud, quum ſine talium ſeparatione Dei offenſa vitari nequit. Et Doctor Gentium ſerviendum Deo praecipit *per ignominiam, et Bonam famam.* *Quin et neceſſaria.*

In *modo* tamen hujus *ſeparationis* maximam prudentiam neceſſariam eſſe, res ipſa loquitur. Unde et D Carolus l c poſteaquam ſtatuiſſet, *tales abſolvendos non eſſe, licet occaſionem proximam abſque periculo, et ſcandalo magno praeſcindere nequeant*, monet, *ad Eppum recurrendum tacito nomine poenitentis.* Et ratio in promptu eſt, ne quid confuſionis inter illuſtres potiſſimum Familias ſecus oriatur. Epiſcopi eſt de arduis ſtatuere: ſperare licet, illum inventurum medium quoddam idoneum, quo abſque magno poenitentis detrimento, et familiarum ruina, et opprobrio occaſio peccati tollatur. Hic ergo Confeſſarius zelum ſuum cum prudentia conjunget, ut neque inconſulto Praelato extraordinarium quid (ut fugam nobili perſonae e domo: ſeparationem conjugi) ſvadeat: nec tamen poenitentem inconſolatum in occaſione proxima relinquat. (*a*) Liberis perſonis poteſt *Cum prudentia tamen.*

Con-

(*a*) Ex eadem ratione obligationi ſuae maxime deſunt illi parum Curatores, qui mala, et ſaepe ſcandala gravia, quae emendare non valent, negligunt, et contemnunt

Confeſſarius ſvadere *Matrimonium*, *diverſionem* ad conſangvineos, dum malum tollatur: viris *multiam*: inferioris ſortis utriuſque ſexus *ſervitium*. Caetera Epiſcopus, et prudentia ſuggeret.

De occaſione reſpectiva.

XL. Propoo VIII. *Eſt quoque differenda abſolutio conſtitutis in occaſione proxima non abſoluta, ſed* RESPECTIVA, *nempe ob* INFIRMITATEM *moralem, vel* MALITIAM *poenitentis ſaepe in peccatum inducente.* De quibus ſaepe laudatus beatiſſimus Archi Praeſul Mediolanenſis haec ſtatuit: *Negotiatio, magiſtratus, advocatorum, Procuratorum, Chirurgorum profeſſio: in quibus ſaepe quis mortaliter peccare conſvevit blasphaemiis, furtis, injuſtitiis, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis, pravis cogitationibus, et aliis ſimilibus: Ex quibus novit confeſſarius, quod ſi in his exercitiis perſeveret poenitens, eaedem illi occurrent peccandi occaſiones: quamobrem in eadem peccata relapſurum prudenter judicare poteſt. Ideo qui ſic affecti ſunt, aut debent a profeſſione ipſis periculoſa omnino abſtinere, (ut ait Auguſtinus) aut certe illam non exercere ſine licentia, et ſub moderatione probi alicujus, prudentiſque Sacerdotis. Quia* NON DEBENT ABSOLVERE *hominem in* EO STATU *conſtitutum*, DUM PROBABILITER JUDICAT AD EADEM PECCATA *reverſurum, ſi in iisdem occaſionibus perſeveret.* En in nuce totam doctrinam noſtram: Appoſite Innocentius II relatus in Sin Caeſenatenſi 1691: *Falſa ſit poenitentia, cum poenitens ab* OFFICIO *non recedit, quod ſine peccato agere non praevalet.* Quam amplus hic eſſet dicendi campus de *fraudibus* mercatorum, Lanionum, educillatorum! de *injuſtitiis* omnis generis officialium ſubjectos ſuos ultra ſalarium debitum diverſiſſime emungentium! de *pravis cogitationibus* diverſi ſexus libere interſe converſantium, Ludentium, ambulantium, ſe mutuo tangentium, et tangi patientium! de quibus omnibus procedit doctrina praeſcripta Sancti Antiſtitis, ut conſideranti patet a paritate caſuum per illum enumeratorum. Qui uberius dicta ſua illuſtrat in eadem aurea inſtr Confeſſ ſequentibus: *Oportet confeſſarium ſeveriorem eſſe circa eas actiones, et exercitia, quae licet ex natura ſua non inducant ad peccatum mortale, dant tamen propenſionem aliquam ad malum, et ſaepiſſime pertrahunt ad diverſa peccata. Hujusmodi ſunt choreis intereſſe* (quanto magis agere eas?) *cum blaſphaemis verſari, aut rixae deditis* (ſi ex eorum converſatione et tu blaſphaemes, rixeriſque non raro) *Popinas frequentare, otio indulgere, et id genus alia. His abſolutionem non debet indulgere, quin his omnibus renunciet poenitens. Si tamen* SPEM ALIQUAM *de ſuo poenitente concepit*, SEMEL, ITERUMQUE *poterit abſolutionem indulgere; ea tamen ſemper lege, ut ſi iis diutius immoretur, eam poſtea differat, donec* CERTIS, EVIDENTIBUSQUE INDICIIS *conſtet, illum ab his occaſionibus poenitus ſegregatum.* Si haec paucula tantum Sanctiſſimi Cardinalis praecepta obſervaremus, aliam mox faciem induerent mores Chriſtiani, majeſtasque Sacramenti poenitentiae immenſum refloreſceret innumeris ſacrilegiis evitatis! ſed pergamus.

De occaſione raro, ſed certo eveniente.

XLI. Propoo IX. *In* OCCASIONE PROXIMA *eſſe cenſendus eſt ille, in qua ſemper quis peccat, dum ei ſe miſcet, licet illa rarius occurrat.* Explico: Titius pergens ad popinam ſemper inebriatur: quandocunque ſaltat, ſemper ſe polluit: in conviviis, et converſationibus rixatur, blaſphaemat: pergens ad nundinas furatur: ſi accedat hanc domum, adulterium, vel fornicationem committit, et multa ſimilia

---

referre ad Praelatum, cujus eſt *attendere univerſo gregi, in quo eos poſuit Spiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* go illius eſt principalis cura Dioeceſis univerſae. go ad eum referri debent omnia, quae ab inferioribus emendari nequeunt; ſicut in domo ad Patremfamilias, in regno ad ſummum Imperantem.

ſimilia. Tales cenſendi ſunt eſſe in occaſione proxima; ideo ita tractandi ſicut de occaſione proxima *voluntaria* mox diximus h n XXXVIII. Nec obſtat, quod talia peccata *rarius* eveniant; id enim defectui occaſionis, non emendationi delinquentis adſcribi debet. Quin eo ipſo, quod oblata tali occaſione peccatum ſemper fiat, invictum eſt argumentum, tali non *animum* deeſſe, ſed *occaſionem* peccandi, ut ſatis patet. Differenda igitur eſt abſolutio uſque ad certam ſpem emendationis. Addo his damnatam propoſitionem ab Innocentio XI 62dam: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.*

Confirmantur dicta ex Apoſtolo.

XLII. Confirmatur dicta hic a n XXVIII uſque huc ex luculenta doctrina Apoſtoli ad Galatas 5 v 10 intonantis: *Manifeſta ſunt opera carnis: quae ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, diſſenſiones, invidiae, ebrietates, commeſsationes, et his ſimila. - - quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt.* Ex quibus invicta haec demonſtratio ſponte fluit: Si praefata ſcelera per plures Annos frequentantes poſt peractam poenitentiam, poſt impetratam abſolutionem iterum repetentes, et ſic in *circulo vitiorum, et Confeſſionum* viventes veram agerent poenitentiam, erraret manifeſte *Vas electionis*, dum nobis altum inclamat, *ne erremus.* Debebat enim addere phraſi benignorum Auctorum: *Regnum Dei non poſſidebunt*, niſi identidem abſolutionem impetrent titulo ſpei *probatae* emendationis, vel *imminuti numeri* peccatorum, aut niſi occaſio peccati fuerit *neceſſaria*, aut *reſpectiva*, vel *rarior* etc. At horum nihil addit Doctor veritatis: go donec Benigniſtae pari ſcripturae, et PP auctoritate dictas ſuas exceptiones evidenter demonſtrent, debemus cum Eodem ad Haebr 6 aſſerere, quod *terra ſaepius venientem ſuper ſe bibens imbrem* gratiarum, et Sacramentorum, *proferens* vero *ſpinas, et tribulos* peccatorum ſive priorum, ſive novorum, *reproba eſt, et maledicto proxima. Cujus conſummatio erit in combuſtionem.* Abſoluta ubique eſt ſententia Apoſtoli: graviorum criminum *inveteratos, conſvetudinarios, inhabituatos, relabentes* niſi plene emendentur: (quod ſolum Fides excipit, ipſaque ratio: nam plene emendati non ſunt, qui erant, quia *abluti, et ſanctificiati* ſunt 1 ad Cor 6 v 11. quod de prioribus ipſe relapſus affirmare vetat h n XXVIII. et ſeqq) Regnum Dei non poſſeſſuros, quin *imbrem* abſolutionis eis *in maledictum ceſſurum.* Igitur aeternam veritatem ſequimur, quum rejectis Benigniſtarum praemiſſis exceptionibus ſcripturae, et Patribus ignotis, negamus tales ante plenam emendationem eſſe abſolvendos. Haec in re ex ſaepe laudato Patuzzio.

Qui in ſpecie non abſolvendi.

Ex Card. Grimaldi Aquenſium Archi-Epiſcopo.

XLIII. Generalibus his theorematibus addo particulares illos caſus, in quibus in ſpecie Confeſſarii abſolutionem negare, ſive differre debent. Quorum plures jam vidimus h n XXVIII. et ſeqq. Optime, et ſolidiſſime hanc materiam ediſſerit Vaſionenſis Praeſul de poenit cap XII. in quo Eminentiſſimus Cardinalis Grimaldi Aquenſium Archi Praeſul in ſuo *Mandato Synodico* ſcripturae, Conciliorum, SS PP, Summorum Pontificum auctoritate nixus abſolutionem differendam ſtatuit ſequentibus:

1. Qui nullum veri, et ſupernaturalis doloris indicium dant, vitam in melius emendare nolunt, vitaeque ſcelerate actae rationem mutare detrectant.

2. Qui odia, inimicitias ex corde non depoſuerunt, et quantum in ipſis eſt, cum inimicis pacem inire nolunt.

Mala ſuperfluorum ſumptuum.

3. Qui injuſte detinent bona aliena, aut in bonis fortunae, famaeque proximi illata damna reparare non curant in toto, vel parte ſecundum facultates ſuas. Haec ibi. Ut quaevis aetas ſuos ſert morbos, *vitiaque*, ita hodie ſingulare eſt in non paucis, quod neceſſitates ſuas *a ſtatu* ſuo, non a *proventibus* metiendo expenſis ſuperfluis adeo ſeſe onerent, ut famulis, artificibus, mercatoribus, cenſibus, aliisque debitis ſibi inhaerentibus exolvendis pares non ſint. Hinc antiquarum familiarum caſus miſerandos: *Eorum*, qui diu non ſolvuntur, extremas neceſſitates, blaſphaemias, et imprecationes ſaepe eſt audire. Quorum omnium rei ſunt illi, qui juſta *illorum* debita domeſtici ſui ſplendoris intuitu detinent. Et tamen quis eſt Confeſſariorum, qui de his poenitentes vel moneat? O tempora! ſed audiamus cit Eminentiſſimum.

4. „Qui in aliqua mortaliter peccandi proxima occaſione ſunt, et poſſunt deſerere, abſolvi non debent, donec eam deſeruerint. Si non poſſunt deſerere, eſt differenda abſolutio, donec aliqua dederint emendationis indicia, et *legitimum aliquod credendi fundamentum, fore, ut deinceps a peccato caveant.*„ Media his dedimus h n XXXVII. Si tamen iterum labantur, ſuccedit doctrina a n XXXVIII, XXXIX data.

De Domibus noxiis.

5: Qui proximam aliis occaſionem peccandi dant, niſi velint eam auferre, et mederi, quantum poſſunt. Quales ſunt 1. qui conventus luſorios, congreſſuſque fovent impietatibus, blaſphaemiis, compotationibus, laſciviis, aliiſque peccatis obnoxios. Habent in his, quod meditentur Educillatores, Cauponarii, hoſpites Domorum, in quibus compotationes exceſſivae fiunt, aleis, et carthis pictis pro grandi aere luditur: Bachanalia, ſaltus potiſſimum nocturni, turpes comediae exhibentur. Contra hos horrendum tonat S Bernardinus Senenſis ſerm 33 in Dom 1 quadr dicens: *Dans domum, ut intus ludatur, fit particeps tot peccatorum, quot ibi fiunt. Dans tabulam, et praeſtans taxillos toties peccat mortaliter, quoties praeſtat. Nullus Confeſſor poterit eum abſolvere, donec removerit domum a tali peſſimo uſu ludendi. impoſſibile eſt ipſum ſalvari, niſi relinquat illas ſuas artes maledictas.* Subſcribit S Carolus Bor inſtr Conf c 5 monens, *ne eos abſolvant, qui cum peccatis mortalibus etiam ſimul eorum occaſiones vitare plane non proponunt.* conf not ad cap VIII n XXXII.

Luſus quando, et quale peccatum?

De *luſu* omnia complectitur S Antoninus 2 p tit 1 c 23 § 2: *Luſus aleae eſt peccatum mortale, quando ex CUPIDITATE quis ludit, ſcilicet principaliter motus ad aquirendum quid NOTABILE, et non ob RECREATIONEM.* Rationem dat Angelicus 2 2 q 168 a 2 in o: quia omnis luſus debet ſuſcipi ex Eutrapelia, et ad corporis, et animae refociliationem, exhilarationem, et quietem, ne mens gravata curis obruatur. Sic luſerunt teſte S Franciſco Sal Philotheae p 3 c 31 Joannes Evang. c 34 S Carolus Bor. S Ignatius Loj. S Eliſabeth Hungariae Regis Filia. Sic ludunt hodie integerrimi Viri. Ex adverſo omnes luſus vetiti ſunt, in quibus horum aliquid intervenit: 1. Magna temporis perditio. 2. periculum perdendae magnae ſummae. 3. Immoderata lucranti cupiditas.

4. Irie

4. Irae, rixae. 5. Gravis avocatio mentis a Divinis. Unde *tales* lusus alearum, et cartharum Clericis aeque, ac Lajcis utroque jure vetiti sunt Trid Sess XXII cap 1 Ref. cap *Clerici* devita, et honestate Cler. Auth *interdicimus* Cod de Episcopis. Vide Vasionensem tr V cap 3 4 et 5.

De *choreis* unum tantum verbum addam ex S Antonino 2 p tit 6 c 6: *Aliquando Diabolus bellat cum homine per aspectum mulierum: aliquando per auditum vocis: aliquando per tactum. Sed in choreis per omnes istos modos simul bellat cum hominibus. Nam ibi videntur cum suis ornatibus, ibi audiuntur cum suis cantibus, et locutionibus, et manu tanguntur, et ibi Diabolus fortiter bellat, et vincit.* De periculo valetudinis tristia exempla satis loquuntur. Quum Turca fortem nostrorum saltum contemplaretur, exclamavit: *quid peccarunt miseri hi? quod sese mutuo mactare sunt jussi?* Discant Christiani monentibus Turcis! caetera vide cap VIII ad n XXXII in not. *De choreis.*

Rusticorum Educillatorum peccata sunt: Meretrices recipere, et fovere, ut earum intuitu Viri perditi ad potandum confluant: turpes sermones, blasphaemias tollerare: semi temulentis ad plenam ebrietatem potum praebere: jam mensuras, jam vinum minuere, hoc diluere. neutrum tamen est apud nos casus reservatus, ut mox dicam. *Urbanorum* vitia sunt: Diebus Veneris, Sabbathi, et jejuniorum absque discrimine, ac interrogatione, an sint dispensati? Omnibus petentibus carnes ministrare (certum statuo, a nullo Catholico dictis diebus praeberi posse carnes *Haeterodoxis*: quia hi per baptismum ingressi *Ecclesiam* tenentur *Leges* ejus observare. go non jejunando absque causa peccant. go et qui iis cooperantur dando occasionem. Notent hoc et tabernarii, et Nobiles nostri, qui talibus ad se venientibus sine scrupulo carnes apponunt.) *Omnium* denique *Tabernariorum* vitia sunt: Festos, et Dominicos dies prophanare permittendo in eis saltus, clamores, rixas, blasphaemias, turpiloquia, temulentiam. etc. excusant se miseri, quod nisi talia permittant, Tabernae suae vacuae mansurae sint. At hoc est *animam suam dare pro lucro temporali.* go aut conveniant omnes tales quaestores de praemissis non admittendis: aut si id fieri nequeat, poenitens de alio vivendi modo sibi prospiciat. Ut evici hic n XL. Sed praecipue Magistratibus incumbit tales domos regulare urgentibus Parochis: secus populi magna pars propter peccata in tabernis commissa peribit, *sanguis autem ejus de manibus speculatorum requiretur.* Ezech 33 v 6. Insulse his mihi objecit quidam: *Lupnaria* Romae tollerari: Nam illa saepe tolli tentata sunt, sed majora mala eveverunt. Ideo ut minus malum dissimulare coguntur. At tabernae nostrae regulari possunt ita, ut sint diversoria itinerantium, et pauperum (qui domi quod edant, vel bibant non habent) minime vero receptacula Helluonum, et Seminaria vitiorum. Sed revertamur ad cit Eminentissimum Auctorem: *Vitia educillatorum.*

Qui eos, qui aliis occasionem peccandi praebent, sic prosequitur: 6. Qui componunt, imprimunt, aut vendunt Libros, scriptaque Fidei, pudicitiae, bonisque moribus contraria. 7. Qui lascivas habent imagines - - quique eas faciunt, et vendunt. 8. Foeminae, quae nudo incedunt pectore, et sinu, postquam satis admonitae sunt. et talibus sic comparentibus etiam communio deneganda est. Hoc postremum comminandum videtur primum in *Concione tempore Hyemali*, ut nemo se tangi queri possit: dein personaliter in Confessione, ne sic comparere audeat, nisi publice confundi velit nega- *De occasionem praebentibus ad peccatum.* *De nudis pectore.*

negata communione; quibus mediis honeſtae ſapient. Si quae tamen adeo effrons, et expudorata inveniretur, ut negata abſolutione *ſic* comparere ad Divinam menſam auderet, quoad talem Decretum Purpurati Doctoris locum habere non dubito. Talis enim eſt publica peccatrix, eſt hamus Diaboli, ſcandalum, et offendiculum populi Chriſtiani. Atqui ex communi ſententia publicis peccatoribus neganda eſt communio. go quantum licet ſine ſtrepitu inſtar infantium, et fatuorum pretereunda erit. Hae de praebentibus occaſionem peccati.

Qui profitentur artem periculo peccati obnoxiam.

9. Deneganda eſt abſolutio eis, qui artem aliquam, aut vivendi rationem exercent, quam probe norunt *ſibi* ita noxiam eſſe, ut eam ſine peccato proſequi moraliter non poſſint, niſi polliceantur eam deſerere. Tales ſunt hiſtriones, comediaſtae profani, mendici ficti, et aliter vivere potentes, et quos in occaſione proxima reſpectiva peccandi eſſe h n XL diximus.

Qui ſcandalum dederunt.

10. Qui ſcandalum publicum dederunt, donec publice ſatisfecerint, et ſcandalum, quantum poſſunt, ſuſtulerint. Purgato ſcandalo ſufficit tales confiteri publice, et aliquam ſaltem poenitentiae partem publice peragere. e. g. orare publice flexis genibus in Eccleſia, pectus inſtar Publicani tundere, a praeſentibus veniam petere. His enim tantum aedificabit, quantum antea nocuerat. Graviores publicas poenitentias abſque ſcitu Ordinarii imponere non expedit.

De complicibus.

11. Confeſſarii audire non debunt ſuos in ullo crimine *complices*. Idque in materia luxuriae, vel ſollicitationis ad eam *defectu jurisdictionis* ſub nullitate extra *articulum mortis* ex conſtit Gregorii XV, et Benedicti XIV. in aliis materiis ob reverentiam Sacramenti, et periculum defectus veri doloris in *poenitente*: quia *hic* apud complicem non erubeſcit, et vix, ut par eſt, dolet. Ideo Sanctus Carolus Bor in Synodo XI Confeſſario *cujuscunque etiam minimi criminis* ſecum complicis Confeſſionem audire vetat.

De Ignorantibus.

12. Ignorantes praecipua fidei miſteria (neceſſitate *medii*, et *praecepti* credenda) ſive ex negligentia, ſive ex ruditate naſcatur ignorantia. Innocentius XI ppone 64. damnata. Heu! quot ſunt circa temporalia argi, circa ſpiritualia craſſe, et intollerabiliter rudes! Hi non aliter facient ſatis praecepto moraliter continuae charitatis cap 1 a n XXII. cap V a n XIX. cap VI n XXXIV, quam ſi Eccleſiarum Rectores diligentiſſime exequantur conſtitutionem magnae memoriae B Epiſcopi Baytay de actibus Theologicarum virtutum ſingulis Feſtis, et Dominicis ſub ſacro praeorandis, ut ſic ſenſim omnis populus memoriter ſciat, ac ſubinde ex ſe oret.

13. Qui neſciunt ea, quae ad proprium ſtatum pertinent, quique a ſuo officio inſigniter deficiunt. Quare poenitentes interrogandi ſunt de iis, quae ad eorum ſtatum, et conditionem attinent. Confer hic introduct n XII.

De Eccleſiaſticis.

14. Eccleſiaſtici in Sacris conſtituti, vel beneficiati tonſuram, et talarem veſtem non deferentes. Apud Vaſionenſem tr de *Beneficiis* quid quid ad Beneficiatos attinet, in aurea nuce invenies. Dulce etiam evolves Ejus tract. de ordine.

De Uſurariis.

15. Contractus Uſurarios, aut alios injuſtos celebrantes, donec eos reſcindant, et ex iis inique percepta reſtituant.., (a)

16. Clau-

(a) Cum Lex Humana in jure Divino immutare nihil poſſit, certum ſtatuo contra plures, quos citat Pichler, *Lucrum vi praeciſe mutui* nullo *Principis ſtatuto*,

Claudit cit *mandatum Synodicum Aquense* Cathalogum *differendorum*: „Chyrurgis, et tonsoribus, qui capillos, barbamque radunt Dominicis, Festisque diebus, absolutio denegabitur, nili polli-

aut *consuetudine* honestari posse jubente Domino: *mutuum date, nihil inde sperantes.* Nihilominus durum, et intollerabile esset omnes Comunitates Sacras, Seminaria, Monasteria, aliaque loca pia, viros item Scientia illustres, timore, et amore Dei flagrantes usurae arguere eo, quod ex piis fundationibus, aut ex suis Capitalibus juste acquisitis 6 a 100 annue percipiant, ex iisque vivant Legibus publicis probantibus, non contradicentibus summis Pontificibus. Quare affirmandum est, illos habere *justos titulos* vel 1: *Lucri cessantis, et damni emergentis.* Nam quivis ponet (imo cogeretur, si constaret *hos titulos* esse injustos) pro sui, et suorum sustentatione capitali suo honestum aliquod lucrum quaerere, e g emendo agros frugiferos. quo lucro quia in alterius gratiam privat se capitalista, aequum est, ut *indemnis* reddatur moderato *lucro compensativo* damni hujus sui emergentis, et lucri cessantis: quod statuta publica *interesse interusurium* vocant, ac initio nullus saecum in 10, subinde in 5, hodie 6 a 100 fixerunt. Vel tales celebrant tacitum Contractum *societatis*, vi cujus Capitalista dat alteri pecuniam, ut hic eam bonis suis investendo, emendo plura immobilia, aut mobilia bona majorem aeconomiam, et lucra faciat. ille vero ex iis 6 p 100 titulo *lucri communis* percipiat. vel 2 faciunt *Contractum Census*: Vi cujus Capitalista emit 100 suis *jus* ex bonis *Venditoris* annuos 6 percipiendi. Equidem ne quid dissimulem, Pius V *Cum onus* probavit censum in bonis determinatis constitutum, et ex parte vendentis *redimibilem*. go ex parte *ementis Capitalistae* manifeste reprobasse videtur Contractum hunc *redimibilem esse* repetito suo capitali. At Ego hanc collectionem locum habere pro partibus Italiae *concedo*: pro nostris, et Germaniae Provinciis *nego*. Ratio est: Nam tenet *Quaranta* apud Bnech de *usuris* Nicolaus V pro Regnis *Siciliae* censum *indistincte in bonis vendentis* constitui indulsit: et Gregorius XIII Bullam *Pianam* pro partibus *Siciliae* revocavit. go *haec* non Continebat jus Divinum. In *nostris* vero, et *Germaniae* Provinciis nunquam fuit publicata, aut usu recepta, imo recte contraria ab immemoriali viget consvetudo. go apud nos standum est *huic*, et *Juri communi*, ac *naturali*. Atqui *his spectatis* in contractu venditionis quod licet *venditori*, licet et *emptori*. valet item *iis spectatis* quaelibet emptio cum *pacto retrovenditionis ex utraque parte*. Sic enim datur *utrinque aequalitas*. Igitur *emptio census utrinque redimibilis* non probatur esse iniqua. Ita discurrunt Canonistae Germaniae Bnech, Pichler, Engel, Reifenstul, Pirhing etc. Quorum haec doctrina tolico caret dubio. Potissimum cum ii ipsi, qui censum ex parte *emptoris irredimibilem* esse debere urgent, in casu diu *non solutionis Census*, et *periculi Capitalis* admittant *sortem capitalem* repeti posse (et id quidem Sancte, secus hodie refrigescente charitate, et fide promissorum, omnes piae fundationes perirent rarissimo sponte censum solvente: minus soluturo, si *vendens jus Census* sciret contractum ex *parte emptoris* rescindi, et capitale repeti non posse) nec Nos plus volumus. go. videatur Reinfenstul de *usuris*: quem ut *ex omnibus Canonistis pro Germania optimum* a Benedicto XIV bonae memoriae Pio Manzador Eppo Nostro *in privato colloquio* collaudatum esse, ex ore hujus accepimus.

Lucrum vi praecisè mutui jure Divino illicitum.

Justi tamen titulo sunt lucri censantis: damni emergentis.

Societatis.

Contractus census.

Etiam utrinque redimibilis.

Ex adverso autem manifeste usurarios censemus eos 1: qui in aere ultra 6 a 100 exigunt. 2. qui a miseris debitoribus suis ultra competentem censum labores gratuitos, donave varia exigunt. 3: qui pro 1 floreno unius diei laborem *accuratum* in pane debitoris petunt (Nam si Rusticus *tarde* ad laborem compareat, *segniter*, ut Nostri solent, operam praestet, et tamen tota die *bene alatur* a creditore, vix diurnam sustentantionem compensat *manuali* suo *pigro* labore: go vix damnari potest is, qui pro censu unius fini *talem diurnam operam recipit*, cum potissimum apud tales ipsa plerumque capitalia pereant. Atqui *periculum sortis* justus titulus est aliquid ultra sortem acipiendi, ut docet Angelicus Opusc 73 *de usuris*: nili ideo des ad periculosum locum, ut eo titulo plus lucrari possis. Quo sensu optime intelligitur cap *naviganti* de usuris) 4: qui pro 5 finis laborem desiderant diurnum 4 jugalibus: talis enim labor ultra finum meretur. go 5 grossis aestimari nulla ratione potest. similiter usurarios habeo eos, qui in censum 1 fini 2 vel 3 etiam cuppas musti postulant: vel pro uno Mariano in vere praenumerato unam Urnam duplum quoque tempore vindemiarum valentem: vel qui pro metrera frumenti sequenti Anno semi alteram, vel duas quoque extorquent. aut qui *censu*, *expensis*, *labore*, et *industria* sua, collatisque annis sterilibus fructuosiorem hypothecam fruendam accipiunt. quod palam damnat Trip p I t 81. et talibus svadendum, ut potius bona illa *emant cum pacto retrovenditionis*. Sic enim fructus omnes velut *rei suae* licite percipere, retinereque possunt.

Usurarii manifesti enumerantur.

ceantur, se non amplius id facturos. „Pari severitate agendum ante omnia foret cum delicatulis illis, qui Tonsorum operam pridie non admittunt, sed ipso die Dominico, vel Festo exigunt, ut pulchriores appareant. Nam Tonsores fere metus inopiae ad violanda Festa adigit. Qui si omnes Catholici essent, convenire inter se deberent, neminem radendi die Sacro. Sic enim cogerentur omnes eorum opera uti pridie. Nolim tamen tam severe agi cum iter agentibus, et quibusvis pauperibus, ruricolis, aliisque juste pridie impeditis. Tonsoribus accensendi sunt omnes illi, qui absque manifesta necessitate diebus sacris alios serviles labores *saepius etiam una hora* praestant perse, domesticosque suos.

Ex Sinodo Gratianopolitana.

XLIV. Recensitum *Mandatum Synodicum Aquense* probavit, suisque sequendum praecepit Eminentissimus Cardinalis Stephanus Le Camus Eppus *Gratianopolitanus* in ord Sinod tit 4 a 6 Sect 3 addens alios casus, in quibus differenda est absolutio. Nempe 1: qui sine Judicis auctoritate a suis conjugibus se separarunt. „Excepto manifesto adulterio, et metu gravium verberum ex parte innocentis. Aliae causae Judicis declarationem requirunt. 2: Qui satisfactiones rationabiliter sibi impositas implere renuunt. conf cap VIII n XXIV. 3: Qui legata pia solvere detrectant. 4. Qui in detrimentum proximi falsum in judicio testimonium dederunt, donec damnum inde secutum, cum possent, resarciant. 5. Qui postquam moniti sunt, negligunt curare, ut proles, et domestici ad Cathechismos veniant ad salutem necessariis imbuendi. „Par, quia correlativa obligatio stringit aarum Curatores ignaris doctrinae Christianae capita tradendi. saepius dixi, et nunc flens dico, perire posse Parochum cum suis *Gallicis cogitationibus*, si populus sit rudis. optima, et facillima Concio est Catechismi Romani doctrinas ad captum proponere. Ibi scriptura, ibi PP, ibi omnia necessaria. 6. Nec mulieres absolvent, quae ad pompam, et supra conditionem suam se ornant. Quae viris suis expensas faciunt facultatibus illorum non proportionatas. Quae *consvetudinem* habent fucandi faciem: aut sinum nudant, vel humeros ea immodestia, et impudentia, quam honeste gentiles erubuissent. 7. Clerici absolvi non debent, quorum vita tota saecularis est.: Qui vestem talarem non gerunt, nisi raro: Qui officium non recitant: qui Bona Ecclesiastica, *quae sunt pauperum*, criminose consumunt. Addit Eminentissimus: Non suscipiant leviter absolvendos illos, quibus ab alio absolutio dilata fuit; sed ad priorem Confessarium eos remittant, nisi evidenter appareat, male illum officio suo functum fuisse. Neque absque magnis rationibus mutabunt poenitentias *ab aliis impositas*, et acceptatas. Quare omnes *Confessarii concorditer*, et *unanimiter* agent. Quod si tales poenitentes non redeant, non est quod Confessarii se turbent; quippe qui fecerint, quod potuerunt, ut eos ad redeundum disponerent. Deum igitur solum pro ipsis orent, ut adjuvante Caelesti gratia in se reversi vere convertantur. Monita vere aurea! atque ad impediendos innumeros relapsus efficacissima!

Ex Sinodo Farsensi.

In Sinodo *Farsensi* a 1685 cap I n 10 Statuitur, ne Confessarius beneficium absolutionis impertiatur - - blasphaemare *solitis*, *aliisque hujusmodi* (certo peccato assvetis) nisi *per tantum temporis spatium* abstinuerint, ut Confessarius *spem moraliter certam* habeat, eos *imposterum vitam emendandi firmum propositum animo concepisse*. Sinodus *Nonantulae* 1688 cap 14 idipsum ita exprimit: nisi *spem moraliter certam habeant* eosdem imposterum *vitam in melius commutaturos*. ut docuimus h n XXVIII. et XL. Sinodus *Faventina* 1695 edita, et a S C Concilii

Nonantulae.

Faventina.

cilii probata ſtatuit: Omnibus Confeſſariis *curandis recidivis* ſedulo incumbendum eſſe, illis, *etiamſi Sacerdotes fuerint*, oportune in aliud tempus *abſolutionem differendo*, ut hac ratione pravos habitus exuere, rebelleſque animi affectus compeſcere doceantur. „Quaeris: an Sacerdotes ſaltem *Parochiales habituati* abſolvi poſſint, ut die Sacro populus Sacrum audiat? *Semel* admiſi hic n XXVI. nego *iterum*. nam *cura Parochialis* eſſe non poteſt fomentum pravorum habituum, ſed potius ſtimulus ad ſtudium perfectionis: Sane Tridnum Seſſ XIII cap 7. et can XI admittit talem *in defectu Confeſſoris* cum poſſibili contritione celebrare, ita tamen, ut is quamprimum confiteatur. At *habituatis*, et *relapſis*, potiſſimum eis, qui jam prius deceperunt Confeſſarium, negat Eccleſia abſolutionem. Ut vidimus hactenus propter *dubiam contritionem*, et propoſitum. Qua de re S Bonaventura apud Card. Denhoffium in Sinodo Caeſenatenſi 1691 p 2 c 6 ita inſtruit: *Primus caſus, in quo non poteſt Sacerdos confitentes abſolvere eſt, cum QUIS NON EST VERE CONTRITUS. Talis enim nec a ſummo Pontifice abſolvi poteſt.* Quia igitur *habituatus Parochus* nequit iterato quamprimum abſolvi ante dignos fructus poeniteutiae exhibitos: h n XXVIII, et ſeqq: reſtat, ut is ad exorandam *gratiam perfectae charitatis* recurrat cap IX n XLV. aut ſi illi non ſatis fidat, inſtar aegri (qualis reipſa eſt ad mortem in anima) domo non exeat: aut quod ſpirituales vitae Magiſtri omnibus ſumme commendant, *ſpiritualis recollectionis* cauſſa ad Monaſterium diſceſſurus ſibi de idoneo ſubſtituto provideat, atque interea nervis omnibus mediis cap VIII n XXVI XXVII preſcriptis dignum ſe abſolutione praeſtet.

De Sacerdotibus etiam differendis.

XLV. Praemiſſos caſus *differendorum* fere exſcripſit Eminentiſſimus Cardinalis Denhoffius in Sinodo *Ceſenatenſi* a 1691 p 2 c 6: Addit vero recenſitis eos, qui ignorant ea, quae neceſſario pro *ſtatu*, et *conditione* ſua ſcire tenentur: vel qui notabiliter negligunt officium ſuum implere. Manifeſtum eſt enim teſte Angelico 2 2 q 76 a 2, quod *quicunque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, facere, ſcire, peccat peccato omiſſionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quae aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum. Et quivis peccator interrogetur de peccatis, quae conſveverunt in hominibus illius conditionis abundare.* Quam amplus hic cathalogus texendus eſſet eorum abſolutione indignorum, qui vel *neſciunt*, vel *omittunt* debite adimplere *officium ſtatus, et conditionis* ſuae! quam multi *Sacerdotes* ſaepe graviſſime impingimus in munere noſtro Diviniſſimo! quia eorum quoque, quae in Scholis didicimus, ſenſim obliviſcimur, tantum abeſt, ut praeclaris fundamentis ſcientiam Sanctorum inaedificare in dies ſatagamus! quia multi dies, utinam non menſes abeunt aut nihil, aut alia omnia, quam onus humeris noſtris impoſitum, ipſis Angelis formidandum exigeret, agentibus. Si hoc in Sanctis, quanto magis regnat ignorantia, negligentia, otium in Lajcis? in Magiſtratibus majoribus, et minoribus? in Nobilibus? in opulentis? quorum vitae compendium eſt: ad multam noctem comeſſari, ad altam diem ſtertere, ſplendide indui, diu ſe comere, opipare prandere, tempus otiando, garriendo, deambulando, viſitationes dando, et recipiendo perdere. Interim de muneris ſui cura, ſi officiales ſint: de ſubditorum, et domus ſuae bonis procurandis, ſi Patres familias: De prolium recta educatione; de domeſticorum neceſſitatibus, Si Matres familias: de ſtudiis neceſſariis, Si Filii: de honeſta occupatione aſſidua, Si Filiae fuerint: de vita Chriſtiana, de probis ſuis, ſuorumque moribus implantandis, vitiis exſtiſpandis, de charitate virtuali omnibus actionibus praedominante,

Ex Card Denhoffio Caeſenatenſi.

De otioſis, et negligentibus.

cujus

Obligationes omnis conditionis.

cujuscunque demum conditionis existant, aut nulla, aut postrema cunctis cogitatio. (*a*) Iane si docente Beatissimo Mediolanensi Antistite Carolo Bor reformandis Christianorum moribus caelitus dato (n n XXVIII :) si inquam indigni sunt absolutione ADOLESCENTES OTIO DEDITI, contremisco vel cogitare! qui possint hodie absolvi ex Magnatibus, Nobilioribus, et opulentis, potissimum Faeminis? quorum plerumque vita ipsum otium, et negligentia est. Et tamen tantum abest, ut de his vel se accusent sponte, vel a Confessariis interrogentur, aut moneantur, ut nisi crassa plane, velut impudicitias, injustitias, detractiones graviores, blasphaemias, et alia hujusmodi cornuta adferant, pro bonis, et *sanctulis* habeantur. Dum interim, ut vidimus, ob negligentiam, et otium ipsa absolutione indigni essent, si debite examinarentur. Nunc demum intelligo Sinodi Tiburtinae 1658 tit 8 de poenit tremendam illam sententiam: *Plurima crimina aluntur in populo ob Confessariorum minus diligens ministerium.* Et Sinodi Ariminensis 1090 tit de poenit *contestantis* Confessarios, ut *diligentes sint in examinandis, curandisque animarum aegritudinibus; memores, Maximam malorum partem, quae inter Christianos quotidie occurrunt, ex culpa, et negligentia, aut malitia confessariorum provenire.*

Utilitates dilationis.

XLVI. Hunc differendorum Cathalogum sumpsimus ex Illustrissimo Episcopo Vasionensi *de Sacramento poenit* cap XII. Qui ipse, ut vides, eum ex Sacris Conciliis, Auctoribusque Eminentissimis collegit. Rationes habes hic a n XXVIII. Addit cit incomparabilis Praesul: Dilatio absolutionis ponit poenitenti ante oculos miserandum suum statum, aeternam item poenam, quam toties relabendo promeritus est: ingerit terrrorem criminum suorum: cautiorem facit in conservanda Dei gratia: Cogit denique omnia deinceps pati, ne in priorem miseriam incidat. Recte, ut nunquam non Augustinus serm 34: *Si cito rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem.* Sed et D Ambrosius in ps 118 graviter monet, non *coercere delinquentes majoris austeritatis* esse, *quam si ulciscaris. Traduntur enim in passiones ignominiae, cum aliquid inhonestum commiserint, nullumque culpae pretium ferunt.* Adde difficillimam esse curationem habituatorum: *Consvetudo* enim (docente Angelico in cap 6 ad Rom) *peccandi quandam necessitatem inducit ad peccandum.* Et in cap 6 ad Haebr: *Sicut in corporalibus nullus est status ita periculosus, sicut recidivantium; ita in spiritualibus, qui post gratiam cadit in peccatum.* Quod sic mire edifferit magnus ejus Magister serm 68 de temp: *Si alicui pes frangatur, aut manus, cum labore solet ad pristinum officium revocari. Si autem 2, 3, et adhuc frequentius in eodem loco membra frangantur, potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus vulnera curanda sunt.* Similis ratio in *ANIMARUM FRACTURIS*, seu *vulneribus esse credenda est.*

Difficilis est cura recidivantium.

Qui veipsa sint absolvendi.

XLVII. Si quis post haec audita queratur, vix aliquos poenitentes juxta dicta absolvi posse: Respdeo 1 cum Patuzzio: *Non omnem lapsum post absolutionem signum esse, fictam, vanamque fuisse priorem poenitentiam.* Patet manifeste: Nam justificatio non reddit hominem *impeccabilem*, ut fides docet. Tunc igitur *lapsus* est *signum falsae prioris poenitentiae*, quando 1: oritur ex *omissione remediorum* a

Regula I.

pru-

(*a*) Evangelium divitis Epulonis Lucae 16 haec vitia narrat 1: Superbiam: *induebatur purpura, et bisso.* 2. Gulam *Epulabatur quotidie splendide.* 3: Avaritiam, et duritiem in Lazarum: *Et nemo ei dabat.* et propter haec ille *sepultus est in inferno.* Considera jam multos nostri Saeculi divites, et forte omnia haec, et multa alia in illis invenies. Bene Iob: *ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

prudenti Confeſſario praeſcriptorum. vel II: contingit *levi* duntaxat *tentatione* movente. vel III. quando *cito* poſt adeptam abſolutionem peccatu prius, vel novum grave committitur. vel IV. quando relapſus *diutius* in peccato commiſſo inſordeſcit *ſine Confeſſione*, vel ſaltem tentata ſaepius feria contritione. In his caſibus etiam ſeparatis, tanto magis ſi ex iis plures conveniant, praeſumi debet, recidivum non ut oportet prius egiſſe poenitentiam. In has igitur conditiones diligenter inquirat Confeſſarius, et abſolvendos a differendis facile diſcernet.

XLVIII. Reſpdeo II. *Eos tantum differendos volo, qui ex ANTIQUO PRAVO HABITU, aut non remota mali occaſione facile in gravia prolabuntur. Extra hos caſus hactenus in praemiſſis enarratos novae fragilitatis humanae rationem habendam aſſero* cum Peregrino Apoſtolico, ſive Pio VI Pontifice M: qui in Hom Paſch habita Vindobonae (quo zelo Religionis Catholicae 1782 ad Caeſarem Joſephum II venerat) pulchre, et neceſſario haec diſtingvit ita differens: *Redemptor* noſter ad vocem Judaeorum e cruce non deſcendit, ut *Nobis documenta relinqueret, non eſſe tempus poenitentiae intercipiendum, nec DENUO AD SAECULI DELICIAS REVERTENDUM. Hinc in hodierna lectione non ſolum annunciatur, quod Chriſtus reſurrexerit, ſed additur: NON EST HIC: ut nos inſtrueremur, QUOD VERE NON RESURGIT, QUI ADHUC PERMANET, UBI MORTUUS FUERAT: neque qui IN ID AMAT RECIDERE, UNDE SUREXIT.* At poſt paululum continuat: *Eos tamen, qui PER FRAGILITATEM ſaepe in multis offendunt, FREQUENTI OPORTET CONTRITIONE, et ABSOLUTIONE REPARARI. Quemadmodum Elizeus praecepit Namano Leproſo, ut ſepties in Iordane mergeretur, atque ita mundatus a lepra convaleſceret.* Haec SSmus. juxta Apoſtolicam hanc doctrinam *vere non reſurgunt*, nec proinde abſolutione digni ſunt, qui ſunt in *antiquo habitu*, in *veteri occaſione*, qui ex *priſtina malitia* recidunt. Bene vero illi, qui poſteaquam *his* omnibus plene purgati prius erant, ex *nova fragilitate* cadunt. Tales ſunt 1: qui impelluntur in peccatum non *ex inveterata malitia*, nec ex habitu, et quaſi dedita opera: ſed ex novo *impetu*. Aut nova occaſione. II: qui ſaepe *involuntaria* carnalium fordium *incidentia colaphizati* aliquando ex *negligenti reſiſtendi voluntate*, ac *pigritia* potius, quam ex praemeditata *peccati interni electione*, aut *linguae lapſu* cadunt. Quin III et in peccato *externo* plene conſummato miſericordiam meretur *extraordinaria tentatio* in eo, qui praeſcriptis ſibi *mediis* uſus eſt accurate, et (*copulative*) poſt lapſum CITO pro venia recurrit *notabili cum contritione paratus ad omnia.* Hi enim NON ex antiquo habitu, ſed ex *nova fragilitate* cenſentur peccare. go locus eis eſt doctrinae Pii VI: modo id ne *ſaepius*, et *cito* poſt invicem fiat. Tunc enim cenſetur ex *malitia*, non *ex fragilitate* peccare, proinde locus erit doctrinae h n XXXVI traditae. *Regula II.*

XLIX. Reſpdeo III. *Abſolvendi ſunt illi antea licet habituali, qui ſigna VERE EXTRAORDINARIA converſionis adferunt.* Cap VIII n XXVII a PP aſſignata: nempe *vim, ac violentiam poenitendi, magnum conatum, multas lacrimas, jejunium, orationem, et laborem peccati quantitati reſpondentem etr.* His enim SS PP ibi enumerati docent, *quoscumque peccatores* inveteratos *emendari.* *Regula III.*

L. Reſpdeo IV. *Abſolvendi etiam eſſent habituati, qui etſi non perfectam, VERAM tamen initialem* AFFECTIVE SUPER OMNIA *Regula IV.*

PRAEDOMINANTEM, et AD PERFECTAM SINCERE CONANTEM *adferunt* CHARITATEM. Ratio est: quia, ut toties diximus, qui serio, et sincere *conatur ad perfectam charitatem*, ei Deus *hanc* gratiam non negabit. Et qui Deum etiam *initialiter affective super omnia* amat, is eum non offendet, quin omnia praestabit, quae ei necessaria hactenus praescripsimus, quibus non minuat solum, sed plene tollat et peccatum, et occasiones, et habitum ejus. Nihilominus quia 1: in praxi sincerus hic conatus ad perfectam charitatem fere *ex operibus* dignoscitur. II: Saepe dubium est, an initialis charitas non sit potius *desultoria, momentanea velleitas.* Adde alias tres rationes hic n XXXIV averbis 4 *docente Vitasio* relatas. ideo *ordinarie in praxi iis, qui INITIALEM charitatem cum HABITU* adferunt, *differenda* est absolutio, donec charitas augeatur, et consolidetur: ne scilicet justitia sic adepta exponatur morali periculo proximae destructionis habitu potentissime urgente. Quemadmodum in humanis ratio naturalis dictat, nemini credendum esse thesaurum, nisi *qui vires*, et *prudentiam* habuerit, *illum a periculo debite custodiendi.* Sic et Medicus corporalis imprudentissime ageret, dando sanitatem brevi praevisam amittendam, si longiori cura dare posset duraturam. Ita dicendum de Confessario *extra articulum mortis.* Utrinque enim officium est, non solum curare, ut aeger desideratam valetudinem recuperet, verum maxime, ut recuperatam diu, constanterqur conservet. Hoc pacto consequemur amplissimos fructus dilationis h n XLVI relatas. Consentit Augustinus in ps 6: *quod facile sanatur, non multum cavetur; ex difficultate autem sanationis erit diligens cura receptae sanitatis.* Haec est sententia Patuzzii, et Antoine de oblig conf Q 7 monentis, hanc dilationem non debere esse diuturnam. ego ultra octiduum non differendum puto etiam sic probe instructum, et consolatum poenitentem. Termino adveniente, si poenitens nec semel lapsus est, signum est charitatem esse *adultam, radicatam*, consvetudinem exstinctam. ergo cum gaudio *coram Angelis Dei* absolvendum. Si autem interea lapsus esset, manifestum foret, illum non serio, et sincere, minus efficaciter conatum fuisse ad perfectionem charitatis hic n XXXIV. go ad remedia cap VIII n XXVI continuanda remittendum. Confer ibidem n XXIX: ubi docuimus: *Initialem charitatem sufficere Sacramento, sed non pravo habitui mox eradicando.* Quod ipsum dicimus hac IV responsione.

Ut ad absolutionem: ita ad communionem probatam emendationem exigunt PP.

LI. Hactenus de *Habituatis*, et *relabentibus* quoad *absolutionem* Sacramentalem usque ad moraliter certam emendationem differendis dicta intelligenda quoque esse de differenda *eis communione* haec demonstratio evincit: nam Divinum epulum est Sacrmtum vivorum: sed *habituatorum*, et *relabentium* poenitentia si non certo *nulla*, certe *dubia*, et *incerta* est. go *eis ante probationem emendationis* ut *absolutio*, ita *panis Angelorum* praeberi nequit. Major est de fide ex 1 ad Cor XI v 27 28 29: *qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Minor claret ex dictis hic a n XXVIII. conclusio est SS Patrum. Qui ad *Divinam mensam* exi-

S Dionysius. gunt *probatam* vitae *innocentiam*, et morum *emendationem.* S Dionysius Areopagita Hierarch Eccles c 3 afferit, *iis demum augusta patere misteria, qui ad Divini, ac deifici habitus immobilitatem pervenere, qui Soli Deo unice adhaereant, quique omnino irreprehensibiles sint, atque immaculati.*

Justinus. Justinus Martir in 2 apol: *Nemini licere Eucharistiae participem fieri*, nisi qui - - *consentaneam Christi praeceptionibus vitam agat.* S Basilius M I 1 de Bapt: *Peccato, mundo, ac sibi mortuum esse oportere, viventem autem Deo, qui eucharistiam accipere mereatur.* S Ambrosius serm

Basilius.

Ambrosius.

Dom

Dom IV advent: *Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam: Nam si non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam: et magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur: magis occiditur, quam vivificetur.* Chrisostomus hom 3 in epist ad Ephes: *multos video, qui corpus Christi accipiunt temere, et perfunctorie, idque eo potius, quod in usum, ac legem videatur abiisse, quam quod judicio, ac ratione ducantur. Si quadragesimae tempus instet, aut Epiphaniae celebritas, qualescunque tandem fuerint, Sacramentorum participes fieri volunt, At certe temporis ratio tempestivum ad ea accessum non facit. sed ANIMAE INTEGRITAS, ATQUE INNOCENTIA. HAEC SI ADSIT, SEMPER ACCEDITO. ALIAS NUNQUAM.* Et hom in epist ad Haebr: *quos igitur laudabimus? An qui semel? an qui frequentius? an qui rarius communionem adeunt? Neque illos: sed eos demum, qui CUM PURAE MENTIS CONSCIENTIA, qui MUNDO CORDE, ac VITA INTEGRA, atque INCULPATA CHRISTI CORPORE REFICIUNTUR. Tales SEMPER ACCEDANT; CAETERI NEC SEMEL ACCEDANT. Quia judicium sibi sumunt, et condemnationem.* S Gregorius M I 2 in 1 Reg: *repleti comedunt, et non saturantur* Coelesti convivio; *quia non saturantur nisi famelici, et a VITIIS PERFECTE JEJUNANTES.* At haec, et infinita, quae adduci possent, PP oracula non conveniunt iis, qui in *habitu* unius vitii; aut *in circulo diversorum Criminum* viventes *horaria poenitentia* expiati ad Divinum epulum festinant.

Chrisostomus.

Gregorius M

LII. Id quod evinco porro Sequentibus: Qui olim e caeno graviorum criminum emergebant, Longiori tempore probandi erant ante, quam ad Divinam mensam admitterentur. Atqui hujus disciplinae *finis*, et *Spiritus* erat *plena paenitentium emendatio.* go *haec* hodiedum in magnis pcecatoribus ad sacram mensam necessaria est. Majorem pponem docet unanimis PP consensus. Quorum agmen ducat S Ambrosius in ps 118 docens: *In ipsa Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debere formam justitiae; ne quis a communionis consortio abstentus brevi lacrimula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus, fletibus comunionem, quam plurimis debet postulare temporibus. Facilitate Sacerdotis extorqueat.* Maximus ejus discipulus Augustinus hom 27 triplicem poen tentiam distingvit: Primam *Competentium*, qui se ad baptismum parabant. aliam *justorum*, pro quotidianis. Tertiam pro *mortalibus* delictis, de qua ita docet: *Est paenitentia gravior. atque luctuosior, in qua proprie vocantur in Ecclesia penitentes, REMOTI ETIAM A SACRMTO ALTARIS PARTICIPANDI; ne accipiendo indigne judicium sibi manducent, et bibant.* et hom 50: *Tertia actio poenitentiae pro illis peccatis subeunda est, quae decalogus continet, et de quibus Apostolus ait:* quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. *In hac ergo poenitentia majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut a se ipso judicatus non judicetur a Deo. ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suae: adsit accusatrix cogitatio: testis conscientia: carnifex timor. postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut SE INDIGNUM JUDICET PARTICIPATIONE CORPORIS, et SANGVINIS DNI: UT QUI SEPARARIA REGNO CAELORUM TIMET PER ULTIMAM SENTENTIAM SUMMI JUDICIS, per Ecclesiasticam disciplinam A SACRMTO CELESTIS PANIS INTERIM SEPARETUR.* Pene ipsa verba haec sumpsit Divus a S Cypriano *de oratione Dom* ita testante: *Hunc panem dari nobis QUOTIDIE postulamus, ne qui in Christo Sumus, et Eucharistiam quotidie ad Cibum Salutis accipimus, intercedente ALIQUO GRAVIORI DELICTO dum ABSTENTI et NON COMMUNICANTES a COELESTI PANE PROHIBEMUR, a* Xti *Corpore separemur.* Conc Turonense 3 can 22 statuit, *Eppis, et Presbiteris diligenti cautela pertractandum, qualiter hominibus sua delicta confitentibus*

Vetus disciplina omnium mortalium reos diu arcebat a Sacra mensa.

Teste Ambrosio.

Augustino.

Cypriano.

Conc Turons. 3.

tibus tempus ABSTINENDI *praescribant, ut juxta modum peccati poenitentibus* ABSTINENTIA *indicatur.* Quae esset illa *abstinentia*, testatur *Ivone Carnot* Ivo Carnotensis saec XI Eppus ep 230 moris fuisse, *ut crimina sua confitentes aliquamdiu et Corporis, et Sanguinis Christi communione Ecclesia suspenderet.* Quae vero essent ejusmodi *crimina, propter quae peccatores ab Ecclesia*, et communione separabantur, enumerat Ivonis in Eppatu *Fulberto Carnot.* Praecessor Fulbertus Carnotensis serm 2 ad populum: *qualia sunt homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinae, furta, falsa testimonia, superbia, invidia, avaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua.* Verbo *propter omnia peccata*, quibus *data per baptismum munditia deperditur.* Ex quibus sole clarius est, hanc a mensa coelesti abstinentiam *omnium mortalium criminum* fuisse medicinam.

Qui peracta tota pae. ad Communionem admittebantur. LIII. Observari adhaec debet, hujusmodi *abstentis* jus ad Sacram mensam non nisi *peracta tota poenitentia* tributum fuisse. Ut testatur Cyprianus tract de lapsis: *in minoribus peccatis* (quam sit idolatria) *agere peccatores poenitentiam justo tempore, et secundum disciplinae ordinem ad exomologesim venire, et per manus Episcopi, ac Cleri jus communicationis accipere.* Ambrosius de poen l 1 c 14: *Venit* Paulus *in virga, quia a* COMMUNIONE SACRA *convictum* REMOVIT incaestuosum Corinthium. *Venit etiam in charitate, vel quia sic tradidit, ut Spiritum ejus salvum faceret: vel quia eum, quem ante sequestraverat, postea* SACRAMENTIS *reddidit.* Et ibidem cap 16 castigat Novatianorum severitatem, qui ad poenitentiam graviorum criminum reos admittebant, a Spe communionis excludebant: *Si quis occulta crimina habens - studiose poenitentiam egerit, quomodo istic recipit, si ei communio non refunditur? Volo veniam speret reus, petat eam lacrimis, petat gemitibus, petat totius populi fletibus.* S Leo epist 91 ad Theodorum Eppum: *Mediator*, inquit, *Dei, et hominum homo Christus Jesus hunc Praepositis tradidit potestatem, ut confitentibus actionem poenitentibus darent, et eosdem salubri* SATISFACTIONE PURGATOS AD COMMUNIONEM *Sanctorum per januam reconciliationis* ADMITTERENT. *Finis institutionis quadragesimae.* Id ipsum elucet ex institutione *quadragesimae*, de qua S Hieronimus in Ionam: *Ipse Dnus, verus Jonas missus ad praedicationem mundi jejunavit 40 dies, et haereditatem nobis jejunii derelinquens, ad esum corporis sui hoc numero animas nostras praeparat.* Et D Thomas *opusc. de Sacrmto altaris* cap 16 asserit, *ideo statutos fuisse ante Pascha 40 dies poenitentiae, ut his peractis in jejuniis, et orationibus, et continentia, et bonis operibus, tunc possint communicare poenitentes cum aliis bonis Christianis.* Hunc *Spiritum* permanere hodiedum in Ecclesia *Graeca*, vidimus cap VIII a n X. Ecclesiae vero *Latinae* officium quadregesimale *Eundem* luculentissime inculcat. Innegabile igitur est, Ecclesiam ab exordio a Salvatore Sponso suo instructam ea semper mente fuisse, esseque hodiedum, ut graviorum criminum rei nequaquam *horaria*, sed *longiori* poenitentia ad *mensam Eucharisticam* pararentur; *haec* vero *Divina mensa* totius poenitentiae rite peractae *finis, complementum*, et *praemium* esset.

Spiritus hujus disciplinae fuit EMENDATIO *poenitentium* LIV. Venio jam ad id, propter quod mox dicta praemitti oportuit, ajoque cum veneranda antiquitate, *dilationis* praedescriptae inter poenitentiam, et communionem mortalium criminum *finem, scopum, spiritum* fuisse *plenam poenitentium emendationem.* Id elucet ex facto Gentium Doctoris incaestuosum Corinthium ideo removentis a *Communione Sacra* (ut loquitur Ambrosius prius laudatus) *ut Spiritus Salvus sit.* ideo ut emendetur *dilatus.* Clarissime Moralium Parens Pastoral 2 p admonit 3: *Neque enim Deus* NOSTRIS CRUCIATIBUS PASCITUR, *sed* DELICTORUM MORBOS MEDICAMENTIS CONTRARIIS MEDETUR, *ut qui voluptatibus delectati* ab eo *discessi-*

ſceſſimus, fletibus amaricati REDEAMUS: *et qui per illicita diffluendo cecidimus, etiam a licitis noſmetipſos reſtringendo* SURGAMUS. Ambroſius l 5 de Sacramentis c 2: *Vocat te Dnus Jeſus. Videt te* MUNDUM *eſſe ab omni peccato: ideo invitat ad coeleſte convivium. Anima tua videt ſe ab omnibus* MUNDATAM ESSE PECCATIS, ET AIT: *oſculetur me oſculo oris ſui.* Auguſtinus poenitentium ab Euchariſtica menſa remotionem hom 50 vocat MEDICINALEM. Serm vero 252 de temp hortatur eos, ut *ſe humiliter ab altari pro* EMENDATIONE VITAE *removeant, ne ab aeterno convivio arceantur.* Chriſoſtomus hom 8 in epiſt ad Ephes docet: *Qui coeleſtis gratiae patrimonium diſſiparunt, non Confeſtim iis ad Sanctorum myſteriorum communionem aſpirandum, ſed ſenſim tantummodo, et* UBI SACRIS DIVINI VERBI LATICIBUS SORDES ABSTERSERINT. Evidentia haec quatuor Eccleſiae Doctorum teſtimonia evellere debent grande illud multorum inter nos praejudicium, quo ex *antiqua Eccleſiae diſciplina circa Sacram poenitentiae nihil proferri ſinſtinent ad reformandos corruptos hodiernos moris*: quaſi Sacroſancta illa antiquitas *cruciatibus ſuorum* unice delectata fuiſſet. ubi tamen ut clare jam vidimus, omni ſua circa poenitentiam diſciplina ſolam *emendationem* poenitentium reſpexit, intendit, deſideravit.

Ergo graviorum rei ante emendationem *ad communionem admitti nequeunt.*

LV. Ex quibus ineluctabiliter jam ſequitur, *hodiedum* nefas eſſe, graviorum reos *ante emendationem* ad Divinam menſam admittere. Nemo enim negaverit, in diverſo ritu externo, in varia diſciplina *tamen, eandemque* eſſe *Spiritum* Eccleſiae a Chriſto, et Apoſtolis uſque ad conſummationem ſaeculi duraturam, ut panem Angelorum non niſi mundi, puri, et immaculati accedamus. Teſte enim Auguſtino ep 118 *Hoc eſt indigne accipere Euchariſtiam, ſi eo tempore quis accipiat, quo debet agere poenitentiam.*

Tales ſunt.

LVI. Sed quoniam ſententia haec valde late patet, quaeramus porro, qui ſint illi, qui *eo tempore accipiunt euchariſtiam, quo debent agere poenitentiam?* Tales ſunt, qui depictam h a n XVIII juſtitiae chriſtianae ſtabilitatem nondum habent. Tales ſunt, qui ex *antiquo habitu*, ex *veteri nequitia* relabuntur. De quibus hic a n XXVIII. Tales ſunt omnes, quos in ſpecie abſolvendos hic a n XXXVII usque huc negavimus. Vidimus enim, in Eccleſia ſemper viguiſſe, ut communioni abſolutio praemittatur. Itaque qui abſolutione, iidem communione ſacra indigni ſemper habiti ſunt. Tales quoque ſunt illi, de quibus egimus c IX not II ad n XXVIII, qui nempe etſi jam ſincere poenituerint, retinent tamen *antiquorum habituum reliquias, inclinationem, facilitatem obvia occaſione mox ad priſtina vitia relabentem.* Hos in juſtitia infirmos, vacillantes, aegros, ſaucios, Semi vivos, invalidosque recte appellamus, atque ex mente SS PP Divino epulo indignos pronunciamus. Audiamus Ambroſium *in caput* 9 *Lucae* definientem: *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit ante ſanatus.* quis vero *ſanatos* dicet quos enumeravimus? proſequitur Divus: *quamquam non dum validioribus haec turba reficiatur alimentis, neque Chriſti corpore, et ſanguine JEJUNA SOLIDIORIS FIDEI CORDA paſcantur: lacte inquit* Apoſtolus, *vos potavi, non eſca: non dum enim poteratis, nec adhuc quidem poteſtis.* ESCA SOLIDIOR CORPUS EST CHRISTI. NON STATIM A PRIMO EPULAMUR OMNIA. Tum hortatur tandiu *dilatos: nequaquam igitur talem Dnum deſeramus, qui pro* UNIUS CUJUSQUE VIRIBUS IMPARTIRE NOBIS ALIMENTA DIGNATUR; *ne aut* INFIRMUM VALIDIOR CIBUS OPPRIMAT, *aut* VALIDUM EXILIA NON SATIENT. *Qui enim infirmus eſt, olus manducet*, doctrinae, Charitatis, contritionis, aliorumve *medicinalium* operum. Quibus verbis palam reprobat grandis hic Eccleſiae ſol eorum *doctrinam, et praxim*, qui maximos quosque peccatores ante *ſolidatam*, et *radicatam* charitatem mox abſo-

Omnes, quos abſolvendos negavimus.

Recenter, et imperfecte converſi.

absolutione donatos ad tremendam mensam admittunt eo sub praetextu, ut *cibo hoc grandium* imperfecti, et infirmi roborentur, similes illis, qui *infantem solido cibo* replerent, ut *hic* vires aquirat; quum verius Ambrosio, imo Gentium Doctore teste *is* esca sibi inconveniente opprimeretur. Quam in rem auro digna sunt illa Augustini verba: *Cibus sum grandium*: CRESCE, *et manducabis me.* Equidem, quod multos in contraria sententia detinet, omnes vocat ad se amantissimus Salvator illis: *Venite ad me omnes, - et ego reficiam vos.* Verum teste Hilario, et Theophilacto *in eundem locum: omnes vocat, Gentiles, Judaeos, Christianos peccatis onustos. Omnes reficit Christus.* Sed diversimode: nempe alios fide, alios Charitate, alios baptismate: *omnes sibi congruis mediis.* Vocat, et ad mensam suam solos Catholicos; sed teste Augustino serm 9 *de verbis Domini*, postea quam *jugum Christi in se sustulerint*, quod est *pie vivere in Christo Jesu*: Sive ut idem Augustinus ibidem serm 10 interpretatur, postea quam ejus exemplo, qui *mitis est, et humilis corde*, sibi *foderint fundamentum humilitatis, ut perveniant ad fastigium charitatis.* Suscribit Chrisostomus hom 17 in epist ad Haebr in illa lyturgiae verba *Sancta Sanctis!* docens: *Qui ad illam mensam accedere audeant, non a vitiorum modo caeno purgatos, sed virtutum ornamentis, et bonorum operum divitiis honestatos esse oportere.* Sed ne forte in Sanctis primorum soeculorum Doctoribus aliquid semper *publicae poenitentiae* suspiceris, audi Tridnum sess 14 cap 2 definientem: *ad novitatem, et integritatem* vitae *per Sacrm poen* Sacrae mensae praemittendae *sine magnis nostris fletibus, et laboribus Divina exigente justitia pervenire* nos *non posse.* Audi Melifluum serm. de Magdalena asserentem, a speculo illo poenitentiae *bis* unctum Dnum: primum in *pedibus*: deinde *in capite. Illud est sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Istud est Sacrificium* LAUDIS Eucharistiae INTERSTITII *tamen morositas* INTER PEDES *esse debet*, ET CAPUT: *quia profecto* DIFFICILLIMUS; *et* PRAESUMPTUOSUS SALTUS EST A VESTIGIIS ADVERTICEM DNI TRASVOLARE. Meditare Petrum Lucae 5 exclamantem: *Exi a me Domine, quia homo peccator sum!* Item Centurionem Luc 7: *Dne! non sum dignus, ut sub tectum meum intres.* Nec non mulierem illam Sangvinis fluxu laborantem Math 9 contentam *fibriam tantum vestimenti*, non carnem Domini tetigisse. Quae exempla nihil habent *publicae poenitentiae*; verum *Divinitus Conscripta sunt ad nostram instructionem*, ne patiamur recenter conversos magnos peccatores post aliqualem poenitentiam, *ante radicatam* in eis charitatem a *vestigiis* ad *caput Domini* mox irruere conformiter dictis hic n L.

Habituati, et relapsi.

LVII. Haec quidem PP doctrina locum habet in *recenter conversis*, et *imperfectis*: Urget vero maxime habituatos, et relapsos. quorum *absolutionem* exitialem vidimus Hic n XXIX. Quid vero de eorum *comunione* sentiant PP, ex dictis h n LI LII LIV colligere licet. Ideo: eis aliquos dumtaxat addimus. S Isidorus L I sent c 24 asserit, *qui scelerate vivunt, et communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant*, NIHIL AD EMENDATIONEM SIBI PROFICERE *dicente Propheta: quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? nunquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas?* Ad tantam lucem veritatis emendemus oportet eam opinionem, quod in *circulo vitiorum* viventibus danda sit *comunio ad emendationem.* Quae doctrina et *iis, qui sic pii* sunt: et iis, *in quos pii sunt* exitio est. *Illis* quidem, quia sic vulnus, quod secare deberent, operiunt, latenti in medullis morbo *pravi habitus* in superficie molle deducunt ungventum, et falsam pacem annnunciant, properatae communionis venena propinant. et sic in causa sunt, ut correctio non sequatur. Teste enim Gelasio Papa ep 3 *si finitur mansura perversitas, non est benignitas remittentis,*

sed

ſed conſentientis aſſenſio. *His* vero, quia teſte Caeſario Arelatenſi hom 8: *quicunque aliqua ex peccatis* mortalibus *in ſe* DOMINARI *cognoverit* (quod fit maxime in habituatis, et relabentibus) *niſi digne poenitentiam egerit, et a peccatis ipſis abſtinuerit, aeterna illa flamma ſine ullo remedio cruciabitur.* Quibus remedii loco praeſcribit Divus lacrimas, *rugitus, gemitus, continuata jejunia, largiores elemoſinas*; atque ut ULTRO NOS A COMMUNIONE *removentes in luctu, et triſtitia permaneamus.* Conf h n LIII. Subſcribit Doctor Maximus ad exponendas ſacras litteras Divinitus datus Hieronimus in ps 77: Adhuc eſcae eorum erant in ore ipſorum, et ira Dei aſcendit ſuper eos: *Haec de his, qui Deum poſt acceptum manna dereliquerunt. Nam et nunc in Eccleſia ſi quis carne, et ſanguine Chriſti reficitur, et declinat ad vitia, noverit ſibi Dei judicium imminere, ſicut Paulus Apoſtolus ait: Qui acciperit corpus, et ſanguinem Dni indigne, judicium ſibi ſumit, et bibit.* Os aureum Hom 17 in ep ad Haebr aſſerere non dubitat, quod *illi, qui non validam, ſed imbecillam ſuſcipit poenitentiam, qui pannis* veterum habituum *obſitus ſordidus, et ſqualidus ad Regiam menſam vult ingredi*, illi inquam *non ſufficit gehenna, quamvis ſit aeterna. Idcirco enim eſt aeterna.* Hos, et hujuſmodi PP textus admittunt Benigni omnes de *habitibus mortaliter peccaminoſis nondum poenitentia elutis*: ego vero intelligo *et de facilitate ad peccandum ex antiquo habitu orta, et nondum dignis medicinalibus operibus deleta: ex qua ideo relapſus facile oriatur*: Quae doctrina noſtra ex dictis h n LI. LIV facile colligitur: cum tales plene emendati dici nequeant. Audiamus D Baſilium in Moral reg 80 cap 22: *Quid proprium eſt Chriſtiani? ab omni inquinamento carnis, et Spiritus mundari, perficere Sanctimoniam in timore Dei, et Charitate Chriſti: neque habere maculam, et rugam, aut aliquid ejuſmodi: et ſic mmnducare corpus Chriſti. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium ſibi manducat, et bibit.* At qui retinet *facilitatem* peccandi, et ex *ea* cito proruit in nefanda quaeque, non eſt ſane *mundatus ab omni inquinamento*, quin habet *maculam, et rugam, aut aliquid ejuſmodi.* go indigne manducat corpus Dni-

Mox poſt peccatum.

LVIII. Sed eorum potiſſimum eſt impudentia deflenda, qui heri, aut ante biduum, triduumue ceſſantes a nefandis criminibus (quia aliquid urget) peracta confeſſione mox ante digeſtam plene crapulam, ante exſtirpatas probe infandas phantaſias in Sacroſanctum Dni corpus irruunt. ac faetenti adhuc corpore, oreque a libidine, blaſphaemiis, crapulae reliquiis, aliiſque infandis criminibus Diviniſſimam Virgineam carnem devorant. Hanc pponem nemo, ſpero, in dubium revocabit: Nam ſi veteris legis *infirma elementa* Sacrificia, et Sacrmta non niſi a Sanctis, et continentibus tractabantur, et ſumebantur clamante Dno: *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*: Confer I Reg 21 v 4 5: ſi Apoſtolus ipſis conjugibus ab *uſu licito* temperandum praecipit *ad tempus, ut vacent orationi*, ſub qua maxime *communio* intelligitur: I ad Cor 7 v 5: Quis obſecro ferat? hominem ſceleſtum e caeno mox recenſitarum turpitudinum recenter patratarum hodie emerſum, foetoremque criminum ſuorum adhuc exhalantem, effraenes concupiſcentiae motus circumferentem, varia, vividaque obſcaenitatis phantaſmata, et imagines (ut ut jam invite poſt aliqualem poenitentiam) adhuc patientem, cum hiſque miſere luctantem, ac prope iterato ſuccumbentem, veterum exemplo ipſo aditu Eccleſiae indignum, Sacro Sanctam Agni immaculati carnem invadere, ori immundo ingerere! In quos ita detonat S Cyrianus *tr de lapſis*: *A diaboli aris revertentes ad Sanctum Dni ſordidis, et infectis nidore manibus accedunt: mortiferos idolorum cibos adhunc pene ructantes, et exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus - Dni corpus invadunt: Vis infertur corpori ejus: et plus*

modo

modo manibus, atque ore delinquunt, quam cum Dnum negaverunt. Ante hunc D Dionyſius Areopagita de Eccles Hier c 3 inculcat, *non eos modo qui a Chriſtianae vitae Sanctitate deſciverunt, a templo ejiciendos; ſed et eos, qui a deteriori quidem vita receſſerunt,* NON DUM VERO ANIMOS A PRISTINAE IMPURITATIS PHANTASMATIS SATIS EXPURGATOS GERUNT. Quid multis? hoc docent omnes PP, qui ad dignam communionem non modo *peccatorum veniam,* ſed et *mentis purgationem, curationemque* requirunt. Quales ſunt Leo M ep 9. Gregorius M I 6 in I Reg. Severus I 2 dialog c 13. Ambroſius L 2 de poen c 5. etr.

P Emerici de Bonis S Ignatii ſincroni doctrina.

LIX. Sed ne antiquitas iterum ſuſpecta propter publicam poenitentiam ſit, juvat dicta confirmare auctoritate RP *Emerici de Bonis* S I, qui tempore S Ignatii floruit, et cujus *ſpeculum confeſſariorum* in varias lingvas tranſlatum, ſaepiusque recuſum ita apud Eppum Vaſionenſem de Sacrto Poen cap XII inſtruit:

De communicantibus mox poſt peccatum.

„Duos magnos abuſus in - ſumptione Sacro Sanctae euchariſtiae invenio, et faxit Deus, ut cito tollantur. Primus eſt quorundam hominum, quibus *nulla hebdomada praeterit,* quin *ſemel, aut ſaepius Luxuriae ſpurcitiis ſe contaminent,* qui tamen octonis quibusque diebus SSmo Chriſti corpore paſci poſtulant. Sunt et alii, qui *etſi rarius peccent, tamen diebus, quibus conſvevere, ad Sacram Euchariſtiam, quamvis recenter in peccatum lapſi, accedere velint.* Abuſus, errorque maximus eſt, quod non ſatis cogitent, quam infame, et turpe vitium carnis illius Virgineae, humanitatis SSmae, et Divinitatis Auguſtiſſimae, quam hoc Sacrmto ſuſcipimus, munditiei, et puritati adverſatur: Cujus ſi vere dignitatem, et excellentiam pernoſcerent, - in viam redirent, et mutarent mores. - *Crebri in eaſdem culpas relapſus debitam praeparationem defeciſſe teſtantur.* Nam *ſi nullum adverſum vim, et efficaciam ſacramenti obicem ponerent, effectus ejus procul dubio conſequentur:* quorum unus eſt, ut eos, qui digne ſumunt, *caſtos* faciat: quoniam multum *cupiditatem* minuit. *quae* ſi ſit *fracta, et coercita, facile vinci,* ſuperarique poteſt. *Vultis ſcire, quamobrem non faciant? QUIA NOLUNT.* Quamobrem a communione arcendi ſunt. Qui ſecus facit, panem Filiorum dat canibus, et Margaritas projicit ante porcos. De his quoque idem ſentio, qui poſtero, tertio, aut quinto die, quam Euchariſtiam ſumpſerunt, idem, quod antea peccant, aut qui pridie nudius tertius, aut quartus peccaverunt. Quod dicunt, alios confeſſarios eſſe, qui ſic affectos a Communione non arceant, ſatis eſt reſpondere: *ſibi Deo talium confeſſariorum agendi rationem non eſſe praeſtandam. - eſſe etiam nunc viros piiſſimos, et doctiſſimos, - qui etiam ſanctae reſurrectionis tempore eos, qui ante paucos dies crimen aliquod admiſerint, a communione ſuſpendunt, continentiam aliquandiu ſervare jubentes, quam tremenda adire miſteria ſinantur:* tam *crebris,* tam facilibus *in peccata lapſibus* merito *ſuſpicionem ingerentibus* confeſſario, *deeſſe illis veram attritionem* (ſenſu veterum de quibus cap I n IX) *ſine qua non ſolum poſſunt, ſed etiam debent illos ſine abſolutione dimittere.* - Sunt, *qui poſtquam innumera, et horrenda crimina* Sacerdoti *patefecerint, ſequenti, aut tertio die carne Chriſti Domini non timent reſici. Quod ſane non eſt permittendum:* Quoniam *qui habitum peccati contraxit, non ſine magna violentia reſipiſcere,* magnaque animi contentione excitare in ſe ſalutiferum peccatorum ſuorum dolorem *valet:* quemadmodum arbor annoſa non unico ictu dejicitur: nec vas aliquo tetro liquore imbutum ſemel aqua frigida ablutum o-

Et cito relabentibus.

Aliorum confeſſariorum exemplum non ſequendum.

Habitus pravi difficile expugnantur.

dorem

dorem amittit: ſed opus eſt, ut diu in cinere, et lixivio ferveſcat. *Eadem* quoque *ratione erga eos utendum eſt, qui tam ſaepe ad ſua peccata recurrunt. Subeant poſt expoſita peccata poenarum, et laborum genera, quibus ſentiant, doleant, et deteſtentur praeteritas culpas.* QUOD QUIA AB ILLIS NON EXIGITNR, CITO SUUM VOMITUM RESORBENT. - - Durum equidem, et grave primo lapſis videbatur, toties ſine abſolutione, et piacularibus poenis remitti. Verum *multi poſtea ſeveritatis illius fructum experti gaudentes, et de ſe optime meritis gratulantes rediere, futurumque fatentes fuiſſe, ut niſi ejuſmodi auſteritate eſſent cohibiti, Laudabiliorem vitam nunquam inſtituerent. Si Confeſſarii majorem ſeveritatem adhiberent, multo major pravorum hominum emendatio ſequeretur. Nec iiſdem ſemper criminibus obnoxios homines cerneremus.* Nec poenitentes Confeſſarios mutarent, ut aliquem tandem inveniant mollem, et facilem, qui leves imponat poenitentias, et ſinat eos, quoties libuerit, etiam moribus immutatis, ad Euchariſticam menſam accedere. Quem tanquam peritiſſimum praedicant: caeteros, qui perverſorum morum mutationem exigunt, tanquam incommodos, ſcrupuloſos, humanaque fragilitate nimium duros reprobant. ſed *miſeri* hi *animarum Rectores non cernunt, pravos homines in vitiis ſuis propterea ſua indulgentia detineri, atque in priſtina peccata relabi.* Quod iſti dicunt, ſe gaudia, ſvavitatemque, cum Euchariſtiam ſumunt, experiri: auſim affirmare, id valde ſuſpectum, et errori eſſe obnoxium: illoſque animi motus ab alia cauſſa, quam a ſumpto Corpore Chriſti proficiſci poſſe, aut aliquam daemonis fraudem ſubeſſe: non autem a vera pietate provenire. Turcae namque cum ſuum Mahometem colunt, aut de eo ſermonem audiunt, tam magno, tamque ſvavi animi affectu commoventur, ut etiam erumpant in Lacrimis (*a*) quod tamen vel Divinitus immiſſum gaudium, vel verae pietatis affectum nemo dixerit. Id modo exponendum reſtat, quod *dicunt, niſi caeleſti carne crebro reficerentur, ſe frequentius in peccata lapſuros.* Quibus *reſpondendum, ad id Euchariſtiae ſacrm non fuiſſe inſtitutum, ne tam ſaepe homines peccata committerent* (quamvis id quoque, vel etiam quid praeſtantius digne ſumentibus praeſtet) *ſed ut ſit illis eſca caeleſtis, qua ad virtutis culmen promoveantur.* (*b*) ILLI AUTEM DIVINO CIBO NON ALUNTUR; QUANDOQUIDEN VITA COELESTI NILIL CUM CARNE COMMUNE EST, cui ita ſerviunt, ut aliter vitam ſe inſtituere non poſſe ipſi affirment,, Poſtremo removendos a menſa coeleſti docet eos, „qui ſemel aut bis quibuſvis Menſibus ad Sacram communionem accedunt eo, quod ſodalitio, ac ſocietati alicui nomen dederunt, quae diebus quibuſdam Sacro Sanctam Euchariſtiam percipere ſtatuit: qui licet non ita frequenter in peccata libidinis incidant; ſi tamen pridie, aut nudius tertius eo ſe turpi crimine polluerint, abſtinere autem a Sacra Menſa nolunt, ne, inquiunt, *ſi non faciamus, aliis malo exemplo ſimus, aut of-*

Confeſſarii molles ſunt cauſſa tot relapſuum.

In talibus ſvavitas non eſt a Deo.

Nec praetextu vitandi crebriores lapſus admittendi.

Repellendi qui humanis rationibus ducuntur.

(*a*) Quod hic dicitur de Turcis, idem videre licet in Judaeis in ſinagoga ſimul orantibus, ac mirandum in modum plorantibus. Vel enim diabolus eos excaecat hac ſvavitate: Vel fient deſiderio temporalis felicitatis, quam ſub ſuo meſſia ſomniant. Ideo rudes arcendi eſſent ab eorum ſinagogis; ne horum ignari illorum fletu offendantur quaſi *Boni, et compuncti* eſſent.

(*b*) Teſte Divo Thoma 3 p q 79 a 5 Hoc ſacrm remittit peccata venialia, et poenas temporales, *ac praeſervat a mortalibus PRO MODO INCENDAE CHARITATIS:* proinde non directe, ſed conſequenter. Primarium vero ejus effectum docet eſſe *Spiritualem nutritionem per unionem ad Chriſtum, et ad membra ejus,* quod rurſum fit per charitatem actualem tanquam diſpoonem ad conſequendum effectum ex opere operato. De qou ſuo loco. conf Vitaſſe de Euch q VI a 1.

fenſioni. Quod eſt *humanis rationibus potius, quam verae pietatis affectu communionem ſumere.*„ His non meliores puto eos adoleſcentes, qui ſuo arbitrio relicti *raro:* Superiorum autem juſſu *crebrius* ad Sacramenta accedunt. Nec eos Catholicos, qui ipſam Confeſſionem, et communionem *Paſchalem* omitterent, ſi id *Salva exiſtinatione coram populo* poſſent. Nec eos Sacerdotes, qui *oblato ſtipendio* celebrant, ommisſuri ſi *id* non obtigiſſet: atque utinam hi omnes *non humanis rationibus* principaliter agantur? ſed audiamus cit auctorem: qui porro ad judicia, et offenſionem aliorum ex ommiſſione communionis timeri ſolitam Reſpondet, quod„ ſiquis quid mali ſuſpicetur, id immerito faciet, et temerarii Judicii culpa ſe adſtringet. *Poteſt enim Confeſſarius cuilibet ſuorum Poenitentium non modo ob lethalem culpam, ſed non nunquam ob levem, aut ut eum durius exercendae patientiae cauſſa habeat, aut ut leve aliquod vitium corrigat, aut ut eorum - quae ad Dei cultum pertinent, magis ſollicitum reddat, aut* QUIBUSDAM ALIIS DE CAUSSIS *communionem denegare.* At in rebus dubiis debemus ſentire de in proximo in bonitate.„

Etiam obvenialem culpam multi repelli poſſunt.

Hactenus digniſſimus S Ignatii diſcipulus ſpiritu Maximi Magiſtri ſui, imo OO SS Patrum, ut ex dictis ſatis patet. Ex quibus palpare licet, quae fuerit Theologia PP, eorumque diſcipulorum circa admittendos ad Divinam Menſam eouſque, donec invectus poſt Tridnum attritioniſmus, probabiliſmus, benigniſmus, in hoc quoque puncto anguſtam coeli portam privata auctoritate dilataret.

Qi digni communione?

LIX. Si quis poſt haec quaerat: quos tandem judicem idoneos Sacrae Communioni quantum ad praeparationem, et dignitatem remotam? (nam de proxima cap XII Si Deo placuerit) Reſdeo: Eos, in quibus *charitas* Dei habitualis *radicata*, et *praedominans* illicitum *Saeculi*, ſive *ſui* amorem *exſtinxit; licitum ſibi ſubordinavit.* In talibus enim neque *habitus* pravus, neque *antiqua malitia*, neque *facilitas ad peccatum cito proruens*, neque *alia vitioſa paſſio* amplius dominatur, quae fructum Divinae menſae impediat, aut corrumpat. Audiamus Maximum Eccleſiae ſolem Auguſtinum in ps 64 ita docentem: *Duas Civitates fnciunt duo amores: Jeruſalem facit amor Dei. Babiloniam facit amor Saeculi. Permixtae ſunt, et ab exordio generis humani permixtae currunt. Sed interroget ſe quiſque, quid amet? et inveniet unde ſit Civis?* teſte Proſpero ſent 221: *idem eſt amor ſui, et amor Saeculi.* Si ſcripturam conſulamus, *nemo poteſt duobus Dominis ſervire, nec claudicare in duas partes, et quicunque voluerit amicus eſſe hujus Saeculi, inimicus Dei conſtituitur.* Jacobi 4 v 4. Igitur ex ſcriptura, et PP conſequitur, duos hos amores eſſe geminos fontes: *Charitatem Dei omnium bonorum: Amorem ſui omnium malorum.* Clarius id ipſum exprimit Vas Electionis, dum 1 ad Cor 13 charitatem *omnium virtutum* faecundam *matrem* depingit: quae nempe *patiens eſt, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quaerit qaae ſua ſunt; non irritatur, non cogitat malum, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* verbo omnium virtutum radix, finis, et perfectio extrinſeca eſt. Ex adverſo autem 2 ad Timoth 3 miſerandam poſtremorum temporum, horribilemque vitiorum eluviem deſcribens, *proprium amorem* illorum omnium ſundamentum, caputque conſtituit: *In noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt enim homines SEIPSOS AMANTES: cupidi, elati, ſuperbi, blaſphaemi, inobedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis, quam Dei.* Quae mala expendens Auguſtinus tr 123 in Joan aſſerit: *Haec omnia mala ab eo velut fonte manant, quod primum poſuit:*

In quibus charitas dominans amorem SUI exſtinxit.

Amor ſui fons vitiorum OO.

Currumpit omnes virtutes.

poſuit: SEIPSOS AMANTES. *Haec, atque hujusmodi vitia ſive uni homini accidant omnia, ſive his alia, aliis alia* DOMINETUR, *ex* ILLA RADICE *quodammodo* PULULANT, *cum ſunt homines* SEIPSOS AMANTES: Imo Apoſtolo teſte amor ſui omnem virtutem poſſumdat, ſolum ſimulacrum virtutum relinquens ibi v 5: *Habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Adverſus domeſticum hunc hoſtem noſtrum *amorem ſui* perpetuum bellum gerere, eum occidere, eradicare eſt *Spiritus Evangelii*, ſine quo in vanum laboramus. hoc eſt illud: *qui vult poſt me venire, abneget ſeipſum: qui non odit animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Lucae 13. *Fili poſt concupiſcentias tuas non eas. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, et concupiſcentiis ſuis. Qui amat animam ſuam, perdet eam; qui autem odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam aeternam cuſtodit eam.* An *haec* Religioſis tantum ſcripta ſunt? et non *omni homini venienti in hunc mundum?* An Lajci, et ſaeculares bona opera non debent facere *bene?* at teſte Mellifluo: *Grande damnum propria voluntas*, amor ſui, *qua ſit, ut bona non ſint bona: quia nihil, quod propria inquinatum eſt voluntate, guſtabit ille, qui paſcitur inter lilia.* Ut *radix bonae intentionis* omnes actiones ſubſequas dignificat, ita radix venenata toxico amoris proprii ipſas ſanctas actiones corrumpit, dum ſe *earum* finem conſtituit. *In jejuniis Veſtris*, aliiſque bonis operibus *invenitur voluntas Veſtra*, ideo bona talium opera Deo grata non ſunt, ideo *ſpeciem habent pietatis, virtutem autem abnegantes.*

Amor ſui etiam venialis praedominans

Ut fructum verbi Dei.

Ita Divini epuli impedit.

LX. En quam merito identidem urgeamus charitatem *praedominantem, vitioſos affectus* extingventem, licitos ſibi ſubordinantem! cap V a n XXXVI uſque XLI. An enim *amor ſui* omnes virtutes depaſcens fructum Divinae Menſae intactum relinquit? affirmas, *quamdiu amor ſui venialis* eſt. Ego vero hanc doctrinam tuam, *niſi venialia affectus charitatis, relapſum* vero *in gravia praedominium ejus impediat*, Evangelio directe contrariam eſſe ſic evinco: teſtibus PP animas noſtras Salvator *verbo*, ac *Corpore ſuo* paſcit: atque ideo duo haec in *Oratione Dominica* nomine *panis* principaliter petimus. Non eſt igitur veroſimile, iis prodeſſe *carnis*, quibus *verbi ſui* non prodeſt alimentum. atqui teſte aeterna Veritate Lucae 8 ſemen verbi Dei ſuffocant, et inutile reddunt tria haec: *Sollicitudo Saeculi, divitiae*, et *voluptates vitae.* Sub quibus, teſtibus ſcripturae interpraetibus, comprehenduntur omnia, quaecunque a *mundi*, et *ſui amatoribus* phraſi eorum *innocue*, et *innocenter praeter Deum* quaeruntur: ut honores, opes, indifferentes in ſe voluptates, amplitudo familiae, etr. ſi igitur *haec in ſe licita*, ſed quia *praeter Deum* in corde dominantur, ideo ſaepe venialiter tantum peccaminoſa currumpunt fructum *verbi Dei*, tanto fortius id de effectibus Diviniſſimi epuli affirmandum eſt, quanto majorem cordis munditiem hoc prae illo requirit. Imo vero etſi miſeri hi *ſui amatores* a manifeſtioribus criminibus jam diſceſſerint, non ſperent tamen Doctore Mellifluo ſerm 2 de Aſſumpt animas ſuas donis caeleſtibus implendas, quas *mundus*, *et amor ſui* replevit. *Spiritus enim diſciplinae effugiet fictum. An vero aliud eſt, quam fictio? Si peccata ſuperficietenus radas, non intrinſecus eradices? in corde enim ſervus eſt propriae voluntatis. Videas interdum ſic palliatum hominem, ut ſeducat etiam ſeipſum, poenitus non attendens vermem, qui interiora depaſcitur. Manet enim Superficies, et ſalva ſibi omnia arbitratur, et dicit: quia dives ſum, et nullius egeo. Cum ſit pauper, et miſerabilis. Nam et inventa occaſione ebullire ſaniem, quae latebat in ulcere, et exciſam. non exſtirpatam arborem in ſilvam pullulare videas denſiorem. quod periculum ſi volumus declinare, ſecurim ponamus neceſſe eſt ad radicem arborum, non ad ramos.* Amore *ſui*

re *sui* pleni similes sunt lunatico Math 17, utpote qui cum eodem saepe cadunt *in ignem* iracundiae, concupiscentiae: *in aquam* pravorum desideriorum: qui *surdi, et muti sunt* ad Divina: *alliduntur in terram* saecularium curarum, nec assurgunt ad caelestia: *spumant, et stridٍent* variis passionum motibus, *arescunt* defectu devotionis.

Est caussa tot relaptuum.

LXI. Ex quibus clare lucet, in quam miserabili statu sint illi, qui ramos graviorum criminum amputare contenti, ipsam arboris malae *radicem* nova semper ubertate vitiorum luxuriantem, *amorem* inquam *sui*, cupiditatem Saeculi eradicare radicata charitate non satagunt. Ut enim ex Augustino didicimus, duo hi amores *Dei*, et *sui* ab exordio permixti in nobis sunt, perpetuamque luctam invicem habent; et teste Mellifluo, quamdiu amor proprius *eradicatus* non fuerit, ramos vitiorum germinabit, quibus infirma, et debilis charitas Dei graviorum criminum poenitentia recens plantata mox exscindetur. Quis hinc non palpet veram tot relapsum caussam? Finge, obsecro! aliquem *amore sui* plenum hodie initiali charitate animato Sacramento justificari, quamdiu perseverabit? eousque tantum, dum *mala* in eo latens *radix iterum pululet*: dum *occasio proxima repressas in eo passiones excitet.* Considera mundi filios aliquot post dies a susceptis Sacramentis in veteribus suis sordibus volutari, et me verum dixisse deprehendes. Nempe non bene conveniunt, nec in una sede morantur amor *Dei*, et *sui*. Hic est Dagon ille, quem aut charitas radicata trono suo dejiciat, aut ille hanc oportet. Quamdiu occultum hoc virus cor nostrum deposcitur, Deum *ex toto corde* diligere non possumus. Teste enim Augustino: *minus Deum diligit, qui aliquid praeter Deum diligit, quod non propter Deum diligit.* Ideo, quia *divisum est cor* nostrum inter Deum, et Saeculum, *interibimus*. An sperare licet Deum Eucharisticum divitias bonitatis suae communicaturum animae amore Saeculi plenae? Scriptum est: *animalis*, sui amans *homo non percipit ea, quae sunt spiritus*: et tu credes eum dona, ac fructus *Divini epuli* percepturum? vane, et sine ratione: Etenim Primarius effectus illius est *unio mutua* Dei, et hominis *per fervorem charitatis*, not ad n LVIII hic. Totum cor nostrum petit sibi Deus Eucharisticus: *Fili! praebe mihi cor tuum.* go cor mundi, et sui amore, affectibus, cupiditatibus, passionibusque vel *leviter inordinatis* plenum non implet, quin dimittit inane. Lege aureum compendium Patrum Thomam Kempensem L 4 c 15: *Modicum* (nostro judicio) *quandoque est, quod gratiam impedit. Quisquis intentionem suam simplici corde ad Deum levaverit, seque ab* OMNI INORDINATO AMORE CUJUSLIBET REI *creatae* EVACUERIT, *dignus devotionis munere erit. Dat enim Deus ibi benedictionem suam,* UBI VASA VACUA INVENERIT. Inspice ejusdem L 1 c VI *de inordinatis affectibus.* L 2 c VII: *Dilectus tuus est talis naturae, ut* ALIENUM NON VELIT ADMITTERE, *sed* SOLUS VELIT COR TUUM HABERE. *Si scires te bene ab omni creatura evacuare, Jesus deveret libenter tecum habitare.* L III c XI. XXVII. XXXI. XXXII. XLVIII. *Beatus ille homo, qui propter te Domine! omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit: qui naturae vim facit, et concupiscentias carnis fervore spiritus crucifigit, ut serenata conscientia puram tibi orationem offerat, dignusque sit Angelicis intereسse choris* OMNIBUS TERRENIS FORIS, ET INTUS EXCLUSIS.

Non digne diligit Deum, qui praeter Deum aliquid diligit.

Cor divisum non impletur gratia Dei.

Praemissis primum fundamentum vitae Christianae ad communionem exigimus.

LXII. Ergo ais: *perfectionem* vitae exigimus ad communionem? imo primum alphabetum, et *initium* vitae Christianae. Ut enim cap IX n XXXVI didicimus, *viae purgativae*, et primum Alpha hominis Christiani est *cupiditates coercere, vitia eradicare, amoris caelestis impedimenta removere, quorum fons est amor sui, passio praedominans,*

affectus

affectus pravi. Quae priusquam eradicentur, nedum quis dignus Sacra mensa, sed nec salus ejus in tuto est: ut palam docet Salvator apud Math cap 16 v 24: *Tunc Jesus dixit discipulis suis: si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me: qui enim voluerit aam suam salvam facere, perdet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* Sensus obvius est: non tantum me oportet mori (quod Petrus nolebat, ideo ibi reprehensus) sed et vos debetis me sequi animas vestras, veterum hominem, *amorem vestri*, cupiditates, passiones, *affectus praedominantes occidendo, eradicando*: Secus his salvis salus vestra in tuto non est: dictae enim passiones vos identidem in varia vitia, et sic in exitium sempiternum praecipitabunt. *Sine quo nec salus in tuto est.*

En Absolutam necessitatem cuivis Christianorum non stolones solum graviorum vitiorum resecandi; sed ipsam *radicem amoris proprii* eradicandi nos certo certius secus perdituram! tanto magis fructum Sacrae Comunionis impedituram. Quod si his minime persvasus *sui amanti, animali homini spiritualem panem* praebere non dubites, attende ejus sequenti Confessioni, et deprehendes, *arborem amputatam*, non *exstirpatam* in *silvam recidivae* pululasse: et tunc *ut recidivum* non absolves, nisi OO PP h a n XXVIII laudatos deseras. *go necessarium est exstirpare amorem proprium.*

LXIII. Quidni igitur obtemperemus omnes Christi Apostolo Jacobo c 4 v 8 ita mundi amatores exhortanti: *Purificate corda duplices animo!* Non ait: Post graviora peccata expiata *radicis malae extirpandae caussa ad Divinum epulum mox accedendum esse.* Non sunt haec Spiritus Sancti consilia: sed primum jubet *emundare manus*, pravas actiones: *tunc corda* ipsa *purificare*: hoc est *amorem sui*, et *saeculi*, qui amori Divino inimica est, stirpitus evellere, ut jam non sint *duplices animo*, Deum inter, et mundum *divisi*; sed *simplicitate evangelica totum cor suum Deo consecrent*, nihil *contra*, et *plus quam Deum*, omnia vero *propter Deum* diligentes: pro *veteribus* vero eorum *malis medicinam* praescribit afflictiones, gemitus, lacrimas, humiliationem occultae hactenus superbiae contrariam: *miseri estote*, et *lugete*, et *plorate*, *humiliamini in conspectu Domini.* Sic demum Deus *exaltabit vos* dignos reddens hic *Mensa Eucharistica*, et quae illius arha est, olim *aeterna gloria.* *Doctrina nostra est Jacobi Apostoli.*

Haec de *remota dispositione ad Communionem*; quae clariora fient cap XII: ubi agemus de *proxima.*

LXIV. Si quis queratur, hanc duram, rigidamque esse Theologiam: Petri Blesensis in Prol tr de Confess usurpo sententiam: *Nihil de spiritu meo prophaeto, sed MICAS colligo quae decideru t de mensa Dominorum meorum* SS PP, eorumque Discipulorum. Item Chrysostomi hom 33 in Math: *Non nostra loquimur, sed quae a Christo per Apostolos accepimus, ea loquimur.* Nec non Vincentii Lirinensis in common c 13: doctrinam trado *Catholicam, unam, eandemque per singulas aetatum successiones incorrupta veritatis traditione manentem, et usque in saecula sine fine mansuram*, benignis quidem mediae aetatis opinionibus non nihil. Obnubilatam, sed hodie discussis jam nebulis plena luce fulgentem: ut adeo vere affirmare debeam cum S Joanne a Cruce in Sent 72: *Si quis tibi persvadere conetur doctrinam laxam, tametsi miraculis eam confirmet, ei non credas.* Si lamenteris, paucos fore hac ratione caelesti mensa dignos, respondet pro me S Cyprianus de lapsis: *Quod non statim Domini Corpus INQUINATIS MANIBUS accipias, aut ORE POLLUTO DNI SANGVINEM BIBAS. Sacerdoti sacrilegus irasceris? irasceris ei, qui abs te iram Dei avertere nititur: qui pro te Dni misericordiam deprecatur:* *Et SS P.*

qui vulnus tuum ſentit, quod ipſe non ſentis: qui pro te lacrimas fundit, quas forſitan ipſe non fundis. Accipe potius, et admitte, quae loquimur, quae de ſcripturis caeleſtibus et diſcimus, et docemus. Modos his aſvefaciendi populum Chriſtianum dabimus cap ſeq. nempe ut *concorditer agamus omnes:* ut dimittendi *non dimittantur jejuni* etc. de quibus mox pluribus. Quae qui non amplectitur, ei illa D Baſilii M 2 Epiſt ad Amphilochium uſurpamus: *Haec omnia Scribimus, ut poenitentiae fructus probentur. Quod ſi qui a propriis moribus non facile avellantur, et carnis voluptatibus potius, quam Deo ſervire voluerint, vitamque ex Evangelio inſtitutam non amplectantur, nulla nobis cum eis intercedit communis ratio. Nos enim adverſus populum non credentem, et contradicentem illud audiſſe meminimus:* Salvans ſalva animam tuam. *Non ergo cum eis perire conſentiamus, ſed grave judicium reformidantes, et tremendam illam retributionis Domini diem prae oculis habentes caveamus alienorum peccatorum ruina involvi.* Utinam aureae hae voces omnium cordibus altiſſime inſculpantur!

CAPUT UNDECIMUM.

In examen vocantur Benigniſtarum rationes neglectae dilationis. ubi de caſuum reverſatione. praxes facilitandi dilatos, et agendi cum variis poenitentibus. Ignorantiſſimus ultimum illorum perfugium refellitur. Errantes illuminandi. ubi de contrahentibus matrimonium cum voto ſimplici, de Sponſa impedimento dirimente ligata ante, et poſt matrimonium dirigenda. Modus haec conſcientiarum tormenta evitandi.

I. Quamquam titulo capitis praecedentis pollicitus fuerim, me eod cap excuſationes Benigniſtarum adverſus aſſertam a me ex mente SS PP neceſſitatem *dilationis* refutaturum: quia tamen et ibi volenti urceum olla exiit: et hic magna ſunt, quae dicenda reſtant: ideo gratius fore Lectoribus exiſtimavi, praecipua mollioris Ethices Chriſtianae principia ad rem, quae ſub manu eſt, pertinentia iſtic ſeorſim ſub uno conſpectu exhibere, et ad lumen traditionis refellere.

Objectiones. Itaque Mediae aetatis Theologi his potiſſimum armis adverſum dicta pugnant I: Poenitens dilata abſolutione exaſperatus abjecta ſpe veniae ad vetera flagitia relabetur. vel ſaltem II: Aeternae damnationis periculo exponetur, ſi ſic dilatus morte praeoccupetur. Ideo III: Chriſtus nec Magdalenam, nec adulteram, nec alios ſine venia a ſe dimiſit. ergo nec nos debemus. Potiſſimum IV: quia *dilati* diu deberent carere gratia Sacramentali. V: quin accidere poteſt tales coram Deo *contritione* eſſe juſtificatos. Quibus proinde negatione abſolutionis gravis fierit injuria. VI: Accidere quoque poteſt, ut dilatus non communicando infamiam incurrat de gravi crimine apud eos, qui viderunt confitentem, et non comunicantem. VII. Saltem tempore Paſchali abſolvi debent, ut communioni Paſchali ſatisfaciant.

Solvuntur. Reſp in genere: Haec monenta nec antiquos, nec Juniores SS PP moverunt ad largiendam habituatis, et relapſis abſolutionem, ut vidimus

c X a n XXVIII. Ergo nec nos movere debent, qui secundum SS PP judicamus. Ad I: ut corpore, ita spiritu aeger ad salubrem Medici curationem exasperari, et relabi nequit, si sanari, et non Medico illudere velit. Ad II: PP sive *stante publica poenitentia* absolutionem multis annis differentes (vide Vitassium de poen q 6 a 3: ubi eam expleta tota poenitentia ordinarie datam evincit: et nos c X n LIII: sive *medii aevi* eandem habituatis et relapsis *usque ad emendationem* negantes (ibi a n XXVIII) hoc periculum non latuit, nec tamen ab eis absolutionem extorsit, et recte: Nam si talis dilatus in vita, et morte *sincere conetur* ad perfectionem charitatis, ei Dei clementia non deerit ad eam assequendam (cap I n XII in not. cap IX n XL:) si *non conetur*, *suo vitio* peribit. in articulo tamen mortis etiam cum *dubia* materia absolvendum talem plane asserimus. Ad III: a Deo homine ad confessarios argumentum non valet: alias etiam sine Confessione absolutio ab his postulari posset. Salvator quos absolvit, eorum perfectam conversionem vidit, imo gratia sua caussavit, confirmavitque. Nos quia neutrum possumus, eorum, de quibus dubitamus, sinceram Conversionem *ex fructibus* cognoscere: ideo *hos* tantisper praestolari debemus. Audiatur Ivo Carnotensis ep 130: *Internus Judex tanto remittit celerius, quanto solus magis videt interius. Judex vero, qui tantum videt in facie, delinquentes detinet, donec per manifestum poenitentiae fructum, qui sit poenitentis affectus, intelligat.*

Praedicti absolvi n possunt: ne exasperentur.

Ne periculo damnationis exponantur.

Nec exemplo Christi.

II. Ad IV: PP antiqui aeque, ac recentiores absolutionem usque ad *emendationem* differentes, non latuit hoc detrimentum praetensum, nec tamen movit, imo illud expresse rejicit S Ambrosius L 2 de poenit c 9 dicens: *Nonnulli ideo poscunt poenitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare: suam enim conscientiam NON EXUUNT; SACERDOTIS INDUUNT.* go PP in talium absolutione non gratiam Sacramentalem, sed sacrilegium viderunt. Ad V: Ivo Carnotensis cit ep explicans *Has voces:* in quacunque hora ingemuerit peccator, salvus erit, asserit: eas *ad interni potius Judicis animadversionem spectare, quam ad humanae fragilitatis considerationem: adeoque fieri posse, ut per internum gemitum satisfactum sit interno Judici, et idcirco indilata ab eo detur peccati remissio, cui manifesta est interna conversio. Neque tamen Sacerdos, qui tantum videt in facie, delinquentem solvere debet, donec per manifestum poenitentiae fructum quis sit poenitentis affectus, intelligat.* Si quis taliter dilatus jam interne justificatus esset, adhuc ei non fieret injuria: quia per continuanda satisfactoria opera in justitia confirmaretur, consolidareturque. ut dixi n L c X. Nec etiam fit injuria poenitenti *se sufficienter contritum* esse asserenti. Licet enim poenitens sit reus, accusator sui, et testis, et in his credi ei debeat; non est tamen Judex, Medicus, et Doctor sed confessarius ex fontibus Sacris discit, qualem debeat proferre Sententiam, praescribere medicinam. adde doctrinam cap VIII not ad n XXVII.

Nec propter gratiam Sacramenti.

III. Ad VI: si locus sit huic objectioni, go frustra *locuti sunt Sancti Dei homines* c X a n XXVIII de variis peccatoribus *differendis:* cum eorum doctrina *solo*, ut vult objectio, *timore infamiae* corruat. II: go manca est SS PP doctrina, quod hunc casum non exceperint. Quin III: Si acceptanda est excusatio, absolvendi erunt omnes *quantumcunque indispositi, et poenitentes pro forma*, ut videantur, et habeantur Catholici coram aliis ad Sacrum Tribunal accedentes: omnes enim tales clamare poterunt: Se visos esse confitentes, go ad infamiam evitandam communicare debere. IV: ex eadem ratione cessare deberent omnes *reservationes:* cum bona fide cum reservato casu

Nec praetextu infamiae evitandae.

ſu ad Confeſſarium non habentem ad reſervata juriſdictionem accedentem poenitentem timore infamiae, ſi non comunicaverit viſus confiteri, abſolvi debere aliqui contenderint contra expreſſam mentem Tridni ſeſſ XIV cap VII declarantis: NULLIUS MOMENTI *eſſe eam abſolutionem, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.* Atque adeo *extra articulum mortis, inquo nulla eſt reſervatio, Sacerdotes* (*Ordinarii*) *cum NIHIL POSSINT IN CASIBUS RESERVATIS, id UNUM poenitentibus perſvadere nitantur, ut AD SUPERIORES*, et *legitimos Judices* delegata Epiſcopali juriſdictione in caſus reſervatos inſtructos *pro* BENEFICIO ABSOLUTIONIS ACCEDANT. Sed quorum abſolutio NULLIUS MOMENTI eſt: qui in caſibus reſervatis NIHIL *poſſunt*: qui *id* DUMTAXAT *ſvadere niti debent, ut poenitentes cum caſu reſervato ad ſuperiores pro abſolutione* accedant, illi profecto nec a jure, nec ab homine, nec a bona fide poenitentis ſive *directam*, ſive *indirectam* habent a caſu reſervato abſolvendi facultatem. go eam non habent ſacerdotes ordinarie juriſdictionati. go eam timore infamiae poenitentis exercere nequeunt. cum reſervatio ſit *privatio juriſdictionis* reſpectu hujus ordinarii confeſſarii ad caſum reſervatum. Si adhuc dubitas, quaero: Unde habet *juriſdictionem* ſimplex confeſſarius in caſum reſervatum? non a *jure*, ut vidimus ex Tridno. Non a *Praelatis*: quia illi tacent, quin ignorant *eam* exerceri in caſu bona fide factae Confeſſionis. Non a *neceſſitate*: quia Tridnum ſolum articulum mortis excipit. Non a *conſvetudine*, et *uſu* communi, quia hic *uſus* eſt, aut fuit pauciſſimorum, Doctoribus, et *ſapientioribus* confeſſariis *eum* damnantibus. go conceſſio talis juriſdictionis nequit exhiberi. go eſt ficta, et falſa tam uſurpatoribus, quam poenitentibus pernitioſa. (*a*) V. Ex hac

Nec bona fide caſum reſervatum Confitens ordinario Confeſſori.

De caſibus reſervatis in genere.

(*a*) Cum circa caſus *reſervatos* ſaepius dubitent maxime juniores Confeſſarii, juvat de iis nonnulla notare juxta quod ex declaratione Praelatorum, a *ſenioribus*, et *uſu Conſiſtorii* conformiter juris principiis accepi. I. Habes hic evictum, quod poenitens bonafide *ignorans* caſum ſuum eſſe reſervatum nullo ſub praetextu abſolvi ab ordinario Confeſſario queat. Nec 2: *in dubio* an caſus ſit reſervatus? *nam in tali dubio* Confeſſarius neceſſario *dubitare* debet *de ſua juriſdictione*: atqui extra articulum mortis ut *probabili*, ita a fortiori *dubia* juriſdictione Confeſſarius uti nequit teſte Innocentio XI in *materia Sacramentorum probabilismum proſcribente.* 3. Reſervari ſolent peccata *mortalia.* Nam venialia non ſunt materia *neceſſaria* Confeſſionis. Eaque non mere *interna*, ſed *externa*, *et conſummata.* Hinc voluntas *interna* peccatum reſervatum committendi eſt peccatum mortale: ſed *reſervatum* non eſt. Nec oſcula, tactus, niſus ad *incaeſtum* tendentes. Nec *machinatio* ad abortum, homicidium, incendium, violationem Eccleſiae *effectu non ſecuto.* Quia reſervatio, utpote *oneroſa*, et juris *reſtrictiva* ſtrictae eſt interpretationis. 4: ſunt, qui docent, peccata *impuberum* non eſſe reſervata: at excepto incaeſtu, aliorum reſervatorum committendorum *illi* capaces ſunt poſt plenum uſum rationis, ut ait Jus Canonicum *de delictis puerorum*: Nec Praelati reſervantes requirunt certam aetatem: et reſervatio eſt *ſubtractio juriſdictionis* in *hoc peccatum.* go ſi *illud* plene commiſit impubes, non eſt cur dubites de reſervatione. 5: Ex modo dicta ratione reſervatio ab Eppo facta contrahitur, etiam ſi *invincibiliter* ignoretur. Non enim eſt *poena*, nec *cenſura*, ideo nec contumaciam requirit, ſed eſt *inhabilitas* Confeſſarii *reſpectu hujus peccati. Reſervationes* tamen *Papales* nunquam feruntur *ſine cenſura excommunicationis*, ideo ſunt *medicinales* SIMUL, ET *poenales.* Quia vero non ſunt purae *poenales*, ideo incurruntur etiam ab *ignorantibus.* ut ut leges *purae poenales* (ſi quae tamen tales eſſent) et mere *vindicativae* non obligent ignorantes. Sic nemo dubitat in praxi, mulieres, *alioſque idiotas* Clerici percuſſores ipſo facto excomunicatos eſſe Papae reſervatos. Nihilominus 6. *Reſervationes Papales* apud nos fere facti ſunt *Eppales ob perpetuam impotentiam* eundi Romam *c 6 de ſent excom.* Si potiſſimum *caſus ſint occulti.* Trid Seſſ 24 c 6 Ref. quare in *illis* ad *Ordinarium* eſt recurrendum. In *Epiſcopalibus* vero ad Eundem, et quibus Praelatus delegavit. 8: Excepto *articulo mortis*, *in quo nulla eſt reſervatio.* Tridnum Seſſ 14 c 7. Quare tunc *omnes approbati*, quin omnes *depoſiti*, excommunicati, etc ab omnibus cenſuris, et caſibus alias reſervatis abſolvere poſſunt. Quia Tridnum generaliter loquitur, *ne aliquis pereat, in articulo mortis* OMNES SACERDOTES QUOSLIBET

hac paritate evicta jam sic argumentor ad refellendam objectionem: Non minus peccat (extra articulum mortis) in reverentiam Sacra-

---

poenitentes A QUIBUS *peccatis, et censuris* absolvere possint. 9. Si taliter absolutus a *reservatis* convaleiscat, non tenetur iterato superiori confiteri; quia in articulo mortis casus cessaverat ebe *reservatus*. Absolutus tamen a *censuris* tenetur se sistere Praelato, et mandatis ejus humiliter obedire. 10. Si habens reservatum confiteatur *habenti in illud jurisdictionem*, sed bona fide oblitus sit confiteri reservatum, non cessavit reservatio: quia *oblato* hoc privilegium non habet, et finis reservationis, ut *medicinae, et satisfactiones congruae imponantur*, satisfactum non est. Item dic, Si Confessio apud nebite jurisdictionatum fuit *invalida*. quia reservatio non tollitur, nisi per *remissionem peccati reservati*, quod hic deficit. Ex hac ratione nequit superior, vel delegatus audire *sola reservata*, et remittere ad ordinarium Confessarium pro absolutione *ab aliis mortalibus*; quia unum mortale nequit remitti sine aliis. 11. Pessime faciunt illi, qui adstantibus poenitentibus aliis, Poenitentem habentem reservatum relinquentes in cubiculo, vel Confessionali vacant ad superiorem pro petenda jurisdictione. ex hac enim agendi ratione manifeste *frangitur sigillum*: quia circumstantes certo advertunt hunc ita relictum habere reservatum. go rite instructum de inanitate timoris infamiae ex omissa hac vice communione juxta hoc nro superius dicta jubeant venire alia die, vel hora, qua non advertentibus aliis jurisdictionem pro illo petere poterunt. 12. Aeque periculosum est negari ab *Archi*, et *Vice Archi-Diaconis* jurisdictionem ordinariis Confessariis; ex hoc enim accidit nonnunquam, ut poenitentes alienae Parochiae ad illos personaliter accedere coacti ab ipsis *domesticis*, vel *Parochianis* illorum deriti, traductique sint, velut reservatorum casuum reis; sed et verecundia ad alium accedendi, et bis id ipsum confitendi saepe in causa est, ut poenitentes in reservatis inordescant. itaque generaliter praestat *Confessarios primo* jurisdictionem *subdelegare*, quam poenitentem ad superiorem dirigere. aliunde dubio caret, *delegatum ad universalitatem causarum* (quales sunt Archidiaconi nostri respectu omnium casuum reservatorum) *in particulari casu subdelegare posse*. Vide Engel *de officio judicis delegati*, et passim Canonistas. 13. si tamen *Delegatus* subdelegare nolit, etiam *injuste* (quod tamen praesumi non debet: quia saepe expedit poenitenti ad correctionem a Superiore corrigi efficacius, quam ab inferiore) aut *alle* adiri, invenirive hic et nunc nequeat, *inferior* absolvere non potest. Quia *hic extra articulum mortis in casibus reservatis NIHIL potest*. 14. Quamvis Eppus in approbatione Sacerdotis dicat, se concedere *facultatem, quam ipse habet, ab omnibus peccatis absolvendi*; non tamen per *hoc* concedit *a reservatis*, nisi *haec* exprimat: quia *in generali concessione non veniunt ea, quae speciali nota sunt digna*. 15. *Reservatio* utpote *lex particularis* afficit territorium hujus Diaecesis. quare si quis *bona fide* exeat ad aliam diaecesim, ubi hic casus non est reservatus, poterit ibi absolvi ab ordinario confessario. aliunde peregrini non obligantur *particularibus* legibus locorum, *a quibus* discedunt: Nisi discederent in fraudem legis Tunc enim obligarentur ex declaratione clementis X: quia *fraus, et dolus nemini patrocinatur*. 16. Ab oppositio veniens ex Dioecesi, ubi hic casus non est reservatus, ad hunc, ubi est reservatus, *nequit absolvi* ab ordinario confessore. Quia peregrini obligantur legibus locorum, *ad quae* veniunt, utpote transeunter facti pars hujus communitatis, et subditi hujus *Episcopi ad quem* veniunt: *cujus* alioquin jurisdictione absolvuntur. 17. Mortuo Episcopo reservante manet reservatio, *lex* utpote *perpetua*. His *generaliter* notatis, ipsos casus *in specie* in hac Dioecesi reservatos expendamus:

In specie de Haeresi.

Primus est *Haeresis externa*: sive *Error in fide formalis cum pertinacia signis externis manifestata*. Qui in locis, ubi non tollerantur Haeretici, est casus *Papae reservatus*: apud nos, ubi tollerantur, *Episcopo*: ab Haeresi vero *materiali*, aut *formali interna*, aut *dubio circa fidem*, etiam externe manifestato quivis approbatus absolvere potest. Ratio priorum patet ex definitione haeresis externae. Ratio posterionis est, quia *dubium* est *suspensio intellectus ob rationes utrinque graves: haeresis* est *error cum contumacia*: sed qui *suspendit* intellectum *ob graves* rationes, *non statim* est *contumax*. go dubitans non est statim haereticus. dico *statim*: si enim dubitans *rite convincatur*, nec aquiescat, jam *non est cum ratione dubitans*, sed *contumax*: ideoque haereticus habendus est. Qui negat aliquam proponem ab Ecclesia *damnatam ut haereticam*, haereticus est: secus si damnatio sit sub alia qualificatione: nempe *scandalosa, piarum aurium* offensiva etr. Inter Haereticos *gerere* se pro *haeretico reservatum est*. Ita etiam clamante uno: *omnis inimicus Romanensium hodie jejunantium ex hac bene decocta bubula sapide edat*, Catholicus *tacens*, et *comedens* incurrit reservatum: praescindendo tamen ab hac circumstantia edere carnes diebus jejuniorum nota haereseos non est, sed signum pessimi Catholici: nisi justa adsit causa excusans: quae si adsit, prodere eam debet Catholicus inter haereticos diebus ve-

menti illud periculo nullitatis exponendo, qui *male dispositis* administrat, quam qui cum *dubia jurisdictione* ministrat. Par enim est utrinque

titis cum illis vescens: aut saltem declarare, *se vescendo carnibus non profiteri. sectam illorum.* sic evadet reservationem, etiamsi non peccatum, et scandalum? Longe gravior est difficultas: an tam multi apud nos sint *materiales* Haeretici, u-

An pauci sint Haeretici materiales?

pleroscque exceptis eruditioribus putant Benigniſtae? subsisto vehementer: sane Augustinus L de Baptismo contra Donatist cap 5 definit, eos, *qui per ignorantiam ibi* a pud Donatistas *baptizantur* ARBITRANTES, IPSAM ESSE ECCLESIAM CHRISTI, *in istorum quidem* de eo dubitantium *comparatione minus peccare*; SACRILEGIO TAMEN CHRISMATIS VULNERARI: cur? quia dubium, et ignorantiam deponere et poterant, et debebant investigando veritatem. Idem dici debet de Haereticis passim nostris: qui veritatem *Civitatis supra montem positae*, Ecclesiae levissima cura nosse possent a vicinis, et amicis suis Catholicis, ab obviis Sacerdotibus. go quia *hanc curam, hoc dubium* suum *a splendore*, et *Majestate Religionis Catholicae* necessario oriri solitum contemnunt, praejudicia, quibus a puero innutriuntur contra nos, non investigant, ideo plerique eorum *materiales* vix dici posse mihi quidem videntur. Ais: hanc obligationem eos nescire: Respdeo: nec sciviſſe Donatistas in relato casu Augustini *suam esse veram Christi Ecclesiam arbitrantes*: At *scire, scire posse, scire debere paria sunt.* Linces in temporalibus, talpae sunt in Spiritualibus: quia variis peccatis, internae potissimum luxuriae a puero assueti, passionibus excaecati, superbi, contumaces in errore sunt: ideo deserti suo demerito non illuminantur ab Eo, *qui illuminat omnem hominem* gratiae obicem non ponentem: et qui teste Angelico ipsis infidelibus *negativis* non ponentibus obicem paratus est dare aut hominem, aut Angelum, aut instinctum internum illuminantem. Quare Excellentissimus Dominus hodie feliciter regens Comes Episcopus providentissime ordinavit, ut omnes sacerdotes approbati suos ex quacunque Haeresi *Conversitas* absolvere possint.

De raptu.

Secundus casus est *Raptus Virginis.* Virgo autem censetur omnis non nupta, nisi contrarium constet publice, vel saltem rapienti, aut Confessario. Agitur enim hic de foro mere *interno*: ubi poenitenti rite dispositio credere, et ipse Confessarius uti potest sua *scientia privata*, in quantum *haec nulli est praejudiciosa, et* COMPULATIVE *Sacramenti integritati necessaria.* Quis enim damnabit Confessarium *interrogantem* suum poenitentem non confitentem de *crimine*, quod hunc patrasse scit ille ex Confessione complicis? Haec non pertinent ad meram gubernationem (in qua uti notitia Sacramentali nefas est) sed ad Forum mere Sacramentale: ubi nulli fit praejudicium, onus, aut gravamen, sed alleviamentum. Si igitur asserat poenitens, aut sciat Confessarius, hanc *raptam* fuisse *corruptam*, non esset *reservatus*, ita nec *Viduae*, ut termini ipsi loquuntur. Duplex autem est raptus, *matrimonii ineundi*, aut *libidinis exercendae* causa: uterque reservatus est, si sit *Virginis*; quia *ubi lex non distinguit, nec nos debemus. Raptus Mulieris* ut impedimentum dirimens matrimonii latius patet, et includit *omnem Mulierem*, etiam viduam: ac corruptam: Quin et publicam meretricem: Nam *Mulier* Stricte in jure significat *corruptam*: Faemina *sexum*, Virgo *integram.*

Incestu.

Tertius *incestus*: *In omnibus casibus, in quibus est impedimentum dirimens matrnii* declarante Exllmo Dno Archi Praesule Colocensi Comite a Kollonitz, dum hanc Dioecesim svave regeret: et Capitulo Strigonensi Sede vacante pro Archi dioecesi Strigonensi. go reservata est copula carnalis perfecta, generationi apta (n 3 hic) *cum consanguineo* usque ad 4 gradum. 2: *Cum Affine* ex copula licita, sive ex matrimonio etiam ad 4. 3: *ex copula illicita*, sive extramatrimoniali usque ad 2 inclusive. 4: *Ex cognatione Spirituali* in Baptizmo (*solenni*, et *privato*. quia lex non distingvit) et Confirmatione orta juxta notos versiculos: *Baptizans baptizatus, baptizatique Parentes. Levans, levatus, levatique Parentes.* Idem est de Confirmatione. 5: Ex *cognatione legali* inter adoptantem, et adoptatum: horum conjuges: et *liberos*, quamdiu *hi* manent in patria potestate. Necessaria autem est adoptio *perfecta*, et *solennis* cum consensu eorum, quos de jure respiceret Bona *adoptantis*: quales sunt proles ejus: his non existentibus ascendentes, descendentes, et collaterales consangvinei omnes, in horum defectu *Fiscus*, qui triplex est: *Regius* respectu nobilium: *Magistratualis* Jus caduciratis habens respectu Civium. *Dominalis* respectu rusticorum. Quia his omnibus sit praejudicium successione adoptati in bonis adoptantis. go nisi hi consentiant, adoptatio vim non habet legalem: nec sit filiatio, nisi politica nec impedimentum dirimens, nec reservationem inducens. Nec item est incestus, proinde nec reservata fornicatio Sacerdotis cum Filia Spirituali, cujus confessionem ille audivit: quia id in jure expressum non est. Talis tamen Sacerdos *complicem suam, extra articulum mortis*,

utrinque irreverentiae, et nullitatis Sacramenti periculum. Atqui ex dictis a n XXVIII cap X habituati, relapsi, etc male, imo pessime

absolvere nec licite, nec valide potest: Et si occasione, vel praetextu Confessionis *ante, in, vel mox post* Confessionem, aut *notitia* proclivitatis ad venerem *hausta ex Confessione* provocavit verbis, scriptis, gestibus, tactibusve ad peccatum carnis, etiam effectu non secuto, dicitur *solicitatio*, a provocata perse, vel Confessarium Episcopo denuncianda: etiam si probari non possit. Quam denunctioationem si sollicitans ipse animo poenitenti apud Praelatum praeveniat, poenas evitabit. ita Benedictus XIV *Sacramentum poenitentiae.* 1741.

Quartus casus est *procuratus abortus*: Effectu secuto, quare sola *machinatio* non est reservatus. Nec *procuratio sterilitatis* etiam *effectu secuto*: quia id non est destruere fœtum conceptum, sed impedire conceptionem. Duplex porro est abortus: Fœtus *animati*, et *inanimati*. Ille est sub nomine *homicidii voluntarii* reservatus: go hic intelligitur fœtus *ivanimati*; secus hic nihil distincti criminis reservaretur, consequenter Lex sub hac voce *procuratus abortus* nullum effectum pareret. go non dubito, expulsionem fœtus *inanimati* esse reservatam; aliunde incertum est, quando animetur fœtus. igitur *in dubio* reservatio obiervanda est. *h n* 2, et ita obiervatur in Dioecesi Agrienti. Si quis verberet *moderate* Uxorem praegnantem, aut ea utatur, ex quibus actibus *praeter intentionem* sequatur abortus, an maritus committat reservatum? haereo vehementer: nam hic abortus sequitur praeter intentionem: non causatur *directe*, sed *per accidens*. atqui *procurare* proprie significat *directam voluntatem, deditam operam*, ac *studium ad expellendum ipsum fœtum*. go id asseri salva verbi *procuro* significatione non videtur. Agnosco tamen *periculum*: quin et *reservationem*, siquis Uxorem praegnantem *graviter verberet*, aut *brutaliter aggrediatur*. Frustra enim negat se velle intendisse *effectum*, qui voluit *causam*. unde talis passionatus censetur intendisse *in causa abortum*. et in hoc casu *sic* aggredi praegnantem non dubito esse *mortale* propter periculum *proximum abortus*; etsi is effective non sequatur. Accedit, quod talis coitus proli noceat, et fini matrimonii contrarius sit. *Patres* Actum conjugalem in duobus tantum casibus excusant a culpa: Angelicus 2 p q 80 a 7 ad 2 ait: *Coitus conjugalis est sine culpa, puta, si fiat causa PROLIS generandae, vel causa REDDENDI DEBITUM.* S Gregorius M relatus causa 33 q IV can: *Vir cum propria* asserit: *cum non amor procreandae sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent etiam conjuges, quod defleant.* si igitur *veniale* est *voluptatis* causa uti uxore, quanto gravius est id cum *periculo abortus* agere? Lege totam cit quaestionem, et ex SS Augustino, et Ambrosio verbo *debeo* utentibus discès, Christianis conjugibus diebus *Festivitatum*, et *jejuniorum* continentiam esse colendam. Quos ne ad *consilia* trahas, audi ibi Canone IV Ambrosium: *Si causa procreandorum filiorum ducitur Uxor, non multum tempus videtur concessum ad ipsum usum; quia et dies FESTI, et dies PROCESSIONIS, et ipsa ratio CONCEPTUS, et partus juxta Legem cessari temporibus bis DEBERE demonstrat.* Sed haec incidenter duntaxat. revertamur ad materiam, quae sub manu est.

Procurato abortu.

Depeccatis conjugum.

5to Absolvi sine licentia Ordinariorum non debent *Incendiarii*: quarumcunque rerum: quia lex non distingvit. ipsum tamen vocabulum exprimit *studiosam voluntatem effectu secuto* gravis damni. Quare si casu, aut ex culpa *Theologica levi*, vel *mere juridica* incendium graviter damnosum sequatur, reservatum non est. *Dammm tamen grave ex culpa Theologica levi*, vel *Juridica sub gravi obligatione* ante sententiam resarciendum esse mihi semper probabilissimum visum est ex cap fin de iniuriis, et damno dato: *Si culpa tua datum est damnum, aut haec imperitia tua, vel negligentia tua evenerunt: jure super his te satisfacere oportet, nec ignorantia tua te excusat. Quod si animalia tua nocuisse proponas, ad satisfactionem teneris, nisi ea dando damnum passis relis liberare teipsum. Quod tamen ad liberationem non proficit, si feva animalia, quae nocere consueverunt, fuissent, et quam debueras, non curassi diligentiam adhibere. Sane qui occasionem damni das, damnum videtur dedisse. Secus tamen est dicendum de eo, qui ut non accideret, de contingentibus nihil omisit.* Confer ibi cap 1 3 4 5: ubi leges *culpae juridicae* Exodi 21 v 33 34 35 36 latae pro Novo Testamento resuscitantur absque distinctione ante, vel post sententiam: Et Jus Canonicum magis *conscientiam* respicit, quam forum *externum*. cap 2 de *Const in* 6. Accedit Lex *Aquilia* § 4 in Institutis: *Non minus ex dolo, quam ex culpa quisquis hac Lege tenetur.* Et per R I *Factum cuique sunm nocere debet non alteri.* Denique post sententiam Judicis certa est haec obligatio; sed sententia Judicis non est *poena in ratione simpla*. go est declaratio Legis Naturalis indemnizantis damnum passum ex culpa alterius. Confer Engel *de injur. et damno dato* n 46 expresse hanc sententiam docentem, et multa necessaria de restitutione ibi tradentem.

De Incendiariis.

sime sunt dispositi ante emendationem ad recipiendam absolutionem. go utrinque nefas est ministrare absolutionem. VI. Hujusmodi ca-

sus

De violatoribus Ecclesiae.

6tus Casus *Violatores Ecclesiae.* Quae violatio sit 1 per violentam effractionem januae, aut fenestrae Ecclesiae animo grave furtum committendi ibidem enectu secuto. quare si quis per apertam januam, aut fenestram patentem intrans furetur, non incurrit reservationem: declarante altefato Excellentissimo D Comite Archi-Episcopo. 2. Per violentam *sanguinis humani* effusionem mortaliter peccaminosam; qualis non est, si pueri rixentur in Ecclesia, et sanguinem ex naribus eliciant. 3. Per illicitam *seminis humani* effusionem in Ecclesia: quod sit pollutione voluntaria, fornicatione, adulterio; imo et usu conjugali propter reverentiam loci: nisi conjuges tempore hostilitatis valde diu cogerentur *habitare in ipsa Ecclesia*; quae tamen per hujusmodi habitationem jam prius sine culpa propter necessitatem profanaretur: ita etiam per *stabulationem* animalium, per *Judicia forensia* ibidem exercita: sicut et per *notabilem destructionem.* Si violatio Ecclesiae sit *publica*, reconciliari debet Ecclesia; non vero si maneat occulta. Sanctum tamen est institutum illud Ecclesiae, et omnibus Curatis commendandum, quo diebus Dominicis populus, et Ecclesia cum certis precibus aqua benedicta aspergitur. Quo ritu ille quidem ad contritionem excitatur: haec vero, si quid praemissorum in ea occulte accidisset, suo modo reconciliatur. Porro si praedicta fiant in Sacristia, Turri, Caemeterio contiguo, non violatur Ecclesia; quia haec non sunt Ecclesia, dum versamur in odiosis. Ipsum Caemeterium dictis modis violatur, sed non est casus reservatus ob dictam rationem, et eodem modo reconciliandum est.

Voluntariis homicidis.

7mus Casus *Voluntarii homicidae*: effecta secuto: sive mox, sive ex intervallo moriatur, quis ex *eodem vulnere*, aut *percussione.* Si dubium sit, an ex *hoc*, aut ex novo morbo superveniente mortuus sit? ut *irregularitas* cap 12 de *Homicidio volunt*: ita *reservatio* observanda est. Ita etiam si quis dedit operam *rei illicitae*, ex qua homicidium secutum sit. ibi cap 8 et 10. illud enim sufficienter volitum est *in Causa.* Homicidium mere casuale, enormis verberatio, et vulneratio, si mors non sequatur, reservata non sunt.

Parentum percussoribus.

8vus *Parentum percussores*: Quorum nomine intelliguntur omnes ascendentes in linea *recta tantum*: ita et Pater, et Mater ex *adoptione perfecta.* non tamen Vitricus, aut Tutor. Ita saepe laudata declaratio *Kolonitsiana.* Illos enim omnes *Parentum*, quin *Generatorum* nomine venire patet ex illo Matth: *Liber generationis Jesu Christi.* Quos inter aliquos *Legales ex adoptatione* Parentes tantum fuisse, indubium est. Sed et *percussio* hic delicatior est ob summam reverentiam a Filiis Parentibus debitam. Unde non dubito reservatam esse alapam, tractionem, projectionem lapidis, baculi, aut alterius rei contra Parentes *ictu non fallente*: barbae, capillorumve vellicationem, unum ictum respectu aliorum non gravem, hic tamen enormem habendum. Non tamen si haec tam levia sint, ut Parentibus ipsis non magnam injuriam, tristitiamve causent. h n 3. nec est reservata injuria verbalis, ut blasphaemiae, scomata, immisericordia, subtractio necessariorum; etiamsi propter haec Parentes infirmari contingeret. Ratio est, quia injuriae dictae non sunt *percussio.* Si tamen ex subtractione necessariorum mors illorum sequeretur, esset *homicidium* sufficienter *voluntarium in causa* juxta illud: *Si non pavisti, occidisti.* Quod maxime hic urget: quia *honor Parentum* principaliter *necessariorum* administrationem significat ut illud: *honora Dominum de tua substantia.*

Magicis artibus deditis.

9. *Magicis, et veneficis artibus dediti*: Sive per *incantationem*, *divinationem*, *sortilegium*, sive per *pactum* cum Doemone explicitum, vel implicitum fiat. Nihilominus Ly *dediti* exprimit *consuetudinem.* Quare unus actus non est reservatus. Sed *artibus* esse *deditum* non significat praesentem *praxim*, ut patet in Tyronibus, qui vere dici possunt *arti* Sutoriae, Typographicae, Poeticae, Rhetoricae, etc *dediti*, licet nullum *opus* adhuc fecerint; Student tamen his animo eas artes in praxim deducendi. quare merito declaravit saepe laudatus D Archi Praesul reservatum casum committere eum, qui *artem magicam DIDICIT intentione eam exercendi; etiamsi unica tantum vice eam in praxim deduxerit.* Ita et eum, qui *huic arti exercendae materialia ministrat*, *servit in praxi*, *petit*, *jubet exerceri.* Quod et de aliis reservatis intellige quoad *moraliter proxime influentes* juxta notos versiculos: *jussio, consilium, consensus, palpo, recursus. Participans, mutus, non obstans, non manifestans.* Hi enim aeque peccant, sicut *Principales*: Imo idem peccatum committunt *moraliter*, quod *illi physice.* go aeque incurrunt reservationem: si hanc incurrunt *magiam jubentes.* Siquis tamen merae *curiositatis* causa *semel* curaret coram se produci artem maledictam, non credens ei, non incurreret reservatum. peccaret tamen mortaliter alium indu-

sus ideo cuderunt medii aevi Doctores, quia ex corum principiis in praemissis a n XXVIII cap X rejectis rarissimus dimittebatur sine absolutione, ideo timebant offensionem vulgi in raro sic dimisso. Provoco ad conscientiam ejus, qui objectionem defendit, an unum saltem *talium* sine absolutione dimiserit? At si Concionatores, ut deberent, exponerent populo, in multis casibus a nobis expositis absolutionem, consequenter et communionem ex PP mente negandam esse, tunc nullam offensionem causaret necessaria, et cauta dimissio. Sicut non caussat in illis locis, ubi a doctis, et piis Confessariis reipsa exercetur absolutionis dilatio, aut in casu reservato ad superiorem facta dimissio. VII. Si (per inconcessum loquor) in his casibus timeri juste posset aliqua infamia, haec ob reverentiam Sa-

cendo ad peccatum, nec non *curiositate rei illicitae*. In simili damnatione sunt illi *privati*, (nam de *publicis*, quorum est talia extirpare, aliter sentiendum) qui scire avent, quid agant *liberi Murarii* in suis conventibus? Sane si quid boni agerent, docerentve, panderent mundo ex lege charitatis, ut et nos frequentemus. Sed quia alto secreto juramento quoque firmato premunt dogmata sua sequentes pridem damnatorum Priscillianistarum illud principium: *Jura, perjura, secretum pandere noli*: ideo 1750 a Benedicto XIV: hoc vero 1792 a SSmo Pio VI velut utrique reipublicae praejudicioli, quin Deo ipsi contumelioli damnati, excommunicatique sunt. Utinam ad duplicem hanc vocem Petri aperiant oculos mentis miseri hi *Murarii*, qui occulta sua dogmata ad caelos usque efferunt, et nos qui eorum sortem miserandam defiemus, ut simplices derident. At maxima sane virtus est simplicem esse in illis, quae Ecclesia damnat. Nisi forte nec Ecclesiam audiant: quo habendi sunt *sicut Ethici, et publicani*. Haec brevissime in gratiam Confessariorum, si qui forte in tales impingerent. Redeo ad casum reservatum, et noto: Ex antiquo usu hujus, et vicinae Hungariae Dioecesium hunc casum reservantium luculenter refelli *sciolos* ilios novellos, qui negant dari *Magos*. An enim tot sapientissimi Praesules sibi reservarunt ab antiquo casum *impossibilem*, et *chimericum*? Id tamen do libenter, summa cura investigandum esse, ne quod naturalibus causis tribui potest, id arti magicae, aut Daemonum, spirituumve *apparitioni* tribuatur. Ut *haec* negari in *thesi* nequit ex 1 Reg 23 v 12. et seqq: Ezech 8 v 3: Daniel 14 v 35 38: ita *in particulari* casu nostra memoria evenisse non facile asseri debet.

Notantur liberi murarii.

10. *Falsarii monetarum*: qui cudunt falsas, vel veras monetas tondent, radunt (non tamen, qui iis utuntur: aliud enim est *falsare*, aliud *falsatis uti*) in materia ad peccatum mortale sufficiente. In materia justitiae quantitas ad peccatum mortale sufficiens passim statuitur res *diurno victui* ejus, qui damnificatur, sufficiens. Hic damnificatur Respublica, aut caput ejus Princeps. Damnatum quoque est, *Furtum unius aurei ordinarie non esse mortale*. go in materia *hac* quantitatem *falsatae monetae* quoad mortale, et *reservationem* recte videmur collocare posse in quantitate *unius aurei*. Scienter tamen *falsatis* utens tunc committit *mortale*, dum *proximum* illis decipit in quantitate *victui* illius *diurno sufficiente*: hoc enim gravis injuria est, et gravem tristitiam causare natum. Denique Trip P 1 T 14 *Cusores falsarum monetarum, aut iis utentes in magna quantitate* (non exprimitur in quanta? go id Judicis arbitrio est definiendum) *notam infidelitatis* incurruut.

De falsariis monetarum.

11. Falsarii *ponderum*, unciarum, librarum, aut Centenariorum; si nimirum haec *pondera* aut *minora* sint, aut *parti* uni bilancis *frustum* ossis, plumbi, cerae *adjiciatur*, ut *praeponderet*. non tamen est reservatum, si servato justo pondere res *ipsa ponderanda* vitietur, aut si res corrupta pro bona vendatur: quia non est falsitas *ponderis*, sed *rei ponderatae*. nec incurritur reservatio, si aliae *mensurae*, puta *metreta*, *cubalus*, *saccus*, *urna*, *cuppa*, *ulna*, *earumque partes* a justa mensura minuantur; quia haec non sunt *pondera*, sed *mensurae*, quarum reservatio expressa non est: et in odiosis nec a paritate, nec a majoritate rationis, argumentum currit. Absolvi quoque ab omnibus approbatis possunt *Caupones*, qui servata mensura vinum aqua miscent quod tantundem est, ac si aquam venderent; ut quod ipsi, ac sui perpotant, damno ipsis non cedat. E contra ubi publicata, et nota est Lex panes ad *uncias*, et *libras* certas parandi, *Pistores* in his deficientes vere incurrunt reservatum casum: ita et Magistratus, quibus incumberet *illorum* fraudes emendare: quia isti sunt *mutus*, non *obstans*, saepe et *participans*.

Ac ponderum

De *Concubinariis* dixi cap X not ad n XXXVIII.

Isti tantum sunt casus apud nos reservati: quare ab aliis etsi his longe gravioribus rite dispositi absolvi possunt ab omnibus approbatis. Hic maxime *expressa nocent, non expressa non nocent*. In his vero solvendis maxima circumspectione, ac prudentia utendum esse, satis patet ex Tridui sess 14 cap 7.

Vanus est in his timor infamiae.

cramenti *salvo ejus sigillo* contemnenda esset, et cum Apostolo dicendum 1 Cor 4 v 3: *Mihi pro minimo est, ut a Vobis judicer:* Ac unice serviendum Deo cum eodem 2 ad Cor 6 v 8: *per infamiam, et bonam famam.* Quin si hinc irreverentia Sacramento inferenda esset, inde mors parata foret, quis dubitat Christiano mortem ipsam (tanto magis levem irrisionem imprudentum) subeundam esse, ut avertatur irreverentia Sacramenti? Et si propterea Confessario, aut poenitenti aliquid patiendum foret, docente piissimo Merbesio, illis *honorem*, et *unionem accessuram contumeliarum a Salvatore pro salute generis humani perpessarum.* (*reposita est* hanc spes in sinu meo!) ubi est PP axioma, *melius* esse, ut *scandalum permittatur, quam ut veritas relinquatur*? Ubi est ipse Ethnicus protestans, *praestare millies mori, quam Deum vel levissime offendere?* At PP in praemissis absolutionibus grande sacrilegium viderunt. c X a n XXVIII. go. VIII: vanus, et fictus prorsus est hic infamiae timor ex omissa communione. Facile enim Confessarius instruet suum *dilatum*, ut dicat se omisisse communionem vel ob *majorem reverentiam* alias proxime procurandam, vel ob *aegritudinem* (qualis revera est spiritu) vel ob *alterationem* supervenientem. Quis enim non *alteretur* tam spiritu, quam corpore recogitans, se revera indignum esse Mensa Coelesti? quin eodem titulo praestat exire e Templo ante Communionem, et sic avertere omnem suspicionem infamiae. mentiendum tamen nullo modo est.

Alias differendi absolvi nequeunt propter Paschalem Communionem adimplendam.

IV. Ad VII. Respdet incomparabilis Merbesius 3 p de usu Eucharistiae q 18 negative. Nam I: ex Apostolo ad Haebr 13 v 8 *Jesus Christus heri, et hodie ipse et in saecula* eadem veneratione, et puritate *semper* excipiendus a fidelibus: go et dandus a Ministris est, nec *nuquam* permittendum ab his, ut illi in pane vitae mortem sumant. go nec in Paschate. Ideoque II: Canon *omnes utriusque* comunionem Paschalem in aliud tempus differi indulget ex arbitrio confessoris. go si hic ita expedire reipsa viderit, paenitens differre tenebitur. III. Ecclesia ideo potissimum jejunium quadragesimale instituit, ut Fideles ad dignam Comunionem Paschalem parentur, ut *habitus pravos jejunia casta decoquant: nam corporali jejunio vitia comprimuntur, mens elevatur, virtutes* obtinentur, *et praemia.* confer cap VIII n X. go qui id neglexerunt, duplici titulo a Paschalibus Sacramentis sunt repellendi, et ut indigni, et ut spiritui, ac intentioni Ecclesiae rebelles. Redisis ad cap VIII n XXVI a verbis: *Enimveromiseranda.* et ad cap X n LIII.

Praxes facilitandi dilatos 1: Concorditer agendo.

V. Si haec principia hauriremus omnes Confessarii, uno actu cessarent omnia murmura hac in re, et querelae. Ideo enim habituati, relabentes, in proxima occasione peccati constituti, aut aliis relatis titulis *dilati* hodie murmurant contra particulares Confessarios, quia quos Petrus his principiis imbutus non absolvit, Paulus, quia haec non audivit, vel alio ex capite (cap VIII n XXIII) solvit. at si eodem omnes spiritu, et zelo essemus contra *inveteratos malorum* obarmati, tentata apud secundum, et tertium, nec impetrata absolutione, obmutescerent ut pisces ejusmodi circumcelliones, nec jam de quaerendis benignis Confessoribus, sed de seria vitae emendatione deliberarent, ut ex D Thoma nova Villensi audivimus: *Si timorem populo incuterent, forsitan a vitiis illum revocarent.* confer cap X n XXVIII. XXIX. et XL.

2: Non dimittantur jejuni.

Alter modus delinicndi *dilatos* est, ut tractentur mansvete, magna cum charitate, ac compassione, nec *dimittantur jejuni* cum cruda absolutionis negatione, et reprehensionibus indiscrete onusti. sic enim

enim *deficient in via*: sed muniantur debito *viatico instructionis* post peractam rite confessionem his, vel similibus: „ Amantissime! Scisne, cur salutare hoc Sacramentum institutum sit? nempe ut eodem renovati *perseverantem justitiam* consequamur, cap X n XVIII, et vitam vivamus vere christianam. En toties jam cum *iisdem*, vel *semper gravibus peccatis* redit: relapsus toties facti evincunt, confessiones praecedentes defectu *veri propositi* non Sacramenta efficacia, sed gravia sacrilegia fuisse. cap X n XXIX. quibus conscientiam suam non emundavit, sed *pavimentavit*, sordidiorem reddidit: et toties inferni portans, ut tandem sibi aperiantur, pulsavit! Jam tandem agnoscit suam miseriam? dolet de peccatis suis propter infinitam Dei bonitatem offensam? proponit vitae emendationem? paratusne est salutaria remedia *certae*, et *efficaci emendationi* suae a me praescribenda amplecti? His poenitente ad initialem saltem contritionem excitato, atque ad recipienda salutis consilia praemunito, prosequatur Confessarius: „Si ergo salutem suam sincere desiderat, aperio omnen veritatem coram Deo, qui nos intuetur, et olim judicaturus est: cum hactenus nulla secuta sit emendatio; Si rursus absolverem, se non juvarem, et animam meam perderem. Igitur faciat *fructus dignos poenitentiae*. cap X n XXVIII.„ Tum injungat ei *examen particulare*, orationem, jejunium, elemosinam, mortificationes, (discrete haec omnia) et alia *remedia pro habituatis* Cap VIII n XXVI praescripta, ut in iis se circiter octiduo exerceat majori in dies fervore: Et octavo die ad Confessarium redeat: interea (subjungendo) ipse quoque Patrem misericordiarum pro se orabo. Adveniente octavo die, si omnino emendatus inveniatur, annunciet *ei gaudium magnum, quod est in caelo super uno peccatore poenitentiam agente*, et zelosa admonitione facta de constantia in bene caeptis, ac de mediis, quae sibi magis proficua expertus est, continuandis, solatio spirituali repletum absolvat, et dimittat ad *panem fortium*, quo confortetur amplius affectibus *Fidei*, *Spei*, *charitatis*, *contritionis*, *adorationis*, *humilitatis*, *desiderii* sumendum. *Modus agendi cum differendis.*

VI. Si *cepta dumtaxat* est emendatio *imminuto numero* peccatorum, repraesentet ei zelose, peccatum altas egisse radices, nec omnino tolli posse, nisi *magna vi illata*, ut vidimus cap VIII n XXVII. Hortetur itaque eum fortiter ad perseverantem remediorum usum usque ad plenam emendationem juxta dicta cap X n XXXIV. Addat animos ad vincendas tentationes: Signum est enim Diabolum *exire*, ideo *gravius sevire* juxta illud Marci 1 v 26. et c 9 29: *Multum discerpens eum, exivit ab eo.* Unde Melifluus de convers ad Cler cap II: *Quotidianis experimentis didicimus eos, qui converti deliberant, tentari acrius a concupiscentia carnis, et urgeri gravius in operibus luti, et lateris, qui Egyptum egredi, et Pharaonis imperium effugere moliuntur.* Hos juvare voluimus cap IX. not ad n. XXXVIII. *Cum tentatis.*

VII. Si *lente* pergat emendatio, modis omnibus exstimulandus est ad *ampliorem conatum*, ac media *affectuosius* eidem commendanda, donec emendatio reipsa sequatur, quantocunque id tempore duret; et in hoc elucebit charitas, et zelus Confessarii, si cum tali patientiam habuerit monendo, arguendo, obsecrando in omni patientia, et doctrina novas artes, et industrias ei inspirando ad emendationem exemplo Salvatoris, qui de ipso *Proditore* usque in finem sollicitus fuit. Conf not ad cap VIII n XXVI. *Cum lente progredientibus.*

VIII. Si vero peccator hanc disciplinam sustinere nolens retorsum abeat, extrema ad dimittendum monitio sit summa cum compassio- *Cum abjicientibus disciplinam.*

passione transfigens cor, et medullam ejus e g„ *Innocens ego sum a sanguine tuo, Tu videris! Curavimus Babilonem, et non est sanata, derelinquamus eam. vocavi te, et renuisti: Ego quoque in interitu tuo ridebo.* Haec sunt Divina Decreta adversus peccatores impoenitentes! ego tamen Patrem misericordiarum deprecari et deinceps non cessabo, ut Sangvis Amantissimi Salvatoris pro nostra omnium salute tanta cum charitate fusus emolliat cor suum, et non cedat ei in damnationem sempiternam. etc„ Amorosae hae monitiones, ut sperare licet, infixae cordi sic dimissi identidem lancinabunt conscientiam ejus, ac velut semina olim jacta, etsi ad tempus neglecta, fructus dulces ferent dignae poenitentiae serius, vel citius, aliquando tandem, saltem in agone. conf cap X n XLIV in Gratianopolit.

Cum magnis peccatoribus.

IX. Haec de habituatis, et relapsis. Quibus adhuc miserabiliores sunt illi *inveterati malorum dierum*, qui totam, vel fere totam a primis juventutis annis aetatem in variis sceleribus consumpserunt absque dignis longiori saltem tempore poenitentae fructibus. Hi plerumque nec numerum, nec speciem peccatorum suorum enarrare sciunt. De quibus omni thesauro pretiosior est instructio S Francisci Xaverii Lib 4 Ep 4: quae et superius dicta mire illustrabit. Ita ergo instruit orbis utriusque Maximus Apostolus: *Si quem velle videris onus exaggeratum praegravatae conscientiae in tuis auribus deponere, eum fac adhorteris primum, ut biduo, triduoque in id sumpto se totum excutiat inde a pueritiae recordatione PER OMNES AETATUM, ET OCCUPATIONUM GRADUS, RELEGENS VESTIGIA VITAE DECURSAE, CUNCTA perperam ACTA, DICTA, COGITATA in summam contrahens, ac si opus est, ad memoriae subsidium scripto sublegens* (percurrendo etiam Decem Dei, quinquae Ecclesiae praecepta, peccata capitalia, eorumque Filias, Status sui obligationes etc.) *sic paratum postquam audieris, plerumque juveris NON CONTINUO ABSOLVERE, sed agere cum illo, ut boni consulat per duos, tresve dies abducere a curis familiaribus animum, et idoneis ad dolorem peccatorum EX AMORE DEI OFFENSI ciendum commentationibus comparare se ad fructum uberiorem a Sacramentali absolutione percipiendum. Eo triduo poenitentem exercebis aliquot meditationibus, quarum illi capita edisseres, modum commentandi, et orandi trades. Svadebis etiam, ut poena aliqua ultro suscepta, puta jejunio, aut flagellatione seipsum ad veram detestationem criminum intime concipiendam, et per lacrimas etiam prodendam juvet. Praeterea hoc spatio curabis, ut si quam isti detinent rem alienam, dominis restituant. Si famam cujuspiam laeserunt, dictum revocent. Si amoribus inconcessis impliciti vixerunt, flagitiosa cum quibusvis commercia obrumpant, occasionesque amoveant culparum. Talia imposterum, quamtumvis prolixe, ac serio pollicentibus haud tuto creditur sine pignore. Fac reprae-sentent in antecessum, quod se praestituros asseruerunt. Nullum est tempus aptius officiis his, quam necessariis, tam difficilibus. Ubi ardor commoti animi refrixerit, et illecebrae familiaris dulcedini dudum asvetos in tantisper omissa retrahere flagitia caeperit, frustra reposcas promissorum fidem. Ergo antequam illos salutari sententia culpis solutos dimittas, haec ut praevertant, omnino exige: alias, quae humana fragilitas est, brevi relapsos in praecipitium, a cujus lubrica declivitate* NON SATIS *eos* LONGE *submoveras, inutiliter dolebis.* Quot apices, tot saluberrimae instructiones! quibus si conferamus facilitatem nostram maximos quosque peccatores mox in pace dimittendi, verissimum intelligemus illud Sinodi *Tiburtinae* 1658 tit 8 de paenit effatum: *Plurima crimina aluntur in populo, aut certe non exstirpantur ob Confessariorum minus diligens ministerium.* Nempe, ut audivimus ex Orbis Thaumaturgo, quia *humanam fragilitatem a lu-*

Confessionis generalis methodus.

Non statim absolvendi.

brica

brica declivitate non satis longe submovimus, ideo brevi relapsos in praecipitium inutiliter dolemus. Subscribit illustre sidus Hispaniae Cardinalis de Aguirre Diss 8 de Conc Hispan: *Licet Deus potestate absoluta, vel misericordia singulari possit hominem gravium scelerum reum subito ad ingentem contritionem movere efficaciter, et perfecte ad se convertere; Nihilominus juxta cursum ordinarium ea insignia, et praestantissima dona non largitur subito, sed GRADATIM, ac media impetratione facta per opera poenalia in oratione, elemosina, jejunio, fletu, et planctu, aliisque mortificationibus corporis, et animae. Per eos autem actus PAULATIM impetrat peccator majora, et utiliora auxilia ad dilectionem, et contritionem.* Confer cap II n XII. et cap VIII n XXVII.

Conversio ordinarie sensim crescit.

X. Demum Benignistae confugiunt ad *Ignorantismum*, et sic arguunt I: Multorum peccatorum, quae dilatione sananda docuimus, malitiam saepe ignorant rudiores poenitentes; aut certe II: dum peccant, non advertunt ad malitiam actualem peccati. ergo non peccant nisi materialiter. vel III: Ad summum peccant *peccato negligentiae* in inquirenda veritate: non ipso *peccato* ex negligentia *ignorato*. Imo IV: in casu ignorantiae plane *invincibilis* possunt mereri facto *materialiter malo* ignorato. Igitur V: prudentius dissimulantur tales, ne moniti, et dilati deinceps *formaliter* peccent. Resp. Haec est medulla Theologiae *mediae aetatis* SS PP ignota, ideo nobis quoque ignoranda. Ad I: Peccata, dequibus cap X a n XXVIII egimus, alia sunt Jure *naturae*, alia Jure *positivo Divino*, vel *humano* vetita. In *Jure naturae* saltem quod *prima* ejus *principia*, et conclusiones ab *illis non multum remotas Sancti, et eorum Discipuli non admittunt ignorantiam inculpatam.* Colligitur ex Prov 3 v 8: *Si sapientiam quaesieris quasi pecuniam, invenies, et intelliges - omnem semitam bonam.* Et cap 6 v 13: *Sapientia invenitur ab his, qui quaerunt illam.* S Augustinus Libr 6 operis imperf cap 17 Ignorantiam Juris naturae comparat cum concupiscentia, et utrumque peccatum esse docet: *Caecitas cordis, qua nescitur, quid justitia vetet:* et *violentia concupiscentiae, qua vincitur etiam qui scit unde debeat abstinere, non tantum peccata, sed poenae etiam sunt peccatorum.* Angelicus 1 2 q 109 a 4 ad 2: *Illud, quod possumus cum auxilio Divino, non est nobis omnino impossibile.* Utrinsque S Doctoris rationem conjunxit Illustris Universitas Lovanienis in articulis 1677 Innocentio XI oblatis, nec ulla censura notatis, ita colligens: *Uti nulla concupiscentia est insuperabilis, ita nulla ejusmodi Legis naturalis ignorantia est invincibilis; quia utraque per Divinae gratiae auxilium, et lumen superari potest. Opera itaque nostra naturali Legi contraria, quae ex tali ignorantia procedunt, a peccato plane excusari nequeunt.* Gratianus causs 1 q 4 can *Turbatur* merito pronunciat: *Ignoratia Juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.* Alexander Alensis tom II pag 293: *Ignorantia Juris naturalis neminem excusat, qui usum potest habere sciendi.* Et Gerson L de vita Spirit Lect 4: *Consors est sententia, nullum in his, quae Juris Divini* in Decalogo contenti *sunt, cadere ignorantiam invincibilem.* S Bernardinus Senensis tom 11 pag 564: *Jus Naturae omnes obligat, et nullum adultum excusat, cum sit scriptum in cordis nostris.* Plura non puto addenda, ut cuivis sensum pietatis habenti horribilis, et execranda sit illa doctrina, quae tenet, malitiam *voluntariae cogitationis*, ac *delectationis speculativae* venereorum, *tactuum* in se, et *pollutionis deliberatae* ignorari inculpate posse. A Jure enim naturali, et morali Decalogi *non mechaberis*, ut *omnem actum venereum* (extra legitimum *Matrimonium* ad prolem honeste suscipiendam, et educandam eodem Jure *ordinatum*) ita omnes *actus ad venerem DISPONENTES* prohibitos esse, crassa tantum mentis caecita-

Habituati absolvi nequeunt praetextu ignorantiae.

Jus naturae ignorari nequit.

Quo referuntur actus disponentes ad venerem.

te, et violenta concupiscentia obnubilitati negare possunt. Hac longe detestabilior adhuc, quia Deo *immediate* injuriosa est illa opinio, quae in male educatis rusticis *blasphaemiae in Deum* malitiam non videt. Si enim, ut vera tenet Theologia, a mentis compote *existentia* Dei nec *breviori* quidem *tempore* ignorari potest, ita pariter dicendum, ignorari non posse cognitum *Deum colendum*, atque a *maledictis, et blasphaemiis* in Eum abstinendum esse. Et quae unquam fuit Gens tam barbara, quae taceo verum, sed ipsos fictos, lapideos, aut luteos Deos suos turpibus scomatibus impune lacessiri posse putavisset? ego eum, qui inter Christianos mentis compotes dari asserit tales, qui blasphaemiae in Deum malitiam *inculpate* ignorent; eum inquam ipsis barbaris crassiori Theologia in cerebro suo cusa imbutum, adque in Deum verum magis impium habeamus oportet.

Et Actus blasphaemiae.

XI. Haec de ignorantia peccatorum Iure naturae vetitorum. Quid de ignorantia peccatorum Iuri positivo *Divino*, vel *humano* oppositorum? In his ignorantiam sic definit Angelicus 1 2 Q 19 a 6 in o: *Dicendum, quod si ratio, vel conscientia erret errore voluntario vel directe, vel PROPTER NEGLIGENTIAM, quia est error circa id, quod QUIS SCIRE TENETUR, tunc talis error non excusat, quin voluntas concordans rationi, vel conscientiae sic erranti sit mala. Si autem error sit proveniens ex ignorantia alicujus circumstantiae ABSQUE OMNI NEGLIGENTIA, tunc talis error excusat, quin voluntas concordans rationi, vel conscientiae sic erranti sit mala.* 2 2 q 76 a 2: *omnes tenentur scire ea, quae ad eorum STATUM, vel OFFICIUM spectant, et sine quorum scientia non potest quis DEBITUM ACTUM exercere.* et Lect 3 in Libr 3 Ethicorum: *Talis ignorantia (:* qua quis ignorat quid eum oporteat facere, vel vitare: *) non causat involuntarium: quia hujusmodi ignorantia non potest homini habenti usum rationis provenire nisi EX NEGLIGENTIA: quia quilibet tenetur adhibere sollicitudinem ad sciendum, quid eum oporteat facere, vel vitare.* et 1 p q 6 a 8 in o: *dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis POTEST scire, et DEBET. ille* ex adverso *potest excusari a peccato, et poena, qui quod disceret, non invenit:* Sive qui adhibita *diligentia rei gravitati commensurata*, veritatem assecutus non est. Unde nata est regula Juris: *Ignorantia FACTI, NON JURIS excusat: et scire, scire posse, scire debere, paria sunt.* Ex quibus manifestum fit, Ignoratiam Juris etiam *positivi, Divini*, et *humani* circa *statum, officium*, et *liceitatem* actionis, quam agere volumus, *propter negligentiam debitae inquisitionis* esse peccaminosam: (*a*) Atque adeo peccatores, de quibus cap X a n XXVIII locuti sumus, *ignorantia* excusari non posse. ut non excusant *Sancti* illi, et *Maximi* Doctores, quorum auctoritatibus resolutiones nostras circa *differendos* constabilivimus. Negligentia *debitae sollicitudinis* in inquirenda veritate quando sit tantum veniale peccatum? diximus ex Angelico Introd n XII. nempe si non fiat *ex contemptu*, sed tantum ex *aliquo defectu fervoris* in inquirenda veritate. quo titulo et docti saepe excusari debent a mortali circa *Leges positivas*. At quos differendos statuimus saepe, et graviter lapsos, illis hi tituli non suffragantur; quia non

Ignorantia Juris positivi raro est inculpata. Nempe non excusat error voluntarius: Ex negligentia: Quae quis scire tenetur. Circa ea, quae sunt status, et officii. Sine quibus nequit actus debite exerceri. Ignorantia quando voluntaria? Quando involuntaria, et invincibilis.

defectu

(*a*) Meditentur haec coram Deo illi Sacerdotes, aarum Curatores, magistratus, Judices, etc. Qui ad exequenda munia sua debitam Scientiam negligunt: conjuges, qui obligationes erga se, proles *caste* suscipiendas, Christiane educandas, familiam pie, juste regendam non curant. Rustici, qui necessaria ad salutem, naturam Sacramentorum sibi necessariorum Ignorant. Omnes illi, qui rem graviorem acturi in ejus liceitatem, ac conditiones debite non inquirunt. cuncti hi, et infiniti alii, si Angelico fides est, *voluntaria*, ideo peccaminosa laborant ignorantia.

defectu fervoris, ſed ex *malitia* poſt *monitiones* peccant. Ut ſingulos caſus percurrendi patet.

XII. Ad II. Gravis hic tangitur difficultas: An *conſvetudinariis* ad peccatum *actuale* neceſſaria ſit *advertentia actualis ad malitiam formalem actus ex conſvetudine poſiti*? Affirmant Benigni, quos ſi audiamus, dum *habituati perjuria*, *blaſphaemias* in Deum, *convitia* in proximum evomunt, dum libidinoſi habituati ad incautam incidentiam, ad fortuitum aſpectum ſeſe *faede polluunt*, ſi actu malitiam actus ſui non conſiderant, non advertunt, ſi paſſio *habitus mali* in illis deliberationem praevertens in actum erumpat, opinione illorum tales non committent *formale* peccatum. Evertitur manifeſta doctrina Angelici in Epiſt ad Rom cap I clare pronunciantis: *Conſiderandum, quod tunc ignorantia* (idem eſt de *inadvertentia*: nam ubi *haec* eſt, ibi adeſt ignorantia) *excuſet, quando ſic praecedit, et cauſſat culpam, quod NON CAUSSATUR A CULPA. Si vero IGNORANTIA CAUSSETUR A CULPA, NON POTEST SUBSEQUENTEM CULPAM TALIS IGNORANTIA EXCUSARE.* Atqui in mox dictis caſibus *ignorantia*, et *inadvertentia actualis* malitiae manifeſte *cauſſatur a culpa*, ſive ab habitu malitioſe contracto. go in talibus ignorantia, et inadvertentia malitiae teſte Angelico non excuſat a culpa. In hoc igitur quotidiano timoratorum Confeſſariorum tormento (quotus enim ex Lajcis, potiſſimum minus cultis non vomit quotidie blaſphaemias? convitia? imprecationes, turpiloquia etc? retinendam unice affirmo doctrinam Illuſtriſſimi Epiſcopi Vaſionenſis tr I cap XV q 5. Ubi *habituatum* duobus modis conſiderat I: Dum de peccatis ſuis praeteritis, et *de habitu* per illa contracto vere dolet, diligentiam ſeriam adhibet ad eradicandam perverſam hanc ſuam inclinationem, lapſuſque ſuos inconſideratos ſevere ulciſcitur modis cap VIII n XXVI praeſcriptis. Facta hac praevia habitus retractatione facile videt quiſque cum, qui ſic ſerio, et ſincere conatur habitum exſtirpare, excuſari *a mortali*, licet adhuc aliquando *inconſiderata* lingva cadat *involuntarie*. Talis enim caſus jam non eſt voluntarius *in cauſſa*: cum, ut ſupponitur, habitum pro virili retractaverit, eradicareque annitatur hodiedum. Nec *in ſe*: quia lapſum lingvae penitus non advertit, nec voluit. Poſt talem retractationem, habitus pravi reliquiae jam non ſunt peccaminoſae, quia involuntariae, et quaſi naturales, ut concupiſcentia indeliberata. contra quas remedia praeſcripſimus cap IX not ad n XXVIII. Sic excuſari poſſunt a mortali ſubitanei lapſus lingvae inconſideratae. (Videndum tamen, ne paſſio rurſum recrudeſcat) non tamen actus externi, e. g. fornicatio, aut gravis verberatio: quia haec non fiunt ſine *advertentia actuali*. II. Conſiderat Vaſionenſis *habitum* in eo, qui *eum* ſerio non retractavit, ſed perſeverat *habitu*, et frequentatis *actibus* in contracta malitia non adhibendo *debitam* diligentiam ad utrumque eradicandum. Talis habituatus ſemper peccat mortaliter (pro gravitate materiae peccati) dum *ex habitu* labitur, etiamſi lapſus *in ſe* non eſſent *actu voluntarii*, et omnem advertentiam *actualem* praevenirent. Quia ſunt voluntarii *in cauſſa*, ideſt in pravo *habitu voluntarie contracto*, et *voluntarie non retractato*. (Vide Antoine de actibus Human cap I. ubi explicat, et admittit voluntarium *in alio*, *virtuale*, et *interpretativum*) vere enim vult is peccatum, qui vult ejus cauſſam. peccati talis cauſſa eſt habitus. go qui *habitum voluntarie* contraxit, *voluntarie* fovet non conando pro viribus exſtirpare, *virtualiter*, *in alio*, et *interpretative* cenſetur velle ipſum peccatum ex *illo* ſequi ſolitum.

Ignorantia, quam cauſſavit culpa, non excuſatur a culpa.

Habituatus ante retractationem peccat in iis, quae inconſiderate ex habitu evomit.

Haec

Mens Angelici clariſſima.

Haec eſt apertiſſima mens Angelici 1 2 q 77 a 7 in O: *Aliquid poteſt eſſe voluntarium vel ſecundum ſe, quando voluntas in ipſum directe fertur. Vel ſecundum SUAM CAUSSAM, quando voluntas fertur in cauſſam, et non in ipſum effectum. Ut patet in eo, qui voluntarie inebriatur: Ex hoc enim quaſi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit, licet hoc in ebrietate committere nollet.* Vult enim *cauſſam ebrietatem.* Ergo implicite, virtualiter, et interpretative velle cenſetur et *effectum* ex *illa* ſequi ſolitum; Si nempe jam alias expertus eſt, *hoc* ex *illa* in ſe ſequi (*a*) Ita etiam conſvetudinarius voluntarie contrahens *habitum*, et ex *hoc advertens* ſequi *graves lapſus*, nec tamen *illum pro virili eradicare ſatagens*, virtualiter velle cenſetur ipſos lapſus. Clarius adhuc loquitur Angelus Scholae 1 2 q 71 a 7 in O: *Paſſio quandoque eſt tanta, quod totaliter aufert uſum rationis. Et tunc ſi talis paſſio A PRINCIPIO fuit VOLUNTARIA, IMPUTATUR actus AD PECCATUM: quia eſt voluntarius IN SUA CAUSSA.* Quid vis clarius? *Si vero cauſſa non fuerit voluntaria, ſed naturalis, puta cum aliquis ex aegritudine, vel aliqua hujuſmodi cauſſa incidit in talem paſſionem, quae totaliter aufert uſum rationis, actus omnino redditur involuntarius, et per conſequens totaliter a peccato excuſat.* Sic ex morbo quidam redduntur *ſeminiflui.* Quin et ſano viro accidere poteſt in ſomno *ſolutio* haec naturae inculpata, ſi *nulla culpa* praeceſſit: nam ſi praeceſſit *illa*, tantum eſtpeccatum, quantum fuit *haec.* Proinde ſolutio nocturna interdum eſt *mortalis*: Si praeceſſit cogitatio voluntaria turpis. alias *venialis*: ut ſi poſt levem exceſſum in cibo, et potu accidit *impraeviſe.* alias *ſine ulla culpa* natura ſuperfluitatem dimittente, vel ex morbo, ut dictum. (*b*)

Ex

(*a*) Nam ſi *primum* caſum ex ebrietate ſecutum poenitus non praevidit, nec praevidere potuit, *ille* voluntarius nullo modo dici poteſt. Unde Loth Gen 19 ab inceſtu excuſatur, quia nec praevidit, nec praevidere potuit, nec actum advertit ullatenus. ut patet l c. Ab ebrietate tamen *ſecunda* vix poteſt; a *prima* enim altera die ſenſit effectus crapulae. Ergo non debebat bibere vinum largius altera quoque nocte. Ipſae Filiae non ignorarunt malitiam incaeſtus: Unde dolo uſae ſunt. ibi.

D Thomas de pollutione exponit omnem veritatem.

(*b*) Divus Thomas tum ſcientia, tum puritate Angelorum aemulator hanc materiam ſolidiſſime ediſſerit in 4 diſt 9 art 4 in reſp ad 2 q ſequentibus: „Pollutio quandoque ex *illuſione* accidit, quando *phantaſmata* per cauſam *extrinſecam* ſpiritualem, ſcilicet *doemones* commoventur. Quandoque ex *reliquiis praeteritarum cogitationum*: quod eſt cauſa ſpiritualis *intrinſeca.* Quandoque ex cauſa *intrinſeca naturali*, quae quidem cauſa vel fuit *voluntati ſubjecta*, ſicut eſt quando ex ſuperfluitate cibi, aut potus praecedente pollutio accidit: vel *non fuit voluntati ſubjecta*, ſive accidat ex *debilitate naturae impotentis retinere ſemen*, ſive ex ejus virtute ſuperflua expellentis, ſive quocuuque alio modo, in idem redit. Secundo diſtingvitur pollutio *quantum ad modum*: Quia quandoque accidit *ſine imaginatione*: quandoque *cum imaginatione*: hoc dupliciter, quia quandoque *in ipſa ſomni imaginatione* homo turpitudini *conſentit*: quandoque *diſſentit*: et tamen pollutio accidit. Quando ergo *ſine imaginatione* pollutio accidit, ſignum eſt quod pollutio *ex cauſa ſit corporali intrinſeca*: ſed quando *cum imaginatione*, poteſt ſic, vel ſic eſſe. In omnibus igitur praedictis pollutionibus corporalis immunditia eſt communis; ſed quaedam mentis hebetatio non eſt, niſi in illis pollutionibus, quae *cum imaginatione* accidunt: quia in illis, quae ſine imaginatione accidunt, anima nihil participare videtur. *Nulla* autem *dictarum eſt peccatum*, ut ex dictis patet, ſed poteſt eſſe *effectus peccati*, ſignificans *praecedens peccatum* vel *veniale*, vel *mortale.* Peccatum *mortale ex neceſſitate a perceptione Euchariſtiae impedit*: quia mortaliter peccat, qui cum conſcientia peccati mortalis accedit. *habetudo* autem *mentis*, et *immunditia corporalis ex quadam decentia boneſtatis*, quia *indevotio* eſt *ſic accedere*, niſi *neceſſitas urgeat.* Et ideo *conſideraudum* eſt, *utrum in cauſa pollutionis poſſit inveniri peccatum praecedens?* quia *cogitatio turpium quandoque eſt ſine peccato*; Sicut cum in cogitatione tantum manet, ut cum quis diſputans de talibus oportet quod loquens cogitet: aliquando etiam *cum* peccato *veniali*, quando ad affectionem cogitatio pertingens in *ſola delectatione* (mere *ſenſuali*, et ſine adhuc *conſenſu*: Ut mox ſe

Variae ejus cauſſae.

Ex adverſo autem docente Angelico *paſſio a principio voluntaria*, ut praeviſa cauſſa peccati *ex illa* orituri facit peccatum ſubſequens *voluntarium*. Sed in Noſtro caſu habituatus ſcit ex habitu ſuo cauſſari dicta peccata. go quamdiu *eum* non ſufficienter retractat, peccata ſubſequa ex tali paſſione ei ſunt *voluntaria in cauſſa*. Sed

XIII. Ne ab uno Angelico cum honore (ut loqui amas) recedas, plane conſentit Diſcipulo Magiſter ejus Magnus Auguſtinus L 8 conf cap 5 verbis cubitalibus definiens: *Lex peccati eſt violentia conſvetudinis, qua TRAHITUR, et tenetur etiam INVITUS animus eo merito, quo* IN EAM VOLENS ILLABITUR. Mox ibidem graphice deſcribit miserandam *neceſſitatem conſequentem peccandi* ex voluntarie contracta conſvetudine ortam dicens: *ſuſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido: et dum ſervitur libidini, facta eſt conſvetudo: et dum conſvetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi annulis ſibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus.* Mellifluus eſt in eadem neceſſitate edifferenda D Bernardus ſerm 81 in Cantica: *Neſcio*, inquit, *quo pravo, et miro modo ipſa ſibi voluntas peccato in deterius mutata neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas, cum VOLUNTARIA ſit, excuſare valeat voluntatem: Nec voluntas cum ſit illecta, excludere neceſſitatem. Eſt enim haec neceſſitas quodammodo voluntaria. Eſt favorabilis vis quaedam premendo blandiens, et blandiendo premens. Unde ſic ſe Rea voluntas, ubi ſemel peccato conſenſerit, nec excutere jam per ſe* (ſuis viribus, ſine gratia, quae tamen oranti, ac conanti excutere adeſt. cap IX n XLI) *Nec excuſare tamen* peccatum *ullatenus queat. et hac voluntaria neceſſitate peccandi plectitur inordinatus animus EO MERITO, quo VOLENS in eam illabitur, ait Auguſtinus.*

Auguſtini.

Bernardi.

Ex his corruit conſequentia objectionis Hae: quin habent, quod meditentur illi, qui aſſiduos (ut fit in vulgo potiſſimum) blasphaemos, pejeratores, imprecatores, ſcurilia loquentes, molles, pollutioni aſſvetos, etc defectu inadvertentiae non curant, facileque ſemper cum iisdem reduces abſolvunt!

XIV. Ad III: Non repugnarem, ſi objectio vellet hoc tantum, quod *extra habitum* mortalem, *negligentia levis* in inquirenda veritate

Inadvertentia levis peccatum mortale facit veniale.

explicat) finitur. quandoque *etiam cum mortali, quando conſenſus adjungitur.* Et quia cogitationi tali de propinqvo eſt delectatio, et delectationis conſenſus, inde etiam in dubium poteſt verti, utrum ſequens pollutio ex peccato acciderit? vel non? et aut veniali? aut mortali? ſatis tamen probabiliter poteſt confiti, non praeceſſiſſe conſenſum, quando in ipſa ſomni imaginatione anima diſſentit. Non tamen oportet, quod ſi conſentiat, conſenſus vigilando praeceſſerit, quia hoc poteſt accidere propter ligamen judicii rationis, quod quandoque magis, quandoque minus eſt liberum in ſomno. Unde in tali pollutione, *ſi* ad cauſam recurrens *dubitet de conſenſu*, omnino *abſtinere debet.* Si autem *expreſſe invenerit conſenſum non praeceſſiſſe, et neceſſitas Urgeat*, aut *aliqua cauſa potior, poteſt accedere, aut etiam celebrare, non* obſtante *corporis immunditia, aut hebetatione mentis*: alias ſi *neceſſitas non incumbat, videtur non exhibere reverentiam debitam Sacramento; non tamen, ſi celebrat, mortaliter peccat, ſed veniáliter. Sicut cum quis quandoque mentis evagationem patitur.* Quando autem ex *illuſione* accidit, ſi illuſionis cauſa in nobis praeceſſit, puta: cum quis indevotus ad dormiendum acceſſerit, idem eſt Judicium, ac de pollutione, quae ex cogitatione praecedenti caulatur. Si autem *in nobis cauſa non praeceſſerit*, immo magis cauſa contraria, et hoc frequenter accidat, praecipue in diebus, quibus quis communicare debet; *ſignum eſt, quod diabolus Homini fructum Euchariſtiae percipiendae auferre conatur.* Unde in tali caſu conſultum fuit cuidam Monacho, ut in collationibus Patrum legitur, quod communicaret, et ſic diabolus videns, ſe non poſſe conſequi intentum, ab illuſione ceſſavit.„ Haec Angelicus. confer cap IX ad n XXVIII not de *Colaphizatis.*

An, et quale ſit peccatum?

Dubitans de conſenſu nequit communicare.

Quid de hebetatione mentis.

De illuſione?

transgressionem Legis gravis faciat peccatum *veniale*, ut dixi de pollutione *ex levi causa*, et satis colligitur hic ex n XI in fine. Sic si fingamus; Jacob levem commisisse culpam Gen 29 v 22, et seqq in inquirendo, an Rachel? vel Lia ei data sit? actus cum Lia *non dum ejus* uxore (in Rachelem enim consenserat, et pro hac serviverat ibi v 18) altera tamen die consensit et in Liam v 28) fuisset venialiter peccaminosus: qui modo poenitus materiale peccatum erat Jacobo fraudem plane ignorante, ibi v 25. sic pro mensura negligentiae commissae veniale foret adulterium hodie viri boni, sed leviter incurii, cui mulier adultera sese Uxoris specie supponeret. ita et venialis est transgressio Legis positivae, quin et Juris Naturae ex *negligentia levi*. *Haec* enim excludit diligentiam tantum *summam*, includit *mediocrem*, et *ordinariam*. Vae nobis miseris, et fragilibus mortalibus, si a nobis Leges inquirendae veritatis sub *mortali* exigerent diligentiam *extraordinariam!* scientiam *summam!* sane eo casu privarentur tribunalia Judicibus, arae Ministris, Cathedrae Oratoribus, etc. Quotus enim de summa doctrina, de extraordinaria diligentia constanti vere blandiri sibi valet? Utinam mediocrem adhiberemus omnes diligentiam! Nemo periret defectu scientiae necessariae.

Dantur peccata ignorantiae, et non tantum negligentiae.

XV At Benigniſtae volunt, docentque: *peccata ignorantiae vincibilis etiam in Habituatis non aliam habere malitiam, quam NEGLIGENTIAE in cognoscenda veritate.* Quo eorum sensu carnifices Martirum, Iconoclastae, Haeretici evertentes Templa, Sanctorum reliquias profanantes, molles, aliique sceleris sui malitiam *vincibiliter* ignorantes nequaquam *ipso facto*, et *objecto*, sed *sola negligentia* in inquirenda veritate peccassent, peccarentque hodiedum. Quod piae aures non ferunt. Nam sic palam evertuntur peccata *ignorantiae*: quae fides docet ex illis: *Pater dimitte ILLIS, quia NESCIUNT quid faciunt. Ignorantias meas ne memineris Domine. Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se praestare Deo.* Quibus peccatis ignorantiae succederent solum peccata *negligentiae*: ut consideranti patet. Sequeretur item, quod opinione Benigniſtarum sufficeret poenitenti confiteri dicendo: Commisi *negligentiam gravem* in veritate inquirenda *circa mollitiem, tactum, adulterum.* etc. non exprimendo *actum.* quod rursum nulli timorato persvidebunt adversarii contra manifestum exemplum Gentium Doctoris peccata sua *specifice, actusque* ipsos *ex ignorantia* commissos palam confitenti 1 ad Timoth 1 v 13: *Blasphaemus fui, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum - quia ignorans feci in incredulitate.* Igitur non solam *negligentiam*, sed ipsos *actus* ex *ignorantia vincibili* commissos sibi in peccatum imputatos agnoscit. go objectio manifeste falsa est, potissimum in suo supposito de *Habituatis* procedente: quorum ignorantia crassa est, et mortaliter peccaminosa, utpote ex frequentatis actibus mortiferis contracta. go ipsum *actum* mortalem reddunt. ut vidimus h a n XII.

Opus ex errore invincibili culpa caret, sed meritorium non est.

XVI. Aeque paradoxum, quin monstrum Theologicum est, quod IV praetendunt, in casu ignorantiae *invincibilis* opus *materialiter*, et *objective* malum, non solum culpa vacare formali (quod nemo negat) sed et actum *honestum*, bonum, *vitaeque aeternae meritorium* esse. Sive ut ait P Casnedi tom 1 disp 6 sect 1 § 3 n 25: *Nullum absurdum est, quod Christus Dominus dicturus sit: Veni Benedicte! accipe regnum, quia mentitus es invincibiliter putans me tibi in tali casu* e g ad salvandam vitam alterius *praecepisse mendacium.* At id maxime absurdum videtur Angelico Praeceptori 1 2 q 19 a 6 ita instruenti: *Bonum causatur ex integra causa: malum ex singularibus defectibus. et ideo*

ad

ad hoc, ut dicatur malum id, in quod fertur voluntas, ſufficit, ſive quod SECUNDUM SUAM NATURAM ſit, ſive ut apprehendatur malum. Sed ad hoc, quod ſit bonum, requiritur, ut UTROQUE MODO SIT BONUM. II: Ut actio *omnimode* ſit *bona*, debet *conformari Legi aeternae Dei, fonti omnis bonitatis.* Atqui voluntas creata directa ab errore *invincibili* putans hic et nunc mendacium, perjurium, furtum, pollutionem, etr (opinione adverſariorum) licitum eſſe, revocari in voluntatem aeternae Legis, et fontis omnis bonitatis, nequit, niſi ipſa ſcelera in Deum, fontem omnis bonitatis, et Legis aeternae refundamus. Ut conſideranti ſatis patet: Et porro demonſtratur ad oculum III: Nemo etenim negare valet dictas, et alias actiones *materialiter* malas etiam in caſu *ignorantiae* inviucibilis a Deo, a Lege aeterna *antecedenter* vetari. *per ſe* enim et *intrinſece* malae ſunt, et *per accidens* tantum hic et nunc ob ignorantiam non imputantur, in peccatum formale. Atqui monſtrum horrendum eſt, id a Deo, a Lege aeterna *conſequenter*. et *reflexe* praecipi, et praemiari ut bonum, quod *antecedenter, primario, et directe* vetatur ut malum, et poena dignum. Hujus enim Legis Divinae *reflexae*, et *conſequentis*, qua peccata materialia *ob ignorantiam invincibilem* praecipiantur, et praemientur, nec in ſcriptura, nec in traditione, nec in antiquis Doctoribus ullum eſt veſtigium, ſed teſte Patuzio tr II de ratione humana cap IV n III in ſolo cerebro Terilli *Probabilitatis reflexae* Inventoris cuſa eſt. id quod ſolum ſufficit, ut dictam Dei Legem *conſequentem*, et *reflexam*, velut arcem aëream nulli fundamento nixam ſola negatione dirui, atque in ventum abire oporteat. Si quis Legem illam Dei *conſequentem* ſe inveniſſe gauderet in illis: *quod non eſt ex fide* (ſecundum conſcientiam) *peccatum eſt. Non agendum contra conſcientiam, ſed juxta eam*, dico: Haec principia *generalia* in *theſi*, et *ſpeculative*, ſive in *abſtracto* eſſe a Deo, a naturae lumine, *bona*, et *meritoria*: in caſu tamen ignorantiae *invincibilis* concluſiones *practicas* ex illis deductas *objective*, et in *executione* eſſe *materialiter malas*, conſequenter hoſtiliter pugnare cum bonitate, et praemio Divino: quia nempe hae *concluſiones* corrumpuntur materialiter ab erroris objecto malo ſecundum ſe, ut mox docebat Angelicus. Haec duo iſtic diſtingve, et bene docebis. Sic honeſta eſt, et praemio digna *generalis voluntas proximo ſuccurrendi*: malum id hic et nunc *per mendacium* exequendi. Sic meritorium eſt hoc theorema: *omnis hoſtia rite conſecrata eſt adoranda*: At in caſu, quo Petrus celebrans non eſt Sacerdos, haec concluſio practica: *go haec hoſtia eſt adoranda*, ipſaque adoratio non eſt honeſta, nec meritoria; quia id impedit *error invincibilis OBJECTI* adorationis; *quod* eſt purus panis: conſequenter eſt objectum *idololatriae materialis*, quae meritoria eſſe nequit, nec tamen *mala formaliter* ob errorem inculpatum. go *indifferens propter* intervenientem in *judicio practico*, ipſoque facto *errorem*. Nam *bonum ex integra cauſſa, malum ex quolibet defectu.* Ita diſcurrendum in *judiciis practicis erroneis*, quorum objectum eſt *intrinſece* malum. Sic honeſtum eſt jus matrimonii reddere prolis cauſſa. Sed in Jacob prima nocte accedere ad Lam non dum ſuam intrinſece malum erat materialiter. go errore incubato honeſtari *formaliter ad meritum* non potuit. At in factis erroneis, quorum objecta intrinſece mala non ſunt, dictamen practicum, et factum non eſt *materialiter* malum, ſed tantum objecto erroneo *mutatur in aliam virtutem.* Sic in caſu, quo hic mendicans non eſt *pauper*. hic homo non eſt *Pater Tuus*, primus actus non eſt elemoſina, ſed liberalitas; ſecundus non eſt honor *Patris*, ſed viri te majoris. Haec diſtingvere in praeſenti eſt lux meridiana. IV. Adverſarii praemiſſa negligendo miſcent quadrata rotundis, ac neceſſario in paradoxa ſequentia proruunt

Commentum duplicis Legis Divinae.

Refellitur.

Error Legi Divinae mixtus concluſionem materialiter corrumpit.

Nam bonum ex integra cauſſa: malum ex quolibet defectu.

Horrendae ſequelae ex contraria opinione.

ruunt I: quod apud Deum ejusdem bonitatis, et meriti sint opera a veritatis lumine directa cum flagitiis errorum tenebris obvelatis. Ideo II: *superfluas* esse instructiones, conciones, Catecheses, quin III: *noxias*, eo quod instructione dejiciantur simplices a statu *erroris suo merendi.* IV: quod cum fidei caput sit, nullam esse actionem supernaturalem, et praemii aeterni meritoriam sine gratia Dei excitante, et adjuvante, (horresco cogitare!) in opinione, quam impugno, Deus, *a quo bona cuncta procedunt*, invincibiliter errantem adjuvet, excitetque gratia sua ad mendacium, aliaque scelera invincibiliter ignorata, sed hic et nunc illa necessaria, vel permissa ab errante judicata. Non opus est pluribus, ut objectio cunctis sit manifeste falsa, et horribilis!

Errantes omnes illuminandi sunt.

XVII. Objectio V in Theologia morali latissime patet, discrutiatque Confessarios, quid hi agere debeant? an nempe teneantur monere suos poenitentes, quos advertunt aut in matrimonio nullo esse: aut perdidisse Jus petendi debitum conjugale: aut sponsorum alterum ex occulta fornicatione cum consangvineo sponsi, vel sponsae affinitate contracta matrimonium inire velle, a quo jam omnibus paratis vix resilire velle creditur: vel si in statu damnificationis materialis sit? vel si ignoret necessaria ad salutem? vel ad statum, officiumque suum exequendum? vel (ut adversarii praetendunt) nesciant malitiam mollitiei, desideriorumve mentalium: aut quorumcunque aliorum peccatorum suorum gravitatem, damnationisve periculum non advertant? Verbo: an *poenitentes ignorantes* illuminandi sint: aut relinquendi in errore casu, quo instructionem non susceptori praevideantur?

Qua in re ut primum certa ab incertis separentur, omnes conveniunt monendos esse I: Si poenitens ipse interroget. II. Si monitio profutura videatur. In his enim officium *Doctoris*, et *Medici* a Confessario illuminationem, et medelam exigit. III. Si ignorantia sit *vincibilis*. haec enim *formale* est peccatum. In his *juxta omnes* locum habet sulmen illud Ezech 33 in Pastores mutos, aut ignaros *apte* monere: *si dicente me ad impium: morte morieris, non fueris locutus, impius quidem in iniquitate sua morietur; sangvinem autem ejus de manu tua requiram!*

Etiamsi praevideantur non susceptori veritatem.

XVIII. Quid si instructio praevideatur non suscipienda? adhuc tamen monendum poenitentem, et nisi salutaribus monitis morem gerat, absolutionem denegandam esse urgentissimae rationes evincunt I: exemplum Christi *omnes, etiam rebelles praevisos* docentis Joan 15 v 22: *Si non venissem, et locutus non fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Math 28 v 10 jubet *docendos omnes servare omnia.* II. ita sentit Ambrosius serm 84: *Ego interdum parcens vobis tacere vellem: Sed malo vos contumaciae causas reddere, quam me negligentiae sustinere judicium.* Et S. Augustinus illius Discipulus L de fide, et bonis operibus c 7 enarrato casu matrimonii *bona fide nulliter* contracti aferit: *absit ut sensu plane vano doleamus, cum flagitia* (quae hic materialia erant) *tanquam connubia dirimuntur, maxime in civitate Domini, hoc est in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, sed et sacramentum commendatur.* Cum clara sit mens Doctorum Aquilae, vere fragile est momentum, quo ex illo adversarii nituntur relatum canone *siquis* 4 dist 7 de poenit: ubi Divus urget agendam esse *poenitentiam, dum sani sumus quia* SECURAM: non differendam *ad ultimum quia DUBIAM*: *Agens poenitentiam ad ultimum, si securus hinc exit, ego non sum securus. Sed unde scis,* (*inquis*) *ne forte Deus dimittat mihi* in ultimo morbo agenti poenitentiam? *Hoc nescio — Nam si scirem, tibi nihil prodesse, non tibi darem* poenitentiam in ultimo. *Item si scirem tibi prodesse* in ultimo poenitentiam, nunc *non te admonerem, non te ter-*

Solvitur momentum contrarium ex Augustino.

te terrerem, ut ſanus eam agas. go *tene certum, dimitte incertum.* Ex hoc vero Canonis ſenſu jugulatur adverſariorum opinio: ſic enim in eos Canon intorquetur: *ſi ſciret* Auguſtinus *nihil prodeſſe, non duret* poenitentiam. At poenitenti veritatem non ſuſcepturo non prodeſt poenitentia. Ut mox videbimus. go haec illi danda non eſt. Adverſarii partem poſteriorem textus ita legunt: *ſi ſcirem tibi NON prodeſſe, non te admonerem.* Ex quo inferunt, monitionem praeviſam *non* profuturam omittendam eſſe; at particulam NON in poſteriori hoc commate nec mea editio habet, nec ſenſus mox a me expoſitus patitur. go.

XIX. Probatur III Rationibus invictis. Vel poenitens praevidetur ſuſcepturus monitionem, vel non: ſi praevidetur, monendus eſt juxta omnes, ne de nobis verificetur illud Tren 4: *parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.* Vere enim petit *facto* bonae fidei ignorans praeviſus ſuſcepturus veritatem, dum venit ad Doctorem, et Medicum Confeſſarium. Si vero praevideatur non ſuſcepturus veritatem, go jam eo ipſo eſt in ignorantia affectata, et culpabili, eo ipſo indignus abſolutione. Unde enim ſcit Confeſſarius poenitentem *hunc* non ſuſcepturum veritatem? niſi quia animadvertit in eo PASSIOEM *erga* VITIUM, cujus malitiam ignorat, adeo PRAEDOMINARI, ut non ſit dimiſſurus *illud*; ſi inſtruatur: go vere indiſpoſitus eſſe convincitur ex natura *charitatis praedominantis* ad Sacramentum poenitentiae neceſſariae cap V n XXXVIII. et XXXIX expoſitae. IV. Confeſſio juxta omnes debet eſſe *parere parata.* go Confeſſarius eos tumtaxat dignos abſolutione cenſere valet, qui ſincero animo, et corde contrito accedunt *parati* ſuſcipere omnem veritatem ſibi neceſſariam, dicentes cum Saulo: *Domine quid me vis facere?* go a contrario qui praevidetur non ſuſcepturus, velut indignus repellendus eſt. V. Ut Confeſſor non ſolum Judex eſt, ut abſolvat, vel liget, ſed et Doctor, ut doceat ignorantes: Medicus, ut vulnera animae curet: ita poenitens eſt *Reus, ut abſolvatur*, vel ligetur: *ignorans* ut *illuminetur*: *infirmus*, ut *ſanetur.* ergo qui praevidetur rebellis lumini neceſſario, indignus manifeſte eſt abſolutione. VI. Poenitens ignarus et *poteſt*, et *debet* ſcire veritatem ignoratam. Poteſt facillime hic unice audiendo Confeſſarium. go ſi nolit, *vincibilem* plane, et *affectatam* habebit ignorantiam, quam Angelicus 1 p q 6 a 8 *voluntariam* apellat. *quia actus voluntatis fertur in ignorantiam. Sicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excuſationem habeat peccati, vel ut non retrahatur a peccato.* Sic plane affectum eſſe eum, qui confeſſarium cum *poſſit*, audire non vult, res ipſa clamat: maxime cum et *debeat* eum audire in noſtro caſu: nam ut oſtendimus h n XI, omnes tenentur ſcire ea, quae ad eorum *ſtatum*, et *officium* pertinent, et quae *ſingulos oportet facere*, vel *vitare*: quod niſi fiat, in republica tam Sacra, quam profana mera confuſio, peccata faediſſima ignorantiae, et ſeptichiſmus dominabuntur. ut conſideranti evidens eſt. go poenitens *ignorans* praeviſus non *ſuſcepturus veritatem* a Confeſſario ſibi *tradendam* juxta illud: *Scire, ſcire poſſe, ſcire debere paria ſunt*, inter eos numerandus eſt, qui *dicunt*: *recede a nobis: ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Job 21 v 14.

Talis eſt in ignorantia vincibili, et vincenda.

Non eſt parere paratus.

Poteſt, et debet ſcire veritatem.

XX. Illuſtrantur dicta ſequenti collectione: Si fas eſt ignorare ea, quae *cuivis juxta ſtatum*, *officium*, aut rerum *agendarum*, aut vitandarum rationem *neceſſaria* ſcitu ſunt, ſequitur, monendos non eſſe, ſed abſolvendos, et ad Communionem cum ignorantia ſua dimittendos omnes eos, qui 1: ignorantes, ut poſſe praetenditur h n X, mollitiei, factuum, aliarumque ſordium in ſeipſis malitiam in iis aſſidue ſordent, iisque ſe et ad matrimonium, et ad caelibatum ineptos, inhabileſque red-

Graviſſima abſurda e contraria opinione.

reddunt cum praesentissimo utriusque reipublicae detrimento. 2. qui ignorant malitiam usurae. 3. Furti in *gravi* necessitate. 4. qui credunt, licitum esse duellum ad *defensionem Honoris*, famae, vel officii. 5. qui putant licite occidi posse calumniatorem ad evitandam calumniam. 6. Illuminandus non erit Judex judicans ex opinione minus probabili. 7. Nec Parochus copulans Sponsos cum dubio positivo gravi de impedimento dirimente, aut extra necessitatem utens materia dubia Sacramenti. 8. Nec is, qui retinet concubinam, aut aliam proximam occasionem peccandi sibi valde utilem. 9. Dissimulandum foret, ut puella ad evitandam infamiam expellat foetum inanimatum. 10. Nec esset praedicanda veritas Catholica Haereticis materialibus praevisis eam non suscepturis. Ex his multa, quin sexcenta his similia monstra ignorarunt multi *Catholici Doctores*, quia *damnatis pponibus* docuerunt. go ignorare possunt hodie minus *illis* docti poenitentes. go tacendum, dissimulandum, si praevideatur non profutura monitio. Quis haec audiens non abjiciat Librum? non doleat se didicisse Literas? nam si non sunt monendi ignorantes a Confessariis *vivis*, go nec erunt a *mortuis*. go non sunt consulendi, non legendi, sed cremandi Libri. go sedendum in tenebris, et barbarie, ex quibus cum nefandissimorum scelerum ignorantia, si superis placet, Caelum penetrare licebit. Quum ex absurdis invictum apud omnes reputetur argumentum, absurdissima nobis sit contraria sententia, ex qua haec monstra doctrinae seqvuntur.

XXI. Adversarii praeter S Augustinum, cujus verum sensum mox exposuimus, magnificant cap VI *de consangvinitate*: in quo *Objectiones.* opinionem suam Canonizatam esse jactant. II: Ajunt, nos imprudentissime agere revelando veritatem poenitenti non profuturam, quin nocituram. Nam spectata fragilitate humana talis poenitens moraliter certo cadet, et sic jam *formaliter* peccabit. III: Ex revelatione impedimenti dirimentis ante, vel post contractum matrimonium oriri possunt irae, rixae, scandala, infamia. go Confessarius habet justam causam silendi. Verum haec non extorquent a nobis consensum in contrariam opinionem, ut non prohibuerunt Servatorem, ex Ambrosium, ne multis rebellibus praedicarent veritatem. Nec lex cum habent in casu ignorantiae *vincibilis*. At poenitentem coram Confessario constitutum, a quo necessariam instructionem addiscere *Solvuntur.* et *potest*, et *debet*, vincibili ignorantia laborare jam evicimus. Itaque ad 1 ajo: Cit cap VI Pontifex *dispensationem* in 5 gradu consangvinitatis ante *subreptitiam* emendat permittens Conjuges *in matrimonio remanere sublato impedimento*. Ita Barbosa, et Rubrica cap. ex quo quid contra nos extundi possit, sane non video. Ad II: Asserimus, Confessarium prudenter agere, quia habet urgentes rationes revelandae veritatis, nempe ne secus Sacramentum indigno ministret: ut tollat ignorantiam: quae ipsa Legi aeternae contraria est, et tantum *per accidens* non imputatur, si reipsa *invincibilis* est. Quod tamen negamus ex rationibus mox dictis. Si poenitens monitione abutatur ad peccatum, id *suae malitiae* unice adscribat. Nam si evitare peccatum voluerit, Deus oratus aderit, ut saepe diximus ex Tridentini sess VI cap XI et XIII. Ad III ajo 1: Praestat millies mori, quam Sacramentum indigno ministrare, aut indigno in ignorantia *vincibili* suscipere. ut hic ita fore demonstratum dedimus. Et si quid propter haec patiendum sit, sibi dictum putet poenitens illud: *Beati, qui -- patiuntur propter justitiam.* conf cap X a n XXXVIII. ajo II: Multos Leporum instar timere mala, confusiones, quae aut nunquam evenient, aut pruden-

ti Con-

ti Confeſſariorum conſilio impediri feliciter poſſunt. Magna Dei gratia eſt ad Confeſſarium doctum, et expertum accedere, qui in his unice juvare poteſt. Nos in frequentioribus hujusmodi Confeſſariorum tormentis propter juniores Curatos conſilia noſtra promimus ſequentibus:

Praxis agendi cum illo, qui perdidit jus petendi debiti conjugalis.

XXII. Atque ut a levioribus ordiamur, non multum difficultatis patimur cum juvandis illis, qui *jus petendi debiti conjugalis perdiderunt* ob incaeſtum cum Conſortis cognata uſque ad 4 gradum: qui ſic affinitatem contraxerunt cum propria conſorte, ideo *petere* debitum nequeunt: *reddere* tamen tenentur: quia innocenti ſcelus nocentis praejudicare nequit. Scribendum itaque illico *ficto* Oratoris *nomine* (quod et in ſequentibus intellige) ad *Ordinarium* pro reſtituendo dicto Jure. interea *paenitens* monendus, ne debitum petat; reddere tamen petenti innocenti tenetur. parandus pro Confeſſione. Occaſio proxima peccandi, ſi adhuc adſit, auferenda. cap X n XXXVIII. XXXIX. Adveniente diſpenſatione poſt abſolutionem a peccatis addendum: *Inſuper auctoritate mihi in his ſcriptis ab Ordinario conceſſa diſpenſo tecum in affinitate - - gradus* (exprimatur quotus ſit) *quam contraxiſti incaeſtu cum conſangvinei, vel conſangvinea Conſortis tui talis gradus conniſſo, et reſtituo tibi jus ammiſſum petendi debitum conjugale in nomine P et F et SS Amen.* Quibus difficultas expedita tota eſt, nec dicendum quidquam comparti innocenti. nam hinc ad eum nihil attinet, cum ei jus ſuum integrum fuerit.

Cum contrahente matr poſt votum ſimplex caſtitatis.

XXIII. Hoc modo procedendum et in caſu, quum matrimonium quis contrahit poſt emiſſum votum *ſimplex* caſtitatis; aut ſi *hoc* poſt matrimonium emittat. utrobique enim Jus *petendi* debiti, non reddendi ammittit. nam ex ſua parte tenetur obſervare votum quantum poteſt. go *petere* nequit. ſed voto ſuo non praejudicat conſorti: go *reddere* tenetur. Si tamen ambo voverent, neuter poſſet petere *propter* votum, nec *reddere*. Si tamen peterent, vel redderent. mutuo peccarent contra *votum*, non vero fornicatione, vel adulterio: quia matrimoninm ſtat inter eos: et *uſus* tantum eſt *ligatus voto*, donec *hoc* diſpenſando tollatur eadem via, et modo, ut de jure petendi debiti mox diximus.

Cum ſponſa impedimento dirimente Ligata.

XXIV. Major eſt difficultas cum Sponſa (idem eſt de ſponſo ob identitatem rationis. Quod de *ſponſis*, et *conjugibus* ſemper intellige) parata nuptiali ſolennitate ante copulationem confitente actum carnalem cum conſangvineo ſponſi, ex quo *affinis facta ſponſo ſuo* impedimento dirimente arcetur ab ineundo matrimonio *cum eodem* ante diſpenſationem. Hanc monendam, et niſi promittat differre copulationem uſque ad diſpenſationem, abſolvendam non eſſe dicta hic a n XVIII invicte urgent. ſi timeat reſultum ſponſi propter ommiſſam copulationem, animanda eſt *ſpe Divinae providentiae* juxta dicta *Cap X n XXXVIII ad* 2. Ad contemnendum damnum ex paratis expenſis convivii nuptialis, et ſufferendum mundanum pudorem coram Hoſpitibus, et Parentibus ex ommiſſa hac vice copulatione, ſvaviter, at omni cum emphaſi diſponenda eſt exponendo 1: quod cum ſecus abſolvi non poſſit, Judae Proditori ſimile ſacrilegium commiſſura ſit, ſi publice communionem petierit. 2. copulatio nullius effectus futura ſit propter impedimentum dirimens. et ſic 3 Sacrm matrimonii vivorum in peccato non ſuſceptura, *ſed mere ſimulatura* novo ſacrilegio ſit. 4 Actus in matrimonio hoc putatitio non conjugales, ſed plane inceſtuoſi futuri ſint. 5. Diſpenſationem, et convalidationem matrimonii longe difficillimam ſit redditura. Ex adverſo autem dicendo *ſe peſſime valere* (ut reipſa ad

ſa ad mortem ſempiternam aegra eſt in anima ſua) et ſic redeundo domum *propter aegridinem*, copulationem facile, et cum compaſſione ſponſi, et hoſpitum evitare poteſt. Alii huic ſvadent, ut emittat *votum caſtitatis* ad tempus. at ego timeo, ne ſic excitetur major indignatio in ſponſo, Parentibus, et Hospitibus nuptialibus voto hoc ludificatis. Alii volunt ei ſuggeri, ut *privilegio bimeſtri* novorum conjugum *non conſumandi matrimonium* utatur. At ſic facilitabitur ad publice petendum, et ſic ex parte ſua *ſimulandum* Sacramentum matrimonii. Quod nulla cauſſa honeſtari valet. Sic nefas erat olim ad evitandam mortem *ſimulare externe* traditionem Sacrorum vaſorum, aut librorum: vel exhibere exterre honorem idolo, animo licet interne illud deteſtante. ſic nefas eſt hodie *indigno hoſtiam* non conſecratam porrigere, aut Sacerdoti mortalis peccati conſcio miſſae celebationem ommiſſa conſecratione ſimulare: aut Chriſtiano veſtibus, quae *Sacra Turcarum*, vel *paganorum* ſignificant, inter eos ad mortem evitandam indui. Ex quibus patet, Eccleſiam, Jus Divinum, et naturae *circa ſacra omnem ſimulationem* vetare. Atqui haec Mulier *ob impedimentum incapax contrahendi ſimularet* tantum Sacramentum Matrimonii. go id ei nefas eſt ad quodcumque malum temporale evitandum. go eam aliter juvari poſſe non video, quam ut qua *infirma*, comtepmis expenſis nuptialibus, domum redeat (non ſtatim poſt Confeſſionem ne a Confeſſario ſic docta fuiſſe deprehendatur) mox Confeſſarius *ficto nomine* ſcribat pro diſpenſatione: eaque adveniente, audita rurſus Confeſſione diſpenſet cum eadem eodem fere modo, ut *de jure amiſſo* mox dictum loco *conſortis* dicat *ſponſi*: loco *reſtituo* addat *facultatem tribuo, ut non obſtante* tali *affinitatis impedimento, cum ſponſo tuo matrimonium legitimum inire valeas.* et ſic ſubinde Matrimonium validum in facie Eccleſiae celebretur.

Nefas eſt ſimulare Sacramentum.

Quid tali ſvadendum?

Quid ſi contemnat monitionem?

XXV. Quod ſi autem puella nulla ratione ad praemiſſum modum ſequendum perſvaderi poſſit, dimittatur cum dolore velut rebellis lumini, et obdurata corde ſine abſolutione. conf h n VIII. Si tamen effrons dein *publice* petat ſive communionem, ſive Sacrm Matrimonii ſibi miniſtrari, neutrum negari poteſt. Nam ex communi ſententia peccatoribus *occultis publice* petentibus danda ſunt Sacrmta ad infamiam evitandam. Poſtea eadem die quaeſita quoquo modo occaſione, et petita facultate Loquendi ex Confeſſione ſvadebit ei uſum *privilegii bimeſtris* non conſummandi matrimonium. aliunde *nullum* (et hoc ſalubrius poſtquam ante copulationem, ut mox diximus) addita ſpe intra breve tempus obtinendi *diſpenſationem.* Si promittat: conveniat ſvaviter et Sponſum annuente Sponſa, explicetque ei *dictum privilegium*, et ſvadeat, ne grave ducat, quod Sponſa hoc Juris favore uti velit. Si vero Sponſa hoc quoque Conſilium reſpuat, rem Deo commitat. ſcribat tamen mox pro *diſpenſatione* illa volente: eaque obtenta procedat ſicut in ſequenti caſu. ſcilicet

Praxis revalidandi matrimonium nulliter contractum.

XXVI. Maxime arduum eſt ſvaviter redintegrare matrimonium ab initio nulliter contractum. priori ſimilem caſum proponamus: Bertha confitetur, ſe ab ultimo Paſchate cum duobus Fratribus turpiter ſaepius peccaſſe, ſubin majori eorum nupſiſſe, ſed peſſime convivere, quod vir ſuus et nimium carnalis, et vehementer zelotypus ſit. Hanc quoque monendam de nullitate matrimonii, et de non petendo, nec reddendo debito, certum ſtatuo ex dictis h n XVIII, et ſeqq. Nam omnes tenentur ſcire ea, quae ſtatus ſui ſunt, et quae ſingulos vitare oportet. ut toties ex Angelico vidimus. go quam maxime et conjuges. Accedit cap 44 *de ſentent Excommunic* clare pronuncians, uſum matrimonii certo invalidi peccatum eſſe mortale, quod ad

Nefas eſt uti matrimonio certo nullo.

nullum

nullum incommodum, ad nullam confusionem evitandam permittere fas est, quin mori oportet, quam peccare. Hic vero copulam *formale* peccatum fore ex ignorantia Berthae *vincibili*, et facile *superabili*, et reipsa *vincenda*, h a n XVIII demonstratum dedimus. Illustratur ex damnata doctrina, quae *Viro in scripturisticis summo* exciderat, quod Susanna Danielis 13 ad vitandam mortem potuisset se *negative habere pro concupiscentia explenda Senum, intus in animo repugnando.* Atqui evicimus jam ex Angelico, ignorantiam Berthae *viri non sui* aequiparari scientiae, quod id *scire et possit, et debeat.* go illa nequidem negative potest se habere ad vota hujus viri non sui, minus ei positive consentire reddendo debitum.

XXVII. Sed quibus artibus cohibebit misera mulier libidinosum *virum* ab usu matrimonii, quod validum *hic* putat? arduae quaestioni non nisi Spiritus Sanctus ardentibus precibus exoratus pro variis particularibus circumstantiis modum suggerere potest expeditum. Jam nos hic n XXIV pro *Sponsa* infirmitatem cautandam svavimus. Engel in fine Libr 4 refert: Virum Militarem diu abstinuisse a a putatitia Consorte in simili miseria magnis precibus allegante, se per usum conjugalem vere *morbum lethalem* contractutam. id ipsum hic svadeo. Potest etiam Bertha pro varietate status sui vel peregrinationem Sacram suscipere: vel divertere ad Parentes, et co natos: vel ad alia Bona Oeconomiae causa, quantum fieri licet cum minima offensione Viri: utpote cujus animus mox adveniente dispensatione (pro qua illico scribendum jam monuimus) illi maxime necessarius est. Si vim timeat ab impotenti viro, fuga opus est; ordinarie tamen sufficit *de uno cubiculo in aliud*, ut confusio major evitetur. Si tamen hic tuta a vi non esset, ad vicinam honestam matronam divertendum, inde ad cognatos. Si inter haec patiendum ei sit, offerat in satisfactionem peccati sui, quo in hanc miseriam se conjecit. Multum etiam curabit *Virum*, si Bertha antehac honestissime vixit, et *illi* in *aliis* omnibus placere studuit. Credet enim, talem justam causam habere *in hoc* non obtemperandi. Deus arden-ter exoratus, *circumstantiae*, et prudens Confessarius *ex his* opportuniora suggerent.

Modus ante dispensationem evitandi Copulam.

XXVIII. Adveniente dispensatione Confessarius eam audita confessione absolvat, mox dispenset in dicto *impedimento affinitatis, ut eo non obstante cum putatitio viro, CONSENSU matrimoniali RENOVATO, sed ita caute, ne Vir in notitiam impedimenti praecedentis veniat, licite remanere possit.* Sensus hic est dispensationis. In quo rursus singulari instructione opus est, ut mulier jam *impedimento soluta* a viro *novum consensum absolutum conjugalem* obtineat *clam*, et *sine testibus*. In *his* enim Ecclesia ob infamiam evitandam misericorditer dispensat. Non sufficit dicere: *Si non esses mea, vellem te habere.* Nam *conditio* de praeterito *nihil ponit in esse* de praesenti: sive qui *vellet* tantum non *vult actu*, ut tamen hic necessarium est. Ad hoc impetrandum multi multos modos praescribunt. Ego sic procedendum Berthae svadeo:

Modus exequendi dispensationem.

XXIX. Obtenta absolutione, et dispensatione 1: vadat domum ad maritum, eumque commodo tempore secreto acceptum deprecetur de *omnibus hactenus factis*, idque etiam cum lacrimis, et flexis genibus, si necesse viderit, Spondeatque deinceps perfectum *amorem conjugalem*, modo vicissim vir illam condonatis omnibus, quae praecesserunt, recipiat, et *ad resuscitandam gratiam Sacramentalem praestet novum consensum conjugalem, quasi hactenus factum inter eos nihil esset*, seque deinceps ut *novam Uxorem*

Modus obtinendi novum consensum a viro.

verbis.

affectu maritali habeat, et tractet. Si vir ad haec reſpondeat affirmative, ſalva ſunt omnia; quia adeſt *conſenſus* matrimonialis de praeſenti. II. Si vir taceat ad dicta, etiam bene, quia hic *tacens conſentire videtur* eo, quod ſi nollet eam, id exprimeret. go tacendo ſufficienter conſentire ad poſtulatum Berthae cenſetur. III. Quod ſi autem vir reclamet dicens: *Tartarus te habeat, non ego: Vade unde veniſti, nolo te amplius* :non confundatur mulier, ſed perſeveret in domo, et ſaepius repetitis precibus, ac blandiiis conetur ipſum delinire, et perlicere ad conſenſum praeſtandum verbis, vel *facto* (vide Tirinum in cap 3 Ruth) hoc eſt: attendat, et quum viderit eum copulam velle, aut aeſtu libidinis accenſum, dicat ei: *Vis me habere ut Uxorem?* aut: *utique non accedis ad me ut meretricem? et ego obtempero tibi, ut Uxor marito.* Sive *ad haec* affirmet, ſive tacens faciat, quae viri ſunt, ſublata eſt omnis difficultas: quia *ex cap* 15 *de Sponſalibus* Sponſalia de futuro per ſubſecutam copulam tranſeunt in matrimonium in caſu, quo praeſentia Parochi, et Teſtium, ut hic, non eſt neceſſaria. IV. Quodſi autem vir Bertham reducem non patiatur in domo, quin abire jubeat (maneat illa quantum poteſt, et agat, ut III mox diximus) ſed tamen ſi vi expelleretur, reducatur per cognatos, aut per viros Spirituales, perque Parochum graviter monentes virum, ut poenitentem Uxorem Chriſtiano affectu recipiat. Si his vir deliniri diutius nequeat, ad Conſiſtorium citandus erit, ubi is ex illo principio: quod *ſolum adulterium ſit cauſa perpetui divortii*, adſtringetur mulierem hanc aliquamdiu (ut caſus fert in foro externo) immorigeram, ac forte etiam vagam, ſed jam omnia ſalutaria promittentem recipere, et affectu maritali tractare. quae tunc ea agat, quae III diximus, et legale ſuum conjugium (quod ei tanti ſtat) ſatagat fide, thoro immaculato, obedientia erga virum honorare, et aeſtimare.

Vel facto.

Monitum ad Paſtores de inſtruendis ignorantibus.

XXX. Haec de ignorantiſmo. qui, ut vides hic a n X, niſi eradicetur, latiſſime patet, et horrendas corruptelas invehit. Quare animarum Paſtores ſciant, ſe muneri ſuo Sacro Sancto deeſſe, niſi ſingulorum in plebe *Statuum, officiorum, contractuum* quotidianorum, *agendorum*, et *vitandorum in illis* naturam, conditiones, ac obligationes ex ſana, et probata Theologia ad captum expoſuerint identidem. Sane amaris Lacrimis digniſſimum eſt deploratu, quod paſſim conjuges, mercatores, educillatores, ementes, et vendentes, ſervi, ancillae, Filii, Filiaeque, quin paſſim rudiores obligationes ſuas ignorent, ideoque *peccata ſtatus* ſui non confiteantur, niſi Confeſſarius ea divinet. Ut taceam Judices, Conſiliarios, Advocatos, aliosque Litteratos, qui ea ex Libris quoque haurire poſſent. quorum proinde, ut identidem moneam, ignorantia ex dictis craſſe, ac manifeſte vincibilis, et culpabilis eſt.

Praecipue Sponſis. De quibus hi inſtruendi?

XXXI. Praecipue vero retinendum, atque ad totam Dioeceſim extendendum deſiderarem morem Siculiae Sponſos ante copulationem rite inſtruendi. Cuperem vero inſtructionem illorum latius extendi ad neceſſaria *ſcitu neceſſitate medii*, et *praecepti*: mox *naturam Sacramentorum* Lajcis neceſſariorum. Optarem etiam eis exponi *honeſtatem ſponſalium*, *ſanctitatem*, *et finem matrimonii*: *peccata ſponſorum*, *conjugum*: *Impedimenta matrimonii*, potiſſimum *erroris*, *voti*, *cognationis*, *affinitatis*, *criminis*, *vis*, *metus*, *publicae honeſtatis* etc. Solus *metus* tantum hactenus fatigavit Sacra hujus Patriae tribunalia, ut expedire videretur nullam ſponſam matrimonio jungere, niſi quae pridie coram teſtibus *in matriculam inſerendis* juret, ſe *liberrime* nubere. Denique tradi eis debe-

deberent *obligationes* mutuae conjugum, *erga proles* honeſte ſuſcipiendas, Chriſtiane educandas: *erga Famulos*, ancillas, omnes verbo *domeſticos*, ut *horum* vitia, blaſphaemias, ſcurilitates, neglectum Divinorum non tollerent, ignorantiam neceſſariorum erudiant, et ſic *quaſi Epiſcopatum* gerant in domo ſua, rationem Deo de *ſuis* reddituri. Haec vero *inſtructio* facienda foret multum ante copulationem: *cui* mox ſubjungenda eſſet Confeſſio, eaque ſvadenda *generalis* totius vitae: ex qua nimirum pernoſcat Parochus occulta impedimenta forte criminis, affinitatis ex occulta copula cum cognatis ſponſi, vel viciſſim: vis, metus, ſi de hoc ſponſa queratur, eiſque ante copulationem remedium afferret in tempore. Sic evitarentur multae confuſiones ſub tempus copulationis, multa invalida, aut infelicia matrimonia: infinita peccata, et ignorantiae: quae ſcilicet prius probe inſtructi conjuges in ſe, ſuiſque domeſticis impedirent, aut tollerent maximo cum pietatis incremento. Sic *pararemus Domino plebem perfectam.* Sic omnis conditionis homines *ſervirent illi in ſanctitate, et juſtitia.* ſi animarum Paſtores *illuminarent* eos, qui *in tenebris* ignorantiae, et *in umbra mortis* pravorum habituum *ſedent.*

Ad novos Parochos modus parandi PLEBEM PERFECTAM.

XXXII. COROLLARIUM. Quae ut certius aſſequamur, ſvadeo *novis* Parochis (omnes autem *novi* ſunt, qui id hactenus ommiſerunt) ut eo modo inſtruant plebem ſuam, ſicut ipſi inſtructi ſunt in Theologia: Scilicet accipiant ordine Tractatus Theologicos de Fide, Spe, charitate, de Deo, de Incarnatione, Gratia, de Sacramentis, de conſcientia, peccatis, et obligationibus: et ex ſingulis *ea tantum proponant* ad captum, quae *populo ſcienda, facienda*, et *cavenda* ſunt. Quemadmodum praeclarus ille eſt Theologus, qui *dictos Tractatus* probe cognitos habet, ita probe inſtructus eſt populus ille, qui *ex iis ad ſe pertinentia* novit. Haec eſt Theologia SS PP. quibus una erat Theologia ad Clerum, et populum. Sic Parochus magno labore levaretur *quaerendi materiam praedicabilem*, ejuſque argumenta, et probationes. Nam in uno inſigni Theologo omnia haec inveniret: tantum prudentia opus eſt *ea eligendi, quae plebi neceſſaria, utiliave ſunt.* Sic ſenſim *omnia ſibi neceſſaria* audient ſui Parochiani *ordine tractatuum*: dum interim modo ex concionibus ſecundum *ordinem Evangeliorum* faetis multa ſaepius, (*a*) alia forte magis neceſſaria nunquam audiunt. Abſoluto autem *hoc* quaſi *aedificio ſpirituali*, ad Evangeliorum ordinem redeundum eſt, et ex his illud perpoliendum. Vellem enim has inſtructiones pro Concione dici: nam ad Catecheſes puerorum pomeridianas jam comparere non dignantur adulti nobiliores. Nec *in his* omnia dicenda ſunt infantibus, quibus primum *lacte opus eſt*: in Concione adultis *ſolido cibo.* Si quis aſpernaretur ordinem tractatuum quaſi Scholaſticum, is ſequatur ordinem *Catecheſis Romanae*, in qua *ſummam credendorum, et agendorum* contineri jam vidimus. Ob compendium tamen ejus. maxime *de obligationibus diverſorum ſtatuum*, de *peccatis*, de *impedimentis* matrimonii, etc aliunde ſupplenda eſſe, res ipſa loquitur.

CAPUT

(*a*) Audivi Concionatorem bis uno menſe *de obligatione audiendi Verbum De* dicentem. tales dicunt, *ne tacuiſſe videantur.* Alii ad terrorem detonant de *virtutibus*, et *vitiis* in *theſi, generaliter*, et *ſpeculative*; nihil de *praxi* illarum exercendarum, horum vitandorum. Hi *ſe praedicant, ut videantur*, et laudentur. Illi *Jeſum Chriſtum*, quibus *materiam praedicabilem* determinat non *Concio in libro*, aut *ſcripto parata*, ſed *neceſſitas*, aut *utilitas* populi ſui: et qui quod dicunt, mox *modum* oſtendunt, *quo* virtutes exerceri, vitia vitari in praxi debeant. Hi ſoli exemplo Chriſti *veniunt, ut ſui vitam habeant, et abundantius habeant.*

CAPUT DUODECIMUM.

Agitur de temporibus eliciendi actum charitatis: et a paritatibus his ducitur argumentum ad Sacramentum poenitentiae. hic paritates proponuntur ab initio, et fine vitae moralis: dum insigne beneficium accipimus: dum Deum blasphaemari audimus: a justo tentato: et a comunicante. caetera seq cap.

I. Jam nos oportet esse ambidextros. Primum enim assumptas istic paritates (si quae earum dubiae adversariis sunt) in praeclara luce collocabimus: dein ex iisdem evictis in rem Nostram utemur. quibus et charitas Sacramentalis confirmabitur, et via parabitur sensim ad *virtualiter continuam charitatem* constabiliendam. Quae duo objectum principale sunt industriae nostrae ad vitam Christianam rite instituendam susceptae.

Asserimus itaque, ex *variis* illis *temporibus*, ac *circumstantiis* quibus charitatis praeceptum unumquemque Christianum urget, splendida promanare argumenta *Charitatis in Sacramento Poenitentiae necessitatem conficientia.*

Actus charitatis elici debet 1. circa auroram usus rationis. 2o et in usu Sacramenti poenit.

Atque ut a certioribus ordiamur, nemo est, qui hodie in dubium vocet, pueros *circa* ipsam *auroram* (moraliter, non mathematice sumptam) *exorientis usus rationis* Deo suo per actus virtutum Theologicarum se se conjungere debere. Rationem dat Doctor Angelicus 1 2 q 89 a 6 ad 3: *Cum vero usum rationis habere inceperit, primum quod occurrit est, ut homo cogitet de se ipso, ad quem alia ordinet sicut ad finem: finis enim prior est in intentione. Et ideo hoc est tempus, pro quo obligatur ex praecepto affirmativo: convertimini ad me, et ego convertar ad vos vos.* Et in O concludit: *Si vero non ordinet se ad debitum finem secundum quod in illa aetate est capax discretionis, peccat mortaliter, non faciens, quod in se est.* Assumimus haec, et sic ajimus: Haec ratio longe magis urget pro tempore suscipiendi poenitentiae Sacramenti. Nam si puer *justus* adhuc, et gratiam habitualem in Baptismo adeptam retinens, sub primo diluculo usus rationis ideo *tenetur* ad actus Fidei, spei, et *charitatis*, ut *ordinet se ad finem debitum*, ad quem creatus est, ad *amandum* nempe *Deum, Eoque aeternum fruendum*; ne item a fine hoc suo *per peccata deinceps committenda* aberret: longe sane fortius obligabitur ad eosdem virtutum Theologicarum actus posteaquam a fine suo *per peccatum reipsa desivit*, ac per Sacrm poen ad eundem finem suum redire satagit. Nemo enim fortasse dicet, *innocenti* puero, *qui* in debito *fine suo per baptismum obtento* habitualiter manet, magis necessariam esse *charitatem* Dei *actualem* post adeptum usum rationis, quam *poenitenti* a *Fine hoc suo* personalibus peccatis turpiter deficienti, atque ad eundem reverti cogitanti. (*a*) Alii obligationem hanc puerorum

(*a*) Quod hic reponere solent attritionistae videlicet: ammissam peccato justitiam sine actuali charitate ope Sacramenti poenitentiae cum attritione suscepti recuperari posse, non disparitatem, sed putidam *principii petitionem* esse id, quod in quaestione est respondendo, jam in superioribus evicimus. Confer cap V n XXVII. XXVIII. Cap X n IV.

rorum inde repetunt, ut perſonaliter praeſtent, rataque habeant *pacta baptiſmalia*, quae pro eis Patrini in Baptiſmo ſpoponderunt, ſe ſcilicet *abrenunciare diabolo, pompiſque ejus, et adhaerere Chriſto* per charitatem, et ſeriam mandatorum ejus obſervantiam. At nos n XVI cap X evicimus, poenitentibus *violata* per peccatum *foedera baptiſmalia eodem, quo inita ſunt, modo innovanda* eſſe.

II. Concedunt II hodie omnes, hominem, dum in extremo *vitae rationalis* articulo poſitus eſt, aut ejus *periculum* adit, in Deum ſuum ſincera dilectione exardeſcere debere. Fatemur id toto corde: ſed rationes aſſerti noſtras facimus. Ideo id dicunt 1: quia circa exitum vitae graviores inſurgunt tentationes, quibus meliori, quo poſſumus, et debemus modo ſuperandis ſola *virtutum regina charitas* par eſt. At ſimiles tentationes et alias ſaepe, ac potiſſimum tempore ſuſcipiendi ſacramenti reconciliationis peccatorem affligunt. Diabolus enim *excaecat* ut *pecces*: aperit oculos mentis poſt peccatum ut *deſperes: ingerit* taedium, ut *differas: auget verecundiam*, ut aliqua *fileas: infflammat amorem* male amatarum creaturarum, ut *deſerere impoſſibile ducas: Inſpirat horrorem* vitae ſanctioris, ut frigide *emendationem proponas*. Hos omnes diaboli laqueos, et vincula ſola *charitas* diſrumpere par eſt. Ajunt II: In mortis periculo tenetur homo *tutiora amplecti praeſidia*, quibus *ſalutem* ſuam *certam* reddat. Nihil autem *tutius* reperies ſincera Dei charitate. Verum *ſalutis* ſuae *ſtudioſus omnem* poenitentiam *ut ultimam agit*. Et merito. Nam quis? q ale Evangelium? qui Patres? quae ratio ſana *aliam pro vita, aliam pro morte fingit Theologiam? poenitentiaeque agendae viam*? quis te ſecurum reddidit de poenitentia *per vitam cum timore gehennae acta*? an attritionis ſervilis ſpeculativi defenſores *vades ſe* pro te coram Divino tribunali praeſtiterunt? et ſi praeſtitiſſent reipſa, ante te *certis peccatis* onuſtum, *dubie* cum meticuloſo Sacramento *ſolutum*, quin et Sacramenti dignitatem *probabili nullitatis*, et *irreverentiae* periculo exponentem, quia in Sacrmto *probali* duntaxat opinione utentem evincere coram Deo, *qui veritas eſt*, *non probabilitas*, *ili* poterunt? incertiſſima haec ſunt: illud Auguſtini *pro morte, et vita* certiſſimum: *Poenitentiam certam non facit, niſi odium peccati, et amor Dei*. Ergo docente aeterna veritate *teneamus certum, dimittamus incertum*. Ajunt III: in periculo mortis convenientiſſimum eſſe, ut homo *ultimo fini ſuo* arctius *per charitatem ſe adſtringat*, et ordiatur jam in vita beatitudinem ſuam *in amore Dei ſitam* aeternum in coedo continuandam: cum et juxta Philoſophorum axioma *in fine motus ſit velociſſimus:* Avellendus denique tunc maxime *animus* a creaturis mox corpore quoque relinquendis, et ad primam ſuam *orgirem*, unde per *creationem deſcendit*, ac jam *moriendo redit*, toto conatu *dirigendus*. Sancte. Verum teſte Apoſtolo *ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus*. Ideo praedicta omnia morientis Chriſtiani hominis officia *in vita* quoque *affectu* ſaltem, et *in praeparatione animi* ſaepius, potiſſimum vero *in uſu huius Sacramenti ſunt exercenda, alias non ſuccedent in morte* tentanda. In vanum currit, qui ad *bravium obtinendum fractis jam viribus currere incipit*. Teſte Hieronimo *indignus eſt nomine Chriſtiani, qui in eo ſtatu non vult vivere, in quo vellet mori*. Sed longe indigniſſimus is eſt, qui aliter *in vita per poenitentiam*, aliter *in morte* Deo vult adſtringi.

2. *In articulo mortis. go etiam in uſu poenit.*

III. Aſſerunt III: Toties nobis *Deum diligendum* eſſe, quoties *inſigne aliquod accipimus beneficium*, exemplo Davidis tot Pſalmos igniculis Divini amoris plenos in gratiarum actionem acceptorum beneficiorum canentis. Ex hoc vero ita in rem noſtram arguimus:

3. *Dum inſigne a Deo accipimus beneficium. remiſſio peccatorum eſt beneficiorum omnium*

maximum. go tunc maxime eſt neceſſarius amor Dei. Deut. v. 1.

atqui inter ſpecialiſſima Dei in nos beneficia illud longe maximum, ſplendidiſſimumque eſt, quod nos peccatores poſt patratum peccatum non abjecerit, (ut multos propter unum) ſed ad poenitentiam digne agendam et expectarit, et vocarit. *Audite coeli, quae loquor, audiat terra verba oris mei!* Major eſt, et immenſum major eſt mihi *peccanti*, et *non dum damnato* haec gratia, *quam ſi* me poſt primum peccatum jam ante multos annos juſte *damnatum* hodie miſericordia Dei *ex inferno ad poenitentiam agendam revocaret.* Quis hoc neget? niſi qui ignorat, majus eſſe beneficium *poenam infligendam*, quam *eam* jam *infflictam*, ac diu *tolleratam* miſericorditer *condonare.* Ergo omnis noſtra poenitentia in gratiarum amaroſiſſima actione et incipere, et deſinere merito debet. *Incipere*: ut a puero docti ſumus, verum dolorem quinque punctis conſtare: *Sis gratus, pete lumen, diſcute mentem, Dole, propone.* Dicamus ergo in Spiritu humilitatis: *miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti. Niſi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea.* Ergo *miſericordias Domini in aeternum cantabo.* Ut omnis *gratiarum actio eſt novae gratiae impetratio*; ita hujuſmodi *gratiarum* Deo *actio confeſſioni praemiſſa gratiam charitatis* ad digne agendam poenitentiam; abſolutionem vero *ſubſequens* gratiam *perſeverandi* in bono haud dubie inpetrabit.

Trenor. 2 v 22.

Pſ 93 v 17. Pſ 88.

4. Dum Deum injuria affici videmus. go et poſtquam nos eum offendimus. Pſ 68. v 10.

IV. Agnoſcunt IV plerique, Deum tenerrimo amoris affectu honorandum eſſe, *dum eum blaſphaemiis impeti*, aut alio gravi *ſcelere offendi videmus.* Id enim exigit *zelus* honoris Divini: qui *amoris* ejus *effectus* eſt, quo juſte accendimur contra inimicos Domini, juxta illud: *Zelus domus tuae comedit me, et improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.* Et ſine *peccatum*, *quod quis impedire, aut vindicare, quum poteſt, non vult, facit*; ut vel initiantes noſſe debent ex illis verſiculis: *Conſenſus, mutus, non obſtans.* etc. conf cap IX XI. Cujus autem *correctio non profutura* videbitur, is ſaltem *intimo* concepto *dolore* propter Deum ſuum offenſum, et *amoris* actu ademptam divinam gloriam reparare ſtudeat oportet. Ita nec amicus amici injuriam aequo animo ſuſtinere poteſt. Ex his vero *a majoritate paritatis* inferimus: poenitentem pro injuria *ſuiſmet peccatis* Deo illata *initialem* ſaltem *cum Sacramento charitatem reddere oportere.* Neque enim illam ſolidam vel cogitare licet diſparitatem, cur audiens ab alio *injuriari Deum* amare Eum obſtrictus ſim, et non a fortiori amare Deum debeam, dum per Sacramentum *offenſum a memetipſo Deum meum placare* ſtudeo? Fruſtra confugitur ſive ad *honeſtatem timoris*, ſive *ad efficaciam* Sacramenti. etc. Nam montes hos, ac ſimiles nos jam ſuperavimus in praemiſſis. Regredi rurſum ad eos taedet ad metam noſtram properantes. Ad quam tamen nobis grandis adhuc reſtat via. conf not hic n I.

5 Tenentur juſti Deum diligere: tanto magis poenitentes.

Juſti ut tentationes vincant.

V. Conſideremus jam V *juſtum* in adepta ſua juſtitia perſeverare deſiderantem. Huic frequens *charitatis actualis* exercitium multa urgent. I enim *charitas habitualis* in anima juſti *perpetua carnalium cupiditatum pugna infeſtatur*: amor proprius, caro, et ſanguis diu, noctuque inſidias ſtruit, ut illam arce ſua depellat: ſpectra immittit, praeſtigia depingit, imagines foedas effingit, libidinem accendit. *Bellum continuum eſt*, et *lucta non interrupta.* In quo conflictu *extenuatur*, et deferveſcit, ſenſimque *extinguitur* coeleſtis ille *amoris* calor, niſi identidem novo amore adjuvetur, foveatur, et reſuſcitetur. Comparare non immerito poſſumus *ignem Divini amoris*, qui in hoc naturae noſtrae vitiatae ſtatu in anima juſti ardet, calori *aquae fervenier calefactae.* Haec quantumvis *ardens ſit*, niſi tamen identidem *igne ſupposito conſervetur*, ob continuum *frigoris cum igne conflictum in Nativam*

aquae

aquae *frigiditatem* ſenſim *redit*. Eadem cum proportione, et ratione *calor amoris Divini* in anima juſti *ardens* paulatim *refrigeſcet*, vireſque ſuas *ob continuam pugnam* cum impuriſſimo concupiſcentiae igne ammittet, niſi identidem opportunis auxiliis reficiatur, ac frequenti *amoris* Divini flatu inflammetur. Haec doctrina *ad pedes Jeſu Chriſti*, et coram *Divino tribunli*, quin et coram hominibus, ſi fateri velint, vera eſt, quotidianaque experientia confirmatur. Ergo *ut juſti vitam vivant Divinam*, non *ſemel in anno*, ſed ſaepius plane *amoris* Divini *actus eliciant eſt neceſſe*. Secus paulatim ex calidis *tepidi*, mox *frigidi*, tandem *peccatores evadent*. Inter tot tempeſtatum fluctus, adverſus tot concupiſcentiae ſtimulos, ac impetus victores non diu erunt, niſi frequens ſit, et aeſtuans Divinus amor. (*a*) Ad primum, vel alterum hoſtis aſpectum, ad unum blandientis mulierculae conſpectum miſerandum corruent, niſi aſſiduae *coram Deo ambulaverint*, amoremque in ſe Divinum continuo ſufflaminaverint, novoque igne concepto aluerint. Cum potiſſimum *carne* aſſidue *tumultuante* nec *diabolus dormitet*, quin in eos maxime, qui a mancipatu ſuo in Libertatem filiorum Dei recens aſſerti ſunt, miſerandum ſaeviat; perpetuis interea mancipiis ſuis, *quia aliunde ſuis*, in *pace vitiorum* etſi eis longe *amariſſima* relictis. Nam ut Evangelio inſtruimur Lucae, XI, *cum* hic *fortis armatus cuſtodit* poſſidendo *atrium* peccatoris, *in pace ſunt ea*, et illi, *quae*, et quos *poſſidet*. *Si autem fortior eo* juſtitia habitualis *ſuperveniens vicerit eum*, mox *valit, et aſſumit ſeptem alios Spiritus ſecum nequiores ſe, et ingreſſi habitant ibi, et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*. Quam *arcte* ergo nos Deo per ferventiſſimos amoris actus conjungi, quam *alte* in charitate *radicari*, et *fundari* oportet Gentium Doctoris monitu ad Ephes 3. Ut infernalis hujus cerberi furorem et inſultus ſuperare valeamus! haec unica eſt *anchora in tempeſtate* tentationis fides per dilectionem operativa, monente Principe Apoſtolorum: *Fratres ſobrii eſtote, et vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens, quem devoret. cui reſiſtite fortes in fide*. Id ipſum *inculcat Salvator* in perſona diſcipulorum *omnibus juſtis*: *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem*. Quibus ex omnium Doctorum mente inſtruimur, *tentationis tempore ad Deum confugiendum eſſe per orationem ſummi Dei amore*, et *charitate* flagranti *ardentem*. O quot hodie juſti in coelo fulgerent, ſi *tentationes Deum diligente humili oratione devicíſſent!* quot ex adverſo miſerandum defleverunt, quin et aeternum in inferno deflebunt *ſub tentatione finceri ad Deum recurſus* neglectum! prima ergo neceſſitas, quae juſtum *ad frequentem Dei amorem* impellit, eſt victoria in tentationibus ardente charitate. Recte dixit, qui dixit, *in tentationem vadit, qui ad orationem non vadit*. (*b*)

Pugna juſtorum cum tentationibus.

Arma charitate aata oratio.

1 Pet. 5. v 8.

Math. 26. v. 41.

VI. Aliud, quod *Juſtum ad amandum Deum aſſidue exſtimulare debet* eſt, ut *obſervare poſſit, quin opere ipſo reipſa obſervet mandata Dei*. Scriptum eſt: *Qui diligit me, mandata mea ſervabit*. Quin ut non ſolum *poſitive*, ſed quemadmodum Scholae ajunt, *excluſive* loqui intelligatur, addit Incarnata Sapientia Joan 14: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat*. Impurus Lutherus praecepta Dei *impoſſibilia* ſervatu dixit: imo multi hodie ex Catholicis illa *difficilia*, quin ipſam *legem*

Ut mandata obſervent.

Joan 14. v 23.

(*a*) Quanta ſit inclinatio naturae peccato originali vitiatae etiam *juſtorum* ad malum, et quam periculoſum, continuumque bellum *gratiae cum concupiſcentia*, vide Cath Roman p 4 cap 12. Signanter n 3 4 6 7 8 9 10 11 18.

(*b*) Recole Catechism Roman part 4 cap 15 per totum.

Mandata Dei in se gravia.

gem continuae virtualis charitatis onus Ethna gravius esse queruntur. Non mirum, quia *charitatem* non habent, *qua omnia praecepta dulcescunt.* Nemo, qui corruptam per peccatum innocentiae integritatem circumfert, negare potest, mentis, et corporis illabatam castitatem servare, abnegare semetipsum, Carnem crucifigere cum vitiis, et concupiscentiis suis, a primo usu rationis bellum cum mundo, carne, et diabolo longe periculosissimum genere, mori potius, quam vinci, rem esse arduam, longeque gravissimam. Et tamen aeterna veritas clamat omnibus nobis: *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Nempe *omnia* Divinae legis *mandata carni*, et *sanguini infesta*, inimica, et onerosa sunt. *Adde charitatem, da Dei amantem, et omnia subito dulcescent amantibus.* Ut vidimus cap V n XL. sed cum in his consistat compendium Evangelii, dignum est, eandem doctrinam iterum confirmare ex magistro Charitatis Augustino, qui ita differit serm 06: *Durum videtur, et grave, quod Dominus imperavit, ut si quis eum vult sequi, abneget seipsum: Sed nec est durum, nec est grave, quod ille imperat. qui adjuvat, ut fiat, quod imperat; nam et id verum est, quod dicitur in Psalmo 16: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Et illud verum est quod dicitur* Math II v 30: *Jugum meum suave est. et onus meum leve.* *QUIDQUID enim* DURUM EST IN PRAECEPTIS, UT SIT LENE, CHARITAS FACIT. *Novimus, quanta ipse amor faciat: quanta homines perpessi sunt, quanta indigna, et intollerabilia pertulerunt, ut pervenirent ad id, quod amaverunt.* Et Libr de nat. et gratia contra Pelagianos c 69: *Valde bona sunt,* ait, *praecepta, si legitime utamur. Eo quippe ipso, quo firmissime creditur, Deum justum, et bonum* IMPOSSIBILIA NON POSSE PRAECIPERE, *hinc admonemur, et* IN FACILIBUS QUID AGAMUS, *et in* DIFFICILIBUS QUID PETAMUS. En iterum fontem Tridni sess V! cap XI. conf cap IX n XLI. OMNIA *quippe fiunt* FACILIA CHARITATI: CUI UNI CHRISTI SARCINA LEVIS EST: *aut ea una est sarcina ipsa, quae levis est secundum hoc, quod dictum est* 2 *Joan* 5 *v* 3: *et praecepta ejus gravia non sunt. Et dicitur Deuteronomii* 30: *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo. Conversus ergo quisque, sicut ibi praecipitur, ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, et ex tota anima sua mandatum Dei non habebit grave. Quomodo est enim grave, cum sit dilectionis mandatum? aut enim quisque non diligit, et ideo grave est: aut diligit, et grave esse non potest. Diligit autem, si quod ibi admonetur, conversus fuerit ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, et ex tota anima sua. Plenitudo legis charitas. Secundum hoc et illud dictum est: si ambulassent semitas bonas, invenissent utique semitas justitiae leves. Quomodo ergo dicitur: propter verba labiorum tuorum ego Custodivi vias duras? ps* 16: *nisi quia utrumque verum est:* DURAE SUNT TIMORI, LEVES AMORI. In eodem argumento disertissimus est idem Augustinus serm 9 de verb Domini: cujus ibidem argumenta hic in pugnum colligo: sicut moraliter fieri nequit, ut *mercator* navigationis pericula, *miles* belli pressuras, et vulnera, *venator* incommoda venationis *perferat, nisi vehementi flagret ardore id assequendi, quod sibi in finem praestituerunt;* Eadem ratione difficile, quin *moraliter* impossibile *est, ut Christiani multo tempore omnia praecepta fervent, nisi frequenter in fervidos amoris erga Deum actus erumpant.* Hanc summam *difficultatem*, moralemque *impossibilitatem* vi gravissimi praecepti *tollere adstringuntur: sola* autem *charitas* actualis *eam*, omniaque observandorum praeceptorum *impedimenta auferre valet.* Ergo ad *frequendandos charitatis actus vi gravissimi praecepti Divini adstringuntur* omnes Christiani. En aliquot verba S Doctoris: *In his omnibus* (in praemissis exemplis) QUI NON AMANT GRAVIA PATIUNTUR. QUI VERO AMANT, *eadem quidem, sed* NON GRAVIA PATIUN-

Charitate dulcescunt.

TUR.

TUR. OMNIA *enim ſaeva, et immania prorſus* FACILIA, *et prope* NULLA EFFICIT AMOR. - - - *Ecce unle illal jugum ſuave eſt, et ſarcina levis!* *ANGUSTA EST PAUCIS ELIGENTIBUS, FACILIS TAMEN OMNIBUS DILIGENTIBUS. Quae dura ſunt laborantibas, uslem ipſis MITESCUNT AMANTIBUS.* Quemadmodum *ſiquis praepoſtera miſeratione aquilam in aeſtate deplumaret, ne plumis ſuis illa gravetur*, eandem *ad volandum inermem redderet*, terraeque affigeret, ita (quae etiam Auguſtini eſt paritas) *ſi amore Dei nos deplumemus*, tanquam *inermes* terrae filii, ad *caeleſtia attolli* defectu *alarum charitatis non poterimus.* Fateamur itaque ex fidei articulo ad ſervanda Dei praecepta *neceſſariam* eſſe gratiam actualem, aliaſque virtutes plane *utiles*: at ex mente *Patrum* charitatem Dei actualem *neceſſariam.* Et haec nulli *volenti* deeſt: Nam teſte Apoſtolo: *Finis legis charitas:* et Angelico h n l *finis prior eſt in intentione:* ideo cum *gratia ad actum ſalutarem* ſimul datur gratia *eundem ad charitatem referendi.*

Fons morum corruptorum defectus charitatis.

Atque haec ipſa vera ratio eſt, cur *Chriſtiani* hodierni *praecepta* Dei paſſim *violent*, contemnant, onuſque ducant humeris ſuis gravius! quia *per integros menſes, et annos nullum eliciunt Divini amoris actum*: quia *nullo placendi Deo deſiderio flagrant, nulla* in eorum cordibus *ardet ſcintilla charitatis.* Ideo mentes eorum torpeſcunt, animus friget, ideo praeceptorum obſervandorum difficultates, laboreſque horreſcunt, negligunt, contemnunt. *Alle alas, volabunt.* Dei quippe dilectio flagranti unguento linit, et lenit aliorum praeceptorum ſeveritatem, mitigat rigorem, ad illorum obſervationem viam parat, animos addit, vires confert, et fortitudinem, ut aquilae alae ſuae, in ſublime virtutum evolandi.

Tenentur amare juſti ne corruant.

VII. Hac vero paritate in ſcopum noſtrum ſic utimur: Ut conſtat ex n V, *Tentationes* ſine *actu charitatis vinci nequeunt.* Ergo nec *peccata jam commiſſa* etiam ope Sacramenti poenitentiae, ſive quod idem eſt: per *tentationes illabentes peccati affectus repelli* nequeunt, niſi actu frequenti charitatis. ergo tanto a fortiori *illapſi jam in animum*, atque *inhaerentes* commiſſi peccati *affectus expelli poſitive* ſine charitate non poſſunt. conf c V n IX. XII. Nam *reatum* peccati *Sacramento expellendum* nos ipſi relinquimus: ſi tamen prius *affectum depellat initialis charitas.* Rurſum ex n VI *mandatorum Dei obſervatio* ipſis *juſtis ſine* aſſiduo *charitatis exercitio gravis, dura*, duriſſima, quin *moraliter impoſſibilis*, ſive ſpectata humana fragilitate *impracticabilis eſt: accedente* vero *igniculo charitatis* actualis eadem *obſervantia mandatorum ſuavis, levis, dulcis*, ac *jucunda eſt.* Atqui *inter Divina mandata* carni, amorique proprio facile *duriſſima* apparet *poenitentiae Sacramenti* ſuis temporibus *digna frequentatio.* Quod non *heterodoxi* tantum *verbo*, ſed et *Catholicorum* multi *facto* clamant; dum *ad eam* vix per annum ſemel magna cum difficultate ſe ſe reſolvunt. Ergo qui a Sacramento poenitentiae omnem charitatem excludunt, *jugum* hoc *immenſum aggravant*, prorſuſque *importabile reddunt*, atque utinam! quantum in ſe eſt, non penitus e medio tollant! Ex adverſo autem qui *oneri huic alas addunt initialis* ſaltem *charitatis*, illud *leve, facile*, dulce, jucundum, *longeque fructuoſius, ac frequentius efficiunt.* Ut enim ex amoris magiſtro Auguſtino didicimus: *omnia ſaeva, et immania prorſus facilia efficit amor. Dura laborantibus, miteſcunt amantibus.* Quamquam ut haec ſint certiſſima, non *argumentis* opus eſt, ſed *oculis.* Videmus enim paſſim eos, qui ſalutis, ac Dei amore flagrant, ad hoc Sacramentum frequentiſſime, ardentique cum charitate accedere. Eos vero, qui hoc ſpiritu non *ſuper omnia* aguntur, ad Sacrum tribunal velut ad carnificinam conſcientiae *ſterili timore praedominante* e vultu eorum promicante circa Paſcha invitos quaſi a dura neceſſitate trahi. *Dura timori, levia amori. Adde alas* charitatis, volabunt.

eo et qui corruentes reſurgere volunt.

Sacrm poen durum ſine charitate,

Facile cum eadem.

6. Charitas actualis neceſſaria ad ſumendam Euchariſtiam: go et ad poenitent Sacramentum.

VIII. Sed ut jam paulo majora canamus, ſextam paritatem ita efformo: ad *Sacramentum Euchariſtiae* cum fructu ſuſcipiendum etiam *in juſto* neceſſaria eſt *actualis charitas.* ergo tanto magis ad Sacramentum poenitentiae in peccatore. Conſequentia haec indubia eſt, nam univerſim omnia tam in naturalibus, quam ſupernaturalibus longe facilius jam *nata*, vel producta *crejcunt*, quam *primo producantur.* go et ad gratiam ſanctificantem *primo cauſſandam* longe plus requiritur, quam ad *augendam.* Illud per Sacrmtm poen: hoc ht fructuoſa Divini epuli ſumptione. deinde apud omnes eſt exploratum, *diſpoſitionem ejusdem eſſe debere rationis cum forma, ad quam illa diſponit.* Sic ignis igne producitur, incendium ſcintillâ excitatur. go nec charitas *habitualis* per Sacrmtm poenit ſine *initiali charitate praeparatoria* cauſſari poteſt. Conf cap II n XII. cap IX a n XL. Verum ſentio mihi in demonſtranda ipſa paritate (quae ad promovendam in cordibus fidelium pietatem erga Numen Euchariſticum plurimum profutura eſt) elaborandum eſſe contra quosdam recentiores, qui ad augmentum gratiae ſanctificantis in ſumente Divinum panem ſolum *ſtatum habitualis juſtitiae* requirunt, docentque: defectum *actualis devotionis*, et *charitatis*, quin et *affectum peccati venialis* non retractati impedire tantum *fervorem charitatis*, *ſvavitatem*, ac *dulcedinem* ſpiritualem *refectionis actualis ſimilem* fere *voluptati*, *quam percipit guſtus in manducatione cibi exquiſiti.* Tyrnavienſis *de Sacramentis in genere* n 512 poſteaquam ad fructuoſe ſuſcipiendam Euchariſticam requiſiviſſet *Baptiſmum*, *ſtatum gratiae Sanctificans*, *vel ſaltem judicium prudens de immunitate a peccato mortali* (de hoc puncto recole not ad cap IX n XLV) *intentionem ſaltem habitualem in adultis*, *jejunium naturale*, *puritatem corporis*, *ſive caſtitatem*, *modeſtiam exteriorem*, *devotionem internam conſiſtentem potiſſimum in immunitate ab affectu ad peccata venialia*, *et actibus fidei*, *Spei*, *charitatis*, *abjectionis*, *ſui*, *et religionis*, addit: *quamvis enim ETIAM HIS SECLUSIS Euchariſtia ſanctificantem gratiam cauſſet MODO MUNDA a peccato gravi CONSCIENTIA SUSCIPIATUR; quo tamen plus devotionis quis attulerit, eo plus fructus ex ea percipiet.* Rationem dat in tr de poen n 116: *quia Sacramenta vivorum habent vim DE SE ſufficientem ad cauſſandum gratiae augmentum: et per* OMISSIONEM CHARITATIS ACTUALIS NON PONITUR A JUSTO OBEX GRATIAE. Quod nos jam attigimus cap II n XXX. clarius cap X n IV. Hic reſpectu Euchariſtiae negamus poſtremam propoſitionem, cui priores inaedificantur: aſſerimuſque, Sacramenta quidem *ex ſe* habere vim cauſſandae gratiae; at vim hanc *operis operati* in actu ſecundo non producere niſi *poſitis neceſſariis diſpoſitionibus.* Quas inter eſt *charitas actualis.* Quae ſententia propriis ipſiuſmet Tyrnavienſis verbis demonſtratur tr dc Sacramentis in genere n 513 docentis: *Primarius Euchariſtiae effectus eſt gratia ſanctificans* aucta PER MODUM NUTRITIONIS, *ſeu ut importans jus ad auxilia ſpecialia excitantia hominem* AD DEUM ARDENTER DILIGENDUM: *quia per* CHARITATIS FERVOREM *anima Deo* ARCTIUS *conjungitur, atque ita ſpiritualiter proficit, et nutritur.* Sancte haec. ex quibus diſcimus, Euchariſtiam accendere *charitatis fervorem. Hac* vero *arctius* nos *uniri Deo*, et per *eandem arctiorem unionem* fieri *augmentum gratiae ſanctificantis.* Haec eſt ſententia Angelici cap X ad n LXVIII notata: Euchariſtia *ex vi Sacramenti directe habet effectum ad ſpiritualiter nutriendum per* UNIONEM *ad Chriſtum.* HAEC UNITAS FIT PER CHARITATEM, *ex* CUJUS FERVORE *conſequitur* aliquis dictos effectus Sacramenti. Ex quibus ſic everto opinationem Tyrnavienſis: Eo ex Angelico docente augmentum

Recentium opinio de ſufficientia charitatis habitualis ad dign. Comunionem.

Tyrnavienſis

Propriis armis refellitur.

gratiae

gratiae ſanctificantis in ſumente Divinum epulum fit ope FERVORIS CHARITATIS cauſſantis *arctiorem* UNIONEM cum Chriſto. Ergo qui ad hanc coeleſtem menſam *antecedenter ut proximam praeparationem* non adferunt *charitatem actualem*, nullo modo percipere poſſunt dictum *augmentum charitatis*. Cujus palmaris ratio eſt, quia ubi non praecedit *ſcintilla*, non eſt quid excitet *flammam*, ſive *fervorem charitatis*: ideo tunc Sacratm manet *ſterile* effectu *arctionis unionis cum Deo*, et *impeditum* defectu praeviae charitatis actualis *cooperantis*, *ad fervorem* et *amplectentis* dictam *unionem*. go invictiſſime evidens eſt, quod ubi non praecedit *praeparatio charitatis actualis*, non ſequitur *augmentum charitatis habitualis*. Conf cap II n XVI. XVIII. XIX.

Noſtrae ſententiae Patroni.

IX. Haec eſt ſententia unice in praxi teñenda. Nam ipſe Turnelius q 7 de effect Sacram Euch Conclus 3 nobiſcum *ſentire* aſſerit *pleroſque Auctores graviſſimos*: (quod ſolum ſufficeret piae huic veritati.) citatque S Thomam in 4 Diſt 12 q 2 a 1. Durandum in eandem Diſt q 1 a 2. Cajetanum art 1 q 79 aſſerentem: *Oppoſitam ſententiam demulcere quidem aures multitudinis innumerabilium Sacerdotum*, SED NON ESSE VERAM. Et plures *alios* a Svarez relatos: Probatque rationibus ſequentibus: Quia vix credibile eſt augmentum gratiae illis conferri, qui *indigne* recipiunt Euchariſtiam. Atqui *indigne* recipiunt, qui *indevote*. Ita S Bonaventura de praeparat ad Miſſ c 5. Deinde quia non viderentur retrahendi a communione, qui indevote accederent ad Sacram Menſam, ſi revera augmentum gratiae, et charitatis in eo ſtatu conferatur: neque enim tanto beneficio eſſent privandi. Atqui tamen SS Patres non eos ſolum retrahunt, qui ſunt in peccato mortali; ſed etiam *indevote* accedentes. Ita inter alios S Chriſoſtomus Homil 19 in cap 10 ad Haebr. Ad haec ut ratiocinatur Cajetanus, ſicut amor Dei non eſt otioſus, ita nec amoris Dei incrementum. Atqui tamen plures Sacerdotes quotidie celebrant, et quidem abſque peccato mortali; in quibus tamen teſte experientia nullum apparet talis augmenti veſtigium: nec enim meliores evadunt, ſed ſemper aeque tepidi remanent. Hactenus Tournelius. Qui tamen has rationes *non multum urgere*, ideoque contrariam *veroſimiliorem* ſibi videri ait. Qui ne poſt ſe trahat laicos aeque, ac Sacerdotes cum maximo detrimento devotionis, et amoris actualis Auguſtiſſimo Sacramento ſummo jure debiti, nos illam probamus rationibus a R P Bonifacio Schneidenbach Diſſ 8 c 4 de virtut § 1 quoad ſenſum mutuatis, additis etiam, quae nobis opportuna viſa ſunt.

Turnelius ſuas rationes

Non multum aeſtimat.

Charitatis actualis neceſſitas probatur ex ſcriptura.

X. Probatur itaque I ex ſcriptura ſacra infinitudinem amoris Dei Euchariſtici nobis ita proponente, ut *amor* quoque *a nobis reciprocus* neceſſarius invicte ſequatur. Dilectus Chriſti Apoſtolus Joan 13 v 1 inſtitutioni Venerabilis hujus Sacramenti praemittit: *cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Hoc eſt: *abſque fine*, *modo*, et *menſura*, *infinite dilexit eos.* Ubi conſiſtit haec dilectio Chriſti infinita? in *communione*, *et unione ſui nobiſcum* per *mutuam unionem*. docet hoc Joan 6 v 56: *Caro mea vere eſt cibus, et ſangvis meus vere eſt potus.* go in hoc Sacramento *Idem corpus*, *quod de Virgine ſumptum eſt*, *idem ſangvis*, qui *in cruce pro nobis effuſus eſt*, cibus, ac potus noſter, et alimentum animae noſtrae eſt. Fides docet hanc veritatem. Atqui inter omnes alias *communicationes*, et *uniones* maxima eſt, quae fit *per cibum*, et *potum*. Nequit vero aliquid in alimoniam noſtram converti, niſi ex noſtra quoque parte CALOR VITALIS in *alimentum agat*. Nec *unio duorum*

Joan 13.

Joan 6 v 56.

con-

concipi poteſt, niſi *ex duorum mutuo amore reciproco.* Secus non erit unio *moralis*, ſed *phiſica* tantum, et *materialis expers amoris.* Haec certa ſunt, atque explorata omnibus. Ergo ut Chriſtus in Sacramento ad nos veniens infinitum ſuum *in nos amorem* exerat, ut nobis ſe per amorem ſuum infinitum *communicet*, et *uniat*, et ſic *gratiam* Sanctificantem *in*
Joan 6 v 57. *nobis augeat*, noſtra charitas, et amor reciprocus, ac mutuus accedat oportet. Secus *unio phiſica*, et materialis tantum, conſequenter *infructuoſa* erit. Ad haec amorem hunc noſtrum Chriſto ad nos venienti debitum amplius docet idem Joannes ibidem v 57: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum ſangvinem, in me manet, et ego in illo.* Senſus eſt obvius: qui *digne* vult me manducare, debet *in me manere*, ſunt *ego illo.* Atqui Chriſtus *manet in nobis* per actualis *amoris* abiſſum, *non mere negative ſe habendo ad nos*, ſed *ardenter deſiderando*, et *amando* nos, canente eodem coeleſti animae noſtrae ſponſo Proverb 8 v 31: *Deliciae meae eſſe cum filiis hominum.* Ergo et nos infirmitati noſtrae convenienti *amore actuali debemus manere in Chriſto*, ut *is* infinito ſuo amore *maneat in nobis.* Et notari dignum eſt, Evangeliſtam *manſionem hanc noſtram* praemittere Chriſti *manſioni: qui manducat - - - in me manet, et ego in illo.* Per quod ſignificari voluit Spiritus Sanctus, nos *amore noſtro praevenire, et occurere debere Chriſto ad nos venienti:* et *amore actuali*, quo Chriſto manebit in nobis, prius *manendum*
Ibi v 58. *nobis eſſe in Chriſto*, ut *Chriſtus eo lem maneat in nobis.* Porro magnimagnitudinem ejuſdem amoris a nobis Chriſto ad nos venienti debiti ita continuat idem Evangeliſta ibid v 56: *ſicut miſit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipſe vivet propter me.* Senſus eſt ſublimiſſimus, quo altiorem nulla mens vel cogitare poteſt: *ſicut Pater*, (qui me miſit ad inſtituendum hoc amoris erga vos miſterium) *vivit amando me*: (neceſſario enim amat me) *et* ſicut viciſſim *ego vivo propter Patrem* continuo *amando Patrem*: ita qui *digne manducat me*, et ipſe *vivet* ſpiritu, et gratia ſanctificante *propter me* recproco *actu, non habitu ſolum* me amando. Quae paritas Chriſti a mutuo amore actuali Patris, et Filii ad *amorem Euchariſtiam ſumentis* evidentiſſime, ac invictiſſime concludit, in ſumente *actualem amorem* neceſſarium eſſe; ſicut *inter Patrem et Filium* non *habitualis* duntaxat, ſed *actualis* amor intercedit: *cui* ſuo modo *ſimilem* in *ſumente ſe* praemiſſis
Joan 7. Apoc 6. Ps 102. Luc 1. requirit amantiſſimus Servator. Par prioribus eſt iſtud: *ſiquis* SITIT, *veniat ad me, et bibat.* Joan 7. SITIENTI *dabo de fonte vitae* Apoc 6. *Deſiderium pauperum exaudiet, et animam eſurientem ſatiabit bonis* Ps 102. *Eſurientes replevit bonis* Lucae I. Quid eſt obſecro in omnibus Diviniſimis myſteriis fidei, quod aeque, vel magis eſurire, et ſitire debemus, quam *panem qui de coelo deſcendit?* Teſte enim D Hieronimo in c 3 Ezech: *Hoc ſolum habemus in praeſenti ſaeculo bonum, ſi veſcamur carne Domini.* De qua intelligit praemiſſa et S Bernardus ſerm 31 in Cant: *Oportet ut Sancti deſiderii ardor praecedat faciem ejus ad omnem animam, ad quam eſt ipſe venturus.* Atqui *ſitis, eſuries, deſiderium* eſt *actualis* amor panis Angelorum: conf cap II n XVIII. Cui oppo-
Apoc 2. nitur in juſtis *langvor*, et *tepiditas* ſpiritus, quam vincere *actuali fervore* oportet juxta illud: *Vincenti dabo edere de lignio vitae, quod eſt in me-*
Exod 12. *dio Paradiſi.* Apoc 2. ſive, ut expreſſe aſſerit Richardus a S Laurent Libr 12, quod eſt *in Eccleſia militante per praeſentiam corporalem in Sacramento Altaris.* Hoc ipſum principali ſenſu intendiſſe Spiritum Sanctum plane mihi perſvadeo illis verbis Exod 12 v 9 de Agno Paſchali praecipuo tipo Euchariſtiae praecipientem: *Non comedetis ex eo* CRUDUM *quid, nec coctum aqua, ſed tantum* ASSUM IGNNI. Non enim erat periculum, ne Judaei agnum *crude* devorarent, ſed ut ait *ille ſtupor*

mun-

mundi, qui ſcibile diſcutit omne Abulenſis: *Crudum agnum comedunt in Euchariſtia, qui nullam diſpoſitionem, et praeparationem praemittunt.* Et Cornelius a Lapide: *Qui non conſiderant Excellentiam tanti Sacramenti* Hoſpes in ſcriptura eſt, qui ignorat, ſaepe ſenſum *Miſticum* prae Litterali in Divinis litteris a Spiritu Sancto eſſe intentum. Ut illud. *Os non comminuetis ex eo. Ex Aegipto vocavi Filium meum.* Ita et hunc, *non comedetis ex eo CRUDUM quid, ſed ASSUM* igne amoris. *Joan 19 v 36. Matb. 2 v 15.*

XI. Probatur II ex Sanctis Patronibus: Quorum textus ſunt evidentiſſimi. S Juſtinus Martir Lib de agone c 2 in hunc finem inſtitutum, ac ſumendum hoc Sacramentum aſſerit, *ut* IGNEM IGNE, AMOREM AMORE *excitaret.* Ergo ubi ignis amoris in *ſumente* deficit, finis quoque *inſtitutionis* augmenti charitatis habitualis deficiat eſt neceſſe. S Baſilius Magnus Lib I de Bapt c 3: *Plus aliquantum contriſtat Spiritum Sanctum, dum ſine charitate illa veſcitur.* Sed qui actu contriſtat Spiritum Sanctum, non capio, qui ſperare poſſit *eodem actu* donorum ejus *augmentum.* S Joannes Chriſoſtomus vere aureus eſt in hac charitate perſvadenda: ad populum Antiochenum Homil 60 haec ait: *Igitur accedat nemo cum nauſea. Omnes accenſi, Omnes ferventes, Omnes excitati.* diſtantne obſecro! magis ſolis radii a tenebris? quam haec a doctrina Recentiorum n hic VIII et IX exſcripta? urget S Chriſoſtomus: *Ne torpeamus igitur tanta digni charitate, et honore putati: accedamus cum alacritate, quin imo longe majori trahamus tanquam infantes lactentes Spiritus gratiam: Et unus nobis ſit dolor hac eſca privari.* Similiter Hom 61 ad eundem populum: *Propterea ſemetipſum nobis inmiſcuit, et corpus ſuum in nos temperavit, ut unum quid ſimus tanquam corpus Chriſti eooptatum.* ARDENTER ENIM AMANTIUM HOC EST. Ergo *unio* inter *Chriſtum*, et *ſumentem* ardenti *unitorum amare perficitur*, non ſolo tepido juſtitiae ſtatu. Addit vero S Doctor: *Tanquam Leones igitur* IGNEM SPIRANTES *ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles, et caput noſtrum revolventes, et* CHARITATEM, *quam erga nos oſtendit.* An oro! tepida illa anima, quae ad Sacrificandum, et communicandum *praeter frigidam juſtitiam nullum devotionis, et charitatis actualis affectum adfert*, an inquam talis *Leo* eſt *ignem coeleſtem ſpirans?* an *diabolo eſt terribilis?* ego vero puto, talem diabolo contemptibilem, Deo vero ut *vomitum abominalem* eſſe juxta illud: *Quia tepidus, nec calidus, nec frigidus es, incipiam te evomere ex ore meo* Apoc 3 v 15. Conſonat, ſicut ubique, Doctorum Alpha Auguſtinus tract 26 in Joan exclamens: *O Sacramentum pietatis!* O VINCULUM CHARITATIS! Etiam Tridnum ſeſſ XIII cap VIII Divinum hoc epulum vocat *vinculum charitatis.* atqui *vinculum* eſt *connexio extremorum.* go ſicut *in Deo* ad nos veniente immenſa eſt *charitas actualis*, ita *in nobis* cum Deo *per Euchariſtiam* conjungendis *eamdem* neceſſariam evincuot Auguſtinus, et *ex eo* Tridnum. Sed audiamus porro magnum illud lumen Eccleſiae: *qui vult vivere, accedat* utique per amorem: *Credat* fide per dilectionem operante, non vacua operibus *Incorporetur* non materialiter, ſed *unione mutui amoris*: VIVAT DEO: DE DEO: *Nunc laboret in terra, ut poſtea regnet in Coelo.* Haec ſane *ſterili habitui* actuali amore vacuo non conveniunt. Ibidem *manducantes panem Euchariſticum* comparat cum *Manducantibus manna* Mojſe, Aron, et Phinees, *qui Domino placuerunt, et mortui non ſunt. Quare? quia viſibilem cibum* Manna *Spiritualiter* fide actuali per dilectionem actualem operante *eſuriverunt, ſpiritualiter guſtaverunt, ut ſpiritualiter Satiarentur.* Ergo et Manna Euchariſticum ut *Spiritualiter* nos *ſatiet, fide charitate viva eſurtendum*, et manducandum eſt. Clariſſime Lib 7

2. *Conſentiunt SS Patres.*

Juſtinus Martir.

Baſilius M.

Chriſoſtomus.

Auguſtinus.

Confeſſ c 10 in perſona Chriſti ait: *Cibus ſum grandium. Creſce, et manducabis me. Nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuae, ſed tu mutaberis in me.* Quibus verbis Doctorum Aquila non *tepidam iuſtitiam*, ſed in dies *per charitatis* actualis *fervorem creſcentem Sanctitatem* ad digne ſummendum *cibum grandium* requirit. Teſte demum cit erudito P Schneidenbach docet Auguſtinus: *Deum gratiam ſuam vendere conſveviſſe pro* NUMMO DILECTIONIS, QUI NISI ACTU SOLVATUR, ILLA NON TRIBUITUR. S Gregorius M Homil 36 in Evang ita ait: *Spirituales* hujus Sacramenti *deliciae tanto a comedente amplius eſuriuntur, quanto* AB ESURIENTE *amplius comeduntur.* Ergo a contrario ſupponit S Pater *Si a non eſurientibus* tepidis comedantur, ut cibos corporales faſtidium generare. Addit: *cibum vitae ex palato cordis* (qui utique amor eſt) *tangite, ut probantes ejus dulcedinem amare valeatis.* Ergo *actuali* cordis *amore* guſtandus eſt cibus vitae, ut *amor* hic *amorem adaugere valeat.* S Hilarius Epiſcopus Lib 8 de Trinit: *Quod autem in Eo per Sacramentum communicatae carnis, et ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur dicens: et hic mundus jam me non videt: vos autem videbitis, quoniam ego vivo, et vos vivetis. Quoniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.* Atqui Filius et in Patre, et in *nobis* per *habitualem*, et ACTUALEM *amorem vivit:* ergo et *nos in filio* inEuchariſtia ad nos veniente *per* UTRUMUQE *Chriſti* AMOREM vivere debemus. Proſequitur Divus: *Perfectae autem hujus unitatis Sacramentum ſuperius jam docuerat dicens: ſicut me miſit vivens Pater, et ego vivo per Patrem* (mutuo ejus amore actuali) *et qui manducat meam carnem, et ipſe vivet per me* mutuo meo amore: *vivit ergo per Patrem* Filius mutuo amore, *et quomodo per Patrem vivit Filius, eodem modo nos per carnem ejus vivemus* actuali *reciproca Charitate* eam ſummentes. Quibus verbis S Doctor tradit evidenter ſenſum ſcripturae ex Joan 6 v 58 a nobis hic n X datum. S Cyrillus quoque Alexandrin L 14 in Joan hunc *mutuum* in *ſumente*, et *Chriſto amorem* deducit ex illo Joannis: *Qui manducat carnem meam, in me manet, et ego in illo.* Ubique Patres, et ſcriptura *Manſionem Chriſti in nobis Manſioni noſtrae in Chriſto* comparant. Sed Chriſtus manet in nobis ineffabili *actuali charitate:* ergo et nobis *ſimili* in Chriſto eſt manendum, ut fructum *manſionis* ejus *in nobis* percipiamus. Antiquorum itaque Sanctorum Patrum Ore, ſententiaque loquitur S Bonaventura, dum tom 1 Brevilog p 6 c 9 totam hanc controverſiam ita dilucide definit: *Quoniam capacitas noſtra ad Chriſtum efficaciter ſuſcipiendum non eſt in carne, ſed in Spiritu: non in ventre, ſed in mente: et mens Chriſtum non attingit, niſi per cognitionem, et amorem, per fidem, et* CHARITATEM; *ita quod fides illuminat ad recognitionem, vel recordationem, et charitas inflammat ad devotionem: ideo ad hoc, ut aliquis digne accedat, oportet ut ſpiritualiter comedat, ut ſic Chriſtum per recordationem fidei maſticet, et per* DEVOTIONEM AMORIS SUSCIPIAT. *Propter quod manifeſte colligitur, quod qui* TEPIDE, INDEVOTE, *et* INCONSIDERATE ACCEDIT, JUDICIUM SIBI MANDUCAT, ET BIBIT; QUIA TANTO SACRAMENTO CONTUMELIAM FACIT. *Ideo Conſilium eſt his, qui ſe ſentiunt minus mundos mente, vel carne, vel etiam indevotos, ut differant, quouſque parati ad eſum veri Agni, mundi, devoti, et circumſpecti accedant.* Addit decretorie: *Effectus Sacramentorum ſolet eſſe ſecundum diſpoſitionem, et praeparationem ſuſcipientium.* go ubi nulla eſt *diſpoſitio, et praeparatio actualis, nullus eſt effectus.* Ut dixi hic n VIII contra Tyrnavienſem.

S Gregorius M.

S Hilarius Epiſc.

S Cyrillus Alex.

S Bonaventura.

2. Suffragantur Concilia.

XII. Probatur III ex Conciliis. *Florentinum* tom 23 Concil p 537 ita de effectibus admirabilis hujus Sacramenti loquitur: *effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt* ADUNATIO *hominis ad Chriſtum.* Obſecro! *unio duorum* moralis fieri ne poteſt ſine *mutuo actuali* duo-

duorum *amore* ? pergit Concilium: *Omnem effectum, quem materialis cibus, et potus quoad vitam corporalem ſuſtentando, augendo, reparando, et delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur ſpiritualem.* Quibus verbis magnum Concilium operationem *cibi* hujus *coeleſtis*, et *panis animae* comparat cum modo, quo cibus corporalis nutritionem in corpore ſano perficit. Atqui *nutritio* haec *corporalis* non fit, niſi *cibus* materialis *motu* quodam *vitali*, *actioneque caloris ſtomachi digeratur*, et concoquatur. Ergo nec *panis animae* ullam in hanc *nutritionis*, ſuſtentationis, augmenti, reparationisque *vim* exerere poteſt, niſi a ſumente igne *dilectionis* concoquatur. Atque hoc plane eſt, quod Tridentinum ſeſſ 6 c 7 ait, nos *juſtitiam* in *nobis recipere unumquemque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, et* SECUNDUM PROPRIAM CUJUSQUE DISPOSITIONEM, *et* COOPERATIONEM. Ergo *juſtitia* ut *primo aquiritur*, ita *augetur ſecundum propriam cujuſvis diſpoſitionem, et cooperationem.* Quod clarius docet ſeſſ 13 c 7: Ubi in ſumente *magnam reverentiam, et ſanctitatem* requirit, idque praeter conſcientiam immunitatis a peccato mortali. Neque enim omnis *reverens*, et *ſanctus eſt*, qui conſcientiam peccati mortalis non habet. Potiſſimum vero cap 8 ibidem *hortatur, rogat, et obſecrat per viſcera miſericordiae Dei noſtri omnes, et ſingulos, qui Chriſtiano nomine cenſentur, ut memores tantae majeſtatis, et eximii* AMORIS *Jeſu Chriſti Domini noſtri haec Sacra miſteria corporis, et Sanguinis ea fidei conſtantia, et firmitate*, EA ANIMI DEVOTIONE, ac PIETATE, *et* CULTU *credant, ac venerentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint: ET IS*, (notetur cauſalis cur requiratur fidei conſtantia, et firmitas, animi *devotio, pietas* et *cultus*) *vere ſit eis animae vita, et perpetua ſanitas mentis, cujus vigore confortati ex hujus miſerae peregrinationis itinere ad caeleſtem patriam pervenire valeant.* Decretorium hoc eſt: Concilium in ſumente *hoc vinculum charitatis*, ut illud *vere ſit animae vita, et ſanitas mentis*, ut ejus *vigore confortetur peregrinus ad coeleſtem patriam*, requirit *fidei conſtantiam, et firmitatem, animi devotionem, pietatem, et cultum;* ergo qui ſine hac *proxima praeparatione* accedit cum ſterili, et frigida a mortali peccato juſtitia, ex mente Tridentini praedictos effectus Angelorum panis in ſe non ſperet. Et profecto cum Tridentinum eodem c 8 in iis, qui *ſpiritualiter*, ſive *voto* ſolum manducant Divinum epulum, clare ſupponat *fidem vivam, quae per dilectionem operatur, ut ejus fructum, ec utilitatem ſentiant*, mirum eſſet, ſi ab iis, qui et *Sacramentaliter*, et *Spiritualiter* manducant, minus requireret; cum *Sacramentalis* manducatio plane ſupponat *Spiritualem* juxta illud: *Caro* (ſpecies nudae ſe ſolo ſumptae) *non prodeſt quidquam, ſed ſpiritus eſt qui vivificat.* Adde quod per veſtem illam *nuptialem*, quam in *Sacramentaliter* manducantibus requirit cit loco Tridtnum, fideliſſimus ejus interpres Catechiſmus ejus de Sacram Euch p 2 cap. 4 § 56 *Actualem charitatem* intelligat. Poſteaquam enim ad menſam Dominicam praerequiſiviſſet 1 *diſcretionem* hujus menſae coeleſtis a communi. 2 *Reconciliationem cum inimicis.* 3. *Conſcientiam a gravi peecato immunem*, aut *Confeſſionem*. Requirit 4 *humilem indignitatis* noſtrae *meditationem* exemplo Centurionis confitentis: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* 5 Ut *exquiramus a nobis, an illud Petri nobis uſurpare liceat: Domine tu ſcis, quia amo te!* quibus verbis Petrum *actuali charitate* flagraſſe nemo negaverit. § 48 praemiſerat: *Qui pietatis, et religionis ſtudio affecti hoc Sacramentum ſummunt, nemini dubium eſſe debet, quin ita Filium Dei in ſe admittant, ut ejus corpori tanquam viva membra inſerantur juxta illud: et qui manducat me et ipſe vivet propter me.*

Florentinum.

Tridentinum.

Joan 6 v 24.

Math 22 v 11.

Cat. Romanus.

Math 8 v 10.

Joan 21 v 15.

Joan 6 v 57.

Indu-

Indubie igitur Tridentinum, et ejus Catechiſmus praeter *remotam* ad hoc Sacramentum *diſpoſitionem* in *immunitate a gravi peccato* ſitam *proximam* quoque in *actuali devotione*, et *fervore Charitatis* conſtitutam requirit.

Duplex diſpoo rite eſt diſtingvenda.

XIII. Si quis reponeret, in *Sacramentaliter* manducante ipſum *Sacramentum ex opere operato* ſuplere *opus operantis*, ſive *fidem vivam per dilectionem operantem* in *ſpiritualiter* manducante ibidem a Tridno requiſitam: is profecto palam circulum vitioſum committeret id reſpondendo, quod eſt in quaeſtione, an ſcilicet hoc Sacrm *ex opere operato* effectum ſuum praeſtet ſine *opere operantis*, ideſt ſine *actuali charitate*? cui nos opponimus omnes has probationes a n VIII. Si reponas, S Auguſtinum tr 26 in Joan *ſpiritualem* manducationem in *immunitate a peccato mortali* conſtituere illis verbis: *videte Fratres! panem coeleſtem* SPIRITUALITER *manducate*: INNOCENTIAM AD ALTARE APPORTATE. Reſpdeo: hoc, et ſimilibus textibus innumeris PP loquuntur de *ſpirituali* mnnducatione ut *diſpoſitione remota*. At praeter hanc requirunt eandem *ſpiritualem* manducationem in *fervore actualis charitatis* conſiſtentem ut *diſpoſitionem proximam*. Poſterioris aevi Benigniſtae duo haec non diſtingventes omnia confuderunt. At clariſſime diſtingvit *duas has diſpoſitiones* magnum Eccleſiae lumen Auguſtinus epiſt 118 his verbis: *dicunt aliqui*, NULLO INTERVENIENTE PECCATO *Euchariſtiam quotidie accipiendam: Hunc enim panem dari jubente Domino quotidie poſtulamus dicentes*: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. *quod quidem bene dicunt, ſi hoc* CUM RELIGIONE, *et* DEVOTIONE (in fervore charitatis conſiſtente,) et HUMILITATE *ſuſcipiunt; ne fidendo de juſtitia ſuperba praeſumptione id faciant.* Vides hinc, Recentiorum ſententiam ab *aliquibus* tempore Auguſtini traditam ab Auguſtino eſſe praefocatam! de diſpoſitione *remota* egimus cap X a n LI: de *proxima* hic a n VIII.

4. Decretum Innocentii XI de frequenti communione.

XIV. Probatur IV ex Decreto Innocentii XI a 1679 de *quotidiana Communione* edito, in quo qui digni ſint quotidiana, vel frequenti communione ita exhibetur: 1. Nunquam Eccleſia fixos, ac certos dies communioni praefixit: *multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus. variae ob negotia ſpiritus alienationes.* 2. Frequens ad Sacram alimoniam acceſſus *Confeſſariorum* ſecreta Cordis explorantium *judicio eſt relinquendus: qui ex CONSCIENTIARUM PURITATE, et frequentiae FRUCTU, et AD PIETATEM PROCESSU* lajcis id *praeſcribent, quod eorum ſaluti proſpicient profuturum.* 3. Confeſſarii dent operam, ut unuſquiſque *digne PRO DEVOTIONIS, et PRAEPARATIONIS MODO rarius, vel crebrius accedat.*

Proximam praeparationem urget.

4. Quoad Moniales, ſiquae *PURITATE MENTIS ENITEANT, et FERVORE SPIRITUS INCALUERUNT, ADMITTANTUR.* 5. Concionatoribus injungitur, ut cum fideles ad frequentem communionem accenderint, *ſtatim de MAGNA ad illam NECESSARIA PRAEPARATIONE* orationem habeant. 6. Generaliter omnes ſaepius communicare volentes *debere ſuam agnoſcere infirmitatem, ut ex dignitate Sacramenti, ac Divini judicii diſcant coeleſtem menſam revereri, et quando ſe MINUS PARATOS SENSERINT, ab eo abſtinere, ſeque AD MAJOREM PRAEPARATIONEM ACCINGERE.* 7. Epiſcopi nulli diligentiae parcant, ut in frequentius communicare volentibus *omnis irreverentiae ſuſpicio tollatur, virtuteſque, ac dona augeantur. Ut* item *hi ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, ET CHARITATE* aſveſcant. Non eſt hic ſermo de conſtitutis in peccato mortali, ſed de iis, qui ſine graviori noxa vivunt,

vunt: a quibus tamen Ecclesia pro frequenti communione *conscientiae puritatem a mortali, et affectu ad venialia: devotionem, puritatem mentis, fervorem spiritus*, agnitionem *humanae infirmitatis, reverentiam coelestis mensae, ad pietatem processum, timorem, et CHARITATEM* postulat. Ex quibus *Spiritus Ecclesiae* de *necessario* ad digne sumendum Agnum coelestem *praeparatione proxima ultra immunitatem a peccato mortali* luculenter patet. Sed et discimus ex praemissis, aliam esse *dispositionem remotam*, ut quis non *positive indignus* panem Angelorum sumat: aliam *proximam*, ut etiam mirabiles hujus Sacramenti *effectus percipiat*, et non sit *negative indignus*. Prior in *carentia peccati mortalis*: Posterior in *fervore devotionis*, potissimum CHARITATIS *affectum ad venialia excludentsi* consistit.

XVI. Declarationem suam Innocentius XI (ut nos datum distinctionem) a SS Patribus accepit: nempe *affectum peccati venialis*, nisi contraria charitate excludatur, *fructum omnem communionis possumdare* clare docet charitatis Magister S Augustinus I de dogmatibus Ecclesiasticis (alii rectius Gennadio tribuunt) cap 53 in haec verba: *Quotidie Eucharistiae communionem percipere nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum et svadeo, et hortor*, SI TAMEN MENS SINE AFFECTU PECCANDI SIT. *Nam* HABENTEM ADHUC VOLUNTATEM PECCANDI GRAVARI MAGIS DICO EUCHARISTIAE PERCEPTIONE, QUAM PURIFICARI: *et ideo quamvis peccato mordeatur*, PECCANDI *de caetero* NON HABEAT VOLUNTATEM: *et commicaturus satisfaciat lacrimis, et orationibus, et confidens in Dni misericordia, qui peccata piae Confessioni donare consvevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus, et securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia, et mortalia peccata non gravant.* Nam his longe graviorem poenitentiam praescribit. Ex his Junior charitatis Magister S Franciscus de Sales Philotheam suam part I cap XXII sic instruit: *longe enim differunt peccatum veniale, et affectus peccati venialis. Venialia enim omnia vitare non possumus; ipsorum vero affectu, et amore carere omnino possumus.* Hinc affectum in venialia ex animo poenitus evellendum docet, *ut nulli quantumvis levi peccato inhaerendi voluntatem foveamus. Affectus enim illi verae pietati poenitus contrarii sunt, animamque licet lethali ictu non conficiant, gravissime tamen SAUCIANT.* Parte II cap 20 mox recensitam Augustini, sive Gennadii doctrinam exscribit, tum continuat: *cernis Philothea! D Augustinum vehementer svadere, ut die quoquo Dominico Eucharistia praecipiatur. Hoc ergo quoad poteris, facito. Cum enim te ab omni quam mortalis, tum* VENIALIS PECCATI STUDIO, AC VOLUNTATE *alienam existimem, eam plane, quam requirit Augustinus, animi affectionem, et praeparationem es adepta.* Ex adverso idem charitatis magister Salesius Epist 39 probat factum Confessarii Mulieri caeterum piae ob vitium *impatientiae* communionem denegantis. Animae vero huic ob id desolatae svadet *humilitatem, vilitatis suae agnitionem*, jubens eam postulare *micas* earum gratiarum, quas participant ad Sacramentum digne accedentes. Augustinus in genuino suo opere serm 244 eos, qui matrimonio intemperanter extra liberorum procreandorum fines utuntur, ita instruit; *sed dicis: peccatum quidem est, sed tamen parvum est. Nec nos dicimus, quia capitale peccatum est. Sed tamen si frequentius exerceatur, et jejuniis, ac elemosinis non redimatur, nimis immundam animam facit. Noli despicere peccata tua, quia parva sunt. Vere dico vobis Fratres! Quia non hoc Deus de nobis meretur, ut in nobis imago ipsius per malas conscientias injuriam patiatur. Et cum nullus velit cum tunica sordibus plena ad Ecclesiam convenire, nescio, qua conscien-*

Affectus ad venialia impedit fructum communionis.

Teste Gennadio.

S Francisco Salesio.

Augustino.

tia cum anima per luxuriam ſit inquinata, praeſumit ad altare accedere, non timens illud, quod Apoſtolus dixit: Qui enim manducat corpus, et ſumit Sangvinem Dni indigne, reus erit Corporis, et Sangvinis Domini. *Si erubeſcimus, ac timemus Euchariſtiam manibus ſordidis tangere, plus debemus timere ipſam Euchariſtiam intus in anima pulluta ſuſcipere.* Quanta ex his accedit lux veritati, quam ediſſerimus! Peccatum veniale non retractatum animam immundam facere, polluere: Apoſtoli doctrinam de *indigne manducantibus* ad *venialia* quoque affectu, et voluntate Fota pertinere.

Gregorio M. XVI. Auguſtinum preſſo pede in his ſequitur alterum luminare majus Eccleſiae Moralium Parens l 2 in 1 Regum cap 1 explicans illud: *Famelici ſaturati ſunt*, et docens: *qui non exhaurit, quod deliquit, etſi minima ſunt peccata, quae congerit; paulatim anima repletur, atque ei merito AUFERUNT FRUCTUM INTERNAE SATURITATIS. Hac repletione nos evacuare Paulus inſinuans ait:* probet ſeipſum homo, et ſic de pane illo edat, et de calice bibat. *Quid enim eſt hoc loco PROBARE? Niſi evacuata peccatorum nequitia ad Dominicam menſam purum ſe exhibere. De repletis etiam ſubdit:* qui enim manducat, et bibit indigne, judicium ſibi manducat, *Anonimo.* et bibit. *Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad poenitentiae lamenta curramus: quia ipſa ſola eſt virtus, quae evacuat, quod in ventre animae culpa coadunat. Et tunc vere* famelici ſaturantur. Hos ſequitur Anti- *Nicolao I.* quus Auctor *inter opera S Anſelmi* in 1 ad Corint docens: *indigne manducat, et bibit, qui vel aliquod grave peccatum, vel MULTA LEVIA COMMISIT: et non confitetur ea prius, quam ad communionem accedat.* Quorum auctoritate ductus Nicolaus I dictus Magnus a 858 *Bonaventura* ad *conſulta Bulgarorum* cap IX piam noſtram ſententiam *definivit* his verbis: expedit, ut fideles in quadrageſima majori quotidie communicent, *Si tamen mens in affectu peccandi non ſit.* Merito igitur Doctor Seraphicus de praeparat ad Miſſam cap 5 inſtruit: *Proba teipſum, ex QUANTA CHARITATE, et QUALI FERVORE* accedis. *Non ſolum enim mortalia, ſed etiam venialia peccata per negligentiam, et otium multiplicata, et etiam per inconſiderationem, ac per diſtractionem diſſolutae vitae, et malae conſvetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, obnubilatum,* INDISPOSITUM, et INEPTUM ad celebrandum; *niſi dicti pulveres, et ſtipulae venialium per* AFFLATUM SPIRITUS, ET FLAMMAM CHARITATIS *ventilentur, et conſummantur* EXARDESCENTE IGNE CORDIS *ex conſideratione proprie vilitatis. Ideo cave, ne nimis tepidus, et inconſideratus accedas, et inordinatus: quia* INDIGNE SUMIS, SI NON ACCEDIS REVERENTER, CIRCUMSPECTE, ET CONSIDERATE. *Unde Apoſtolus:* judicium ſibi manducat, et bibit. *quod apertius inſinuat* dicens: ideo inter vos imbecilles multi, *ſcilicet per fidei inconſtantiam:* et infirmi, *ideſt gravi peccato ſauciati:* et dormiunt multi *ſcilicet per torporem, et deſidiam. O quam graves anguſtiae me undique affligentes! Accedere indigne horrendum! non accedere ex notabili negligentia - damnabilis eſt culpa.*

XVII. Haec Sancti de communicare praeſumentibus cum affectu peccati venialis! nec immerito: eſt nempe ut P Schneidenbach ait palatus Deo Euchariſtico nimis delicatus, nihil ut *crudum, frigidum,* et *dilectionis calore* non excoctum, *non praeparatum pati, atque in ſe convertere valeat: Totum cor noſtrum* poſtulat, nec *in una ſede* moratur *cum Dagon vitioſi affectus noſtri*; verum aut *hunc* expellit, ſi a nobis motu charitatis in Deum retractatus eſt: aut ſi imperium in cor-

de

de tenere ſinatur, Deum ad noſtram ſanctificationem venientem mox ſolum vertere coget. Sane ſi Divino ore *maledictus* pronunciatur omnis, *qui facit opus Dei negligenter*, nec cogitari poſt mortalis peccati reatum poteſt major, craſſiorque *negligentia*, quam ipſum *Auctorem*, et *fontem gratiarum tepide, frigide, nulla cum praeparatione*, quin cum *affectu peccati venialis ſuſcipere*: hoc eſt dictu: *contriſtare, injuria*, etſi non mortali, *in ſe tamen gravi afficere*. Nimis proinde durum eſt vel cogitare, nedum ſperare *augmentum gratiae ſanctificantis* ex illa communione indevota, qua actu offenditur gratiae Auctor ſummus Deus. Quin ut ad terrorem omnium tepidorum audivimus h n XVI a Sanctis: *Qui tepide, indevote, et inconſiderate accedit, judicium ſibi manducat. et bibit: quia tanto Sacramento contumeliam facit*, etſi venialem: judicium tamen ſumit in eo ſaltem, quod *deſerens deſeratur*: Quod non aucta gratia ſanctificante, imminuta charitate, gravia haec venialia diſponant ad mortale. Quamquam cum pane Angelorum nec coelum, nec terra habeat ſanctius, aut Divinius, tanta poteſt eſſe *indevotio*, et *inconſideratio*, ut ſe ſolo mortalis evadat, ut admittit ipſe Billuart hic nobis contrarius de Sacramentis in generie Diſſ 3 a 4. *Jerem 48 v 10.*

XVIII. Aperiamus oculos mentis dilectiſſimi! De noſtra enim hic ſalute agitur. Merbeſius 3 p q IX *Venialis peccati* hanc in rem ſequentes effectus enumerat: 1. Animam juſti dedecorat. 2. Dei majeſtatem injuria afficit, Bonitatem impugnat, gloriam imminuit, omnem ejus perfectionem violat. 3. Prohibet, ne talis in via Dei progrediatur. 4. Auxiliis actualibus (quibus adverſus peccata noſtra fulciretur infirmitas) aditum intercludit, ita ut propter unicum peccatum veniale, vel propter plura plerumque relinquamur in infirmitate naturae. 5. Diſponit ad peccatum mortale, removendo ea, quibus noſtra in peccatum prolapſio prohibetur. Perturbat enim ordinem rationis alioquin Creatori ſubditae: Sanctas cogitationes, pios affectus, et alia id genus adjumenta peccatum a nobis propulſantia labefactat, et aditum aperit tentationibus; quibus acrius ad peccatum lethale impellimur, et prope modum adigimur. 6. Deo quam maxime diſplicet. 7. *Deliberatam in peccatis venialibus perſeverandi voluntatem* eſſe *impoenitentiam*, veram *in Spiritum S Blasphaemiam*, eamque *irremiſſibilem* juxta doctrinam S Bernardi, qui ſerm 1 de convers S Pauli horrendum intonat: *Nemo dicat in corde ſuo: Levia ſunt iſta, non curo corrigere: non eſt magnum ſi in his maneam minimis, venialibuſque peccatis! Hae eſt enim, dilectiſſimi, impoenitentia! haec Blaſphaemia in Spiritum Sanctum! Blaſphemia irremiſſibilis!* Hoc eſt: difficillime remiſſibilis. Talis enim, ut ibi explicat Merbeſius: *Non vult progredi in via virtutis*: in qua non progredi regredi eſt: *vult* item deſtitui ad aſſequendam ſalutem neceſſariis auxiliis; quibus peccatum veniale aditum intercludit. *Vult* diſponi ad peccatum mortale: ad id enim veniale diſponit. *Vult* Daemonum tentationibus impugnari; iis enim peccatum veniale aditum aperit. *Vult* denique diſplicere Deo, et graviſſimis tum hujus, tum alterius vitae poenis affici. Haec ſi quis coram Deo meditatus fuerit, vix, aut ne vix quidem ſibi perſvaſerit, Divinum epulum cum affectu peccati venialis non retractati ſumptum *augmentum* gratiae ſanctificantis cauſſare. Ego de *decremento* cauſſando nihil haereo, ductus praeter citatos auctoritate Patris ſuffren Jeſuitae piiſſimi, cujus notatu digniſſima eſt haec doctrina: *Semel percipere corpus Chriſti cum veneratione ſingulariter debita utilius, ac convenientius eſt, quam centies cum irreverentia. At quisquis illud cum peccato veniali, et citra praeparationem* acci- *Peccati venialis effectus triſtiſſimi.*

accipit, haud dubie irreverenter accipit, et juxta S Anſelmum indignam profecto communionem, tametſi levem, et venialem factitat, ideſt: non admittit peccatum lethale, dum in ea licet praepoſtera praeparatione Euchariſtiam accipit. Ita in anno Chriſtiano p 3 cap 9 § 7.

Peccata inhaerentia quae? et quam gravia?

XIX. Porro etiam viris, qui Spirituales, et boni videntur, tinnire debent ambae aures ad ea, quae de damnis peccatorum venialium *inhaerentium* ex Joanne Thaulero celeberrimo S I Doctore refert Merbeſius 3 p q 7. Audiamus paululum, ut caveamus. *Inhaerentia* vocat (Thaurelus ſerm 4 de feſtivit Ven Sacramenti) ea, *per quae aliquis praepoſtero creaturarum amore irretitus in illis ſenſuum voluptatem, et delectationem principaliter quaerit.* ait ergo: illa gravia ſunt: ſiquidem diligit neſcio quas creaturas, et delectationes, *et iis propter Deum mori renuit:* Quod quamdiu facit, *creaturae locum Dei in eo occupant*, ita ut *Deus in eo nec habitare, nec operari poſſit.* Hoc autem quiſque in ſe non negligenter obſervare debet, ſtudioſe perſcrutando: quaenam creaturae in ſe lateant? et fortaſſe ipſemet eſt, aut aliqua propria inordinatio, vel quia de amicis ſuis, aut divitiis non nihil extollitur: aut forſitan vane in ſuis inſtitutis, et exercitiis complacet ſibi. Eſt etiam vitium heu! minis hodie vulgatum: puta, quod omnes *privatis lucris inhiant: divitias cumulare* ſatagunt, *tenaces* ſunt, et *avari.* unde hominum *amicitias* ſuperfluas, et vanas *animi recreationes*, et *levitates* expetunt: *cum tamen in eis nec intendant, nec quaerant, nec proinde inveniant Deum ſuum.* In *mortalium peccatorum velut praecipio ſunt conſtituti*: imo *frequenter, antequam advertant, in multa gravia peccata collabuntur.* Haec ergo ſunt *impedimenta perſeverantia* (fructuum menſae caeleſtis) et *culpae inhaerentes*: Cum quibus tamen multi, proh dolor! ad Reverendiſſima Chriſti Sacramenta accedere non metuunt: ſuas nihilominus conſvetudines, et modos retinentes: nec aliquid ex praedictis repudiare volentes. Cumque hac de cauſſa nec Deum, nec Spiritus Sancti conſolationem magnopere curant: ſed ſuis ſtudiis, et conſvetudinibus inhaerent: atque ad creaturas cum delectatione, et amore ſe convertunt: ſicque non nunquam 40, vel 50, et eo amplius annos ſub habitu Sancto, et opinione bona tranſigunt. Verum *utrum iſti feliciter hinc deceſſuri, et ad extremum ſalvandi ſint, vehementer incertum eſt*, eo, quod fundus eorum ſponte, ſcienterque diuturno quodam, et inolito creaturarum amore, et delectatione irretitus eſt. Ubi vero neceſſitas extrema ingruerit, omniaque coram Divino judicio detegentur, neſcient prorſus, quo in ſtatu res ſuae ſint: nec facile Deum! invenire poterunt. Si quis eos reprehendere voluerit, aut inſtruere, eum errare affirmant: Fitque tandem, ut dum in iſtis perſeverant, peccata haec *inhaerentia* adeo in eis conſeneſcant, et in habitum quemdam convertantur, ut nullum inde conſcientiae patiantur remorſum. Iſta dilectiſſimi! *peccata magna, et fortia ſunt Divini affluxus*, et *operationis impedimenta, ac quaſi denſa quaedam antemuralia:* nec poterunt his ſubſiſtentibus S Spiritus in anima ſua operationem ſentire, quidquid etiam agant: *Quantum enim creaturae imperant, tanto Deum cum ſua gratia abſcedere oportet.* Conf cap X n LX.

De peccatis fluxis non inhaerentibus.

XX. Haec Thaulerus de peccatis venialibus *inhaerentibus*: quibus opponit venialia *fluxa*, et *non inhaerentia:* ſiquis *nullius creaturae inordinato amore captus detineatur, ſemperque ſe paratum inveniat ad relinquendum omnia, quae certo ſciret, Deum ab illo velle relinqui*, qualiacunque illa forent vel homines, vel amici, vel bona temporalia. *Interim* tamen *non tam ſtudioſe ſe cuſtodit, ut deberet*, facileque a natu-

ra, et

ra ,et vitiis naturalibus vincitur, ut ab ira, ſuperbia, a torpore ,verborum levitate: in quibus oblata occaſione excedit , eſtque vel loquax nimium, vel potus, cibique intemperantior: aut plus ſatis hilaris, aut demum immodice ſollicitus, et occupatus. De his aſſerit: „Quamvis ex his interdum aliqua prioribus *inhaerentibus queant eſſe graviora*; multo tamen minus, quam *illa* impediunt: *Quandoquidem fundus ipſe purus eſt: et tantum accidens malum Modo accedat poenitentiae amaritudo, ac dolor cordis, quibus haec defleantur, magna ex parte rubiginem eorum abſtergunt.* Si tamen tam heri, quam hodie ſui ipſius cura poſtpoſita in eadem incidiſſet, ſimulque ex iis *mentis* quandam *contraheret diſtractionem*, tum ſane *non parum iſta impedirent*, dum unum impedimentum jungeretur alteri. Nec tamen propterea ſemper a communione abſtinere neceſſe eſt, *modo illum in haec incidiſſe poeniteat, poterit ſequenti die ſuum recuperare damnum.* Saepe etiam ipſa natura indiſpoſita impedit: quum *quis ſomni, vel cibi fuit intemperantior, PLUS, aut MINUS inde capiendo.* Certe ita *quemque ſui deceret eſſe ſollicitum, ut ad ſingulos pene motus, ſi natura citra ſui gravamen ferret, ſe examinaret.* Mundum enim, purumque ſit cor , cui Deus ineffabile ſuum miſterium infundere debeat.„ Haec Thaulerus probante Merbeſio. Ex quibus patet, *omne veniale peccatum*, niſi quotidiana contritione, et charitate Dei evacuetur, *Diviniſſimos altaris Sacramenti fructus impedire.* Denique ut noſcamus, quam periculoſum ſit peccata venialia negligere, ac de iis evitandis, aut celeri poenitentia exſtirpandis parum eſſe ſollicitum, audiamus aureum Os homil 87: *Mirabile quiddam, atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam videri non tanto ſtudio magna peccata eſſe evitanda, quanto parva, et vilia. Illa enim ut averſemur, ipſa natura peccati efficit. Haec autem hac ipſa re, quia parva ſunt, deſides reddunt, et dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generoſe inſurgere. Unde cito ex parvis magna fiunt negligentia noſtra. Sic in Juda maximum proditionis malum exortum eſt. Nſi enim putaſſet, parvum eſſe pecuniam inopum ſurripere, in tantam protervitatem non deveniſſet. Hac via omnia ſcelera fieri videbis. Nemo enim repente ad extremam improbitatem inſilit. Habet quippe inſitum quemdam anima pudorem, et innatum: quem ſubito calcare, et projicere non poteſt, ſed ſenſim, atque paulatim ex negligentia perit.* Etiam his ad frequentem charitatem, et de venialibus quotidianam contritionem exſtimulemur, atque ut monet S Bernardus: *Semper timorati, et omnino ſolliciti ſimus, quomodo gratiam Dei non amittamus, quam nobis tam multipliciter neceſſariam eſſe ſentimus.* ſerm 1 in Caena Dom.

Exceſſus, vel defectus in neceſſariis.

Peccati venialis periculum.

XXI. Probatur demum Auctoritate, qua nituntur adverſarii: Contraria ſententia fere eſt probabilis ab auctoritate Doctoris Angelici: Nam nihil aliud ſive ex ſcriptura, ſive ex Patribus pro illa adferri poteſt. Rationes vero adverſariorum facile diſſolubiles ſunt; Ut mox videmus. Mens itaque Angelici videnda eſt. Qui 3 p q 79 a 8 haec habet: *Effectus hujus Sacrmti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiae, vel charitatis, ſed etiam quaedam* REFECTIO SPIRITUALIS DULCEDINIS. QUAE *quidem impeditur ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata* VENIALIA MENTE DISTRACTUS: *non autem tollit augmentum Habitualis gratiae.* Ex quibus inferunt adverſarii: *Non impedire augmentum gratiae Sanctificantis I:* Si peccata *venialia praeterita*, et non retractata *mente foveantur.* 2. Si *in* ipſa *celebratione*, vel communione non ſolum ex *negligentia*, et *tepore*, ſed etiamſi *ultro quaeſita*, et *admiſſa venialia committantur.* 3. Generaliter, ut vidimus ex Tyrnavienſi h n VIII, *ad* percipiendum *fructum*

Exponitur mens Doctoris Angelici.

primarium, *augmentum gratiae Sanctificantis* non requiri ut neceſſariam *proximam diſpoſitionem* in *actuali charitate*, et *devotione* ſitam, ſed *ad ſecundarium duntaxat*, qui *in dulcedine actualis refectionis ſpiritualis* conſiſtit. At haec nimis derogant ſummae veneration Divini Sacramenti. Nec mens Angelici eſt certa, quia Turneli, Ut vidimus hic n IX, nobiſcum ſentire aſſerit *pleroſque Auctores;* qui Angelicum pro ſe interpretantur. Cum itaque *in obſcuris, et odioſis minimum ſit ſequendum*, ſive quod minime derogat *devotioni* Deo Euchariſtico debitae, ideo nos cum celebri Theologo *Contenſonio* exiſtimamus Angelicum loqui de eo ſolo caſu, quo quis caetera praevie digne *praeparatus*, et devotus *in ipſa celebratione, vel ſumptione Divini cibi Naturalem diſtractionem* mentis ex *tepore*, vel *negligentia venialiter culpabilem* admittit. Et hanc expoſitionem ipſa verba Angelici expoſcunt: *Si accedat per venialia* MENTE DISTRACTUS. In hoc caſu dicimus cum S Thoma *impediri dulcedinem ſpiritualis refectionis:* quia *diſtractus* venialiter actu non conſiderat, nec deſiderat praemiſſam *dulcedinem.* go *eam non percipit.* Non fruſtratur tamen taliter diſtractus augmento gratiae: quia naturalis haec *diſtractio* in *negligentiorem* potius cadit *voluntatem*, quam *omnino libere admittitur*: Et prius *praemiſſa praeparatio proxima in fervore Charitatis, et devotione* ſita *moraliter* perſeverat: Et quaſi *humanitus impoſſibile eſt*, in his nullam unquam *diſtractionem* pati, ac *negligentiam* omnem ſemper etiam *leviſſimam* praecavere. Ideo in hoc caſu admitto S Doctoris *humanae infirmitati commenſuratam doctrinam:* Etſi confiteri debeam, augmentum *hoc caſu* cum *devotione virtuali* minus eſſe, quam cum *actuali.* Augmentum enim gratiae creſcit cum creſcente devotione, et ubi fervor maximus eſt, augmentum quoque maximum eſſe ex ipſo Angelo Scholae mox videbimus. At quod Doctor Angelicus Angelorum cibi veneration ſiquis alius ſumme devotus docuiſſet, ad hanc Angelorum menſam *habitualem* juſtitiam ſine *actuali charitate, et devotione* ad augmentum gratiae ſanctificantis ſufficere; neque huic *affectum* peccati venialis ſive *praeteriti* non *retracti*, ſive ſub ipſa celebratione, vel communione *libere quaeſiti, et admiſſi* officere, hoc eſt, quod nego in aeternum. Ac contrarium demonſtro ex ipſo S Doctore: Qui in 4 Diſt 12 q 2 a 1 haec docet: *Cum hoc Sacramentum* Euchariſtiae perficiat hominem *conjungendo fini* Deo, *ad hoc, quod effectum ſuum plene habeat in ſumente, oportet quod adſit actualis devotio.* Hic certe non loquitur de *dulcedine ſuavitatis;* ſed *de effectu* hujus Sacramenti *primario*, qui ſit hominem arctius cum Deo *conjungendo fini ſuo* per augmentum gratiae Sanctificantis. Et ad *hunc effectum plene* obtinendum requirit *actualem devotionem.* Proſequitur ibidem Angelicus: *Abſque peccato mortali potèſt effectus hujus Sacramenti impediri ita, quod aliquis augmentum gratiae non conſequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat.* Quod fieri puto in caſu, dum nulla *praeparatio proxima* praemittitur, et cum ſola *habituali charitate tepida* ſumitur. Quo caſu nullum augmentum gratiae adjici Angelicus ſentit: idque ſine *peccato mortali*: ut expreſſe ait. Atqui ſi juxta adverſarios ſumenti cum plene deliberato affectu peccati venialis non retractati, et cum ſolo habituali juſtitia non negatur *augmentum gratiae*, ſequitur juxta eorum principia, hoc augmentum non impediri, niſi per *peccatum mortale.* Quod expreſſe negat Angelicus. Ergo hic illis non favet. Mox ibidem quaeſt 80 a 8 ad 6 ſummus Doctor aſſerit: *Maxima devotio requiritur in ſumptione hujus Sacramenti, quia tum percipitur hujus Sacramenti effectus.* Prius autem q 69 a 8 in O addit de Baptiſmo quidem, ſed quod a *majoritate rationis* pro Euchariſtia invictum eſt: *Quidam cum majori, quidam cum minori devotione ad Baptiſmum accedunt, et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt*

R I 30 in 6.

Naturalis diſtractio cum aliqua negligentia levi non impedit effectum Sacrmti, ſed dulcedinem tantum.

Angelicus actualem devotionem requirit.

Sine mortali peccato pt impediri augmentum gratiae.

accipiunt. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat; licet ignis quantum eſt de ſe aequaliter ad omnes ſuum calorem diffundat. Quod de igne Euchariſtico longe verius eſt, quam de naturali, aut alio Sacramentali. Et q 87 a 2 in O generaliter definiendo pronunciat: *Habentibus uſum liberi arbitrii non contingit eſſe infuſionem gratiae* SINE ACTUALI MOTU LIBERI ARBITRII IN DEUM, ET IN PECCATUM. Ex quibus evidens eſt 1: pro majori, vel minori devotione *Majus, vel minus.* 2: Ubi vero nullus eſt *actualis amoris motus in Deum proſecutivus*, et in peccatum *deteſtativus* juxta jam dicta ſuis locis, nullum ex mente Angelici fieri gratiae Sanctificantis augmentum. ad cumulum addit Angelus Scholae opuſc de Sacrmto altaris cap 15: *Si quis ad ſuſcipiendum Dnum bene mundus vult fieri, primo debet per aquam lacrimarum emundari: ſecundo per opera poenitentiae torqueri.* Quae ibidem exponit per *jejunia, orationes, afflictiones*: *Tertio* PER FERVOREM AMORIS DEI *a carnalium deſideriorum humore ſiccari.* adde doctrinam ejus cap X n LIX in not Laudatam: qui textus 3 p q 79 art 5 ita per extenſum habet: *Hoc Sacrm effectum habet dupliciter: uno modo directe ex vi Sacrmti: alio modo quaſi ex quadam concomitantia. Ex vi quidem Sacrmti directe habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum. Non eſt autem inſtitutum ad ſatiſfaciendum, ſed* AD SPIRITUALITER NUTRIENDUM PER UNIONEM AD CHRISTUM, ET AD MEMBRA EJUS. *Sed quia haec unitas fit PER CHARITATEM, ex CUJUS FERVORE aliquis conſequitur* remiſſionem *non ſolum culpae, ſed etiam poenae; inde eſt, quod ex conſequenti per quamdam concomitantiam ad Principalem effectum homo conſequitur remiſſionem poenae, non quidem totius, ſed SECUNDUM MODUM SUAE DEVOTIONIS, ET FERVORIS.* Ubi maximus Doctor ut *remiſſionem poenae temporalis*, ita *augmentum gratiae ſanctificantis* in Euchariſtia *tribuit FERVORI* charitatis. Ergo ex plnribus Angelici textibus optime ſibi cohaerentibus clarum eſt, Eum nunquam ſenſiſſe, ad ſumendum cum *augmento gratiae* cibum Dominicum ſufficere *praeparationem habitualem*, Nec augmento huic *affectum peccati venialis non retractati*, aut ſub ipſa *communione* ſponte *quaeſiti*, et *admiſſi* obeſſe.

Euchariſtia remiſſionem paenae temporalis cauſſat, ut augmentum gratiae, ex fervore charitatis.

XXII. Vis adhuc evidentiora? habe. Cummunis Doctorum ſenſus eſt, S Thomam authorem eſſe piiſſimi officii Divini, quo Eccleſia Feſtum Sacratiſſimi Corporis Chriſti ſumma, quae humanitus cogitari poteſt, exultatione, et triumpho celebrat. De quo refert Billuart de Euch Diſſ 2 a 2, quod dum Magiſter Generalis Praedicatorum corpus Sancti (deceſſerat enim Foſſae novae pergens ad Concilium Lugdunenſe) ſibi reſtitui peteret recte in Feſto Corporis Chriſti dicens: *S Thomas ad mandatum Urbani Papae ordinavit officium hodiernum:* Cardinales praeſentes acclamarunt: *S Thomam Feſti Corporis Chriſti officium veraciter, et excellenter, ſubtiliter, et mirabiliter ordinaſſe.* Jam vero in officio hoc plura ſunt, qua contrariam ſententiam jugulant plane. Nam in Hymno: *Sacris ſolemniis* dicitur: *ſic nos tu viſita, ſicut te colimus.* Nemo vero *piorum* aſſeret, eum *digne colere* Deum Euchariſticum, qui inter ſumendum affectum peccati venialis dedita opera fovet. ſimiliter ait in Antiphonis: VINCENTI *dabo manna abſconditum.* Et: ESURIENTES *reples bonis*, FASTIDIOSOS *divites dimittens inanes.* Qui obſecro ſunt *hi faſtidioſi divites, inanes*, et omni fructu vacui a menſa Dominica dimiſſi? niſi illi, qui ſe *jactant*, et venditant *eſſe divites*, quia *peccato mortali immunes:* interim *faſſidiunt* ſe *vincere*, *proximam praeparationem exacte* praemittere, cor *ardenti charitate*, *et devotione* inflammare, *tepo*rem inter celebrandum, et ſumendum *piis affectibus* excutere, Divi-

Angelicus Auctor officii SSmi Corporis Xti.

Ex quo doctrina noſtra certo elucet.

no

no Hoſpiti ad ſe *amantiſſime* divertenti *vicem mutui amoris*, *et gratiarum actionis* reddere. Plane exiſtimo per *faſtidioſos* hos *divites* Angelicum intellexiſſe TEPIDOS ſola *habituali juſtitia ſterili glorioſos*, quibus aeterna Veritas intonat Apoc 3 v 17 et 18: *Quia dicis: quod dives ſum, et locupletatus, et nullius egeo: Et neſcis, quia tu es miſer, et miſerabilis, et pauper, et nudus: Svadeo tibi emere a me* AURUM IGNITUM *probatum* ardentis charitatis: *Ut locuples fias* donis panis Euchariſtici digne ſumpti: *Et non appareat confuſio nuditatis tuae*, inanitas, et vacuitas tua Divinis Euchariſtiae effectibus. Merito igitur. *Faſtidioſos* hos *divites* cum nuda habituali juſtitia ad Divinum Convivium accedentes omni fructu ejus *inanes*, et vacuos dimitti aſſerit Angelicus. Ac ne *inanitatem* hanc ſtatuas in Carentia *dulcedinis*, ac *ſuavitatis* ſpiritualis, Legeſis Thomae a Kempis de imit Chriſti L 1 c 9. et L 3 c 24 docentis: Perfectionem charitatis non conſiſtere in Spirituali hac *conſolatione*, et *dulcedine*; ſed in *patientia*, et *abnegatione noſtri:* atque *in offerendo nos Divinae voluntati ad omnia adverſa ſuſtinenda ſine ulla conſolatione etiam interiori.* do equidem, quod *diſtractio venialis* talem *ſuavitatem* Spiritus impediat. At non ſola: ſed ſaepe voluntas Dei. Legimus enim in Eccleſiaſticis monumentis, maximos Sanctos *diuturna ariditate* abſque *ulla dulcedine ſpiritus probatos* ſuiſſe. At Angelicus loquitur de tali *inanitate*, qua digne accedentes ad Euchariſticam menſam *non dimittuntur.* ergo per *dimittens inanes* carentiam *augmenti gratiae ſanctificantis* intelligit Divus, non *dulcedinem ſolam* Spiritualis refectionis.

Svavitas ſpiritus ad augmentum gratiae, et charitatem non eſt neceſſaria.

XXIII. Objicit Tournelius 1. Sacramenta agunt per modum cauſarum naturalium: ac proinde producunt effectum ſuum, quoties obicem non reperiunt: atqui devotionis carentia, et affectus peccati venialis non eſt obex augmenti gratiae. go. Reſpondeo aſſummo pro me argumentum, et dico: Sacramenta agunt per modum cauſarum naturalium: Atqui cauſae naturales non operantur, niſi ſecundum debitam *diſpoſitionem proximam, et applicationem.* Sic in Angelici exemplo h n XXI *ignis* non te calefaciet, niſi te illi *proxime applices*; licet facta debita applicatione *natura ſua* te calefaciat. Ita etiam ignis caeleſtis Euchariſtiae etſi ex *opere operato* mentes noſtras calefacere conſveverit, id tamen non aliter praeſtat, quam juxta *propriam cujuſque diſpoſitionem*, *et cooperationem* teſte Tridentino. Quae *diſpoſitio*, et *cooperatio proxima* velut *opus operantis* eſt *applicatio operis operati* nobis facta. Ex quo patet devotionis *carentiam*, et *affectum peccati venialis* non retractati eſſe *obicem* augmenti gratiae Sanctificantis; qua velut *conditione ſine qua non* ommiſſa Sacramentum vires ſuas non exerit. Sic in exemplo mox allato ſi vel ignem debite non excites, vel nimis longe ab eo ſtes, vel aliquid medium inter te, et ignem (ut in noſtro caſu *medium* eſt affectus peccati venialis) interponas, impedis vim intrinſecam ignis. ita, et *affectu* peccati venialis, et *defectu* proximae diſpoſitionis impeditur *opus operatum* hujus Sacramenti. conf h n XIII.

Sacramenta operantur facta debita diſpoſitione.

XXIV. Urget: Inter peccatum veniale, et augmentum gratiae nulla datur oppoſitio ſive ex natura ſua: ſive ex inſtitutione Divina. ergo. Reſpondeo. *Oppoſitionem* inter *peccatum veniale*, et *augmentum gratiae* dari ſvadet *natura* Sacramenti non ſecus, quam ignis ut mox expoſuimus, ſi rite applicetur, effectum ſuum exerentis. Svadet natura *mutui amoris*, ut mutuo utrinque augeatur, mutuam utriuſque *cooperationem* ut in humanis, ita in Divinis exigentis. Inſtitutionem vero Divinam neceſſariae ex parte noſtra cooperationis urgent omnia h a n X ex ſcriptura,

Inter pec veniale, et augmentum gratiae datur oppoſitio negativa.

ptura; Patribus, Conciliis, Decreto Innocentii XI, et Catecheſi Tridentini allata.

Plus requiritur ad augendam, quam ad conſervandam gratiam ſanctificantem.

XXV. Inſtat. Levis offenſa Dei non diſſolvit amicitiam Divinam. Ergo nec impedit ejus augmentum. Reſpondeo: Vix monere debeo, plus longe requiri ad augendam, quam ad pure conſervangam amicitiam *Divinam aeque, ac humanam.* Nempe conſervatur et dormiendo, nihil grave in oppoſitum agendo: ſed *mutuis* tantum *officiis* augetur. Deinde aſſummo pro me argumentum: Levis offenſa Dei *imminuit charitatem*, et *diſponit ad* ejus *deſtructionem*, et *diſſolutionem*: ut vidimus hic a n XVIII. Atqui incredibile eſt augeri amicitiam Divinam tunc recte, dum ea imminuitur, et diſponitur ad deſtructionem. ergo incredibile eſt per communionem cum *affectu peccati venialis* ſponte quaeſito, et ſine ulla praeparatione augeri amicitiam Divinam.

An juſtificatio fieri poſſit cum actuali affectu pec. venialis?

XXVI. Reponit idem Tournelius. *Affectus actualis* ad peccatum veniale non impedit infuſionem *primae gratiae* juſtificantis. ergo nec impedit ejus augmentum. Reſp. In antecedente ſubſiſto vehementer. Scio quidem *dolorem* ita eſſe debere *univerſalem de omnibus mortalibus commiſſis*, ut *explicite poſitive extendi non debeat ad venialia*: quae nec ſunt neceſſaria materia Sacramenti poenitentiae: et multis aliis modis remitti poſſunt. At qui ita doleret de *mortalibus*, ut *de venialibus* nec *generaliter*, nec *implicite* doleret, quin, ut caſus fert, *poſitivum* ad illa affectum ſub ipſa abſolutione retineret, eum ego *non verum poenitentem*, ſed *mortalium omnium vecordiſſimum cenſerem*: Utpote qui tunc plane, etſi venialiter, offenderet ſummum Deum, dum ei reconciliari ſatageret, et quaſi facto diceret: *Amo te mi Deus: doleo te a me Crucifixum: interim accipe a me hanc alapam! Doleo de gravioribus, laetor de venialibus a me tuis injuriis.* An putas hunc *ex toto corde* Deum diligere? an *averſum* a creaturis? dum amorem Deo contrarium *actu mente fovet.* Verbo haec hypotheſis Turnelii hoſtiliter pugnat cum *charitate affective* ſaltem *praedominante.* Cujus ad effectum Sacramentorum neceſſitatem jam nos ſaepius conſtabilivimus. confer cap X n LIX. hic n XVI. XVII. et ſeqq.

Non omnis juſtus proxime dignus eſt menſa divina.

XXVII. Tandem ait Tournelius: Qui eſt in ſtatu gratiae, eſt dignus Euchariſtia: quia Trident ſeſſ 13 c 7, et can 11 eam probationem requirit, ut quis digne ſumat, ne ullius peccati mortalis conſcius ſit. Alias peccaret *mortaliter*, ſiquis ſine *proxima praeparatione*, aut *cum affectu venialis* accederet. Quod valde durum eſt. Reſpondeo: Sterilis ſtatus gratiae eſt *dignitas remota*, ut *ſine mortali ſummatur.* Ut vero *fructus quoque mirabiles* hujus Sacramenti percipiamus, *proximam* quoque *praeparationem*, et *dignitatem* requiri ex hactenus dictis conſtat potiſſimum a n XVI. Ad probationem dico: Tridentinum ſeſſ 13 c 7 in ſummentibus *magnam reverentiam*, et *Sanctitatem* requirit. Ergo immuniatatem a peccato mortali ut *probationem*, et *diſpoſitionem remotam* exigit. ibidem vero cap 8 *devotionem, pietatem, venerationem* poſtulat. Ut n XII vidimus. Ad ſequalem ajo cum S Thoma n XXI cit: *Absque peccato mortali poſſe effectum hujus Sacramenti impediri ita, quod aliquis augmentum gratiae non conſequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat.* Accedit, quod *nullum* peccatum *veniale per ſe cauſſet mortale.* Ergo nec carentia actualis devotionis: et qui in ſtatu gratiae eſt, *defectu actualis charitatis non poſitive*, nec graviter inhonorat Deum Euchariſticum; ſed quia *nec poſitive honorat*, ideo unio *amoris mutui* non augetur; Nec Chriſtus ſua dona in illo multi-

plicat, ſed *ut hoſpes non debite ſuſceptus mox diſcedit.* Quamquam ut in fine n XVII obſervavimus, poſſit eſſe *tanta indevotio*, et *inconſiderantia* ſummentis, ut per ſe mortalis ſit.

An Euchariſtia infantibus olim data effectum ſuum produxerit?

XXVIII. Non dicas demum: ex monumentis Eccleſiaſticis conſtare, olim *infantibus* omnis *diſpoſitionis proximae* incapacibus *Euchariſtiam* porrectam fuiſſe: quin hodie *iiſdem confirmationem: Adultis* vero uſu rationis deſtitutis *extremam unctionem* conferri: In iiſque omnibus abſque ulla proxima diſpoſitione *actuali* augmentum gratiae cauſſari: alias non liceret ea periculo fruſtrationis exponi. Ergo idem dicendum de Euchariſtiae Sacramento. Ad haec enim in promptu eſt reſponſio. Nam quod ad 1 attinet, reſpondet Catechiſmus Tridentini de Euchar § 61: *Vetus quidem fuit in quibusdam locis* (non in tota, vel majori parte Eccleſiae) *conſvetudo, ut infantibus ſacram Euchariſtiam praeberent. Sed tamen tum ob eas cauſſas, quae dictae ſunt* (quod nempe infantes Sacram Euchariſtiam a profano pane non ſciant diſtingvere, neque ad illam accipiendam *pietatem* animi, et *religionem* adferre poſſint; Ideoque id alienum fuiſſe videatur ab inſtitutione Chriſti dicentis: *Accipite, et manducate:* Cujus *praecepti, accipiendi*, inquam, et *manducandi* cum pietate infantes incapaces ſunt) *tum ob alias Chriſtianae pietati maxime conſentaneas jam diu Eccleſiae auctoritate id fieri deſiit.* Ob quas rationes vehementer ſubſiſto, *an infantibus praebitum a particularibus* quibusdam *Eccleſiis Divinum poculum* (ſub ſpeciei enim vini illis praebebatur ob periculum ejectionis ſpeciei panis) *augmentum gratiae contulerit?* Quanquam etſi id diſſimuletur, a parvulis ad adultos in nullo Sacramento valet argumentum. Tota enim frequentat Eccleſia, nec ullo Concilio inſtitutum legimus, ergo juxta regulam S Auguſtini *ad Divinam inſtitutionem referendum* eſt, *ut parvuli baptiſentur*, atque etiam *exigente cauſſa confirmentur* ſine ulla ſui diſpoſitione, cujus incapaces ſunt. (*a*) Nemo tamen prudenter hanc rationem ad adultos extendet. Ita etiam ſentire licet de Euchariſtia parvulis olim collata. Addo maximum eſſe *inter Corporis Domini*, ac *reliqua Sacramenta* diſcrimen: in aliis enim exhibetur, et confertur *gratia* cuique Sacramento proportionata: in Euchariſtia ipſe *fons*, et *Auctor* omnium gratiarum venit ad nos *ardentiori amore*, ſi fas eſt dicere, quam dum mundi ſalutem operaturus car-

A parvulis ad adultos in nullo Sacramento valet argumentum.

nem

Ordo infantibus collatus validus eſt.

(*a*) Vitaſſe de Sacramento Ordinis p 1 q VII a 1 docet, omnia Sacramenta caracterem imprimentia, atque adeo ipſam etium Sacram ordinationem infantibus collatam (etſi hodie illicitam) validam eſſe: citatque pro ſe illuſtres Theologos, D Thomam, Bonaventuram, Paludanum, Silveſtrum, Scotum, Archidiaconum, Praepoſitum: et ſatis aperte colligit ex cap unic *de clerico per ſaltum promoto*: qui *intra annos diſcretionis* conſtitutus ordines minores, et ſubdiaconatum adeptus *neſciens pro certo, et bonis viris, inter quos fuerat converſatus, credens* ſubinde omiſſo Diaconatu ad Presbyteratum fuerat ordinatus, jubetur peracta poenitentia ad *Diaconatum ſolum* ordinari, et ſic permittitur in Presbyteratu miniſtrare. go palam ſupponuntur validi minores ordines, et ſubdiaconatus ante *plenum uſum diſcretionis* ei collati. Idem Vitaſſe ex monumentis probabilibus refert Euthimium Abbatem *infantem triennem* attonſum. Eugenium I Papam *Clericum ab incunabilis fuiſſe*, Felicem Nolanum teſte Paulino *Primis Lectorem ſerviſſe in annis.* Narrante Victore Uticenſi inter eos, qui cum Eppo Eugenio in exilium miſſi fuerant, inter caeteros Clericos *quam plurimos fuiſſe Lectores infantulos.* In eam quidem ibidem propendet opinionem Vitaſſe, quod et euchariſtia infantibus praebita *effectum cauſſaverit.* At nos praeferimus illi Catechiſmum Romanum docentem, id *alienum fuiſſe ab inſtitutione Chriſti*: et cum n h VIII didicerimus ex Angelico, per Euchariſtiam augmentum gratiae ſanctificantis fieri *mediante fervore charitatis actualis.* Cujus quidem *fervoris* cum *infantes* incapaces ſint, ideo nec capimus, nec credimus, *hos* dictum effectum fuiſſe conſecutos.

nem de Virgine induit: tunc enim venit ad *omnium ſalutem*: in Communione venit ad *particularis communicantis ſanctificationem*. Tunc venit in mundum pro omnibus paſſurus, nunc venit ad communicantem in ſe transmutandum: Ut ex S Auguſtino vidimus: *nec tu me in te mutabis: ſed tu mutaberis in me. In me manet, et ego in illo. Vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipſe vivet propter me.* Etſi igitur, per inconceſſum loquor, in coeteris *vivorum* Sacramentis *actuales pietatis, et charitatis* motus abeſſe poſſent, admirabile tamen hoc *amoris commercium*, quo *Deus homo communicanti* ſe ineffabili *nexu* communicat, abſque reciproco amore actuali nec concipi, nec perfici poſſe videtur. Nam ut n VIII hic didicimus ex Angelico, augmentum gratiae ſanctificantis in hoc Sacrmto fit *fervore charitatis actualis*. Suffragatur *praxis Eccleſiae* tam *Sacrificio*, quam *communioni* Lajcorum *confeſſionem generalem*, et *actum contritionis* illis Centurionis verbis: *Domine non ſum dignus*! praemittentis: ut *ſiquid* ex humana fragilitate defectus, aut *negligentiae*, vel *mali affectus* inter celebrandum, ſive a peracta confeſſione *obrepſiſſet*, contritionis falce purgetur. Ex quo ſpiritus Eccleſiae nos ad Divinam menſam omnino puros, et immaculatos, ac charitatis, contritioniſque fervore accenſos accedere deſiderantis pateſcit luculenter. Quod de extrema Unctione *uſu rationis deſtitutis* conferri ſolita additur: cum *tota* Chriſtiani hominis *vita poenitentia* ſit, *certe eſſe debeat*, non aliis illa conferri poteſt, quam de quibus veroſimile eſt, *eam*, dum uſu rationis pollebant, *debite* ſuſcipiendi intentionem habuiſſe. Ut docet Tyrnavienſis de poenitentia n 385. Unde elucet, hoc quoque Sacramentum cum *virtuali* ſaltem *diſpoſitione* miniſtrandum eſſe.

XXIX. COROLLARIA. Haec ſane et adverſae opinionis momenta abunde convellunt, et piam ſententiam de neceſſitate *proximae praeparationis*, et *actualis charitatis* ad fructuoſe ſumendam *Dominicam Caenam* ita illuſtrant, ut perfunctorii illi *Miſſarum helluones*, qui ſola gravioris peccati immunitate contenti *ex lecto*, *ex curis Saecularibus*, ex *otio*, ex *inutili confabulatione* abſque ulla ſeria *mentis compunctione*, aut *ad Deum elevatione* ad altare currunt, Sacrum non tam celebrant, quam legunt materialiter, imo deproperant, et in *crudam*, non *aſſam igne charitatis* Agni coeleſtis carnem illotis fere manibus, et animis involant, habeant, quod conſiderent, quod doleant, et emendent! Enimvero miſerandum eſt videre, pleroſque lajcorum longe majori cum *compunctione*, ac *fervore* ad Divinam menſam accedere, quam ad ſacrificandum multos Sacerdotes: Unde, obſecro! hoc monſtrum? an ex frequenti celebratione? O miſeri! ergo in Vobis *familiaritas* cum Deo ipſo *contemptum*, et negligentiam *parit*. Tempus, inquiunt, non habemus ad fervidam praeparationam: et tamen ad *ſcandalum* populi vitandum celebrandum eſt. Dicite aperte, vobis *animos deeſſe*, et *conatum*. Habetis enim tempus ad altam diem ſtertendum, ad opipare veſcendum, ad oeconomiam ſtudioſe tractandam, ad otiandum, ac confabulandum, et non habetis quadrantem, ut ad Deum Euchariſticum ferventi cum charitate accedatis? Hic ſane palam *mentitur iniquitas ſibi*. Nec melior eſt altera excuſatio. Nam ſi *ad offenſionem* plebis vitandam celebratis, ergo Bonum male agitis: *Deo ad oculum*, ob *reſpectum hominum, ut videamini*, ſervitis. Et quae iſta eſt juſtitia veſtra Phariſaica? *Deus non irridetur*. Reſpondent alii, ut putant, ſolidius: Sacerdotes vi vocationis, et ordinationis ſuae deſtinatos eſſe ad placandam frequentiori ſacrificio Divinam majeſtatem. go in his ſuplet Deus, quod humanae fragilitati deeſt devotionis. Apage ex optimo antecedente peſſimam conſequentiam!

Notantur fine proxima praeparationis celebrantes.

Excuſationes eorum refelluntur.

recte

recte contrarium inferendum erat. Quae enim Chriſtianae aures ferant? Sacerdotes electos eſſe ad Deum ſacrificio frequentius minus digne, imo *ſine debita praeparatione indigne* oblato (h n XVI) offendendum, et irritandum? *opus operantis* non ſuppleri a Sacrificio, aut Sacramento velut *opere operato* jam diximus. h n XIII. Fatemur, Deum *conanti*, et *ſatagenti ſuplere*, quod deeſt, *accendendo charitatem.* cap IX n XLI. at quod id in *negligentibus*, *taediosis*, *animalibus*, carni, et ſangvini deditis miſſarum ex tempore demurmuratoribus juſtus Deus praeſtet, id ad excuſanda peccata confictum, id futile, quin antievangelicum eſſe, ex hactenus dictis conſtat luculenter.

XXX. Quae ne exaggeratius, quam verius dicta quis exiſtimet, debitae Numini Euchariſtico pietati promovendae neceſſarium duxi Joannis Boni Merbeſii part III q XVIII integre Lectoribus iſtic exſcribere: Ubi piiſſimus, ac doctiſſimus hic Epiſcopus et *impedimenta*, et *adjumenta* fructuoſae communionis luculenter exhibet ſequentibus:

Impedimenta fructuoſae communionis.

„ *Unde fit, ut Sacerdotes ex frequenti celebratione, et ſaeculares ex frequenti communione tam exiguos, vel nullos fructus percipiant?* Reſpondeo: primam hujus rei cauſam refundendam eſſe in varios obices, quibus tanti Sacramenti efficaciam Sacerdotes pariter, et ſaeculares oppugnant, et in ſemetipſis perimunt. Quos obices ut omnes removeant, hic recenſere operae pretium eſt.

Primus eſt *natura immortificata, et inordinata*, quae cum amore, et delectatione rebus creatis imordinate adhaeret. Hac qui praediti ſunt, cito temporalium, ſive undecunque accidentium rerum odio, vel amore permoventur, *ſicque Dei dilectionem amittunt*, et *in ſuis vitiis, ac paſſionibus immortificati perſeverant.*

Secundus eſt *amor privatus, propria voluntas, proprius ſenſus, et propria quaeſitio*, quae ſaepe pacem auferunt, et corda dividunt. *Quisquis* enim *Deum ſuper omnia, etiam ſupra ſeipſum non diligit*, nec diligere intendit, ille Divini honoris, virtutum omnium, ac ipſius Dei incurioſus ad ſe ipſum, ad ſuum videlicet commodum, honorem, delectationem ſemper reflectitur, atque *a diverſis tentationibus nullo negotio ſuperatur.*

Tertius eſt, quod *per ſenſus nimis facile extravertimur*, humana ſocietate delectamur, in verbis ſuperflui ſumus, et abſque neceſſitate multis nos ingerimus, ac immiſcemus. *quae* utique *ſecreta Dei familiaritate, ac dulcedine nos privant.*

Quartus eſt, quod *vehementes, impetuoſi, audaces ſumus*, minoreſque culpas, ac defectus parvipendimus, *per quae cordis puritatem, et pacem amittimus.*

Quintus eſt, quod *de virtutibus ac bonis operibus*, quae tamen revera noſtra non ſunt, tanquam a nobis, cito nimis *cum vana complacentia*, ac propria reputatione extollimur: et ex ſuperbo fundo aliis quoque in pretio haberi appetimus. *quo* ſane *veram humilitatem perdimus*, et *a Deo* ſaepe *relinqui meremur.*

Sextus eſt, quod ad *judicandum* viſa, vel audita, ad *ſuſpiciones quoque malas*, et *invidiam nimis proni ſumus*: quod *fraternam* in nobis *deſtruit charitatem.*

Septimus eſt, *quod in oratione pigri, ac tepidi ſumus*: et per hoc intima ad Deum ſuſpiria, deſideriaque amittimus.

Octavus

Octavus eſt, quod fundum noſtrum intus minime obſervamus, neque *Divinis inſtinctibus per noſtri ipſorum abnegationem conamur ſatisfacere*, nec viva quadam cum ſtrenuitate *Divinae praeſentiae aſſiſtimus.* Et quia mentem noſtram a ſimplici illo lumine, quod in nobis eſt, avertentes ad multiplicitatem extravertimur: idcirco nec a Deo illuminamur, nec nobis ipſis innoteſcimus, intusque multiplices, ac inſtabiles, foris autem in ſenſibus inexplebiles permanemus.

Nonus eſt, quod *cuncta opera noſtra* magis *ex bona conſvetudine, quam interno affectu perficimus*, pluriſque aeſtimamus ſingulares quosdam modos, ſive inſtituta, bonorumque operum magnitudinem, ac multiplicitatem, *quam puram intentionem*, ac *ferventem Dei amorem*: ideoque nec experimur, quomodo Deus ipſe cum plenitudine gratiae ſuae commoretur in nobis.

Decimus eſt, quod *ea, quae a ſolo Deo accipere deberemus, a creaturis ſuſcipimus, nec Deo vera cum fiducia innitimur:* quo ſane fit, ut *nunquam veram reſignationem, nunquam veram pacem cordis obtineamus.*

Hujuſmodi obices totidem verbis percenſet Joannes Thaulerus in Inſtit Cap 5. Qui et ibidem ſuppeditat adjumenta iſtis obicibus contraria, et ad recte, Chriſtianeque vivendum idonea, et *ad ineundam praeparationem, qua digne corpus Chriſti percipiatur*, apprime conducibilia. Quae quidem cum omnibus hominum generibus prodeſſe poſſint, hic ea exhibere non pigebit.

XXXI. *Adjumenta, quibus obices allati propulſari poſſunt, ut ex Euchariſtia percipiantur fructus, qui ab optime diſpoſitis percipi ſolent.* *adjumenta fructuoſae communionis.*

Primum eſt, quod *homo in omnibus pure Deum ſuum intendet, ſeſe* omni tempori *abnegabit, nec in ulla re quaeret ſe ipſum.*

Secundum eſt, quod *omnia in melius interpretabitur*, et ex cunctis, quae vel videre, vel audire contigerit, ſuae capiet ſalutis augmenta.

Tertium eſt, quod *omnes homines communi dilectione proſequetur*, omnes fratrum habebit loco, *nec aliud abſens, quam praeſens de ullo loquetur.*

Quartum eſt, quod *omnia de ſola manu Domini ſuſcipiet, eique ſe* cum creaturis omnibus *offerens, cuncta in illum in perenne ſacrificium, perpetuamque referet laudem:* ſicque Deus ei vicem reddet, et ipſe in omnibus pacem inveniet.

Quintum eſt, quod *pacificus erit, et patiens in eis, quae Deus ei toleranda miſerit*, ita ut nec de Deo, nec de hominibus ullo pacto queratur ſibi aliquid minus, aut gravius obtigiſſe: ſed in *omnibus contentus* ſine ulla intrinſeca electione in eiſdem aequanimis perſiſtet, et ita pace, ac gaudio perfruetur.

Sextum eſt, quod ſic intus diſpoſitus, ac ordinatus erit, *ut ipſe Dei ſit totus in omnibus*, et *Deus illi viciſſim ſit omnia in omnibus:* Deumque in cunctis creaturis, et creata omnia in Deo cognoſcat, diligatque, creaturasque omnes nobiliſſimo modo aſpiciet, ſicut videlicet ex Deo ſua profluxere origine.

Septimum eſt, *quod puram*, expeditam, incommutabilem *mentem ſuper omnia caduca*, ac tranſitoria *in Deum ſublevatam habebit*, ſemperque ſolus, unicus, indiviſus in ſeipſo, et conſtans, ac devo-

tus perſeverabit in exercitiis ſuis: *Deoque* omnipotenti *cum amore*, cunctiſque viribus ſuis *inhaerebit*, ita ut omnibus hominibus virtutum, ac Sanctae vitae exempla praebeat in ſe ipſo, et univerſos in Deum verbis, operibus, modis, ac vita reducat, dirigatque.

Erit praeterea *ſpontanee pauper*, in adverſis *patiens*, *voluntatem propriam abnegabit*, Deo ſine medio obediet, et amore proſequetur etiam inimicos. *Haec enim Divinum amorem, omnemque ſpiritualem vitam in homine latentem manifeſtant.*

Hactenus Thaulerus loco citato, cujus ipſiſſima verba referre placuit eo nomine, quod doctrinam a nobis ſuperius explicatam continerent, et paucis Diſpoſitiones *ad Euchariſtiam rite percipiendam* a *Patribus explanatas*, et a nobis antea recitatas comprehenderent.

Cauſſae exigui profectus ex communione.

XXXII. *Altera cauſa exigui profectus, quem vel Sacerdotes ex frequenti celebratione, vel ſaeculares ex frequenti communione percipiunt.*

Hujuſmodi cauſae petuntur *ex obliquis*, et *tortuoſis finibus*, quos ſibi vel Sacerdotes in celebrando, vel ſaeculares in communicando praeſtituunt.

Diſtorti fines in Sacerdotibus.

Imo enim nonnulli Sacerdotes *mercenarii*, qui Sacerdotium veluti populare quoddam opificium capeſſere non erubuerunt, illecti decem aſſium mercede extrinſecus lenocinante celebrant, ita tamen, ut niſi hac mercedula prolicerentur ad celebrandum, nuſquam, vel raro admodum celebrarent. Et hi receperunt mercedem ſuam: quippe qui inſtar proditoris Judae Chriſtum, ſeu Divina myſteria venditant. (*a*)

Tales Presbyteros ultimis imprecationibus proſequitur, et onerat S Bonaventura in tract de praepar ad Miſſ c 8. quem locum hic de integro repetere juvabit, ut Sacerdotes, de quibus ſermo eſt, intuendo miſerabilem, in quo degunt, ſtatum, et erubeſcant, et horreant. Eo igitur loco ita loquitur Seraphicus Doctor:

De male vocatis ad Sacerdotium.

Primo, inquit, *vide quid deſideres: ne propter avaritiam, aut tumorem, aut vanam gloriam, aut conſvetudinem, aut alicujus mundanae complacentiae, aut temporalis favoris cauſa accedas: ſicut multi diebus iſtis abuntuntur ad ſui perditionem, quod datum eſt ad ſalutem. Vae! vae! Domine Deus! quanti hodie infelices ad Sacros ordines accedunt, et Divina myſteria accipiunt, non caeleſtem panem, ſed terrenum quaerentes: non ſpiritum, ſed lucrum: non Dei honorem, ſed ſuam ambitionem: non ſalutem animarum,*

ſed-

Simonia eſt Miniſteria ſacra primario ob lucrum temporale obire.

(*a*) Venire ad ſtatum Eccleſiaſticum, ſacrum celebrare, aut quodcunque aliud Sacrum miniſterium obire *principaliter*, et *primario* ob finem, ac motivum *temporale* nemine negante aperta Simonia eſt. Ut ſatis patet ex ppone 45, et 46 ab Alexandro VII a 1679 2 Martii damnata. Sed qui venit ad ſtatum Eccleſiaſticum animo diteſcendi, commodioris, et Lautioris vitae, ſecus non venturus: Item qui celebrat, aut alia Sacra Miniſteria facit *oblato ſtipendio*, non facturus *hodie*, niſi lucrum temporale adeſſet, hi inquam manifeſte agunt *principaliter*, et primario *ex motivo temporali*. Illud enim eſt *cauſſa*, et *motivum principale*, ac *primario intentum*, quo oblato fit res: non oblato non fit. go praedicti omnes palam Simoniaci ſunt. Et ita ſentit Merbeſius, et quem Laudat, Doctor Seraphicus. Qua intentione veniendum ſit ad Sacrum ſtatum, obeunda Divina Miniſteria? patebit hic ex n XXXV. et XXXVI. Facta tamen debita intentione, *conſequenter* admitti poſſunt ex laudabili conſvetudine uſu receptae vitae honeſte ſuſtentandae adminicula Salvatore declarante: *Dignus eſt operarius mercede*, ſive ut alibi explicat, *cibo ſuo*: ita tamen, ut ſemper *temporalia ſint in uſu, aeterna in deſiderio.*

ſed quaeſtum pecuniarum: non Chriſto ſervire mundo corde, et corpore in Sacris myſteriis, ſed deliciari, ditari, ſuperbire, et luxuriari: ut de patrimonio Chriſti, et elemoſynis pauperum, ac Eccleſiaſticas dignitates ambiendo multis litigiis, et ſimoniis potius rapiant, quam aſſequantur non vocati a Deo, ſed impulſi a diabolo tanquam Dathan, et Abiron. Tu autem homo Dei! dirige vota tua, et deſideria ad Deum, et vide, quibus affectionibus, et deſideriis trahi debeas ad Sacra myſteria celebranda.

Hiſce verbis S Bonaventura indicat pravos, neſarioſque fines, quos in celebrandis myſteriis ſibi conſtituunt, et diris increpationibus proſequitur eos, qui vel avaritiae, vel ſuperbiae, vel denique ſuae libidinis explendae gratia Sacerdotium capeſſunt, et dedecorant, et toto vitae mercenariae curriculo Sacris operantur.

Diſtorti fines communionis in ſaecularibus.

XXXIII. *Saeculares* plerique omnes *tortuoſos fines, et illicitos ſibi ſuis* in communionibus *praefigunt.* Alii enim communicant, *ut ab hominibus videantur*, et ſic apud illos nomen faciant. quales ſunt nonnulli politici, qui ut ad aliquam dignitatem ex populorum ſuffragiis ſuſpenſam, vel ad pingviorem fortunam aſcendere valeant, ad Sacramenta frequentius accedunt, et hoc pacto *populares auras aucupantur.* Id autem vitioſum eſt, imo criminoſum. Nam licet *non ſit culpa benefacientes videri:* eſt tamen *grande peccatum velle videri* ad colligendam hominum exiſtimationem, et laudem. Quod ideo damnavit Chriſtus Jeſus Math c 6 a v 1 ad 7. Nihil ergo mirandum eſt, ſi hujuſmodi homines nullum percipiant fructum ex Euchariſtia, quam *humanae, et fugacis gloriae deſiderio in ſuam perniciem convertunt.*

Alii corpus Chriſti percipiunt vel frequentius, vel rarius, *ne ſibi aliquam aſpergant infamiae notam*, et hominum indevotorum, etne vix Deum, nedum in Deum credentium numero populari judicio, et fama reponantur.

Alii devotiores *ſui commodi duntaxat gratia communicant.* et hi non omnes, imo exiguos ex V Sacramento fructus percipiunt.

Hac de re audire juvat Joannem Thaulerum ſerm 4 in feſt V Sacramenti: *Sunt praeterea*, inquit, *Spiritualia quaedam Divini influxus impedimenta, ut quod homines ſe ipſos duntaxat in hujus digniſſimi cibi ſumptione quaerunt, ſui videlicet conſolationem, devotionem ſenſibilem, et bonam pacem; quibus ſi fruſtrarentur, haudquaquam accederent. Hi ergo ſe ipſos potius, licet occulte, quam Deum quaerunt. Sed quid facit eis Deus? ſaepenumero quo ad ſe redeant, gravia illis extrinſecus adverſa, et intus preſſuras intolerabiles, ut quaſi infernum ſibi ſentire videantur, evenire permittit. Qui vero nihil horum patiuntur, certi ſint, horribile ſe purgatorium experturos. Iſti ſemper in eodem luto haerent, nec aliquem in veris virtutibus faciunt profectum. Sic etiam aliqui boni homines adeo caeco quodam timore tenentur, ut ſi non ſenſibilem amoris ardorem, aut grandia opera intra ſe ſentiant, qnamvis notabile aliquod neſciant impedimentum, accedere non auſint: qui et ipſi ad altiora non proficiunt.*

Quo fine ad ſacra Miniſteria accedendum.

XXXIV. *Illi autem praeclariſſimos Sacramenti hujus fructus, et effectus uberius aſſequuntur, qui fundum, et intentionem puram habentes ſuper Dei miſericordia accedunt, illius relinquentes arbitrio, utrum dare, vel auferre velit: nec ideo abſtinent, ſi nullam devotionem ſenſibilem percipiant, ſed Deo ſuo tam in inopia, quam abundantia ſpirituali plena cum fiducia ſe totos credunt, et inhaerent eidem. Iſti in Deo naſcuntur, et Deus in eis. Et ſi aliquod in eis impedimentum, ut huic exilio proprium eſt, intus, vel*

foris

foris occurrat, celeriter inde se avertunt, nec illi immorantur diutius multum se circa illud occupando, seque scrupulosius reprehendendo, sed Deum amant, et intendunt, nec Dei dona, sed ipsum potius respiciunt Deum: Cunctaque de illius manu suscipientes, eadem in ipsum refundunt. In his ergo Venerabile Sacramentum mirabiles, et praeclarissimas operatur illuminationes, nec aliquid aeque ipsorum profectum promovet, ut hujus perceptio Sacramenti.

Enim vero possent isti cum tanto fervore, et strenuitate ad hoc Sacramentum accedere, utsi inpraesentiarum eum charitatis obtinerent gradum, quod post mortem suam in primum Angelorum ordinem evolarent, vel unico hoc accessu consequerentur, ut in secundo, vel tertio, vel quarto ordine Angelorum collocarentur. imo tam crebro hac possent ratione accedere, ut per hunc modum ad supremum Angelorum chorum sublevarentur. Verum hoc ipsi nec desiderare, nec ex intentione quaerere debent, sed solum gratissimum Dei beneplacitum, et honorem. Haec ille loco citato. qui et subdit Saluberrimum hoc monitum: *Animum nos masculinum assumere, atque sponte, viriliterque ab omni nos creatura mortali avertere, et ad Deum Creatorem ex toto convertere oportet. Alioqui nulla nostri profectus spes superest.* „ Palpa hic obsecro! necessitatem *charitatis praedominantis* ad Sacram mensam. sed audiamus porro Merbesium :

Quod si nos ad saluberrimum istud Thauleri monitum componeremus, rectos tantum fines nobis in communione proponeremus, ex Venerabili Sacramento immensum, inexplicabilemque meritorum, Spiritualiumque gratiarum, et fructuum messem cum inenarrabili gaudio perciperemus.

Item de rectis finibus ad Sacra ministeria necessariis.

XXXV. Propositis finibus, quos sibi nonnulli Sacerdotes celebrando, et saeculares communicando perperam constituunt, *juvat percensere fines honestos, et vere Christianos, quos utrique sibi praestituere possunt.* Hosce fines luculenter edisserit S Bonaventura in cit tract de praep ad Miss c 8 his verbis :

1. *Te trahet conscientia, et remorsus delictorum, sperans per eum quasi per hostiam oblationis ab omni peccato purgari.*

2. *Tuae infirmitatis intuitus, et consideratio, ut eum quasi medicinam ad te voces, per quam ab omni infirmitate defendaris.*

Intentio missae, vel communioni praemittenda.

3. *Pressura alicujus tribulationis, ut per eum, qui omnia potest, ab omni adversitate citius libereris, et protegaris.*

4. *Desiderium alicujus gratiae, vel spiritualis beneficii impetrandi, ut per Eum, cui Pater nihil negare potest, obtineas.*

5. *Gratiarum actio pro omnibus beneficiis temporalibus, et spiritualibus tibi, et aliis impensis. cum nihil habeamus Deo retribuere pro omnibus, quae retribuit nobis, aliud, quam calicem salutaris accipere, et sacrificare hostiam laudis. ideſt Jesum Christum.*

6. *Charitas, et compassio proximorum: Cum pro salute vivorum, et requie defunctorum nihil efficacius interpellet, quam Christi sangvis effusus in remissionem peccatorum.*

7. *Laus Dei,* et *Sanctorum: Cum nihil habeamus, quo possimus Deum, et Sanctos pro sua dignitate laudare, quam Christum Sacramentaliter Deo Patri offerre, et immolare.*

8 *Dei amor, et dilectio, ut eum invites ad te, ac per invisce-*

ratio-

rationem ſpiritualis refectionis in teipſo eum delectabiliter amplexeris.

9. *Sitis, et deſiderium augendae gratiae, quia hoc Sacramentum fontem continet gratiarum, et ſanctificationum, et Authorem continet ſalutis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; ideo dicitur Euchariſtia, ideſt bona gratia. Caetera vero Sacramenta fluenta ſunt, et rivuli gratiarum, quibus ſanctificamur.*

10. *Ardor, et ſuſpirium, quo totis viſceribus virtute hujus exceſſivae charitatis*, et *dulciſſimae refectionis cupias ſanctificari ab omni inquinamento carnis, et ſpiritus, et eripi ab omnibus periculis, et tentationibus, ac inſeparabiliter uniri Chriſto Salvatori, et conſervari in ipſius amore. Unde inquit Chriſtus: Pater! quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, illi ſint mecum, et ſint unum*, ſicut *et nos ſumus: ego in* Te, *et tu in me, ut ſint conſumati in unum.* Hactenus S Bonaventura in tract de praepar ad Miſſam cap 8 citato. Pergit Merbeſius:

Deſiderium unionis cum Chriſto.

Porro Sacerdos celebraturus uniri Chriſto Domino ſummo Sacerdoti ardentiſſime concupiſcat in unione illius admirabilis ſacrificii, quod ipſe Chriſtus in Coena inſtituit, et in cruce conſummavit, factus Sacerdos ſuae victimae, et ſui Sacerdotii victima, toto amoris impetu offerat illud ipſum ſacrificium aeterno Patri ad maximam ejus laudem, et cultum, et gloriam, in proteſtationem *ſupremae ejus excellentiae*, et *ſummi in omnes creaturas imperii*, et *noſtrae ſubjectionis*, et perpetuae ab Ipſo dependentiae; in *cultum Latriae* illi ſoli debitum *cum omnibus intentionibus* tam cognitis, quam ignotis, *quas Chriſtus Jeſus* a primo jam tum ſuae Incarnationis momento ſe ſe illi ipſi Aeterno Patri, et per ſingula totius vitae Divino Humanae, et Humano Divinae momenta offerendo, et eamdem ipſam oblationem oppetita morte in crucis ara conſummando *habuit.*

Cum tali deſiderio, quo *Sacerdos* ſe ſe *arctiſſimam cum Chriſto ſacrificante ſocietatem*, et *unionem deperire teſtificabitur* ita, ut nihil quaerat praeter gloriam Dei, et Unigeniti ejus Jeſu Chriſti, *cum Sancta fiducia offeret fidelium ſacrificium* in honorem, et memoriam vitae, paſſionis, mortis, reſurrectionis, et aſcenſionis ejusdem Chriſti, et in obedientiam mandati, quo praecepit, ut idem, quod ipſe obtulerat, ſacrificium in ejus commemorationem offerremus.

Si ita ſe gerat *Sacerdos*, *ſeſeque ipſum cum incruenta Chriſti oblatione. veluti hoſtiam ſacram*, Deo placentem, cum obſequio rationabili juxta Apoſtoli praeceptum *offerat;* erit verus Chriſti Sacerdos, *Illi ut ſuo capiti adunatus*, et ad intimam Beatae Virginis, et Omnium Sanctorum, tam in coelo triumphantium, quam in terris militantium communionem procul dubio admittetur. Merbeſius proequitur:

XXXVI. *Tertia cauſa, ex qua exiſtit vel nullus, vel exiguus Communionum frequentiorum fructus tam reſpectu Sacerdotum, quam reſpectu Saecularium.*

Tertia cauſſa defectus fructus ex communione.

Joannes Bona Cardinalis in Tractatu Aſcetico de Sacrificio cap 6 § 7 talem penuriam fructuum, et gratiarum inopiam, qua laborant plerique tam Sacerdotes, quam Saeculares, *refundit* in plurium tam Sacerdotum, quam laicorum *tetram*, et *deteſtabilem irreverentiam*, quae eo procedit audaciae, et impudentiae, ut multi Sacerdotes ſtatim,

Irreverentia erga Deum Euchariſticum ſumptum.

atque peregere ſacrum, et Saeculares, ubi primum Chriſti corpus excepere, *ad externa defluant, nec Sacramentum ſuam in ſeipſis virtutem exerere patiantur.*

Euchariſtia quamdiu cauſſat gratias? et quas?

Nam ut aſſerit Cardinalis Cajetanus, hoc Sacramentum ſuam vim impendit animae recipientis non ſolum cum reipſa ſuſcipitur; verum etiam toto illo tempore, quo V Sacramenti ſpecies integra in hominis pectore perſeverant. Tunc enim implacabile peccati odium in animis ingenerat: tunc vires ad obſervanda mandata ſuppeditat: tunc auget gratiam: tunc rerum terrenarum faſtidium parit: tunc ad rerum caeleſtium amorem, et ardentius deſiderium animos accendit: tunc intellectum Divinae charitatis radiis perfundit, inflammat affectum, confert animae, et corpori puritatem: tunc denique conſcientiam pacat, et laetitia diffundit, et fideles ad inſeparabilem cum Deo, et Chriſto Jeſu unionem provehit.

Cum tot, et tanta gratiarum genera conferat mirabile Sacramentum, cur poſt frequentem celebrationem, et communionem tot Sacerdotes, et tot laici non potiuntur effectibus?

Defectus gratiarum actionis.

Ratio inde petenda eſt, quod plerique omnes *tantum Dominum ad ſe venientem indigne, et irreverenter excipiunt.* Non enim cum ipſo colloquuntur, non adorant, non gratias agunt: e contra *illum* veluti deſpicatiſſimum quempiam hominem ſuas in aedes ingreſſum *deſerunt, et ne ſuo quidem alloquio dignantur.*

Si *Deus nunquam deſerit, quin prius deſeratur*, ut ait Concilium Trident poſt S Auguſtinum, quid mirum eſt? ſi tales et Sacerpotes, et Laici deſeruntur a Chriſto, quem ipſi priores ſuo in pectore praeſentem animadvertenda irreverentia dicam, an impudentia deſerunt? quid mirum inquam, ſi priventur iis gratiis, et beneficiis, quibus fideles Chriſtum Dominum in Euchariſtia ſuſceptum debita reverentia proſecuti affici, et cumulari ſolent?

Ludovicus Granatenſis Tract III ſui memorialis c 5 de Sacerdotibus (quod et de pluribus Laicis affirmari poteſt) nihil ex continuatis plurium annorum ſacrificiis proficientibus conqueritur his verbis: *Multorum*, inquit, *Sacerdotum increpanda eſt audacia; ſiquidem nulla praevia praeparatione ubi primum ſunt accerſiti, ſurgunt, ſe ſe ad celebrandum conferunt, inter eundum confabulantur, jocantur, rident, vel alia quaepiam negotia temporalia taciti meditantur: et ſe ſiſtunt ad Altare panem Angelorum manducaturi eodem plane animo, quo ad vulgarem menſam communi pane reficiendi accumberent.*

Et inde fit, quod evoluto tot amorum curriculo, quo *coeleſtem hanc medicinam percipere perrexerunt, nullum ex ea commodum reportarunt. Nam ſi quoties Sacro Sancta Miſſae myſteria peregerunt, notabilem quandam gratiae acceſſionem* percepiſſent, *totis viginti annis ingentem coeleſtium gratiarum theſaurum, et acervum haud dubie collegiſſent.*

Quod quidem in ipſis non deprehenditur: ſiquidem in eodem ſemper luto haereant; quippe qui ſemper ſint ſenſuum voluptatibus addicti, non majori quam antea pietate praediti, imo ſaepius in deteriorem ſtatum devoluti appareant. Quid igitur mage metuendum eſt? quam quotidie ad gratiae fontem, ad Angelorum menſam, et omnium remediorum officinam ſe ſe ſiſtere, et poſt annos areſcere ut ante: et eadem ſemper inedia confici, et eadem virium infirmitate perpetuo conflictari. Hactenus Granatenſis loco citato.

XXXVII. Ne igitur in hanc incidamus culpam, et careamus Divinis muneribus, et gratiis, quibus Chriſtus Jeſus digne communicantes afficit, peracto ſacrificio Sacerdotes, ſicut et percepta communione ſaeculares quinque praeſtare debent: *Praxis gratiarum actionis poſt communionem.*

1. Varios *virtutum actus exercere* debent in Chriſtum, quem in ſe praeſentem habent.

2. Quantas *maximas gratiarum actiones* illi ipſi, et per ipſum Deo Patri propter tantum beneficium, ſeu propter ejusdem Chriſti corpus in Euchariſtia ſuſceptum agere debent.

3. Se *ſe offerre velut hoſtiam Chriſto* Domino, *et per ipſum aeterno Patri* in honorem, et unionem ſacrificii, quod in ara crucis conſummavit, et in toto terrarum orbe ab ſacerdotibus rite ordinatis uſque ad conſummationem ſaeculi recoli, celebrarique voluit.

4. Eidem *Chriſto* veluti praepotenti Medico *ſuos langvores debent aperire*, et intimos animi receſſus, et latebras nudare, et ab ipſo pari ad humilitatem ardore flagitare remedia, quibus vitia ſua in anima graſſantia conprimi valeant. Tunc ipſe eos profecto exaudiet, ſi petant cum flagranti amoris impetu. Nam *apud Deum valet non magnus clamor, ſed magnus amor.* Unde Caſſiodorus in Ps 16: *ipſius eſt oratio perfecta, cujus et cauſa clamat, et lingva, et actus, et ſermo, et vita, et cogitatio.*

5. *Concipiet Sacerdos propoſitum* digne Deo, et coram Deo ambulandi.

Omnia iſta praeſtare debent Sacerdotes, et Laici, prout illis ſua pietas, et erga Chriſtum gratitudo cum ingenti veneratione ſuggeret. Sed praeſertim *in humillimas, et amantiſſimas gratiarum actiones eos incumbere neceſſe eſt.* Cum enim iſtud Sacramentum ab ipſo Chriſto gratias agente, et ad agendas gratias ſit inſtitutum, et ab gratiarum actione ſit denominatum, *maximae ingratitudinis reatum admittit, quisquis illud ſine gratiarum actione ſuſcipit.*

Agendae ſunt igitur *Chriſto Domino gratiae* eo praeſertim tempore, quo illum in nobis reſidentem agnoſcimus. Eſt enim gratiarum actio ſacrificium, quo (ſi ipſius Chriſti ſacrificium quotide noſtris in aris exhibitum exceperis) nullum praeſtantius Deo Optimo Maximo impedi valeat. Unde S Auguſtinus cum Divi Pauli exemplo hanc vocem *Deo gratias* frequenter uſurparet, ut conſtat ex Disput 2 contra Fortunat in fine, ex lib 2 contra Petilian cap 54, et cap 92, et ex lib 3 contra Creſcon cap 34: author fuit, ut eadem vox apud omnes paſſim frequentaretur, et potiſſimum apud ſuos. *Nam quid melius*, inquit, *et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus, quam Deo gratias? hoc nec dici brevius, nec audiri laetius, nec intelligi grandius, nec agi fructuoſius poteſt.* Hactenus S Auguſtinus Epiſt 77.

Quomodo autem gratias agere oporteat, docet S Joannes Chriſoſtomus homil 19 in cap 5 ad Ephes: *Intendamus*, inquit, *gratiarum actionem non verbis, neque lingvis, ſed rebus, et factis, et cogitatione, et corde. Tota anima agamus illi gratias. Magis enim nos diligit, quam qui nos genuerunt.*

Agamus igitur *gratias Chriſto Domino, et per illum Patri aeterno pro beneficiis*, quibus et totum genus humanum, et nos nominatim licet

licet indigniſſimos affecit; pro beneficiis, inquam, innumerabilibus, *quibus ad hanc uſque diem nos tam in naturae, quam in gratiae ordine cumulavit, et per ſingula momenta cumulare non deſinit.* Non enim omnia ejus beneficia novimus, aliqua quidem perſpecta habemus, et cognita, ſed *alia ſunt arcana, et nobis ignota, quae quidem tot, et tanta ſunt, ut ea nemo vel Angelus, vel homo complecti orando, et percenſere numerando valet.*

Pro *cognitis* igitur, *et ignotis grates referamus* Chriſto per Chriſtum, et *nos Divina liberalitate, et munificentia ſuperari, atque adeo gratiis referendis impares eſſe fateamur. Offeramus* igitur *Chriſto, et aeterno Patri omnes gratiarum actiones ipſi ab ipſomet Chriſto perſolutas,* inſuper *omnes gratiarum actiones addamus, quas Beata Virgo,* et *omnes Sancti tam in coelo, quam in terris* hactenus *perſolverunt, et per totam aeternitatem in coeleſti gloria ſunt perſoluturi.*

Imprimis gratias agamus Deo, quod *nos ab plurimis piaculis, quibus implicari poteramus, ſartos tectos conſervaverit.*

Dicamus cum S Auguſtino: *Diligam te Domine, et gratias agam, et confitear nomini tuo: quoniam tanta dimiſiſti mihi mala, nefaria opera mea. Gratiae tuae deputo, et quaecunque non feci mala: quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? et omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, et quae mea ſponte feci mala: et quae te duce non feci.* S Auguſtinus lib 2 Confeſſ cap 7. hactenus incomparabilis Merbeſius a n h XXX.

XXXVIII. Ad dignam *praeparationem*, et *gratiarum actionem* fructuoſae communioni neceſſariam, ſicut ad annulum aureum preciosa margarita extrema connectens, mireque exornans, pertinet *affectuoſa*, et *amoroſa celebratio.* De hac ego olim qua Seminarii Epiſcopalis *Incarnatae Sapientiae* Praefectus in uſum Clericorum aliquot collationibus Sacris in compendium contraxeram mox laudatum tractatum *de Sacrificio miſſae* Eminentiſſimi Cardinalis Bona: quas meas collationes, ut pluribus proſint, iſtic in nuce exhibeo ſenſu Eminentiſſimi, et aliorum, verbis meis.

Praeparatio proxima ad Miſſam.

Ad *Praeparationem proximam* neceſſaria eſt *Recta intentio:* Laus Dei, propria, et proximorum neceſſitas. Ita celebrare quaſi hoc ultimum ſit: proinde *inſtar viatici* communionem ſuſcipe. *Viva fides* Excellentiae hujus Sacrificii, nempe renovatio cruenti in cruce peracti. Crede, et imaginare te coram Deo vidente, judicante, et vindicante: in praeſentia SS OO, B Virginis, et Angelorum celebrare. Illorum affectibus junge tuos. *Humilitas.* Quis ego ſum Domine? quia reſpexiſti ſuper me canem mortuum: indignum, quem terra ferat: Domine non ſum dignus! in hoc te ſerio exerce; quia confluunt ad humilitatis convallem fluenta gratiarum. *Contritio*: Deus propitius eſto mihi peccatori, et quod te dilectiſſimum Deum meum offenderim, ſumme dolenti! tibi ſoli peccavi! mendica a beatis coelis incolis ſcintillam contritionis, qua cor tuum inflammetur illo dolore de peccatis, quo illi flagrarunt in vivis; illa item charitate, qua actu ardent in coelis. *Reverentia exterior* in Caeremoniis miſſae exacte, graviter, et modeſte ad aedificationem adſtantium obſervandis: *interior* in affectibus mox recenſendis pie eliciendis. Caetera vide h n XXXV.

Affectus generales Miſſae.

XXXIX. *Affectus generales miſſae. Ad ps* Introibo *cognitio* vilitatis ſuae. *Recogitatio* peccatorum ſuorum, *contritio* amoroſa de iis, ſerium *propoſitum* emendationis. Ad *Gloria in excelſis glorificationis* Dei, ſicut Angeli, et Paſtores in nativitate Domini: Sicut Beati in coelo

Lau-

Laudant, et glorificant Deum. Hos aemulare omni poſſibili affectu. In *epiſtola*, et Evangelio *Doctrinae*: quaſi epiſtolas Omnipotentis ad te miſſas excipe attente: tibi applica, et adhuc hodie moribus tuis exequi ſtude. In *ſimbolo* elice actum fidei, deteſtare omnes haereſes. *In offertorio* offer cor tuum cum oblatis aeterno Deo in holocaſtum ſempiternum. *A praefatione* uſque ad communionem incluſive exerce te in affectibus *unionis cum Deo* per ardentiſſimos actus fidei, ſpei, charitatis, contritionis, propoſiti, adorationis, deſiderii panis Angelici: humilitatis, petitionis gratiarum tibi neceſſariarum, potiſſimum charitatis, caſtitatis, perſeverantiae in bono, Sanctae mortis. Imaginare, te ultimum refici hoc Divino epulo: itaque tanta cum pietate, charitate, contritione ſuſcipe, quaſi mox poſt Sumptionem migraturus e vita, affectus tuos aeternum continuaturus in coelo. *A communione* affectus gratiarum actionis: vide hic n XXXVII.

Neceſſitas horum affectuum.

Affectus hi ſancti ſunt, breves, et faciles ſunt, ne dum a Sacerdotibus, ſed et a Lajcis ſive *Sacrmtaliter*, ſive *ſpiritualiter* communicantibus elicibiles, dummodo debita accedat inſtructio, et conatus. Quod amplius, eſt continent brevem analyſim, et Spiritum Sacrificii: Sine quorum notitia populus vix ſcit, quid agatur in Miſſa. SacroSanctum Tridnum concilium ſeſſ XXII cap 8 graviter mandat aarum Paſtoribus, ut myſteria Sacrificii populo identidem exponant. En ea breviſſime. Si vero fuſius illa noſſe vis et pro Spirituali tuo profectu, et pro plebis tuae inſtructione, en longe nobiliores:

Affectus Miſſae ſpeciales. in ingreſſu ad Eccleſiam

XL. *Affectus miſſae ſpeciales* omnes actiones Sacrificantis comitantes: *Perge ad Eccleſiam* affectibus praeparationis comitatus. *in ingreſſu ad Eccleſiam* ſaluta Sanctum Eccleſiae Titularem, et alios, quorum reliquiae, et imagines ibi ſunt. Imaginare Angelos Euchariſtiam adorantes: quorum affectum imitaturus adora Deum Euchariſticum genu uſque ad terram, animo, et corde uſque ad abyſſum demiſſo. Aeterni ſolis juſtitiae ſplendoribus abſorptus deinceps nihil vide in Eccleſia, niſi quae miſſae debite peragendae ſunt neceſſaria: oculis quaſi velatis animo intende miſteriis. His duo abuſus tollendi ſunt: alter eorum, qui abſque ulla gravitate, et conſideratione parvulam quaſi ignorantes, quid agant, materialemque Deo Euchariſtico genuflexionem in, et extra miſſam faciunt, longe majorem, magiſque reflexam venerationem facturi, ſi ipſis vir illuſtris, aut matrona occurreret. Ubi eſt fides? ubi reverentia? ubi compunctio? ubi bonum exemplum à plebe imitandum? ſenes quibus moleſta eſt profunda genuflexio, gravi, et reverenti capitis, et humerorum inclinatione conteſtentur profundam cordis adorationem. Alter eorum, qui ne dum in Eccleſia, ſed et ipſo Sacro omnes circumſtantes obſervant identidem circumſpicientes. meminerit hi, *oculos infrunitos infruniti animi eſſe indices.* Item illud: *oculus meus depraedatus eſt animam meam.*

Inter induendum

Inter *induendum* meditare, et venerare miſteria Dominicae paſſionis per Sacras veſtes ſignificata: virtuteſque per eas ſignificatas induere ſatage.

Indutus.

Sacris veſtibus indutus conſidera te Lupum in veſte ovium; et veniam flagita peccatorum. *Statue* te in conſpectu Altiſſimi ita celebrare, ac ſi hoc ultimum foret: rubricas omnes exactiſſime obſervare, affectus generales, et particulares elicere.

Exiturus ex sacristia. *Exiturus ex sacristia* capitis inclinatione Crucifixum adora: opemque celebrandi implora.

Eundo ad aram. *Eundo ad aram* imaginare Christum cruce onustum ad montem calvariae ire: Eumque pia cum compassione Sanctarum mulierum comitare recolens, quia pro te, et a te patitur Deus tuus.

Perveniens ad aram. *Perveniens ad aram* coelum tibi apertum intuere, et te inter Coelites esse. Elice ferventissimam contritionem, ne illorum societate indignus inveniaris.

Aperiens Missalae. *Aperiens librum* desiderà Christi fidem in universum orbem propagari, ut omnes agnoscant, et digne ament Deum nostri amantissimum.

Stans in ara. *Stans in ara* abjice te in tui nihilum, recogitans indignitatem tuam, renova mente intentionem tuam. hic n° XXXV.

Descendens ad 1mum gradum. *Descendens ad 1mum gradum* recole incarnationem Verbi: ejusque dilectioni parem reddere conare.

In Nomine Patris. Incipiens *in Nomine Patris* vide! quantum sit hoc nomen, in quo sacrificium auspicaris! elice *fidem Divinae praesentiae*, eamque sub toto sacro ad evitandas mentis evagationes retinere stude, et ad omnes cruces renova.

Introibo. Judica. Ad *Introibo* concipe ardentem fervorem Sacrum ita celebrandi, sicut OO SS Sacerdotes illud celebrarunt. ad Ps *Judica* vide, qua devotione accedere debeas, ne iram Dei in te provoces: pete *fortitudinem*, et *lucem* a Deo, ut sine anxio timore, et cum amore hoc opus Dei peragas.

Confiteor. Dicens *confiteor* elice actus perfectae *contritionis*, et *charitatis*.

Misereatur. Ascendens ad aram. Ad *misereatur* concipe firmam *Spem* remissorum tibi peccatorum, eaque animatus ascende ad *aram*. *Quam quoties oscularis*, elice tenerrimum amoris affectum erga Christum, cum desiderio ei semper serviendi, nec ab eo unquam separandi.

Introitus. Ad *introitum* elice congruum sensui *ejus* affectum, nempe laetitiae, tristitiae, adorationis, deprecationis etc. quem ipse introitus exprimit. Hoc et pro Breviario, et pro omni alia oratione commendatur, ut *Spiritum* Ecclesiae, et orationis sequamur, nobisque appropiemus tanquam recenter a nobis edita oratio illa esset juxta rudes versus illos:

Effectus orationis ubique sequendi.

Credo, spero, gemo, doleo, benedico, amo, adoro:
Affectusque alios proprios mihi reddo perinde,
Ac si a me primum cuncta haec composita fuissent.

Hic modus orandi plures affectus excitabit in una oratione, quam centum materialiter lectae. Experire!

Gloria Patri. Quoties dicis *Gloria Patri*, adorabis Sacro Sanctam Trinitatem, desiderans, ut omnes ei serviant.

Kyrie. *Kyrie* Domine miserere: petes veniam peccatorum.

Gloria in excelsis. *Gloria in Excelsis* associatus novem Angelicis choris dices cum summa exultatione, ad omnes novos sensus congruos affectus laudis, adorationis, gratiarum actionis (ut mox diximus) eliciendo.

Dnus Vobiscum. Cum dicis *Dnus vobiscum* optabis populo omnem caelestem, et terrestrem benedictionem.

Collectae. Ad *collectas* expende sensum earum, et in persona Ecclesiae offer eas Altissimo velut vota populi legatus ad Deum, et Mediator inter Deum, et homines. Mendica pro te quoque eas virtutes, quas collectae exhibent.

Per Dominum *Per Dominum* orationes meritis Christi conjunctas offer Patri aeterno. Quod Ecclesia in omni oratione facit.

Epistola, et Evangelium. *Epistolam*, et *Evangelium* velut Dei ad te epistolas magna cum devotione suscipe: gratias age Deo, quod mundum doctrina

sua

ſua illuminare dignatus ſit. Statue, non auditor, ſed factor ejus doctrinae eſſe.

Graduale. Offer te alacriter ad perfectionem Evangelicam. *Graduale.*

Signans librum Evangelii, et frontem declare te non erubeſcere Evangelium, quin pro tuo poſſe praedicare illud cunctis velle. *Signatur Evang.*

Ad Oſculum Evangelii Statue, te pro evangelii veritate paratum eſſe ſemper mori. *Oſculum Evang.*

Credo Elice actum fidei ad ſenſum verborum omnes haereſes deteſtando. Hactenus Miſſa catechumenorum. Jam incipiunt miſteria, itaque *Credo.*

XLI. *Ad oſculum arae*, et *Dnus Vobiſcum* in Dei, et proximi amore incipe ſacrificium. ad *oremus* petes gratiam digne illud perficiendi. *Oſculum arae*

Ad *Offertorium* Colloca affectuoſe ad Patenam cum hoſtia cor tuum, et omnium Fidelium, eaque cum hoſtia offer Deo tuo in holocauſtum perpetuum, orans, ut ſicut panis mox convertetur in Corpus Chriſti vivum, et Patris ſui infinite amans: ita cor tuum, et omnium hominum in amorem perpetuum Dei convertatur. Idipſum cum calice repetes. Quin omnes orationes, et benedictiones ad oblata ad cor quoque tuum eandem ratione dirige. *Offertorium.*

Fundens vinum in calicem Age gratias Salvatori tuo, quod ſub exigiis his ſpeciebus latere noſtri amore dignetur, eligens ejus exemplo abjectus eſſe in domo Dni. *Fundens Vinum.*

Miſcens aquam ad intimam unionem cum Chriſto aſpira. Recole unionem animae cum corpore humano: unionem Verbi cum natura humana: et elevationem naturae humanae ad gratiam, et gloriam. de his gratias age, ad poſtremam aſpira. *Miſcens aquam.*

In Spiritu humilitatis immerge te in tuum nihilum indignum tanto miſterio ex intima contritione. *In ſpiritu humilitatis.*

Veni Sanctificator ora, ut oblata, et te Deus ſua benedictione complere, tuamque indignitatem ſuplere dignetur.

Ad lavabo gratias age, quod ſangvine amantiſſimi Salvatoris lotus ſis: ſtatue, deinceps ab omni Labe mundum vivere velle. *Lavabo.*

Suscipe Sancta Trinitas recolens miſteria redemptionis offer hoc Sacrificium in gratiarum actionem tanti beneficii, oraque Sanctos hic commemoratos, ut tuam dignitatem meritis ſuis ſuplere dignentur. *Suſcipe.*

Orate Fratres ſuffragia mendica a *circumſtantibus* ſacrificii digne complendi. Tuae intentioni, et affectibus conjunge *illorum* intentionem, et affectus. *Orate Fratres.*

Secreta ora Deum ſuppliciter, ut Sacrificium tuum acceptare dignetur. Tum *Secreta.*

Praefatio: Totus ad ſublime raptus, *per omnia ſaecula* duratura, et aeterna cogitans invita populum ſalutatum *ſurſum corda* ad Deum attollere: eique pro immenſis beneficiis *gratias agere.* Hoc enim *dignum, et juſtum* eſſe profiteris: Ideo expanſis in crucem brachiis tanquam omnes creaturas ad Deum attracturus Eum impenſe lauda. Tum ad id ipſum omnes choros Angelorum invita: cum quibus animo junctus *Praefatio.*

Sanctus: Trigaſion tanto affectu dices, ut illorum fervorem exaequa- *Triſagion.*

exaequare videaris: Laudans Trinitatem, et Chriſtum, *qui venit in Nomine Domini*, invitabis eum in aam tuam, ut in ea perpetuo maneat.

Te igitur. XLII. Sequitur *Canon*, ſive norma, et regula conficiendi tremendi Sacrificii incipiens in *Te igitur:* quae dicens elevato capite, oculis, ac manibus in caelum imaginare tibi caelum aperiri, teque in conſpectu Divinae majeſtatis conſiſtere ut mediatorem indignum inter Deum, et homines, coram quo *ſequens ſenſum Canonis* ora 1 Patrem, ut oblata ſanctificet per merita Chriſti. 2. dirige intentionem, pro quibus offers, nempe pro Eccleſia Sancta Dei. etc. ut ibi.

Communicantes. *Communicantes.* Et quia meritis tuis diffidis, ora peculiares Sanctos, ut meritis ſuis oblationem tuam Deo acceptam reddere dignentur.

Hanc igitur. *Hanc igitur* exprime primarium Finem ſacrificii, nempe Dei in nos Dominium, et noſtram ſervitutem: transfer oblata in poteſtatem Dei orans, ut eorum ſvavitate *nos ab aeterna damnatione liberare, et cum electis* connumerare dignetur.

Quam oblationem. *Quam oblationem.* Oblata Deo commenda, et fac actualem intentionem conficiendi corpus, et Sangvinem Dni.

Qui pridie. *Qui pridie.* Moneris, ut hoc facias, quod Chriſtus in ultima caena fecit, et nobis faciendum praecepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.*

In Sanctas. *In Sanctas.* Conſidera, quam purae eſſe debeant manus tuae Divinum panem tractaturae!

Elevatis oculis. *Elevatis oculis* ad caelum transfer omnes cogitationes, et vires animae tuae.

Gratias agens. *Gratias agens.* Intimo mentis affectu gratias age pro hujus miſterii, quo nec terra, nec coelum ipſum dignius habet, et quo Omnipotens plus nobis dare non potuit, inſtitutione, et tua vocatione, orans, ut defectus tuos ex meritis ſuis ſupplere dignetur.

Affectus ante Conſecrationem. *Ante Conſecrationem.* Mente intenſiſſimam contritionem elice, memorque tremendi exempli Ozae *corde* dic: *Ita te amo Pater, ſicut te Chriſtus amavit! ita doleo de peccatis meis, ſicut omnes Sancti peenitentes doluerunt de ſuis. Deus propitius eſto mihi peccatori. Infinities* infinities *amo, doleo, deteſtor, propono*, aut alia ſimilia, quae cor contritum cuique facile ſuggeret.

Ad conſecrationem panis. *Hoc eſt Corpus* proſer non *hiſtorice*, ſed *enunciative* in perſona Chriſti. Mox aſpice exercitum Angelorum aram circumdantem, et cum eis cor tuum in abyſſum reverentiae immergens Deum Euchariſticum tanta reverentia, charitate, et contritione adora, ut ſi non cor tuum, certe omnes inordinati affectus tui ſcindantur in partes, et radicitus extirpentur ardentiori in Deum affectu.

Ad Elevationem. *Ad elevationem* animo dic: *En Pater! offero tibi Filium tuum illa charitate, qua ſeipſum in ultima caena, et in cruce tibi obtulit: et cum illo me tibi pariter offero in holocauſtum ſempiternum.* Conſidera Chriſtum exaltatum in cruce, ut *omnia trahat ad ſeipſum.* Dona illi cor, et animam tuam ſtatuens, te deinceps Chriſto, et vita Chriſti victurum docente Paulo: *vivo ego, jam non ego: vivit vero in me Chriſtus.*

Ad

Ad calicis consecr. et elevat. Illacrimare animo Divino Sangvini Christi peccatis nostris conculcato: et in conpensationem injuriarum ei illatarum adorabis omni possibili veneratione dicens: *credo, amo, adoro te mi dulcis Jesu! illo cultu, quo te Sancti in caelo, et terra adorant: utinam ita munde, et tanta cum charitate te tractare possem, sicut B Virgo Mater tua tractavit in terra.* Infinities! infinities amo te. etc. S Petrus M ad elevatioуem petiit gratiam Martyrii, et obtinuit. Tu incruentum martyrium in occisione, et exstirpatione pravorum affectuum, et in digno Dei servitio consistens pete juxta illud SS PP theorema: *devotae mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est.* *Ad Calicis consecr.*

Haec quoties. Recordaberis amarose Passionis Domini, et effusionis Sangvinis ejus consecratione duplicis speciei expressae. *Haec quoties.*

Unde et memores. Excita vivam fidem, et spem firmam, quod per merita hujus sacrificii (quod Patri offers, et quod sacrificiis Abel, Melchizedech, et Abrahae majus esse gratularis) tu quoque beatae resurrectionis, et aeternae vitae particeps sis futurus. Interea vero omni benedictione repleri desidera, potissimum ut Deo digne servire valeas. *Unde et memores.*

Memento. Et quia locus, tempusque gratiarum est, sollicite Deum deprecaberis pro aabus in charitate defunctis: pro quibus partem etiam specialissimam persaepe ingenti charitate donabis: vicem sane maximam ab aabus illis, ubi ad conspectum Dei venerint, pro te incessanter oraturis recepturus. *Memento.*

Nobis quoque. Agnosce Te maximum peccatorem; sed in fiduciam mox erectus pete tibi partem cum beatis per *Christum*, per *quem* Pater omnia bona praestat, nos sanctificat. etc. *Nobis quoque*

Tenens calicem cum hostia conjunge his cor, et aam tuam, *ac una omnia haec* offer Patri in holocaustum aeternum, gratias agens pro omnibus totius vitae tuae beneficiis. *Tenens Calicem cum hostia.*

XLIII. *Per omnia saecula.* Ne petitiones tuae vagae, incertaeque sint, subjungitur oratio a Christo nobis tradita, in qua continetur *summa petendorum* omnium affectuosissime ad Patrem dirigenda. En ejus Analysim et tuae pietati, et *tuorum instructioni* servituram, *ut sciant quid quotidie orent:* *Analysis Dominicae orationis.*

Pater noster Adora Patrem majestatis. Aestima dignitatem tuam, qui es Filius tanti Patris. Concipe magnam fiduciam obtinendi quae petis a tanto Patre *nostro.* Qui *omnium* Pater est. go *omnes* nos *sumus Fratres.* igitur Omnes sincera invicem charitate diligendi. Excita in te charitatem sinceram ad omnes proximos sine exceptione.

Qui es in coelis per gloriam, hic per essentiam. Illuc aspira. hic venerare Deum ubique magis, quam aa tua sit, tibi praesentem, facta tua videntem, judicantem, olim vindicaturum.

Sanctificetur n t. Desidera eximiam tibi, proximis, totique mundo Sanctitatem, ut Deus ab omnibus infidelibus, haereticis, schismaticis, Christianis malis agnoscatur, colatur, sicut in coelo a beatis ardentissima devotione incessanter adoratur. Quorum affectibus junge tuum.

Adveniat regnum tuum. Opta Deum in tua, et omnium voluntate regnare: teque ad regnum aeternum pervenire.

Fiat voluntas tua. Ora, ut Deus sit regula actionum omnium nostrum, quae placita sunt ei exequendo, ut fit in coelis.

Haec eſt perfectio chriſtiana *Dei voluntati* potiſſimum in adverſis ſuam conformare.

Panem noſtrum. Ora neceſſaria corpori, non luxum, non delicias: aae Euchariſtiam, gratias efficaces. vide, ne te his indignum reddas.

Et dimitte nobis. Elicito affectu ferventiſſimae charitatis, et contritionis pete remitti peccata tua.

Sicut et nos. Dimitte toto corde omnium offenſas, idque amore Dei proximos omnes ſincere diligendo.

Etne nos. Pete liberari a tentatione, non ut non tenteris (quod occaſio virtutis eſt juxta illud: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem*) ſed ne illis victus excidas a gratia Dei.

Sed libera nos a malo Culpae, et poenae, et ut uberius mox explicat Sacerdos: a *malis praeteritis* peccatis: *praeſentibus* adverſitatibus: et *futuris* tentationibus: idque per merita SS, quos ibi enumeras, tuis viribus diffiſus. En altiſſimos ſenſus, et affectus Dominicae orationis! Utinam et cordibus noſtris inſculpendos, et Auditoribus noſtris inculcandos! ne ſine his oratio a Deo Homine tradita fiat ſtramen in ore materialiter eam recitantium. Sed pergamus in affectibus ſacrificii.

Fractio hoſtiae. Pax.

XLIV. *Frangendo hoſtiam* pete intimam cum Deo unionem perpetuam, ut nihil te ab eo unquam ſeparet.

Tres orationes.

Pax Dni Pete *Pacem* tibi *cum Deo* per gratiam ſanctificantem: pacem *cum temetipſo* in concordia appetitus cum recta ratione, et Paſſionum mortificatione ſitam: Pacem *cum proximis* extinctis omnibus odiis, et ſimultatibus in ſincera eorum charitate conſiſtentem. Hanc pacem petis ab agno Dei et in 1 oratione ante Communionem. In 2 remiſſionem peccatorum. 3 In fiduciam erectus ſperas Sacramentum tibi fore *tutamentum mentis, et corporis.* ideoque.

Panem caeleſtem.

Panem Coeleſtem in manus accipiens adora profundiſſima veneratione, et invita Chriſtum in cor tuum ardenti deſiderio. Mox te propter peccata tua intime humilians dic ex toto corde:

Dne non ſum dignus. Comunio.

Dne non ſum dignus: una eliciens omnem poſſibilem de peccatis tuis contritionem.

Ante communionem ſubſiſte paululum affectibus fidei, ſpei, charitatis, deſiderii, humilitatis intentus. Mox ſume Ssmum ea cum devotione, ac ſi ultimo inſtar viatici ſumeres. Mane tantisper in affectibus gratiarum actionis, adorationis. *Quid retribuam.* Agnoſce, te nihilum nihil dignum referre poſſe pro tanto dono. Ideo pro ſumpto Corpore offer Deo Sangvinem Chriſti. inter ſumendum pete gratiam caſtitatis ab eo, qui eſt *vinum germinans virgines.* tum conſtantiae inter adverſitates, tentationes: perſeverantiam in bono, gratiam finalem.

Componendo Calicem.

Componendo calicem I: Gratias age Xto pro corpore, et ſangvine ſuo pretioſo tibi tam amanter donato. II: Adora Divinum tuum hoſpitem ao uſque ad abyſſum tui nihili demiſſo. 2: praebe illi cor tuum aſſum igne charitatis. IV. Pete ab eo, qui omnia poteſt, et vult petenti dare, gratias pro te, et tuis. Dic: *inveni, quem diligit aa mea*: teneo te dulcis Jeſu! *nec dimittam te, niſi benedixerimus mihi.*

Collectae.

Comunio, et collectae continent gratiarum actionem, et poſtulationem, ut accepta dona in nobis perſeverent, et majora ſumant in dies incrementa.

Placeat.

Placeat tibi rurſum offeres ſacrificium pro omnibus neceſſitatibus militantis, et purgantis Eccleſiae.

Ad

Adorationis. *illumque* insalutatum solum relinquerent.

Adorationis. adora perfecto cultu Latriae Divinum tuum hospitem sicut omnes Sancti adorarunt et hodie adorant in terris, in omnemque aeternitatem adoraturi sunt in coelis.

Gratiarum actionis. *Gratiarum actionis.* Age Gratias *Patri* pro tanto Filio tibi amanter donato: *Filio* pro pretioso corpore, et sangvine suo: *Spiritui Sancto* pro tanto amore. *Invoca* caelum, et terram, B Virginem, OO SS, ut pro te Deum laudent: Deum ipsum, ut sibi ipse dignas gratiarum actiones habere dignetur.

Oblationis. *Oblationis*: offer *Patri Filium* sicut B Virgo post Partum, et in cruce pendentem: sicut Simeon in templo. Haec nempe sola est oblatio digna aeterno Patre in cruce Eidem a filio oblata, et a te in ejusdem oblationis memoriam in Sacrificio missae incruente renovata: et nunc iterum in gratiarum actionem peracti sacrificii offerenda. dic agitur affectu Simeonis: *nunc dimittis* etr. Dein *Filio* offer temetipsum totum dicens: *suscipe Dne universam meam libertatem, accipe memoriam* etr. ut in Rakocziano. *Spiritui Sancto* offer *cor Christi* amoris Divini abyssum, ut illo digne ametur: adjunge cordi Christi *cor tuum*, ut hoc Spiritus Sanctus purificare, unire cordi Xti, et sic digno suo amori aptare dignetur. *O Deus ego amo te: nam prior tu amasti me.*

Petitionis. *Petitionis.* Hic *mendica* a tanto hospite dicente tibi: *ecce nunc tempus acceptabile*, tempus gratiarum: *pete quod vis; etiamsi dimidium regni mei, et dabitur tibi. quare negligis?* pete potissimum constantiam in bono: gratiam digne ambulandi vocatione: superandi tentationes: perseverantiam in bono finalem. *anima Christi Sanctifica me. Pater noster* cum analysi meditando. Demum cordi Christi commenda tuos *vivos*, et *defunctos.*

Propositi. *Propositi.* Ferreum propositum elice vocatis in testes Angelis Dei, quod malis deinceps mori quam peccare: quod velis ire de virtute in virtutem: conari singulis diebus in bono proficere: ab hoc vitio familiari, ejusque occasione omni studio cavere.

XLVII. Si porro tempus suppetat, elice *affectus speciales*: videlicet

Affectus speciales. *Fidei* credens firmiter quidquid Mater Ecclesia de altissimo hoc misterio docet. *spera*, et *mendica* omnia Bona temporalia, sed potissimum spiritualia, et aeterna a Divino hospite. *Ama* infinitam hanc bonitatem omni possibili affectu. *Gaude* ejus majestatem tantae esse amabilitatis, ut a nullo infra Deum digne aestimari possit. *Dole*, quod passim a tam multis, tamque graviter offendatur; et *a te potissimum*: meliora *sponde. Opta*, ut ei serviant omnes creaturae, infideles, haeretici, peccatores, mali Sacerdotes: Quorum tu primus es. Ideo *Humilia* te usque ad abyssum tui nihili considerando illius Excellentiam, in te collata beneficia, tuam indignitatem, ingratitudinem. oh si multis infidelium collatae fuissent gratiae in te congestae, quam magni illi Sancti evasissent! Haec cogitatio multos Sanctorum eo adegit, ut se *ipso Diabolo* pejores esse proclamarent: quod *illi* uni tantum gratiae defuerint, ab una tentatione vinci se passi fuerint. et tu quot gratiis restitisti? quod tentationibus succubuisti? quoties mortaliter peccasti? quoties inferni portas pulsasti? sed pepercit tibi tamen hactenus prae innumeris misericordia Dei. Vere *misericordia Domini, quia non sumus consumpti!* go hanc *in aeternum cantemus.*

Dein

Dein applica ſpirituales *ſenſus* tuos: *aſpice* majeſtatem ejus, cujus viſus omnes caeli cives infinite beatos facit. *Confundere*, quod res creatas tanti hactenus feceris: oculos tuos Divinae huic pulchritudini contemplandae ex nunc ſerva: claude vanitati, memor potiſſimum, quoties *oculus* tuus *depraedatus* ſit *aam* tuam! *audi* porro Divinas ejus inſpirationes, et hodie adhuc exequi ſtude. *Odora* flagrantiam virtutum ejus, potiſſimum in hoc Sacramento relucentem humilitatem, ac charitatem. Statue aemulari. *Guſta, quam ſvavis ſit Dnus* diligentibus ſe. Propone ſiliquas mundi non appetere, guſtum ſerio refraenare, cibo, et potu pro neceſſitate tantum uti, exceſſum in his omnino vitare. *Tange*, et mille oſculis venerare dulciſſima quinque vulnera amantiſſimi Salvatoris: ab Eoque poſtremum benedictionem pete.

Praxis moraliter continuae charitatis.

XLVIII. Ne vero hi affectus momentanei ſint, ad eos, vel ſaltem unum ex iis, qui tibi eadem die cor magis penetravit, initio, et in fine praecipuarum actionum, et ad ſonum horologii attentius reflecte. Sic cumulate ſatisfaciemus *virtualiter continuae charitatis* praecepto nos *moraliter aſſidue* in ſanctis his affectibus occupantes. Angelicus Juvenis Aloyſius poſt communionem triduo gratias agebat: ſequenti triduo ad illam ſe parabat. Septima die eam ſumebat. Sacerdotes pii ita tempus diſtribuere deberent, ut peracto ſacrificio uſque ad poſt caenam in *affectibus gratiarum actionis*: deinceps uſque ad quietem, nocte item evigilantes, et mane uſque ad ſacrificium *in praeparationis proximae devotione* ſeſe *moraliter continuo* quantum humana fragilitas ſinit, et aliae occupationes admittunt, diſtineant. Ita omnes actiones totius moraliter vitae noſtrae ad Divinum epulum digne ſumendum dirigentur. Quae eſt pia praxis Sanctorum.

Dicta pro Sacerdotibus applicari debent et laicis.

XLIX. Et quia *charitas ſui communicativa eſt*, docendae ſunt oviculae noſtrae, hanc ipſam *praeparationem* proximam *ad miſſam celebrandam* h a n XXXVIII eſſe aptiſſimam *praeparationem ad Communionem* pro *laicis*: et gratiarum actionem poſt miſſam hic n a XLVI deſcriptam ſervire *ipſis* utiliſſime pro gratiarum actione *poſt Communionem*. Sicut n XLV monui, affectus miſſae devote *celebrandae* perinde etiam *audiendae* maximo cum fructu ſpirituali proponendos fidelibus eſſe. Auſim affirmare, hujuſmodi Communionem, et ſacrificii auditionem eſſe illam, de qua aſſerunt pii, quod *unica devote facta ſanctos facere poſſit*. Atque utinam ſanctae hae praxes non maneant in chartis! ſed cordibus lectorum, ac per eos fidelium identidem diligentius inſculpantur! Haec de praeparatione proxima, et digna celebratione, ac gratiarum actione.

An frequentius, vel rarius Communicandum? Diſtinctio Doctoris Seraphici.

L. Porro ut nec in hoc aliquid deſideret pius Lector, ad illam quaeſtionem: *An praeſtet frequentius, aut rarius celebrare? et communicare?* Notamus hic S Bonaventurae plane Seraphicam doctrinam in 4 ſent Diſt 12 p 2 a 2 q 2: *Si ergo quaeritur: utrum expediat comunionem frequentare alicui? dicendum, quod ſi videat ſe eſſe in* STATU ECCLESIAE PRIMITIVAE, *eſt laudandum quotidie communicare: ſi autem in ſtatu Eccleſiae finalis, utpote frigidum, et tardum, Laudandum eſt quod raro: ſi autem* IN MEDIO, *medio modo debet ſe habere: et aliquando debet ceſſare*, UT ADDISCAT REVERERI: *aliquando accedere, ut inflammetur amore. Quia* TALI HOSPITI DEBETUR HONOR, DEBETUR ET AMOR: *et tunc ſecundum illam partem, ſecundum quam viderit ſe magis proficere, ad illam magis declinet. quod homo ſolum experientia diſcit. Omnes ergo rationes intelliguntur* SALVA DEBITA PRAEPARATIONE. *quae eſt in pauciſſimis, ut Jemper.*

Conforme his ſcribit idem Doctor Seraphicus Breviloquii p 6 c 9 dicens: *Quoniam capacitas noſtra ad Chriſtum efficaciter ſuſcipiendum non eſt in carne, ſed in ſpiritu; non in ventre, ſed in mente: et mens Chriſtum non attingit niſi per cognitionem, et amorem, per fidem, et charitatem; ita quod fides illuminat ad cognitionem, vel recordationem, et charitas inflammat ad devotionem: ideo ad hoc, quod aliquis digne accedat, oportet quod ſpiritualiter comedat, ut ſic Chriſtum per recordationem fidei maſticet, et per devotionem amoris ſuſcipiat: per quae non in ſe transformet Chriſtum, ſed ipſe potius trajiciatur in ejus miſticum corpus. Propter quod manifeſte colligitur, quod qui tepide, indevote, et inconſiderate accedit, judicium ſibi manducat, et bibit: quia tanto Sacramento contumeliam facit. Et ideo conſilium eſt his, qui ſe ſentiunt minus mundos mente, vel carne, vel etiam indevotos, ut differant quouſque parati ad eſum veri Agni, mundi, devoti, et circumſpecti accedant. Propter quod etiam hoc Sacramentum praeceptum eſt celebrari cum ſolennitate praecipua tam quantum ad locum, quam etiam ad tempus, et quantum ad verba, et orationes, et quantum ad veſtiſtimenta in celebratione Miſſarum: ut tam ipſi Sacerdotes conficientes, quam etiam ſuſcipientes percipiant gratiae donum, per quam purgentur, illuminentur, perficiantur, reficiantur, vivificentur, et in ipſum Chriſtum per exceſſivum amorem ardentiſſime transferantur.* Hactenus S Bonaventura. ſubjungit Merbeſius:

Rarius tepidis.

Faceſſant ergo illi, qui quoslibet *quantumvis frigidos*, et *tardos*, et *tepidos*, et *ab omni devotionis ſenſu, et gratia derelictos, praepoſtero denique ſui, et ſaeculi amore irretitos maximum Chriſto Domino honorem adhibere aſſerunt, ſi frequentius ad Sacra ejus corporis, ſangviniſque miſteria confidenter accedant.* Idem Merbeſius loc cit q XI haec ad rem ait:

LI. Multi zelo forte fervidi, ſed parum Dominica electione fundati objiciunt pervagatiſſimum illum V Bedae locum: *Sacerdos*, inquit Beda, *non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in eo eſt, privat SS Trinitatem laude, et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, juſtos ſubſidio, et gratia, in purgatorio exiſtentes refrigerio: Eccleſiam ſpirituali Chriſti beneficio, et ſeipſum medicina, et remedio.* quibus reponit ibidem Merbeſius:

Objectio ex V Beda.

„ Iſta V Bedae verba nihil officiunt doctrinae, quam hactenus SS Patrum veſtigiis inſiſtendo ſtabilivimus: Nam hujus loci vis, et intelligentia pendet ex his vocibus: NON LEGITIME IMPEDITUS; ergo ſi Sacerdos legitimo impedimento ſit implicatus, Iſta Bedae ſententia nihil ad ipſum pertinebit. Atqui SS Patres peccata venialia non retractata, ex iiſque ortum animi langvorem, et torporem eſſe legitima miſticae oblationis impedimenta ſcripto, et exemplo docuerunt, ut a nobis hactenus probatum eſt; ergo hujusmodi objectio ex V Bedae verbis repetita cadit in irritum.

Solvitur ex Merbeſio.

Revera Sacerdotem ſe ſe *ob peccata venialia, quae ad majorem V. Sacramenti reverentiam per humilem poenitentiam eluere cupit*, ab ſacris myſteriis abſiſtentem Sacro Sanctae Trinitati deferre gloriam, Angelis afferre laetitiam, peccatoribus procurare veniam, juſtis accerſere ſubſidium, animabus in purgatorio detentis obtinere refrigerium, Eccleſiae Spirituale Chriſti impetrare beneficium, ſibi ipſi denique medicinam, et remedium mereri, meridiana luce clarius oſtendimus.

Hoc ipſum non mediocriter confirmat aureus de imitatione Chriſti libellus l 4 c 10: *Siquis*, inquit, INTERDUM *abſtinet a Communione humilitatis gratia, aut legitima impediente cauſa, laudandus eſt de re-*

Et Kempenſi.

de reverentia. Et paulopoſt num 6: *Cum vero legitime praepeditus eſt, habebit ſemper bonam voluntatem, et piam intentionem communicandi, et ſic non carebit fructu Sacramenti.*„

Frequentius fervidis.

LII. Haec Piiſſimus, et doctiſſimus Merbeſius. Legatur totum cit caput Thomae Kempenſis: ubi *frequentem* omnino, ſed cum *ferventi charitate*, cum *debita* animi *conpunctione*, *excuſſoque* generoſe *torpore*, et *langvore ſpiritus* Communionem commendat. Sanctus quoque Ambroſius l 4 de Sacramentis cap 6 frequentem communionem comendat dicens: *Si quotiescunque effunditur Sangvis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo ſemper accipere, qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam.* Et S Auguſtinus id ipſum deſiderat ſerm. 18 de verbis Dni hortans: *accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit.* monet tamen: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Omnia complectitur Gennadius libr de Eccles Dogmat cap 53: *Quotidie Euchariſtiae Communionem percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus Communicandum ſvadeo, et hortor;* ſi tamen mens ſine affectu peccati ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Euchariſtiae perceptione, quam purificari. *Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de caetero voluntatem, et comunicaturus* ſatisfaciat lacrimis, et orationibus, et *confidens de Domini miſeratione accedat ad Euchariſtiam intrepidus, et ſecurus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia, et mortalia peccata non gravant. Nam quem poſt baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius - - Sacerdotis judicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad judicium, et condemnationem ſui Euchariſtiam percipere.* Dignam vero poenitentiam ita ibidem deſcribit: *Poenitentia vera eſt poenitenda non admittere, et admiſſa deflere. Satisfactio poenitentiae eſt cauſſas peccatorum exſcindere, nec eurum ſuggeſtionibus aditum indulgere.*

Qui ſoli digni Euchariſtia.

Ex quibus univerſim diſcimus, ad dignam celebrationem, et fructuoſam comunionem neceſſarium eſſe *omne peccatum lethale, et omnem qualiſcunque peccati lethalis affectum exuiſſe; et non quidem omne peccatum veniale* (ſine quo nec Sancti diutius vivere poſſunt) *ſed omnem peccati venialis affectum abjeciſſe: et praeterea magno comunicandi deſiderio teneri.* Ut totidem verbis habet S Franciſcus Sales Philoth p 2: cap 20. Hinc et qui *ſingulis diebus* communicare poſſint? patet: et principalis aſſertio noſtra de carentia *omnis affectus peccati venialis*: et neceſſitas *actualis charitatis* ad fructuoſam celebrationem Diviniſſimi hujus miſterii in plena luce collocatur.

Praecipue Sacerdotibus.

LIII. Haec nos a frequenti communione non abſterreant, ſed ad fervorem charitatis dignae communioni neceſſarium exſtimulent. Potiſſimum vero Sacerdotes aemulari debemus ſpiritum primitivae Eccleſiae quotidie communionem Sacram maximo cum fervore charitatis frequentantis, ut omnes PP colligunt ex act 2 44: *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, et* COMMUNICATIONE FRACTIONIS PANIS, *et orationibus.* Cur? quia ut ibi c 4 32 notat Lucas: *multitudinis credentium erat cor unum, et anima una* per charitatem mutuam inſeparabilem a charitate Dei. Ut vidimus cap IX VI. idem teſtatur S Cyprianus Saeculi III ſcriptor de or Dom: *Hunc panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, et* EUCHARISTIAM QUOTIDIE IN CIBUM SALUTIS ACCIPIMUS, *intercedente aliquo graviori delicto dum abſtenti, et non communicantes a Chriſti pane prohibemur, a Chriſti corpore ſeparemur.* Conſonat Auguſtinus ſaeculo IV Hom 42: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: Euchariſtiam tu-*

Spiritum primitivae Eccleſiae aemulari obligatis.

em,

am, QUOTIDIANUM CIBUM *pro ſe rogant, ut bona faciant, ut in bonitate, et fide, et vita bona perſeverent. Hoc optant, hoc orant, quia qui non perſeverant in bona vita, ſeparabuntur ab illo pane. Ergo panem noſtrum quotidianum da nobis hodie quid eſt: ſic vivamus, ut ab altari tuo non ſeparemur.* Os vere Aureum ſaeculo V langventes ſenſim Chriſtianos ad frequentandam Divinam menſam eloquentia plusquam Tulliana exhortatur Hom 24 in cap 10 I ad Corinth affirmans: *Mortem eſſe miſtici hujus convivii communicatione non frui: menſam illam eſſe animae noſtrae rubor, mentis cum Deo vinculum, fiduciae noſtrae firmamentum, Spem, ſalutem, lucem denique, ac vitam noſtram. Quin tanti frequentative miſterii terram in Coelum converti; ſiquidem quod in Coelo pretioſiſſimum eſt, maximeque venerandum Angelorum ſcilicet Regis, et Domini corpus nobis videndum exhibeat: neque videndum modo, ſed etiam contractandum,* et *deguſtandum.* Mox lamentatur de paucitate frequentantium Hom 3 in cap I ad Ephes: *Fruſtra eſt* QUOTIDIANUM SACRIFICIUM: *fruſtra adſtamus altari! non eſt, qui participet.* En Spiritum primitivae Eccleſiae quotidianam communionem ardenter deſiderantis! quem niſi nos ſaltem Sacerdotes, utpote purior portio gregis Dominici, vi vocationis noſtrae ad offerendas Deo placabiles hoſtias electi, fuerimus aemulati, magno privabimus quotidiano ſubſidio ſpirituali nos primum, dein pias oviculas noſtras: quas ut Filii Heli negligentia noſtra *retrahemus a ſacrificio* Domini.

Digne tamen ſemper.

LIV. Attamen cum aureo Ore Loco mox citato loquens *Haec non eo dico, ut participetis quocunque modo, ſed ut vos dignos praeſtetis.* Atque adeo cum eodem Hom 24 prius laudata quotidianam quoque celebrationem frequendam affirmo *non ſine fervore, atque inflammata, ignitaque charitate: ne in ſupplicium incurramus. Ut Sacro quodam horrore perfundamur, et reverentiam multo majorem hic exhibeamus, quam cum Magi procidentes Chriſtum adoraverunt. Ne ſi temere, et inconſiderate acceſſerimus, carbones ignis ſuper caput noſtrum congeramus. Chriſtus aquilas vocat eos, qui ad corpus ſuum conveniunt juxta illud:* ubi corpus, ibi congregabuntur et aquilae, *ut oſtendat, ejuſmodi aas ſublimes, et in coelum erectas eſſe oportere, quae nullam cum terra commercium habeant* (in re terrena ut fine conquieſcendo) *neque deorſum trahantur, aut repant rerum creatarum cupiditate* (deliberata) *illectae: ſed quae INDESINENTER* affectu charitatis virtualiter continuo *ſurſum evolent, ipſumque juſtitiae ſolem acutis, et perſpicacibus mentis oculis intueantur. Haec enim menſa AQUILARUM eſt, non GRACULORUM.*

Per charitatem actualem praedominantem.

En praedominantem actualis charitatis ſuper omnia affectum ad communionem optimam, atque neceſſariam praeparationem proximam! Hoc docet Eccleſia duce Angelico in off Corp Chriſti: *Pingvis eſt panis Chriſti, et praebebit delicias Regibus* affectuum ſuorum per charitatem omnem affectum ad venialia excludentem. Taliter omnes obligamur eſſe *Sacerdotes Sancti incenſum, et panes offerentes Deo:* Intonante Baſilio M l 1 de Bapt cap 3: *Contriſtat Spiritum Sanctum, qui charitatem non habens, quae urget nos, ut illi ſoli vivamus* ad ejusdem gloriam omnia ultimatim referendo, *qui pro nobis mortuus eſt, ad Euchariſtiam tamen accedere non veretur.* Sacerdotes potiſſimum urgente moralium Parente libr dialog *debemus proeſens ſaeculum tota mente contemnere* rebus ejus non fruendo, ſed unice quantum vocationi noſtrae neceſſariae ſunt, utendo: *quotidiana Deo lacrimarum ſacrificia, quotidianas carnis, et ſangvinis hoſtias immolare.* Alte proinde animis noſtris inſculpamus potiſſimum Sacerdotes aurea S Bernardi *de ordine vitae* ſequentia verba: *ſic vivendum eſt ut panem illum ſuperſubſtantialem SEMPER accipere valeamus: quia vae ei, qui SE ALIENUM*

ENUM fecerit ab eo: et multum vae illi, qui ſpurcus, et immundus acceſſerit: ideoque magna neceſſitas inſtat, ne indigni inveniamur. Confer h n XVI. et ſeqq.

LV. Interim ne quis in errorem inducatur, a *negligentibus, indevotis*, et *memoriter viventibus* diſcernendi ſunt *aridi, ſenſum pietatis*, utcumque ad charitatem conentur, *non percipientes*, ideo *ſine ſolatio ſpirituali* viventes. De his agit Philothea S Saleſii p 4 c 14: *Erit interdum, cum te omni devotionis ſenſu adeo nudam, et vacuam experiare, ut anima tua incultum quoddam, ac ſterile ſolum tibi videatur; in quo prae nimia ſiccitate velut horrido, et ſylveſcente nec via ad Deum, nec ſemita compareat, nec ulla, qua irroretur, caeleſtis gratiae ſtilla* ſuppetat. Tales monet I: ut cauſſam ariditatis, quae a nobis poſita eſſet, quamprimum tollamus. II. Liberationem tamen ab ejuſmodi moleſtiis non anxie, et ſollicite petamus; ſed in Dei nutu, et providentia conquieſcamus, ut nos illis, quamdiu libuerit, exerceat. III. Interea vero *pietatis munia* proſequi, ac *Chriſto Religioſa opera offerre* non ceſſemus, certum habentes, ea illi grata fore, MODO ANIMO AMANDI, COLENDIQUE IPSIUS VERE, AC PERFECTE CUPIDO OFFERANTUR. Similia docet D Bonaventura de profectu Religioſorum cap 77. Copioſe Kempenſis l 4 cap 12, et 15. Ubi illud praeclariſſime dictum: *quisquis intentionem ſuam ſimplici corde ad Deum levaverit, ſeque ab omni inordinato amore cujuslibet creaturae evacuaverit, aptiſſimus gratiae percipiendae, ac dignus devotionis munere erit.* Addo ego: *quotidiana* quoque *communione.* Ad *hanc* enim nequaquam *Sanctorum perfectionem*, aut Lectorum animos terrentem *Sanctitatem* poſtulo, verum duo tantum haec, in quibus praedominantem actualem charitatem conſtituo nempe: Immunitatem a peccato mortali: et diſplicentiam ad venialia per affectum contrarium actualis charitatis. Haec eſt expreſſa mens Doctorum Aquilae Auguſtini L *de perfectione juſtitiae* cap 9: *Ingredi ſine macula non abſurde etiam ille dicitur*, QUI NON JAM PERFECTUS EST, *ſed qui* AD IPSAM PERFECTIONEM IRREPREHENSILITER CURRIT *carens criminibus* DAMNABILIBUS, *atque ipſa peccata* VENIALIA *non negligens mundare.* In quo conſiſtit perfectio Chriſtiana? jam audivimus, quod *perfecta charitas perfecta juſtitia* ſit juxta illud: *Finis praecepti eſt charitas.* I ad Tim I v 5. *ſuper omnia haec charitatem habete*, QUOD EST VINCULUM PERFECTIONIS. *Diliges Dnum - ex toto corde.* in hoc conſiſtit, huc tendit, hoc urget *univerſa lex, et Prophetae.* go *currere ad perfectionem* eſt *conari ad charitatem.* Sive igitur imperfectus, ſive aridus, ſive negligens, tepidus, aut variis venialibus plenus ſis, modo abſit mortale peccatum, ama, ſtude charitati affective ſuper omnia, intrepide celebrare potes: Medicina erit, non venenum.

Non obſtante ARIDITATE.

Si tamen hi charitatis ſtudioſi ſint.

LVI. Imo etiam in illis caſibus, in quibus Sancti abſtinendum cenſent, propter *culpam* non *mortalem*, propter *Sacrmti reverentiam*, qui ſentiunt ſe minus mundos carne, vel mente, ad omnia indiſpoſitos, vel indevotos, vel imparatos, aut non circumſpectos, quin tepidos, deſides, torpeſcentes, in his inquam, aliisque ſimilibus caſibus, in quibus praemiſſa omnia hic a n VIII abſtinendum jubent, ſi tamen juſte, et ſine aliorum ſcandalo, ac offenſione abſtinere nequis: aut neceſſitas, honeſtasque celebrationem exigat, confuge *ad ſtudium*, conatumque *actualis charitatis*, ac *cum poſſibili ejus affectu* ſecure celebra. Ita S Bonaventura *compend* Theolog l 6 cap 17. Sed quemadmodum ille ibidem ſubjungit: *nulla neceſſitas debet compellere, ut aliquis in peccato*

Ita et indiſpoſiti cum conatu charitatis.

mortali existens scienter celebret. (conf cap IX n XLV) ita ego ajo: nulla necessitas debet compellere, ut aliquis *sine charitate actuali*, vel *virtuali affectuose, et vivide in subsequas actiones influente* celebret. Cujus pponis meae vadem sisto hactenus dicta.

Dicta charitas sit vera, operosa.

LVII. Videndum quoque magnopere est, ut *charitas*, quam exigimus, *vera*, *operosa*, et non *vana* ejus *velleitas* sit. Videndum inquam, an ex communione? et quem referamus fructum? Docente Mellifluo ferm I in coena Dni: *Duo hoc Sacrm operatur in nobis, ut videlicet sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Siquis vestrum non tam saepe modo, nec tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, luxuriae, aut caeterorum: gratias agat corpori, et sanguini Dni; quoniam virtus Sacrmti operatur in eo, et gaudeat, quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.* Ex adverso autem si *eadem animae vulnera* constanter in te sentis, defectu dignae praeparationis, aliisque peccatis tuis ineffabiles Sacrmti effectus impediri non est cur debites. Sane ipsa charitas *praeparatoria*, si *vera* adsit, *ex opere operantis* producit Divissimos illos fructus, quos Vas Electionis I ad Cor 13 ex Divina inspiratione magnifice enumerat. Accedit mox ipsum Sacrm *ex opere operato* caussans *nutritionem Spiritualem per unionem ad Christum, et ad membra ejus*: nec non *remissionem venialium, et praeservationem a mortalibus in fervorem agendo, et sic* augendo charitatem habitualem. Cap X not ad n LXVIII. h n VIII. Metire ex his Lector! quam ineffabiles effectus, et progressus Spirituales caussaret in nobis duplex haec caussa, si rite a nobis poneretur! Lege Kempensem l 4 cap I, et 4.

Effectus dignae communionis.

Quos qui non sentiunt, arcendi sunt a Divina mensa.

LVIII. *Quis igitur dabit mihi fontem lacrimarum?* quibus deplorem multorum Sacerdotum in Divinissimo hoc misterio frequentando incuriam! *quae* est enim in multis nostrum *utilitas* in corpore, et *Sanguine* Dni toties sumpto? *comedimus, et non sumus saturari: bibimus, et non sumus inebritnati.* Post tot celebrationes, et communiones sumus *ut populus sic Sacerdos*, nos *ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, sine affectione, voluptatum amatores, speciem habentes pietatis.* Unde haec monstra in viris ad Specialem Sanctitatem obligatis, et fontem ipsum Sanctitatis fere quotidie adeuntibus? caussa ex praemissis patet luculentissime. Quia nempe aut ignoramus, aut non perpendimus, doctrinam Junioris charitatis Magistri epist 38 *ad hoc misterium cebrius adeundum magna mentis puritate, magnaque* charitatis *flagrantia opus esse*: illudque *ita adiri oportere, ut quidquid Deo, quem recipere volumus, displicet, evellendi, atque amovendi studium acre, ac diligens afferatur.* Instrui adhuc debemus a magno illo animarum magistro Joanne Avila L I epist 64, *qui digni sint frequentiori communione?* in haec verba: „*Multi levitate potius, quam* intimo pietatis, ac venerationis sensu *Eucharistiam adeunt. Unde accedit, ut ex ea* nihil fructus *capiant*, nec meliores efficiantur. *Quod quidem* damnum animae permagnum est, et *quoad fieri potest* summopere vitandum. *Fac ut misterii hujus sublimitati* profunda, ac religiosa *animi dejectione se substernant. Quod si quem secus se habere deprehenderis*, argue illum, coelestemque ei panem subtrahe, quoad illum vehementer concupiscat, seque eo indignum fateatur. *Vulgus fidelium ter, quaterve per annum: alios* meliores *novies, aut decies communionem percipere satis fuerit.* - *in quibus autem* eximium *quemdam* Dei zelum, *atque* amorem *sic* fervere *perspexeris*, ut eorum in vitae Sanctitate incrementum, atque progressus quasi ad oculum pateat, *iis octavo quoque die Sacra communione vesci liceat. Haec enim B Augustini* (vel Gennadii potius *sententia est: communio crebrius indulgenda non est, nisi forte aliud suadere videatur*

Doctrina Avilae de dignis, et indignis.

videatur aut fames ardentior, *aut* reverentia insignior, aut tentatio acrior, *aut necessitas manifestor.* - *Qui vero coelesti illo pabulo dignatus fuerit, in tanti beneficii memoriam opere aliquo Christi liberalitatem remunerari debet vel* aliqua animi labe quotidie detersa, *vel alia opera quapiam, quae* cuique communioni quasi vicem rependere *videatur.* Epist 64 ibi: *Multum errant, qui solam communionis cupiditatem* a consvetudine potius, *quam a ratione veriore natam pro idonea ad Eucharistiam praeparatione habent. quod si praeterea dum Christi corpus accipiunt,* lacrimulam exstillent, *magnopere se profeciſſe arbitrantur. Verum in eo falluntur, quod communionis* fructum, *quem nullum accipiunt, non satis attendunt, neque intelligunt,* unicum probe communionis fructum profectum esse atque ad pietatem progressionem. Quam si assequantur, recte ad Eucharistiam recurrunt: sin minus, ab ea debent abstinere. Epist vero 66 ibidem sic instruit: *Frequentem esse ist c communionis usum accepi; atque alicubi frequentiorem quam velim: etsi nihil me magis delectet, ubi recte - fit. Nactus sum qui cum* ignavi *essent, et* desidiosi, neque de salutis progressu admodum solliciti, *eo tamen tenerentur errore, ut se probe communione defungi arbitrarentur, si id ipsum saepius facerent, atque interea* aliquo pietatis sapore caperentur, *qui brevis, et* fluxus *nihil* veri fructus, *et* incrementi virtutis *afferret. Nam et ille ipse* tenuiculus *pietatis* sapor paulatim evanescit, *eoque res redit, ut nihilo amplius ex Sacra Eucharistia assequantur, quam si illam omnino non attigissent.* Hoc vero detrimentum frequentior *quam par est tanti misterii* usus importat, cum *scilicet* vita coelesti cibo minus est digna. Itaque communicare saepius volentes *adducendi* sunt *ad corrigendae vitae studium. accuratius denique docendi, si* langvori, *et* desidiae *se dedant,* minime committendum, ut panem hunc attrectent, iis solis Divinitus praeparatum, qui in cupiditatibus expugnandis, domandoque animo acriter, ac studiose laborant. *Ad utrumque enim panem referendum illud Apostoli:* Qui non vult operari, non manducet; *ne scilicet gratis panem comedat. Cui vero sine labore, ac dimicatione pane hoc Sanctissimo animam pascere concessum est?*„ Verba Dei per Avilam! quae *actuosam charitatem* in plena Luce constituunt.

Qui non proficiunt Spiritu, arcendi a Sacra mensa sunt.

LIX. Sane quaemadmodum scriptum est: *non omnis, qui dicit mihi: Dne Dne:* - *Sed qui fecerit* voluntatem Patris, *ipse intrabit in regnum coelorum:* Ita, quae connexa sunt, non ille elicit *veram charitatem ad Divinam mensam digne praeparatoriam,* qui ante Sacrum *dicit* verbo: *Dne amo te propter infinitam tuam bonitatem:* Sed qui vi illius charitatis aliquoties in die mente saltem renovatae *fecerit* voluntatem *Patris.* Quae itaque est voluntas Patris? amor Dei practicus mandata ejus exequens. *qui dicit, se nosse,* amore Deum, *et mandata ejus non custodit, mendax est, et veritas in eo non est. Charitas* mere *verbalis arbor* sterilis est *foliis* tantum superba: ideo *a Christo maledicta:* observatio mandatorum Dei *fructus* ejusdem arboris sunt *dulces gutturi Dei. Finis Legis est charitas.* Charitatis autem actus nobilissimus est conformatio humanae voluntatis in omnibus ad Divinam. Vel inter mortales vanus est amor amici voluntati dissentiens. At *eadem velle, et eadem nolle firma,* et perfecta *est amicitia,* vox est B Hieronimi, quin omnium Sapientum. go et *Dei voluntatem velle sincera, et practica est charitas. Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra,* aut saltem assiduum sanctificationis studium. *Voluntas Dei,* ut praeclara scriptum est a D Cypriano de orat Domin, *est humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in moribus disciplina. Injuriam non facere posse, et factam posse tollerare. Cum*

Vera charitas actuosa est voluntati Dei conformis.

Et mandata exequens.

fratri-

fratribus pacem tenere, cruces, calamitates, aerumnas occurrentes, calumnias, ac vexas quotidianas prompto animo excipere, et Christiana cum fortitudine tollerare: Vitam ad normam, et praescriptum Evangelii dirigere, angustam coeli viam ingredi, verum *Christi* discipulum facta, praecepta, et consilia *ejus* toto conatu imitando, et exequendo profiteri: a mundi illecebris, et corruptelis sese abstrahere: carnem suam crucifigere cum vitiis, et concupiscentiis suis: verbo *immaculatum se custodire ab hoc Saeculo.*

Charitas quomodo consistit in mandatorum observatione?

LX. Haec usque adeo vera sunt, ut scriptura, et PP in mandatorum exacta observantia sinceram Dei charitatem statuant. *Haec est charitas Dei, ut ambulemus secundum mandata ejus.* 2 Joan 4. *Qui habet mandata mea* in corde, *et servat ea* in executione, *ille est qui diligit me.* Non quod in his consistat *objectum materiale*, aut *formale* charitatis: de quibus plene egimus cap IX: sed quia teste Augustino, *opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio.* Et docente Moralium Parente *probatio dilectionis exhibitio est operis.* Merito proinde urget dilectus Christi Apostolus 1 Joan 3 v 18: *Filioli mei! non diligamus verbo, neque lingva, sed opere, et veritate.* Quid multis? mane in meditatiuncula, in qua *exardescit ignis*, sinceram, et affective saltem *praedominantem*, hoc est dictu omnibus *licitis amoribus* appretiative *majorem*, *illicitos* vero *contrarie detestantem* in se excire *charitatem*: in ejus affectibus devote celebrare: per diem saepius, potissimum initio horarum Canonicarum, aliarumque majoris momenti occupationum *ad eam* reflectere: ejus virtute omnia peccata, etiam leviora, eorumque occasiones evitare, tentationum primos motus, et incidentias excutere: Suam Divinae voluntati in omnibus prosperis aeque, et adversis conformare: *Cum Deo ambulare*, hoc est dictu: cuncta ita agere, ac si praesentem, videntem, judicantem, et vindicantem Deum oculis cerneres: Seipsum identidem in superfluis, potissimum in diurno somno, cibo, potu, distractione, colloquiis (salva menti, et corpori saepe necessaria eutrapelia, et exhilaratione per bonam intentionem ad gloriam Dei referenda) in otio, et negligentia Dei caussa vincere: vesperi se recolligere, de naevis sincere dolere, in chrastinum meliora proponere: affectibus charitatis indormire, per noctem evigilando eos renovare: ejus vi mane post 6, vel 7 horarum quietem generose se se e lecto excutere, ac diem, omnesque actiones in illa, seque totum amando Deo consecrare. En *actuosam* charitatem optimam ad quasi quotidianam celebrationem praeparationem! En brevem imaginem vitae Christianae, et Sacerdotalis! en compendium totius libri, ac scopum laboris mei! Nempe charitatem *Sacramentalem*, et *virtualiter continuam*! *nunquam* enim *amor Dei est otiosus: operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est.* inquit moralium Parens Hom 30 in evang: clarius Doctorum Ecclesiae Princeps Augustinus in ps 31: *Dilectio vacare non potest.* Et soliloq c 18: *Sicut nulla est hora, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utor, ita nullum debet esse momentum, quo Te non habeam ante oculos meos, in mea memoria, et Te non diligam ex omni fortitudine mea* O Deus! Haec Patres de charitate actuosa. Quae merito suspectam reddunt adversariorum charitatem, ut illi volunt, raro, sive aliquoties dumtaxat in anno necessario in actum prorumpentem. At cap XIV de continuitate charitatis acturi uberius. Interim absolvamus paritates a temporibus eliciendae charitatis ad Sacramentalem.

Icon veri Christiani, et Sacerdotis in charitate actuosa, et virtuali sita.

CAPUT

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Proſecutio paritatum. vbi agitur de diebus Dominicis, et Feſtis digne celebrandis. de audiendo Miſſae Sacrificio. et oratione. atque ab his urgetur neceſſitas charitatis Sacramentalis.

I. Septima paritas, quam propono, et praecedentia confirmabit, et *praxi Divinae Charitatis diem figet.* Ajo enim: ut *Dominicis, Feſtisque diebus* de praecepto Deus *in Spiritu, et veritate* adoretur, et colatur, *initiali ſaltem Charitatis actu* colendus eſt. Ergo tanto magis dum quis per Sacramentum reconciliationis amicitiam cum Deo reparare parat. Propoſitam paritatem teſte P Bonifacio Schneidenbach Diſſ 8 c 4 § 1 de virtutibus, tradiderunt *Scotus, Faber, Tabiena, Almainus, Angelus, de Orbellis, de Niſſe, Soto, Viguerius, Merbaeſius, Steiaertius, Schelliner*, et alii. Igitur novitatis notam effugiemus, ſi illuſtres hos Theologos ſecuti aſſertum hoc in clara luce collocaverimus, vt fidelis populus grauiſſimae obligationis ſuae memor ſit, et factor. Enim vero illud nos totius Chriſtianae vitae recte inſtituendae modum, rationemque eſſe exiſtimamus, vt diebus cultui Divino conſecratis totum ſe homo exercendis pietatis, ac devotionis actibus dedat. Facile, ut ſpero, in eo omnes mihi conſentient, praeceptum *de Sabbatho Sanctificando quoad modum diei Septimae Coeremoniale*, quoad *ſubſtantiam* vero non *Divinum* ſolum, ſed et *naturalae* eſſe: neque aliud egiſſe Eccleſiam, quum Divinum cultum his determinate Dominicis, Feſtisque diebus fixit, quam *tempora praecipua declaraſſe* verae *Dei adorationis*, ac debitae Venerationis, ad quam faciendam *Divina, naturalique* lege, atque *intimo ſenſu* quisque mortalium alioquin eſt ſtrictiſſime obligatus. Atque adeo Chriſtianos non ſolum *Eccleſiae* mandatis obtemperare Feſta rite celebrando, ſed et *Divino*, et *naturali* juri, *quod, poſita dicti temporis ab Eccleſia declaratione, vim* ſuam *exerit*, atque ad exhibendum Deo *debitum cultum* vniverſos adſtringit. Si quis in his propoſitionibus haereret, vadem ei ſiſtimus Catechiſmum Tridentini p 3 c 4 ſ 4 et 6: *Hoc praeceptum* (tertium) *aliquid habet, quod ad mores, naturaeque jus attineat. Nam et Dei cultus, ac religio, quae hoc praecepto exprimitur, a naturae jure exiſtit. Cujus rei argumento eſt, quod apud omnes nationes ſtatas quasdam ferias, easque publicas eſſe cernimus, quae ſacris rebus, ac Divinis obeundis erant conſecratae. Eſt enim naturale homini, ut quemadmodum corpori, ita menti etiam aliquid temporis concederet, quo in Dei contemplatione ſe ſe reficeret.* Quam doctrinam Catechiſmus deſumpſit ex Angelico Doctore, qui eam 2 2 q 122 a 4 ad 1. Et 1 2 q 100 a 3 ad 2 iisdem plane verbis tradit, docetque, praeceptum de Sabbatho Sanctificando *in genere*, et *quoad ſubſtantiam* naturale, et morale eſſe.

7. *Dieb. Dominicis, et Feſtis, ergo et ante Sacrament. poenit. Actus charitatis neceſſarius eſt.*

Praeceptum Sabb. ſanctific. eſt naturale, divinum, et Eccleſiaſticum.

II. Quibus porro Officiis Deus Feſtis Diebus colendus ſit, tradit idem Catechiſmus § 10 dum ait: *verbo: obſerua diem Sabbathi, vt ſanctifices eum, oſtenditur Sabbathi diem religioſum eſſe, Divinisque actionibus, ac Sanctis rerum officiis conſecratum, itaque diem Sabbathi tum plene et perfecte celebramus, cum pietatis, et religionis Officia Deo praeſtamus: hocque plane Sabbathum eſt, quod Iſaias delicatum appellat c 58 v 13: Quo-*

Sacrificatus religioſo Dei cultu.

niam dies Festi sunt veluti deliciae Domini, et piorum hominum. Et § 11 *Itaque Verus, ac praecipuus hujus praecepti sensus eo spectat, ut homo et animo, et corpore in eam curam incumbat, ut statuto aliquo tempore* saltem Ab Ecclesia determinato *a negotiis, corporisque laboribus feriatus Deum pie colat, et veneretur.* Item § 14: *Ille dies sanctus est, Quod tunc praecipue Sanctitatem, et religionem homines colere debeant.* Similia § 15 17 21, et aliis. Fixum igitur sit Festis diebus Deum vero religionis, ac pietatis cultu adorandum esse. Jam vero non alium praeprimis sui *cultum*, quam *dilectionem* ab homine exigit summus Deus. *Quis* enim *cultus ejus*, quærit, et respondit S Augustinus lib. 10 de Trinit c 4, *Nisi amor ejus.* Et pergit: *Deo suavissimum adolemus incensum, quum in ejus conspectu pio, Sanctoque amore flagramus.* (a) *Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc tantum Deo debita servitus. Deus omnis adeptionis est finis. Hunc eligentes, seu potius religentes, unde religio dicta perhibetur, ad eum DILECTIONE tendimus.* Et Epist. 120. *Pietas cultus Dei est, nec colitur ille, nisi AMANDO.* Rursus in Ps 77: *Hoc colitur, quod DILIGITUR.* Nullus igitur *vero, ac proprio religionis cultu Deum* honorat, *qui eum non amat. Amore* quippe continetur verus, internus, ac Spiritualis ille cultus, quem Salvator *Veteris* Legis, Evangelisque discrimen Samaritanæ, et in illa toti Ecclesiæ referans Joan 4 ait: *Venit hora, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, et veritate. Spiritu* autem adorat, qui se *intimo cordis affectu* offert Deo suo tanquam *hostiam viventem, Sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium.* Ex hoc cultu *divino amore* animato nomen, et pretium suum mutuata est vera religio; cujus proinde officia *Charitate oriri, vivificari,* terminarique oportet. Nec acceptas a nobis

Qui est amor ejus.

Charitas in sensu proprio accipienda.

(a) Meditentur hos textus coram Deo illi, qui asserunt Augustinum, aliosque PP Nomine charitatis plerumque intelligere *cujusvis boni salutaris volitionem*, aut contra Pelagionos *gratiae actualis ad omnes actus salutares necessitatem*: Vel *excludere actus charitati Divinae contrarios.* Quibus exceptionibus magnum praeceptum charitatis ut specialis virtutis e manibus SS PP, atque adeo sacrarum litterarum (quas PP Doctrinaliter exponunt) extorquetur, eliminatur. ut consideranti patet. Confer cap V n XXII. XXIII. XXIV. et XXXVI. Dictos sensus *PP* non negamus; sed iis *eosdem* contentos esse, tamdiu pernegabimus, quamdiu *eorum* sensu virtutes inferiores manserint *dispositio* ad *charitatem actualem.* cap V n XIX: *Haec* vero finis, ac *forma earum extrinseca.* ibi n. XX. Mire quidam triumphant in eo, quod ex nostra doctrina sequatur, virtutes inferiores sine charitate non esse virtutes, quin vitia: at certe apud imperitos solos, vel praejudiciis Scholae abreptos. Verbis enim cubitalibus asserui, et probavi cap V n VIII. et X timorem mere servilem actum bonum esse. ita loquendum et de aliis inferioribus virtutibus: *extrinsece* tamen defectu formae eas imperfectas esse, et *operantem* eas ad charitatem non referendo peccare docui ibi n XXII illustribus PP auctoritatibus. En exempla obvia: Bonum est iter aggredi ad Ecclesiam, aut domum Paternam: sed qui manet in via, nec progreditur ad terminum, peccat. Laudabile est sive aedificii materialis, sive cuiuscunque artis, aut scientiae fundamenta ponere: sed male agit, qui praeclara fundamenta ad perfectionem non deducit. Ita nos asserimus virtutes omnes inferiores esse bonas, quin si vis, optimas, et perfectissimas *intrinsece in suis proprius objectis.* Sed quia earum omnium forma, terminus, et perfectio *extrinseca* est charitas, ideo non dubito, imperfecte, et inordinate eum agere, qui in illis adhaeret, hanc negligit. Alia te convenio paritate: Nummum argenteum, aureumque una offers pauperi. finge hunc argenteum solum admittere. an et quomodo hic pauper peccavit? ais: bene egit argenteum acceptando, male, et contra charitatem sui aureum sine causa respuendo. recte judificasti. atqui ex Angelico vidimus cap V n XXI a verbis *porro quod*, Deum ad omnes virtutes inferiores duplicem dare gratiam excitantem: et ipsi virtuti propriam: et eam ad charitatem referendi. go si hanc aureae charitatis negligat operans, vere male aget, non quidem virtutem inferiorem exequendo, sed in via manendo, nec actui suo in se bono formam extrinsece perfectivam inducendo. Haec necessitatem charitatis et Sacramentalis, et virtualis continuae, et festorum dierum ita illustrant, ut adversarii agnoscere debeant imperfectionem suam, in qua hactenus sine illa vixerunt. vtinam ad emendationem!

Sine illa virtutes inferiores sunt bonae.

Quod exemplis demonstratur.

nobis Deus ulla ſacrificia ut perfecta, niſi quæ *Charitatis igne* cremantur. *Ejus eſt altare Cor noſtrum* (proſequitur Auguſtinus lib 1 de Civit Dei c 4) *eius Unigenito cum Sacerdote placeamus, et Sacrificantes hoſtiam humilitatis, et laudis IN ARA CORDIS IGNE FERVIDÆ CHARITATIS.* Conſentit Auguſtino Angelicus 1 2 q 101 a 2 in O: *Cum homo*, inquiens, *compoſitus ſit ex anima, et corpore, utrumque debet applicari ad colendum Deum. ut ſcilicet anima colat interiori cultu, corpus exteriori. Unde dicitur in Pſ 53: Cor meum, et Caro mea exultaverunt in Deum vivum. Et ſicut Corpus ordinatur* ad Deum per animam, ita cultus exterior Ordinatur *ad interiorem cultum. Conſiſtit autem interior cultus in hoc, quod ANIMA CONIUNGATUR DEO per intellectum, et AFFECTUM.* Ex quibus hoc breve, ſed evidens ratiocinium conſurgit: Praeceptum de colendo Deo Feſtis, et Dominicis eſt *naturale, Divinum*, et *Eccleſiaſticum.* Sed nequit vere coli, niſi *amando*, et exteriori cultui *interiori* juncto. Ergo *amor Dei Feſtis*, et *Dominicis* diebus eſt nobis *naturali, Divino*, et *Eccleſiaſtico* jure praeceptus. Majorem propoſitionem Catechiſmus Tridentini, et D. Thomas. Minorem Chriſtus, Auguſtinus, et rurſum Angelicus tradunt. Concluſionem igitur nemo vere Chriſtianus in dubium vocare poteſt.

Fideles miſſam rite audientes ſunt offerentes, et oblatio.

III. Sed audiamus porro Auguſtinum Lib cit c 6 ita proſequentem: *Congregatio, Societasque Sanctorum Univerſae ſacrificium offertur Deo pro nobis, ut tanti capitis corpus eſſemus ſecundum formam ſervi.* Ut ponderoſiſſimam hanc Doctorum aquilae doctrinam intelligamus, noſſe oportet, fideles omnes, dum in Eccleſiam Miſſae audiendae cauſa conſluunt, duplici munere fungi, *offerentium* ſcilicet, et *victimarum.* Offerunt enim ut *Sacerdotes Spirituales*, non quidem ut heterodoxi ſomniant, ad id *conſecratis publicis* Eccleſiae *Miniſtris* pares; attamen ut *horum Miniſterio adiungentes intentionem*, ſtudium, affectum, cor, animumque ſuum, quo *Charitatis* vinculo conjunctum *unum* efficiatur *Sacerdotis, populique Chriſtiani Sacrificium, a Chriſto* primario offerente Patri aeterno *offerendum.* Id quod preces ipſae Sacrificii celebrandi evidenter oſtendunt, in quo ita monet Sacerdos: *Orate fratres, ut meum, AC VESTRUM SACRIFIUM acceptabile fiat apud Deum.* Collectas, ſecretasque Orationes omnes *nomine populi* ad Chriſtum, aut per eum ad Patrem dirigit: *Propitiare Domine ſupplicationibus NOSTRIS* (Secret. Dom. 5. poſt Pent.) *et has oblationes FAMULORUM FAMULARUMQUE TUARUM benignus aſſumme, ut quod SINGULI OBTULERUNT ad honorem Nominis tui, cunctis proficiat ad ſalutem.* Quae oblationes Spirituales populi *olim materiali pane, et vino ad Sacrificium oblato conteſtatae*, ut Deo acceptae ſint, *in praefatione* Sacerdos nomine Eccleſiae eos ſalutat dicens: *Dominus vobiſcum* ſit in voluntate, affectu, deſiderioque veſtro. Mox urget *Surſum corda!* ad Deum mentes erigite, *quae ſurſum ſunt, quaerite, quae ſurſum ſunt ſapite, non quae ſuper terram.* Miniſtris nomine omnium reſpondentibus: *habemus ad Dominum.* Mox communi omnium adſtantium *Corde, et affectu* Angelicis Choris Sociatus Deum laudat: *Hymnum gloriae tuae canimus ſine fine dicentes: Sanctus etc.* Quin et *in Canone* omnium nomine ubique orat, *vt accepta* Deus *habeat dona, et Sacrificia omnium Circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel QUI TIBI OFFERUNT, tibique reddunt vota ſua aeterno Deo.* Sed et iidem offerentes fideles ipſi *in victimam*, et *Sacrificium offeruntur Deo*, vt videre eſt in Secret Feſti Sanctiſſimae Trinitatis: *Sanctifica quaeſumus Domine huius oblationis hoſtiam, et per eam NOSMETIPSOS TIBI PERFICE MUNUS AETERNUM.* Et paſſim alias. Nempe *totum Eccleſiae Corpus*, ut *ipſe Chriſtus* in Sacrificio

Ad Coloſſ. 3 v. 1.

crificio eſt *offerens*, *et oblatio*, *Sacerdos* ſimul, et *victima* ſupremo Numini per Chriſtum oblata, et Conſecrata. Ut iterum expreſſe docet Auguſtinus lib 19 de Civit Dei cap 23: *Tota redempta Civitas* (Eccleſia) *SACRIFICIUM OFFERTUR DEO per Sacerdotem magnum: hoc eſt Sacrificium Chriſtianorum: hinc praeclariſſimum, atque optimum SACRIFICIUM NOS IPSI ſumus. Cujus rei miſterium celebramus oblationibus noſtris.* Id quod Tridentina Synodus decretis ſuis inſeruit Seſſ 22 c 7 docens: *Aquae cum Vino in Calice mixtione ipſius fidelis populi cum capite Chriſto unionem repraeſentari.* Ergo in tremendo alteris Myſterio ut *aqua vino*, ita adſtantes fideles *Chriſto* ut membra capiti uniri *Charitate* debent, ut cum Chriſto Principali *offerente*, et *victima* illiquoque ut membra Chriſto arctiſſime unita Deo vivo, et vero idem Sacrificium, quod Chriſtus, ideſt *ſemetipſos et offerunt*, *et* viciſſim *offerantur a Chriſto* eodem Sacrificio, quo Chriſtus Patri ſeipſum, et coniunctum ſibi charitate populum ut victimam offert.

Igitur charitate ardeant eſt neceſſe.

IV. Concludat ergo ex his jam quisque, ut grata ſit haec oblatio, quam *fideles cum Chriſto offerunt*, et qua ipſi in *Sacrificium a Chriſto offeruntur* aeterno Patri, quanto ſtudio omnes *mortiferi* peccati *affectus* contrario *dilectionis* ſaltem *inchoatae* affectu excludere neceſſe ſit. Unde S Gregorius orat 1 ſtatuit: *Neminem magno Deo dignum eſſe, niſi qui prius ſeipſum hoſtiam Deo viventem, et Sanctam exhibuerit, Deoque Sacrificium laudis, ac Spiritum contritum obtulerit, quod ſolum Sacrificium is a nobis expoſcit.* Conſenti. Hieronimus in cap 1 Iſaiae: *Omnis conventus, qui non offert hoſtias Spirituales, nec audit, quod in Pſalmo canitur: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, abominabilis eſt Deo.* Quia nempe *mendax* eſt, et *hypocrita*, Sanctitatem, et devotionem in coetu fidelium ſimulans, *Cor ſurſum ad Deum habere* profeſſus *peccati pondere*, et *affectu terrae totus affixus. quis magis impius*, quaerit melliſluus in Apologet ad Guilielm: *an profitens impietatem? an mentiens Sanctitatem? nonne is, qui etiam mendacium addens geminat impietatem?* Pie itaque, Sancteque monet moralium Parens Gregorius Lib 4. moral c. 59: *Neceſſe eſt, ut cum haec agimus, nosmetipſos Deo in Cordis Contritione mactemus. Quia qui paſſionis Dominicae miſteria celebramus, debemus imitari, quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis hoſtia erit* Chriſtus *Deo, cum nos ipſos hoſtiam fecerimus.* Quod niſi facimus, *in luce Evangelii Iudaei* ſumus, in nosque cadet acerba illa Chriſti Phariſaicae hypocriſis increpatio: *Hypocritae! bene de vobis prophetavit Iſaias dicens: populus hic labiis me honorat, Cor autem ejus longe eſt a me.* Math. 15. Et profecto qui *externa* corporis ſolum *compoſitione*, et *materiali rerum*, quae aguntur, *attentione*, *absque ulla Cordis de peccatis compunctione* audiendi ſacrificii obligationi ſatis ſe facturos putant, ſcire debent, ab Haebreis *exteriores Caeremonias* lege praeſcriptas in Sabbathis, aliisque ſolemnitatibus, ac Sacrificiis ſuis plusquam religioſiſſime obſervatas eſſe: nec quidquam in iis, praeter *Spiritum internum*, peccatorum deteſtationem, et *Seriam ad Deum converſionem* in cultu feſtivitatum, ac oblationum *deſideratum fuiſſe:* Et tamen quam acerbe invehitur in eos Deus per Iſaiam c 1: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum*; quia hos in ſcelere imitamini. *Ne offeratis Sacrificium fruſtra! incenſum abominatio eſt mihi: Neomeniam, et Sabbathum, et feſtivitates alias non feram. Quia iniqui ſunt caetus veſtri. Kalendas veſtras, et Solemnitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mihi moleſta. laboravi ſuſtinens. Cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Manus enim veſtrae ſanguine plenae ſunt* patrati, et non retracti homicidii, injuſtitiae, aliorumque peccatorum, quibus onuſti ad conſpectum meum comparetis, Sacrificia,

Secus judaeos excordes imitantur.

ficia, et ſolemnitates veſtras celebratis. Similia intonat Jerem 6 v 20. Amos 5 v 22. Quae tam vehementes invectivae ex mente Scripturæ Interpretum peccatum mortale ſupponunt. Indubium itaque eſt, grandi ſcelere ſe ſe contaminare eos hodiedum, qui Feſtis, et Dominicis Miſſam, praecipuum religionis actum, audiunt *oculis* adulterii plenis, *animo* ira, odio, libidine, flagranti, *Corde* ambitione, invidia, aliisque perverſis cogitationibus, et deſideriis fædo; ſi externe tantum modeſtiam, et reverentiam mentiantur; interne autem Creaturarum amore preſſi *mentem* ad Dei *amorem* non erigant, peccata ſua non deteſtentur, Cor Contritum, et humiliatum Deo non offerant. An enim a taurorum, aliorumque animalium Sacrificulo Iudaeorum populo *puriorem* mentis *affectum* exegit Deus in cultu Sabbathi, quam a nobis Chriſtianis, qui *immaculatum Agnum*, proprii Filii Sui Corpus, et Sangvinem eidem in Solemnitatibus noſtris per Sacerdotum manus in cultum *Latriae*, *gratiarum actionis* pro perceptis beneficiis, *propitiationis* pro peccatis noſtris, et *impetrationis* novarum gratiarum ad vitam Chriſtiane tranſigendam neceſſariarum immolamus? abſit a Chriſtiano Corde tam barbara cogitatio! Si Divino ore *maledictus* pronunciatur, *qui facit opus Domini fraudulenter*, vel *negligenter* (quod in idipſum recidit) quanto majori maledictione non dignus pronunciandus erit is, *qui opus Domini* cultum Deo in Sabbathis noſtris naturali, Divino, et Eccleſiaſtico jure praeceptum ſcelerata conſcientia explet? Myſterium redemptionis ſuae animo peccatis gravi recolit? aeſtuante a crimine patrato Corde Deum ſuum Euchariſticum adorat? et qui hoſtiam ſeſe totum Deo offerre deberet, hoſtia manet diabolo, et cupiditatibus ſuis has non retractando, neque novam vitam implorata peccatorum venia proponendo? vide Cath Rom p 3 cap 4 n 10 11 14 15 de Sabbatho Spirituali, adde doctrinam hic n XIV tradendam de peccatoribus cum affectu peccati orantibus a Deo non audiendis.

V. Haec quamquam in verbo Dei, et PP mente fundata ſint, ut tamen amplius pateant, intueamur porro quare tantopere utgeat Eccleſia, ut ii, qui peccato mortali ſordent, audiendo divinum ſacrificium amoris in Deum actum eliciant. Ex Tridentino complura in eandem rem argumenta adduci poſſunt. Primum ex Seſſ. 22 c 2, ubi docet: *Hoc ſacrificium vere propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, ut ſi cum vero corde, et recta fide, cum metu, et reverentia CONTRITI, et POENITENTES ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, et DONUM POENITENTIÆ concedens crimina, et PECCATA ETIAM INGENTIA DIMITTIT.* (a) Quantum ergo pia

Sacrificium Miſſae cum contritione initiali audiendum.

(a) Hoc loco manifeſte diſtinguit Concilium contritionem *initialem* a *perfecta*. *Illam* ad ſacrificium rite adeundum requirit. *Si contriti, et poenitentes ad Deum accedamus.* Hanc ſacrificio rite audito nos conſequi docet. *Miſericordiam conſequemur, et gratiam inveniemus.* Quam illam? ad perfectam poenitentiam agendam. *Hujus quippe oblatione Dominus gratiam, et donum poenitentiae concedens crimina etiam ingentia dimittit* nempe vel aucta contritione initiali, cum qua ad Sacrificium peccator acceſſerat? vel ſuſcepto in re poenitentiae Sacramento. Ergo ex mente Tridentini non omnis *contritus* ad Deum accedens *mox* juſtificatus eſt: Sed primo *gratiam ulterioris poenitentiae* agendae impetrat, qua demum Deus *peccata etiam ingentia dimittat.* Faceſſant ergo, et obmuteſcant, qui omnem etiam *initialem* Dei *Charitatem*, ex eaque ortam *contritionem inchoatam* mox, et ſtatim *juſtificare*, ideoque ad Sacramentum poenitentiae neceſſariam dici non poſſe praetendunt. Nos priorem illam *inchoatam Charitatem*, ex eaque ortam *initialem* contritionem ad dies Domini rite celebrandos requirimus. Quamquam ſperemus, eam certo augendam, ſi hoc loco a nobis dicta populo rite proponantur.

Quam diſtinguit Tridnum a perfecta.

Mater Ecclesia deviantium a justitia filiorum salutem desiderat, urgetque, tantum praecipit eos *contritos, et poenitentes* ad fontem misericordiae ad Missam inquam digne audiendam accedere. Alterum argumentum desummitur ex ejusdem Sess 22 c 6 in quo statuit: *Missas, in quibus solus Sacerdos Communicat sacramentaliter, privatas, et illicitas consendas non esse* ex ea inter alias ratione: *Quod in eis populus spiritualiter communicet.* Atqui ex eodem Tridentino Sess 13 c 8 Spiritualis communio fit *voto, et proposito Caelestem illum panem FIDE VIVA, QUAE PER DILECTIONEM operatur, edendi.* Ergo supponit Concilium, etiam *peccatores*, qui *in populo* immixti *comprehenduntur*, incruento Sacrificio adstantes, *dilectionis* in Deum *affectum* elicere, quo peccatum suum detestentur, inque Deum Amandum ferantur: sine quo desiderare communionem Sacram absque scelere non possunt. Quae enim *est conventio Christi ad Belial?* Tertium argumentum suppeditat ejusdem Sess 22 decretum *de evitandis in celebratione Missae*, ubi praecipitur Episcopis, ut *Neminem, qui publice, et notorie criminosus sit, aut Sancto Altari ministrare, aut Sacris interesse permittant: Neve patiantur Sanctum hoc Sacrificium a quibuscunque peragi, nisi prius, qui interfint, declaraverint, se mente etiam, ac DEVOTO CORDIS AFFECTU, non solum corpore adesse.* Haec clariora sole sunt: Vult scilicet Sacrosancta Synodus publice, et notorie malos a Sacris mysteriis omnino arceri: Nec patitur alios interesse, nisi qui modesta sui compositione declaraverint, se *DEVOTO MENTIS, ac CORDIS AFFECTU adesse.* Ergo eos, qui hunc *devotum mentis affectum non habent* reipsa, omnino arcet, etsi ita adsint, novo scelere sese contaminare clare docet, utut expelli hos non jubeat eo, quod ignoti inter sanctos lateant. Nam ut ait Augustinus homil 50: *Multi corriguntur ut Petrus: multi tollerantur ut Judas; multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum, et manifestet Consilia cordium.*

Qui audit Missam, debet comunicare Spiritualiter ex mente Tridni.

Et devoto cordis affectu ad esse.

VI. Quartum argumentum ex *Tridno* sic proponitur: Fidei caput est ex Sess 22 cap 1 (quod totum huc mire servit) hoc Sacrificium esse omnium veteris Testamenti *imperfectorum Sacrificiorum consummationem*, et perfectionem: Quam Christus aeternus Sacerdos *secundum Ordinem Melchisedech semel in ara crucis aeterno Patri cruenta morte sua obtulit redemptionem omnium operaturus.* Cujus tam Divini Sacrificii ipse *Salvator per seipsum Sempiterna voluit esse commemoratio, et repraesentatio* incruenta: *Ideoque in ultima coena in Apostolis, eorumque legitimis Successoribus aeternum duraturum Sacerdotium constituens* jussit, cruentum *illud crucis, ac mortis suae Saarifi.ium sub Speciebus panis, et vini* verbis consecrationis *in Corpus et Sanguinem Suum vere, ac realiter* transubstantiandorum *Usque ad consummationem saeculi commemorari, repraesentari, Patrique suae aeterno offerri* juxta Malachiae prophetiam: *qui in omni loco oblationem mundam magno Dei nomini in gentibus offerendam Usque infinem saeculi praenunciavit.* Divino itaque illi praecepto, *hoc facite in meam commemorationem*, obtemperat Ecclesia, quum tremendo alteris mysterio Dominicis, festisque diebus *Cum metu, et reverentia, contritos, et poenitentes mente, et devoto cordis affectu, ut Spiritu partieipes*, et quasi Spirituales *Offerentes, hostiasque aeterno Patri per Christum offerendas* (N III hic) adesse nos jubet. Infinitudo enim, et abyssus hic amoris Christi erga nos non aliter, quam reciproco a nobis amore digne recoli, et commemorari potest. Nemo fortassis eorum, qui Christiano nomine censentur, Sceleslior, pejorque esse cupit Judaeis *Sacrificio Crucis* (a quo *nostrum* altaris *sacrificium* quoad *substantiam, et hostiam ipsum Christum* non differt, sed in *modo* duntaxat *oblationis*) adstantibus: atqui Luca commemorante (c 23 v 48 *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, et videbant, quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Hos saltem imi-

Missae Sacrificium cruenti incruentereprae sentativum amorem a nobis exigit.

Saltem exemplo Judeorum morti Christi praesentium.

imitemur *Judaeos Chriſtiani* Luce fidei perfuſi tanto *amoris ſpectaculo* adſtantes: imitemur, inquam, *percutiendo pectora noſtra* initiali ſaltem ejus amore, ac vitæ melioris propoſito concepto. Quod niſi facimus, ſi inquam cum affectu peccati mortalis aut *pectus tundimus*, aut latentem ſub ſpeciebus verum Deum genuflexi adoramus. *irriſores* potius, et *crucifixores*, quam *adoratores* erimus ſimiles illis, de quibus Joan 19 v 3 Scriptum eſt: *Veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judaeorum: et dabant ei alapas.* Et quae obſecro! major Deo injuria irrogari poteſt? Quam ad ineffabilia illa myſteria, in quibus nimiam ſuam in nos charitatem usque ad ultimam ſanguinis guttam amantiſſimus Salvator effudit, accedere animo ab illo averſo, et diabolo per voluntarium Lethalis flagitii affectum manicipato? Hoc plane eſt, quod Vates Regius amare exprobrat Pſ 77: *Dilexerunt eum in ore ſuo, et lingua ſua mentiti ſunt ei; Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus.*

VII. Quinta ratio, ob quam Feſtis, et Dominicis diebus Eccleſia amoris Divini affectum ab auditoribus incruenti Sacrificii exigit, eſt, ut *fideles graviſſimis ſuis erga Deum Obligationibus ſatisfaciant.* Homo enim tenetur I *Creatorem* ſuum *adorare*, ac *ſubjectionem* in eum ſuam *conteſtari.* Unde ab initio conditi mundi *Abel*, *Noe*, et alii ipſo *lumine naturae* edocti ſacrificia Deo, ut ſupremo vitae, ac mortis Domino obtulerunt. Quae dein a Moyſe *holocauſta* appellata, praeſcriptaque ſunt. Non tamen exæquabant infinitam Dei Majeſtatem *infirma* haec, et *egena clementa*, ut Paulus apellat, ex frugibus terræ, et animalibus conſtantia: *ex opere* tamen *operantis*, ſive fide offerentium *Charitate viva* acceptabilia erant: *Odoratusque eſt Dominus odorem ſuavitatis* non crematorum animalium, ſed *Charitatem* ardentem, et ſuaveolentem offerentium. Gen. 8 v 21. Sacrificium altaris *Latreuticum* eſt (quod teſte Auguſtino Lib 10 de civit Die c 4 *Servitutem* ſignificat) profitemur enim in canone illis verbis: *Hanc igitur Oblationem ſervitutis noſtrae* Nos illud *exprimario fine* in conteſtationem *ſubjectionis* noſtrae aeterno Deo per manus Sacerdotis, et Chriſti offerre *in holocauſtum infinitum.* Hæc nempe ſola eſt *Hoſtia Deo digna:* qua infinitae ejus Majeſtati *par* reddimus: Scilicet *Patri* æterno æternum *Filium.* Quin non tam Nos, quam ipſe Filius, ut et Sacerdos, et victima eſſet infinita; juncto tamen *affectu*, *amore*, totoque corde noſtro, ne nosquoque, quorum cauſſa, et Nomine offertur, *Servituti*, *ſubjectioni*, et *adorationi* per nos conteſtandae deſimus. Quam alte evexit nos Deus! ut infinitæ ejus Majeſtati infinite adorandae nosquoque *affectibus noſtris* cooperemur, mutuaque *noſtra Charitate* victimam hanc infiniti valoris ad conſpectum Patris coeleſtis comitemur! Nec omnino dignus eſt vita ipſa, qui ſupremo vitæ, mortisque Domino, ac arbitro non *amores* duntaxat ſuos, ſed *vitam ipſam* ſaepius, hoc eſt ut Mater Eccleſia, jus naturale, et divinum explicando ſtatuit, *Feſtis*, et *Dominicis* ſaltem non devovet, et conſecrat. Tenetur II Omnis Chriſtianus Deo *gratiarum actionem* pro *creatione*, *redemptione*, *vocatione* ad Salvificam fidem, *ſanctificatione*, *conſervatione*, *providentia*, aliisque innumeris quum naturalibus, tum ſupernaturalibus beneficiis, quae in *momenta ſingula* liberaliter quisque accipit, et quae nemo mortalium digne enarrare valet: Minus pares pro iis gratiarum referre actiones, niſi Patri donorum omnium fonti, et largitori offerendo Filium ſuum dilectum in Altari ſub ſpecie panis, et vini velatum *in Sacrificium* (quale reipſa eſt, et per excellentiam nuncupatur) *Euchariſticum.* Unde *Euchariſtiae* Nomen: Sive Sacramentum, et Sacrificium *Laudis*, et *gratiarum actionis.* At teſte æterna veritate *non eſt ſpecioſa laus*, nec gratiarum actio *ex ore peccatoris.* Ergo eum, *per quem*, *cum quo*, *et in quo eſt Deo Patri omnipotenti*

Miſſae Sacrificium eſt Latreuticum, quo adoramus Divinam majeſtatem.

2. *Gratiarum actorum.*

tenti in Unitate Spiritus Sancti Omnis Honor, et Gloria, in gratiarum actionem oblaturi *affectum* saltem Scelerum nostrorum contrario in Deum motu exspuamus oportet. III. *Nescit homo an amore, vel Odio dignus sit.* Quisque examinando conscientiam suam inveniet, quod defleat. Nam peccasse nos scimus, remissa nobis esse peccata, eorumque paenas ignoramus. Ideo vel Sanctissimi Sacerdotes (tanto magis imperfecti, et graviorum criminum rei Saeculares) vere, et juste offerunt *hanc immaculatam hostiam pro innumerabilibus peccatis, negligentiis, et offensionibus* suis. Ex Tridentino autem Sess 22 c 2 jam vidimus, hoc Sacrificium vere *propitiatorium* esse, *per ipsumque si contriti, et poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam, et gratiam verae poenitentiae de commissis peccatis agendae nos inventuros in auxilio opportuno.* Sed et IV ibidem docet Sacrosancta Synodus, hoc *Sacrificium Satisfactorium* etiam *esse* pro *poenis temporalibus* peccatorum quoad *culpam* dimissorum: *Non solum*, inquit, *pro fidelium vivorum peccatis, ac poenis, Satisfactionibus, aliisque necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo non dum ad plenum purgatis rite juxta Apostolorum traditionem offertur.* Denique V ex citatis Tridentini vocibus: *aliisque necessitatibus* nemo Catholicorum dubitare potest, idem Sacrificium *impetratorium* quoque esse omnium beneficiorum tam animae, quam corpori in vita, et morte necessariorum. A Deo enim *bona cuncta procedunt*, Ex nobis non habemus *nisi peccatum.*

3. *Propitiatorium.*

4. *Satisfactorium.*

5. *Impetratorium.*

Omnes igitur hi tituli amorem nostrum exigunt.

Si igitur *pacem in diebus nostris*, si liberationem *a malis praeteritis*, quae sunt commissa peccata: *praesentibus*, imperfectionibus, negligentiis, quotidianis venialibus, ac adversitatibus: *et futuris* tentationibus: Si omni *benedictione*, et *gratia* potissimum statui nostro necessaria, perseverantiae in bono, et finali *repleri* desideramus: si in nobis omnia *semper bona creari*, nos *sanctificari, vivificari, benedici*, ac cuncta nobis necessaria *praestari* oramus, ad Sacrificium hoc *bonorum omnium* largissimum *fontem* conscientiam *ab operibus mortuis* emundatam adferre debemus. Nam dicente Sapiente Prov 15 v 8: *Victimae impiorum abominabiles Domino.* Etc 28 v 9: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Denique Ecclesiastes c 4 v 17: *Custodi pedem tuum* (utique affectuum) *ingrediens Domum Dei. Multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimae; qui nesciunt, quid faciunt mali*, dum affectu peccati non deposito Sacrificium offerre praesumunt. In quae verba S Hieronimus aperte pronunciat: *Non ingredi in Domum Dei, sed sine offensione ingredi laudis est. Stulti, nescientes remedium peccati, aestimant, oblatione munerum Deo satisfacere posse: et ignorant, hocquoque malum esse, atque peccatum, non obedientia, et operibus bonis, sed donis, et victimis emundare velle, quod fecerint.* Sane si Dominus Moysem ad se accedentem monuit Exodi 3 v 5: *Solve calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra Sancta est:* Tanto majori cum diligentia solvenda nobis sunt *Calceamenta* pravorum affectuum, quanto monte Horeb Sanctior est Ecclesia Christianorum, locus nempe Sacrificii incruenti digne offerendi, locus Deo adorando, et placando, gratiisque impetrandis peculiariter consecratus: verbo domus Dei, et porta coeli. En gravissimas rationes illas, ob quas Ecclesia *Festis*, et *Dominicis* a Fidelibus suis *inchoatae* saltem *dilectionis affectum* postulat: Ut nempe tremendo Altaris mysterio digne adstemus, atque gravissimis a nobis debitis officiis satisfaciamus, innumeraque ex eo beneficia referamus. (*a*).

VIII.

Praxis missae devote audiendae.

(*a*) Ut haec in fructuosam praxim deducas, audito pulsu perge ad Ecclesiam animo compuncto quasi ad montem Golgotha tragoediam mortis Christi exhibendam contemplaturus, idque tam tenero pietatis affectu, quasi hoc Sacrum tibi in vita postremum foret. Comitare devota mente praecipuos saltem Missae

VIII. Pro *Feſtivitatibus Sanctorum* rite celebrandis peculiarem rationem adferunt Sancti Eccleſiae Doctores, quae a nobis *peccati*

affectus, videlicet I: ad initium *Contritionis*, quam Sacerdos *cum Miniſtris communi totius populi vice reſpondentibus* ad pedem Aras facit. II. *Glorificationis* Divinae Maieſtatis, Quae introitu, et Cantico Angelico continetur. III. ad collectas *petitionis* gratiarum tibi, et cunctis fidelibus neceſſariarum conjungendo affectus tuos affectui Sacerdotis, qui *collectas* orat, et Spiritui Eccleſiae in *iisdem* expreſſo. IV *Inſtructionis*, quae Epiſtolam, et Evangelium complectitur monita Salutis ex Prophetarum, et Apoſtolorum Oraculis continens. V *Fidei*, et *Spei* ſummam exhibet Symbolum Apoſtolorum: Sub quo omnes haereſes contrarias ex animo deteſtare. VI *Oblationis* hoſtiae: *Animo devotiſſimo pone Cor tuum ad patenam cum hoſtia offerenda, ac pete, ut omnes orationes, et benedictiones ad hanc funlendae cadant et in Cor tuum, illudque totum Divino amori conſecretur.* Quod et in oblatione Calicis pie repetes. VII. Divinae *Unionis* a praefatione uſque ad Communionem inclusive: Ubi viva fide affectus *adorationis* Latreuticae, *gratiarum actionis*, *ſui oblationis*, *petitionis* (cujus ſummam exhibet Oratio Dominica) *amoris*, *deſiderii* panis Euchariſtici ſunt exercendi. VIII Poſt Communionem *gratiarum actionis*, *petitionis gratiarum*, firmiſſimorum *propoſitorum*, *ſui* rurſum *oblationis*. IX In fine *petitionis benedictionis*. confer, quae diximus *de praeparatione*, et *devota celebratione* c XII a n XXXVIII: et quae *audiendo* etiam Sacro ſumme ſervire ibi n XXXIX, et XLV monuimus. Sed quia rarus inter laicos eſt, qui his affectibus e memoria pie ſe occupare noſſet (niſi a piis Sacerdotibus extraordinaria cum diligentia identidem repetantur) ideo *communem totius populi orationem*, *et cantum* aliunde Apoſtolorum tempori coaevum, et in Graeca Eccleſia hodiedum retentum *privatae ſingulorum pietati* praefero: et quemadmodum ad coelos uſque effero morem *Siculiae* ante Sacrum *communi ore*, *et Corde* Coronam Marianam orantis, ita *choros Angelorum* e *populo* ſuo formaturos affirmo pios animarum Curatores, ſi *eum* ſub Sacro *dictis affectibus* (in quibus et omnia Chriſtiani hominis erga Deum officia, et *Spiritus Sacrificii Miſſae* continentur) *per* paſſim notas *pias cantiones* ad Charitatem inflammare ſtuduerint. Pias has cantiones comitari, animareque poteſt *modeſta muſica*: nam et Coronatus Vates Laudandum Deum *in pſalterio*, *et cithara*, *in timpano*, *et choro*, *in Cordis*, et *Organo*, *in Cimbalis Jubilationis* cantavit. At Trident ſeſſ XXII *Decr de obſerv et evitand in celebr Miſſ* Muſicam, et Cantum, quae *laſcivum*, *aut impurum aliquid* olent, ex Eccleſia proſcripſit. Sed et ſi Muſica, et Cantus in ſe Caſtigata ſint, ubi tamen haec *audit tantum* populus, fere animatae inſtar ſtatuae abſque ullo devotionis ſenſu Divinis myſteriis phiſice et materialiter aſſiſtit. Unde palpare eſt unam e praecipuis rationem, cur Pagenſes prae Urbanis fere devotiores ſint; quia illi *ſimul Cantando* ad pietatem ſaepe inflammantur: hi audiendo tantum rariſſime. Multi nec communiter Cantant, nec muſicam audiunt, verum ex libellis precatoriis myſteria Dominicae Incarnationis, Vitae, Paſſionis, Reſurrectionis in Miſſa repraeſentata piis oratiunculis recolunt. Sancte: Modo varietas, et multitudo myſteriorum, *quae hi breviter attingunt*, eos *jejunos affectuum* non reddat. Mallem eos Orationum percurrendarum multitudine non obrui; ut potius multum *adorent*, *ament*, *doleant mente*, quam *recitent ore*. Quid loquar de iis, qui ſub Sacro alias ab his myſteriis orationes percurrunt? nec hos vitupero; nam in omni oratione ſparſi ſunt diverſi devoti affectus; duo tamen ab his peto: I ut potius parum *Corde*, et *meditate*, quam multum *labiis* orent: Mallem ab Idiotis quoque, et legere neſciis ſub Sacro quinque Pater, et ave *devote*, *meditate*, *reflexe ad ſenſus altiſſimos* (cap XII n XLIII expoſitos, et populo frequenter inculcandos) abſolvi; quam *labialiter*, et *ſine attentione* plura Roſaria. Alterum: ut ad partes ſaltem principales Sacrificii *Oblationem*, *Conſecrationem*, et *Communionem* elicitis congruis charitatis, et contritionis affectibus advertant. Secus orando aliud agent, quam Miſſam audiant. Generatim autem expedit totum populum ſimul coniuncta mente orare, aut Cantare; vt in primitiva Eccleſia moris erat, eſtque in Graeca, et Armena hodiedum. Quem morem Auguſtiſſimus Imperator Ioſephus II exultantibus Eccleſiarum Principibus Sancto Zelo in populo devotionem accendendi vehementer pro omnibus Eccleſiis urſit. In quem finem exſtant paſſim affectuoſae Cantileuae: atque inter eas a nobis quoque cum actibus Theologicis nuper per dioeceſim ſparſae, et quoties neceſſarias intellexi-mus, reprimi curandae. Affectibus etiam Sacrificii plenum eſt illud Ioſephinum: *Im arczunkra borulunk elötted IStenség!* et notum: *Jertek Kereſztény lelkek az IStent ditsirni.* Sed longe pientiſſimum puto illud antiquum: *Hálát adok IStennek ajándékidért.* Has tamen cantillenas praeire, aut claudere deberent communi voce, et corde dicendi actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, propoſiti velut earum anima. Sic digne celebrabit populus dies Domini Charitate Dei.

Pro doctioribus.

Pro rudioribus commendatur communis cantus Theologicorum affectuum.

Comitante modeſto organo.

Mente magis, quam ore privatim orandum.

Digni laus Ioſephi II Caeſaris.

cati deteſtationem, ac pium in *Deum Charitatis* motum natura ſua expoſcit. Audiamus Sanctum Bernardum ſerm in Vigil SS Petri, et Pauli: *Tria ſunt, quae in Feſtivitatibus Sanctorum peculiariter conſiderare debemus. AUXILIUM Sancti, EXEMPLUM ejus, et CONFUSIONEM noſtram. Auxilium: Ut illi pro nobis intercedere dignentur in Coelis, quorum memoriam agimus in terris. Exemplum: Ut imitemur, quod colimus. Ut imitari non pigrat, quos celebrare delectat. Confuſionem:* Ut ait ibidem Divus· *Confundamur fratres* ad praeclara exempla Sanctorum, *et contremiſcamus, ſi forte haec confuſio adducat nobis gloriam. Si forte nobis generet gratiam timor iſte.* An amabo te! *auxilium* ſperare poſſunt Sanctorum iniqui *peccatorum affectu* irretiti? ipſe omnium Salvator pro iniquis hujusmodi non rogavit *efficaciter*, ut Ioannes teſtatur c 17 v 9: *NON PRO MUNDO rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi.* Minus rogabunt Sancti pro iis, qui eorum exempla ſequi dedignantur. Sunt enim illi Patroni *poenitentium*, non furum, non latronum, non impurorum, *non in peccatis ſuis foetentium.* Quibus proinde Sancti in *Confuſionem*, et triſtitiam ſunt; ſed quae illis adducet mortem. *Eſt enim Confuſio adducens mortem*, et triſtitiam ſempiternam!

In Feſtis SS conſiderandum AUXILIUM, et EXEMPLUM Divorum.

Qui ſunt Patroni poenitentium.

IX Quam hactenus tradidimus doctrinam maximis ex momentis, clare, et in terminis docent Maximi Doctores. S Bonaventura opuſc II ſerm 4 *de decem praeceptis* eam plane Seraphice illuſtrat dicens: *In tabula prima tria mandata continentur nos ordinantia ad Deum. In primo mandato praecipitur humilis adoratio Divinae Majeſtatis. In ſecundo fidelis Confeſſio Summae veritatis. In tertio ſincera DILECTIO SUMMÆ BONITATIS. Et hoc tertium praeceptum eſt: Memento, ut diem Sabbathi Sanctifices: SANCTIFICATIO EST CONVERTENS ANIMAM AD DEUM Sanctum, ad Deum verum, ad Deum SUMMÆ DILIGENDUM. Praecipit Dominus Sanctificationem, ideſt VACATIONEM AD AMANDUM. Hoc eſt verum praeceptum. Unde quilibet tenetur Dominum Sanctificare in Corde ſuo, hoc eſt AMARE. Ille diem Sabbathi Sanctificat, ſive Sabbathum facit, qui DEUM SUPER OMNIA DILIGIT PROPTER SE, et non propter aliud. Dies ſeptima ſignificat quietem animarum, et ceſſationem ab opere ſervili cum vacatione, et deprecatione. Sic igitur in mandato illo continetur aliquid, quod eſt morale: Scilicet Ut DEUS SUPER OMNIA DILIGATUR,* Et mox: *Hoc praeceptum: Memento ut diem Sabbathi Sanctifices EST DE CHARITATE, et quidquid latet, et patet in aliis, in iſto mandato conſumatur.* Doctori Seraphico jungamus Angelicum. Mirus enim Conſenſus eſt in Angelicis Choris ſicut in Coelo, ita in terra. Igitur opuſc 14 *de decem praeceptis* c 14 ita diſcurrit: *Quia Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, homo ſemper ad terrena tendit, niſi conetur ſe erigere ab his: ideo oportet habere certum tempus ad hoc. Unde aliqui toto tempore id faciunt. Pſ 33 Benedicam Dominum in omni tempore, SEMPER laus ejus in ore meo. Apoſtolus ad Theſſalon 5: ſine intermiſſione orate. Et hi continuo Sabbathum habent. Aliqui hoc faciunt aliqua parte temporis. Pſ 118 Septies in die laudem dixi tibi. Alii ne omnino alienarentur a Deo, oportuit, ut haberent aliquem diem determinatum, ne nimis tepeſcat in eis amor Dei. Iſaiae 58 ſi vocaveris Sabbathum delicatum, tunc delectaberis ſuper Domino. Iob 22: Tunc ſuper omnipotentem delicias affluet, et elevabis ad Deum faciem tuam. NON ENIM AD LUDENDUM ORDINATUR TALIS DIES, SED AD LAUDANDUM, ET ORANDUM DOMINUM. Unde Auguſtinus dicit: QUOD MINUS MALUM EST, TALI DIE ARARE. QUAM LUDERE.* Hinc non patet rima effugio. Teſte Angelico ne homines omnino elongarentur a Deo, oportuit habere aliquem diem determinatum, ne nimis tepeſcat in nobis amor Dei; Determinavit

Mens Doctoris Seraphici.

Et Angelici.

minavit Ecclesia dies Dominicos, et Festivos. Ergo in eis *obligat nos amor Dei, ne omnino alienemur a Deo*, et ne nimis tepescat in nobis amor Dei. Addamus duobus his tertium *Angelum*: videlicet Angelum a Clavisio, qui sub Sixto IV circa a 1490 Scripsit *Summam Angelicam*: sic autem ibidem docet in Summa Fer V: *Audiat populus Missam integram: audiat etiam si est qui praedicet: CONTERATUR, VEL SALTEM ATTERATUR, QUI EST IN PECCATO MORTALI.* More ante Tridentinorum Scholasticorum (ut e I a n V vidimus) per *atteratur* intelligit Contritionem non *perfectam, initiali* tamen *Charitate animatam.* Quam ille doctrinam sumpsit a Magistro suo *Subtili Doctore* Scoto, qui lib III senten dist 27 affirmat eum, *qui DIE FESTO DE PECCATIS admissis NON CONTERITUR, PECCARE MORTALITER: quippe qui violat praeceptum de festorum observatione.*

Item Angeli a Clavisio.

Scoti.

X. His consonant Concilia: Matisconense II sub Clotario Rege a 585 Can 1: *Custodite diem Dominicum. Estote omnes in hymnis, et Laudibus Dei animo, corporeque intenti: siquis proximam habet Ecclesiam, properet ad eam, et ibi precibus, lacrimisque se afficiat. Sint oculi, manusque vestrae toto illo die ad Deum expansae. Exhibeamus Domino liberam servitutem; quaerit Dominus obedientiam, per quam nos calcatis terrenis actibus ad Coelum usque misericorditer provehat.* Aquilejense Provinciale I a 1596 de Fest Sanctificatione: *Festos dies in honorem Dei, et Sanctorum institutos ad gratias Deo agendas de beneficiis, quae a liberalissima ejus manu accepimus, Veniam peccatorum petendam, et opem Divinam implorandam; ut omnium saeculorum memoria etiam Veteris Testamenti pagina contestatum habemus: magis debemus servare nos, qui in lucis veritate versamur, quam qui umbra futurorum ante solis ortum sedebant.* Infinitus sim, si omnia persequar, quae eruditi in hanc materiam populo Christiano maxime necessariam congerunt. Illud tamen praeterire nequeo, magnae, piaeque memoriae B Iosephum Bajtay (maximum illum virum, de quo an *major Episcopus?* an *major* Regis *Consiliarius* fuerit? merito dubitat Transylvania) perpetua Lege in Alma hac Dioecesi constituisse A 1764: *ut Festis, ac Dominicis omnibus sub Sacro Cantore alta voce cum debita mora, et gravitate praeorante totus populus recitet actus Theologicarum Virtutum Fidei, Spei, Charitatis et contritionis.* Noverat nempe Doctissimus Praesul, harum Virtutum exercitium esse *animam, centrum*, ac *fundamentum* Religionis Christianae: caeteras orationes esse *ornatum*, ac *flores* quosdam *devotionis*: has vero *radices* verae in Deum *pietatis.* Quod tam pium institutum quemadmodum floret hodiedum in multis Parochiis, ita eidem novum fervorem, ac vigorem a Zelosis animarum Curatoribus addi vehementer optamus.

Consonant Concilia.

Et lex Dioecesana B Eppi Bajtay.

XII Ais adversum dicta I: Ecclesia praecipit *Sacrum Missae Sacrificium* Festis, et Dominicis *reverenter* audire. Quae *reverentia* consistit in *modestia*, et *attenta* Divinis *assistentia.* Alioquin II Si plus volumus, retrahemus peccatores a Missae Sacrificio: qui non interesse potius eligerent, quam novum committere peccatum. Imo hoc praetextu, ne interessent, uterentur. III de ommissione contritionis diebus Sacratis nemo poenitentium se accusat, nemo Confessariorum investigat. Ergo ex communi sensu patet, eam non requiri. Imo vero IV e praemissis sequitur, peccatores nec adire Ecclesiam etiam die profesto sine novo peccato posse. Apage vero tam incivilem, barbarumque rigorismum. Respondo ad I: *reverentiam*, modestiam, et attentionem *mere externam* sine interna compunctione *Judaicam*: *n h III* atque ab Ecclesiae mente alienam esse, vidimus. Audiamus S Leonem

Satisfit adversariis.

Reverentia mere externa est Iudaica.

nem M Serm 3 de Quadrageſima: *Si rationabile videtur, per diem Feſtum in veſtitu nitidiore prodire: ſi ipſam quoque orationis domum propenſiori tunc cura, et ampliori cultu adornamus: nonne dignum eſt, ut anima Chriſtiana, quae verum, vivumque Dei templum eſt, ſpeciem ſuam prudenter exornet, et redemptionis ſuae celebraturа Sacramentum, omni circumſpectione præcaveat, NE VILLA EAM MACULA INIQUITATIS OBFUSCET, ET DUPLICIS CORDIS RUGA DEDECORET. Nam QUID PRODEST HONESTATIS FORMAM PRÆFERENS CULTUS EXTERIOR, SI INTERIORA hominis aliquorum SORDEANT contaminatine vitiorum? omnia igitur, quae ANIMI PURITATEM, et SPECULUM MENTIS OBNUBILANT, ABSTERGENDA SEDULO, et quadam eliminatione radenda ſunt.* Ad II quaero: an Iſaias cap 1 poſteaquam deteſtari Dominum conteſtatus fuiſſet ſceleſtas Iudaeorum Solemnitates, an inquam retrahebat populum a Sacrificiis, feſtisque celebrandis? dum ita eum hortabatur ibidem v 16: *Lavamini, mundi eſtote: Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: Quieſcite agere perverſe; Diſcite benefacere: Quaerite judicium: Subvenite oppreſſo: Iudicate populo, defendite viduam. Et venite; arguite me. Dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra ac coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Et ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Ut egit Iſaias cum impiis Iudaeis, ita agit mater Eccleſia cum ſceleſtis Chriſtianis: *proponendo*, urgendo legem *naturalem*, *Divinam*, et *ſuam* de *Sabbatho CUM CHARITATE Sanctificando urget* eos ad *agendam* ea occaſione *poenitentiam*: Tantum abeſt, vt hac ratione eos a Sacrificio Miſſae abſtrahat; quin potius ut *digne* audiant, modis omnibus ſatagit. Qui non obtemperant, et *abſtrahendo* ſe, et *indigne aſſiſtendo* Divinis myſteriis, ſua malitia novo crimine animam ſuam onerant. Quia in ſua poteſtate eſt, ut *extremum vtrumque declinent cum initiali ſaltem contritione* accedendo. Ad III ajo: hujusmodi argumenti genus: *non fit, ergo non tenemur*: ſemper mihi inviſum viſum fuiſſe. Non enim ex *uſu*, et *facto jus*, ſed ex *jure factum* metiendum eſt: Alioquin contra Sanctiſſimas quasque leges, his potiſſimum corruptis Chriſtiani populi moribus proxime praeſcribetur. Si Ethices Chriſtianae *Doctores*, ſi conſcientiarum *moderatores*, ſi *Concionatores*, et *Catechiſtae* graviſſimis, ut vidimus, momentis ſultam hanc doctrinam fidelibus proponerent, et inculcarent, conſcientiam hi ſibi indubie facerent. At ſi illud non fiat, nos tamen non aliter, quam ut in conſcienſcia perſvaſi ſumus, loqui poſſumus. Erunt fortaſſis aliqui, qui haec cordi ſummant: et ſi paucis tantum veritatem perſvaſerimus, laboris noſtri mercedem tulimus ampliſſimam. Quamquam ſunt, quibus vtcunque nota eſſe poſſe peccata circa haec commiſſa *Confeſſori* videntur: Si enim rite explicet paenitens, ſe e. g. a tribus menſibus Confeſſionem non feciſſe, interea vero his, illisque mortalibus peccatis inſorduiſſe conſtanti, vixque interdum retractato eorum affectu, facile inferet Confeſſor, eum interea Feſta Domini, et Sanctorum *non Sanctificaſſe*. Quae etenim *peccatis confeſſis* neceſſario *connexa* ſunt, *intelligere* prudens *Confeſſarius* ut *poteſt*, ita debet. Sic ſi *Sacrata Deo perſona* Sacerdoti, cui probe *nota* eſt, peccatum contra Caſtitatem confiteatur, ad declarandam *Sacrilegii* malitiam *confeſſario* probe *notam* fruſtra vrgeretur. Ita et in noſtro caſu diſcurrit P Schneidenbach. Cui tamen quod *his omnia rite explicentur*, me Vadem ſtatuere non auſim. Ad IV. Si clamante Apocaliptico Vate c 22 v 15: *Foris Canes, et veneficii, et impudici*: Si teſte Salvatore Eccleſia non eſt *Spelunca Latronum*: ſi omnia jura inculcant: *Sancta Sancte*. Si ipſe diabolus, Simia Dei tempore Sacrificiorum nefandorum vociferabatur referente Merbeſio: *odi profanum vulgus, et arceo*: Profecto ſcele-

ratos

Ut Iſaias, ita nec nos retrahimus populum a miſſae Sacrif. ſed digne accedere docemus.

Nullum eſt hoc argumentum: NON FIT, ergo NON TENEMUR.

Eccleſia Dei quo animo adeunda?

ratos illos, qui ſolum *videre*, et *videri*, vel ut *boni* habeantur, ad Eccleſiam veniunt, mallem interea in hara manere propter ea, quae n IV adduximus. Qui vero pio in Deum motu veniunt, eis patere domum Dei ſemper deſideramus, vt ibi *miſericordiam, et gratiam inveniant in auxilio opportuno*, quo peccatores eſſe deſinant. Denique diebus feriatis vt *per ſe* neminem ad audienda Sacra myſteria coactum confitemur, ita ſi indigne adſint, *minus reos hoc nomine* eſſe non negamus: vt vt *nimium plane impium* eum habeamus, quem in profeſtis quoque nec *Eccleſiae Sanctitas*, nec *Sacrificii incruenti ſublimitas* h n V VI VII ad pium contritionis motum excitare valet. (*a*)

XIII. Sed ut memores ſimus inſtituti noſtri, ſeptima hac paritate in rem noſtram ita utimur: *ſi Sanctificare Sabbathum abſque Charitatis in Deum motu non poſſumus*, minus poterimus absque eodem motu *animam noſtram* ope Sacramenti paenitentiae *Sanctificare*: ſi nec *aſſiſtere Miſſae* Sacrificio abſque *devotione Charitate initiali* animata valemus, an Iudici Deo in *Sacro tribunali* abſque *illa* ſiſtere nos poterimus? ideo, ut notavimus n V, ad Altaris miſterium *Contritos, et poenitentes* accedere nos oportet, vt *ampliorem agendae* in re ipſa *paenitentiae gratiam conſequamur*. Ergo dum *eam opere ipſo agimus*, multo a fortiori *Contritione amoriſi* nos *agi* eſt neceſſe. Verbo: plus longe eſt *Sacramentum paenitentiae* in re ſuſcipere, quam *Feſtum* quodcunque *celebrare*. ergo ſi *hoc cum amoris in Deum affectu* agendum eſt, illud longe majori ex ratione ſimili affectu erit peragendum.

Applicatio paritatis.

(*a*) *Antequam a Feſtorum debita celebratione diſcedamus, operae pretium ducimus breviter attingere illam quoque quaeſtionem cum priori arctiſſime connexam*: an *videlicet* peccatum mortale Feſto, *vel* Dominico die patratum gravius ſit eodem peccato die profeſto commiſſo? *proinde an Titius aperire teneatur in confeſſione*, ſe hoc crimen die Domino Sacro *patraſſe*? *Quamquam autem aſſirmanti Sententiae a Junioribus acriter contradici ſciamus, nos tamen pro illa tantas auctoritates apud Merbſium in Summa Chriſtiana p 1 q 75 invenimus, vt confidamus in Domino fore, vt quicunque eas intellexerint, in noſtram ultro Sententiam ſint conceſſuri. Itaque pro affirmativa Sententia ſtat I: Scriptura Sacra Malachiae 2 v 3*: Diſperdam ſuper vultum veſtrum Stercus Solemnitatum veſtrarum. *Tunum nempe Propheta Solemnitates* in ſe Sanctas *peccatis, vt* Stercore *res honeſtas* deſædari, *et* fædas *reddi*. *Nam* Sanctum non eſt, etſi geritur vt Sanctum, niſi Sancte peragatur. *Ait auctor de ſingularitate Clericorum*. Deſædare *autem* Sancta *grande Sacrilegium eſt, ergo*.

Peccatum die feſto patratum eſt gravius, quam profeſto.

Stat II. Sanctiſſimus Mediolanenſium Antiſtes D Ambroſius L 7 in cap 13 *Lucae peccatum die Feſto* peculiari ratione *prohibiri his verbis docens*: Hoc non intelligens Archiſinagogus prohibebat quemquam curari Sabbatho: cum Sabbathum futurarum ſit typus feriarum. Et ideo non operis boni, ſed MALI FERIÆ SUNT: eoque praeſcriptum eſt, vt NULLAM FERENTES SARCINAM DELICTORUM, nec bonorum operum jejuni Sabbatha poſt mortem Domini futura celebremus. *Quibus verbis aſſerit Sanctus, die Feſto* ferias eſſe a peccato *abſtinendi* ita, *ſicut ad bene operandum. At feriari ad bona opera praeſtanda* diſtincte *praecipitur, ergo et* feriari a malo. *Ad haec ſi antiquorum criminum Sarcinam eodem eſſe Sacratis Deo diebus ferre non poſſumus, multo magis novorum delictorum onus conſcientiae noſtrae imponere*

XIV. Octava, et ultima paritas hactenus de Charitate dicta in Cordibus noſtris radicabit. Aſſero itaque ad rectam *orationem*

---

absque diſtincta *hujus circumſtantiae* malitia *non valemus. Ergo ſi feriandum eſt tunc ab* antiquis, *multo magis* a novis *peccatis.*

Stat III. S Baſilius in illud Ieremiae: noli tollere Sarcinam, ſive onus, hoc eſt, vt ne ullo peccati pondere praegraveris, neve dimoveari a perenni perſeverantia in Deo. Qui ſic Sabbatha perficiunt, vt non ſibi temperent ab improbis operibus, hos merito averſatur Deus: talia enim Sabbatha ſunt, quae vt miſera deflentur a Propheta dicente: Vae qui apropinquant, et complectuntur mendacia, ac miſera Sabbatha.

Stat IV. S Auguſtinus in Pſ 32: Obſerva diem Sabbathi, non carnaliter, non Iudaicis delitiis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim tota die foderent, quam tota die ſaltarent. Sed tu cogitans requiem abſtine ab opere ſervili: Omnis enim qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Et utinam hominis, non peccati! *Idem Serm* 2 *inter* 40: Ille vere obſervat Sabbathum, qui non peccat, praecipitur enim: omne opus ſervile non facietis in eo. Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. *Sed et n b IX dixerat D Thomas ex Auguſtino:* minus malum eſſe die Feſto arare, quam ludere.

Stat V. S Gregorius Niſſenus Homil 7 *in Eccleſiaſten:* Quod ratione caret, otium non eſt virtus. Quaerendum eſt ergo, quid ſibi velit praeceptum otii Sabbathi? dic: vt a vitii opere mundi ſint. et lex omnis, quae vetita prohibet, jubet Sabbathiſmum agere a malis operibus. Hoc accurate tradi um eſt in Deuteronomio, vt otioſi ſimus, et nihil agamus illorum, quorum opus eſt vitium.

Stat VI. Iſidorus Peluſiota epiſt 71 *ad Helionem Monach:* Nihil ſervilium rerum ab otio in cultu Dei collocando vos tanquam ſervos abſtrahentium facietis die Sabbathi: nec quod vos peccatorum pondere deprimat. Eſt enim remiſſionis dies: nec ipſius dignitatem vitiorum colligationibus dedecorari, contumeliaque affici convenit.

Stat VII. Origenes Homil 23 *in L Numer:* Qui ceſſat ab operibus Saeculi et Spiritualibus vacat, iſte eſt, qui Sacrificium Sabbathi, et diem Feſtum agit Sabbathorum: neque onera portat in via. Onus enim eſt omne peccatum: Quemadmodum dicit et Propheta: iniquitates meae ſicut onus grave gravatae ſunt ſuper me.

Stat VIII. S Thomas 2 2 *q* 122 *Tria ſervilia opera diſtinguens: primum* peccati. *Secundum* quod proximo exhibetur. *Tertium quod* in Dei cultum praeſtatur. *Mox affirmat* 1mo, et 2do violari Sabbathum. Tertio cuſtodiri. *Et opuſc* 22 *a* 5 *docet:* gravius eſſe quodcunque peccatum in magna Solemnitate, quam alio tempore.

Stat IX. S Bonaventura in Confeſſionali c 2 *aſſerens:* Interrogandum eſſe poenitentem de tempore, quo peccatum patravit. utrum videlicet te pore Feſtivo?

Stat X. Synodus Lingonenſis: Homines in Feſtis debent eſſe plurimum intenti Divinis, puta orando, Eccleſiaſtica officia, et Di-

nem neceſſariam eſſe *initialem* ſaltem Dei *Charitatem*, peccatorumque ex ejus amore deteſtationem. Tanto igitur magis ad Sacramentum poenitentiae rite, fructuoſeque ſuſcipiendum. In demonſtrando antecedente non multum mihi laborandum eſſe video. Iam enim audivimus ex Iſaiae c 1 ad perfidos Iudaeos Divino ore pronunciatam Sententiam: *cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtrae Sanguine plenae ſunt.* Et Prov 28: *Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* In eum, qui *cum affectu peccati* mortalis accedit ad Deum deprecandum, aut laudandum, cadit illa Pſ 108 non imprecatio, ſed prophetia: *Oratio ejus fiat in peccatum.* ſed et

8. *ad rite orandum neceſſaria eſt initialis charitas. go et ad poenitendum. Ex Scriptura.*

---

vina, ac Sermones verbi Dei audiendo, de Deo, et de Sanctis loquendo: Et ut his rebus melius poſſint intendere, debent abſtinere ab omni opere ſervili, et potiſſimum a peccato. Quia GRAVIUS PECCAT, QUI PECCAT IN FESTO, puta furatur, fornicatur, quam qui in aliis diebus id facit.

Stat XI. S Antonius p 1 t 14 c 4 ſ 4: CIRCUMSTANTIA DIEI FESTI TRAHIT PECCATUM IN ALIAM SPECIEM. Nam fornicans in Feſto facit contra duo praecepta ſcilicet: non maechaberis, et illud de Sanctificatione Sabbathi.

Stat XII. Ratio efficax. Nam circumſtantiae: quis? *perſona Deo Sacra.* Ubi? *in loco Sacro.* Cur? *ad adulterandum.* Quomodo? *cum violentia, Faciunt* diſtinctum ſpecie *peccatum. Ergo et* quando? *die Feſto, quo die magis prohibetur (ut vidimus ex SS Patribus) peccatum, quam opus quodcunque ſervile. Imo peccatum ut maxime* ſervile *principaliter prohibetur. Admittit hoc Antoine de Virtut Relig c 2 q 3 de iis peccatis,* quae includunt oppoſitionem ſpecialem, vel afferunt impedimentum Sanctificationi Feſtorum. *Bene habet, nec ipſe plus volo. Ajo autem, omnia mortalia opponi* ſpecialiter, impedimentumque afferre Sanctificationi Feſtorum: *omnia enim* deſtruunt Charitatem *non actualem ſolum, ſed et habitualem.* Omnia diſſipant Spiritum devotionis, elongent *a Deo, faciunt* in ptum *hominem ad* Deum laudandum, *de Divinis cogitandum. Det mihi Egregius Vir Antoine unum peccatum mortale, quod triſtes hos effectus non cauſet: aut diſtinctionem* SS Patrum eluſoriam *non doceat. Patres enim maxime* finem *praecepti*, debitum Deo cultum *reſpiciunt qui quod cum omni peccato gravi incompoſſibilis ſit, ut cit Patres docent, ideo* omnia *die Feſto* ſpeciali huius ratione *prohiberi magno conſenſu tradunt. Conſonat Cath Romanus p 3 cap 4 n 21: ubi explicans illud:* omne opus non facies in eo, *aſſerit, diebus Deo Sacris* OMNE SERVILIS OPERIS GENUS PROHIBERI, quoniam mentem noſtram a Divino cultu, qui finis praecepti eſt, abſtrahit. quo MAGIS PECCATA FIDELIBUS VITANDA SUNT, quae non ſolum animum a Divinarum rerum ſtudio avocant, ſed nos a Dei amore prorſus ſejungunt. *go* omnia mortalia *mentem a Divino cultu avocant. go* omnia *includunt* oppoſitionem ſpecialem, *et afferunt* impedimentum feſtorum Sanctificationi. *Ego* omnia mortalia *die feſto* diſtincte *unt prohibita propter finem Sabbathi religioſo Dei cultu, et amore Sanctificandi. Recoles etiam utiliter ejuſdem Catechiſmi ibidem n 25 26 25: ubi ex* pietatis, Divinarum laudum, miſericordiae erga pauperes, Divinaeque majeſtatis contemplationis officiis TOTOS *dies feſtos tranſigere jubemur, quae peccatis quibuſvis e diametro ſunt oppoſita.*

et per os Caeci illuminati Ioan 9 v 31 Spiritus Sanctus locutus est, dum dixit: *Scimus quia peccatores* (in coeno peccatorum suorum haerere volentes) *Deus non audit: sed si quis Dei Cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Quin et Ieremias lamentatur dicens Thren. 3 v 44: *opposuisti nubem peccatorum tibi, ne transeat oratio.* Et Psalmista exprobrat Ps 49 v 16. *Quare tu enarras justitias meas? et assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam, projecisti sermones meos retrorsum.* Quare merito monet Sapiens: *Ante orationem praepara animam tuam* (depositō per Charitatis motum peccati affectu) *et noli esse quasi qui tentat Deum.* Eccl. 18. v 23.

XV. Consentiunt SS Patres: quorum aliquos duntaxat velut in re certa proferam. S Augustinus in illa verba Ps 102: *Benedicite Dominum omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus* ita disserit: *Omnes Angeli, omnes potentes virtute, ministri ejus facientes voluntatem ejus, vos benedicite Dominum. Omnes enim male viventes vita Domino maledicunt. Quid prodest, quia hymnum cantat lingua tua, si Sacrilegium exhalat vita tua? si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum ejus, fac voluntatem eius.* Et in Ps 146: *Quomodo erit Deo jucunda nostra laudatio? si bene vivendo laudetur. Alio loco dicitur: non est speciosa laus in ore peccatoris. Si speciosa non est, jucunda non est. Qui laudatis, bene vivite.* LAUDATIO IMPIORUM OFFENDIT DEUM. *Cujus aures non ad os sed ad Cor: non ad linguam, sed ad vitam laudatoris patent.* Longe acrioribus id verbis tradit S Gregorius Nyssenus orat 2 de or Dom: *Vis cognoscere improbi simulacri improbas notas? invidia, odium, calumnia, superbia, avaritia, vi ipsa cupiditas, insani gloriae studii morbus. Cujus igitur animus ejusmodi maculis, et notis infectus, et inustus est, si Patrem invocaverit, quis Pater eum exaudiet? nimirum is, qui cognatus est invocanti. Is autem non ille coelestis, sed subterraneus est. Cujus enim signa proximae cognationis gerit, ille suum omnino agnoscet. Quocirca improbi, atque scelesti hominis oratio, quamdiu in improbitate fuerit, diaboli invocatio est. Cum igitur accesserimus ad Deum, prius vitam inspiciamus, an aliquid dignum cognatione Divina in nobis geramus. Deinde vero ejusmodi verbum proferre audeamus. qui enim Patrem dicere jussit, mendacium dicere non permisit.* Quibus verbis docet Sanctus: illum *mendaciter* Deum *Patrem* compellare qui nullo *filialis* charitatis motu in eum fertur. *Si enim ego Pater, ubi est honor, ubi amor meus?* ex eadem ratione qui solum ex timoris inferni, aut mercedis aeternae affectu ad Deum orandum accedit, nequaquam *Patrem* Deum, sed *Dominum* appellare juste potest *ut servus*, et *mercenarius*, non *filius*. Ex SSPP.

XVI. Equidem non is ego sum, qui affectum *timoris gehennae*, aut coelestis beatitudinis *concupiscentiae* improbem. Quinimo jam cap V a n VIII hos virtutum actus ut *honestos, supernaturales*, affectumque peccati *negative* (a) excludentes merito suo collaudavi, laudoque et in praesentiarum. Sed enim longe altius ascendit dignitas orationis rite institutae. Ad Solium usque *bonitatis*, ac *majestatis Divinae* conscendit. Hanc enim orans laudat, adorat, ei gratias agit, jubilat, gratulatur, congaudet, amat, gemit, sperat amatum, timet ab amato divelli: dolet de offensa amati: ad amatum aspirat, ab eo omnia, imo Eum sibi petit, se, suaque vicissim offert. Teste D Augustino in Ps 85: *Oratio est locutio cum Deo*, atque ut fusius

Quam alte ascendat dignitas orationis.

(a) Non *positive* ibi n IX: ideo minus sufficienter ad rite orandum. ut hic subiunctae auctoritates evincunt.

sius explicat celebris Doctor Alvarefius: *Orare eſt Spiritum ſuum ad Deum elevare, eique res ſuas familiariter, ſed magna reverentia Communicare, vt ſolet amicus cum amico loqui.* Concordat Catechiſmus Roman p 4 cap 2 n 8: oratione, inquit, *amplificatur charitas. Pii homines quo ſaepius Deo facientes preces, et ejus implorantes benignitatem, quaſi cum ipſo colloquuntur, eo majori affectu laetitia ad eum amandum, et colendum incitantur ardentius.* Teſte D Bonaventura in Centilog p 3 ſect 46: *Oratio eſt Sacrificium Deo Charum: eſt aſcenſus mentis ad Deum: eſt aſcenſio animae de terreſtribus ad Divina: eſt conjunctio animæ cum Deo: eſt Cordis deſiderium, et gemitus exultantis animae ad Deum anhelantis: eſt Supremus Latriae erga Deum Cultus: eſt Sancta quaedam fitis a temporalibus ad aeternam lucem Sapientiae.* Arctiſſima eſt *connexio Orationis*, et *charitatis* Divinae. Vera enim oratio conſiſtit in Sancto, et *amoroſo Deſiderio Charitatis in Deum*, vt docet Angelicus 2 2 q 83 a 4: *Cauſſa orationis eſt deſiderium Charitatis, ex quo procedere debet oratio.* Et art 15 ibid: *Oratio habet efficaciam merendi ex radice charitatis. Procedit tamen oratio a charitate mediante religione, cujus eſt actus oratio. Efficaciam autem impetrandi habet ex gratia Dei, qui nos ad orandum inducit.* Auguſtino vero L de poenit c 33: oratio *effectus eſt amoris: amore*, inquit, *petitur, amore quaeritur, amore pulſatur*, ut amore inveniatur. Et epiſt 130: *In ipſa Fide, Spe, et Charitate continuato deſiderio ſemper oramus.* Rurſum in Enchiridio c 7: *Fides credit. Spes, et Charitas orat. Sed ſine Fide illa eſſe non poſſunt; ac per hoc et Fides orat.* Quanti, et quam teneri ſint amoris in Deum affectus vel in ſola oratione Dominica: *Pater noſter! Sanctificetur nomen tuum! Fiat voluntas tua! dimitte nobis debita noſtra! ſicut et nos dimittimus debitoribus noſtris!* Norunt, qui eam *non labiis duntaxat*, ſed ex *Corde, mente*, et toto *Spiritu* orant, vt monet Apoſtolus I ad Cor III: *Orabo Spiritu, orabo et mente.* Et ad Epheſ 5: *Pſallentes in Cordibus veſtris Domino.* atque vt Chriſoſtomus Pſalmum 120 explicat, *ex corde profundiſſimo cum magno ſtudio, et animi alacritate ex ipſis mentis penetralibus* clamant ad Deum. In quo debita orationi *attentio* conſiſtit. (a)

XVII. Sequentes igitur orantium Claſſes diſtingvamus (b) cum eruditiſſimo Patre Lujld Diſſ 6 de oratione c 2 § 2: primam *juſtorum*: qui orando tentationes vincunt, in juſtitia creſcunt, et perſeverant. Ut cap XII n V et VI edifſeruimus. Alteram eorum, qui actu ſunt in *affectu peccati*, nec ullum propoſitum deſerendi iniquitatem habent, ſed priora novis cumulare volunt, et catenam texere peccatorum, vt in iis fiat, quod ajunt *peccatum peccans*. Hi tantum abeſt ut placent Deum, aut ei placeat eorum oratio, vt potius

Tres orantium claſſes Juſtorum.

In peccato haerentium.

(a) *Integre* (ut jubemur) orabimus ſine *Sincopatione*: (ſi ſine ſincopatione orandum eſt *breviarium*, penitus non ſatisfacitis, qui notabilem *ejus* partem mentaliter duntaxat abſolvit. Quod de Miſſa tanto magis affirmandum eſſe, nemo dubitat, niſi qui in omnibus.) *attente* cum potentiarum *applicatione*: *devote* cum *mentis* ad Deum *elevatione*. Hanc mire augebimus, ſi *ſequamur ipſos SENSUS ORATIONIS* a Spiritu S, et Eccleſia intentos. vt dixi cap XII n XL *ad introitum*. *Conditiones orationis.*

(b) Cathechiſmus quoque Romanus parte 3 cap 3 ſequentes Orantium claſſes diſtinguit videlicet n 4 *juſtorum*: n 5 *Poenitentium*, n 6 *Infidelium* aliquam lucem veritatis habentium: eamque amplius cognoſcere ſatagentium. hos omnes exaudit Deus. Solos n 7 *ſceleratos in ſuis flagitiis perſeverare* volentes miſericordia Divina indignos pronunciat exemplo Antiochi. Parte vero 4 cap 8 n 9 idem aureum opus ad debitam orationem charitatam luculenter exigit dicens: *quo ore is, qui expers ſit charitatis, Dei auxilium implorabit? niſi cum peccati veniam precatur, ſimul et a Deo ſuppliciter poſtulet charitatem.*

us haec ſit falſa, mendax, hypocritica, Deique irritativa. De his dicitur Ierem 7: *Tu noli orare pro populo iſto, quia non exaudiam.* Et Machab 2 c 9: *Orabat ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Ad hanc claſſem revocat S Bonaventura in Pſ 142 Chriſtianos illos, *qui numero, non merito ſunt in Eccleſia, juſti putativi, ac ſuperficiales, exteriores, et Coeremoniales, qui viventes mortui ſunt, qui corpore tenentur cum filiis Iſrael, ſed mente fornicantur cum filiabus Madian. Qui licet librum, quo Deus laudatur, tenent in gremio, mente tamen vagantur in foro*, et ſic affectu manent in peccato. In *tertia Claſſe* orantium ſunt illi, qui quamvis mortiferis animae vulneribus ſint ſaucii, *quaerunt* tamen eorum *curationem*, atque adeo cum propoſito, Spe, ac deſiderio converſionis (quod inchoatam Charitatem eſſe ſaepius vidimus) ad Deum orandum accedunt. In hac Claſſe ſunt *omnes* Chriſtiani *peccatorum pondere gravati*, quos qui *non venit vocare juſtos, ſed peccatores* Salvator benigne per gratiam vocat amantiſſimis illis verbis: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati eſtis, et ego reficiam vos* percucendo miſericorditer *ad perfectam Contritionem*, aut ad initialem cum Sacramento. Tales erant: Magdalena, Publicanus, David, Manaſſes, Filius prodigus, et ſexcenti alii. In hac Claſſe etiam ſunt infideles, et haeretici illi, qui etſi adhuc *in tenebris ſedeant*, habent tamen aliquam *auroram veritatis* a Patre luminum, quam proinde vt plene cognoſcant, aſſiduis a Deo precibus flagitant. Talis erat Cornelius Centurio, cujus orationes eleemoſinis ſuffultas exaudivit Dominus. Qui quod *orabat*, et *eleemoſynas* faciebat, erat *inchoatio Fdei vivae per Charitatem*, ex qua miſerebatur indigentium. Verum quia *initialem* hanc *Charitatem* non *concipi* ſolum, ſed et *naſci*, creſcereque, ac adoleſcere oportebat, ideo miſſus ad eum eſt Petrus act 10, vt initialem ejus Charitatem perficeret. Conf cap IX n XXXVI. Quin et illi peccatores, quibus placet quidem adhuc peccatum, ſed jam *erant*, ut *non placeat*, vt Deus det *non peccandi voluntatem*, vt *ceſſet* in eis *peccati effectus*, jam habent *initium* quoddam, *etſi remotum*, Converſionis. Et haec *imperfecta bona voluntas* ab Auguſtino appellatur *Charitas* cap 1 ad n XXIX not *y*: vt vt valde tenuis, remota, ac vix adhuc *ruditer concepta*: (a) Si tamen illi, ac precibus pie, perſeveranterque inſiſtatur, ſenſim creſcet, maximoque peccatores ad perfectam Charitatem, et converſionem perducere conſuevit. Quare cavendum omnibus, etiam maximis peccatoribus, ne ſub ſpecie *metus praepoſteri* Deum *irritandi indignis* ſuis *precibus*, negligant *tenuem* hanc aſpirantis gratiae *auroram*. Quin illa vt *Sacra Anchora* amplectenda eſt. Quis quis enim *humili Corde*, actus aliquo deſiderio *ſapiendi*, et *odio habendi peccatum* orat, utiliter orat; jam enim habet ſcintillam *Charitatis*: nec ipſe, nec conſcientiae ejus arbiter de ſalute ejus omnem Spem abjicere debet; quin Sanctis coeptis ardentius inhaerendum, vt illi magis *vileſcat peccatum*, dulceſcat amplius in dies Deus. Ut enim ait Auguſtinus tr. 45 in Ioan c 10: *Novit Dominus, qui ſunt ejus. Quam multae oves foris! quam multi lupi intus!* Et in Pſ 115: *Quicunque eſtis in Eccleſia, nolite inſultare eis, qui non ſunt intus, ſed orate potius, vt et ipſi intus ſint. Potens eſt enim Deus iterum inferere eos, qui et ex lapidibus ſaepe filios Abrahae ſuſcitavit.* Haec pluribus cit P Lujld loco laudato: Ubi contendit, *omnem Deo placentem orationem oriri, animarique debere ab aliquali remote ſaltem inchoa-*

Converti volentium.

Horum item diverſi gradus.

ta,

(a) En quam *remote*, et *tenuibus initiis concipiatur Charitas!* quam multi eidem *gradus* neceſſarii ſint, vt *vel in Sacramento* poenitentibus juſtificandis *ſufficiat*! et erit adhuc attritioniſta, qui *omnem Charitatis motum per ſe* omnibus peccatis delendis parem eſſe contendat? multa poſtulata rotunde negantur aegris, imo et attritioniſtis.

ta, et illabente Dei Charitate, eique contrario motu deteſtationis peccati, affectusque ejus. Quaequidem opinio quamquam ex hic adductis exemplis tertiae Claſſis orantium, atque ex nro priori dictis patere videatur, eam tamen Laudatus Theologus amplius confirmat ex Pſ 65: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et Iob 11: *Si iniquitatem, quae eſt in manu tua, abſtuleris a te, et non manſerit in tabernaculo tuo injuſtitia, tunc levare poteris faciem tuam ad Dominum.* Item ex 1 Ioan 3: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, et quidquid petimus ab eo, accipiemus.* Quae intelige, non vt oraturus *omni crimine*, ſed *affectu* ſaltem in illud vacuus ſit, aut ſaltem *talis eſſe conetur*, ideoque *oret pro ampliori gratia Charitatis*, quae *affectum peccati inviſum jam ſibi, penitus exurat.*

XVIII. Si adverſum haec contendat attritioniſta: et ex Fide, Spe, timoreque, ac Servili concupiſcentia veram, Deoque gratam, oriri poſſe orationem: praeter dicta cap X n X, et h n II Statuat ipſe Lector, quam impeſſectum, imo horridum ſit Soli affectibus Fidei, Spei, timoris, et ſervilis concupiſcentiae inter *orandum* inhaerere, et *affectibus Charitatis* etiam *ſimpliciter ſervili animo praeſcindendo* ſic e g orare: *Qui es in Coelis. adveniat regnum tuum. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et ne nos inducas intentationem: ſed libera nos a malo.* Apage ſerviles affectus! ad *altiora* vocavit nos Deus: ad *Sanctificandum nomen ſuum*, ad *amandum illum*, non timendum ſolum. *Non enim accepiſtis Spiritum ſervituti, ſed Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba! Pater!* Denique orationi fide, Spe, ac timore ſolo animatae id duntaxat tribuimus, quod ipſi Spei, ac timori, *Diſpoſitionem* nempe *ad initialem Charitatem*, et hac mediante ad poenitentiam. Rediſi ad cap V n XIX: ita vt oratio noſtra, ſicut poenitentia ſi Fide Spe, timore caepit, ad charitatem identidem aſſurgat: quod in obviis pſalmis, aliisque orationibus videre eſt. *Oratio charitatis expers imperfecta.*

XIX. COROLLARIA. I Metire ex his Lector! quam *ſingularis ferus* ſit *attritioniſmus*, et quanto cum detrimento pietatis inventus, propagatusque a ſuis Patronis ſit: *toto cap VI*, utpote qui ipſam orationis eſſentiam, ac naturam hic ex SS PP depictam *depaſcitur.*

II. Ad evertendum, atque ad *entia mere Speculativa* amandandum ſiſtema ſervile ſufficiunt *in praxi* piae illae *preces ante Confeſſionem*, quae paſſim in libellis praecatoriis exſtant affectibus *charitatis*, et ex *ea natae contritionis amoroſae plenae.* Pro idiotis vero ſola oratio *Dominica* cap XII n XLIII expoſita ſerviliſmum peſſumdat. quis enim unquam non plane impius absque piis illis affectibus, aut ſaltem ſine recitata oratione Dominica ad Confeſſarium acceſſit? igitur purus ſerviliſta *in praxi* forte nemo fuit.

III. Dum tamen nobis de affectibus charitatis in praxi blandimur, videndum de pietate, ne nos, poenitenteſve noſtros decipiamus *evanida*, et inefficaci *velleitate*, *qua* teſte D Bernardo *plenus eſt infernus.* Recole cap V a n XXXVI, ubi charitatem etiam Sacramentalem *affective ſuper omnia, et praedominantem* eſſe debere demonſtratum dedimus.

IV. Sed nihil potentius urget charitatis Sacramentalis neceſſitatem *Lege virtualiter continuae charitatis.* Si enim aliquo modo continue amare Deum debemus, tanto fortius praeceptum charitatis

ſtringit

ſtringit in Sacramento reconciliationis. Nec ſane miſerabiliorem ſtragem pietatis cauſſavit *ſerviliſmus*, quam *in continua charitate* (cap X n I.) aequiſſimum proinde eſt, ut pro *ea* reſtituenda, fidelique populo perſvadenda omni opum vi incumbamus. Evangelicae huic doctrinae fundamenta nos jecimus cap I a n XXII, atque ibi *a Bajaniſmo* vindicavimus, ut ſenſim nobis familiarem maximo cum pietatis incremento redderemus interea quoque, dum hic jam ſuo loco pro dignitate materiae exponamus, cunctisque Chriſtiano nomine gloriantibus, et veritatem docili, atque a partium ſtudio libera mente quaerentibus perſvadeamus. Aſpira o Deus pro tua charitate laborantibus! ſit itaque

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

E praemiſſis, aliis fundamentis graviſſimis oſtenditur neceſſitas moraliter continuo amandi Deum. Sive de grandi obligatione omnia opera noſtra ad Deum virtualiter referendi.

Neceſſitas amandi Deum moraliter continuo actibus virtualiter ſaltem in Deum relatis ſequitur ex dictis.

I. EX dictis cap XII, et XIII in eam, nobis ſane dulciſſimam neceſſitatem redactos nos video, vt praeceptum moraliter *continuo amandi Deum* inficiari penitus nequeamus. Id ſequitur e praemiſſis. Ut enim a vicinioribus incipiam: Si oratio noſtra Charitate animari debet: ſi omnibus *Feſtis*, ac *Dominicis* diebus Deum *initialis ſaltem Charitatis* motu in *Spiritu*, *et veritate oportet* adorare: ſi nequimus Divinum *Altaris myſterium* vt par eſt vel *audire*: tanto magis hunc *Angelorum panem* ſine actuali charitate *ſummere*: Si ad diligendum Deum obſtringuntur *juſti* ne labantur, vt mandata Divina obſervent, vt tentationes vincant: ſi urgemur omnes ſtrictiſſimo hoc praecepto ſive dum *Deum blaſphemiis*, aliisque injuriis *affici* obſervamus, ſive dum *inſigne* quoddam ab eodem *beneficium conſequimur*: ac denique *initio*, atque *in fine morali* vitae noſtrae: profecto *nullum* nobis *moraliter relictum* eſſe tempus videtur, quo a Divino amandi praecepto vacare nobis liceat. (tanto magis illud urgebit tempore ſuſcipiendi poenitentiae Sacramenti. Ut ad ſcopum noſtrum principalem identidem revertamus.) Atqui praemiſſa haec omnia amantibus veritatem, quibus ſolis laboramus, in praeclara luce jam poſita eſſe confidimus. Igitur e praemiſſis in unum collectis invicte, et ineluctabiliter fluit neceſſitas amandi Deum *moraliter continuo* actibus amoris Divini *virtualiter* ſaltem non interruptis.

Et porro quoque colligitur ex Scriptura.

II. Sunt porro huius Sententiae momenta tam clara, tamque urgentia, et quod Caput rei eſt, in ipſo verbo Dei contenta (quo nos hujus quaeſtionis cauſa amoris Divini Magiſter Auguſtinus relegat L de morib Eccleſ c 7 dicens: *Nemo ex me quaerat Sententiam meam, ſed potius audiamus oracula Divina, noſtrasque ratiunculas Divinis ſubmittamus affatibus.*) ut vehementer mirandum ſit, inventos fuiſſe viros doctos, ac pios, qui hanc obligationem negarent. Hoc docet Princeps Apoſtolorum 1 Petri IV v 2: *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus: ut IN OMNIBUS HONORIFICETUR DEUS per Ieſum Chriſtum.*

ſtum. Conſpirat Vas electionis ita amanter inſtruens Corinthios I c 16 v 13: *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, confortamini: OMNIA veſtra IN CHARITATE FIANT·* et dilectum Diſcipulum ſuum Titum c 2 v 11 et ſeq: *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et Saecularia deſideria,* mundanos, et profanos amores, *Sobrie* erga nos, *juſte* erga proximos, *et pie in Deum vivamus in hoc Saeculo,* ſive tota vita noſtra. Quemadmodum igitur nunquam fas eſt ceſſare a ſobrietate, et juſtitia, ita nec a pietate, et cultu Divino, qui amor Dei eſt juxta ſæpius repetitum theorema Auguſtini: *quis cultus ejus? niſi amor ejus.* Confer fundamenti loco not ad cap XIII n II. Pulcherrime Zacharias Canit Lucae 1 v 69 et 75: *Erexit nobis cornu ſalutis,* potentiſſimum dedit Salvatorem, *ut Serviamus ei in Sanctitate et juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.* Hoc eſt dictu: Ideo aeternus Deus factus eſt mortalis homo, ut amores noſtros lucraretur, vt debellaret concupiſcentiam Carnis, oculorum, et mundi: ac Charitatis ſuae ignem perpetuum in cordibus noſtris accenderet *omnibus diebus* vitae noſtrae per nos fovendum: nequis ignoraret amorem noſtrum amantiſſimo Salvatori unice debitum cunctis affectibus, et amoribus aliis aeternum dominari debere. Hoc inculcabat ipſis Iudaeis Iosue cap 23 v 11: *Hoc tantum diligentiſſime praecavete, vt diligatis Dominum Deum veſtrum.* Et Eccli c 13 v 18: *OMNI VITA DILIGE DEUM, et invoca illum in Salute tua.* Tobias vero c 14 v 10, et 11: *Servite Domino in veritate, et filiis veſtris mandate, vt benedicant Deum OMNI TEMPORE in tota virtute ſua.* Hoc inculcat Incarnata Sapientia Ioan 6: *Manete in dilectione mea. Manere* continuatum actum innuit. Hoc dilectus ejus Diſcipulus 1 Ioan 2 v 15: *Nolite diligere mundum, ſiquis diligit mundum, non eſt Charitas Patris in eo.* Ideo eradicari vult amorem mundi, ut perpetuae Charitati Patris locus in corde noſtro ſit. In hoc laboravit Vas electionis ad Epheſ 3 v 18, et 19: vt *in Charitate fundati, et radicati poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, et profundum, ſcire ſupereminentem ſcientiæ Charitatem Chriſti: vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Hæc eſt *Theologia Ieſu Chriſti* longa, lata, ſublimis, profunda, *ſcire amare Ieſum, et hunc Crucifixum.* In cujus comparatione tota mundi, et mundanorum Scientia nihil eſt, canente Divino ſponſo Cant 8 v 7: *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuae pro dilectione* Dei, *quaſi nihil deſpiciet eam:* Omnem ſubſtantiam, et ſcientiam prae hac dilectione aeſtimabit ut nihilum. Idipſum confitetur gentium Doctor: *Charitas Chriſti urget nos:* Ideo et ipſe urget omnes ad Colos 3 v 17: *omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Patri per ipſum.* Et 1 ad Cor 10 v 31: *Sive manducatis, ſive bibitis, vel quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite.*

III. En horum verborum verum ſentum ex Patribus, quos Præſulum gemma Antonius Godeau Theol mor p 1 tr 2 ſect 2 cap v refert: Auctor commentarii in epiſtolas S Pauli ita docet: *In gloriam Dei edere, et bibere, et aliquid facere, hoc eſt SUB INVOCATIONE CREATORIS, et cum modeſtia convivium celebrare. In gloriam enim Dei aliquid fit, cum in ACTIBUS, ET CONVERSATIONE Chriſtiani DEUS LAUDATUR.* S Maximus Taurinenſis Epiſcopus ſic explicat: *Omnes ergo actus noſtros Chriſto vult ſocio, vult teſte compleri, hac ſcilicet ratione, vt bona ipſo auctore faciamus, mala propter ipſius contubernium declinemus. ergo cum diluculo ſurgimus, debemus, priuſquam procedamus e cubiculo, gratias agere Salvatori, et ante omnes actus Saeculi actus habere pietatis, qui nos quieſcentes, et dormientis in lectulis conſervavit. In hoc nomine omnes actus noſtri dirigendi ſunt, et ad ipſum totius vitae noſtrae*

Et PP Scripturae interpretibus.

ſtrae commercia referenda. S Anſelmus in cap 3 ad Cor: *Quaecunque loquimini, et quæcunque operamini, omnia facite in nomine Domini: ideſt nomen ejus invocate in exordio locutionis, et actionis veſtrae, atque ſequentia verba, et opera ad gloriam ejus ſemper dirigite.* S Baſilius *interrog* 156 quaerit: *quomodo in Dei gloriam manducatur, et bibitur?* et reſpondet: *Tunc nos in Dei gloriam manducare, quando beneficiorum Dei manducantes recordamur: quod teſtamur exterius, quando veluti Deo inſpectante manducamus: quando cibum capientes voluptatem non quaerimus, ut ventris mancipia; ſed veluti Dei operarii vires reficimus, ut ad ejus juſſa, ejusque gloriam reddamur alacriores.* S Ioannes Chriſoſtomus *hom* 9 *in c* 3 *ad Coloſ: ſive editis,* inquit, *ſive bibitis, ſive uxorem ducitis, ſive peregrinamini, in Dei nomine haec omnia facite, illiusque auxilium poſcite. opuſne aliquod vultis exordiri? illum prius rogate: verba ne facere vultis? illum praeſentem conſiderate. propterea ab ejus nomine epiſtolas noſtras exordimur: ubi nomen Domini, ibi omnia felicia, et proſpera. Si enim Conſulis nomen firma, et valida decreta facit, multo magis id Ieſu Chriſti nomen praeſtabit. Apoſtolus inquit:* omnia in Dei gloriam facite. - - - *Si editis, gratias Deo agite. Si dormitis, vel in plateam pergitis, id praeſtate non mundo, non vitae praeſenti adhaerentes: omnia in nomine Dei facite, et omnia proſpere evenient vobis.* Ex quibus diſcimus, non ſolum actus religionis, ac virtutum inferiorum, ſed ipſas etiam actiones, quae nobis, beſtiisque communes ſunt, ſub praeceptum charitatis cadere cum hac tamen *diſtinctione*, quod virtutes ad Deum *virtualiter* ſaltem non relatae in ſe, ſive intrinſece maneant *bonae*, ſed *imperfectae*: naturales vero actiones eo ipſo ſint vitioſæ, *quia*, vt Angelicus docet 1 2 q 25 a 7: *deeſt*, eis *ordinatio debita ad ultimum finem. Finis praecepti eſt Charitas.* 1 ad Timoth. 1 v 5: Teſte Auguſtino de morib Eccleſ c 6: *Virtus* perfecta *eſt Charitas, qua id, quod diligendum eſt diligitur.* et c 25: *Si Deus ſummum bonum eſt, quod negare non poteſtis, ſequitur profecto, quoniam ſummum bonum appetere eſt bene vivere, ut nihil ſit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere.* item l 4 contra Iulian: *Noveritis,* inquit, *non OFFICIIS* (objectis, et motivis intrinſecis per ſe bonis, aut indifferentibus) *ſed FINIBUS a vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt, quod faciendum eſt. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, et facere debere vera Sapientia praecipit, peccare convincitur* (ommiſſione, debitae relationis:) *quia etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* Conf Cath Rom p IV c XIII n 1 2 3: ubi dictum textum: *Sive manducatis* exponit de omnibus *Bonis naturalibus propter gloriam Dei petendis,* et *ad eum referendis.* Rationem dat Math c 6 v 24: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Ideo omnia ad gloriam Dei facienda. Ideo *Dominus ex toto Corde, et tota anima diligendus* eſt, ne ſi quam *partem Cordis*, aut *temporis mundi dilectioni demus*, eo ipſo Deum non *ut par eſt diligamus.* Alteram rationem dat Gentium Doctor 1 ad Timoth 1 v 5: quia *finis legis Charitas*: et ad Coloſſ 3 v 14: *Super omnia Charitatem habete; quod eſt vinculum perfectionis.* quibus inſtruimur, exſtare legem Divinam omnes actiones noſtras, et virtutes inferiores in ſe optimas ad Charitatem velut *finem*, et *perfectionem earum extrinſecam* referendi. Conf cap V n XX. XXII.

Quomodo in Dei gloriam manducandum?

Quare virtutes? quare actiones indifferentes ad Deum referendae?

IV. Quam in rem nihil vel cogitari poteſt illuſtrius, clariusque verbis illis auro, cedroque dignioribus, quibus Moyſes *continuum Dei amorem Iudaeorum*, ac *per eos noſtrum omnium* Cordibus aterno Teſtamento inſcripſit, inſculpſit, inplantavit Deut 6 v 5 emphaticis illis verbis: *Audi Iſrael: Dominus Deus noſter Dominus unus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo: et ex tota anima*

ma

ma tua, et ex tota fortitudine tua: Erunque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in Corde tuo: et narrabis ea filiis tuis: et meditaberis ea sedens in domo tua: et ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua. Eruntque, et movebuntur ante oculos tuos, scribesque ea in limine, et ostiis domus tuae. (a) Concordat Moysi Servator Math 22 v 35: *Interrogavit eum unus legis Doctor tentans eum: Magister quod est mandatum magnum in lege? ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum.* Lucae 10 v 25: *Ecce quidam legis peritus surrexit tentans eum, et dicens: Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo? at ille dixit ad eum: in lege quid scriptum est? quomodo legis? ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, et proximum sicut te ipsum. Dixitque illi: recte respondisti, hoc fac, et vives.* Item Marci 12 v 30: Scribæ idipsum interroganti respondit Iesus: *Quia primum omnium mandatum est: audi Izrael: Dominus Deus tuus Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua.* Quibus verbis Salvatorem ad cit Deuteronomii magnum mandatum respexisse, illudque de verbo ad verbum confirmasse

Praeceptum Moysis.

a Christo Confirmatum.

(a) Mirum in modum huc facit, quid scribit Ioannes Morinus incomparabilis ille antiquitatis Scrutator L 1 de Poenit cap 21 apud Lujdl Tom 4 Diff 4 cap 2 § 6 n 237 nempe: Inter Iudaeos *instar maximae* celebratum fuisse: *omnes actiones nostras Divini amoris causa faciendas esse.* Quod etiam testatus est Rabbi Moses apud Driedonem L 1 de Libert Hom. id quod eos ex hoc Deuteronomii loco hausisse evidens est. Idem *oraculum* apud Ethnicos quoque Philosophos invenire licet: certe Seneca epist 95 magnifice inculcat dicens: *Proponamus oportet finem Summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum, dictumque respiciat: velut navigantibus ad Sidus aliquod dirigendus est cursus.* Similter Epictetus L 1 cap 16: *Si sani essemus, quid aliud agendum erat et publice, et privatim, quam Numen celebrandum, et laudandum, et grates agendae? Nonne et inter fodiendum, et arandum, et edendum hymnus hic cantandus erat Deo: MAGNUS EST DEUS! Si Philomela essem, Philomelae officio fungeret; Si olor, oloris. Nunc cum rationis sim particeps, Deus mihi celebrandus est. HOC MEUM MUNUS EST.* De Platone refert S Augustinus L 5 de civit Dei cap 8: *Ipsum verum, et summum Bonum Plato dicit esse Deum, unde vult esse Philosophum AMATOREM DEI: ut quoniam Philosophia ad beatam vitam tendit, FRUENS DEO SIT BEATUS, QUI DEUM AMAVERIT.* Quas veritates Christianas Ethnicos *ex Sacris Libris*, atque *a Iudaeis* accepisse testantur Iustinus, Origenes, Lactantius, aliique Patres. Fas nobis sit usurpare verba Augustini Libr 4 contra Iulianum c XIV: *Obsecro te! non sit honestior Philosophia Gentium, quam NOSTRA CHRISTIANA, quae una est vera Philosophia. erubescamus veris disputationibus impiorum*, qui veram pietatis, et Sanctitatis Philosophiam ex Evangelio Iesu Christi *illis* uberius discere debuimus. Aliud exemplum *coutinuae pietatis* oculis nostris spectavimus, et stupuimus *in barbaris* occasione nuperni belli turcici. Captivi enim Turcae non aestate solum, sed in rigida hyeme in publicum prodeuntes primum manus, pedes, caput, collum, pectusque lavabant, tergebantque: mox versus orientem proni in faciem procumbentes diu meditantium instar jacebant. Tum erecti in genua pari mora: dein surgentes brachiis expansis, vultu in terrram demisso, pectora identidem tundentes, aliisque gesticulationibus longas orationes fundere videbantur. Affirmarunt vero interrogati singulis Turcarum *ex lege sua* quinquies per diem hoc more orandum esse. Alcoranum multa ex *libris Veteris Testamenti* continere norunt eruditi: igitur et hanc contiuuae orationis consvetudinem *ex illis* Mahometanos didicisse indubium est. aemulemur in hoc *Filii lucis filios tenebrarum*! Imo vero non in hoc solum: Barbari enim illi vehementer mirati, et detestari sunt promiscuam utriusque sexus *nostrorum* diurnam, nocturnamque conversationem: affirmantes, apud se capite puniri multa eorum, quae inter nostros risu excipiuntur, leviaque reputantur. O tempora, o mores Christianorum ipsorum Barbarorum moribus longe faediores! Hi sane *Ninivitae surgent in die judicii, et condemnabunt nostros:* cuia illi in tenebris ignorantiae longe cautiores, et modestiores sunt multis filiis lucis evangelicae.

Iudaeis.

Ethnicis.

et Turcis notum.

tam ſuam ad Dei ſervitium ordinat, et per conſequens omnia, quae per ſeipſum agit, VIRTUALITER ordinantur ad Deum, niſi ſint talia, quae a Deo abducant, ſicut ſunt peccata. Et ſic diligit Deum homo ex toto corde. Secundo ut intellectum ſuum homo ſubjiciat Deo credens ea, quae divinitus traduntur ſecundum illud Apoſtoli 2 Cor c 10: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti: et ſic Deus diligitur ex tota mente. Tertio ut QUÆCUNQUE homo AMAT, IN DEO AMET, et univerſaliter OMNEM SUAM AFFECTIONEM AD Dei DILECTIONEM REFERAT. Unde dicebat Apoſtolus 2 Cor 5: ſive enim mente excedimus Deo, ſive ſobrii ſumus vobis. Charitas enim Chriſti urget nos. Et ſic Deus ex tota anima diligitur. Quarto ut omnia noſtra exteriora verba, et opera ex Divina Charitate firmentur, Secundum illud Apoſtoli 1 Cor ultimo: omnia veſtra in Charitate fiant. Et ſic Deus in tota fortitudine diligitur.

Pergit porro Divinus Legislator Moyſes: *Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in Corde tuo.* Iuxta quod canit Pſaltes Regius pſ 1: *Et erit in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur DIE, AC NOCTE.* *Charitas continua cordis.*

Et narrabis ea filiis tuis. Ex abundantia Cordis os loquitur. Ideo quod jufferat Cordi altius imprimi, jubet ore loqui, et *domeſticis* *Communicanda proximis.*

---

tiſſimus Praeſul ſequentem doctrinae Catholicae explicationem: Amor Dei eſt cultus ille perpetuus, quem homo debet ENTI ENTIUM: pro quo colendo, et a quo habet, quidquid habet. Lege Divinitus conſtituta jubetur in omnibus actibus ſuis in Deum tendere tanquam in finem ſuum ultimum. Haec eſt univerſa lex, et Prophaetae: ad quam implendam motiva in Chriſto Ieſu occurrunt urgentiſſima, et efficaciſſima. Nulla vitae pars exempta eſſe debet ab exercitio Divini amoris: utpote ex cujus motivo procedere oportet omnes, et ſingulos actus noſtros juxta expreſſas illas Apoſtoli ſententias 1 ad Corinth 10 v 31: et 16 v 14: et ad Coloſſ 3 v 17. Quas profecto ſententias S Thomas, eruditioresque S Scripturae Interpretes de vero exponunt praecepto, cui contravenire nequeat abſque peccato. Nec explicatius vobis exprimere valemus, quousque praeceptum hoc ſe extendat, quam ipſiſſimis verbis Auguſtini Libr 1 de doctrina Chriſtian c 22: Haec regula pro *ut a nobis b n deſcriptus eſt textus Sancti Doctoris.* Verumtamen amor iſte habitualis, *reipſa virtualis* confundendus non eſt cum habitu charitatis, ſeu charitate juſtificante. Abſit enim ut voluerimus peccatores non juſtificatos in omni actione ſua peccare. Cum certum ſit eos, in quibus adhuc cupiditas dominatur, nonnunquam agere ex amore Dei tranſitorio *actuali*, *non habituali*: quo et actio ipſorum rectificatur, et ad juſtificationem ipſi diſponuntur. (*En initialem Charitatem noſtram!*) certum item eſt, charitatis habitum in juſtis nequaquam ſufficere ad rectificandas actiones ipſorum: quum earum nonnullae ex cupiditate procedant. Solae proinde actiones etiam juſtorum vere Chriſtianae ſunt, et meritoriae, ſolae proinde bene factae, QUÆ EX DIVINI AMORIS MOTIVO PROFICISCUNTUR. Quem ex intimo Cordis ipſorum Deus inſpicit; tametſi in ſeipſis ipſi non ſemper inſpiciant, ſeu non attendant. *Haec ſummus vir Archiepiſcopus Rothomag: cui conſonabant Bituricenſis, Bellovacenſis, et Ebroicenſis. In quibus ſumma totius doctrinae noſtrae continetur, et difficultates praecipuae praeoccupantur.*

maſſe luce meridiana eſt Clarius. Itaque citatis verbis Divinus Legislator vult homines ita amore ſui detineri, atque occupari, ut nihil in mente, nihil in corde, nihil in opere, nihil ullo tempore reliquerit, *quod non ſibi Divina dilectio prædominanter vindicaret.* Et ideo quotquot errores, et quaeſtiones luxuriantium ingeniorum de levigando Divinæ dilectionis maximo, et continuo mandato ſuperioribus duobus Saeculis regnante probabiliſmo, et attritioniſmo graſſatae ſunt, illis verbis velut totidem fulminibus, ut ait Merbeſius Summae Chriſtianae p 1 q 9 poenitus profligantur, conteruntur, atque in nihilum redigantur. Quod ut pateſcat amplius

IV. Iuvat verum eorundem verborum ſenſum potiſſimum ex eodem incomparabili Theologo enucleare. *Audi Izrael:* omnes Izraale orti: Pontifices, Sacerdotes, Levitae, Lajci, viri, ac mulieres: a ſummo usque ad ultimum: quin non *Carne* ſolum, ſed et *fide* olim in gentem Izraelis inſerendi: omnes *Spiritu* Abrahae, et Izraelis filii futuri. *Audi* inquam *praecepta, quae mandavit Dominus Deus veſter.* Ibi v 1: *quae ego praecipio tibi, filiis, et nepotibus tuis cunctis diebus vitae tuae.* v 2: *Diliges Dominum Deum tuum*: nihil prædominanter diliges praeter Deum, et ſiquid aliud infra Deum diligendum fuerit, id diliges propter Deum: et omnem *tuam, proximi*, et quarumlibet *aliarum rerum* dilectionem *referes ad Deum: Qui*, ut ait S Auguſtinus l 1 de doct Chriſtianæ c 22: *Nullum a ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Quin *haec regula dilectionis divinitus conſtituta eſt, ut omnes cogitationes tuas, et omnem vitam tuam, et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea, quae confers. NULLAM VITAE NOSTRÆ PARTEM RELIQUIT, QUÆ VACARE DEBEAT. Quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Ut quocunque tempore, quocunque in opere homo fuerit, Dei amator eſſe debeat.* Idque nemine excepto, quia ut ibidem docet amoris Magiſter, *omnibus datum eſt Cor amoris capax*, ideo *totum ab omnibus ſibi vindicat, qui diligendus eſt prae omnibus.* Magiſtrum ſuum Auguſtinum preſſo pede ſequitur hic quoque Angelicus Diſcipulus opuſc 14 haec docens: *Ex toto Corde, mente, anima, et fortitudine Deum diligimus, ſi nihil nobis deſit ad dilectionem Divinam, quod ACTU, vel habitu, ideſt VIRTUTE* (notetur haec ſui explicatio) *in Deum referamus. Et hujus Divinae dilectionis perfectio datur homini IN PRÆCEPTO,* (a) *Primo quidem, ut omnia in Deum referat, SICUT IN FINEM, ut Apoſtolus dicit* 1 *ad Cor* c 10: *Sive manducatis, ſive bibitis, vel quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quod quidem impletur, cum aliquis vi-*

Exponuntur verba Moyſis.

Ex Auguſtino.

Angelico.

tam

(a) *Referente P Lajdl Diſſ 4 cap 2 § 5 n 233: Illuſtriſs D Iacobus Nicolaus Colbert Archi Epiſcopus Rotthomagenſis occaſione certae controverſiae omnibus ſuae Dioeceſis animarum Curatoribus, et Confeſſariis mandavit, ut* animo, *et* ſcripto *ſincere ſubſcriberent ſequentibus propoſitionibus: IV:* Divini amoris obligatio prima eſt, et praecipua hominis obligatio: nec ulla pars vitae ipſius ab amore iſto ſaltem habituali ſenſu, ac phraſi S Thomae eſſe debet exempta. V: Omnis actio ut vere Chriſtiana ſit, (*ideſt* extrinſece *quoque* perfecta: *quod pro ſemper notari peto, ne quis putet, mihi inferiores virtutes* intrinſece imperfectas *videri. Conf cap VI n XXXIII* 2: *et not ad n II cap XIII:*) et meritoria, procedere debet ex amore Dei velut principio, ad Deum que referri velut ad finem ſuum ultimum. Addit vero ſapientiſſimus

Ab Epiſcopis Gallis explicatur.

tam ſuam ad Dei ſervitium ordinat, et per conſequens omnia, quae per ſeipſum agit, VIRTUALITER ordinantur ad Deum, niſi ſint talia, quae a Deo abducant, ſicut ſunt peccata. Et ſic diligit Deum homo ex toto corde. Secundo ut intellectum ſuum homo ſubjiciat Deo credens ea, quae divinitus traduntur ſecundum illud Apoſtoli 2 Cor c 10: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. et ſic Deus diligitur ex tota mente. Tertio ut QUÆCUNQUE homo AMAT, IN DEO AMET, et univerſaliter OMNEM SUAM AFFECTIONEM AD Dei DILECTIONEM REFERAT. Unde dicebat Apoſtolus 2 Cor 5: ſive enim mente excedimus Deo, ſive ſobrii ſumus vobis. Charitas enim Chriſti urget nos. Et ſic Deus ex tota anima diligitur. Quarto ut omnia noſtra exteriora verba, et opera ex Divina Charitate fiamentur, Secundum illud Apoſtoli 1 Cor ultimo: omnia veſtra in Charitate fiant. Et ſic Deus in tota fortitudine diligitur.

Pergit porro Divinus Legislator Moyſes: *Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in Corde tuo.* luxta quod canit Pſaltes Regius pſ 1: *Et erit in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur DIE, AC NOCTE.* *Charitas continua cordis.*

Et narrabis ea filiis tuis. Ex abundantia Cordis os loquitur. Ideo quod jufferat Cordi altius imprimi, jubet ore loqui, et *domeſticis* *Communicanda proximis.*

---

tiſſimus Praeſul ſequentem doctrinae Catholicae explicationem: Amor Dei eſt cultus ille perpetuus, quem homo debet ENTI ENTIUM: pro quo colendo, et a quo habet, quidquid habet. Lege Divinitus conſtituta jubetur in omnibus actibus ſuis in Deum tendere tanquam in finem ſuum ultimum. Haec eſt univerſa lex, et Prophaetae: ad quam implendam motiva in Chriſto Ieſu occurrunt urgentiſſima, et efficaciſſima. Nulla vitae pars exempta eſſe debet ab exercitio Divini amoris: utpote ex cujus motivo procedere oportet omnes, et ſingulos actus noſtros juxta expreſſas illas Apoſtoli ſententias 1 ad Corinth 10 v 31: et 16 v 14: et ad Coloſſ 3 v 17. Quas profecto ſententias S Thomas, eruditioresque S Scripturae Interpretes de vero exponunt praecepto, cui contravenire nequeat abſque peccato. Nec explicatius vobis exprimere valemus, quousque praeceptum hoc ſe extendat, quam ipſiſſimis verbis Auguſtini Libr 1 de doctrina Chriſtian c 22: Haec regula pro *ut a nobis b n deſcriptus eſt textus Sancti Doctoris.* Verumtamen amor iſte habitualis, *reipſa virtualis* confundendus non eſt cum habitu charitatis, ſeu charitate juſtificante. Abſit enim ut voluerimus peccatores non juſtificatos in omni actione ſua peccare. Cum certum ſit eos, in quibus adhuc cupiditas dominatur, nonnunquam agere ex amore Dei tranſitorio *actuali*, *non habituali*: quo et actio ipſorum rectificatur, et ad juſtificationem ipſi diſponuntur. (*En initialem Charitatem noſtram!*) certum item eſt, charitatis habitum in juſtis nequaquam ſufficere ad rectificandas actiones ipſorum: quum earum nonnullae ex cupiditate procedant. Solae proinde actiones etiam juſtorum vere Chriſtianae ſunt, et meritoriae, ſolae proinde bene factae, QUÆ EX DIVINI AMORIS MOTIVO PROFICISCUNTUR. Quem ex intimo Cordis ipſorum Deus inſpicit; tametſi in ſeipſis ipſi non ſemper inſpiciant, ſeu non attendant. *Haec ſummus vir Archiepiſcopus Rothomag: cui conſonabant Bituricenſis, Bellovacenſis, et Ebroicenſis. In quibus ſumma totius doctrinae noſtrae continetur, et difficultates praecipuae praeoccupantur.*

ſticis inculcari; eos enim ordine Charitatis Paterfamilias ante alios diligere, atque adeo ardentius ad Dei amorem impellere obſtrictus eſt, juxta illud: *Qui ſuorum, maxime domeſticorum curam* (potiſſimum in rebus ad ſalutem neceſſariis) *non habet, fidem negavit, et eſt infideli deterior.* Totius vitae Chriſtianae Curſus pendet a bona parvulorum inſtructione. *Quo* enim *ſemel imbuta recens Servabit odorem teſta diu.* Ex quo defectu hodierna morum Chriſtiani populi corruptela maxime faetet.

Innovanda ſaepius, maxime veſperi.

VI. Subdit porro: *meditaberis ea ſedens in domo tua, et ambulans in itinere:* omni tempore tam *quieti*, quam *labori deſtinato. Dormiens:* Habraice *decumbens*, dum ad nocturnam quietem diſcedis, tunc potiſſimum de hoc dilectionis mandato recogitabis, et abſe rationem exiges: quid cogitatione, verbo, et opere contra illud tota die admiſeris? quantum in illo profeceris? ut Deo propterea gratias agas. Aut defeceris? ut de eo poenitentiam a te exigas: melioraque in futurum proponas. Item ante quietem hoc mandatum animo revolves ideo etiam, ut tibi etiam *dormienti* Sanctae, Divinae, et meritoriae cogitationes veniant. Quae enim *vigilantes* Studioſius revolvimus, eadem *quieſcentibus* recurrere conſveverunt. Ideo in Somno quoque mereri poſſumus *ex virtualiter permanente* praemiſſa Sancta cogitatione juxta illud: *Ego dormio, et Cor meum vigilat.* Ut expreſſe docet, cui adeſſe *Patris Eccleſiae* ſola *antiquitas* deeſt, Dyoniſius Carthuſianus in Divum Paulum commentans. Viciſſim a contrario Somnia peccaminoſa eſſe poſſe, nemo negaverit. In rem noſtram ſvave canit Prudentius in hymno ante Somnum ſequentibus: Fac, cum vocante Somno caſtum petis cubile, frontem, locumque cordis crucis figura ſignet. Crux pellit omne crimen, fugiunt crucem tenebrae: tali dicata ſigno mens fluctuare neſcit. Additur: *atque conſurgens.* Ut monitu S Baſily in regulis fuſius explic reſp 37: *Primis animi, et mentis noſtrae motibus Deo conſecratis tota noſtrorum operum ſeries ad Divinae dilectionis amuſſim, et regulam exigatur:* Atque adeo ab ipſo ſuper omnia, et in omnibus dilecto omnium cogitationum, actionum, venae motuum, totius diei initium ſummatur, ſeries continuetur, et finis terminetur. Quod olim pie factitatum a Chriſtianis teſtatum reliquit Plinius Lib 10 Epiſt ad Trajanum: Erant *ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem: ſeque Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent.* O vere beatos Majores noſtros! qui a ſcelerum deteſtatione, atque adeo a Divina dilectione diem auſpicati, ad id Sancte praeſtandum Sacramenti religionem adhibere non dubitarunt. Et ſane quanti momenti ſit, mane, et veſperi hoc Divinae dilectionis Clypeo adverſus omnes orci inſultus ſe ſe munire, pie tradit S Ioannes Climachus Scalae myſticae gradu 26 aſſerens: *Eſt Daemon, qui jam recumbentes ad captandam quietem improbarum, turpiumque cogitationum veluti ſagittis impetit, ut per inertiam ab orationis armis imparati, cum inter obſcaenas cogitationes obdormiverimus, fœda etiam Somnia habeamus. Eſt etiam e nefariis Spiritibus quiſpiam (cui nomen praecurſor) qui nos e ſomno excitatos ſtatim excipit, et noſtrarum cogitationum primitias inficere, et contaminare adnititur. Offeras Domino Diei tu primitias! Ejus enim erit, qui anteverterit. Dignum auditu ſermonem mihi quidam Dei ſervus retulit: ex primis inquit diei auſpiciis totius diei ſtatum conjicio, ſeu praeſciſco.* (a)

et mane.

Cant. 5 v 2.

VII.

(a) *En tibi, quisquis* Deum tuum *amas, praxes mane, per diem, et veſperi te totum Divino amori devovendi!* Intentio matutina virtualis con-

VII. Illa denique Deuteronomii verba: *Ligabis ea quasi signum in manu tua: eruntque, et movebuntur ante oculos tuos: scribesque ea in limine, et ostiis domus tuae:* Addita sunt, ut aliqua tanti praecepti imago, et monumentum quoddam nunquam non ob oculos versaretur, et Divini amoris obligationem identidem in animis refricaret. Et

---

tinuae charitatis: *O Sanctissima Trinitas unus Deus! me tibi offero in holocaustum sempiternum, in perfectissimum cultum* Latriae *Divinae tuae Majestatis:* in gratiarum actionem *pro universis beneficiis mihi, et toti generi humano hactenus concessis:* in satisfactionem *pro meis, et totius mundi peccatis: pro* impetrandis gratiis *mihi, et omnibus proximis meis necessariis. Cor, Corpus, et animam meam, omnes facultates, et potentias meas: omnes venae, et Sanguinis mei motus consecro majori tuae gloriae, ut in omnibus Sanctificetur nomen tuum, fiat Sanctissima voluntas tua: ut quidquid vivo, cogito, ago, sit amor Dei, sit odium peccati. Omnibus vitae momentis ita Deum amare desidero, sicut SS Trinitas modum perfectissimum invenire potest: sicut Salvator noster Patrem suum an instanti Incarnationis usque ad ultimum in cruce halitum amavit: Sicut virgo SS, et omnes Sancti Deum amarunt, amant, et amabant in aeternum! quorum perfectae charitati conjungo imperfectam meam charitatem. Doleo de peccatis meis propter infinitam Divinam bonitatem offensam, sicut omnes Sancti poenitentes doluerunt. Volo quidquid pati, etiam mori, quam Deum deliberate offendere. O Dulcis Jesu! tu suggere mihi eam intentionem, quam ipse exaudire delecteris! quae me a peccato praeservet, in tua charitate confirmet, ac tandem ad vitam perducat aeternam. Si hanc longam putas, en ejus compendium:* Quot venae motus, quot suspiria, anhelitus, cogitationes, verba, et opera hodie edidero, quos litteras, quot syllabas, voces pronuntiavero, tot volo esse intentissimi amoris in Deum argumenta, dissensus omnibus peccatis indicia, doloris de praetoritis signa certissima. *Item.* Da mihi Dulcis Jesu! vivere reflexe ad omnes actiones: pie, ferventer, ut mori vellem: et quomodo tu Patrem amasti a primo momento Incarnationis usque ad ultimum in cruce halitum. *Vel:* Emptus sum pretio magno, sanguine nimirum Jesu Christi: ergo non sum meus, sed Christi: ergo omnes meas actiones, vitam ipsam ejus honori, amori, et gloriae offero, et consecro, ut opera mea non sint mea, sed Christi: Christique meritis unita aeterno Patri in holocaustum oblata. *Aut brevius:* O Dulcis Jesu propter te ex toto corde amo te. Da mihi cor tuum Dulcissime Jesu! accipe cor meum! ut tuo te amore digne amare queam. *Interdiu.* O Deus ego amo te! O Dulcis Jesu fiat voluntas tua! Deus meus ex toto corde amo te. Tibi consecro Cor meum Dulcis Jesu! Da millies mori, quam peccare! da donum perseverantiae, da bonam mortem! *Vesperi: Facta reflexione quoties pactum tuum matutinum violaveris sive peccando, sive actum charitatis ante praecipuas actiones ommittendo? de his dole, poenam, tibi impone, meliora in crastinum propone. (cap VIII n XXVI) Tum nocturnam quietem gloriae Divinae consecra dicens:* O Dulcis Jesu! qui in Sacro Sancta humanitate tua Somnum humanum consecrasti, quando illo Patrem tuum infinite honorasti: Somnum meum Somno tuo conjungo, voloque, ut omnes venae meae motus, tuae sint actiones, meritisque tuis uniti aeterno Patri a te offerantur in laudem infinitam. *Ad haec:* In Sanctissima Christi vulnera me projicio, et abscondo, ut ibi sim tutus ab omni infestatione diaboli. Custodi me a peccato Dulcis Jesu per quinque vulnera tua. *Semper.* Pactum aeternum ineo cum Deo, quod omnis Cordis motus sit amor Dei, sit odium peccati. Je-

Praxes Dei amori se devovendi. Mane.

interdiu.

Vesperi.

Semper.

Utilitas maginum.

Et reipsa Pharisaei legis hujus *litterae* potius, quam *Spiritus* observantiores praecepta Decalogi fronti alligata Circumferebant. Christianis hunc in finem efficacius servirent Sacrae imagines, si illae non tam ornatui domus, quam ut deberent, excitandis *piis affectibus* identidem deservirent. Quemadmodum Sancti Patres docent, *imagines esse rudium libros.* Nos ne Pharisaeis deteriores simus, praeceptum tam magnificis verbis inculcatum *Cordibus nostris aureis Charitatis litteris* insculpamus, et signo saltem Crucis pio affectu ante praecipuas actiones nostras innovemus, ita aemulabimur Sanctos maiores nostros. (a)

VIII.

---

sus Maria Ioseph! utinam omnium Creaturarum Corda haberem, ut vos digne amare possem! singulis momentis millies te amo Dulcissime Iesu! *Amor ingeniosus plura, et efficaciora suggeret, quibus velut vinculis Cor nostrum Dei amori* continuo *alligatur: aut dissipatus fervor illico reparatur, remissus novo pabulo accenditur, amor praedominans charitatis conservatur: sulsequae actiones ad meritum charitatis attolluntur: insurgentes tentationes, illiciti amores in herba praefocantur, ad mandata Dei prompte, et jucunde exequenda habitus Sanctus, facilitas, ac alacritas ingeneratur: verbo vita vivitur Divina. Utilissime releges S Francisci Salesy Philotheam p 2 c XIII de precibus jaculatoriis. Hic n III Laudatus Incomparabilis Praesul Antonius Godeau pie monet, Confessariorum, et Parochorum sublime Doctoris munus exigere, ut de hoc operum omnium ad Deum relatione quotidie mane, et ante majoris momenti actiones facienda suos omnes saepius moneant: et si opus viderint fore, praesertim rudibus breves formulas tradant. Hac enim ratione fideles virtualiter continuae Dei charitati assuefacti multa evitabunt peccata, magna accumulabunt merita. Didicimus in Scholis infinitas subtilitates, distinctiones, speculationes, praecisiones nequaquam ad perpolienda, sed ad excrucienda ingenia natas. Tempus est, ut ea jam discamus, et doceamus, quae nos, ac nostros Sanctos faciant, atque impeccabiles. Talis est scientia virtualis continuae charitatis. Sine qua* si lingvis hominum loquar, et Angelorum - - Charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cimbalum tinniens. 1 ad Cor 13.

Utilitas charitatis virtualis.

Frequens usus crucis apud Veteres.

(a) *Frequentissimus apud Veteres Christianos signi Sanctae crucis usus evincit, eos omnia opera sua in nomine Domini Iesu coepisse, et terminasse, atque adeo legem charitati Cordibus suis insculptam assidue gestasse* de quo ita *Tertulianus Libr de Corona militis:* Ad omnem progressum, ad omnem aditum, et exitum, ad vestitum, et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad limina, ad cubilia, ad sedilia; quæcunque nos conversatio exercet, frontem signaculo terimus. Harum, et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem exposcules scripturarum, nulla legis traditio praetenditur; auctrix consuetudo, confirmatrix, et fidei observatrix. *S Hieronimus l 2 epist* 10: Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem. *Praeclarum est Leonis Allatii de orient. et occid Eccles perpet consens L 3 c 18 testimonium:* Solebant, *inquit,* Veteres non tantum cum opus aliquod aggrederentur, sed etiam cum finem imponebant, insigni pietatis exemplo crucis signo id consignare. Optime factum, nostrae Redemptionis tesseram semper et in rerum exordiis, et earum exitu prae oculis habere. *In quam veritatem confirmandam aurea aurei Oris proponitur sententia:* ubique Symbolum crucis nobis adest. Ob eam caussam et in aedibus, et in parietibus, et in fenestris, et in frontibus, et in animo studiose eam inscribimus. Ianuae vestibula transgressurus hoc prius dic verbum: ABRENUNCIO TIBI SATANA, et CONIUNGOR TIBI CHRISTE: neque unquam absque hac voce exeas, Haec erit tibi

VIII. Si cui ea ſederet opinio, expoſitam legem Moyſis ad? *Iudaeos*, non ad *Chriſtianos* pertinere: aut *Conſilium* duntaxat eſſe ad perfectionem tendentibus Religioſis, non *praeceptum omnibus*: quamquam haec ex hactenus adductis SS PP textibus luculenter refutata maneant; nequid tamen dubii in re ſcitu neceſſaria ſuperſit, ad I: obſervamus, hic ſecmonem eſſe non de lege *Caeremoniali* ſolis *Iudaeis* propria, ſed de *morali* quam maxime, de *amore* inquam *Deo naturali*, et *poſitivo* Divino jure debito, ac nequis excuſationem obtendat, hic per *Moyſem promulgato*, ac per *Chriſtum* apud tres Evangeliſtas n VI hic *confirmato*. An amabo te! minus dilectionis lege tenebuntur *Chriſtiani* prae *Iudaeis* maximis beneficiis a Divino Redemptore cumulati? an minus diligere debemus *nos Iudaeis* ideo, ut notat Apoſtolus ad Rom 11 v 25: *Quia caecitas ex parte contigit in Izrael, ut plenitudo gentium intraret? an quia aliqui ex ramis fracti ſunt, ut nos cum oleaſtri eſſemus, inſereremur in illis, et Socii radicis, et pinguedinis olivae fieremus?* an ſperare poſſumus, nos *recubituros cum Abraham, et Iſaac, et Iacob in regno Coelorum*, ſi minus, quam omnibus non tam carne, quam *Spiritu* eorum *filiis*, ac *nepotibus* praecipitur hic, Deum dilexerimus? *Non ex conſilio.* *Math 8 v 11.*

IX. Ad II. Si contendas haec *Conſilia* eſſe, Ajo: ſatis clarere ex dictis cap X n1, *legem charitatis* eſſe ſtrictum *praeceptum* ſaltem in ratione *frequentis obligationis*: quod vero *tale* ſit etiam in ratione *moralis continuitatis*. inde colligimus, quia Chriſtus in ea novam *legem* non tulit, ſed *legem Moyſis* urſit Math 22 v 36: *quod eſt mandatum magnum in LEGE?* utique Moyſis. Marci vero 12 v 29 Salvator ipſa verba Moyſis Deut 6 refert: *audi Izrael*, nihil ex ea corrigens, quin plane commendans. atqui Moyſes a Sanctis Patribus h n IV Auguſtino, Angelico expoſitus (quibus alii hoc cap laudati, et laudandi conſentiunt) *continuitatem Charitatis* magnifice inculcat. go *hanc* ſtricti *praecepti* eſſe negari nequit. *Sed ex ſtricto praecepto.*

X. Quod additur III *de Religioſis ad perfectionem tendentibus*, plane aſſero, graviſſimam hanc legem ad eos reſtringi non poſſe: Nam I: lata eſt toti Izraeli: *Audi Izrael!* II: Sibi imperatam eſſe exiſti- *Non Religioſos tantum, ſed omnes nos ſtringente.*

---

baculus, haec armatura, haec turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo et crucem in fronte imprime. *quo haec fructu? ediſſerit S Cirillus Hieroſolimit Cath 13*: In fronte crucis ſignaculum digitis imprimatur, et in aliis omnibus crux fiat: in panibus comedendis, et in poculis bibendis, et in egreſſu, et in ingreſſu: ante Somnum, recumbendo, et ſurgendo, eundo, et quieſcendo. Magna haec eſt cuſtodia, quae propter pauperes gratis datur: ſignum fidelium, timor Daemonum. oſtenta illud audacter: quando enim viderint crucem, recordantur Crucifixi. Metuunt eum, qui contrivit capita Draconis. *Vis adhuc Majora? accipe ex D Gregorio Turonenſi Libr 2 de miracul c* 107: Si viriliter, et non tepide ſignum vel fronti, vel pectori ſalutare ſuperponas, tunc reſiſtendo vitiis Martyr habeberis, quia et ipſi Martires ea, quae vicerunt, non ſuis viribus, ſed Dei haec auxiliis per ſignaculum crucis glorioſiſſime peregerunt. *En!* uſus *Sanctae crucis* aſſiduus *nos* Martyres *facit*: *Si tamen* viriliter, et non tepide, *ſed cum ferventi in Deum Charitatis affectu fiat. Unde elucet, cur SS PP cum frequenti uſu ſaluferae crucis* continuum *in omnibus actionibus* charitatis *Divinae* exercitium *inculcare. Rata namque, veriſſimaque eſt illa Epiphanii Diaconi in Concilio Nicaeno II Sententia*: Multas Cruces figurare, et praecepta Dei contemnere, Imitationisque Paſſionis illius beliviſci, extrema dementia eſt. *Concilior edit Labb t 7.* *Via facilis ad Martyrium.*

exiſtimarunt *legiſperiti*, *ſcribae*, et in illis tota gens *Iudaeorum*. Quos Chriſtus in hac ſua ſententia confirmavit, eos ad legem Deuter c 6 ſine exceptione, et diminutione relegando. III. Nobis omnibus transſcripſerunt tres Evangeliſtae Math 22 v 35. Marci 12 v 28: Lucae 10 v 25. IV. Si eam perfectius obſervant Religioſi, nosque pro modulo noſtro obſervare obſtricti ſumus; quia nosquoque *ad amandum Deum conditi ſumus*, atque ut n IV ex Auguſtino intelleximus, *nobis quoque datum eſt Cor anoris capax*. V. Grandis, etſi communis error eſt, ipſas *juris naturae*, et *Divini* leges ad Religioſos relegare. Nam *et Saeculares*, et *laici*, et *omnes Sanguine Chriſti redempti eo tendimus*, tendereque debemus, *quo Religioſi*: nempe *ad amandum Deum in via*, ad *fruendum in patria*. Teſte enim Apoſtolo 1 ad Tim oth 1 v 5: *FINIS PRAECEPTI EST CHARITAS de Corde puro, et conſcientia bona*. VI. Omnibus Chriſtiano nomine gloriantibus inculcat Divinus Magiſter Math 5 v 48: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter coeleſtis perfectus eſt*. VII. In quo conſiſtit perfectio Chriſtiana? docet id Doctor Gentium ad Coloſſ 3 v 14: *Super omnia charitatem habete, QUOD EST VINCULUM PERFECTIONIS*. VIII. Igitur ad eundem *hunc finem*, et *perfectionem* vitae *charitatem* omnes tendere debemus. diverſae quidem ſunt *viae*: nam alii tendunt via Religioſi Status: alii Sacerdotalis: alii cælibatus: alii matrimonialis. *Unusquisque enim proprium donum habet*. At *una*, eademque eſt *meta*, *unus finis* omnium Statuum *perfectio in charitate* ſita. Ad quam conſequendam Religioſi ſatendum eſt, *expeditiorem viam habent*, in quantum liberi ſunt *a curis ſaeculi*, quae magnum ſunt impedimentum charitatis. At Saeculares eo *ſatagere* debemus magis, ne *via difficiliori eodem* quo illi, contendentes, aberremus *a fine*, *et meta comum*. Ideoque *veſſe ſaeculares*, animo et *Spiritu religioſi* eſſe debemus omnes. IX. Quid obſecro facit religioſum? Votum Caſtitatis, paupertatis, obedientiae. atqui teſte Apoſtolo *major horum eſt Charitas*. Imo *ſi lingvis hominum loquar*, ſi omnes regulas cunctorum Religioſorum Ordinum ad ungvem obſervavero, *charitatem autem non habeam*, Vaſe electionis intonante *factus ſum velut aes ſonans*, *aut cimbalum tinniens*. X. ut cap V n XIX docuimus, *omnes inferiores* virtutes ſunt diſpoſitio ad charitatem. Imo *earum* omnium non *finis* tantum, ſed et *radix extrinſeca* debet eſſe *charitas*: hoc eſt dictu: omnes *virtutes inferiores* in ſe, in ſuis obiectis *intrinſecis* bonae, et perfectae, ut extrinſece quoque ſint perfectae, ſive in earum operatione non negligatur lex *omnia in gloriam Dei* referendi, initio ſtatim ſuſcipi, et intendi debent ex charitate; quia ut cap XII n I ex Angelico didicimus: *finis prior eſt in intentione*. Cape hanc veritatem obvio exemplo: nemo prudens ambulat etſi in ſe optimam viam, quin prius praeſtituat ſibi debitum *finem itineris* e g. ſe commovendi vel in *termino ad quem* negotium perficiendi, &c. qui finis intenditur ante, quam ambulatio ipſa in re ſuſcipiatur. atqui omnium actionum, et virtutum *finis* ex praecepto Divino *eſt charitas*. go ante omnia *haec* intendi debet. Secus viam curremus optimam, ſed terminum, finem ejus non intendentes peccabimus in legem charitatis *extrinſecam virtuti inferiori*. En veram rationem virtualiter, et moraliter continuo ex charitate operandi non Religioſos tantum, ſed omnes Chriſtianos urgentem. Sed ut paululum adhuc cum Religioſis maneamus, quaeramus porro: an forte hos *vota ipſa religioſa* perfectos faciant? ſunt equidem haec fortiſſima vincula ad id, quod quis vovit ſtringentia: ſed ut ex Apoſtolo mox didicimus, *vinculum perfectionis eſt charitas*. Ergo Votum Religioſos urget ad paupertatem, caſtitatem, et obedientiam: Hae vero virtutes morales introducunt charitatem: quae in gradu intenſo, et continuo efficit *perfectionem*

Diverſae viae, unus finis omnibus.

Ipſa vota Religioſa ad charitatem referenda.

Quomodo charitas radix, finis, et perfectio virtutum?

Non votum, ſed Sola charitas facit perfectum.

fectionem Christianam. Atqui omnes sine ulla exceptione Christianos si non Votum, certe leges Dei manifeste stringunt *ad paupertatem, castitatem, et obedientiam*, et sic ex mox dictis ad introducendam, et perficiendam charitatem, in qua sita est perfectio. Igitur *omnes* Christiani tenentur *ad perfectionem* [*sine* quidem *votis*, attamen iisdem, quibus Religiosi, virtutibus consectandam. Ostendo hanc veritatem *quoad paupertatem*: Scriptum est: *Nemo potest duobus dominis servire: non potestis Deo servire, et mammonae.* Et rursum: *Beati pauperes Spiritu. Vae divitibus hujus Saeculi. Dives difficile intrabit in regnum Coelorum.* Ex quibus constat, omnes nos *pauperes esse* debere *Spiritu*. Explicante Ven Beda in c 12 Lucae: *Non ut nihil pecuniae servetur a Sanctis; cum et Dominus loculos habuisse legatur et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens; sed ne Deo propter ista serviatur, et ob inopiae timorem justitia deseratur.* Non *divitiarum* est vitium malus usus earum, sed *divitum*: *Coelum his emitur.* (a) *si tu eas possideris*, non *illae te*, vere pauper *Spiritu* eris, pauperesque Religiosos animo, et voluntate imitaberis observando monitum sapientis: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere.* Aliunde quod illi *ex voto*, tu saepe *ex necessitate* observare debes. Ergo *ex necessitate fac virtutem*, et sic non carebis merito paupertatis, exemplo tot Sanctorum, qui cum externe bonis abundarent, meritum paupertatis Spiritu sunt assecuti.

Omnes teneamur esse pauperes Spiritu.

Math 6 v 24. Math 5 v 3.

Ps 61 v 12.

Si *Castitatem* servare voto vovent Religiosi, omnibus inculcat Apostolus: *Non in Cubilibus, sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum.* Et iterum: *sciat unusquisque vas suum possidere in Sanctificatione.* Et rursum: *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Praeterit enim figura hujus mundi.* Quin et Evangelium Lucae 12: *Sint lumbi vestri praecincti.* Explicante S Gregorio M *Lumbos praecingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus: et Lucernae ardentes in manibus vestris* Verae Charitatis. *Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, ut cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei.* Quibus verbis assidua vigilantia in *Castitate*, et *Charitate* omnibus, qui Coeli cives esse desiderant, praecipitur adeo, ut respectu *castitatis OMNES pares religiosis* esse debeamus, solis conjugibus usu matrimonii *ad* generandas proles ex sententia *SS Patrum* concesso. Conf Antoine de obl. Conj. q V et VII.

Et casti.

Ad Rom 13 v 14. 1 ad Thessal. 4 v 3 et 4. 1 ad Cor. 7 v 29 31.

Si denique *obedire* debent Religiosi, *omnis anima* praecipiente Apostolo *potestatibus sublimioribus subdita sit*: idque *non solum propter iram, sed et propter conscientiam. Ideo enim et tributa praestatis*, et multa alia onera supportatis. Est igitur Ecclesia Dei velut Sancta quaedam, et *Universalis religio*, in qua *sine votis* ex *praecepto* omnes *paupertatem, Castitatem* statui suo convenientem, et *obedientiam* servare, atque *ad perfectionem* Christianam, cujus et radix, et *culmen Charitas Dei est*, contendere obligamur. Profecto saeculares, Laici, viri, et mulieres, multique conjugati erant primi nascentis Ecclesiae flores, de quibus testatum reliquit Lucas Actor 4 v 32: *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una* et inter se, et conjuncta omnium in Deum ardentissima charitate, ex qua *erant perseverantes in oratione, et communicatione fractionis panis* Eucharistici. Huc mire facit, quod docet S Thomas de villa nova Cone 3 in advent Dom: *Quid quaeso amplius Charthusia? quam Christiana religio habet, quantum attinet ad mores, et Sanctitatem*

Et obedientes.

ad Rom. 13. v 1 2 et 3.

Exemplo primorum Christianorum.

(a) Dicente Domino Math 25 v 35, et seqq: *Venite benedicti Patris mei, esurivi enim, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere:* quo fine a nobis petenda sint, et a Deo concedantur bona temporalia? instruit nos Cath Rom. p 4 cap 13 n 3 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17.

Charitas praedominans omnibus praeceptis.

ſtitatem, *et puritatem, exceptis coeremoniis, et votis?* Ergo *Chriſtiano* æque, ac *Charthuſiano* ſcriptum eſt magnum mandatum charitatis. Chriſtiano aeque, ac Carthuſiano abnegandus omnis Creaturarum amor ab amore ſummi boni abſtrahens. Chriſtiano aeque ac Carthuſiano ſcripſit S Auguſtinus, dum L IV contra Iulian c 3 aſſeruit: *Per amorem Creatoris bene QUISQUE utitur creaturis. Sine amore Creatoris NULLUS QUISQUAM bene utitur Creaturis.* ad omnes pariter Chriſtianos loquitur idem amoris Magiſter ſerm 269 alias 52 cap 7: *Amate Filios veſtros, amate conjuges: ſecundum Chriſtum amare debetis. Nam quid eis proderit tranſitoria, et mortalis charitas veſtra? tamen quando et humanitus diligitis, PLUS CHRISTUM AMATE. Non dico, ut non diligatis uxorem - - Patrem - - Filios - - ſed PLUS CHRISTUM. Non mea putes illa verba: Qui amat Patrem, aut Matrem plus, quam me, non eſt me dignus. Quando audis, non eſt me dignus, non times? De quo dicit Chriſtus, non eſt me dignus, non eſt cum illo. Qui cum illo non eſt, ubi erit? Si amas cum illo eſſe, time ſine illo eſſe. Quare time ſine illo eſſe? quia cum diabolo eris, ſi cum Chriſto non fueris.* Haec ſcripſi, ut omnes intelligant legem *Continuae* in Deum *Charitatis* non magis *ad Religioſos*, (quos cætera ut illuſtriorem partem Eccleſiae, et vivam imaginem primorum fidelium maximi facio) quam ad *omnes* alios *Chriſtianos* reipſa *pertinere.*

Pro praecepto intelligunt SS Patres.

XI. Nec ſane Patres Eccleſiae, a quibus verus ſcripturarum ſenſus hauriendus eſt potius, quam a recentioribus Theologis, praemiſſa Divina oracula ſive ad *Conſilia*, ſive ad certa *mortalium genera*, aut *inſtituta* reſtringunt, quin urgentiſſima, et univerſalia eſſe praecepta luculenter demonſtrant. Non pigeat audire Iuniorem Divini amoris Magiſtrum S Franciſcum Saleſium, illuſtre illud Eccleſiaſtici ſtatus ornamentum ad inflammanda corda noſtra Divinae Charitatis igne Coelitus datum: qui ſuaviſſimum hoc praeceptum ad omnes uſu rationis praeditos mortales extendit, ejusque naturam, vim ac energiam Divine plane explicat libr 10 de amore Dei cap 6 ita diſſerens: *Cum ſint tot diverſi amoris gradus inter veros amatores, unum tamen eſt Divini amoris mandatum, quod OMNES OMNIMODA, et PARI penitus OBLIGATIONE OBSTRINGIT: tametſi VARIIS MODIS, et INFINITA PERFECTIONUM VARIETATE SERVATUM EXERCEATUR. Ille eſt amor, quem OMNES NOSTROS AMORES VINCERE, et OMNIBUS NOSTRIS AFFECTIBUS REGNANTIS IN MOREM DOMINARI NECESSE EST: et hoc a nobis exigit Deus, ut SUI AMOR PRÆ RELIQUIS NOSTRIS AMORIBUS ALTIUS CORDI IMPRESSUS TOTI CORDI PRÆSIT, AC IMPERET, ut ardentiori affectu totam animam noſtram obtineat, et majori amplitudine noſtras omnes facultates ad opus adhibeat, ut ſit ſublimior, omnemque noſtram mentem impleat, ut denique ſit fortior, et robuſtior, omnemque noſtram fortitudinem, et vigorem exerceat. Quia nempe Dei bonitas omnem aliam bonitatem infinitis partibus antecellit, ipſe diligendus eſt amore ſublimi, praeſtanti, potenti, extra omnem comparationem poſito. Et hic eſt amor Excellentiae, vel excellentia amoris PRÆCEPTI, et IMPERATI OMNIBUS, et SINGULIS mortalibus generatim UBI PRIMUM RATIONIS USUM ATTIGERUNT. qui quidem amor ſingulis eſt ſufficiens, et cunctis neceſſarius ad ſalutem.* Totam hinc Charitatis praedominantis naturam edicimus. Praecipue tamen I: eam in *appretiatione ſumma*, ut hodie Scholae loquuntur, eſſe conſtitutam: qua amicitiam Divinam toti terrarum orbi, vitaeque ipſi noſtrae praeferre debemus. II: *appretiationem* hanc non poſſe eſſe *in opere otioſam*, quin toti *cordi praeeſſe*, ardenti amore

Ex S Franciſco Saleſio

Charitatis praedominantis deſcriptio.

totam

totam animam obtinere, et facultates noſtras *ad actus charitatis exercendos* incendere debere, ut *omnem noſtram fortitudinem, viresque* exerceat *fortiori, ſublimiori, potentiori amore Dei* ſine comparatione omnibus aliis amoribus: ideoque *omnem animam, totamque fortitudinem noſtram Dei amori eſſe mancipandam, et conſecrandam.* Conf c XII n LVII. LVIII. hoc demum Divini amoris mandatum ita a Divo explicatum *omnes omnimoda, et pari penitus obligatione* obſtringere.

XII. Alii hanc Divinae dilectionis legem repetunt a *voluntatis noſtrae cum Divina continua conformatione.* Atqui ad eam *omnes*, et *ſemper* ſtrictiſſime obligamur. Ergo et ad *Continuum Dei amorem.* Exſcribamus ex Merbeſio S Aëlredi Richuallenſis quondam in Anglia ex Ordine Ciſtercienſi Abbatis, et S Bernardi contemporanei auream doctrinam: qua et praemiſſa mire illuſtrat, et quid ſentiendum ſit de *ſuavitate*, ac *momentanea* illa animae *dulcedine*, in qua multi veram Dei *charitatem* conſtituunt, adeo pie, eruditeque ediſſerit, ut ad errorem hunc refellendum ejus unius auctoritas ſufficere abunde videatur. Sic ergo docet in ſpeculo Charitatis Lib 2 c 18: *Igitur non ſecundum hos momentaneos affectus, quos minime noſtrae ſubeſſe voluntati, nullus Spiritualis ignorat, Dei aeſtimandus eſt amor; ſed potius ſecundum continuam ipſius voluntatis qualitatem. SUAM enim VOLUNTATEM DEI VOLUNTATI CONIUNGERE, ut quaelibet voluntas Divina praeſcribat, NULLA SIT ALIA CAUSA, CUR HOC AUT ILLUD VELIT VOLUNTAS HUMANA, niſi QUIA HOC DEUM VELLE COGNOSCIT, hoc utique Deum amare eſt. Nam ipſa VOLUNTAS nihil eſt aliud QUAM AMOR, nec aliud dicendae ſunt bonae, vel malae voluntates, quam boni, vel mali amores.*

Ex S Aëlredo.

Quid ſentiendum de ſuavitatibus Spiritus?

Caeterum ut ait B Gregorius, nemo credat, quidquid ſibi mens ſine operibus de Dei amore reſpondeat. Ejus eſt enim Sententia, qui non mentitur: Qui habet mandata mea, et ſervat ea, hic eſt qui diligit me. Cujuscunque voluntas Dei voluntati concordat, eaque, quae Deus intulerit, ſuſtinet patienter, (a) et ea quae juſſerit, exequitur ferventer, Deum diligere ſine omni cunctatione dicendus eſt. Alioquin ſi ſecundum hos effectus noſter metiendus eſt amor, ut tunc ſolum Deum, vel hominem quemlibet amare dicamur, cum hujusmodi affectum experimur; NON utique CONTINUE, ſed per rariſſima quaedam intervalla amare dicendi ſumus.

Habet praeterea amor iſte inchoationem ſuam, profectum ſuum, perfectionem ſuam. Proinde affectus illos ſentire non Deum amare eſt, ſed oblatam, imo infuſam menti quamdam dulcedinis illius guttam interioris palati quaſi praeſentem ſuavi praeſentire attactu. Nam aliud eſt melleae dulcedinis cupidum in ejus aquiſitione pro viribus laborare: aliud ſi cujuslibet non quaerentis, nec amantis infuſa fuerit labiis, ſenſum dulcedinis illius non poſſe effugere. Ille non guſtat, amat tamen: iſte non amat, et tamen guſtat. Ut ergo

Quis verus Dei amator?

(a) *In adverſis* potiſſimum *patienter perferendis* Divinae providentiae aquieſcendum eſſe, pie docet Cath Trident p 4 c 12 n ultimo. Parte vero 3 cap 6 n 20, et ſeqq ad patienter tollerandas omnes injurias, et miſerias humanas efficaciſſimas rationes adfert, nempe quia 1: quidquid patimur, a Deo proficiſcitur, qui miſericordiae Pater, et Auctor eſt. 2. Homines nobis injuriam inferentes, quamvis mala voluntate id faciant, non niſi *miniſtri*, et *Satellites* ſunt Dei: qui male nobis velle poſſunt; nocere non poſſunt niſi Deo permittente. 3. Exemplum Chriſti. 4. Utilitates patientiae. Meretur totum hoc caput iterato relegi ad implantandum in nobis manſvetudinis, charitatis proximi, et patientiae Spiritum.

go simplicioribus verbis utar, *QUI QUANTUM POTEST, INSISTIT, UT DEUM HABEAT*, mandatis videlicet illius obtemperando, et secundum Apostolica, et Evangelica praecepta sobrie, et juste, et pie vivendo; *ETSI NIHIL HUIUS DULCEDINIS GUSTET, DEUM TAMEN DILIGERE DICENDUS EST*, ipso attestante qui ait: *Qui mandata mea custodierit, ille est, qui diligit me. Qui vero quotidie hunc experitur affectum; et nihilominus Divinae voluntati sua desideria praeponit, non quidem Deum diligere, sed ingestum suae menti Divina dispositione Spiritualem Saporem nonnisi sentire credendus est.* Non is igitur, qui inter orandum coelestem quamdam *dulcedinem* animi, aut *dulces lacrimas* experitur, sed qui *constanter*, etiam *inter ariditates*, et *desolationes* Spiritus, *voluntati Divinae* penitus *se se conformat*, qui *charitatem* Dei in corde suo diffusam ipsa *vita sua chariorem ducit*, aut eam quamprimum, modisque omnibus reparare studet; qui *Deo* suo *per continuam mandatorum observantiam adhaerere* conatur, qui sobrie, pie, justeque vivere Apostoli monitu satagit, is demum veram Dei Charitatem habere censendus est. (a) Ad haec vero docente Sancto hoc Abbate *quantumcunque quis potest, insistendum est.*

De continua charitate antiqui cum junioribus conspirant. Augustinus.

XIII. Constabilita *Universalitate* primi mandati, urgeamus jam tanto fidentius ejusdem *continuitatem.* Praeeat D Augustinus in Ps 31: *Dilectio vacare non potest. Da mihi vacantem amorem, et nihil operantem?* Et Soliloq c 18 Deum suum alloquens ait: *Sicut nulla, est hora, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar, sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos meos, in mea memoria, et te non diligam ex omni fortitudine mea!* Idem Doctorum Aquila in ps 121: *HABET omnis AMOR VIM SUAM: non potest vacare amor in anima amantis, sed necesse est, ut ducat: sed nosse vis, qualis amor sit? vide QUO DUCAT.* Ideſt: attende *finem amoris*, in quem vi sua hominem Impellat. Similiter tract 8 in epist 5 Ioan cap 4: *Opera modo illa sint nobis, modo illa: pro tempore, pro horis, pro diebus modo illud, modo illud. Inchoantur ista, et cessant: ille autem Imperator*, qui alios virtutum actus elici jubet, *nec inchoatur, nec cessare debet. CHARITAS INTUS NON INTERMITTATUR: Officia charitatis pro tempore exhibeantur. Virtutes, earumque actus sunt ministri istius Imperatoris, ac quemdam quasi exercitum conflant adversus hostes invisibiles. Itaque pedes moventur, sed quo moverit bona voluntas. Manus operantur, sed quod jusserit charitas, quae inspirata est intus a Spiritu Sancto. Omnia denique membra moventur visibiliter ab eo, qui jubet intus, et non videtur, et quis intus jubeat, prope ipse solus novit, qui jubet, et ille intus, cui jubetur.* His sane nec Moyses plus laudata sua lege voluit. Sed ne unus non audiatur Au-

Gregor. M. gustinus, paria tradit S Gregorius M hom 30 in Evang: *Nunquam est Dei amor otiosus: operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est.* Ita nempe, quod jam ex Mellifluo Doctore notavimus:

Bernardus. Paschasius Radbertus. *Modus diligendi Deum est sine modo.* Ab his non abludit Paschasius Radbertus Lib 3 de Charit c 9: *Dilectio sola pro debito est: quotidie solvendo debemus, ut debendo solvamus.* Addamus *Antiquis Iuniores*, ut pateſcat,

(a) Stricte loquendo mallem *conformationem* voluntatis humanae ad Divinam, *mandatorum* Dei *observantiam*, et *patientiam* in adversis dicere *fructum*, et *effectum*, *quam* ipsam *charitatem.* Sic in humanis amor praeexistit, et sic imperat *voluntatis*, et *praecepti AMATI* executionem, maxime *patientiam pro amato.* Ita et erga Deum Charitas actualis praecedat, et causset oportet dictos *effectus* tanto quidem magis, quod *eosdem* etiam timor mere servilis imperare possit; et tunc essent effectus timoris. ut consideranti patet. Ex quo fluit *necessitas charitatis actualis saepius in die eliciendae*, ut mox dictos effectus ipsa *virtualiter influendo* causet, et non alia *virtus inferior:* quod ipsum PP urgent hic n XIII.

pateſcat, hanc perpetuam eſſe Eccleſiae ſententiam. Ludovicus Abelli p 3 Sacerd Chriſtian c 5: *Vera*, inquit, *charitas nullum numerum, nullam menſuram in actibus Divini amoris praeſcribit, eosque creberrimos, quantum poteſt, elicit.* Subinfert Doctiſſimus Boſſvet de mor diſcipl p 2 § 2: *Nemo Chriſtianus quaerat, quando, et in quibus circumſtantiis actum amoris elicere teneatur? Hoc enim ipſa unctio, ipſe amor docet, nec ſe otioſum eſſe ſinit. Hoc quaerunt, qui non amant: Nam qui Spiritu Dei aguntur, qui vere filii Dei ſunt, et Chriſtum imitati credunt in his, quae Patris ſunt, ſe eſſe oportere, magis profecto quaerunt, amorem ultro interrumpendo* quantum peccent? quam quam quomodo, et quando interrumpendo *non peccent.* Ab his mutuatus eſt Doctiſſimus Patuſius doctrinam ſuam, dum tract 4 de virt Theol c 8 § Reg 3 aſſerit: *Non poteſt homo abſque lethalis culpae reatu diu intermittere dilectionis actum: ſed illum adeo frequenter exercere debet, ut ALIQUO MODO DEUM SEMPER DILIGERE CONSEATUR.* Et Cl Gazzaniga Diſſ de Charit n 31: *Tenetur unusquisque ad actum amoris eliciendum ſaepius in vita, imo et in anno, quemadmodum multi Doctiſſimi Theologi cenſent, ita ut continuitas moralis, ſeu dilectio virtualis toties in Sacris litteris inculcata ſervetur.*

Abelli. *Boſſvet.* *Patuzius.* *Gazzaniga.*

XIV. Illuſtrantur haec ex praecepto *continuae* orationis. De quo Chriſtus Lucae 18 v 1: *oportet, ſemper orare, et non deficere.* (a) Et c 21 v 35: *Vigilate, omni tempore orantes.* Marci 13 v 33: *Videte, vigilate, et orate.* Ad Coloſſen 4 v 2: *Orationi inſtate, vigilantes in ea.* 1 ad Theſs 5 v 17: *Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite: haec eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis.* Legeſis hom S Ambroſii in cap 7 Lucae relatam in LL fer 4 Rogationum: ubi Sanctus Orationem *Continuam*, et *diurnam*, *nocturnamque* urget. Plenam his lucem adfert Angelicus 2 2 q 83 a 4 quærens: *Utrum oratio debeat eſſe diuturna, et continua?* et reſolvens in O: *Dicendum, quod de oratione dupliciter loqui poſſumus: Uno modo ſecundum ſeipſam: alio modo ſecundum cauſam ſuam. CAUSA autem ORATIONIS EST DESIDERIUM CHARITATIS, ex quo procedere debet oratio: QUOD quidem IN NOBIS DEBET ESSE CONTINUUM VEL ACTU, VIRTUTE. MANET enim VIRTUS HUIUS DESIDERII IN OMNIBUS, quae ex Charitate facimus: omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur 1 Cor c 10. Et ſecundum hoc oratio debet eſſe continua. Unde Auguſtinus Epiſt 121 ad Probam ait: IN IPSA FIDE, SPE, ET CHARITATE CONTINUATO DESIDERIO SEMPER ORAMUS. Sed ipſa oratio conſiderata ſecundum ſe non poteſt eſſe aſſidua, quia oportet et aliis rebus occupari: ſed ſicut Auguſtinus dicit ibidem: ideo per certa intervalla horarum, (b) et temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis*

Oratio debet eſſe continuai. gitur et charitas. *Exponitur Charitas VIRTUALIS.*

(a) *Strictum hinc praeceptum* aſſiduae, (*ad mentem D Thomae hic*) *orationis inculcat Cath Roman p 4 cap 1 n 2 ex Luc 18, ab exemplo Chriſti, et Apoſtolorum. Sed et ſeqq capita ibidem de* utilitate, *de* gradibus *orationis*: quae petenda: pro quibus orandum. *de* praeparatione *ad orandum*: *de* ratione orandi *omni probe Chriſtiano ſcienda, proinde fidelibus ſumma cum utilitate proponenda ſunt. Haec ſparſim ideo notamus, ut advertat Lector, in Cath Romano omnes res ſcitu neceſſarias contineri. In quo uno non Catechiſtam ſolum, ſed et Theologum, moraliſtam, Concionatorem, Controverſiſtam, quin Scripturae, Patrumque compendium habent animarum Curatores. Quidni igitur comedamus omnes* volumen iſtud? *erit certe* in ore *noſtro* ſicut mel dulce. *Ezech* 3 v 2.

(b) *Si per certa horarum ſpatia orandum eſt Auguſtini monitu, et Coronati Vatis exemplo:* ſepties in die laudem dixi tibi, *go vere pec-*

illis rerum signis nos admoneamus; quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, et ad hoc augendum nos ipsos acrius excitemus. Ex quibus discimus I: orationem *secundum causam* esse *desiderium Charitatis, ex quo* procedere debet oratio. II. Hoc *desiderium Charitatis* debere esse in nobis *continuum* vel *actu*, vel *virtute*. III. *Virtute* hujus *desiderii charitatis* dignificari opera nostra, et reddi *opera charitatis* virtualiter. Unde IV hoc sensu, quod *semper debeamus desiderare charitatem*, orationem nostram esse debere continuam *actu, vel virtute*: et juxta Augustinum in *Fidei, Spei, et Charitatis desiderio nos semper orare.* V. Orationem *secundum se consideratam* non posse esse *continuam*; sed ideo nos per certa intervalla orare, ut hoc *desiderium* Charitatis *in nobis excitemus*, et sic excitatum per intervalla Charitatis desiderium *virtualiter* dignificet subsequa opera nostra. Ex quibus *charitatis virtualiter continuae* notio satis clarescit.

Charitas physice continua est perfectio patriae.

XV. Ad pleniorem intelligentiam pro amus alteram Angelici Sententiam ex 2 2 q 44 a 4, ubi sic docet: *Dicendum, quod dupliciter contingit ex toto Corde Deum diligere: unoquidem modo in actu: ideſt ut totum Cor hominis semper actualiter in Deum feratur. et ista est perfectio patriae. Alio modo ut habitualiter totum Cor hominis in Deum feratur; ita scilicet quod nihil contra Dei dilectionem Cor hominis recipiat: et haec est perfectio viae: cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum Charitatis, cum non tendat in oppositum objectum, sed solum impedit Charitatis usum.* (a) Habes hinc tertiam *Continuitatem* Charitatis. Nempe quia humana infirmitas non admittit, ut flamma Charitatis *semper actu* in nobis ferveſcat, quod est aeternum vitae futurae in Coelo praemium, ideo requiritur continuitas *habitualis*, ut *nihil contra Dei dilectionem Cor hominis recipiat*, per consequens ipsa *habitualis charitas* ita custodiatur, ut *haec* per *mortale* peccatum *non amittatur*. Quae per *veniale non amittitur*, sed *impeditur* tantum expeditus ejus usus mox fervore Charitatis reparandus.

Triplex charitas distinquenda.

XVI. Triplicem igitur e praemissis oportet distinguere Charitatem. 1 *habitualem.* Quae est habitus Charitatis, sive gratia sanctificans

---

An fas sit breviarium uno tractu absolvere? et missae non praemittere?

cant, venialiter tamen, illi, qui horas Canonicas uno tractu absolvunt; nisi id faciant ideo, ut aliis operibus Charitatis, vel ad charitatem relatis expeditius incumbere valeant. Illi enim raro, hi semper orant in desiderio, *et actu charitatis. ut docebat Angelicus. Idem dic ad illam quaestionem: an, et sub quanto peccato dicendum sit matutinum ante Sacrum? nam qui ex justa causa ommittit, interea autem actibus charitatis, et Contritionis digne se parare ad Divinum epulum satagit, eum ego nec levissimi peccati arguo. qui vero labialiter absque Spiritu contrito absoluto matutino ad caelestem mensam accedit, eum imperatum affirmo. Conf cap XII n VIII. XIII. qui demum utroque, tam matutino, quam digna praeparatione* ex Socordia *omisso memoriter ad Sacras dapes irruit, eum Antoine de Religione cap* 1 *Resp* 2 gravis *peccati arguit.*

(a) *Ex hoc loco Angelici docent auctores, quos sequimur,* peccato veniali *vim* virtualis influxus *in actus subsequos* praemissae intentionis, *et sic* virtualem relationem *operum in Deum* non destrui *poenitus, sed* impediri *dumtaxat* peccato veniali *ad Deum* non referibili. *nec sane veniale destruit* ordinationem habitualem *in Deum: sed quia* minuit *ejus* fervorem, *ideo plura venialia vim quoque* rectae intentionis sensim *destruere possunt, et magis quidem, quam lapsus* longioris temporis. *quo illam poenitus interire nemo dubitat. ideo* in praxi *saepius repeti debet.*

ficans, et amicitia Divina cum habitibus aliarum virtutum, qui simul in justificatione impii cum remissione peccatorum infunduntur, ac justo vires, et facilitatem causant ad opera salutaria potissimum Charitatis, exercenda. Haec absolute *necessaria* ad veram Dei Charitatem *non est*, nec sola sufficit. ut not ad n IV hic ex doctrina Gallorum Episcoporum vidimus *in fine*. Ideo secundam distingvimus *Charitatem actualem*: sive *motum animi actualem ad fruendum Deo*. Atque hanc ipsam Dei dilectionem *actualem* Coelestium Chororum aemulam temporibus *moraliter continuis*, *quantum humana fragilitas admittit*, nobis omnibus praeceptam esse facile concedet, quisquis a n hic ll laudatas auctoritates penitius consideraverit. *Diligere* enim Deum *ex toto corde*, *anima*, *et fortitudine*: *narrare* legem hanc, *meditari* sedendo am ulando, dormiendo, consurgendo: *ligare*, *scribereque* eam &c non sane *habitum*, sed *actualem actum* aliquo modo continuum significant. At quoniam sicut ex Angelico hic n XV audivimus, non est hujus sed futurae illius felicioris vitae Coelestis, ut *totum Cor hominis STRICTE SEMPER ACTUALITER in Deum feratur*, misericordiarum Pater miseriæ nostrae conscius nequaquam exigit a nobis *realem*, semperque physice *continuam actualem* Charitatem: sed *moralem* duntaxat, et *virtualem*. Quae proinde *tertia* est distingvenda Charitas *virtualiter continua*. quae nempe *e praemissa actuali Charitate*, *reliaque* ad Deum *intentione* prius facta *moraliter* perseverat, subsequasque humanas actiones virtute prius elicitae Charitatis actualis informat, dignificat, atque ad meritum Charitatis attollit. Sic facta mane debita intentione *ad Dei glorlam* omnia ejus dici cogitata, verba, et opera nostra peragendi. virtute hujus *actus Charitatis* ad praecipuas actiones identidem *breviter* repetendae (not ad XV) quicquid eadem die oramus, studemus, scribimus, vel quid aliud honestum et non vitiosum (hoc est dictu: aptum, idoneumque opus, quod ad Deum referatur, atque ut ajunt Scholastici, quod *referibile ad Dum fit*, quale non est solum peccatum) agimus, vi pr maevae illius intentionis matutinae eo reipsa refertur, fitque opus Charitatis *virtualiter*, *donec prior illa intentio* sive *pluribus venialibus*, sive aliis *actionibus* cum *amore Dei incompatibilibus*, aut *ei contrariis interrumpatur*, aut *retractetur* non verbo solum, quod raro fit, sed *opere illam dissipante*, annihilanteque ita, ut comuni prudentum, ac Deum timentium sensu prior illa intentio *moraliter* hanc actionem informare, dignificare, vivificareque merito suo nequeat, quia *moraliter* non perseverat, sed de novo ponenda, instaurandaque sit, ut ignis novo pabulo Charitatis.

Habitualis. haec sola non sufficit.

Actualis haec semper reipsa exerceri in vita nequit.

Tertia moralis, et virtualis.

Explicatur.

XVII. Atque hanc *virtualem* Charitatem in omnes nostras deliberatas actiones *moraliter* influentem, eaque ratione *virtute sua* in *morali* aestimatione *continuam* nobis *stricte praecipi* ex hactenus dictis elucet. quam porro expressis terminis docet Angelicus in quaestion disputatis a 11 ad 2 Clarissime asserens: *hoc pertinere ad perfectionem Charitatis*, *ad quam omnes tenentur*, *quod OMNIA VIRTUTE referantur in Deum*: *et hoc modo Apostolus praecipit*, *quod omnia ad gloriam Dei referantur*. Ibidem *ad* 3: *Virtualiter omnia referre ad Deum cadit sub praecepto Charitatis*. Et alibi saepius docet, non esse necesse, ut omnia referantur ad Deum *actu*, sed *habitu*, et *habitualiter*: idest *virtualiter*, ut seipsum explicat et loco modo laudato, et 3 p q 64 a 8 ad 3 dicens: ad perfectionem Sacramenti in Ministro sufficere intentionem *habitualem*, per quam Divum *virtualem* intelligere, patet ex modo explicationis ejusdem, quam subjungit: si nempe Sacerdos accedens ab baptisandum vult facere quod facit Ecclesia, sed postea sub ipso exercitio baptismi *cogitatio ad alia rapiatur*, ex *virtute*

Virtualis continuitas charitatis praecepta, non actualis.

Explicatur relatio virtualis.

et poſtea Summam illam oblata occaſione eroget: is dicitur virtute opus ſuum referre in Deum, etiamſi dum pecunias illas diſtribuit, nihil de Deo cogitet. (a) Addamus his duobus illuſtrem Theologum, et eruditiſſimum Divi Pauli interpretem Guillelmum Eſtium. Qui in 1 ad Cor cap 10 quomodo intentio actiones noſtras comitari, commendare, et vivificare poſſit, debeatque, ita docet: *Quo magis autem hujusmodi intentio virtute maneat in actionibus noſtris quotidianis, frequenter actu renovanda eſt. Quod quidem facimus, dum orationem Dominicam frequentamus: in qua primo loco petimus, quod intentione primum, ac perpetuum eſſe debet, ut Sanctificetur, et glorificetur nomen Dei. Quod etiam in publicis precibus, ac canticis facit Eccleſia, dum, ut oſtendat, gloriae Dei ſtudendum eſſe in omnibus, identidem repetit verſum doxologicum Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Itaque bene interpretantur Apoſtolum, qui dicunt, omnia in gloriam Dei facite ideſt: ſtudete gloriae Dei per omnia promovendae.*

XIX. Atque haec praeclariſſimorum Theologorum dicta illuſtrari poſſunt obviis quoque exemplis. An tu illum vere Theologum, Philoſophum, Oratorem, Poetam, Scribam, quin ſutorem, Sartoremve, aut cujuscunque ſive ſcientiae, ſive artis profeſſorem, amatoremque eſſe dices, cui *dies* abit *ſine linea*? qui tota die longe aliud agit, quam id, quod profitetur? talem certe omnes affirmabimus *mendacem* eſſe *re;* utpote qui *facto* negat, quod Sterili *voce* profitetur. Iam ego te compello: An non omnes Chriſtiani nos *Theoſophos*, Dei amatores eſſe profitemur? an non polliciti ſumus in baptiſmo, nos abrenunciare Sathanae, et *adhaerere Chriſto*? an non promiſimus dilecturos nos Deum ex toto corde noſtro? idque ſine reſtrictione excluſiva alicujus temporis? ubi enim habes diligendum Deum ſemel, bis, terve in anno? at Moyſes exprimit continuitatem: et Evangeliſtae agnoſcunt praeceptum ejus eſſe morale. hic n III. Haec ergo eſt profeſſio, ars, et ſcientia noſtra: *non judicavi me aliud ſcire, quam Ieſum, et hunc Crucifixum.* Hanc artem, ac ſcientiam nobis a *natura* inditam, *poſitivique lege Divina*, ut aſſidue eam exerceamus, impoſitam eſſe, ex dictis n II, et ſeqq manifeſtum eſt.

Illuſtratur exemplis obvius.

1 ad Cor a v 2.

(a) *Verba Seraphici Doctoris ſunt haec a ſent a Belarmino cit.* „Ad hoc, quod aliqua actio ſit meritoria, non oportet, ut quis eam referat actualiter in Deum: ſed ſufficit relatio habitualis. (*per quam veterum more virtualem ſe intelligere, patet ex ſequentibus*) Habitualem autem relationem voco, non quia habeat quis charitatem, per quam ſit habilis ad referendum: ſed quia in primordio operationis illius, vel alterius, ad quam illa ſe conſequenter habet, intentionem habet ad Deum directam. Unde ſi quis intendat propter Deum dare centum marcas, et incipit dare, et cogitat de Deo in prima marca, et in aliis non cogitat, nihilominus omnes illae dationes ſunt ei meritoriae, et fructuoſae.„ *En virtualem influxum i æ intentionis in ſubſequas actiones* ab illa *pendentes.* „Si autem opus alterius generis inciperet, oportet, quod intentio renovetur ad hoc, ut opus ſit meritorium.„ *En neceſſitatem* renovandae intentionis ex amore Dei *ante ſingulas actiones* alterius generis, *et a priori non pendentes, nec illi ſubalternas. go manifeſte falſum eſt*, intentionem unicam matutinam totius diei diverſas licet actiones diſparatas *virtualiter meritoriat*, *et actiones ex charitate factas reddere. Et quia hanc doctrinam tradunt hic tres maximi Doctores, a quibus alii non diſſentiunt, ideo* in praxi *ante ſingulas diſparatas ejusdem diei actiones intentionem renovare ſatagamus*, ne in vanum laboremus.

Mens Angelici clarissima.

tamen *primae intentionis perficitur Sacramentum.* Idem Angelicus Praeceptor 2 sent Dist 28 a 1 eandem *virtualem* relationem ita explicat: *oportet, quod prius fuerit cognitio de fine, qui est charitas, vel Deus: et quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit, ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur.* Item q XI de Charitate a 2 explicat idipsum exemplo *Medici* volentis *immediata intentione* medicinam conficere: Is enim alias actiones suas *colligendo herbas eo virtute primae intentionis* dirigit, etsi de medicina non cogitet, dum colligit herbas: hanc rursum *intentionem* conficiendi *medicinam* virtualiter ultimatim refert ad finem Principalem *sanitatis procurandae.* Haec est aeconomia continuae charitatis. Ad quam oportet I: *Cognoscere finem, qui est Charitas Dei. Finis legis charitas:* ut *diligamus Deum toto Corde, anima, viribus* in hac vita, et *perfecte in Patria. Ideo creati sumus: in hoc universa lex pendet, et Prophetae.* Oportet II *ut ratio*, recta intentio *actiones sequentes* (omnes indiscriminatim, magnas parvas, virtutes, in se indifferentes: solo peccato excepto) ordinet, dirigat *in hunc finem charitatis* Dei in hac vita, et in Patria aeternum amandi. idque *toties* in vita, in die qualibet, ut III *rectitudo illius intentionis in actionibus subsequis salvetur*, in has *influat virtute sua*, et dici possit, subsequas actiones fieri *vi primae intentionis*: et IV ex *frequentatis* huiusmodi intentionibus nascatur quaedam *Sancta facilitas, et promptitudo* omnia propter Dei amorem agendi, etsi de hoc reflexe non cogitemus. Io ut assequamur, non est opus V, ut in singulis actionibus actualem intentionem renovemus, ut demonstrat hic Angelicus exemplo *Medici*: sed sufficit ita renovare ante *praecipuas* actiones, ex quibus aliae quasi *secundariae*, et *subalternae* pendent. Cum igitur Angelicus tam perspicue exponat *relationem* ad Deum *virtualem*: actualem vero *continuam* felicioris illius, quam speramus, non huius patriae esse doceat hic n XV: Ideo ad *virtualem* relationem referenda sunt sequentia ejus asserta: 1 2 q 100 a 10 ad 2: *Dicendum, quod sub praecepto Charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; adquod pertinet, ut omnia referantur in Deum. Et ideo praeceptum Charitatis homo implere non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Et 2 2 q 44 a 5 in O: *Praecipitur nobis, ut tota intentio referatur in Deum, quod est ex toto corde diligere.* Et 2 2 q 69: *Ex praecepto tenemur omnia in gloriam Dei facere,* ut patet 1 *ad Cor* 10. Non solum igitur noster est Angelicus totus, verum omnes etiam *auctoritates* hactenus a n II hic laudatas pro nobis stare doctrinaliter definit. aut igitur adversarii majores praemissis, ac porro adferendis *auctoritates* pro negativa adducant: aut praeceptum charitatis *virtualiter* continuae affirment est necesse.

Quoties repeti debet actus charitatis, ut virtute sua subsequas actiones dignificet?

Non sufficit ad initium anni, mensis, diei.

XVIII. Quam haec extra dubium esse statuo, tam arduum censeo definiri posse, quoties ipse *actualis* Charitatis *actus* repetendus nobis sit, ut is *virtute* sua subsequas actiones ad Charitatis dignitatem attollat, et *moraliter connectat* cum praemissa actuali intentione? qua in re audiamus Venerabilem Bellarminum virum omni exceptione apud omnes Theologos majorem: qui ipsus tamen in hoc Seraphicum Doctorem sequitur: ita vero docet Lib V de Justific c 15: *Quo loco non est omittendum, quod prudenter monet S Bonaventura in 2 Sent Dist 41 a 1 q 3 non sufficere, ut opus virtute dicatur referri in Deum, si quis ad initium anni, vel mensis, VEL ETIAM DIEI generali quadam intentione referat omnia sua futura opera in Deum: sed necesse est, ut illud ipsum opus particulare, quod postea faciendum est, referatur in Deum. Tunc enim diruntur opera virtute in Deum relata, cum intentio praecedens est vera causa operum, quae postea fiunt. Ut si quis apud se certo constituat aliquam Nummorum Summam propter Deum pauperibus erogare,*

et

et poſtea Summam illam oblata occaſione eroget: is dicitur virtute opus ſuum referre in Deum, etiamſi dum pecunias illas diſtribuit, nihil de Deo cogitet. (a) Addamus his duobus illuſtrem Theologum, et eruditiſſimum Divi Pauli interpretem Guillelmum Eſtium. Qui in 1 ad Cor cap 10 quomodo intentio actiones noſtras comitari, commendare, et vivificare poſſit, debeatque, ita docet: *Quo magis autem hujusmodi intentio virtute maneat in actionibus noſtris quotidianis, frequenter actu renovanda eſt. Quod quidem facimus, dum orationem Dominicam frequentamus: in qua primo loco petimus, quod intentione primum, ac perpetuum eſſe debet, ut Sanctificetur, et glorificetur nomen Dei. Quod etiam in publicis precibus, ac canticis facit Eccleſia, dum, ut oſtendat, gloriae Dei ſtudendum eſſe in omnibus, identidem repetit verſum doxologicum Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Itaque bene interpretantur Apoſtolum, qui dicunt, omnia in gloriam Dei facite ideſt: ſtudete gloriae Dei per omnia promovendae.*

XIX. Atque haec praeclariſſimorum Theologorum dicta illuſtrari poſſunt obviis quoque exemplis. An tu illum vere Theologum, Philoſophum, Oratorem, Poetam, Scribam, quin ſutorem, Sartoremve, aut cujuscunque ſive ſcientiae, ſive artis profeſſorem, amatoremque eſſe dices, cui *dies* abit *ſine linea*? qui tota die longe aliud agit, quam id, quod profitetur? talem certe omnes affirmabimus *mendacem* eſſe *re*; utpote qui *facto* negat, quod Sterili *voce* profitetur. Iam ego te compello: An non omnes Chriſtiani nos *Theoſophos*, Dei amatores eſſe profitemur? an non polliciti ſumus in baptiſmo, nos abrenunciare Sathanae, et *adhaerere Chriſto*? an non promiſimus dilecturos nos Deum ex toto corde noſtro? idque ſine reſtrictione excluſiva alicujus temporis? ubi enim habes diligendum Deum ſemel, bis, terve in anno? at Moyſes exprimit continuitatem: et Evangeliſtae agnoſcunt praeceptum ejus eſſe morale. hic n III. Haec ergo eſt profeſſio, ars, et ſcientia noſtra: *non judicavi me aliud ſcire, quam Ieſum, et hunc Crucifixum.* Hanc artem, ac ſcientiam nobis a *natura* inditam, *poſitivique lege Divina*, ut aſſidue eam exerceamus, impoſitam eſſe, ex dictis n II, et ſeqq manifeſtum eſt.

Illuſtratur exemplis obvius.

1 *ad Cor* 2 v 2.

(a) *Verba Seraphici Doctoris ſunt haec a ſent a Belarmino cit.* „Ad hoc, quod aliqua actio ſit meritoria, non oportet, ut quis eam referat actualiter in Deum: ſed ſufficit relatio habitualis. (*per quam veterum more virtualem ſe intelligere, patet ex ſequentibus*) Habitualem autem relationem voco, non quia habeat quis charitatem, per quam ſit habilis ad referendum: ſed quia in primordio operationis illius, vel alterius, ad quam illa ſe conſequenter habet, intentionem habet ad Deum directam. Unde ſi quis intendat propter Deum dare centum marcas et incipit dare, et cogitat de Deo in prima marca, et in aliis non cogitat, nihilominus omnes illae dationes ſunt ei meritoriae, et fructuoſae.„ *En virtualem influxum intentionis in ſubſequas actiones* ab illa *pendentes.* „Si autem opus alterius generis inciperet, oportet, quod intentio renovetur ad hoc, ut opus ſit meritorium.„ *En neceſſitatem* renovandae intentionis ex amore Dei *ante ſingulas actiones* alterius generis, *et a priori non pendentes, nec illi ſubalternas. go manifeſte falſum eſt*, intentionem unicam matutinam totius diei diverſas licet actiones diſparatas *virtualiter meritorias*, *et actiones ex charitate factas reddere. Et quia hanc doctrinam tradunt hic tres nascimi Doctores, a quibus alii non diſſentiunt, ideo* in praxi *ante ſingulas diſparatas ejusdem diei actiones intentionem renovare ſatagamus, ne in vanum laboremus.*

eſt. Igitur ut *profeſſioni*, ac *obligationi* noſtrae reſpondeamus, ſaltem ea *continuitate*, ſicut *artem, profeſſionemque*, ex qua honeſte vivimus, aut vivere deberemus, frequentemus oportet. Secus quod verbis dicimus, moribus, factisque noſtris deſtruimus, et *mentietur iniquitas ſibi.*

Ab exemplo Filii.

XX Alio te exemplo convenio: Conſidera *Filium* aſſidue in conſpectu Patris verſantem: qui etſi *hunc* odio non habeat, nec mali quidquam eidem inferat, uſque adeo tamen frigidus in eum eſt, ut illum totos dies *nec alloquatur*: etſi inſignibus ejus beneficiis aſſidue utatur, nullum tamen in eum gratitudinis, filialisque amoris argumentum exhibet, niſi aliquoties in anno. An tu hunc *pium filium*, aut verius non barbarum, excordemque Schitam dices? et ego te habeam probum Chriſtianum, pium Dei filium adoptivum? qui Deum, Patrem tui amantiſſimum tibi aſſidue magis, quam ſit anima tua intime praeſentem (*in ipſo enim vivimus, movemur, et ſumus*) amoremque ſui a te efflictim deſiderantem integros dies nec amoroſe alloquaris? ſed contentus Eum non offendiſſe, aliquoties in anno amorem tuum adverſus eum conteſtari ſatis eſſe ducas? Apage ipſi naturae, intimoque omnium gentium ſenſui contrariam ſententiam! atque haec paritas ab Officiis Filii Patri debitis, ut ſol terrarum orbem, hanc ſententiam illuminat. Probi Filii has partes in Patrem ſtatuo ab omnibus admittendas I: debet eum et habitu ex frequentatis actibus nato, quin a natura indito, et *affectu actuali* omnibus mortalibus praeferre, praeaeſtimare, atque *in corde habere*, ac Vi hujus intimi amoris actuoſi deſiderare, ut is ab *omnibus* aliis *ametur, aeſtimetur*. II. debet *voluntatem ejus* in omnibus *ſequi*, ut *Patris voluntas* tota *regula ſit vitae ſuae*: ideoque mandata ejus omnia ad amuſſim explere. Debet III eidem *aſſiduos*, ac *per diem ſaepius* repetitos cultus, obſervantiae, pietatis, reverentiaeque filialis *actus* externos exhibere, hisque internum, quo cor ejus plenum eſt, amorem in eum teſtatum reddere: ei gratias agere de acceptis beneficiis, novaque petere, neceſſitates exponere humili ſubmiſſione: erratorum leviorum veniam poſtulare, meliora omnia in futurum ſpondere. *Haec*, ac his ſimilia *ſunt quotidiana* probi *Filii in Patrem* optimum *officia*: quae ſiquis negaret debita *quotidie eſſe*, is ipſa prima juris naturae principia in praecepto IV decalogi fundata turpiter abnegaret. Haec eadem fac in Deum, et legem continuae charitatis adimpleſti.

Actor 17, v 28.

Idem exemplum Filii continuatur.

XXI. Imo Filius frugi ita Patrem *aſſiduo* amat, ut etiam omnes actiones ſuas, quin et *virtutes* ipſas poſt Deum *ad eum* referat, ideoque *eas ponat*, ut Patri ſuo per eas unice placeat. *Ideo temperans*, pudicus, juſtus, diligens, modeſtus, verecundus, moderatus eſt, verbo *ideo vivit*, ut Pater in illo honorificetur. Scilicet motivum *amoris Patris* impellit, urgetque eum ad praeclara omnia, et ad virtutes omnes conſectandas, quia ſcit *placere Patri*. Quod filius Patri per omnia placere volens facit ex virtute ſuperabundanti, id *ſuo modo* a nobis *ex debito* Charitatis expoſcunt Sancti Eccleſiae Patres. Volunt enim omnes actiones indifferentes, quin *virtutes ipſas* caetera *in ſe honeſtas, et ſupernaturales* (quod nemo negaverit Catholicorum recole c I n XXIII: et ad n XXIX not 8, et 9: ac c V n VIII) *ut dignitatem, et altitudinem habeant Charitatis, ex motivo amoris Divini agi* ita, ut timor, triſtitia, fides, ſpes, concupiſcentia boni, et caeterae virtutes charitate inferiores ad *duplicandum* pretium ſuum *praeter proprium ſuum objectum*, motivum etiam habeant *propter Deum*, ſive *adfruendum Deo propter ipſum*, et *proximo propter Deum*. Et quidquid ſic ſit, appellant *Charitatem*, ſive *cupiditatem boni*. *Cupiditatem* vero *malam* vocant *motum animi ad fruendum*

Non ſolum opera indifferentia, ſed et virtutes inferiores ad Deum referendae: illa ut bona: hae ut perfectae ſint.

endum se, vel proximo, vel re quaecunque non *propter Deum.* Ut totidem verbis docet Augustinus L 3 doctr Christian c 7 asserens: *Non praecipit scriptura, nisi Charitatem:* quia inferiores virtutes in se bonas, ut sint meliores, quin optimae, *ex Charitatis motivo fieri praecipit: Nec culpat, nisi cupiditatem.* Quia omnia vitia ex inordinato sui, et Creaturarum *amore* nasci docet. Et ibid L 1 c 36: *Quisquis Scripturas Divinas intellexisse sibi videtur ita, ut eo intellecto non aedificet istam geminam Charitatem Dei, et proximi, nondum intellexit.* L 14 de Civit Dei c 7 ait: *Recta voluntas est bonus amor: et voluntas perversa malus amor. Amor ergo inhians habere, quod amatur, cupiditas est: id autem habens, eoque fruens laetitia est. fugiens, quod ei adversatur, timor est, idque si acciderit, sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor: bona, si bonus.* Asserit ergo Doctorum aquila, charitatem in quantum diversa ratione, ac modo fertur in Deum, variarum virtutum nomen sibi vindicare; certe posse, si virtutes inferiores praeter *intrinsecum* suum motivum ex motivo etiam Charitatis elician ut: *Definitio brevis* (ait L 15 de civit Dei cap 22) *et vera virtutis est, ordo amoris.* Rationem dat epist 52 ad Maced: *nam virtus* (intellige *perfecta, Ordinata*, ut debet esse ex lege Dei omnia ad Charitatem ut *finem* virtutum referri jubentis. cap V n XX XXII) *non est, nisi ordinate diligere, quod diligendum est. Id eligere prudentia est. Nullis inde averti molestiis, fortitudo est. Nullis illecebris, temperantia est. nulla superbia, justitia est.* Clarissime Lib de morib Eccles c 15: *Illud quoque, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Illas itaque quatuor virtutes Cardinales sic definire non dubitem, ut temperantia sit amor integrum se praebens ei, quod amatur. Fortitudo facile tollerans omnia, propter id, quod amatur. Iustitia amor soli amato serviens, et propterea recte dominans. Prudentia amor ea, quibus adjuvatur, et quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse dixerim, idest summi boni.* Idem tract 81 in c 15 Ioan Fructus Spiritus Sancti, quos Paulus operibus carnis opponit, *ex Charitate* oriri asserit. *Nam*, inquit, *quis bene gaudet, qui bonum non diligit, unde gaudet? quis pacem veram, nisi cum illo potest habere, quem vere diligit? quis est longanimis in bono opere perseveranter manendo, nisi ferveat diligendo? merito itaque Magister bonus dilectionem sic saepe commendat, tanquam sola praecipienda sit, sine qua non possint prodesse caetera,* (proxime ad justitiam, et vitam aeternam immediate per se consequendam. Ut in superioribus saepius dictum) *et quae non potest haberi sine caeteris.* Caeterae enim ad Charitatem disponunt: haec illas ultra suam sphaeram amplius dignificat. Ut explicat Lib de Catechiz rudib c 11: *Tunc enim vere est opus bonum* (idest opus *in se bonum* tunc est *optimum*, perfectum extrinsece, et ordinatum,) *cum a charitate jubetur agentis intentio: et tanquam ad locum suum rediens rursus in Charitate requiescit.* Urget igitur praemissis Augustinus, ut *bonas* in se virtutes *ex Charitate* ut *agamus*, Charitate dignificatae perfectae sint, et *ordinatae.*

XXII. Hujus doctrinae Augustinus complures habet Suffragatores. Atque imprimis S Dionysium Areopagitam, vel si quis alius est auctor antiquissimus Libri de Divin nominib c 4: *Propter amorem boni omnia agunt, quaecunque agunt.* S Leonem Serm 3 de jejun: *Duo sunt amores, ex quibus omnes prodeunt voluntates: ita diversae qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus. Rationabilis enim animus, qui sine amore esse non potest, vel Dei amator est, vel mundi. In amore Dei nulla sunt nimia: in amore mundi cuncta sunt noxia.* Consentit Angelicus, qui 1 a q 28 a 2, et ibid q 29 a 2 probat *omnes affectiones causari ex amore. Odium ex amore causari.* Item *omne agens agere quamcunque actionem ex aliquo amore.* *Et aliorum SS Patrum.*

re. Doctor Seraphicus in expoſit Pſ 44 aſſerit: *merito Charitas virtutum regina. Quia virtutis (non ſimpliciter, ſed perfectae, ordinatae) nomen amittit, quae Charitati non famulatur.* In compend Theolog verit L 5 c 26: *Charitas dicitur bonae operationis principium, quia movet ad id. Dicitur medium, quia opera informat. Dicitur medium, quia opera infformat, dicitur quoque finis, quia opera dirigit, et ad debitum finem perducit.* Et in 1 diſt 10 a 1 q 2 in O: *Affectio amoris eſt prima, inter omnes affectiones, et radix omnium aliarum, ſicut dicit Auguſtinus in pluribus locis.* Adſtipulatur Iunior amoris Magiſter S Franciſcus Sales L 1 de amore Dei cap 5 pronuncians: *Non ob aliam cauſam odimus malum, niſi ob amorem, quo proſequimur bonum.* Addamus his Eminent Card Bona Princip vitae Chriſtian p 2 ſſ 38: *Tametſi ſunt alii affectus in homine, omnes ex amore velut fonte proſluunt: et ſi eſt ordo in amore, omnes affectus ordinati ſunt: Si non eſt ordo in amore, in ipſis quoque nullus ordo, ſed perverſitas, et inordinatio eſt.* Additque ibidem: *Virtutem nihil aliud eſſe, quam ordinem amoris: peccatum vero inordinationem amoris viri ſapientes definierunt.*

Errores Bay, et Queſnelli.

XXIII. Omnes hos Doctores Eccleſiae maximos, Virosque Sanctiſſimos Bay, et Queſnelli Praecurſores, aut Succenturiatores fuiſſe, et in Divos effet impium, et in Theologia craſſum. Novatorum illorum triplicem hac in re errorem jam nos cap 1 not ad n XXIX ex probatiſſimis fontibus deteximus, latiſſimaque dedimus diſcrimina evangelicae noſtrae doctrinae ab illorum deliriis. eo Lectores remittimus, ne rerum repetitione taedioſi ſimus. (a) Hic ſolum affirmamus cum Sanctis hactenus laudatis, omnes virtutes Charitate inferiores in *ſuis motivis* aliunde honeſtas, et *ſupernaturales*, ex *praecepto Divino ad Charitatem referendas*, ſive ex *motivo amoris Dei* eſſe eliciendas, ut *praeter intrinſecam ſuam bonitatem diſtinctum meritum Charitatis* conſequantur, ita, ut ſi id non fiat, virtutes quidem illae Charitate inferio-

A quibus plane diſtincta eſt haec Sanctorum ſententia.

Controverſiae in eadem in partem Virtualiſtarum deciſae.

(a) *Breviter meminiſſe earum controverſiarum, quae in hac materia exarſerunt, eſt luce meridiana clarius demonſtrare doctrinam, quam verſamus, a Bajaniſmo puram, illibatamque eſſe. Itaque I Liber inſcriptus:* propoſitiones per Belgium diſſeminatae *de Bajaniſmo accuſavit ſequentem proponem:* actus humanus ſi ultimate in Deum non referatur, ipſo non recto fine malus eſt. *Rurſum circa a 1677 novo examini Sedis Apoſtolicae ſubjecta eſt haec propoſitio:* omne opus, ut plene bonum ſit, et ne venialiter quidem in eo deliquatur, debet ex Charitate procedere, et per ipſam referri ad Dominum Deum. nec enim teſte Auguſtino fructus eſt bonus, qui de radice Charitatis non ſurgit. *utraque tamen vice doctrina haec ex igne examinis pura, immunisque ab omni cenſura exivit. II. Poſtea accuſata eſt apud Sedem Apoſtolicam* Hendrici Denis *Canonici Theologi Leodienſis ſequens aſſertio:* Condemnat lex, quidquid ex cupiditate fit, et conſequenter quidquid non ex Dei dilectione. Quidquid enim fit, aut Charitate fit, aut cupiditate. *Generalis tamen inquiſitio Romana reſcripſit Nuncio Apoſtolico, ſe in illa nihil, quod cenſuram mereretur, inveniſſe. III. Longe fortius urget id, quod per Sedem Apoſtolicam a 1659 Fer 5 die 21 Auguſti ſolenniter condemnata ſit ſic dicta* Apologia Caſuiſtarum *eam praecipue ob cauſſam, quod ſanctiſſimam, atque in ſcriptura, ac SS Patrum traditione fundatiſſimam de* operum relatione *ſententiam* erroris *arguiſſet, atque in* Bajo confixam *eſſe effutire non dubitaſſet. IV. Eandem* Apologiam Caſuiſtarum *a 1658 Vicarii Generales Archi Epiſcopi Pariſienſis praedamnaverant ſequenti cum elogio:* Haec doctrina, quatenus erroris damnat opinionem, quae ſuſti-

inferiores *in se sint bonae*, ac *supernaturales*, *desit* tamen eis *perfectio extrinseca sub praecepto debita*: hoc est dictu: *manent in inferiore gradu virtutum*, et ad *dignitatem Charitatis non assurgunt*, quod tamen ex lege Charitatis *facere operans tenebatur*. Ita discurrunt Merbaesius, Berti, Lujdl, et Schola tota Augustino devota: nec sine urgenti ratione:

Si enim Apostoli monitu *omnia ad gloriam Dei facere debemus*, tanto magis ipsas virtutes inferiores ita operari: *si omnia nostra in Charitate fieri* oportet, etiam *timere*. *credere*, *sperare* ex *Charitate* est necesse. Confer cap III n XXI. XXII. XXIII. ubi amorem Spei, Dei nobis boni, et timorem mere servilem demonstravimus in *amore SUI* fundari: laudabili quidem: (quis enim dicet malum esse poenas justas declinare, se aeternum beatum reddere velle?) sed tamen, si in his Deus *in se* bonus principaliter non respicitur, ex hoc defectu extrinseco inordinato, et imperfecto. id ipsum de omnibus inferioribus virtutibus affirmandum esse colligimus ex 1 ad Cor 13: *Si linguis* *In Scriptura fundatau.*

---

net Christianos debere in cunctis actionibus amare Deum, nullamque esse actionem virtuosam, nisi a charitate imperatam, temeraria est, pluribusque Ecclesiae Patribus injuriosa. *Cui censurae omnes* Sorbonae *Doctores subscripserunt. Eodem a* 1699 *Eminentiss Card de Iason tunc* Dinensis *Episcopus de* eadem Apologia *Apostolico plane Spiritu ita disserebat*: An non est corrumpere omnes Divini istius fontis (*Primi praecepti decalogi*) aquas? immortalis istius lampadis puriores extinguere radios? violatoribusque omnium praeceptorum spondere impunitatem? tueri cum *apologiae auctore*, quod error sit asserere, Christianos teneri ad faciendum omnes actiones suas ex Divini amoris motivo? nullamque esse actionem virtuosam, si ex Charitatis non procedat imperio? *V. Ineluctabiliter concludit id, quod post quinquennium a damnatione Quesnelli*, 1720 *universus clerus Gallicanus* in publicatis elucidationibus *constitutionis* Unigenitus *palam, fidenterque asseruerit Catholicam hanc doctrinam sequentibus*: Obligatio referendi omnia opera in Deum, pertinet ad partem cultus, quem Enti supremo debemus: et ad gloriam, quam ipsi exhibere tenemur. Doctrina, quae tradit istam obligationem, altioribus nititur fundamentis quum in scriptura, tum in traditione, quam ut ferre possimus eam a quibusdam auctoribus impugnari. *Nimis proinde peregrinum in historia litteraria se probaret is, qui post tantas declarationes sententiam de referendis ad Deum omnibus actionibus humanis* in Bajo, *vel* Quesnello *damnatam esse adhuc asserere non dubitaret. Cum ex adverso evidens sit, sententia hac a lumine naturae dictata, a Moyse Deuter 6 promulgata, ab Israelitis* maximae *instar observata, ab Ethnicis ipsis commendata, a Christo postea diligentius inculcata, a Patribus Ecclesiae amplius explicata Jansenium, Bajum, et Quesnellum crasso errore abusos fuisse in eo, quod* Charitatis *nomine* habitualem *tantum, aut* actualem *acrem, et incensam*: Cupiditatis *vero nomine* mortiferam *semper, aut in actus peccatoris* intrinsece *influentem intellexerint. Quorum* abusum *dum damnavit Ecclesia, una veram Catholicam doctrinam Scripturae, et Patrum de actionibus humanis ex motivo* extrinseco, *sive ex* fine verae, *sed non semper* vehementis, *aut* perfectae, *minus* habitualis Charitatis *agendis, atque* ad Deum ita referendis *amplius explicuit, firmavit, constabilivit. Ut vel ex hic allatis declarationibus evidens est. Lemures itaque nocturnos puerorum metuunt attritionistae, dum ab* initiali Charitate *timent Bajanismum; nec clamores illorum plus valent, quam si dicamus: novissimi illi haeretici male intellecta scriptura, et Patribus Catholicam sententiam in praxi* duram, *et* impossibilem *reddiderunt, requirendo semper* perfectam actualem, *aut* habi- *Bajanistae erraverunt excessu.*

linguis hominum loquar, ſi habuero omnem fidem . . . ſi diſtribuero in cibos pauperum omnem ſubſtantiam: ſi tradidero corpus, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Quibus verbis *fidem, eleemoſinam, patientiam* Charitate vacuas nihil prodeſſe ait per Apoſtolum Spiritus Sanctus: non quod *ex objecto ſuo* hae virtutes *honeſtae* non ſint, ſed quod *ſine motivo* Charitatis, *quo agi* jubentur, perfectae, et ordinatae non ſint, nec *meritum Charitatis*, et *proximae* ad juſtificationem *diſpoſitionis* conſequantur. Id demonſtro ad oculum conſideratione duplicis fidei: *operibus vacuae*, et *per Charitatem operantis*. De fide eſt, Fidem *nudam*, et Charitate *vacuam mortuam eſſe in ſemetipſa*. De qua Iacobi c 2 v 14: *Quid proderit Fratres mei! ſi fidem quis dicat ſe habere, opera vero non habeat? nunquid fides ſalvare poteſt eum?* et tamen haec fides *mortua operibus*, in ſe actus *ſupernaturalis*, *honeſtusque* eſt: nam *credere Deo loquenti* (quod fidei natura eſt) actus ſupernaturalis, laudabilisque eſt, quin initium, et fundamentum, et diſpoſitio remota ad juſtificationum eſt dicente Apoſtolo: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: accedentem enim ad Deum oportet credere.* Ut tamen fides *Charitate animetur*, vivat, et operetur, et Iacobus loco laudato inculcat a v 20 exemplo Abrahae ex operibus juſtificati: et omnis Scriptura praecipit. Vide cap XI ad Hebr: ubi Apoſtolus per totum fidem *vivam* eſſe debere operibus Charitatis magnificis exemplis invicte probat. Eodem modo diſcurrendum de aliis virtutibus Charitate inferioribus, Spe, timore Servili, concupiſcentia beatitudinis aeternae. &c. et illas enim in ſe *bonas*, et ſupernaturales ut *optimae*, ordinatae, perfectae, et *proxima diſpoſitio* ad juſtificationem ſint, et *amplius* in illis *glorificetur* Deus, *ut omnia noſtra ex Charitate fiant*, Patres, et Scriptura ex motivo Charitatis agi, fierique jubent. Audiamus Auguſtinum L 15 de Trinit c 18: *Dantur et alia per Spiritum Sanctum munera, ſed ſine Charitate* NIHIL PROSUNT *Quantum ergo bonum eſt, ſine quo ad aeternam vitam neminem bona tanta perducunt.* (go nec ad juſtificationem: quae eſt ſemen aeternae vitae) *Ipſa vero dilectio, ſive Charitas (nam unius rei eſt utrumque nomen) perducit ad regnum, ita, ut ipſam fidem non faciat utilem niſi Charitas. Sine Charitate quippe fides quidem poteſt eſſe, ſed non prodeſſe*, ſuppl. ad juſtificationem, et vitam aeternam *proxime* promerendam. Confer cap I a XV cum notat. et ibi ad n XXIX not XI.

Demonſtratur duplici fide.

Ad Hebr. 11. v. 6.

Clara doctrina Auguſt.

XXIV. Illuſtrantur haec celebri illa doctrina Auguſtini L de Cath rudib. c II: *Tunc enim vere eſt opus bonum*, perfectum, ordinatum, *cum a Charitate jaculatur agentis intentio: et tanquam ad locum*

Attritioniſtae errant defectu.

Nos media via cum Eccleſia imus.

bitualem, *vel* intrinſece in *actus omnes influentem* Charitatem: *ergo ut ab iis quam longiſſime diſtemus, ad opera noſtra* nec initialem Charitatem *extrinſecam requiramus. Non ſic egit Eccleſia: non ſic Doctiſſimi illi Praeſules, et Theologi, quos modo vidimus. Cum his damnemus* in Bajaniſtis *quod nimium eſt. Amplectamur, quod Catholicum, quod facile, quod neceſſarium eſt. Quod niſi facimus, neque in quo conſiſtant* Bajaniſtarum *errores, neque* adverſam eis Catholicam doctrinam *nos intelligere profitebimur cum maximo pietatis, et veri cultus Deo debiti detrimento. Haec ex P Luidl cit diſſ 4 cap 2 § 5. Redi ad cap V, et praecipue ad cap I n XXIX not 5. Ubi ipſe Bajus palam confitetur, ſe in eo capitaliter erraſſe, quod non diſtinxerit Charitatem* Initialem *a* perfecta, *et* habituali. *Nos haec toto opere diſtingvenda contendimus. go a Bajo toto caelo diſtamus. Attritioniſtae initiali Charitati perfectae effectum juſtificationem tribuentes quomodo in hoc puncto ſe a Bajo diſtingvant? ipſismet relinquimus.*

eum ſuum rediens in Charitate requieſcit. En Charitatem et *radicem*, et *finem extrinſecum* omnium actionum, et virtutum, ut ſint debite ordinatae! Et Enchirid c 121: *Quod ita fit, ut non referatur ad Charitatem* (explicante Merbeſio, quem hic ubique ſequimur, *ad Charitatis objectum, et finem*) *nondum fit, quemadmodum fieri oporteret* ex rinſece, *quamvis* ſpectato motivo ejus, quod agitur, intrinſeco bene *fieri videatur.* Ideſt non fit perfecte *defectu finis.* L 2 ad Bonifacium c 9: *Quando timore poenae, non amore juſtitiae fit bonum, nondum bene fit bonum.* Et L 4 contra Iulian c 3: *Per amorem Creatoris bene quisquam utitur Creaturis.* Ex quibus haec demonſtratio ſponte fluit: Auguſtinus ad bonitatem actionum indifferentium, et virtutum inferiorum requirit Charitatem. Hoc lucet ex citatis textibus manifeſte. atqui non requirit ad bonitatem *intrinſecam*, nec requirit Charitatem *perfectam*, aut *habitualem*, nec ſemper *actualem* cum Bajo. c 1 n XXIX not 5 6. go requirit initialem, eamque ſaepius virtualem humanae infirmitati accommodam, ut dixi h n XVI. XVII. Rurſum Auguſtinus L 3 de doctr Chriſtian c 15. De obſcuris, et figuratis ſcripturae locutionibus hanc ſtatuit regulam generalem: *Eas tandiu verſandas eſſe diligenti conſideratione, donec ad regnum Charitatis interpretatio perducatur.* Si hoc *in figuratis locutionibus*, nemo negaverit Auguſtinum idipſum *de actionibus humanis*, et virtutibus omnibus tanto ardentius velle, eas tamdiu verſandas eſſe, quoad *ad regnum*, ad *motivum*, et *finem Charitatis* referantur. Nam ut ait S Thomas a 2 q 23 a 7 ad 2: *In actionibus, qui non fiunt ex imperio Charitatis, deeſt debita ordinatio ad ultimum finem.* Ideo teſtante Eſtio apud Merbeſium Summae p 1 q 8 Charitas *extendit ſe ad actus totius vitae humanae per modum imperii.* Cui ſi non pareamus, actus quidem in ſe fit bene: deeſt tamen ei *Charitatis praecepta perfectio*, ideo *bonum non fit bene*, quia non fit *optime*, *ordinate*, ſive ex Charitate. Si quis haec ad amorem Dei late talem: aut naturalem, vel negativum trahere niteretur, remittimus eum ad cap 1 a n XXII uſque ad XXIX.

Clara mens Auguſtini.

Et Angelici

XXV. Ne quis tamen putet ſibi hic a nobis onus grande nimis Coram Domino imponi, recolat cap V n XL. ubi demonſtravimus, ſolam vitam Charitatis virtualis eſſe vitam ſuavem, dulcem, et facilem. adhaec animadvertat ex Eſtio hic n XVIII relato, obligationi huic facillime prorſus ſatisfieri poſſe per *momentaneam* pene orationem *Gloria Patri*, aut *Pater noſter*: aut *unum ſuſpirium* ex iis, quae n h VI adjecimus: aut per quamcunque mentis ad Deum *propter ſe dilectum elevationem*: item dando eleemoſinam, motum irae comprimendo *ex amore Dei.* &c. Advertant etiam, qui contra haec querelas parant, ad id, quod ex Angelico n hic XV audivimus, *peccatum veniale non contrariari habituali Charitati*, conſequenter *neque ejus praecepto graviter.* Quin mandatum hoc quia ſuave eſt, non ad *rigorem*, ſed *moraliter* duntaxat, et in ſenſu *accommodo* juxta cap 1 n XXVI et not 19 ad n XXIX ibidem dicta accipiendum eſt. Sic dixit Servator Ioan 13 v 10: *Mundum totum in maligno poſitum eſſe*; Quia major pars in eo poſitus erat, eſtque, ut lugemus, hodiedum. Ita ait Lucas de Anna Prophetiſſa c 2 v 37: *non diſcebat de templo, jejuniis, et obſecrationibus ſerviens nocte, ac die:* Quia *frequenter* admodum, et *majori parte* his occupabatur. Ita nos *morali* judicio Deum *ex toto Corde* diligemus, ſi Eum *conſtanti, perpetuaque voluntate* omnibus *creatis* praeferamus: hunc vero habitualem noſtrum in eum affectum *repetitis* identidem ante ſingulas majoris momenti, et a prioribus independentes, diſparatasque actiones, ut hic n XVIII dictum, *amoris* ſignificationibus conteſtemur: inſurgentes concupiſcentiae motus mox

Quam adimplere perfacile eſt.

Praeceptum continuae Charitatis ſenſu accomodo *accipiendum.*

in herba ita reprimamus, ut amor Dei *Cordis imperium*, et *dominium conſtanter* retinere cenſeatur: et ſi interdum levius nos labi contingat, idipſum reſumpto mox novo fervore Charitatis reparemus. His necum mortale, ſed et graviora venialia peccata in hoc genere certo evitabimur. Imo vix leviſſimi venialis arguerem eum, qui cætera hujus praecepti rite adimplendi ſtudioſus unam, alteramve minoris momenti in die actionem nec virtualiter referret. Hoc enim ſaltem evincit ſenſus *accommodus*, et laudati modo ſcripturae textus, juxta quos hoc relationis praeceptum paſſim accurratiſſimi quique Auctores accipiunt. Sed de peccantibus contra virtualem Charitatem agemus hic n XLIV. *(a)*

Illuſtratur paritate a Spiritu S inſparata.

XXVI. Illuſtrantur haec exemplo a Spiritu Sancto nobis indigitato Prov 2 v 4: *Si quaeris Sapientiam, ſicut pecuniam, et ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, et Scientiam Dei invenies.* Sapientem per *Sapientiam*, et *Scientiam* Dei *Charitatem* intelligere nos certos reddit S Fulgentius L 1 ad Monimum cap 28 dicens: *Alia beatitudo non potuit, nec poteſt eſſe* creaturae rationali, *niſi ut agnoſcens a quo non ſolum facta, ſed et rationalis eſt facta majorem dilectionem exhibeat Creatori, quam ſibi. Neque enim ei ineſſe poſſet ullatenus ratio, niſi ei ineſſet Creatoris dilectio. Nec eſt alia, quae VERA ſit, SAPIENTIA, vel intelligentia creaturae rationalis, niſi dilectio Creatoris.* Ergo monitu Sapientis ita debemus diligere Deum, ſicut *avari pecuniam*: adde ſi plura vis: ſicut *ambitioſi honores*, ſicut *libidinoſi voluptates*: ſic. ut *mundani*, et *ruſtici vitae ſubſidia*, ſicut *famelicus panem.* Hi vero, ut triſtis experientia docet, *praecipua vitae, et Cordis parte ſuis objectis deſideratis intenti ſunt*: illa agunt totis diebus: quin et aliud agentes de illis cogitant, illa mente verſant, de iis Conſilia cudunt: Sive quieſcant, ſive vigilent, ſive ſurgant, ſive manducent, ſive quid aliud faciant, affectus illi in eis regnant, et praedominantur; quia illos inſtaurant ſaepe, nutriunt, fovent, augent actu ſaepiſſime, conſervant virtualiter aſſidue. *Hoc fac tu in amando Deo: hunc praedominantem in eum affectum continuo moraliter conſerva, ita*, ut de te poſſit dici: *hic homo praecipua vitae ſuae parte tendit in Deum. Maxima ei cura eſt*

Servire

(a) Quod cap IX not ad n XXVIII ex P Fodor Colaphizatis conſului, non ſcrupuloſe: minus ſuperſtitioſe, accipiendum eſt, quaſi recte quinquies, aut decies eliciendus talibus eſſet actus Charitatis; ſed toties intelligi volo eliciendum, ut ſub ejuſmodi tentationibus praedominium amoris Divini ſartus, tectusque conſervetur, et cordi aditus impugnantium phantaſmatum praecludatur: ſive ut virtualis Charitas Dei continua ſit. ad quod laudatus Spiritus Magiſter decem circiter actus Charitatis in die requirit. Caeterum omnem determinatum *numerum in Sacris fontibus non fundatum reſpuo: ut certo numero Candelas, cruces, Miſſas, aliasque preces ad infallibilem effectum conſequendae ſanitatis, bonae mortis, liberationis ex purgatorio etc. Inſtruendi ſunt, qui talia petunt, vel ſuadent, ejusmodi pietatis officia in ſe bona eſſe, fidem tamen tali numero adhibere Superſtitioſum eſſe, quia nullibi revelatum. cum hac inſtructione poſſunt acceptari ſeptem Sacra continuatis diebus de ſeptem feſtivitatibus Marianis pro ſanitate recuperanda, pro felici partu, vel alia Spe petentis legenda: ſed quia interea occurret et dies Dominicus, et feſta Duplicia, bis legatur Miſſa currens cum applicatione Sacrificii ad mentem petentis. declarante S R C 5 Aug 1662 quoad Miſſas defunctorum. Ex quibus univerſim diſcimus, pietatem fidelium implendam eſſe ſalvis rubricis, et mente Eccleſiae ita, ut nec contra illas quidquam fiat, nec praeter hanc aliquid credatur, vel certo ſperetur.*

Servire Deo: amare Deum: Verbo: *hic homo vivit Deo.* ex quibus *continuitas*, et *facilitas* Charitatis virtualis in plena luce posita est. ut enim avari, ambitiosi, Luxuriosi etsi continuo suis desideratis objectis intendant, id tamen ne dum sine difficultate magna, quin cum voluptate singulari agant; ita jugum Charitatis Divinae tanto Levius, dulciusque experiemur, quanto ardentiori studio in eam curam incumbamus. *Dura laborantibus, miscent amantibus.* ut pluribus dixi c XII n VI. Divine Augustinus L 6 ad Bonf c 16: *Dura sunt omnia sine Te O Deus meus! quoquo versum se verterit anima hominis, AD DOLORES figitur alibi, praeterquam in Te, tamesi figatur in pulchris praeterquam in te: ibi est locus quietis inperturbabilis, ubi non deseritur amor: Hoc tantum scio, quia MALE MIHI EST PRETER TE, non solum extra me, SED ET IN ME: ET OMNIS COPIA, QUAE DEUS MEUS NON EST, EGESTAS EST.*

Hoc argumentum, et alia hic passim relata confirmat sequens thesis a 1686 die 19 Xbris Mechliniae propugnata, et ab adversariis, tanquam Baji Culinam oleret, nullo fructu accusata: *Semper habendus est Deus pro fine ultimo simpliciter: idque per amorem praedominantem moraliter loquendo continuum. Continuo non actu, sed virtute, vel etiam habitu: si habitum cum S Tooma operativum intelligas. qui quamdiu in homine residet, id efficit, ut cogitationes mentis, affectus Cordis, sollicitudines, actiones externae praecipuae tendant in Deum adeo, ut quovis tempore de illo moraliter, tamen vere loquendo affirmari possit: Hic homo praecipue tendit in Deum: vivit Deo: praedominatur in illo amor Dei. idque multo minus impossibile est, quam est impossibile e g. avarum, libidinosum, superbum semper habere pro fine ultimo simpliciter divitias, voluptates, honores: utpote de quibus etiam quum dormiunt, recte affirmamus, quod hic avarus sit, ille superbus: sive quod in hoc praedominetur amor divitiarum, in illo voluptatum, in isto honorum.* Pari successu evanido accusata est sequens propositio Mechliniae a 1688 propugnata: *Quum sub gravi peccato teneatur homo sic vivere, ut possit de ipso vere affirmari, quod semper Credat, Speret, ac diligat: tenetur etiam toties Fidem, Spem, et Charitatem exercere, quoties id necessarium est, ut moraliter loquendo dicatur semper credere, Sperare, diligere.* Lugdl Diss 4 c 2 S 5 n 247. Fidem, et Spem Charitati praeire debere ut *fundamentum*, sine quibus impossibile est placere Deo, nemo in dubium vocaverit. *Ex thesibus defensis.*

XXVII. Adversum doctrinam hanc Sanctorum objicit Auctor Tract Tyrnavien de Poenitent n 104: *Si datur*, inquit, *obligatio omnes, et singulas actiones nostras ex motivo Charitatis Theologicae proprio faciendi, tunc attritio non est actus bonus, et supernaturalis: sed datur talis obligatio:* probatque *ex Deut 6 v 5. Matth 22 v 37. 1 ad Cor 10 v 31. Ad Coloss 3 v 17: atqui*, inquit; *hi textus Clare exprimunt obligationem agendi omnia ex motivo Charitati proprio.* Ergo. Respondet vero n 105 C M. N m. Ad prob Conc Textus, negat m, et ait: In imo textu Deut 6 et Matth 22 duplex praeceptum Charitatis contineri: *affirmativum* scilicet, quo jubemur Deum appretiative super omnia diligere: et *negativum*, quo prohibemur illi aliquid praeferre. Atque ex his alterum quidem semper, et pro omni tempore nos obligare: quia Deo nihil unquam citra gravem Dei contemptum praeferri potest. Prius vero *certis duntaxat temporibus* actus a nobis exigere: quia *assidue versari iis* in hac vita *non possumus*, et aliarum quoque virtutum actus puta: Fidei, Spei, temperantiae, misericordiae, etc exercere saepius obligamur. Duos alios textus (videlicet 1 ad Cor 10, et ad Coloss 3 v 17) quatenus praeceptum continent, *Respondetur iis, quae in tract Tyrnav. hactenus dictis contraria sunt.*

tinent, non plus exigere, quam ut omnes, et singulas actiones nostras *ex honesto quopiam fine, et motivo* agamus. Quia *quidquid hoc modo fit, eo ipso ad Dei, et Christi gloriam implicite refertur*: Cum Christus non solum Charitatem, sed et virtutes alias docuerit, per easque ad finem ultimum fide praelucente tendere nos voluerit, ut patet ex innumeris Evangelii locis, quibus fidei, Spei, misericordiae, Religioni, fortitudini, etc gratia, et gloria promittitur. Haec Cl Auctor. in quibus totus *succus*, et sangvis *attritionismi* compendio continetur: isque nequaquam ex verbo Dei scripto, vel tradito evictus, sed quod consideratione dignum est, leviſſimis rationibus, et nudis assertis obtrusus: quibus urgentissimae auctoritates Scripturae, et PP pro *virtuali continua Charitate* per nos hactenus laudatae non solvuntur, sed eluduntur. Quae dum mente revolvo, incidit illico mihi illud Melliflui Doctoris Serm 15 in Cantica: *Aridus est mihi omnis animae cibus, si non oleo isto* continui amoris dulcis Iesu *infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si Scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum*, et amorem ejus. *Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus*, et Charitas ejus. *Mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.* Quare ne ipse frustra hactenus laboraverim, atque ut et alios ad assiduum, quantum miseris mortalibus licet, dulcis Iesu mei amorem accendam, breviter omnibus ejus propositionibus resumptis satisfacere contendam.

Etsi detur praeceptum continuae Charitatis, virtutes tamen inferiores IN SE non sunt actus mali.

XXVIII. Atque imprimis: *si detur*, inquit, *obligatio omnes, et singulas actiones nostras ex motivo Charitatis Theologicae faciendi, tunc attritio simpliciter servilis non est actus bonus, et supernaturalis.* Concedit hanc M, sive sequelam ejus vir clarissimus: an ideo ut *initiatistas*, et *continuae Charitatis virtualis Defensores* omnes Lutheranos, Bajanistas, Ianseniſtas, et Quesnellianos oblique, et indirecte faciat? hoc ego non puto minus dico de viro doctissimo: cui nota esse debebant ea, quae hoc toto, et cap 1 a n XXII usque ad XXIX cum not inclusive hac in re evicta sunt: et quae aut nos a dictorum Haereticorum erroribus plene vindicant: aut praecipuos quoque Ecclesiae Patres, quorum clarissimis suffragiis constanter laudatis nitimur, ejusdem erroris fuligine aspergunt. quod quia vel cogitare in luminaria Ecclesiae impium est: ideo omissa disquisitione cur Tyrnavienſis concedat dictam *Majorem* suam, ego *eam* ut falsam falsissimam rotunde nego. Tria enim conjungenda hic sunt: I. quod timor servilis, ut omnes virtutes inferiores, in se sit bonus, ac Supernaturalis. (toto cap V et alibi passim) sed quia II. insufficiens est *proximae* in Sacramento dispositioni (ibi) datur item III. praeceptum Divinum *omnia* ex motivo, ac *fine Charitatis* agendi (c 1 a n XXII usque ad XXIX et hic toto:) Ideo timorem quidem servilem *remotam*, et *valde remotam* ad Sacrm poen dispositionem agnoscimus: *proximam* vero *initialem* Charitatem cum Doctoribus ante Tridentinis, et Patribus cap I fuse relatis. Inspice cap 1 n XI: et alios passim ibi: et cap 1 ad n XXIX not 10 ad *4tum*. Quae, et hoc capite dicta *Majorem* Tyrnavienſis saluſſimam reddunt.

XXIX. Pergit vir Cl formando minorem: *sed datur talis obligatio* omnes actiones ex motivo Charitatis faciendi. negat hanc: ego plane adstruo toto hoc capite, et cap I a n XXII usque ad XXIX. An non summis ex fundamentis? Lector aequanimus judex esto. Ita etiam de altera minori, quam concessis allatis Scripturae textibus format, et mox negat, in illis nimirum *textibus Clare exprimi* dictam obligationem. qua de re te ad n hic II. III. IV. XIII compendii causa relego.

XXX.

XXX. Ut vero rationem det negatae utriusque moris propositionis, asserit „in primo textu Deuter 6, et Math 22 *Diliges Dominum Deum tuum, Duplex Charitatis praeceptum contineri: affirmativum, quo jubemur Deum appretiative super omnia diligere: et negativum, quo prohibemur illi aliquid praeferre. Atque ex his ait, negativum quidem semper obligat, quia Deo nihil unquam praeferri citra gravem injuriam potest; prius vero affirmativum* scilicet *CERTIS DUNTAXAT TEMPORIBUS amoris actus a nobis exigit.*„ Haec suapte corruunt ex iis, quae cap I n XXVI ex Angelico didicimus, nempe praeter *negativum*, *affirmativum* quoque *Charitatis virtualis*, non actualis, *continuae praeceptum* Divinum negari non posse. de qua *virtuali* continua Charitate mirum est, quod vir Doctissimus nec mentionem faciat: ut ut illa hoc loco sit lux meridiana; utpote quae omnes difficultates salvat: nec omnino negari potest. Confer hic a n XVII. Ex quibus plane paradoxum manet, quod ait „*affirmativum praeceptum diligendi Deum certis dumtaxat temporibus amoris actus a nobis exigit.*" go frustra clamant SS Patres hoc, et cap I n XXII relati: qui illud Apostolicum: *sine manducatis* - pro *praecepto affirmativo* habent: concordat ibi n XX II Augustinus pro praecepto accipiens illud: *omnia vestra in Charitate fiant.* Iuspice not ad n II hic, et miraberis luniores ab antiquis immensum recessisse. Accedit optima ratio: quaero enim: an ovum ovo similius sit? quam„ haec duo praecepta: *Honora Patrem tuum*: et *Diliges Dominum Deum ex toto Corde tuo.* An amabo te! illud *Honora* non in ridiculum sensum detorqueret, siquis ita exponeret: *Volo a filiis parentes diligi affirmative actibus amoris; verum id quot annis, aut mensibus*, verbo: *CERTIS DUMTAXAT TEMPORIBUS*? Recole h n XX. XXI. XXIII. Quod *in Patris honore tam arctis limitibus circumscripto* non ferremus, quis hoc ferat in praecepto *diligendi Deum ex toto Corde* ad *certa* duntaxat *tempora restricto*? et quae horo Scriptura? qui Patres tradunt Deum *certis tantam temporibus* esse diligendum? quae illa *certa tempora*? quae auctoritas probabilis illa fixit? quis SS PP ita unquam locutus est? Deum nempe certis *tantum* temporibus esse diligendum? erubescamus sine gravi fundamento talia asserere, et fateamur, haec praecepta: *Honora Patrem*, *Diliges Dominum* quoad tempus *indefinita*, *moraliter*, et *in sensu accomodo* etiam ut sunt *affirmativa universalia esse*. Confer h n *XX. XXI. XXII.*

Commentum est, Deum certis tantum temporibus esse diligendum.

Praeceptum Charitatis ut indefinitum semper urget moraliter.

XXXI. Sed hic ego te Vir Cl paucis volo: I: *extra certa illa tempora*, ad quae praeceptum Divinae Charitatis restringis, quid diligit attritionista? vel Deum: vel mundum: vel aliquam virtutem inferiorem: quartum non datur. Si diligit Deum, habeo intentum de Deo continuo diligendo. (nec recurrere licet ad dilectionem *implicitam*, aut *habitualem*, nam has rimas jam nos cap I n *XXIV*, et *XXVI* gravibus auctoritatibus obstruximus) Si mundum, habeo intermedii cuius temporis peccatum dicente Domino: *Nolite diligere mundum. Qui amat Patrem --- plusquam me, non est me dignus.* Si tertium eligas, vel attritionista amplectitur gratiam Dei hanc inferiorem virtutem ad finem suum referendi: cap V n *XX porro quod.* vel negligit. Si amplectatur, virtus inferior mox in Charitatem erumpet, et Deus digne amabitur. et hoc est praecepto. Ut cap V n *XXI.* e *XXII* demonstratum habes. Si vero negligatur dicta gratia inferiorem virtutem ad Charitatem referendi, quia nullus erit *amor Dei*, necessario succedet *amor Creaturae*: nempe vel amor Spei in amore *sui* fundatus: cap III n *XXI. XXII. Sine* suo *extrinseco* destitutus: cap V n *XXII. In se* quidem *bonus* ibi n VIII. Sed quia illabenti affectui peccati *negative* tantum oppositus: ibi n

Aut Deus, aut mundus diligitur absque medio.

IX. X; Ideo nec tentationes ſuperare, nec mandata obſervare ſufficiens: cap XII n V. et VI. In faediſſima vitia cito proruet. Id quod de aliis quoque virtutibus inferioribus a paritate timoris, et amoris Spei affirmandum. quibus aliae inferiores virtutes nec fortiores, nec perfectiores ſunt, utpote fine, ac forma ſua extrinſeca vitio agentis diſtitutae. Si demum ceſſante Charitate extra certa tempora ab adverſariis praefixa ſuccedat *amor Creaturæ* intrinſece *vitioſus*, ſtatuant ipſimet, quantas *hic* ſtrages in anima cauſſabit eo· usque dum reipſa aderit *certum* tempus Charitatis eliciendae. Ratio horum eſt, quia ut cap V n XXIX ex PP demonſtravimus, Homo nequit eſſe *excors*, et nihil amare, ſed ſemper aut Dei amator eſt, aut mundi. Ubi etiam depinximus miſerabilem ſtatum hominis ſub *timore* ſervili. Idem eſt ſub amore Spei, aut aliarum virtutum inferiorum. Longe vero miſerabilior ſub· amore Creaturae illicito. ut per ſe patet. II. *Certa* illa *tempora* amandi Dei penitus ignota erant Auguſtino aſſerenti in pſ 31 1 *non poteſt vacare amor.* et Lib 1 de Doctr Chriſt cap 22: *Dum ait:* toto Corde, tota anima, tota mente, *nullam vitae noſtrae partem reliquit, quae vacare debeat, et quaſi locum dare, ut alia re velit frui.* quid ſit *frui*, diximus cap 1 n XXV. Eadem *certa tempora* ignota erant PP h n XIII, et XXII laudatis.

Praeceptum negativum vel inſufficiens eſt, vel aequipollet poſitivo.

III. Scio praeceptum Charitatis recte dividi *in negativum*, et *affirmativum* duce Angelico, ut vidimus cap 1 n XXVI: ubi *negativum* ſic reſolvit: *Nihil contra Deum faciatis.* At praeter *hoc* docet etiam dari *praeceptum affirmativum* continuae Charitatis, et recte. Nam hoc praeceptum *negativum* prohibet directe tantum *offenſam* Dei. ut ſatis patet. at jura omnia clamant, Deum non ſolum non offendendum, ſed et poſitive honorandum Charitate virtuali nulli tempori, nullis finibus circumſcripto. IV. Teſte Tyrnavienſi *negativo* Charitatis praecepto *ſemper prohibemur Deo aliquid praeferre:* „*cui nihil unquam praeferre poſſumus.*„ Si ita, ergo *eodem praecepto negativo* conſequenter SEMPER jubemur Deum *omnibus* Creaturis *praeferre*; non actu phiſico. quod beatorum eſt. h n XV. go virtualiter. Ergo ipſa notio praecepti *negativi* adſtruit, et inculcat *virtualem continuam* Charitatem. Tanto quidem magis, quia V: Praeceptum Charitatis *negativum* innititur, et æquipollet Divinis his oraculis *negativis: nolite diligere mundum: qui amat patrem --- plusquam me, non eſt me dignus.* quibus praeceptis non aliter ſatisfacere valemus, quam Deum ex toto corde diligendo poſitive: hoc eſt dictu: niſi Deum actibus, et affectibus virtualiter ſaltem continuis amando omnibus praeferamus; cum amor vacare in homine nequeat teſtibus SS PP; ex natura alicujus amoris in corde ſemper praedominantis mox mundum poſitive diligendo Deo praeferemus. quod teſte ipſo Tyrnavienſi *nunquam licet.* Ergo ne Deo aliquid creati unquam praeferamus, *ſemper* Deum *virtualiter* ſaltem affirmative, et poſitive omnibus præferamus oportet. In quo eſt virtualis continua Charitas. Illuſtrantur haec VI ex Cl P Gazzaniga tom 2 praelect Theolog pag 489: ubi ex Angelico in II diſt 40 a 5 a 7 docet, maximi praecepti ſenſum *negativum* eſſe hunc, ne *absque fine otioſe* agamus, et *ne finem operum in Creatis* conſtituamus, ſed omnia *virtualiter* ſaltem in Deum *poſitive*, et *affirmative* referamus. Ex quibus fit evidens, praeceptum *negativum* Charitatis, quod Tyrnavienſis pro vero ſenſu magni mandati Deut 6. et Math 22 obtrudit, vel *imperfectum* eſſe, ſi *directe*, et *in ſe tantum* conſideretur. ut hic III ratione evicimus. vel aequivalere *poſitivo* praecepto *ſemper moraliter*, et *virtualiter* obligante, ſi *conſequenter*, et *aequipollenter* accipiatur. ut mox relatis rationibus demonſtratum dedimus. In poſteriori hoc ſenſu accepiſſe PP magnum dilectionis mandatum patet a n h II. a quibus quia recedit Tyrnavienſis, merito ipſe deſerendus eſt. XXXII.

Falsum est, nos in Charitate virtuali assidue verſari non posse.

XXXII. Sed audiamus rationem, cur Vir Clariſſ reſtringat *affirmativum* amandi Dei praeceptum ad *certa* dumtaxat *tempora*. *Quia* inquit, *aſſidue in iis* (amoris Divini actibus) *in hac vita verſari non poſſumus*. Hoc nos de *aſſiduitate phyſice continua actualis Charitatis* conceſſimus cum D Thoma N hic XV: De *aſſiduitate morali Charitatis virtualis* negavimus n *XVI. XVII.* et paſſim toto hoc capite. Vis in hoc demonſtrationem ad oculum? Princeps Apoſtolorum 1 Petr 4 v 8. *Charitatem proximi continuam* manifeſte exigit: *ante omnia mutuam in vobis Charitatem CONTINUAM habentes*, atqui Charitas proximi provenit a Charitate Dei ut fructus hujus cum eadem neceſſario connexus. ut cap IX n III, et ſeqq clare vidimus. Ergo falſum falſiſſimum eſt, nos in Charitate ut proximi, ita Dei aſſidue in hac vita verſari non poſſe. Secus Princeps Apoſtolorum nobis aliquid impoſſibile inculcaſſet. Idem ſenſus eſt *Eccleſiae*, qui in orat Dom inf oct Corp Xti petit Timorem, et amorem nos habere PERPETUUM. Dom 5 poſt Pent *infunde cordibus noſtris* Divini *amoris affectum, ut* Deum *IN OMNIBUS, et SUPER OMNIA* diligentes. in Lit OO SS: *ut CUNCTA noſtra oratio, et OPERATIO a Te SEMPER incipiat, et per te coepta finiatur*. In off SS Redemptoris *Tibi perpetua Charitate adhaerere*. &c. Ex quibus in oculis Solis manifeſtae falſitatis convincitur et ille, qui ſcripſit, a mente Eccleſiae alienam eſſe *virtualem* Charitatem cupientis tantum, ut *ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad* Dei *juſtitiam faciendam noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, et opera*. ex motivo, et fine extrinſeco Charitatis: *concedo*, hac omniſſa *nego*. Hocet Tyrnavienſi repono ad alteram rationem a ſe reſtricti, ad *certa tempora* amoris Divini: quia inquit, *aliarum quoque virtutum actus puta fidei, Spei, temperantiae, miſericordiae etc exercere ſaepius obligamur*... Non video, fateor, vim concludentem argumenti: *aliarumquoque virtutum actus SAEPIUS exercere obligamur. Ergo affirmativis actibus Charitatis Deum CERTIS DUMTAXAT TEMPORIBUS diligere obligamur*. Priorem propoſitionem cum mox data diſtinctione admitto plane. Sed poſterior qui inde ſequatur? non capio. An enim oro! *aliarum virtutum actus* excludunt actum Charitatis? imo illic ad hanc diſponunt, hanc introducunt cap V n *XIX*. Cur igitur *aliarum ſaepius*? amoris vero Divini actus *certis dumtaxat temporibus* exercere obligabimur? Anne *ſaepius* in *praeparatione*, in diſpoſitione, in *via* detinebimur, certis tantum temporibus ad *terminum* perventuri? Si *major eorum*, ſi Deo gratior, ſi regina, ſi radix, et finis extrinſecus *virtutum* eſt *Charitas*, cap V n *XX*. Cur non hanc prae illis exerceamus ſaepius? imo vero ut caeterae virtutes *Charitate perficiantur*, cap V n XV, finem ſuum conſequantur, *nobilitentur, actus ejus augeantur, meritumque* ſuum *conduplicent, illas* omnes *ex motivo Charitatis exerceri* debere didicimus a Sanctis hic n *XXI. XXII. XXIII. XXIV*. liceat iſtic unicum maximi Auguſtini maximum dictum tract 87 repetere: *Merito Magiſter bonus dilectionem ſic ſaepe commendat, tanquam ſola praecipienda ſit*. Et idem ſent 326: *Tanta eſt Charitas, quae ſi deſit, fruſtra* ad juſtificationem proximam, et defecta finis extrinſeci *habentur caetera, ſi adſit, habentur omnia*.

Exercitium inferiorum virtutum non excludit actum Charitatis, imo exigit.

XXXIII Proſequitur porro Tyrnavienſis: „*Duo alii textus quatenus praeceptum continent*„ (his illos *ad Conſilia* quodam modo rejicit. Sed nos hoc effugium praeclusimus toto hoc, et cap I a n *XXII*: quibus hic addimus: hoc ipſum reſponſum: *illos textus de Conſilio loqui* eſſe in quaeſtione, proinde probandum eſſe. Nos in poſſeſſione ſumus ſenſus litteralis imperativi, Angelici, Auguſtini, multorumque SS Patrum ſuffragio *cap 1 a n XXII*. et *hoc* toto munitis.) „*Non plus exigunt, quam ut omnes, et ſingulas actiones noſtras ex honeſto quopiam fine.*

Textus ſcripturae Charitatem inculcantia intelligi nequeunt de alio honeſto fine.

Honestus hic finis recitur ex Scriptura. Ex tessera S Ignatii.

quopiam fine, et motivo agamus.„ Ergo si hunc audiamus, haec 1 ad Cor 10 v 31: *sive manducatis - - - omnia ad gloriam Dei facite*: et ad Colost 3 v 17: *Omne quodcunque facitis, in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Patri per ipsum*: ex hisque assumpta gloriosissima illa Sanctissimi Patriarchae Ignatii tessera: *omnia ad Majorem Dei gloriam!* in sensu novissimi hujus attritionistae de praecepto hoc significant: *Omnia* ex *honesto quopiam fine, et motivo agamus.* Et quae haec est libertas Scripturam ab obvio litterali sensu (in quo illa semper intelligenda est, nisi absurdum ex eo sequatur ex communi interpretum regula) in hunc arbitrarium nullo praeeunte S Patre, ad scandalum haeterodoxorum majora nostrorum exemplo tentantium detorquendi? audiatur M Augustinus L IV contra Iulian. cap 3: *Dona Dei quum non ad suum referuntur auctorem, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti.* Observet Lector, S Doctorem non dicere. si *ad malum finem referantur*, sed *si ad suum auctorem non referantur Dona Dei, reddi iis utentes malos, et injustos.* Similiter SS Zosimus, et Caelestinus PP docent in Epist ad Episcopos Galliae: *Iure Creationis omnia bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur.* Igitur *honestus iste finis* tract Tyrnav, *et motivum omnia agendi distinctus a Deo* fictitius, et Sanctis Patribus contrarius est. quid. quod in *exercitiis Spiritualibus* a Sanctissimo Patriarcha Ignatio compositis, atque a Summis Christi Vicariis saepius mire laudatis, et commendatis *fundamenti Spiritualis* instar instituti sumus *omnia ad gloriam Dei ex praecepto agendi: nos Creatos esse ad amandum Deum, ad serviendum ei unice hic in via; ad fruendum eo in Patria: Creata omnia media solum esse ad consequendum hunc finem. aliter iis uti abuti esse.* quae omnia exigit ipsa Creatio nostri: *universa enim propter semetipsum operatus est Dominus.* prov 16 v 4. et Isai 42 v 8. *Ego Dominus: hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* et ibid c 43 v 7. *omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam Creavi eum, formavi eum, et feci eum,* v 20: *glorificabit me bestia agri.* v 21: *populum istum formavi mihi: laudem meam narrabit.* Unde Mellifluus Doctor in ps 14 hortatur: *totus ei reddatur amor, - - a quo - nobis est totum - - unde amare possimus.* S Thomas a Villa nova serm in Dom. 17 post Pent eloquentissime intonat dicens: *Illi integrum debes amorem, qui tibi amandi praestitit facultatem. - - - si quam igitur cogitationem, si quam dilectionem alio expendis: si quid aliud cupis, aut sapis: si quid agis, vel meditaris, quod NON IPSE, aut PROPTER IPSUM EST, jure es, et latro. - - illi enim, qui tibi praestitit, ut esses, omnis actus, et operatio tua jure jubetur.* Eandem continuam virtualiter Charitatem nostram erga Deum potentissime urget immensum redemptionis nostrae beneficium. de quo Gentium Doctor: *non estis*, inquit, *vestri: empti enim estis pretio magno.* 1 ad Cor 6 v 19 v 20: *glorificate Deum in corpore vestro.* An *servus emptitius* vivere, et agere potest *ex aliquo honesto fine, et motivo*, et non potius totus quantus Domini sui est? an ideo nos Divinissimo suo sangvine emit sibi Salvator amantissimus, ut *certis dumtaxat temporibus*, eum redamaremus, extra vero *illa certa tempora* totam vitam nostram *honesto alicui fini* a Charitate Christi distincto impendamus? id nec Turca, nec infidelis a dura servitute redemptus sibi unquam persvadebit; minus Christianus. Hinc illa est altissimae considerationis Apostoli sententia: 2 ad Cor 15 v 14: *Charitas Christi urget nos.* quia v 15: *Pro omnibus mortuus est Christus: ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Unde merito exclamat Augustinus, vel quisquis est auctor libri *de diligendo Deo*: *super omnia amabilem te mihi reddit o bone Iesu! ignominiosissima mors, quam sustinuisti, opus nostrae redemptionis. Hoc solum omnino totam vitam nostram, amorem denique nostrum facile sibi vendicat*

Ex Augustino.

Ex fundamentis vitae Spiritualis in Scriptura fundatis.

Asseritur Charitas virtualis titulo Creationis.

Redemptionis.

cat totum. *Totum me liberaſti, ut totum me poſſideres: totum me refeciſti, ut totum me haberes. - - igitur - - vivat jam non mihi, ſed tibi tota vita mea.* Plane conformiter Apoſtolo ad Gal 2 v 19: *Per legem legi mortuus ſum, UT DEO VIVAM: Chriſto confixus ſum Cruci. Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. - - qui dilexit me, et tradidit ſemetipſum pro me!* Haec opinationi Tyrnavienſis refellendae ſufficiunt. Piae ſententiae noſtrae conſentit Apoſtolus Germaniae Petrus Canisius S I magnum decus in ſuo Cathechiſmo *de praecepto Charitatis* ita dehniens: „diligendus praecipue eſt Deus in omnibus, et ſuper omnia, et propter ſe ſolum, qui unum Summum, aeternumque bonum exiſtit; cujus amor, et honor noſtrae tum voluntatis, tum actionis omnis *initium*, et *ſcopus* eſſe debet." Accedit Alphonſus Salmeron ejusdem ſocict. quin Tridentini Conc ornamentum, qui in Epiſt ad Coloſſ tom 15 ſtatuit: „Cum jubemur Deum diligere ex toto Corde, et anima, et mente, quomodo non erit peccatum, ſi omnia opera noſtra in gloriam ejus non referamus?„ Hi ſane *honeſtum illum aliquem finem*, et *motivum* a Charitate Dei diſtinctum recentiſſimi Attritioniſtae ignorarunt, imo pro peccato habuerunt.

Conſentiunt Illuſtres Ieſuitae.

XXXIV. Rationem dat Tyrnavienſis praemiſſae ſuae explicationis: „*quia quidquid hoc modo fit* ex honeſto quopiam fine, et motivo, ut praemiſit, *eo ipſo ad Dei, et Chriſti gloriam implicite refertur, cum Chriſtus non ſolum Charitatem, ſed et virtutes alias docuerit, per easque ad finem ultimum fide praelucente tendere voluerit; ut patet ex innumeris locis Evangelii, quibus fidei, Spei, Miſericordiae, Religioni, fortitudini, &c. gratia, et gloria promittitur.*„ ad hanc collectionem, fateor, artubus omnibus contremiſco! Hae etenim rationes aptae ſunt praeceptum Charitatis penitus evacuandi. Si enim teſte Cl viro I Quidquid ex quopiam honeſto fine, et motivo fit, eo ipſo ad Dei gloriam *implicite* refertur. Si II Chriſtus non ſolum Charitatem, ſed et caeteras virtutes docuit, per easque ad finem ultimum nos tendere voluit. Si III fidei, Spei, Miſericordiae, Religioni, fortitudini, &c gratiam, et gloriam promiſit: ergo, inferet impius, et amoris Dei taedioſus, ergo, inquit, praeceptum Charitatis *non eſt neceſſarium.* nam ſine actuali Charitate et *Coli Deus*, et juſtificari, et vitam aternam mereri opinione attritioniſtarum: go et *Salvari homo* poteſt. Fallor? an non ſic argutabantur omnes illi jam ab Eccleſia rejecti opinatores, qui *hominem nullo unquam vitae ſuae tempore actum Charitatis elicere obligatum eſſe jactitarunt.* Inter quos non eſt utique Cl Cancellarius: admittit enim Deum *certis temporibus* amoris actibus diligendum eſſe. Unde hoc? ex luculentis praeceptis Charitatis. At praecepta illa habentne has, aut ſimiles reſtrictiones *certis temporibus?* nec jotta, nec veſtigium. Quae obſecro! ſunt amandi Dei alia praecepta? quam quae nos h a n II retulimus. At illa et in litterali obvio ſenſu, et ſuffragio Laudatorum hactenus Sanctorum Patrum nequaquam ad *certa tempora* reſtringuntur, quin ad omnia *moraliter* tempora extenduntur. Ut conſideranti coram Deo ſatis patet. Aut igitur fateatur Cl Cancellarius hanc *moraliter continuam* amandi Dei neceſſitatem praeceptis Charitatis nobis impoſitam eſſe: aut patiatur *ab impiis* praecepta illa ad *Conſilium*, et *melius eſſe* trahi. Quo enim jure, aut ratione ampliſſima, et univerſaliſſima, quia ad indefinita omnia tempora lata praecepta illa ad *certa* duntaxat *tempora* a Cl Cancellario *reſtringuntur*; eadem licentia ab aliis *ad Conſilia mandabuntur*: idque armis ipſius viri Clariſſimi, quibus negat hic continuitatem Charitatis. Quibus nequis impiorum ad id, quod nec Cl vir vellet, abutatur, eas hic breviter evertimus. Ajo itaque ad I:

Adverſariorum argumenta apta ſunt evertendi magnum Charitatis mandatum.

Si *implicite ad gloriam Dei* refertur, quidquid *ex* quopiam *honesto motivo*, et *fine* fit, quanto ad *majorem* Dei gloriam referetur, si *explicite*, et *ex motivo*, ac *fine proprio Charitatis* fiat? At ita reipsa fieri debere *moraliter continuo*, hactenus docuimus, potissimum c I n XXIV. XXVI. XXVIII. quibus relationem *implicitam*, et *negativam* rejecimus ut insufficientem.

Charitas prae aliis virtutibus praecepta.

Ad II: docuit utique Christus caeteras quoque virtutes, per easdemque ad finem ultimum tendere nos voluit: Sed *Charitatem* docuit *ut primum, et maximum mandatum*: Et in quo *universa lex pendet, et Prophetae* Math 22 v 40. Apud Lucam ut caeterarum *compendium*: *Hoc fac, et vives.* Apud Marcum c 12 v 33 ut *majus omnibus holocaustomatibus, et Sacrificiis*, consequenter *omnibus* aliis *virtutibus*: et quae sola caeteras omnes perficiat, ordinet, nobilitet. h n XXII, et seqq. Dum ergo Christus caeteras virtutes docuit, tunc maxime *Charitatem continuam* praecipit. redius ad cap V n XV. XIX. XX. XXII: ubi evicimus inferiores virtutes esse *dispositiones* ad Charitatem actualem: hanc vero *finem*, et *formam extrinsecam* illarum perfectivam. Ad III: Fidei, Spei, Misericordiae, fortitudini gratiam, et gloriam quomodo promiserit Christus, probe didicimus ex P Antoine cap 1 ad n XXIX not 10 11: qui cum Bellarmino, Scoto, Bonaventura, et aliis, inferioribus virtutibus negat *vim meriti vitae aeternae*, nisi a *Charitate actuali imperentur*. igitur frustra ait Cl Cancellarius, Christum voluisse, *nos per inferiores virtutes fide praelucente ad finem ultimum tendere*. ut dispositiones ad Charitatem. *Concedo*. ut meritorias vitae aeternae sine Charitate actuali. *Nego*.

Inferiores virtutes merentur vitam aeternam Charitate actuali accedente.

XXXV. Iuvat haec illustrare testimonio elegantissimi Theologi Ioan Vinc Patuzzi Ord Praed Ethicae Christian t 6 Diss 3 de Charit cap 1 n 18: *Quoties*, inquit, *in Scripturis aeterna vita promittitur pauperibus Spiritu, Misericordibus, persecutionem patientibus propter justitiam, subintelligi semper debet ea conditio: quod ILLA IMPERENTUR, DIRIGANTURQUE A CHARITATE: quia* 1 *ad Corith* 13 *dicitur: si habuero omnem fidem, . . . si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; et si tradidero corpus meum ita, ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* et in hanc rem citat Clarissima verba Angelici Praeceptoris 1 2 q 114 a 4 docentis: *Meritum vitae aeternae primario pertinet ad Charitatem: ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a Charitate imperantur.* et in resp ad 3: *Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur. ut dicitur ad Gal 5. Similiter etiam actus patientiae, et fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis haec ex Charitate operetur secundum illud 1 ad Cor 13 si tradidero Corpus meum illa, ut ardeam, Charitatem autem non non habuero, nihil mihi prodest.* ex his plene erudimur, quomodo Christus fidei, Spei, Misericordiae, fortitudini gloriam promiserit: non *in se* ut tract Tyrnav. praetendit, sed si a Charitate imperentur. teste eeim Apostolo: *Finis praecepti est Charitas.* et *omnia vestra in Charitate fiant*, ut sint vitae aeternae meritoria. Itaque praeter inferiorum virtutum exercitium *Charitatis continuum virtualiter* unum nobis Salvator imposuit I: ut magnae Charitatis legi lure *naturae*, et *veteris testamenti* tabulis luculenter omnibus praeceptae nos Christiani in *lege gratiae* non desimus. II. ut aliae virtutes *velut dispositiones* meae *Charitatem Finem suum* assequantur. III. ut meritoriae sint vitae aeternae *mediante forma sua extrinseca* Charitate. Sine qua *imperante* neque *justificationem*, neque *meritum vitae aeternae* consequi *inferiores virtutes immediate* possunt, sed solum *mediante Charitate*: ut haec omnia docent Theologi, quos sequimur, duce Angelico III Dist 30 q unic a 5 ad 1: *Gratia* (habitualis) *facit meritum sicut principium remotum constituens nos in esse Spirituali, sine quo non possumus mereri: sed Charitas est sicut*

proximum

proximum merendi principium. Et a ſent Diſt 40 q 1 a 5 ad 6: *non ſufficit habitualis ordinatio actus ad Deum: quia ex hoc, quod eſt in habitu, nullus meretur, ſed ex hoc, quod actum operatur.* atqui actum ut meritorium operatur Charitas actualis: quia ſola Charitas eſt *principium proximum merendi.* ut modo dicebat Angelicus. ga. Atque ex his plene intelliguntur, et hæc in plena luce collocant illa PP oracula: S Leon M Serm 10 de quadrag: *Nudae ſunt ſine Charitate omnes virtutes, nec poteſt dici in quacunque morum excellentia fructuoſum, quod non dilectionis partus ediderit.* S Gregor M hom 7 in Evang: *Nihil viriditatis habet ramus boni operis, ſi non manſerit in radice Charitatis.* et S Auguſt tract 87 in cap 15 Ioan: *Merito Magiſter bonus dilectionem ſic ſaepe commendat, tanquam ſola praecipienda ſit* (ut aliarum forma extrinſeca, finis, et perfectio) *ſine qua non poſſunt prodeſſe caetera* ad meritum proximae juſtificationis, et vitae aeternae. Una ex his elucet neceſſitas ſumma Charitatis, et excellentia ſuper alias virtutes inferiores. Pateſcit item attritionis formidoloſae nuditas, paupertas, atque omnino miſeranda inſufficientia: Sub qua nempe magnum praeceptum Charitatis continuae negligitur: Virtutes inferiores manent in ſuis *motivis intrinſecis*, nec conſequuntur *motivum*, ac *finem* ſuum *extrinſecum* Charitati, ad quam ex inſtitutione Divina ordinatae ſunt, velut *diſpoſitiones* ad *finem* aſſequendum: pereunt vero, quod maximum eſt, rationem *proxime merendi* juſtificationem, et vitam aeternam, quae mediante Charitate *ut proximo principio* (teſte Angelico hic cit) mereri deberent. Ne quis tamen Calumnietur, nos dum Charitatis neceſſitatem e tenebris attritionis ſtarum eruimus, inferiores virtutes nihili habere, redeat ad n h XXIII, et quae ibi docuimus de fide *mortua*, ac *viva*, idem intelligat de omnibus inferioribus virtutibus *in ſe* quidem *bonis*, ſed ſine Charitate *imperfectis*, *inordinatis*, ad juſtificationem, et vitam aeternam proxime *inſufficientibus*. Ut ex Apoſtolo 1 ad Cor 13 docet hic Patuzzius, imo Angelicus. Atque hæc aſſertis refellendis tract Tyrnavienſis hoc loco ſufficiunt. Sed et elucet ex iisdem, nimium audacem eſſe eum, qui Scripſit: in Bajo damnatum eſſe non eum ſolum, qui ad *actum ſalutarem* habitualem, ſed et qui initialem Charitatem, quae *ſpecialis* ut virtus, requirit. Tamen ut eum cum honore abſolvam, Diſtingvo aſſertum: Si per *actum ſalutarem* intelligat *proxime diſponentem* ad juſtificationem, et ſic *proxime merentem per ſe* vitam aeternam. *Nego.* hoc enim cit SS PP, et illuſtres Theologi ſoli Charitati ut ſpeciali virtuti qua proximo merendi principio tribuunt. quos omnes in Bajo damnatos eſſe, credat Iudaeus Apella. At ſi per *actum ſalutarem* intelligat *bonum, honeſtum, Supernaturalem, REMOTE diſponentem ad juſtificationem, et meritum vitae aeternae* nempe *mediante actuali Charitate*, cujus oſtiaria eſt, *plane concedo.* Taliter enim *actum ſalutarem ſine omni Charitate* agnoſco, et probavi cap V n VIII, et ſeqq timorem Servilem, et per conſequens omnes inferiores virtutes. recole cap I n XXIX n 10, et 11 doctrinam P Antoine.

Charitas habitualis non ſufficit ad meritum vitae aeternae.

Quo ſenſu dicunt PP, inferiores virtutes nil prodeſſe?

Quo ſenſu bonae ſunt?

XXXVI. In aliis haec fere reperio diſſolvenda I: damnatam a Gregorio XIII Baji propoſitionem XXV *Omnia opera infidelium ſunt peccata, et Philoſophorum virtutes ſunt vitia* veram eſſe in hac opinione debere: cum *illis* de hac operum ſuorum ad Deum relatione nihil conſtet. Pariter II: veram fore ejusdem propoſitionem XXXVIII hujus tenoris: *Omnis amor Creaturae rationalis aut eſt vitiosa cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur: aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.* Quid enim nos hactenus inculcavimus aliud, quam omnes actiones noſtras aut amorem Dei eſſe debere, aut Creaturae? Quod in *Baianis*, et *Queſnellianis propoſitionibus* hic, et cap I ad n XXIX relatis

Aliae objectiones.

damnatum

damnatum non obſcure eſt. Idque tanto evidentius, quia III: in noſtra, quam tradimus, doctrina nulla eſt virtus perfecta praeter Charitatem, et alias inferiores Charitate animatas, quae illarum et radix, et motivum, et finis, et perfectio eſſe ponitur. quod non aliud eſt, quam omnes virtutes aut reprobare praeter Charitatem: aut eas cum hac confundere. IV. Fieri non poſſe, ut omnia opera noſtra in Deum referantur. Igitur non videri praeceptum a Deo, qui *impoſſibilia non jubet*. V. Sequeretur in hac hypotheſi eum, qui opera ſua ad Deum non referret, non *venialiter* ſolum, ſed et *mortaliter* peccaturum; quippe qui maximum Dei praeceptum negligeret, ac *finem ſuum in Creatura poneret*. Ideoque VI. Contemnendam putant Sententiam hanc velut infinitorum propemodum peccatorum ſaltem venialium fontem in iis, qui innumeras *actiones ſuas ad Deum non referunt*. Haec fere ſunt, quibus contrariae opinionis Patroni, noſtræ *invidiam Theologicam* conflare conſueverunt. Quae ne animos puſillorum timore, et anxietate concutiant, iſtic ſolice diſſolvenda ſunt.

Infidelium non omnia opera ſunt peccata.

XXXVII. Itaque ad I: multiplex Illius propoſitionis ſenſus eſſe poteſt. 1: omnia infidelium opera ſunt peccata *ex motivo proximo intrinſeco*, aut ex *immediato objecto* ē g parentes colere, pauperum miſeri. quod aperte omnium Confeſſione falſum eſt. II. omnia infidelium opera *etiam indeliberata*. De cujus falſitate rurſum nemo dubitat. III. Omnium infidelium opera ſunt peccata *ex fine extrinſeco* quod non referantur ad Deum. verum hic quoque ſenſus verus non eſt. Nam ex ſaniori Theologia exiſtentia veri Dei *inculpabiliter* ne *breviori* quidem *morali tempore ignorari* poteſt: *Inviſibilia enim Deus per ea, quae fecit*, certo *cognoſci poteſt* teſte Apoſtolo: Et ſi cognoſci nequiret, interea daretur in illis *peccatum philoſophicum*, *quod* eſſet contra rectam *rationem*, et non contra *legem Dei naturalem* invincibiliter ignoratam. Quod eſt damnatum ab Alexandro VIII 1690. Si itaque infideles facile cognoſcere poſſunt verum Deum, poterunt etiam *propter ipſum*, et ad *gloriam ejus* aſpirante Dei gratia, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* Ioan 1 aliquid boni exercere. Ius enim naturae dictat Deum cognitum colendum eſſe. *Quis vero cultus ejus, niſi amor ejus?* Quis ut S Thomas 1 2 q 100 a 3 ad aſſerit: *Duo illa praecepta: diliges Dominum Deum tuum. - - - diliges proximum - - - ſunt prima, et communia praecepta legis naturae: quae ſunt per ſe nota rationi humanae*, ideo ignorari non poſſunt. Ad quæ ſi advertant infideles, et ſecundum cognitionem ſuam operentur, jam eorum opera talia erunt Dei veri amor aliquis ſaltem imperfectus etiam ante aquiſitum *habitum Fidei*; nec proinde erunt etiam *ex fine extrinſeco peccata*. De philoſophorum virtutibus pari modo diſcurrendum, ſicut de infidelium operibus. Ex quibus vides, ex damnata propoſitione praefata nihil contra noſtram argui poſſe.

Ianzeniſtarum Charitas habitualis.

XXXVIII. Ad *II*: quod cap 1 ad n XXIX n 1 et 2 aſſeruimus, Bajum, et diſcipulum ejus Queſnellum nomine *Charitatis habitualem* intellexiſſe, id ex objectae nobis propoſitionis altero membro fit manifeſtum: *aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum IN CORDE DIFFUSA Deus amatur*. Per *diffuſam* enim *in corde noſtro* per Spiritum Sanctum *Charitatem* nemo niſi *habitualem* intelligit. Senſus proinde merito damnatae propoſitionis eſt: omnem amorem Creaturae rationalis aut *vitioſam mortifere* eſſe cupiditatem: aut *diffuſam* per Spiritum Sanctum *in Cordibus noſtris Charitatem habitualem*. At nos tantum abeſt, ut his conſentiamus, ut ex eorum damnatione Charitatem *initialem*, et *inchoatam* per ſe juſtitiam *habitualem* non ejuſ-

fantem, proinde in Sacramento poenitentiae (ut toto opuſculo contendimus) neceſſario admittendam eſſe pro nobis invictum putemus eſſe argumentum. Sed et *continuum* moralem Dei amorem non *habitualem*, (alias peccatores ab obligatione primi mandati exempti eſſent, quod vel cogitare ineptire foret) ſed *actualem*, aut prius elicitum *virtualiter* dumtaxat in actus noſtros influentem, nec *illum* ſemper *acrem*, et *vehementem*, ſed alias ad *juſtificationem diſponentem*, alias *fidelium* Charitatis *accendentem*, alias *conſervantem* illam: alias *tentationem* parvam, vel gravem *ſuperantem*, alias *fervorem* Charitatis ſopitum accendentem, alentem, augentem: verbo *ſubjecto amare Deum volenti aptum, et neceſſarium requirimus.* Caetera pete ex not ad dictum n XXIX cap 1. Ex quibus evincere velle, nos Bajo, et Queſnello conſentire, tanti laboris eſſet, quanti fuit imperite jactare, *Auguſtinum* in *Ianſenio*, *Bajo*, et *Queſnello* damnatum eſſe. Qua de re vide plura apud *Lugd tom* 1 *c* 3 § 7.

XXXIX. Si qui contra nos urgeat ea, que refert tractatus Tyrnavienſis de poenit n 99 in his: *Idem fere viſum eſt Michaeli Bajo, Ianſenio Iprenſi, et Paſchaſio Queſnello, qui in attritione ex ſolo gehennae metu concepta peccatum ſaltem OMISSIONIS neceſſario involvi ajebant hoc ipſo, quod ad Deum tanquam finem ultimum per veram Charitatis actum ei adjunctum non referatur. Lege ſcilicet Charitatis arcte adeo nos ligari voluerunt, ut ad omnia prorſus ex motivo illi proprio agenda ſub peccato teneamur.* Similia habet Honoratus Tournelius de Contrit perfect art 1. Reponimus: Praemiſſis non rite, nec genuine depingi errores dictorum Novatorum: illae enim propoſitiones in aliquo vero ſenſu conveniunt SS Patrum de Charitate continua oraculis: ut patet conferenti cap 1 n *XXII, XXIX*: et hic a n XXI. Neceſſe igitur eſt ex notationibus ad cap 1 n XXIX repetere ampliſſimas diſtinctiones doctrinae Novatorum illorum, et noſtrae, quae SS Patrum eſt: nempe I illi Charitatem *habitualem*, vel actualem *perfectam* ad omnem actum requirebant. cap 1 n *XXIX* not 2 et 3: nos *initialem*, *actualem*, vel *virtualem*. II. illi nullam admittebant Charitatem initialem. not 4 ibi. noſtrae doctrinae character, et ſcopus eſt initialis Charitas per ſe non juſtificans. ibi not 5. III. illi Charitatem *perfectam* componebant cum reatu peccati mortalis. n 3: nos illi remiſſionem peccatorum ſemper tribuimus; initialem ad Sacrtum ut neceſſariam diſpoſitionem requirimus. IV. Illi Charitatem ſuam pro virtute *generali*, et motivo *intrinſeco* omnium virtutum ſtatuerunt ibi not 6. nos pro *ſpeciali*, et motivo *extrinſeco*. V. Illi putarunt abſente ſua Charitate, a dominante cupiditate vitioſa omnes virtutes inferiores corrumpi, et infici. not 6. nos ſine Charitate inferiores virtutes in ſuis motivis *intrinſecis* honeſtas, et laudabiles eſſe contendimus, et demonſtramus. n 8 et 9. VI. illi, abſente ſua Charitate a dominante cupiditate libertatem quoque ad recte agendum everti dogma izarunt. ibi n 7. Quod nos toto corde deteſtamur. Sequitur proinde manifeſte, abeque grandi injuria erga SS Patres, abeque miſerando praejudicio progreſſus Charitatis continuae noſtram ſententiam de Bajana fuligine ſalva ſinceritate, et candore accuſari prorſus non poſſe.

Ampliſſimae diſtinctiones inter Bajanſtas, et nos.

XL. Objectio III corruit ex not 6 ad cap 1 n *XXIX*. ideo diſtingvo priores propoſitiones: juxta nos nulla eſt ſine Charitate virtus perfecta *extrinſece*: quae aliarum radix *extrinſeca*, et motivum *extrinſecum*, et finis *extrinſecus* ponitur. *Concedo*. nulla eſt virtus perfecta *intrinſece* ſine Charitate; quae aliarum radix *intrinſeca*, motivum *intrinſecum*, finis, et perfectio *intrinſeca* ponitur. *Nego* propoſitionem.

Error Baji.

sitiones, et sequelam earum. prior sensus est Catholicus. ut patet ex n hic *XXIII. XXIV.* posterior Bajanus. qui Charitatem virtutem *generalem*, aliarum inferiorum radicem, motivum, finem, et perfectionem *intrinsecam* fingebat. ut cit not 6 claris testimoniis docuimus: ex quo manifeste sequitur, nullam esse virtutem praeter eas, quae Charitate animatae sunt. Nam *bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu* intrinseco: go si fingatur Charitas *intrinsecum* motivum, et *generale* virtutum, hac velut *intrinseco, et essentiali*, et *generali* constitutivo deficiente virtus omnis *intrinsece vitium* erit. at in sistemate Catholico *defectus* Charitatis in virtute inferiori est pure *extrinsecus*. ergo absque Charitate virtus inferior in suis *intrinsecis motivis essentialibus* perfectus est: sed tantum operans peccat in legem extrinsecam Charitatis eam hic et nunc non observando ita tamen, ut hoc peccatum operantis non inficiat *virtutem inferiorem*, utpote *essentialiter*, et *intrinsece perfectam*, sed tantum *extrinseco ornamento*, sive *fine suo extrinseco* destitutam. Ex quo defectu virtus vera, sed extrinsece imperfecta, et inordinata, sive fine suo carens manebit. quod exemplo fidei informis h n XXIII ad oculum patet.

Haec est sententia Ecclesiae ad declinanda deliria Baji, et Quesnelli scitu necessaria: quam apud Merbesium Summae Christianae tom 1 q II sic edisserit Angelicus 2 2 q 44: *Dicendum quod modus dilectionis non cadit sub illis praeceptis, quae dantur de aliis actibus virtutum; puta sub hoc praecepto: honora Patrem tuum, et Matrem tuam, non cadit quod hoc ex Charitate fiat:* CADIT TAMEN ACTUS DILECTIONIS SUB PRÆCEPTIS SPECIALIBUS. Id ipsum affirmat, et uberius explicat 1 2 q 100 a 10 in O: *modus Charitatis non cadit sub praecepto: hoc est dicere, quod in hoc praecepto, honora Patrem, non includitur quod honoretur Pater ex Charitate, sed solum quod honoretur pater. Unde qui honorat Patrem, licet non habeat Charitatem, non efficitur transgressor hujus praecepti: etsi sit transgessor praecepti, quod est de actu Charitatis. Propter quam transgressionem meretur pœnam.* Hæc Divus Thomas; qui continuat ibidem in Resp ad 2: *Sub praecepto continentur, ut diligatur Deus ex toto Corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum: et ideo praeceptum Charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum: Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex Charitate honorare; non ex vi hujus praecepti, quod est, honora parentes: sed ex vi hujus praecepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo.*

Charitas virtus Specialis.

Mens Angelici clarissima.

Motivum Charitatis ad alias virtutes EXTRINSECUM, et Speciale, non intrinsecum, aut generale.

XLI. Ex quibus sole clarius est, virtutem Charitate inferiorem habere debere *duas* radices, motiva, et fines: unum *intrinsecum virtuti*: quia honestum est evitare pœnas, proximum juvare, mori pro patria, parentes colore. &c. Alterum *extrinsecum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde*, consequenter omnibus actionibus tuis *actu*, vel *virtute*. Vi prioris finis *intrinseci* virtus Charitate inferior in suo genere est laudabilis, et Supernaturalis, etiam deficiente *secundo*. Quia habet finem suum *intrinsecum*. Unde inferiores Charitate virtutes non sunt *in se* vitia, nec vitiosa. Accedente vero altero fine *extrinseco bonum in se*, ut ait Augustinus, *fit bene extrinsece* etiam, satisfaciendo nempe legi *extrinsecae speciali* Charitatis: *Diliges Dominum*. Cui si non obtemperet operans, omittendo hunc *extrinsecum* finem, ipse quidem peccat in legem specialem *extrinsecam* Charitatis: opus tamen ipsum non inficit, quia defectus iste non se tenet ex parte *actus*, sed ex parte *agentis*. Sive quod idem est: *Charitas non est generale motivum, et finis, aut modus intrinsecus omnium virtutum.* Alias omnes virtutes *in se, intrinsece* non distingverentur *sive inter se*, sive *a Charitate*, sed virtus sola esset Charitas.

Hanc

Hanc distinctionem *motivi generalis intrinseci*, et *Specialis extrinseci* si Bajus, et Quesnellus ex D Thoma secuti fuissent, in errores n XXXVI relatos non impegissent: ut consideranti patet. Si enim timoris motivum, modumque generalem, et intrinsecum statuat quis Charitatem Dei, *hac* velut intrinseco, et generali requisito timoris deficiente, timorem ipsum necessario *intrinsece* vitiosum dicere debet. At si nobiscum statuat timori in se intrinsece ex suo motivo honesto *extrinsece* dumtaxat, ex *praecepto speciali* superaddi debere *speciale motivum Charitatis*, hac etiam deficiente, illum intrinsece honestum manere oportet. *Quae distinctio omnia Salvat.*

XLII. Hac item distinctione satisfit Cl Tournelio, qui de Contrit perf art 1 laudato ait: *putidam esse arguttam* (quem terminum P Lujdl *temerariam censuram* esse asserit: nos privatorum scomatibus non movemur) *omissionem relationis ad Deum NON cadere in ACTIONEM ipsam, sed in OPERANTEM.* Cur? rationem dat vir Doctissimus: quia in nostro sistemate *actio bonitatem suam desumit non tantum ex objecto, officio, et fine proximo, sed* etiam *ex relatione ad finem ultimum. Qua relatione deficiente actio verum peccatum est, quo praeceptum Charitatis violari* (ejus phrasi) *Clamitamus.* (a) Respdetur: actio bonitatem suam *intrinsecam* desumit apud nos ex objecto, officio, et fine suo proximo tantum. Ex *relatione ad finem ultimum* desumit *extrinsecam*, et *specialem AGENTIS bonitatem*: ergo deficiente relatione actio ipsa *Eadem distinctione satisfit Turnelio.*

(a) *Domino Turnelio considerandum hic exhibemus doctrinam Illustrissimi* Brancati de Laurea, *postea Cardinalis dignissimi: qui in censura operis P Ægydii Gabrielis apud P Lujdl Diss 4 c II § 6 n 229 probavit hanc dicti auctoris propositionem:* omnis amor in hoc statu secluso Salvatore *amando* est malus. *Rationem dat Illustrissimus Theologus distinguens* actum *ipsum ab* omissione *relationis:* qui, *inquit*, non refert in Deum actum caeteroquin bonum, equidem peccat QUATENUS PRÆCISE NON REFERT: non tamen quatenus exercet talem actum. Adeoque DEFECTUS NON RELATIONIS NON VITIAT IN SE IPSUM ACTUM: quare defectu praecise istius relationis non potest dici malus actus *in se intrinsece*, sed agens omi tendo debitam relationem omissione extrinseca peccat. *Ita Eminentissimus Cardinalis dissolvit nodum Gordium Honoratissimi Canonici Turnelii. et recte: Nam* iter *ut ut in se optimum*, terminus *non est. atqui actus fidei, et Spei, aliarumque inferiorum virtutum sunt* iter, *et* gradus *ad Charitatem. Ergo eliciens actus illos recte agit;* sed non ulterius progrediendo, *ut deberet* ad Charitatem hac *omissione peccat: quae tamen omissio Charitatis intrinsece actus inferiorum virtutum non vitiat. Nam* media *sunt bona, etsi* finis *non sequatur.* Fundamenta *sunt bona, licet* domus super aedificatio *omittatur. Miserandum vero est, nos saepius in fidei, et Spei actibus, quasi in* via *ad Charitatem remanere: raro vero ad ipsum* terminum Charitatis *pervenire: ad quem fidei, Spei, hincque nati timoris, amorisque concupiscentiae actus nos identidem perducere reipsa deberent, ut* viae, *sive* dispositiones *ad Charitatem manuducentes. His satisfactum puto Cl Turnelio: A cuius hic opinione quanta sit recedendi necessitas, audiatur Theologiae Augustiano Thomisticae nulla oblivione delendum decus Vincentius Contenson* Theolog. mentis, et Cord *tom V Diss 2 cap 1 ita ad divisionem animae de gravissima hac materia differens:* quis crederet? in illas extremae calamitatis extremas tenebras prolapsuram unquam humani ingenii non omnino extinctam lucem, ut - - in Deum omnia referendi necessitatem negaret: QUO SINE VIRTUTES IN VITIA DEGENERANT. *Turnelio opponitur Card de Laurea.* *Et Vinc Contenson.*

ipsa *intrinsece* peccatum non est, sed AGENS tantum *peccat Specialis* praeceptum *Charitatis omittendo*. Et hoc admittere tenetur D Tourneli: quia Angelicus expresse docet, *eum, qui honorat Patrem sine Charitate*, non peccare in legem *de honorandis parentibus*. Ergo ejus *actio qua* hic et nunc *honorat patrem, omittendo Charitatem*, in se non est mala *intrinsece*. Peccare tamen *in legem Charitatis*. ergo *extrinseca Specialis relationis omissio est mala*: *non ipse honor parentum*, Sic loquimur, sic ubique in hac materia intelligi volumus.

Et Iansenio.

Iansenius quoque L 5 de gratia Christi c 21 a Tournelio de Contrit perfect a 1 relatus ii timoris *intrinsecum* motivum *Charitatem* esse voluit, aut hanc *generale motivum omnium virtutum intrinsecum*, frustra timorem honestare studuit. Si *extrinsecum* tantum, et *Specialem* in hoc non fuit haereticus, (sed in quinque suis propositionibus, eorumque necessariis sequelis) cum haec sententia in terminis, ut vidimus, sit D Thomae. Cujus tam est *Angelica* doctrina, ut nullam ejus propositionum hactenus ab Ecclesia reprobatam esse constet. Quin in Concilio Tridentino summam, ac praecipuam ejus habitam esse rationem, ac venerationem, jam initio operis observavimus. Profecto in arce veritatis *Romae*, fovente, et protegente multorum posteriorum saeculorum facile Doctissimo Pontifice Maximo Benedicto XIV scribebat Cl Berti, qui tom 4 L 23 c 18 ait: *Dum Augustiniani Theologi propugnant, in timore servili esse aliquod vitium, quod se tenet ex parte non* TIMORIS, *sed* TIMENTIS, defectu omissionis Charitatis ut exposuimus, *nec latum unguem distant ab Augustino, praecipuisque Scholae luminibus*. Testimonium hoc verum esse constat ex dictis hic n XXI. XXII. XXIII. XXIV. cap I n XXVIII. XXIX. Ex quibus confit, palam halluciari, aut calumniari eum, qui scripsit, *Bertianos* (sic per contemptum vocat *piae hujus doctrinae* studiosos a mox memorato recenti, sed cetera nobilissimo Theologo, qui Sententiam

Sententiae nostrae Patroni Nobilissimi.

Haec non credebam, quis enim est tam caecus, ut non videat, quod sicut in quolibet humanae vitae instituto finis primum, ut ratione sui quaeritur, et impense praeligitur, ut cetera deinde eligantur, quae in finem illum referantur: ita in humanae, et praesertim Christianae vitae aconomia prius diligendus est totius humanae vitae finis, qui utique nec est, nec esse potest alius, quam Deus: ex cujus deinde amore cetera volumus, et operamur. Certe FACILIUS EST NEGARE DEUM, QUAM ILLI SEMEL AGNITO OMNIA OFFERRI NON DEBERE AFFIRMARE. Ridiculus foret ille dialecticus, qui contra omnes logicae, et Communissimae rationis leges Conclusiones vellet sine ullo praemissarum assensu derivare. At longe absurdior est Theologus, qui opera absque ullo in Deum amore esse immaculata pronunciat. quum sicut se habet primum principium in Speculativis, ita se habeat finis ultimus in operabilibus. Certe si Theologia Deum solum quaerit, et aliud quodvis objectum ne quidem inspicere dignaretur, nisi in illo Divinus quidam ordo, ac velut radius quidam eniteret, et ideo objectum adaequatum Theologiae est solus Deus: quo pacto suo nomini, et verae Theologiae non renunciant, qui opus non in Deum ordinatum posse bonum esse testantur? *Haec illustris Theologus Contenson. Ex quibus et Sententia nostra plurimum confirmatur, et in quantis hactenus tenebris Theologicis fuerimus, qu haec ignoravimus, demonstratur. Atque utinam a modo mentis oculos ad tantam lucem aperiamus omnes!*

Necessitas piae sententiae nostrae.

nam hanc revera Auguſtini, et Doctoris Angelici, ut ex dictis patet, plurimum illuſtravit) *aſſerere cogi*, et reipſa aſſerere, metum ſervilem omni Charitate vacuum peccatum eſſe: quod a Tridentino ſeſſ XI can VIII anathemati ſubjectum eſt, pernego inconſideratum aſſertum: Nam ſi peccatum non eſt ex Angelico honorare parentes ex lege ſola de honorandis Parentibus; nec erit peccatum timere Deum, *qui poteſt mittere in gehennam:* Licet uterque horum ex eodem Angelico peccet omniſſione extrinſecae legis actum ad Charitatem referendi.

Impleri poteſt hoc praeceptum: varie tamen.

XLIII. Ad IV ajo: Factum eſt, fitque hodiedum a multis. Ergo fieri poteſt. Fieri poteſt ab iis, qui ſe totos Deo amando conſecrarunt, et maximum hoc praeceptum a Moyſe, et Salvatore propoſitum, a PP inculcatum ſerio Cordi ſumunt. At qui volunt *Claudicare in duas partes*, qui volunt *dividere Cor ſuum* inter Deum et diabolum, in illis impotentia eſt conſequens, ex ſua malitia reddita talis. Confer cap XII n VI. VII. hic n XXV. XXVI. Quorum iniquitati ſuffragari, et conſentire maximum in continui amoris Divini legem Clarem, et manifeſtam piaculum nobis duceremus. Attamen ut ſolatium, et lenimen praebeamus iis, qui *a veritate auditum non avertunt*, oportet varios gradus diſtingvere hominum, juxta quos hoc mandatum impleri poteſt, et debet: alii enim ſunt *incipientes*, alii *proficientes*, alii *perfecti* in *amore continuo* Dei. (Nam qui nullo ex his loco ſunt, aut eſſe volunt, illis decreta eſt ſententia Pauli: *Qui non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema*) omnes hi amant Deum *ex toto Corde*: ita nempe, ut in legem hanc graviter non delinqvant, quia *vere*, ac *proprie*, *moraliter* loquendo Deum habent *pro fine ſuo ſimpliciter*, et in ſenſu *accommodo*, poteſtque de iis dici: *illos Cor habere in Deo*, quia *praecipua Cordis*, et *actionum* eorundem *pars ad Deum dirigitur*. Implent tamen *diverſo modo*: *incipientes* enim implent eandem legem cum *multis venialibus*, et interdum cum *mortalibus*. Qui tamen ſi *ſtatim* reſurgant, et amiſſum Charitatis habitum, interruptosque actus *mox* novo fervore reparent, adhuc in ſenſu *accommodo* dicuntur amare Deum *continuo*. Quia *nec diſceſſiſſe cenſendus eſt illico rediturus*. Alii, *proficientes* nimirum, cum paucioribus: *perfecti* vero adhuc cum rarioribus *venialibus* implent. In Coelo denique implebimus omnes perfecte. h n XV. Ad quam Coeleſtem perfectionem omnes tendere tenemur, dum *peregrinamur a Domino*, *inchoando* hic dilectionem Dei *moraliter continuam*, etſi imperfecte, de quotidianis noſtris aſſidue veniam implorando, et exilii noſtri *amaritudinem* ex lapſibus noſtris triſte lentendo, et quotidie in amando Deo amplius progredi conando. Sunt haec Auguſtini Lib de perfect iuſt cap ult: *In juſtitia multum in hac vita proficit, qui quam longe ſit a perfectione juſtitiae, proficiendo cognovit. Aliud eſt tenam nondum aſſequi Charitatem, aliud nullam ſequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamvis longe minus amet Deum, quam eum poteſt amare conſpectum, nihil tamen appetere illicitum. Sicut etiam in his, quae adjacent ſenſibus Corporis potest oculus nullis tenebris delectari, quamvis non poſſit in fulgentiſſima luce defigi.* Haec infirmitatem noſtram conſolari poſſunt: ſed et praetenſam hic frigidorum *impoſſibilitatem* retundunt *manifeſte*. Profecto aque Divinum praeceptum eſt *declinare ab omni malo*, *vitare omnia venialia*: et tamen quia illa omnia non ſimul *collective* proponuntur nobis, ſed *diſtributive* per certa temporum intervalla, ideo nemo excuſationem obtendere poteſt, ſe haec, illave venialia in *particulari* evitare nequiviſſe, quod forte omnia *collective ſumptim*, ut Scholae loquuntur, evitare *moralem* aliquam *impoſſibilitatem*, humanam infirmitatem, ſi tantum *vellet*, quantum

tum cum gratia Dei *posset*, non excedentem importare videantur. Ita discurrimus in praesenti materia de continuo morali, et virtuali amore Dei. recole et cap 1 n XXVII.

XLIV. Ad V. Quamquam vel ex modo dictis satis colligi possit, qui venialiter, qui mortaliter contra hoc praeceptum delinquant, Claritatis tamen causa pono hanc propositionem:

Contra id alii peccant venialiter.

QUÆLIBET actiones nostrae deliberatae referendae sunt ad Deum actuali, vel virtuali amore sub veniali: PRÆCIPUÆ tamen, ex quibus multae aliae pendent: ita et *majori parte OMNES sub mortali. Prima* pars de *quibuslibet* actionibus particularibus patet ex natura hujus legis: quam strictum *praeceptum*, non *Consilium* esse evicimus cap I a n XXII, et hic a n II. ergo saltem sub *Veniali* obligabit, quae est natura omnis legis. Sane qui hanc, illamve actionem particularem nec virtualiter refert ad Deum, non diligit Deum ex *toto Corde, virtute, fortitudine*: ut jubetur. go saltem venialiter peccat. Imo talis aut nuncum vitiose, aut se, aliuve extra Deum inordinate diligit: ut demonstravimus h n XXXI. Innumeras item gloriae emerendae occasiones negligit. h n XXXV. (*a*) illustratur ex opinione Adversariorum, quorum multi docent, non dari actus *in individuo* indifferentes: qui in eo solum a nobis discrepant, quod actus inferiorum virtutum ex praecepto ad Charitatem referendos negent. Sed contrarium didici us a Sanctis hic a n XXI, et s qq. Singulas tamen actiones distributive ad Charitatem referendas sub *veniali* dicimus: quia qui unam, alteramve, quin in particulari plures actiones non refert ad Deum, *aliis* in comparatione illarum longe pluribus relatis, adhuc in sensu *accomodo continuo* amat Deum, *Cor* secundum *praecipuam* ejus *partem* habet in *Deo fixum*. Ut h n XXV declaratum pluribus est. Et patet in *justis*, qui nævos suos non referunt ad Deum, nec possunt, tamen permanent justi, in Deo suo fixi,

---

Ingens meritorem sege in continua Charitate.

(*a*) *Ex adverso autem in hac Sanctorum Theologia Immensa nobis aperitur meritorum, et Coronae caelestis augendae, ornandaeque occasio. nam ut ex Angelico hic n XXXV didicimus.* Iustus *cum Charitate* virtuali *omnibus actionibus suis meretur augmentum gloriae. Haec sola ratio impetrare a nobis debet sollicitum* continuae virtualis Charitatis *studium*: *ut sit singulis actionibus: e. g. quater millibus circiter, ut Medici perhibent in die venae motibus in justitia, et ex impulsu Charitatis virtualis factis totidem per singulos dies gloriae aeternae augmenta consequamur: eum sterili, et otiosa habituali Charitate (si socordia nostra talem hanc faciamus) ne unum quidem gradum Coronae nostrae adjecturi. Praeclarissimam enim vero merendi occasionem! quam ab aliis ignorari, ab aliis negligi, ab aliis etiam* Impugnari, *Sanguineis quoque lacrimis est deplorandum! audiant* hi *terribilem Samuelis Sententiam de Filiis Heli pronunciatam* 1 *Reg* 2 *v* 17: Erat peccatum puerorum GRANDE NIMIS CORAM DOMINO: quia retrahebant homines a Sacrificio Domini *tribus nempe Supellativis*: grande, nimis, Coram Domino *expressum voluit Spiritus Sanctus eorum peccatum, qui* retrahunt homines a Sacrificio Domini *non tam olim taurorum, et in se* egenorum elementorum, *quam hodie Cordis, Spiritus Contribulati, Continuaeque in Deum Charitatis. Quod Hodie ex dictis assiduum moraliter esse debet nostrum omnium suavissimum Deo Sacrificium: quam proinde Sanctorum doctrinam impugnari ab iis, qui eam modis omnibus urgere deberent, esset* peccatorum grande nimis Coram Domino: quia retrahunt homines a Sacrificio Domini.

xi, et *Dei amatores* modo humano *assidui*. Quare a viris hujus doctrinae studiosis haec regula traditur: *Deum habendum esse pro fine ACTIONIS singillatim, et distributive particularis sub VENIALI: pro fine AGENTIS majoris partis, vel collective omnium actionum SUB MORTALI.* quia in hoc, non illo casu graviter negligitur magnum Charitatis praeceptum. De quo mox. Interim

XLV. Altera pars propositionis nostrae erat: *praecipuas, insigniores*que actiones illas, etsi in se singulares, ex quibus tamen *multae* subsequae *moraliter pendent* (ut electio status, aut electi mutatio, novi honoris, et officii prenatio, longi itineris, arcui laboris susceptio, belli denunciatio, vel admissio, pacis confectio, et reliqua similia) ad Deum *sub mortali* referendas, sive fine amoris, et majoris gloriae Divinae decernendas esse. Quia in talibus actionibus *moraliter* continentur, ex iisque pendent *innumerae* deinceps *sub sequentes* actiones: sed hae debent ita referri, ut mox videbimus, ergo et id, unde illae pendent. Quod praestitit Servator exemplum nobis praebiturus ante electionem Discipulorum teste Luca c 6 *pernoctans in oratione Dei.* Sed et Paulus ad Philipp 4 inculcat: *nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.* q d: De nulla re, de qua deliberatis, anxie sollicite sitis, quasi Divinae providentiae diffidatis; sed confugite ad orationem, et Dei voluntas vobis innotescet, si *Deo vestrae orationes, obsecrationes*, et gratiarum actiones *innotescant.* Oratio enim est Sanctorum desideriorum ad Deum elocutio. Etsi enim sciat Deus necessitates nostras, vult tamen peti, orari, ut Pater a filiis. Hoc quia non fecerunt Judaei ab Assyriis bello pressi, ab Ægyptiis opem implorantes amare reprehenduntur ab Isaia dicente: *Vae filii desertores Dei! ut faceretis Consilium et non ex me: ut ordiremini telam, et non per Spiritum meum. Ut adderetis peccatum super peccatum. Qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum, et os meum non interrogastis. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem.* (a) Quam grande vero debeat esse negotium, quod ab amore Dei *sub mortali* sit inchoandum? prudentum Consilio est decernendum.

Alii mortaliter.

Isai 30. v 2.

XLVI Tertium membrum propositionis n hic XLIV assertae est: *Omnes, majori parte actiones Christianas sub mortali* esse *ad Deum referendas.* Enimvero authoritatibus Sanctorum cap 1 a n XXII, et hoc toto Laudatis in conspectu Dei rite perpensis nemo negare valet, gravissimas Dei amandi Leges, ex quibus *universa Lex pendet, et Prophetae*, ad mediocrem saltem amandi Dei diligentiam adhibendam sub mortali obligare. At, qui *vitae majoris partis* actiones Deo negat, consequenter *fere nullas* ad eum refert, is gravissimas illas Leges nullo

Sub mortali tenemur vitae majoris partis actiones ad Deum referre; amorique Dei consecrare.

(a) *Ex his rationibus Merbesius tom 1 q 9* inter tempora amori Divino destinata *ponit*, quum magni momenti negotium aggredi necesse est. *Quod vero amabo te! majus, grandiusque negotium vel cogitatione fingi potest, quam dum peccator cum Deo suo pacis, et reconciliationis perseverantis consilia meditatur? Igitur hoc potissimum grande justificationis rite peragendae negotium; ex quo Salus nostra pendet, ab amore Dei est inchoandum, et terminandum. Nae admodum ridiculum se se praeberet, quis quis amicum olim suum timendo, non amando velle sibi reconciliatum. Sed quod ridiculum est in humanis, tremendum est in Divinis: ne non amet non amatus: et ne inimicus maneat, cujus paenas solum timet, ac fugit, non bonitatem amat attritionista servilis!*

nullo loco habet: nec Deum *statuit pro fine* suo *moraliter*: quin *divisum* habet *Cor suum*: *mundum diligit*: Creaturis *fruitur*, *inhaeretque*: nec *quaerit* Dei *dilectionem* sicut *pecuniam*, et sicut *thesauros*: *Amat Patrem*, *et Matrem plusquam Deum*. Ergo aeternae veritatis oraculo non est Dei amore, et amicitia dignus: quia meliori parte vitae suae *post concupiscentias suas abit* contra mandatum sapientis Eccl 18 v 30: et cui Deus in comparatione Creaturarum (horresco eloqui) *vilis* est, nequicem illis *aequalis*! Qui item non *quaerit primum regnum Dei, et justitiam ejus*, ut praecipitur Math 6 v 33: Nec *propter hoc facit omnia, quaecunque facit*, ut vult Augustinus L 12 de Trinit c 14. Ad haec si majori parte actiones nostras Charitati Divinae Consecrare *sub mortali obligati non sumus*, fas erit Christianis, quibus praeceptum est: *hoc fac, et vives, praedominante affectu* omnia alia, quam Deum *majori vitae parte* diligere: et *partem aliquam dumtaxat* in Deum referre. *Partem* enim tantum refert, qui *majorem partem* actionum suarum non refert. Fas inquam erit *majori parte Cordis* perituris, temporalibusque bonis consectandis inhaerere: dumque aliis cornutis plane peccatis se se non obstringent, rectissime se agere censebunt, *majorem partem temporis* lucris captandis, honoribus aquirendis se se impendendo: aut si horum nihil forte deest, otio, honestisque mundi judicio recreationibus, lusibusque tempus perdendo. Atque in hunc modum innocens erit *agricola*, *opifex*, et *mechanicus* omnis, qui totis diebus Dei immemor ideo dumtaxat laborat, sudat, et alget, ut sibi, suisque honeste provideat. Innocens erit *mercator*, qui assidue animae oblitus vivit, die nocteque in id incumbit, ut ampliores secundum mundum licitas congerat divitias. Innocentes erunt *divites*, *nobiles*, et *magnates* illi, qui vix Dominicis, Festisque diebus tempus habent ultimo in meridie Sacro audiendo; reliquum vitae *ftertendo*, *nihil*, *aliudve agendo*, *ludendo*, *deambulando*, *alios invisendo*, reciprocasque *visitationes recipiendo*, *edendo*, *bibendo*, nempe *secundum caracterem suum*, ac *usum Saeculi vivendo* vitam suam traducunt. Si enim actiones horum omnium *actu*, vel *virtute majori parte ad Deum referri non debent*, nihil erit in eis tota fere vita, quod grave reputetur: Licite *appetitus naturalis actibus suis tota moraliter vita praefruetur*, inhaerebitque. Igitur *actiones pleraeque Christianorum* (quorum *conversatio* monitu gentium Doctoris ad Philip 3 v 20 *in Coelis esse* debet) *degenerabunt in vitam hominum animalium*, qui *terrena sapiunt*: *quorum Deus venter est*: *et finis interitus*. Sic licebit Christiano *secundum Carnem* majori parte *vivere*, nec opus erit, nisi raro *Spiritu facta Carnis mortificare*. ad Rom 8 v 12. sic e Sacro Codice aut penitus *eradi*, aut saltem *pro Consiliis*, *pro ornatu insertis*, *non pro Christianorum vivendi regula haberi debent haec*, et similia: *Fili, praebe mihi Cor tuum*. *Usquequo Claudicatis in duas partes*. *Nolite diligere mundum*. *Nolite conformari huic saeculo*. *Arcta via est, quae ducit ad vitam: et pauci sunt, qui inveniant eam*. *Nemo potest duobus dominis servire*. *Non potestis Deo servire, et mammonae*. *Qui Christi sunt, Carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis*. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me*. *Qui enim voluerit animam suam Salvam facere, perdet eam*. Nihil denique urgent sexcentae hujusmodi *continuum moraliter Dei amorem, odium nostri* inculcantia. Verbo: si non est obligatio gravis majorem vitae partem Dei amoribus consecrandi, *bene vivunt hodierni politici, semiathei*, et nomine tenus *Catholici*: *insaniunt simplices* Corde in *timore, et tremore salutem suam operantes*: Frustra tempus, vires, operamque consummunt Concionatores: quia *lata via est ad Coelum*: Licebit a commoditatibus, ab otio, a lusibus perpetuis, verbo: *e paradiso terrestri ad Coelestem transire*: et qui *moraliter* hic nunquam, *ibi Deum aeternum amabit*: *utraque vita beatus*. Hæc monstra pravitatis,

Horrendae sequelae e contraria doctrina.

vitatis, quae neglectus Charitatis parit, imo in dies amplius in populo conſtabilit, ſiquis digerere valet, ille per me licet, neget *majorem vitae noſtrae partem Dei amori* ſaltem virtuali *ſub gravi obligatione eſſe impendendam.* Ego ut ea glutiam, a me impetrare nequeo. Imo omnem corruptionem morum hodiernam praecipue opinioni contrariae, ſerviliſmo inquam adſcribere non dubito. ut amplius patebit h. n XLVIII.

XLVII. Quamquam vero hæc *in theſi* clari rem, quam edifferimus, explicent; difficile tamen eſt, in particulari poenitentem negligentiae mortalis adverſus praeceptum Charitatis condemnare. Rarus enim eſt inter Chriſtianos (praeter perditos, et deſperatos) qui aliquoties in die pio quodam in Deum affectu non feratur. Quod facilime fieri poſſe vidimus n. h. XXV. Ideo in praxi illi, qui ſalutem ſuam Cordi vel mediocriter habent, ideſt: qui mane, et veſperi ſaltem Deum orant, graviora interim peccata evitant, non tam condemnandi ſunt de mortali hujus praecepti omiſſione, quam inſtruendi, ut illud exactius adimplere ſatagant: actus fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, preces jaculatorias, rectam intentionem, firma Deum amandi, peccata evitandi propoſita, examen particulare, ſeriam verbo poenitentiam pro lapſibus in dies ſingulos eis ſatisfactionis loco imponendo. Sine qua induſtria neque peccatores ad frugem reducentur unquam: neque reducti in juſtitia ſtabiles perſeverabunt. Hæc eſt mens, hoc deſiderium Eccleſiae ita *jus naturae*, et *Divinum* de *continuo amore Dei explicantis*, inculcantis, et fideles ad eum largiſſimis beneficiis Apoſtolici exſtimulantis. Nota eſt beneficentia Benedicti XIII iis, qui actus Theologicos eliciunt, toties quoties ſeptem annorum: qui vero ſingulis diebus id præſtant, præmiſſa Confeſſione, ac Communione pro ſingulis menſibus *una Dominica*, et in *articulo mortis Indulgentias plenarias* concedentis. Modernus vero in Apoſtolico throno feliciter ſedens opere, et nomine vere Pius VI iis, qui *in trium Societate* ter in die ſeptes *Gloria Patri* cum uno *Ave Maria* conjuncti Spiritu, etſi non ſemper Corpore (modo trium aſſociatio, et conventio ſemel praeceſſerit) toties quoties *quadraginta dies: duobus vero Dominicis menſtruatim* praemiſſa Confeſſione, ac Communione, atque *in articulo mortis plenariis Indulgentiis* nos amantiſſime ditavit. Multae aliae hujus generis conceſſiones Apoſtolicae exſtant, e. g. ad devotam invocationem dulcium nominum *Ieſus Maria Ioſeph* in articulo mortis plenariae. Norunt nempe Chriſti Vicarii in *aſſiduis amoris Divini actibus*, et affectibus *conſiſtere univerſam Legem: eos* eſſe *Cor verae in Deum pietatis: compendium perfectionis: animam vitae Divinae:* Sine iis fruſtra haberi cætera: iis haberi omnia: Ideo ad eosdem Charitatis, et Contritionis actus aſſidue exercendos identidem fideles provocant, animant, excitant, et exſtimulant. Quorum ardentia ſtudia ut inferiores animarum Curatores omnibus viribus æmulentur, dignum, juſtumque omnino eſt, tum ut Clariſſimis Legibus Divinis Continuae Divinae Charitatis fiat ſatis, tum jut peccata potiſſimum venialia innumera ſecus, minuantur. Etenim

Obſervatio practica praemiſſa in uſum deducendi.

Optimus modus ſatisfactionem imponendi.

Indulgentiae frequentibus Charitatis actibus conceſſae.

XLVIII. Quod n. XXXVI ſententiae huic VI oppoſitum erat, quemadmodum periti medici Corporalem primum detegunt infirmitatem: dein oſtendunt veram ejus originem: Demum praeſcribunt efficacem medicinam; Ita nos I ultro confitemur, *mortales omnes, ne juſtis* quidem *exemptis*, innumeris in dies Scatere venialibus: *Quis poteſt dicere?* quaerit ſapiens: *mundum eſt Cor meum? purus ſum a peccato? non enim eſt homo, qui non peccet* 3 Reg 8. *In multis offendimus*

Iuſtorum leves ſed multi lapſus Charitat exercitio minuuntur.

dimus omnes Iacobi 3 v 2. Conſonat Auguſtinus Lib de dono perſev c 5: *Ne quis ſibi quaſi innocens placeat, et ſe extollendo plus pereat, inſtruitur, ſe peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare.* Et ſerm de verbis Domini: *ſub caſibus quotidianis fragiles ambulamus. Quid fragilius vaſe vitreo? nos fragiliores ſumus.* S Ambroſius Apolog David c 2: *Unusquisque noſtrum per ſingulas horas quam multa delinquit?* ſic loquuntur caeteri omnes Sancti Patres. Et definitum eſt in Concilio Millevitano 11 a 416 contra Pelagium, et Coeleſtium celebrato: *Quisquis ſic accipiendum putat (illud* 1 Ioan 1 v 8: *ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, et veritas in nobis non eſt) ut dicat, propter humilitatem oportet dicere, nos habere peccatum, non quia vere ita eſt, anathema ſit.* II. ex iisdem Patribus et *aperimus* tanti *mali fontem*, et *efficax praeſcribimus remedium.* Audiatur Auguſtinus Lib de gratia Chriſti c 26: *Charitas radix bonorum. Cupiditas radix malorum.* Et in Pſ 18: *Qui noluerit ſervire Charitati, neceſſe eſt, ut ſerviat cupiditati.* Et Lib 83 quaeſt q 36: *Nutrimentum Charitatis eſt imminutio cupiditatis. Perfectio, nulla cupiditas. Quisquis igitur illam nutrire vult; inſtet minuendis cupiditatibus.* Auguſtini coævus, et diſcipulus Proſper Sentent 112: *Quomodo radix omnium malorum cupiditas eſt, ſic radix omnium bonorum eſt Charitas.* Quod S Doctor ex 1 ad Tim 6 v 10 accepit. *Radix omnium malorum eſt cupiditas. Tu autem o homo Dei! haec fuge: Sectare vero juſtitiam . . CHARITATEM, patientiam.* Innuens haec illius praeſentiſſimum pharmacum eſſe. Et S Gregorius Lib 18 moral c 9: *Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Eſſe quidem ſine dilectione anima nunquam poteſt. Nam aut infimis delectatur, aut ſummis. Et quanto altiori ſtudio exercetur ad ſumma, tanto majori faſtidio tepeſcit ad infima. Quantoque acriori cura inardeſcit ad infima, tanto tepore damnabili frigeſcit a ſummis.* Atque ut cum Auguſtino finiamus, *usque adeo concupiſcentiae adverſatur Charitas, ut quibus gradibus cupiditas minuitur, iisdem prorſus Charitas augeatur.* Quid eſt igitur, quod nobis in hac Sententia vitio detur? an quia ſcelera noſtra non tacemus? an quia non clamamus: Pax Pax! *cum revera non ſit pax.* An quia amolimur a nobis illud formidandum: *Populo meus! qui te beatum dicunt, ipſi Te ſeducunt!* an quia tantis vitiis *remedia* non praeſcribimus: imo vero longe omnium efficaciſſima: aſſidue inclamantes cum Auguſtino: *Tantum quisque proficit, quantum juſtitiam diligit.* ſed qui medicinam rejicit, hujus profecto deſperata eſt Salus. Tantum ergo abeſt, ut reprehendi debeamus de malo detecto, quin aſtimari de ſalutari *medicamento.*

In quo conſiſtat perfectio viae.

Ierem. 6. v. 14.
Iſai. 3. v 14.

Actus Charitatis neceſſarii ſunt ad ſalutem.

XLIX. Inſurgis: nimia haec ſunt: nam ad vitam Chriſtianam, et ad ſalutem ſuffiicit conſervare habitum Charitatis. Atqui habitus Charitatis conſervari poteſt per actus inferiorum virtutum. Imo II habitus Charitatis ad repellendas tentationes ſaepe imperat actum timoris, aliarumque inferiorum virtutum. Igitur doctrina continuae Charitatis Sancta quidem, ſed non eſt neceſſaria. ℟: Haec objectio apta eſt evacuare magnum praeceptum Charitatis. Nam ſi habitus Charitatis poteſt conſervari per actus inferiorum virtutum, ſequitur manifeſte, infantem baptizatum poſt adeptum uſum rationis usque ad mortem ſolis *actibus inferiorum virtutum* intentum ſine Charitate actuali ſalvari poſſe cuſtodito *illis* habitu Charitatis. Ajunt quidem adverſarii, Deum diligendum et juſtis *in articulo mortis*, et *aliquoties per annum.* At nos has particulas nuſpiam reperimus in ſcripturis, et PP, imo recte contrarium hic a n II. Igitur concedo M. diſtingvo min: Habitus Charitatis conſervari poteſt *per actus inferiorum virtutum*, per *tales* inquam actus, quales ſunt in noſtro ſiſtemate,

radicem

radicem, aut *finem habentes Charitatis*, et sic *identidem ad actum Charitatis assurgentes*. Concedo. per tales, quales fingunt adversarii, *a potiori in via* permanentes, rarissime *ad finem*, *ad terminum suum Charitatem* pertingentes. Nego. ad II ajo: actus timoris, et aliarum inferiorum virtutum, quos habitus Charitatis imperat, jam habent *originem*, et *radicem Charitatem* habitualem *imperantem*: habebunt et *finem Charitatem actualem*, si imperantis jussa non negligantur: nam habitus Charitatis utpote perfectissimus perfectum extrinsece quoque actum imperat. Si vero charitatis habitualis jussa *serviliter* tantum impleantur, cum ut vidimus cap X n XXI *concupiscentiam* malam *timor servilis non tollat*, *sed* ad tempus *premat*. ideo habitus Charitatis sub tentatione longiori tensim minuitur, debilitatur, demum miserandum emonitur. Conf c XII n V, et VI.

L. Quae omnia cum luculenta claritate certa sint, pro Coronide ad contemnendas calumnias eorum, qui contraria in Scholis principia didicerunt, nec ultra ea Conari volunt, attexamus decretum Innocentii XII 6 Febr 1694 ad Episcopos Belgii hoc tenore datum: *ad extinguenda Theologorum dissidia Fraternitatibus V praesentibus mandatis injungimus, ne ulla ratione quemptam vaga illa accusatione, et invidioso nomine Jansenismi traduci, aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse constiterit, aliquam ex his* (quinque Jansenii, Baji, vel Quesnelli) *propositionibus docuisse, aut tenuisse.* Magno itaque animo contemne anima amoris Divini studiosa! omnes calumnias, quae sive ab *Ignorantia*, sive ab *Invidia*, sive *a libertate vitae* proficisci possunt: memor illius Isaiae cap 51: *audite me, in quorum Corde lex mea est: opprobrium hominum nolite metuere: et detractatione eorum ne superemini: nec quod vos spernant, magni duxeritis: sicut enim vestimentum, ita per tempus absumentur: et sicut lana a tinea comedentur. Justitia autem mea aeternum manet.* et II Machab c 7: *Dominus Deus aspiciet veritatem, et consolabitur in nobis: quemadmodum declaravit Moyses: et in servis suis consolabitur.*

Censurae privatae contemnendae.

LI. COROLLARIUM I. Sanctam SS PP doctrinam de virtuali Charitate edifferentes una viam monstravimus facilem, et expeditam cunctis, qui Christiano nomine gloriantur, ad vitae Sanctitatem et et consectandam, et consequendam: de qua multi pessimam ideam habent, putantes, consistere in miraculorum gloria, gratia mere gratis data, et multis Sanctis negata. Teste enim Evangelio *inter natos mulierum* Maximus *Joannes nullum signum fecit*. alii eam collocant in immunitate a tentationibus: Contradicente aureo PP Compendio Thoma Kempensi L 1 cap 13: *omnes Sancti per multas tribulationes, et tentationes transierunt, et qui tentationes sustinere nequiverunt, reprobi facti sunt, et defecerunt.* Alii Sanctos impeccabiles somniant fuisse. Contra Testimonium Spiritus Sancti Prov 24 v 16: *septies cadet justus, et resurget.* Plerique non de vulgo tantum fideles, sed et altioribus gradibus, et scientiis ornati de ea velut re sibi impossibili cogitant asserentes, rarissimam esse hodie in fece saeculorum vivam Sanctitatem: sufficere ad salutem Communem Evangelii viam. Admitto utrumque hoc: sed docui hactenus manifeste, Charitatem virtualem ipsam esse Communem Evangelii viam, formam nempe, radicem, finem et animam omnium virtututum aliarum extrinsece perfectivam: hic a n II. pre qua in Cordibus nostris accendenda venit in mundum amantissimus Salvator. c IV n XXXI: ad quam sicut per vota Religiosi, ita per omnia opera inferiorum virtutum tendere omnes debent Christiani. hic a n VIII. inchoandam in vita, continuandam in Coelo. h n XV. omnibus sine discrimine praeceptam. h n XVII. cunctis facilem

Haec est via ad Sanctitatem.
De ea falsae ideae.

Vera eius ratio cum in-nua virtualis Charitas.

facilem h n XLIV. in virtuali itaque continua Charitate veram viatoris Sanctitatem consistere hæc omnia urgent.

Atque hoc potissimum nomine cunctis gratissima esse debet Theologia nostra, quod exemplo SS PP una, eademque sit Cathecethica, dogmatica, Scholastica, ascetica, perfectionis Christianae magistra. Amplectamur itaque hanc perfectionis viam, quae sola est vera *sapientia* h n XXVI: Clamemusque cum Augustino L 6 Conf cap 16: *Deus virtutum converte nos: Nam quoquo versum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi, quam in Te, tametsi figatur in pulchris praeterquam in Te: ibi est locus quietis imperturbatus, ubi non deseritur amor. Hoc tantum scio, quia male mihi est praeter te, non solum extra me, sed et in me ipso: et omnis Copia, quae Deus meus non est, egestas est.* Facessant itaque *qui in Continua Charitate virtuali* onus fingunt mortalium humeris gravius, quando Magister Charitatis absque illa totam vitam hominis meram miseriam, et Calamitatem esse contestatur. Denique multorum contra nos murmurantium ora praecluſit idem Maximus Doctor serm 369 ita Charitatis Continuae studiosos animans: *si sic vixerimus, reprehensuri sunt nos homines saeculares, amantes terram, sapientes pulverem: reprehensuri sunt nos procul dubio, atque dicturi: quid pateris, quid insanis? turba est illa contradicens, ne Caecus clamet.* Lucae 18: *et aliquanti Christiani sunt, qui prohibent vivere Christiane. Sed vincamus illos. non dico, ut non diligas Patrem, Filios, sed plus Christum: non mea putes esse verba: qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me, non est me dignus.* en summam totius doctrinae meae.

Eam nos commendamus ut dulcem, et facilem.

Mortaliter lapsi differre nequeunt Contritionem.

LII. COROLLARIUM II: E praemissa notitione continuae Charitatis suapte fluit resolutio illius quaestionis: *Peccator quamdiu differre possit conversionem suam?* sane ipsa quaestio horrore, et tremore pias mentes concutit! quasi quaeras: quamdiu peccator manere possit inimicus Dei? haeres inferni? atque in periculo aliorum gravissimorum criminum patrandorum? aeternaeque damnationis reipsa incurrendae? et nos quidem jam cap XIII a n 1 Contritioni eliciendae dies festos, et Dominicos fiximus. Hic vero n XLVI gravissimis momentis ursimus, Legem Charitatis specialis Dei *ex toto Corde* diligendi nullo modo implere eum, qui *majorem actionum suarum partem alienis* a Deo *amoribus*, affectibusque *impendit.* Ex quibus evidenter sequitur, lapsum mortaliter, conversionem suam *moraliter* in longum tempus differre absque novo *mortali* non posse. Sed quia res quaevis successive crescit, et clarescit, hic jam suo loco ajo: gravi sub praecepto mortaliter lapsum Divinam amicitiam, ac vitam Continuae Charitatis, ope Contritionis sive perfectae, sive incho tae cum Sacramento reparare, mox, et *sine mora* non *metaphysica*, sed *morali juxta prudentum aestimationem* obligatum esse. (a) Quod ut evidens sit praemitto theorema illud Theologicum, quod eximius Doctor Svarez cum communi figit Disp 1 de Fide Sect 1 n 2: *omnia, quae in scripturis*

(a) *Ut invidiam rigorismi praeoccupemus, exscribamus verba Cath Romani, quibus hanc sententiam clarissime docet parte II cap V n 23 sequentibus:* neque ad ullum temporis PUNCTUM, cum ad memoriam praeterita peccata redeunt, vel cum aliquid offendimus, Contritione animus debet vacare. *At jam ad cap IX n XIX audivimus oraculum Clementis XIII, Catechismum hunc continere* doctrinam, communem in Ecclesia, et procul ab omni periculo erroris *positam:* et hanc palam populo tradendam. *Ergo aliud docere nefas ducimus. Non postu-*

pturis proponuntur ſub comminatione aeternae damnationis, poſita ſunt ſub rigoroſo praecepto. Iam vero tremenda ſunt Scripturarum oracula peccatores ad converſionem mox, et ſine mora faciendam urgentia: *ne adjicias peccatum ſuper peccatum, et ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim, et ira ab illo cito proximant, et in peccatores reſpicit ira illius. Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas DE DIE IN DIEM. SUBITO enim venit ira illius, et in tempore vindictae diſperdet te.* Eccli 5. Diligenter rumina haec: *ne differas de die in diem. Subito enim venit ira illius, et - - diſperdet te.* Pſ 49: *HODIE ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare Corda veſtra.* Ad Epheſ 4 v 20: *SOL NON OCCIDAT ſuper iracundiam veſtram.* An ergo occidere poterit ſuper alia graviora ſcelera noſtra? Marci 13 v 35: *Eſtote parati, quia QUA HORA non putatis, filius hominis veniet.* Lucae 21 v 34: *Attendite, ne forte graventur Corda veſtra in crapula, et ebrietate, et curis vitae hujus, et ſuperveniat in vos repentina dies illa.* Conſentiunt Patres, nec unum diem differendam eſſe poenitentiam. Tertull Lib de ponit c 7: *Chriſtiano non EST CRASTINUM.* Auguſtinus in Pſ 114: *Deus poenitentiae tuae indulgentiam promiſit, SED DILATIONI TUAE CRASTINUM NON PROMISIT.* Et ſerm 101 de tempore: *O homo! quid differs de die in diem, forte habiturus HODIE ULTIMUM DIEM.* S Chryſoſtomus ad Theodorum: *noli tardare converti ad Dominum, neſcis enim, quod pariet ſuperventura dies.* Et ne haec Conſilia eſſe tibi tubrepat, Audi S Ambroſium in Luc c 12: *Vigilare nos voluit per omnia momenta expectantes adventum Domini Salvatoris: ne dum aliquis de die in diem opera ſua differt, propria morte praeventus meritum ſuae condemnationis admittat. Et illa quidem IN OMNES PRÆCEPTI FORMA GENERALIS EST.* Et S Hieronimum in Micheæ cap 6: *Iubetur nobis, ut praeparati ſimus ambulare cum Deo noſtro. NULLA HORA dormire, nullo tempore ſecuri eſſe debemus.*

Citam poenitentiam urget Scriptura.

Urgent SS PP.

LIII. Quam haec ad omnem rigorem Theologicum dicta ſint, patet ex Principe Theologorum, qui 2 2 q 62 art 8 haec docet: *Manifeſtum eſt, quod NEC PER MODICUM TEMPUS LICET IN PECCATO MORTALI MORARI: ſed quilibet tenetur peccatum STATIM deſerere ſecundum illud Eccli 12: quaſi a facie colubri fuge peccatum. Et ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere.* Citius ſolem tenebris involves, quam hunc Angelici textum. Nam quod aliqui dicunt, ſtatim deſerendum eſſe *actum phyſicum* peccati, non *habitum*, ſive *reatum*, ineſficax evaſio eſt, et Angelici menti contraria: ut patet ex illis verbis *quilibet tenetur ſtatim reſtituere.* quae non *actum* tantum, ſed et *habitum* peccati *ſtatim* deſerendum ſignificant. An oro! ſtatim reſtituere debes *bovem, aurumve proximo*, et non debebis *Deo ſummo* negatum

Theologorum Principes.

lo autem determinate ſtatim *Confeſſionem, ſed vel* hanc, *vel* Contritionem perfectam. *At cum ſaepius viderimus ex Tridentino, Contritionem* aliquando *dumtaxat* perfectam eſſe Charitate, *ideo* hac etiam tentata, *Confeſſionem in re* non diu *differendam eſſe urgent melioris Zeli Theologi ex authoritatibus hic citandis. Audiamus hic Angelum Scholae IV Diſt* 17 q 2 *ad* 1: Aliquis non poteſt eſſe certus quod Contritio ſua ſit ſufficiens ad deletionem poenae, et culpae. Et ideo tenetur confiteri, et ſatisfacere; maxime cum Contritio vera non fuerit, niſi propoſitum verum annexum habuiſſet confitendi, quod ad effectum debet deduci. *Quare qui diu differret Confeſſionem, cum Contritionem veram non habuiſſe communiter aſſerunt pie docti.*

tum *amorem? illatam* graviſſimam *injuriam? tibi*, animæ inquam tuae ſuffuratam *amicitiam Divinam?* jus Coeli? aliaque, a te tibi longe graviora damna illata, quam quae totus tartarus lobo intulit olim, inferreque tibi poſſet hodiedum? haec vero non aliter reſtituere potes, quam celeri poenitentia: teſte vero Auguſtino ſerm 3 de nativit Domini: *Poenitentiam certam non facit, niſi amor Dei, et odium peccati.* Certa ergo eſt mens *Angelici*, cui teſte Tournelio de Contrit univerſim ſumpta q 7 conſentit *Doctor Seraphicus* in 4 Diſt 16 q 2: et S *Antoninus* 3 p tit 19 c 18. en verba hujus: *quantum ad peccata mortalia, de quibus nondum quis habuit Contritionem, videtur, quod ſemper tenetur, quando peccatum menti occurrit, ad actu odiendum, et deteſtandum peccatum. Alias peccat mortaliter peccato ommiſſionis, quouſque conteratur: dicit enim D Thomas, quod poſt mortale peccatum non tenetur quis ad ſtatim confitendum; tenetur tamen ad ſtatim conterendum. nec enim per momentum licet ſtare in peccato. unde Eccli 21 dicitur:* quaſi a facie colubri fuge peccatum. *Imminet enim tali maximum periculum. Cum enim nulla neceſſitas excuſet a Contritione. Si moriatur ante Contrionem, etiamſi non potuit confiteri, quia ſubito moritur, nihilominus damnatur.* Trias hæc Sanctorum nobis ſufficit priori nro laudatis juncta ad veritatem hanc toto Corde amplectendam.

LIV. Accedit ratio Theologica efficax. Nam non licet manere in praeſentiſſimo periculo peccandi. At teſte S Gregorio M hom II in Ezech, et quotidiana triſti experientia, *peccatum, quod non fuit poenitentia deletum, ſuo pondere trahit ad aliud.* Deinde non licet in *affectu peccati* permanere *ne breviſſimo quidem tempore.* Ut omnes confitentur. *Affectus* enim peccati eſt *amor* peccati. At qui deliberato animo poenitere, quum poteſt, negligit, habet, *fovetque affectum peccati:* ſicut enim qui odit peccatum, efficaciter expellit, ita a contrario qui non expellit, amat. Ergo dilatio poenitentiæ eſt *interpraetativus amor* peccati, et voluntaria in eodem perſeverantia. Nec obtendatur humana imbellicitas ad mox a peccato patrato agendam poenitentiam. Haec enim non *in externo* aliquo actu, ſed *in interno odio* peccati, *amoreque* Dei conſiſtit. Quos actus nulla alia actio aut impedire, aut retardare poteſt. Nec *infirmitas* noſtra *dat* nobis *jus* ut *hoſtes Dei maneamus* vel breviſſimo tempore. Quid quod, ut luculenter vidimus, Deus jubet illico nos agere poenitentiam: at ut ſaepe diximus, *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet et facere, quod poſſis, et petere quod non poſſis, et adjuvat, ut poſſis.* Vis adhuc rationem ad oculum? *exiguo tibi tempore, quo* ex praetenſa humana infirmitate *differs poenitentiam. fac te mori:* nunquid *te impoenitentem* repertum Deus *juſte condemnabit?* quis hoc neget? ergo infirmitas humana a te praetenſa non dat tibi jus non agendae poenitentiae. Secus te Deus jure tuo uſum *injuſte* condemnaret. hanc rationem tangit D Antoninus, ut vidimus nro priori. Ais: condemnaret propter praecedens commiſſum peccatum: ſed audi Ezechielem: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque hora converſus fuerit.* Ergo non tam *propter commiſſum*, quam *propter non retractatum* peccatum, ſive *propter impoenitentiam, in qua deprehendit, te condemnat juſtus Deus.* Ergo poenitentiae differendæ nec ad momentum habes *ullum jus* ſive ex humana infirmitate, ſive undequumque demum quaſitum. Ergo age eam *illico* ſaltem in praxi juxta prudentum æſtimationem. (a) LV.

Et ratio Theologica.

Trid. ſeſſ 6. cap XI.

Ezech 33 v 12.

(a) En tibi exactam formulam actuum Theologicorum, quibus et poſt peccatum, et omnibus aliis temporibus per nos hactenus Charitati fixis affectuoſe uti valeas, et ſic amoroſa eorum mentali ſaltem ſaepius in die repetitione praecepto quoque Continuae Charitatis ſatisfacies.

Credo in Te Deum meum, unum in eſſentia, Trinum in perſonis, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum. *Remuneratorem* bonorum,

LV. Momenta Cani, quae Tournelius Loc cit contra hanc ſententiam refert, inſolutaque relinquit, facile ſolvi poſſunt. I Enim aſſerit contrariam eſſe fidelium praxim, et conſenſum hanc circumſtantiam non confitentium. II. In noſtra Sententia tot erunt novà peccata, quot momenta effluxerunt inter peccatum commiſſum, et non retractatum. III. praeceptum Contritionis eſt affirmativum, ergo

Momenta Contraria Cani.

---

et juſtiſſimum Vindicem malorum. Credo ſecundam in *Trinitate* perſonam, æternum, Patri, et Spiritui Sancto æqualem, Verumque Deum (*a*) Incarnatum, Natum, paſſum, mortuum, tertia die a mortuis glorioſe Reſurexiſſe: aſcendiſſe in Coelum, inde venturum judicare *vivos*, et *mortuos*: ſive bonos, et malos. Ideoque profiteor *immortalitatem animarum* noſtrarum: *gratiae* item ex *meritis Paſſionis Chriſti* ad ſalutem omnium *Neceſſitatem*: Liberamque voluntatis noſtrae *eidem* cooperationem. Credo *in Spiritum Sanctum* Dominum, ac Vivificantem, cum Patre, et Filio ſimul adorandum. Qui locutus eſt per Prophetas. Credo quid quid Jeſus Chriſtus docuit, Apoſtoli praedicarunt, et Una, Sancta, Catholica, et Apoſtolica Romana Eccleſia docet, et proponit: ſive (*b*) *ſcripta* ſint illa in Libris Divina *inſpiratione* conſcriptis, et a Sancta Matre Eccleſia *pro talibus* recognitis, ſive *per Traditionem* ad nos transmiſſa ſint. In hac Sancta, et *ſola ſalutifica Fide* vivere, ac mori velle conſtanter profiteor. Quia *tu Deus* meus hæc omnia *revelaſti*, qui *propter infinitam tuam Sapientiam* nec *falli* in *cognoſcendo*: nec *propter Divinam tuam Veracitatem* in *loquendo*, et per Eccleſiam tuam *proponendo* fallere nos vales.

Actus Fidei.

Spero in Miſericordia tua infinita O Deus auxiliator unice ſalutis meae ac in meritis, ac pretioſiſſimo Sangvine Amantiſſimi Salvatoris tanta cum Charitate effuſi, quod *remiſſurus* mihi ſis omnia, et ſingula *peccata* totius vitae meæ quantumvis graviſſima: et *daturus gratias* efficaces, quibus deinceps omnes *offenſas* tuas *evitem*: *vitamque* Sancte *inſtituam*, *gratiam finalem*, *beatam mortem*, ac *Vitam aeternam* conſequar. Quia tu hæc *promiſiſti*, qui in promiſſis adimplendis *Omnipotens*, ac *fideliſſimus* ea mihi *praeſtare et potes*, et *vis*.

Actus Spei.

Amo Te Deum meum ex *toto Corde* meo, *omnibusque Viribus* meis *ſuper omnia*, quid quid non eſt Deus! *non ſolum quia tu me prior amaſti*: Creando, Redimendo, Sanctificando, innumerisque aliis beneficiis tuis quum Naturalibus, tum Supernaturalibus replendo: quia Coeleſtem beatitudinem, ac te ipſum mihi aeternum poſſidendum, ſi te amem, mandataque tua obſervem, promiſiſti: ſed potiſſimum *ita* amo te propter *infinitam* tuam *bonitatem*, excellentiam, Majeſtatem, Sapientiam, pulchritudinem, aſeitatem, omnesque alias Divinas perfectiones tuas *tibi intrinſecas*, propter quas *in te ipſo* infinito amore digniſſimus es. Utinam amare te poſſem ardentiſſimo illo amore, quo te omnes juſti in terra amant, amarunt, et aeternum in Coelo amaturi ſunt cum omnibus Choris Angelorum, et beatis Coeli civibus. Imo ſicut *Virgo Sanctiſſima*, Humanitas Chriſti Divinitatem: ſicut *Pater Filium*, *Filius Patrem*: *Pater et Filius Spiritum Sanctum*: ac viciſſim

Amor Concupiſcentiae Dei nobis Boni.

(*a*) Hoc propter Arianos addo, potiſſimum ibi exprimendum, ubi hi Catholicis mixti vivunt.

(*b*) Hoc propter Reformatos, et ex iis noviter converſos.

ergo non obligat nisi tempore necessitatis. sicut IV Fides, Spes, Confessio, Baptismus. &c. V non tenemur conteri toties, quoties peccata memoriae occurrunt sive speculative, sive practice occurrant: cujus rationem dat VI quia praeceptorum obligatio non ex memoria, sed ex necessitate desummitur. VII. Quia nullum exstat tale praeceptum detestandi peccata quoties memoriae occurrunt. VIII. Quantumcunque bonitas Divina memoriæ occurrat, non teneor amare, nisi

---

Amor Charitatis.

vicissim *Spiritus Sanctus Patrem*, et *Filium* ab *æterno amat*, et *amabit* in æternam. Infinito huic amori conjungo imperfectum meum tui amorem; Ut inde suppleatur, quod meae deest affectuosissimae in Te Charitati. Amo quoque *omnes meos proximos*, *omnes dico Creaturas ad imaginem tuam Creatas*, et beatitudinis tuae consequendae capaces, sicut *me ipsum*, omniaque bona ipsis opto. Idque *propter te*, quia tu eos praecepisti ita a me amari. (a)

Actus attritionis.

Atque ex ardentissimo hoc tui amore Deus meus! *doleo ex toto Corde* meo super omnia de totius vitae meae peccatis notis, et ignotis: maxime vero de his NN. doleo! non solum ideo, quod iis *Coelum ammiserim*, infernum promeritus sim, et innumeras alias Calamitates, ac damna, maxime supernaturalia incurrerim; sed potissimum, ac super omnia illa, aliaque excogitabilia mala ideo *doleo*, et *dolebo in aeternum*, quod *infinitam* illam *tuam bonitatem*, *amabilitatem*, *dignitatem*, ac *Majestatem* peccatis meis offenderim. Abominor detestor, et execror omnia *ex tui amore*. *Utinam* facere possem, ne illa unquam Commissem. O quam *sero te cognovi* pulchritudo, ac bonitas infinita! Misericordia! Misericordia *O Pater Misericordiarum*! ut Misericordias tuas cantem in aeternum!

Contritionis

Detestationis peccati.

Sinceri propositi.

Ex nunc coram Coelo, et terra! coram Angelis tuis, atque in Conspectu tuae Majestatis cum *tua gratia*, quam supplex *exoro*, pactum aeternum in eo, firmiter *statuo*, *ac propono*, quod velim de praeteritis dignam poenitentiam agere, de futuro me *serio emendare*, omnia, et singula, potissimum haec NN. *summo studio evitare*: tibi vivere, ac mori. In Sanctissimas manus tuas, et in sinum dulcissi-

---

(a) *Falluntur, qui a me aliam* initialis, *aliam* perfectae Charitatis, *formulam exspectant. Nam ut ex hactenus demonstratis liquet*, illa *sub* eodem objecto materiali, et formali *solum per* practicam *majorem*, *vel minorem* intensionem voluntatis ad amandum Deum propter se, *distinguuntur. Itaque haec eadem verba si* serio, et sincere *elicueris*, *habebis* initialem affectu super omnia *Charitatem*: *si vero* acri, incensa, *et* vehementi cum potentiarum applicatione: (*modo tamen humano.*) *Sperare potes* perfectam. *nunquam ego subsistere vellem Lectores meos in* initiali *Charitate*, *sed desiderarem omnes* ad perfectam *eluctari*: *et ita comparati reipsa hi effectus sunt. At si* voluntatis ardorem, *et* intensionem cum scelerum nostrorum magnitudine comparandam (*ut ex Catechis Rom vidimus*) *nos ipsi gratiae Divinae cooperando in nobis non excitemus*, *hi ipsi actus erunt Charitas Dei* affective super omnia (*ut Lovanienses exprimunt* initialem) non effective super omnia. *Igitur ex his iisdem verbis nos ipsi minori*, *vel majori* intensione voluntatis *in* praxi *faciemus* initialem, *vel* perfectam *Charitatem*, *hacque subinde animandam consimilem* Contritionem,

nisi in articulo necessitatis. Ergo idem dicendum de poenitentia post peccatum. Haec Canus.

Quibus Respondemus: ad 1 applicanda esse huc dicta cap XIII n XII ad 3-*tium*. Ad II quaero ab adversariis: Puer in cuiuculo usus rationis omittens actus Fidei, Spei, et Charitatis: aut habituatus in proxima peccandi occasione constitutus, donec hic eam deserat, prior vero se se conjungat reipsa Deo, quoties? et an in momenta singula distincta peccata committat? Quod tu mihi, id ego tibi reponam. Affirmo interim *peccata non multiplicari juxta momenta singula* decurrentia sive numero, sive specie, sed *aggravari tantaxat Circumstantia durationis temporis in eadem specie*, et *numero* unum, indemque peccatum, quod primo Commissum *moraliter manet*, utpote non retractatum; Saepe tamen esse causam novi peccati, ut ex D Gregorio n hic LIV audivimus. Ad haec taliter perseverantem in peccato contra legem *Continui amoris Divini* venialiter peccaturum singulis actibus suis deliberatis: si tamen tamdiu differatur conversio, ut interea *actiones sic non relatae* in Deum *notabilem moraliter vitae*, actionumque ejus *partem constituant*, juxta dicta hic n XLVI *peccaturum in eandem legem Charitatis mortaliter*. Ad III Praeceptum Charitatis hic aequivalere negativo: *nolite obdurare corda vestra*. *Ne tardes converti, et ne differas de die in diem*. Adesse praeterea *necessitatem Deo laeso satisfaciendi*, salutem in tuto collocandi. ita docet Doctor Seraphicus in 4 Sent Dist 16 q 2 peccatorem debere conteri *pro loco, et tempore, videlicet cum cogitat mala sua, in quibus offendit Deum*: tanto ergo magis *statim moraliter* crimine commisso: adest enim statim articulus necessitatis, ne in plura incidat, ne maneat inimicus Dei, haeres inferni, putridum Ecclesiae membrum, meritorum incapax, Charitatis neglector &c. Ad IV amissum *habitum Fidei, et Spei* per contraria *infidelitatis desperationis* peccata, pariter ita mox reparandum esse, sicut amissum *habitum Charitatis* per omne mortale. Et qui non fidit perfectam Contritionem se elicuisse, teneri ad Confessionem, quam primum copiam Confessoris habere poterit absque morali magna difficultate; ut Salus sua in periculo non sit, et quia debitum certum non extinguitur dubia solutione. Ad V. longe aliter sentiunt *Sancti*, qui Contritionem poenitentis volunt esse *perpetuam*. Sic Angelicus in 4 Sent Dist 17 q 2 a 4 asserit: *Contritionis tempus est totus praesentis vitae status. quamdiu enim aliquis est in statu viae, detestatur incommoda, quibus a perventione ad terminum viae impeditur, vel retardatur. Unde cum per peccatum praeteritum vitae nostrae cursus ad Deum retardetur, (quia tempus, illud, quod erat deputatum ad currendum, recuperari non potest) oportet,*

Solvuntur.

---

dulcissimae providentiae tuae *me*, ac omnia mea, vitam, mortem, actiones meas omnes *commendo*, voloque, ut *iis omnibus continuo Sanctificetur nomen tuum, fiat Sanctissima voluntas tua!* sicut fit, et Sanctificatur in Coelo, et in terra a dilectis amicis, ac justis tuis. O Pater Misericordiarum! *Confirma* hanc *voluntatem meam! Custodi me a peccato!* et non *timebo*, quidquid *fiat* de me *secundum Sanctissimam voluntatem* tuam! dummodo non *projicias* me a facie tua inaeternum: ut *Laudem, et amem te* cum beatis tuis in *omnem aeternitatem*. Ad quod ex pura Misericordia tua *Creasti*, et *vocasti* me. *Dixi*, nunc *coepi*. *Haec mutatio dexternae Excelsi* est.

Resignationis in Divinam providentiam. Continuae Charitatis. Castae concupiscentiae ex Charitate ortae.

Conf h ad n VI not. ubi breviores formulas Charitatis dedimus.

Contritio de sui esse perpetuo.

portet, *quod semper in viae hujus tempore* STATUS CONTRITIONIS MANEAT *quantum ad peccati* DETESTATIONEM. *Similiter etiam* QUANTUM AD SENSIBILEM DOLOREM, *qui ut* poena *peccati a voluntate assumitur. quia enim homo peccando poenam* ÆTERNAM *meruit, et contra* ÆTERNUM *Deum peccavit, debet poena aeterna in temporalem commutata* dolor *in æterno homine, id est: in statu hujus viae remanere. Hinc Ecclesi 5 dicitur: de propitiato peccato noli esse sine metu.* Acute animadvertit Natalis Alexander *de Contritione a 6, satisfactionem* respondere poenae temporali Vindicativae ob *conversionem* peccatoris ad *Creaturam*, quae finita est. *Contritionem* vero respondere culpae ex parte *aversionis a DEO:* quae infinitudinem quamdam, aut, ne Scholasticae speculationi me immitam, malitiam humanitus summam habet. Igitur satisfactio definitum tempus habet: Contritionem vero semper in vita durare oportet. Subscribit illustris Angelici discipulus S Thomas a Villa Nova *Serm in Dom Passionis: quarta*, inquit, *Conditio DOLORIS, quod sit PERPETUUS: nam poenitentia cum vita finienda est. Vide peccator! quod onus imponis super te propter momentum delectationis! non tamen sic est intelligendum, quod dolor ille continuatus duret per totam vitam: hoc enim quis posset? sed quod quoties tibi peccatum occurrit in memoriam, TENERIS ODIO HABERE, et DETESTARI, ut te poeniteat feciſſe illud. Quidam dicant, quod sufficit, ut non placeat: sed tutus est, ut etiam displiceat. Unde* Psalmus: peccatum meum contra me est semper: *et iterum:* tota die: *ideſt tota via* contristatus ingrediebar. Hæc Sancti. Quibus reliquae objectiunculae ut ad solis splendorem nubeculae ita dissipantur, ut ulteriori solutione non indigeant. Adnectamus potius sententiam graviſſimi Theologi Petri Soto: qui Lect 13 de poenit sic discurrit: *Constat, quod in judicio, ubi de gravitate peccati agitur, ut adhibeatur digna medicina, et conveniens prout fieri poterit satisfactio, parum ad rem pertineat, unum, an plura sint peccata: sed illud potius considerandum, quis magis obnoxius Coram Deo sit? Ex hoc igitur circa id, dequo agitur, putamus parum, imo nihil ad rem pertinere, an aliud novum peccatum sit non poenitere. Certe quanto diutius quis in peccato hæret, tanto magis obnoxius est culpae coram Deo: et quanto plura se offerunt, quae merito a peccato deterrere debeant, vel admoneant illud relinquendum, vel adstringant ad quaerendam Dei gratiam, tanto etiam gravius peccatur: et forte in his omnibus non minus, quam si novum esſet peccatum, est prioris aggravatio. Et propter ea superius diximus, hoc non admodum ad rem esse, et B Thomam, et Bonaventuram parum curasse. Quando occurrit memoriae, quod Deum quis offenderit, putarunt illi consonum rectae rationi esse, ut peccati poeniteat. Similiter dici potest, cum occurrit Sanctificandus dies festus. Nam illa tam recepta regula, praecepta affirmativa non obligare nisi in necessitate alias diximus, non de extrema necessitate accipienda est solum, sed cum occurrit casus, ubi recta ratio judicat, vel judicare debet contra illam virtutem esse, si non fiat ejus actus. In hoc vero judicio magis puto credendum esse Sanctioribus, et piis, quam argutioribus. Iudicarunt B Thomas, et Bonaventura, si occurrente peccato ejus non poeniteat, cum nondum antea poenituerit, contra virtutem poenitentiae esse, cujus est Deum placare.* (a)

Solida de his doctrina Petri Soto.

LVI.

Circumstantiae mortaliter in eadem specie aggravantes confitendae.

(a) *Circumstantias* mortaliter *in eadem specie aggravantes necessario confitendas esse vix dubitare licet I: propter auctoritatem Catechismi Tridentini, qui de Sacramento poenit* S 47 *id expresse praecipit:* neque solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quae unumquodque peccatum circumstant, et pravitatem valde augent, vel minuunt. *Et mox ibi:* siqvis aureum nummum furetur, levius peccat, quam qui centum. Quae etiam ratio et ad tempus perti-

LVI. COROLLARIUM. III. Sed ut jam caput hoc claudamus in rem noſtram, ideo Legem naturalem, et Divinam *Continuo* Deum modo fuſius explicato *amandi* tam operoſe expoſuimus, u inde inſuffi-

---

net. Haec igitur enumeranda ſunt. Quae vero pravitatem rei magnopere non augent, ſine crimine omitti poſſunt. Cujus Catechiſmi auctoritatem jam alias vindicavimus. Il a paritate circumſtantiarum *ſpeciem mutantium*, quas *ideo praecipit* Tridentinum ſeſſ 14 c 5 neceſſario aperiri, quod 1 *Sine illis peccata ipſa nec a poenitentibus integre exponantur*: nec 2 *judicibus innoteſcant*: nec 3 *de gravitate criminum recte cenſere poſſint*: nec 4 *poenam pro illis, quam oportet, poenitentibus imponere.* Quae omnia pugnant pro circumſtantiis aggravantibus. Ut conſideranti patet. Nam 1 fur 100 aureorum ſi dicat tantum: *Se furtum commiſiſſe mortale* non confitetur *ipſum* peccatum 100 aureorum. Per mortale enim furtum aliquot floreni, vel aureus unus paſſim intelligitur. Unde 2 Confeſſario peccatum *ipſum* praemiſſo modo apertum penitus *non innoteſcit*. Nec 3 de gravitate ejus judicium *rectum* formare, nec 4 poenitentiam, *quam oportet*, pro *illo* peccato imponere valet. Alia namque poenitentia imponi debet pro *uno*, alia pro 100 aureis. Unde Tridentinum in circumſtantiis *ſpeciem* mutantibus *aggravantes* quoque aperiendas eſſe *virtualiter*, et *ſufficienter* decidit. Ill Innocentius XI damnavit hanc propoſitionem n 58: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſvetudinem.* Cur interrogare conſvetudinem poteſt Confeſſarius niſi ut *Judex, medicus*, et *Doctor* rite judicet, remedia, et poenitentiam congruam praeſcribat? At poenitens ipſe *reus*, et *accuſator* ſui ipſius eſſe debet in omnibus, quae Judex, medicus, et et Doctor Confeſſarius ſcire debet. Ergo et ante hujus interrogationem tam habitum, quam alias circumſtantias aggravantes aperire ſponte debet. Quae enim *non tenetur ſcire* Confeſſarius, ea *nec interrogatus tenetur aperire* poenitens, ſed modeſte poteſt declinare; e. g. circumſtantias veniales. Ergo a contrario quae habet *jus interrogandi* Confeſſarius, tenetur Sponte *aperire* poenitens. Nam Confeſſarius interrogat, quia videt deficere in ſui accuſatione poenitentem.

Objicitur in contrarium Angelicus in 4 Diſt 16 q 3 a 2: Sed is vere agit de notabili circumſtantia aggravante *peccati venialis in genere adhuc veniali permanente.* Ut patet ex ratione ejus: *Ratio*, inquit, *eſt quia, venialia non ſunt de neceſſitate Confeſſionis.* Item *Circumſtantiae aggravantes, quae aliam ſpeciem peccato non tribuunt, vel tribuunt quidem, ſed non peccati mortalis, non ſunt de neceſſitate Confeſſionis.* Ergo Angelicus aperte loquitur de circumſtantiis tam *ſpeciem mutantibus veniaiiter*, quam mere *aggravantibus* in genere peccati pure *venialis*. Quae materia neceſſaria Confeſſionis non eſt. At enim ſicut veniale in furtis minutis per augmentum materiae evadit mortale, ita mortale infimum e. g. unius floreni viro mediocriter ſubſiſtenti ablatum (*a*) per ſolum incrementum materiae, ſive furtum centum florenorum eidem factum

---

(*a*) *Communiter furtum mortale ſtatuitur res diurno victui poſſeſſoris ſufficiens, et neceſſaria. quia cuilibet gravem moleſtiam, et injuriam cauſſat carere diurno victu: contra nec delicatulos prudenter nimium affligit uno die (extraordinariis accurſus hoſpitum caſibus exceptis) non abundare ſuperfluis: non repugno huic doctrinae addito tamen duplici monito: 1: ne furtum ex ſuperfluis nimium* — *De furti mortalis quantitate.*

Si Charitas suo modo continua esse debet, multo magis in Sacramento poenit necessaria est.

insufficientiam attritionis pure servilis perdiscamus. Sane si Sacrosancta Charitatis utriusque Testamenti praecepta *in Corde habenda, narranda, meditanda, sedendo, ambulando, dormiendo, consurgendo, Ligandaque in limine sunt*: si haec ad *omnes* Christianos non ut *Consilia*, *sed ut praecepta* proprie talia pertinent: si omnia nostra in Charitate *actuali*, vel *virtuali fieri* oportet adeo, ut qui inferiores virtutes ex *suis* dumtaxat *proximis motivis* agit, *actum bonum* teste Augustino *non bene agit*, quin peccat *omittendo speciale extrinsecum motivum agendi ex Charitate* Dei. Si finis *agentium* sub mortali: *actionum* vero *singularum* sub veniali *Deus solus* habendus est (ut haec omnia demonstravimus in praemissis) consequitur: attritionistam pure servilem suum timorem *ad Deum propter se initialiter saltem amandum actualiter*, vel *virtualiter* non referentem omissione hac peccare venialiter: ut pluribus exposuimus h n XL. XLI.

---

factum evadit centies majus mortale, quam prius infimum mortale. Igitur si incrementum peccati venialis ad mortale infimum juxta omnes necessario aperiendum est, erit etiam manifestandum incrementum mortalis minimi furti ad centum. Secus hic non confiteretur peccatum suum integre materialiter, quod reipsa commisit. aliud enim est furtum communiter mortale unius, alteriusque floreni passim intelligi solitum: aliud furtum extraordinarium 100 florum. Ut dicebam. Confirmatur invicte ex damnata ppone 25 Alexandri VII 1665: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis praecepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Nunquid *copula* post desiderium pravum, et tactus turpes est tantum circumstantia mortaliter aggravans, et non speciem mutans ejusdem turpitudinis prius quoque mortalis? ettamen *illa* distincte explicanda praecipitur. Idem ergo dicendum, et de aliis circumstantiis notabiliter aggravantibus. Nec juvat dicere: copulam, ut actum externum necessario aperiendam: nam in damnata propoone *commisi CUM SOLUTA grave peccatum* satis exprimebatur actus externus saltem in ratione *tactus* mortalis: cujus aggravans tantum circumstantia est subsequens *copula*. go ideo *haec* aperienda est, quia in eadem specie longe major turpitudo est, quam ejus initium tactus. quem satis aperit ly *cum soluta*. illustratur II: saepe peccata reservantur *propter solam circumstantiam in eadem specie mere aggravantem*: patet hoc manifeste in casibus reservatis hujus Dioecesis: in qua inter reservata sunt: *haeresis externa*. Quae ab *interna* specie non distingvitur. *A procurato* effectu secuto *abortu*. Sola *machinatio* ad expellendum foetum et actus externus est, nec distingvitur specie *a procurato* reipsa *abortu*: et tamen hic, non illa reservatur. Coetera vide apud Tournelium de integritate Confessionis.

---

nimium sit. Ordinarie aureus etiam a Rege est mortalis. ex quo facta proportione ad inferiores facile est inferre summam mortalem etiam ex superfluis: et in hoc liberalem esse, aperiret occasionem clependi a ditioribus. II. Cum hodie mundus plenus sit splendida miseria, videat fur, ne quod leve, nec diurno victui possessoris necessarium putabat, fuerit reipsa necessarium, ideoque possessorem graviter afflixerit. in quo error clepentis vincibilis esset, non excusans a mortali. Multi enim hodie ornate, aut munde saltem in publicum comparent: cum interim clausi domi vix interdum crudum panem rodendum habent. Ab his aliquot Xrorum furtum mortale puto: sicut et aciculae, cujus usu misera vidua victitat, si modum non haberet aliam ex tempore comparandi. quia utrique incidisset in gravem necessitatem.

XLI. XLII. *Hunc* vero *actum* in ſe quidem *bonum*, ſed quem *ſolum* qui ponit, *violat extrinſecum Charitatis praeceptum*, ab Auctore Sacramentorum ad *eſſe materiae proximae Sacramenti* poenitentiae *elevatum* eſſe: ſive *Chriſtum* in continuae *Charitatis praecepto* tantopere inculcato, ac ſine ulla limitatione ad *omnia tempora*, et *actiones ſingulas* extenſo, *pro ſolo tempore ſuſcipiendi Sacramenti* poenitentiae *diſpenſaſſe*, hoc eſt illud, quod nobis paradoxum, Chimericum, prorſusque incredibile in dies magis, magiſque videtur, ac videbitur in aeternum. Hoc eſt, quod repugnat Angelico Praeceptori 1 2 q 114 a 4 ad 3: *Fides actus non eſt meritorius* (ſive juſtificationis, ſive vitae aeternae ut luculenter vidimus hic n XXXIV ad 3, et n XXXV ibidem) *niſi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galath* 5. *Similiter actus patientiae, et fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis haec ex charitate operetur ſecundum illud* 1 *ad Cor* 13: *Si tradidero corpus meum ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* An ſi caetera nihil proſunt, ſolus timor ſervilis, et amor concupiſcentiae tantum proderit, Ut primum ope Sacramenti *juſtificationem*, hac vero mediante vitam aeternam operetur? Nullum hoc aſſerendi habeo fundamentum. Imo audio reclamantem Apoſtolum ad Galath 5: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque praeputium, ſed fides, quae per charitatem operatur.* Et S Leonem ſerm 10 de Quadrag: *Nudae ſunt ſine charitate virtutes: nec poteſt dici in qualibet morum excellentia fructuoſum, quod non dilectionis partus ediderit.* Quam vero non *nudus*, ſed ſplendidiſſime ornatus, quamque *fructuoſus* eſſet timor ſervilis, ſi ope Sacramenti auream charitatis veſtem, ac dulciſſimum habitus dilectionis fructum proferret! optare hoc poſſunt attritioniſtae, non demonſtrare; quia ut iterum moralium Doctor S Gregorius Homil. 7 in Evang aſſerit: *Nihil viriditatis habet ramus boni operis, niſi manſerit in radice dilectionis.* Ergo *aridus* erit timor ſervilis etiam in Sacramento *reſpectu juſtificationis*, niſi *virideſcat ſucco initialis charitatis.* Scio attritioniſtas hujusmodi auctoritates applicare ad illam veritatem, quod charitas habitualis ſit *forma virtutum*, adeo, ut nullius virtutis actus ſit *meritorius vitae aeternae* abſque influxu *charitatis habitualis.* Quam doctrinam in *ſenſu poſitivo* toto corde amplector. Aſſerui vero toto hoc capite graviſſimis auctoritatibus, *charitatem* etiam *actualem* eſſe *formam extrinſecam*, et finem *caeterarum* omnium *virtutum* adeo, aliae virtutes ſine illa non fiant bene *extrinſece* defectu relationis ad Deum. Si non fiunt bene, ergo non ſunt ſufficiens diſpoſitio ad Sacramentum. Quid quod ſcriptura, et Patres *formam virtutum* non reſtringant ad charitatem *habitualem* excludendo *actualem.* Imo includunt ut not XI ad c I n XXIX, et ſaepe alias vidimus. Dicamus ergo, quod omnia hactenus dicta urgent, charitatem actualem eſſe finem, et formam virtutum actualium, ſicut habitualem habitualium: utramque neceſſariam eſſe ad meritum vitae aeternae: priorem vero, charitatem actualem etiam ad jus vitae aeternae, ad amicitiam inquam Divinam quoquo modo conſequendam. confer h n XXXIII. XXXV. XXXV. profecto quemadmodum haereditas non datur, niſi amantibus Filiis, ita ſine *actuali* aliqua *charitate* ſive in humanis, ſive in Divinis *filium adoptivum, amicumque fieri*, ipſis barbaris paradoxum puto viſum iri. Concludamus ergo cum Angelico 2 2 q 23 a 8 ad 2: *Charitas comparatur fundamento, et radici, in quantum ex ea ſuſtentantur, et nutriuntur omnes aliae virtutes.* Audi *virtutes*: non ſolum habitus. Itaque ex Angelico charitas actualis *ſuſtentat, nutrit*, perficit, formatque extrinſece omnes alias virtutes actuales. Ergo *informis* eſt timor ſervilis ſine radice, et *forma* initialis *charitatis.* Addamus igitur *hanc*, ne ipſum

Charitas forma extrinſeca virtutum.

ipsum Sacramentum poenitentiae *sine illa* informe sit: Scriptum est enim: *Qui non diligit, manet in morte.* Frustra addis: *extra Sacramentum*, aut quid hujusmodi, quod Apostolus de natura et charitatis, et Sacramenti a Christo ipso edoctus non addidit.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Sententiam Servilis attritionis, ut ex hactenus dictis patet, mere probabilem in propositione I *Innocentii XI implicite contineri, evidenti ratiocinio evincitur. Evasiones adversariorum refelluntur.*

Quarta Epocha *attritionis servilis ab Innocentio* XI *usque in hodiernum diem.*

Sententia initialem charitatem requirens in Sacrmto, est vere probabilis.

I. Quorsum, inquis, tot argumenta congerimus? maxima profecto ex ratione: nempe Ut eluceſcat, *opinionem initialis charitatis* ad Sacramentum poenitentiae neceſſariae *esse vere*, ſolideque *probabilem* Hoc unum eſt, quod toto opere demonſtramus, nobiſque concedendum omni argumentorum vi contendimus. Sane apud probabiliſtas (quales erant ſuperiori ſaeculo attritioniſtae omnes: Nam hodie agonizantem jam *probabiliſmum multi deſeruerunt*, ut Turnelius, Antoine, charmes &r. *attritione retenta*: alii utrumque adhuc mordicus tuentur, ut Tyrnavienſis, et hujus diſcipuli) *apud* inquam *probabiliſtas una ſolida ratio, tres, quatuorve* celebres *Auctores* faciunt *veram probabilitatem*: et non facerent indubitatam probabilitatem tot urgentiſſimae rationes noſtrae ex Scripturarum Sacrarum oraculis, Conciliorum decretis, Sanctorum Patrum effatis clariſſimis depromptae? non item facerent indubitatem auctoritatem tot clariſſimi Theologi? tot Doctiſſimi Epiſcopi? tot Cardinales Eminentiſſimi? Univerſitates celeberrimae? integrum denique corpus Paſtorum imperii Gallicani pro initiali charitate Sacramentali tanquam pro aris, et focis depugnante? nae qui his omnibus ſolidam denegaret probabilitatem, maximis, ſpiſſiſſimiſque ſcholae praejudiciorum veritati eruendae ſemper inimicorum tenebris adhuc cum obvelatum, nec tam ſe Theologum, quam partis, quam in juventute Magiſtrorum ſuorum ductu ſecutus eſt, incautum defenſorem eſſe facto ſuo confiteretur! Qualem ut nullum ex eruditis Lectoribus noſtris repertum iri confidimus; ita ex hactenus per nos dictis ſolidam, urgentiſſimamque *initialis charitatis probabilitatem* a neminae negandam extra dubium ſtatuimus. Ubi ergo erit *moralis certitudo* attritionis formidoloſae? nuſquam certe hactenus eam invenimus, ut ut unice quaeſitam. Contrahamus in pugnum kucuſque dicta. Non invenimus moralem certitudinem attritionis formidoloſae I in *Theologis ante-Tridentinis cap* I. non II *in ipſo Tridentino* cap II. IV. V. Non III in *ſyſtemate Tourneliano* cap III. Quaeſivimus eam IV in *natalibus*, et *educatoribus* ſuis cap VI. Invenimuſque attritionem admodum *timide* natam, *modeſte* educatam; mox *ob auctum ſibi conſentientium numerum animoſiorem factam*, ſed a 1667 ab Alexandro VII. Pontifice Maximo ſub poena Excommunicationis cenſuras utrinque interdictas, *donec a S Sede fuerit aliquid hac in re deſinitum.* Vidimus V *multitudinem attritioniſtarum* poenitus non facere moralem certitudinem cap VII. Ex adverſo autem VI eodem cap VII pro initiali charitate produximus tantos, taleſque Viros: nempe *Cardinales*, *Epiſcopos*, *Theologos*, quin *Univerſitates* integras, ut toti exercitui attritioniſtarum debellando pares

Ergo opinio ſervilis non eſt moraliter certa.

pares omnino esse videantur. A capite demum IX exposita vera notione perfectae, et *imperfectae* charitatis pro *hujus* ad Sacramentum poenitentiae necessitate tanta, tamque urgentia produximus usque huc argumenta, ut illa cujusvis hominis Christiani salutis suae studiosi animum gravissimo dubio de sententiae nostrae veritate concutere, tremefacereque possint, quin omnino debeant. Ubi ergo est certitudo moralis servilis attritionis? atque ut expositis terminis Theologicis propius ad veritatem accedamus, si opinio initialem charitatem requirens vere, solideque *probabilis* est, nemo attritionis servilis opinionem *ad moralem certitudinem* ingenue evenere potest. Quoniam *moralis certitudo intrinseca* tam claris, urgentibusque rationibus nititur ut excludat omnem *prudentem formidinem actualem*, et relinquat solam formidinem *logicam*, sive possibilitatis de opposito. Opinio vero *probabilis* intrinsece nititur motivo *gravi* ex intrinsecis locis Theologicis scriptura, Patribus, ac ratione desumptis, quamvis *absolute fallibilibus*. An attritionis servilis momenta excludant omnem actualem prudentem formidinem? aut potius an non sic mera, *motivis* quidem *suorum* judicio *gravibus*, *absolute tamen fallibilibus*, ac reipsa multorum illustrium virorum judicio *plane falsis*, *certe gravissima formidine plenis nixa opinio? judicent* ex hactenus dictis *omnes, quicunque animam suam* infinito pretio emptam *Salvare volunt!* Neque enim agitur hic de agro, sed de *Sacramentorum valore*: ideo expergisci unumquemque ad haec oportet! Porro Sententia *moraliter certa extrinsece* ea est, quae *unanimi consensu a Theologis fere omnibus defenditur*. Probabilis ea est, quae a Viris doctis *in utramque partem* disputatur. Tam evidens est hanc Controversiam a Natali suo constanter maximis animis, ac contentionibus in utramque partem agitatam esse, ut Alexander VII a 1667 Apostolica auctoritate prohibere debuerit, reipsaque prohibuerit alterutram eorum a privatis censura notari, *donec a Sancta Sede aliquid fuerit de ea definitum*. Recole cap VII per totum. Ergo quod Sententia initialis Charitatis usque ad dictam Alexandri VII prohibitionem fuerit vere, reipsaque solide probabilis, est veritas orbi erudito sole meridiano Clarior: et vicissim quod sententia contraria servilis attritionis non solum probabilis, sed omnino moraliter certa fuerit, est commentum, et falsitas facti orbi erudito ad arbitrium obtrusa, ac sine fundamento conficta.

Quid moraliter certum? quid probabile?

II. Si haec vera sunt, ut vel ex solo oraculo Alexandri VII sunt evidentissima, actum, desperatumque est de praxi servilis attritionis in Sacramento. Audi evidentem collectionem. Usque ad decretum Alexandri VII, annumque aerae Christianae 1667 Sententia servilis attritionis fuit tantum opinio *probabilis*, vel si vis, ut gratis transmittam, *probabilior* extrinsece (Pontifex appellat tunc *Communiorem inter Scholasticos*) *donec a Sancta Sede aliquid de ea re definiretur*. nec unquam, sive antea, sive postea altius eadem opinio assurrexit. Imo post duodecim annos a decreto Alexandri VII, anno videlicet 1679 Innocentius XI *non hac in re* quidem *directe*, sed *cum hujus materiae praxi* necessario *connexa* non *aliquid* solum, sed *grande quid* definivit: damnando videlicet hanc propositionem ordine 1: *non est illicitum, in Sacramenti conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiori: nisi id vetet conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: Hinc sententia tantum probabili utendum non est in Collatione Baptismi, ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Hoc est oraculum Christi Vicarii omnibus, qui Christiano nomine censentur, adorandum. Cujus damnationis contrarium est Catholicum hoc dogma: *Illicitum est in Sacramentis conferendis*, consequenter et in suscipiendis, *sequi opinionem probabilem*.

Si non est moraliter certa, ergo in praxi Sacramentorum est illicita.

Decretum Innocentii XI.

Explicatur. *probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore: idque non tantum in Baptismo, ordine Sacerdotali, aut Episcopali*, sed generaliter in omnibus Sacramentis, atque adeo in poenitentiae quoque Sacramento. Quibus verbis Innocentius XI ab *usu*, *praxique* omnium *Sacramentorum* removit omnem *opinionem*, quamdiu intra fines *probabilitatis* manet, sive illa *probabilis*, *probabilior*, vel etiam *probabilissima* sit, modo maneat *opinio cum formidine prudenti actuali de opposito*: et jussit *sequi non opiniones formidolosas*, sed semper *tutiora*. Patet ex verbis propositionis: *Non est illicitum in Sacramentis sequi opinionem probabilem relicta tutiore*: non dicit: *relicta probabiliori*, sed *tutiori*. Ergo in Sacramentis nefas est *opinionem* etiam *probabiliorem*, vel *probabilissimam* sequi, *relicta*, dum adest, *tutiori*. Sic etsi probabilius, vel probabilissime teneas tenuem cerevisiam esse aptam materiam baptismi, sub mortali tamen ea in Baptismo uti nequis relicta tutiori aqua pura. Rationem dat Limpidissimus Theologus Carolus Billuart de opinione probabili a 3: *Quia validitas Sacramenti non pendet ex opinione hominum probabiliori, vel probabilissima. Sed ex vera, et reali institutione Christi, quam cum non tollat, nec immutet opinio probabilior, vel probabilissima, non tollit periculum nullitatis, consequenter irreverentiae Sacramenti. Qui ergo dum ADEST TUTIUS, adhibet formam, aut materiam* Sacramenti *dubiam, probabiliorem, aut probabilissimam relicta tutiori, peccat I: contra Religionem peccato irreverentiae in Sacramentum, et ejus auctorem. II contra Charitatem* proximi, *et si sit Minister ex officio, contra justitiam, exponens suscipientem periculo carendi Sacramento, et ejus effectu. Idem censo de ipso suscipiente saltem quoad periculum irreverentiae.* Haec Billuart. Addit tamen: *extra casum necessitatis.* sive *quum haberi prodesti materia, aut forma tutior. Nam dum haec haberi nequit, tunc nedum probabilis, sed et dubia adhiberi potest, et debet* in Sacramentis mortuorum. *Quia cum Sacramenta sint propter homines, melius, et tutius est ea exponi periculo nullitatis, quam homines iis privare cum periculo damnationis aeternae. Insuper in his casibus non relinquitur quod est tutius. Nisi dicas, ut abstineat ab administratione Sacramenti: sed ut dixi, hoc non est tutius. Hinc potest, et tenetur Minister baptisare in necessitate, et defectu aquae naturalis in cerevisia, aqua congelata, vel rosacea, Lixivio. &c. Absolvere moribundum dubie* tantum *dispositum*: addita tamen conditione saltem mentaliter expressa: *si est apta materia, si es rite dispositus.* Sub hac enim conditione cum materia inepta non intenditur confici Sacramentum, consequenter cavetur irreverentiae periculum. (*a*)

In Sacramentis sequenda sunt tutiora.

Extra casum necessitatis.

LVI.

In Sacramentis vivorum casus, necessitatis non dat jus utendi dubiis.

(*a*) *Hanc limitationem*: extra casum necessitatis: *ad Sacramenta vivorum non extendo. Nam cum* haec *non sint* necessitate medii ad salutem necessaria, *ideo non debent sive confici, sive ministrari, nisi in materia certo tuta. Hinc neque ad dandum viaticum, neque ad satisfaciendum praecepto Diei Festi fas puto celebrare* cum hostia ex Cligine, aut jam mucescente: *nec cum* vino notabiliter acescente. *Et scandalum tolli potest monito prudenter populo. Quod tamen asserit Billuart de moribundo dubie disposito absolvendo, idem asserendum de eodem extrema unctione muniendo. Cum moribundo Sacramentaliter non absoluto* extrema unctio per accidens vices suppleat Sacramenti poenitentiae. *Si dicas: quotidie absolvimus ordinarios poenitentes, de quorum dispositione non sumus certi. Ergo licet sequi in materia Sacramenti sententiam* dubiam, *et* probabilem, *saltem* probabiliorem *relicta* tutiori *etiam extra necessitatem. Respondeo. Confessarius si vere* dubitet *ex rationibus gravibus, extra articulum mortis nequit absolvere, sed debet vel sufficienter disponere, vel differre absolutionem. Id enim exigit reverentia Sacramenti: ut late diximus cap X n XVII.* Rustici *si* defectu scientiae necessariorum laborare videantur, instruendi

III. Praedictam doctrinam de *tutiori via* in Sacramentis omnibus *extra neceſſitatis caſum* ſequenda admittunt nedum Tournelius, Antoine, Charmes, et alii, qui probabiliſmum inſectantur, retento, et defenſo attritioniſmo; ſed et admittere debent omnes probabilitiae. Teſte enim Cl. Patre, poſtea Reverendiſſimo Canonico Andrea Jáſzlintzki in Tract. de actibus humanis, omnes etiam regidiſſimi probabilitiæ docuerunt, poſſe ſequi ſententiam minus probabilem, et minus tutam cum hac reſtrictione: *niſi adſit circumſtantia reſtringens ad tutiorem partem ſequendam.* Quam circumſtantiam *ad tutiorem partem reſtringentem* docebant tunc adeſſe, *quum finis a lege, vel praecepto intentus non obtinetur per probabiliorem, vel probabiliſſimam opinionem, aut per ignorantiam invincibilem.* Sit haec major propoſitio mihi conceſſa. Atqui *ad valorem, et effectum Sacramentorum* conſequendum reipſa non juvat ſive *major probabilitas*, ſive *pertenſa ignorantia invincibilis, niſi ponatur* reipſa *vera materia, et forma a Chriſto ad rationem* ſingulorum *Sacramentorum certo determinata*, atque requiſita. Ergo *in praxi Sacramentorum ſemper adeſt circumſtantia reſtringens ad probabili, vel etiam probabiliſſima opinione ad tutiorem* partem ſequendam *propter periculum fruſtrationis Sacramenti*: quod quidem periculum omni probabilitati etiam probabiliſſimae ſemper inest. opinio enim natura ſua habet *formidinem* de oppoſito. Quam per *partem tutiorem* certo evitamus, et ut evitemus, reverentia Sacramentorum exigit.

Probabilis opinio docetur a juris cum reſtrictione: niſi quid reſtringat ad tutius.

Periculum nullitatis Sacrmti ſemper reſtringit ad tutius. Ergo in Sacramentis ſemper ſequendum eſt tutius.

IV. Illuſtrantur haec paritatibus etiam ab adverſariis noſtris neceſſario admittendis. *Tutiora*, relictis etiam probabilioribus, ſequende ſunt 1: in iis, quae *neceſſitate medii* ad ſalutem obtinendam credenda ſunt. Neque enim ſive quaevis ignorantia, ſive etiam probabiliſſima opinio efficere poteſt, ut ſalvetur is, qui non credit ea, quibus ut *mediis* Deus in hac providentia *ſalutem* noſtram *alligavit*. Sed nec *ignorantia*, nec ſumma licet *probabilitas efficiet*, ut *perficiatur Sacramentum aliter*, niu *poſitis effective iis, quibus illud perfici Auctor Sacramentorum voluit*. II. *Tutiora* ſequenda ſunt in *curanda valetudine corporali*. Videmus poſſim Doctores corporum diſertiſſime, et probabiliſſime de morbis diſcurrere, et tamen ineptiſſime mederi. Quia non *diſcurſus ſpeculativus*, ſed *apta medicina reipſa applicata ſanitatem adfert*. Ita etiam etſi tibi probabiliſſimum videatur, hanc illamve materiam, aut formam debitam eſſe Sacramenti, ſi tamen *id*, quod tu opinaris, *a Chriſto non accepit vim gratiae Sacramentalis cauſſandae, nunquam eam* reipſa *cauſſabit*. III. *Tutiora* relictis probabilioribus, *ſectanda ſunt in bello* inchoando, proſequendo, victoria obtinenda, *damno tertii evitando*. Neque enim paritur victoria, nec evitatur damnum ſubtilitatibus probabiliſſimis, ſed ponitis opere ipſo iis, quae hoſtem frangant, damnumque amoliantur. Ita in Sacramentis. IV. Univerſim *ad tutiora obligantur omnes* in iis, quae ex *conventione, voto, praecepto* ſuperioris agenda ſunt per *officiales, famulos, ſubditos, Religioſos, Profeſſores, Advocatos*. Quia hi praeſtare opere ipſo tenentur ea, de quibus *convenerunt*,

Caſibus, in quibus tutiora ſequenda ſunt, relictis probabilibus.

---

debite ſunt. *Si vero* indiſpoſitio appareat ex parte doloris TANTUM, *quod forte labialiter duntaxat videantur dicere ſe dolere, propoſitis debite motivis contritionis* eliciat Confeſſor cum eis dolorem debitum. *Quem ſi illi humiliter, et devote dicendo ſequantur, aquieſcat, quia jam adeſt* certitudo *ex communiter contingentibus. Nec haberi ab eis poteſt* tutius, *quia tunc vix ulli ruſtico dari poſſet abſolutio, ſi in iis notabilem contritionem requiremus. Ita citatus Billuart.*

quod *voverunt*, quod *praeceptum sibi est*; nec satisfacient *aliud agendo* etiam propter majorem probabilitatem, sed per *effectivam positionem eorum, quae jussi* sunt, et *per quae finis conventionis*, voti, aut *praecepti* obtinetur non in intellectu operantis probabiliſſime licet, ſed *a parte rei*. Ita *miniſtri Sacramentorum praeceptum habent a Deo*, natura, et *conventionem* tacitum cum *republica chriſtiana*, *quod fidelibus* non ſuas ſpeculationes, non probabilitates falſitati obnoxias vendant, aut impartiantur, ſed *Sacramenta eo Unice modo tutiſſimo*, nulli formidini obnoxio, *quo Chriſtus ea conferri voluit, et quibus ſignis gratiam ſuam tantum, non aliis alligavit*. Similiter omnes Chriſtiani hoc ipſum a Deo, et Eccleſia praeceptum habent graviſſimum, Sacramenta ita in praxi ſuſcipiendi, quomodo illa Salvator inſtituit, non quomodo ipſis probabilius ſufficere videtur. Ergo *univerſim* ut in praemiſſis paritatibus, ita *in Sacramentis tam adminiſtrandis, quam ſuſcipiendis omnis probabilitas*, etiam *probabiliſſima abeſſe debet*, ſed *unice tutior pars eſt eligenda*.

Alexander VIII Innocentio XI non eſt contrarius.

V. Ais: Alexander VIII damnavit hanc propoſitionem: *Non licet ſequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabiliſſimam* Ergo etiam *in Sacramentis* licet ſequi opinionem *probabiliſſimam*, nec tenemur ſemper *ad tutiora*. *Reſpondeo*: ſi ita eſt, Alexander VIII revocavit, et caſſavit potiſſimum priori parte propoſitionis ſuae damnationem ab Innocentio XI factam. Si enim ambo de una, eademque materia Sacramentorum agunt, contrarii ſibi ſunt: ait enim Innocentius XI damnando ſuam ſententiam: *Eſt illicitum in Sacramentis ſequi opinionem probabilem de valore relicta tutiore*. Alexander vero VIII aſſerit: *Licet ſequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabiliſſimam*. Si et hunc *de valore Sacramentorum* loqui intelligas, *quod negat Innocentius XI, affirmat Alexander VIII*. Ergo alterutrum erraſſe *ex Cathedra* (*a*) loquen-

---

Quid ſit loqui ex Cathedra Romanum Pontificem.

(*a*) Ex Cathedra *loqui Pontificem cum Bellarmino, et veriori Theologorum ſenſu cenſeo, dum in quaeſtionibus* Fidei, *et* morum conſultis, quorum intereſt, *accedente* antecedente, *vel* conſequente conſenſu Primorum Paſtorum oracula *Apoſtolica* ad totam Eccleſiam edit. *Pro talibus veneror damnationes propoſitionum, de quibus agimus. Utpote quae ſunt in quaeſtionibus* Fidei, *vel* morum. *Fiunt magna* Conſultatione praemiſſa: *et damnationes has orbis terrarum* Epiſcopi Communi conſenſu (in quo eſt tacita approbatio) receperunt. *Itaque his intervenientibus Conditionibus Chriſti Vicarium infallibilem eſſe nemo negaverit Iuxta illud: Paſce* oves meas, paſce agnos meos *Diſcernendo, definiendo, quae ſint* ſalutifera paſcua, *quibus fideles in* Fide, *in* Sacramentis, *et* moribus *ad vitam aeternam rite* paſcantur. *Neque ſic infallibilitas ſoli Eccleſiae attribuitur, nam ut* domum materialem, *ita* Spiritualem Dei Eccleſiam ſecundario *quidem* minores collective columnae *ſed* principaliter *firmum* fundamentum, *et* petra *angularis, ſive* Petrus *in ſuis ſucceſſoribus Romanis Pontificibus minoribus columnis, et toti aedificio Spirituali cohaerens ſuſtentat*. Tu es Petrus: et ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam: et portae inferi non praevalebunt adverſus eam Eccleſiam, te petra eam principaliter ſuſtentante: *nec item praevalebunt* adverſum te, *ut unitum toti Eccleſiae: quia ſic praevalerent* contra Eccleſiam tibi ut *capiti, et lapidi poſt Chriſtum angulari arcte cohaerenti. quod eſſet contrarium Divinae promiſſioni. Ex quo conſequens eſt*, privilegium inerrantiae *nec capiti Eccleſiae a ſecundariis Paſtoribus Epiſcopis ſejuncto: nec his omnibus licet per impoſſibile collectis: Sed Vicario Chriſti de fide, et moribus cum conſenſu antecedente, vel ſubſequente Primorum Paſtorum* (*qui eum*

Privilegium inerrantiae *nec ſoli Pontifici, nec omnibus Ep.*

quentem fatearis oportet. Ego vero hoc nefas puto vel cogitare, atque ideo cum Billuart, Tournelio, Antoen, Charmes, et aliis Innocentium XI loqui ſtatuo *de praxi Sacramentorum*. Ut jam diximus. Alexandrum VIII vero *de materia morum*, de pura honeſtate, et licitate actionum, de exiſtentia, obligatione Legis, ubi nullum eſt periculum ſive damni alterius, ſive fruſtrationis Sacramenti, aut Contractus: idque contra Sinichum, et Wendrochium, qui *omnem opinionem* univerſim rejiciebant, et in omnibus ſine diſcrimine *tutiora* ſequenda aſſirmabant. Contra quos duo ſtatuit Alexander VIII 1: in materia morum licere ſequi opinionem probabilem *extra concurſum*, ſive *unice probabilem*, dum in contrarium *nullum*, vel *leve*, ideoque *merito contemnendum* adeſt motivum. 2: in eadem morum materia æque licere ſequi opinionem *probabiliſſimam* etiam *minus tutam* (nam ſi una et tutiſſima ſit, nemo unquam dubitavit.) motiva enim probabiliſſimae ſententiae elidunt, ſuperantque motiva contraria reddunt que certum operantem, ſe *prudenter agere* eo ipſo, quod longe majoribus, firmioribusque rationibus nitatur, in quarum comparatione oppoſitae rationes leves, meritoque contemnendae judicari poſſunt. Utrumque hoc membrorum damnatæ ab Alexandro VIII propoſitionis procedit de obligatione Legis, de *licito*, de *honeſtate morum*, atque *actionum* tantum. Nam ſi agatur *de valore* Sacramentorum, etſi motiva *probabilioris*, vel *probabiliſſimae* ſententiae perſvadere *intellectum* meum poſſent de licitate, et honeſtate actionis meae, quia tamen *in praxi* Sacramentorum verſor, noviique, Sacramenta non perfici *per intellectuales rationes meas etſi probabiliſſimas*, ſed *unice* per poſitionem *materiae*, ac *formae* a Chriſto determinatae, ideo pro tollendo *dubio practico* debeo ulterius *inquirere determinatam Sacramenti materiam, et formam, ut Sacramenti valori conſulam*. Sic etſi *probabiliſſimum* mihi ut in hoc vepreto feram, non hominem latere: in hoc poculo vinum, non venenum contineri: neque tamen ſtante in oppoſitum longe minori etiam probabilitate in vepretum explodere ſine ſcelere poſſum, aut poculum ebibere: ſed teneor *tutius* ſequi. Cur hoc? quia *probabilioritas*, vel (ſi fas ſit etſi barbarius, expreſſius tamen loqui) *probabiliſſimitas* mea in poſitis caſibus nihil immutat in dumo, in poculo; multo minus facit, ut periculum non adſit, ut venenum non noceat. Ita etiam *probabiliſſima opinio de valore* Sacramenti non facit perfici Sacramentum, nili, quod *unice tutum eſt*, ponatur ipſa *materia, et forma, quibus* ſolum *Chriſtus illud perfici ordinavit*, quibus non poſitis ſive non ſequendo tutius, etſi *ſpeculative* prudenter operareris ſequendo opinionem *probabiliſſimam*, in *praxi* tamen *irreverentiam committes in Sacramentum*, illud periculo nullitatis, proximum vero periculo carendi fructu Sacramenti exponendo. Ita Billuart loc. cit. Ex quibus evidens eſt 1: Alexandrinam propoſitionem *in praxi* Sacramentorum locum habere non poſſe

Ille enim de materia morum: poſterior de valore Sacramentorum agit.

In Priori licere ſequi opinionem probabiliorem etiam minus tutam ſtatuit Alexander VIII

In poſteriori tutiora Innocentius XI.

---

capite ſuo uniti Eccleſiam Chriſti columnam, et firmamentum veritatis repraeſentant) tribuendum eſſe. Dum Roma loquitur, jam eſt veritas in ſe propter reverentiam capitis Eccleſiae, ut privato contrarium ſentire nefas ſit. Si vero ſubinde major pars Epiſcoporum vocem illam Petri eſſe agnoſcat facto, vel tacendo, ſive non contradicendo, jam evadit veritas quoad nos, ut ab omnibus poſitive amplectanda, adorandaque ſit. En rationem, qua in Eccleſia dubia, obſcura, et implicita clare explicantur. Nam novae definitiones Eccleſiae non ſunt novae revelationes, ſed veritatum et antea in verbo Dei Scripto, vel tradito (quoad nos obſcure) contentarum authentica explicatio, et ad credendum, ac faciendum omnibus Chriſti fidelibus ſub obligatione conſcientiae facta propoſitio.

pis: ſed Eccleſiae, hoc eſt Papae cum primorum Paſtorum conſenſu definienti tribui debet.

posse. II. In usu Sacramentorum non tam videndum, quid *intellectui* congruat ex opinione probabiliori, vel probabilissima, quam *quid sit conformius voluntati instituentis Sacramenta Salvatoris*: Consequenter in iis nunquam extra casum extremae necessitatis probabiliora minus tuta, sed *semper in praxi tutiora* sequenda esse. Evidens est III: ex opinione probabiliori, vel probabilissima in praxi Sacramentorum dictamen *practicum moraliter certum* formari non posse, nisi *sequendo tutius*. Semper enim *dubium remanebit*, an sequendo minus tutum non exponam Sacramentum nullitatis, et irreverentiae periculo. Quod quidem *dubium* tamdiu urgebit, et mordebit, donec attritionistae producant dispensationem Christi, qua penes opinionem *probabilissimam minus tutam* non urgeat Sacramentorum suorum valorem, et reverentiam: aut *alter, quam Ipsus instituit*, favore opinionis probabilissimae minus tutae illa confici posse indulgeat. (nos contrarium evicimus ex Innocentiana propositione.) Quod quia non producent in aeternum, fateantur necesse est, *in praxi Sacramentorum* post damnatam ab Innocentio XI citatam propositionem locum opinionibus quibusvis etiam *probabilissimis minus tutis* penitus non esse.

Ex his fluit Demonstratio evidens.

In Sacrmtis illicitum est sequi opiniones mere probabiles minus tutas.

Talis est opinio servilis. Ergo ea in Sacramento locum non habet.

Sed unice tutior initialis Caritatis.

VI. Praemissa igitur hanc nobis demonstrationem suppeditant nunquam ab attritionistis solubilem: ex damnata ab Innocentio XI propositione I *Illicitum est in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, probabiliorem*, atque etiam *probabilissimam de valore relicta tutiori*. Hoc modo audivimus, et in clara luce collocavimus hic a n II. Atqui sententia *attritionis servilis est ad summum opinio mere probabilis*, sive *non excedit fines probabilitatis*. Hoc demonstratum dedimus hic n I, locisque ibi indigitatis. Ad haec. *opinio attritionis formidolosae* est evidenter *minus tuta*: ut nec adversarii negant (praeter Salmanticenses, de quibus, mox visuri) quia *exponit Sacramentum poenitentiae periculo nullitatis, si*, ut hactenus contendimus, *a Christo non fuit pro sufficienti ejusdem Sacramenti materia elevata*. Ex adverso autem opinio *initialis Charitatis* ad idem Sacramentum necessariae est manifeste *tutior*, imo unice *tuta*, quia *removet omne periculum nullitatis* Sacramenti: eo quod nedum *initialis*, sed et *perfecta*, et *perfectissima Charitas* ad Confessionale adducta *stet*, stareque debeat *cum veritate absolutionis Sacerdotalis*, atque cum integritate Sacramenti poenitentiae. Ut cap IX a n LV evidenter docuimus. Ergo *in Sacramento* poenitentiae *conferendo, illicitum est sequi sententiam attritionis servilis relicta tutiori charitatis initialis*. Haec est conclusio Theologica toto opusculo nostro quaesita e praemissis altera manifesta facti veritate, altera ex damnationis contrariae opinionis indubitatis erута.

Altera demonstratio pars priori. Quod nefas est administranti, fas non est recipienti Sacramentum.

VII. Ut Ovum ovo, ita praemissae argumentationi similem statuimus hanc sequelam: illicitum est sequi opinionem probabilem relicta tutiori de valore *in conferendis Sacramentis*. Ergo et *in recipiendis*. An forte quod non licet *Confessario* Sacramentum poenitentiae conferenti, licitum putabis poenitenti idem Sacramentum recipienti? correlativa haec sunt: Sacramentum enim poenitentiae ex contritione, et Confessione *poenitentis*, et ex absolutione *Sacerdotis*, velut partibus Sacramenti poenitentiae consurgit. Ergo quod illicitum est *Sacerdoti conferenti*, fas non erit *poenitenti recipienti*; tanto a fortiori, quod *poenitens debeat ponere materiam* tutiorem: Sacerdos vero eam absolutionis ad Sacramenti rationem elevare. Bina haec argumenta, ut ineluctabilia sunt, ita attritionis servilis usum, et praxim a Sacris tribunalibus extra articulum extremae, ut vidimus, necessitatis aeternum exterminant.

VIII.

VIII. Quoniam in his consistit cardo rei, juvat hæc confirmare verbis P La Croix summi probabilistæ, et servantissimæ: qui Lib 6 par 1 a n 104 Clarissime docet omnia hic a nobis dicta. Sic autem differit: „ Peccat mortaliter, qui in administratione Sacramentorum sequitur sententiam tantum *probabilem de valore, relinquens tutiorem.* Nam Innocentius XI damnavit hanc 1 propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probili tantum utendum non est in collatione Baptismi, ordinis Sacerdotalis, et Episcopalis.* Ratio autem est, quia opinio probabilis nihil immutat, addit, vel substituit pro illo, quod forte ad valorem requiritur. Ergo secundum hanc operando Sacramentum exponitur periculo nullitatis. Ergo eodem modo peccatur, quo peccaretur, si Sacramentum reipsa frustraretur, seu fieret irritum. Quia in moralibus facere, et exponere se periculo faciendi censetur idem: frustrare autem Sacramentum est mortale imprimis contra virtutem Religionis, quia est gravis irreverentia in Christum, qui Sacramenta instituit eo fine, ut dum ponerentur praecipuae eorum partes, fierent completa valida, et causarent gratiam, quo fine frustratur Christus. Ideoque audiendi non sunt Vasq. Sanchez *in Decal lib I cap 9 n 33*, 1 Sanchez. Rhod. Dicast *de poenit.* alique dicentes: hoc non esse contra Religionem; nam saltem id nunc est certum: et fatetur Dicast si adsit praeceptum Ecclesiae, uti nunc est *Praeceptum Innocentii* XI. (a) Qui ex motivo reverentiae erga Sacramenta prohibet praxim opinionis oppositae, idemque per *praeceptum suum* facit materiam prohibitam pertinere ad virtutem Religionis secundum dicta L 1 n 626. Deinde potest esse mortale etiam contra *charitatem*, quia sic conferens exponit suscipientem periculo carendi fructu Sacramenti. Praeterea potest esse mortale *contra justitiam*, si nempe minister teneatur, aut se ingerat pro illo, qui tenetur ex officio, vel contractu Sacramentum ministrare. Tunc enim in se suscipit obligationem illius, uti notant Dicast. et Bosco. Imo I Sanchez, Rhod, et alii putant contra *Dicast* quemcunque ministrum, qui omissis certis, utitur tantum probabilibus, peccare *contra justitiam*;

Consentit sic nobis P La-Croix.

De probabilibus in Sacramento non sequendis.

Et in hoc corrigens anteriores probabilistas

(a) *Imo Innocent XI non* suum, *non* Ecclesiae praeceptum *de novo statuit, sed* jus Divinum declaravit, *quum damnavit opinionem de usu probabilium in praxi Sacramentorum de valore relicta tutiori. Damnavit enim dictam propositionem eo, ut* valori Sacramentorum *consuleret, ne haec* nullitatis periculo cum dubia materia, *vel* forma *amplius exponerentur. At Trid sess* 21. *cap* 2 *definiente Pontifex, vel Ecclesia circa Sacramentorum* valorem, materiam, et formam *statuere* contra Auctoris Sacramentorum determinationem *nihil potest: sed* depositum, *et institutionem Christi circa haec tenetur* custodire. *Alias hodie posset Indulgere Pontifex, ut in Sacramento* probabilis materia relicta tutiori *adhibeatur. Quod falsissimum omnibus est. Ergo Innocentius semper* et antea praeexistentem, *sed per probabilistas obscuratam, et negatam* Legem Divinam de tutioribus circa valorem Sacramentorum sequendis *vindicavit, explicuit, vigorique suo restituit*, non *vero* novam legem suam pure Ecclesiasticam tulit *damnando dictam propositionem. haec si animadvertisset P La-Croix, in horrendum illud paradoxum, quod hic n XVI deplorabimus, non impegisset. Conf not hic ad n V in fine. Imo ipsius h n IX in n ad Conf* 1 *agnoscit damnationem proponum* esse declarationem *fallitatis. Ergo Innocentius XI non fecit pponem* in se falsam, *sed* falsitatem *ejus* in se *jam ante praeexistentem* quoad nos declaravit.

Innocentius XI jus Divinum explicuit, non legem tulit mere Ecclesiasticam.

quia hoc ipso quod ministrare velit, tacite se obligat ad ita ministrandum, ut res exigit, quo jure suo vult sibi ministrari suscipiens; qui omnino vult sibi adhiberi certa, petiturus Sacramentum ab alio, si sciret hunc operari velle secundum probabilia tantum.

Extendens doctrinam etiam ad Sacramenta non necessaria ad salutem.

„ Valent jam dicta, etiamsi Sacramentum administrandum non sit necessarium ad salutem: ut tenent nunc omnes communissime contra Dianam, Moyam, et alios, quia esset saltem grave *contra reverentiam Sacramenti.* Et quae adversarii opponunt, bene confutat Bolco. Nec sunt magni momenti."

Atque etiam ad suscipientem Sacramenta.

IX. „ Peccat graviter, qui etiam in susceptione Sacramenti sequitur opinionem *minus probabilem* de valore Sacramenti pendente etiam ab ipsomet suscipiente, *reliquendo tutiorem:* quia quamvis decretum Innocentii XI expresse loquatur *de solo conferente*, tamen *idem est de suscipiente.* Carden. Gormaz. aliique nunc communiter contra Vasquez. Diana supra, et *Rodes:* Ratio autem est, quia etiam suscipiens si relinquat tutiorem, exponit Sacramentum periculo nullitatis: ergo etiam *Committit irreverentiam in Authorem Sacramenti.* Deinde si Sacramentum sit de necessitate salutis, repugnat rationi naturali, quod ex Charitate tenear providere securitatem alteri, et non mihi: inquit recte Dicast."

Objicies. Damnatum non est, quod *suscipiens* licite sequatur talem opinionem probabilem. Ergo cum graves authores asserant id licite fieri, sequi possumus. *Conf* 1. nam damnatio propositionum est odiosa. Ergo cum loquatur de solo conferente, non debet extendi ad suscipientem. *Conf* 2. quia cum conferens operetur nomine Christi, et active debeat concurrere ad gratiam, potuit Ecclesia per damnationem propositionis velle hunc magis reverentem, et solicitum reddere, non item suscipientem. Maxime cum suscipiens possit velle carere fructu Sacramenti, ergo ex damnatione circa conferentem non debet inferri damnatio circa suscipientem. *Respondeo* 1: Damnatum non est *formaliter.* C. *Virtualiter.* N. Illa autem propositio dicitur damnata *formaliter*, quae damnatur expresse in suis terminis. Illa damnatur *virtualiter*, cujus falsitas legitime infertur ex damnata formaliter. et talis est propositio *de suscipiente. Ad Conf* 1. N ant. quia est declaratio falsitatis conducens ad utilitatem particularium omnium, et singulorum fidelium. Ergo materia ejus est conveniens, et velut beneficium omnibus, ad quos damnatio dirigitur. Ergo non est odiosa, sed favorabilis secundum dicta. *Ad Conf* 2. neg. Conf. Quia cum praecipua ratio damnandi fuerit cavere irreverentiam in Christum, quae etiam committeretur a suscipiente cum periculo nullitatis, *ex falsitate* propositionis *circa conferentem* legitime infertur *falsitas* propositionis circa *suscipientem. Respdeo II:* Licet permitteremus damnationem esse odiosam, et propositionem de suscipiente nullo modo esse damnatam; tamen nunc scimus esse falsam: quia secundum illa certo committetur irreverentia in Christum, uti saepius dictum est. Nec verum est, quod volens suscipere Sacramentum, possit velle carere fructu Sacramenti. Id enim est injuriosum institutioni Christi, qui voluit per Sacramentum causari, et conferri fructum Sacramenti."

Idem P La Croix doctrinam suam extendit etiam

X. „ Peccat graviter, qui in Sacramentis *conferendis*, vel *suscipiendis* sequitur opinionem *probabiliorem*, aut etiam *probabilissimam* de valore, *relicta tutiore.* Uti de probabiliore docent expresse cum communi Sanchez. Garden. Gorm. Eadem autem est ratio *de probabilissima*

ſima: nam *opinio* etiam *probabiliſſima manet intra terminos ſolius probabilitatis*, ut ſuppono, et reipſa eſt tantum probabilis, prout *probabilis* opponitur tutiori; et ex eo, *quod haec ſit probabiliſſima, non taeo eliditur probabilitas oppoſitae.* Ergo ſequendo illam, adhuc exponitur Sacramentum periculo nullitatis." *ad opinionem probabiliſſimam minus tutam.*

„ Ex hactenus dictis ſequitur, peccari moraliter, quoties Sacramentum confertur, vel ſuſcipitur adhibendo materiam, vel formam non certo, ſed dubie, vel probabiliter tantum validam." Hactenus P La Croix victus veritate propoſitionis ab Innocentio XI damnatae. Quibus ipſus funditus evertit attritionem ſervilem a ſe mordicus defenſam. Etenim

XI. Ipſi attritioniſtae fatentur, deſperatum eſſe de ſua ſententia, ſi illa ſit tantum *probabilis*, *probabilior*, vel *probabiliſſima*, ideſt intra latitudinem *meae opinionis*: ideo ut ſerviliſmum ſuum ſubtraherent decreto Innocentiano, communi conſenſu, ſtupendo auſu ſententiam ſuam ad dignitatem moralis certitudinis extulerunt contra decretum Alexandri VII illam *communiorem inter Scholaſticos appellantis*. audiamus mox cit P La Croix magnum chorum ſuorum ducentem L o p a n 873. ubi ad Quaeſtionem: *An ſententia tenens attritionem ſufficere cum Sacramento ſit practice certa?* Rdet: negat Le Drou, ſed plurimi affirmant. Nam Amicus, et Eſparſa vocant *indubitatam*. Arideк dicit videri ita *ſecuram*, *ut amplius prudenter dubitari de ea non poſſit*. Tanner, Conjung vocant *ſatis certam*. Praepos. Prado, Salas, Viva *moraliter certam*. Suar. Leſſ. Rayn Fernand, Diana, Martinon, Perez, Mendoz, Caſtr, Dicaſt, Illſung *abſolute certam*. Card de Lugo, Sporer, Boſco *communem*, *et certam*. Filliuc. Oropega, - Francolin *certam in praxi*. Fr Lugo, Bonet, Maid, Le Dent *tutam in praxi*. Averſa *tutam poſt Tridentinum*. Gormaz *practice*, et *indubie certam*. Eſtrix, et Cardenas *certam*, *et omnino tutam*. Leander, Seraphinus a Concept vocant *certiſſimam*. Bonaeſpei, et Arriaga dicunt videri *ſibi eſſe fere de fide*. Moya dicit eſſe *veritatem inter fidei dogmata numerandam*, et addit hoc *certa fide eſſe tenendum*. Stoz vocat *ex fide Catholica certam*. Medina, Ledeſma, Bellarminus, Fagund, Abelly, Sanchez, Paſqv, et alii cum Moya dicunt, *determinatam in Tridentino*. Paulus de Palatio vocat *certiſſimam*, et definita *Triden*. Binsfeldius *probatam a Conc Trid* ſententiam. Sylveſter de Prieras *doctrinam Sanctorum*, et *Maxime S Th*. Gabriel a S Vincentio, et Meratius *Communem Catholicorum ſenſum*. Canus, et Petrus a S Joſeph *communem Eccleſiae ſenſum*. Henriq, Rhod, et alii dicunt hoc tempore *non poſſe ſine temeritate, vel errore negari*. Bonaeſpei poſtquam vocavit fere *certam certitudine fidei*, addit ſe Romae an 1654 in capitulo generali cum approbatione Magiſtri Palatii inter alias Theſes ſummo Pontifici dedicatas defendiſſe etiam hanc: *Contritionem vero omnem, quae non ſit ex motivo charitatis, inutilem eſſe ad abſolutionem Sacramentalem, prope haereticum putamus.* Ohe ſatis cenſurarum! tu Lector veritatis ſtudioſe! confer haec cum dictis cap II. IV, et V de *mente Tridentini*: cap VI natura attritionis ſervilis, cap VII de *auctoritate multitudinis attritionariorum*: et miraberis tot, et tam audaces ſine fundamento ſolido doctorum virorum aſſertiones, diſceſque nonomni Spiritui credendum eſſe. *Adverſarii ut juvent opinionem ſuam, eam ad gradum certitudinis extulerunt.*

XII. Sed audiamus porro P La Croix L cit n 874: *Si* ſententia attritionis *non eſſet practice certa, ſed tantum probabilior, aut probabiliſſima, continueretur in damnatione* 1 *propoſitionis* Innocent XI. Peregregie. *Quid ultra quaerimus teſtes? ipſi audivimus ex ore* adverſariorum.

orum. Assummo ingenuam hanc veritatis confessionem pro me, et hic urgeo agonizantem attritionis sententiam. Edisserant nobis adversarii: ubi? quando? qua auctoritate evaserit sententia attritionistarum practice certa? vidimus cap VI n XXXVI. XXXVII, eam usque ad tempora Alexandri VII, annumque 1667 fuisse *opinionem* tantum *communiorem*: subiecuta est post 12 annos, 1679 damnatio 1 propositionis ab Innocentio XI facta. Magnus enimvero saltus saltaneus esset ab attrionistis, orbique erudito incredibile quid tentaretur ab iis, si in se assumerent probandum: sententiam attritionis formidolosae 1667 *Communiorem* duntaxat inter *Scholasticos*, repente intra undecim annos ita evasisse felici saltu *moraliter certam*, ut jam anno duodecimo, 1679 non esset *opinio*, sed *certitudo*, nec proinde contineretur sub propositione ab Innocentio XI eodem anno damnata. Hoc quia in æternum non probabunt attritionistæ, fateantur oportet, sententiam suam tunc quoque *meram opinionem* fuisse, proinde in *propositione Innocentiana* contentam Lethali vulnere sauciatam exstitisse, hodieque ex eodem vulnere animam agere. quis enim eidem subide medicam manum cum effectu adhibuit? quis inquam eam ex modo dictis, ac vi evidentis ratiocinii anno 1679 in propositione Innocentiana *contentam* ab illa exemit? petimus demonstrari. Qua in re, ut labore tanto eos levemus, vidimus ex Doctorum maximo Benedicto XIV *cap* VI n XXXV id, quod Inventores, et Excultores attritionis *tanta cum circumspectione* affirmarunt, *posteriores Doctores* OB AUCTUM SIBI CONSENTIENTIUM NUMERUM ANIMOSIORES FACTOS *non solum absque ulla dubitatione, et limitatione asseruisse, verum contrariam sententiam eamque reprehendere, censuraque afficere non dubitasse.* At vidimus una *cap VII: multitudinem Doctorum moralem certitudinem non facere*: cum potissimum hi posterioris doctores *ob auctem sibi consentientium numerum animosiores facti* infere Concilii *Tridentini auctoritatem pro sua moralt certitudine* assidue inclament. *apud La Croix loco modo cit.* In quo tamen nihil praeiudii eis esse posse, et nos ostendimus cap II. IV. et V. Et cordatiores ex ipsis attritionis patronis ingenue confitentur. *cap III n VII.* Unde quod irrefragabile est, Laudatus quoque Benedictus XIV Sententiam attritionistarum hodiedum *sub lite esse*, adhuc in utramque partem impune dimicari, proinde *puram putem scholae opinionem* utrinque *disputabilem* esse asserit Synod Diœces L 7 c 13 n 9i Ruit itaque undique moralis certitudo attritionis formidolosae. (a) Stat eam fuisse semper, essequé hodiedum Scholæ *opinionem*: in propositione proinde Innocentii

Moralis certitudo attritionis gratis asseritur ab adversariis.

Nefas est articulos fidei fingere.

(a) *Eorum, qui attritionis servilis in Sacramento sufficientiam, ut modo apud La Croix vidimus, asserunt* fidei dogma *esse: quales sunt Moya, Stoz, eorum inquam hallucinationem longe omnium pernitiosissimam esse, nemo negaverit, qui advertit,* aeque iniquos in veracitatem Divinam *esse eos, qui* Deo aliquid attribuunt, quod tamen Deus locutus non est, *nec revelavit, ac eos,* qui reipsa loquenti, et revelanti non credunt. *Quare articuli fidei periculosae obtruduntur* sine auctoritate Ecclesiae eos proponentis *cum* fine hoc *semper dubium sit, ne non sit locutus Deus. Quin et* certitudinem *moralem* imaginariam *duntaxat vendimus. si alii graves, doctique viri eam adesse gravibus ex rationibus inficientur. Ut in casu, quem versamus, evenit. Sensus omnis nostra Theologia, quin et fides ad* Spiritum privatum *miserando casu redigetur, si liceat unam, eandemque rem e. g. attritionis sufficientiam aliis* opinionem, *aliis certitudinem, aliis* fidei dogma *pro suo arbitrio proclamare: potissimum si id fiat multitudinis tantum suorum* animositate, *ut hic factum esse, mox ex Benedicto XIV didicimus.*

tii XI implicite vi neceſſariae illationis Theologicae contineri, ſicque contentam a foro, praxi, ac uſu ſacrorum tribunalium aeternum abeſſe juſſam eſſe.

XIII. Juvat haec illuſtrare teſtimonio attritioniſtarum; nullum enim eſt efficacius argumentum quam *ex conceſſis* adversariorum. Itaque Scholaſtici Salmanticenſes tom 12 p 2 tract 24 Diſ 7 dub 1 § 6 n 51 de praeſenſa attritionis ſervilis *morali certitudine* ita ajunt: *Haec reſponſio non ſatisfacit, nec juſtineri poteſt. Defert enim aſſertioni noſtrae omnimodam certitudinem fundatam in definitione Tridentini Concilii. Philaletus refert centum auctores contrariam nobis ſententiam inſtituentes. Et quidquid ſit de hoc; aſſertionem noſtram eſſe definitam in Tridentino conſtat ſatis evidenter ex Decret. Alexandri VII. Pontifex prohibet cenſuras in unam, et alteram partem, donec, inquit, ab hac S Sede fuerit aliquid definitum: Palam ſupponens NIHIL HACTENUS* (uſque ad Alexandrum VII) *DEFINITUM ESSE ab Eccleſia circa illam controverſiam.* De altera vero evaſione attritioniſtarum, quam Innocentius XI prohibet ullum opinionis probabilis *in conferendis* tantum, non etiam *in recipiendis* ſacramentis (de qua nos hic n VII. IX. X) *haec reſponſio* inquiunt Salmanticenſes, *eſt mera fuga ſpeculativa, menti Pontificis in illa propoſitione repugnans.* Hoc teſtimonium ab ipſis attritioniſtis, qualeſ ſunt Salmanticenſes, datum extra dubium ſtatuit omnia ea, quae nos a n hic VI diximus. Quod proinde hactenus recipimus ut *ſalutem ex inimicis noſtris.* *Etiam judicio attritioniſtarum.* *Luc 1 v 71.*

XIV. At enim emplaſtrum aliud, quod dicto vulneri attritionis ſervilis applicant dicti Salmanticenſes, eſt prorſus paradoxum, ſanandoque tanto vulneri penitus ineptum. Ajunt enim n 53: *Ut autem non videamur difficultatem fugere, aut timere, reſpondetur admittendo totum ſillogiſmum. Noſtra namque ſententia non ſolum eſt probabilior, ſed et tutior, quam contraria.* Horrenda reſponſio! ſed abſurdior, quam dant, ejus ratio. Eſt autem haec: *Amor charitatis Dei ſuper omnia conjungi nequit cum peccato mortali. Hic eſt enim error Baii. Ergo ut hic error declinetur, dicamus oportet, attritionem ſervilem omni charitate vacuam eſſe longe tutiorem: imo unice tutam: quia Sacramenti praxim defendit.* Haec Salmanticenſes. Quae nec mirari ſatis, nedum probare poſſumus. Quis fuerit Baii error, et quantum diſtet a ſententia amoris initialis, diximus ſaepius. Inſpice cap XV n XXXIX. is enim non diſtinxit *initialem* charitatem *a perfecta*, et *habituali*, not 5 ad cap 1 n XXIX. ideo imperfectionem prioris poſteriori erronee adſcripſit. Nec diſtingvunt Salmanticenſes hic, ideo materiam Sacramenti poen. omni charitate vacuam *longe tutiorem* auſu fulmine Vaticano digno commiſcentur. At nos *initialem* a perfecta charitate neceſſario diſtingvendam eſſe ex ipſorum Salmanticenſium doctrina cap IX n XL invicte demonſtravimus. Quin et charitatem perfectam Sacramenti poen. *aptam, non neceſſariam* materiam eodem cap IX a n LV evicimus. ex quibus aſſerta attritionis ſervilis *tutioritas* ſuapte evaneſcit. Et merito: illa enim ſtante pleno pulmone omnes animarum Curatores clamare deberent: *Chriſtiani! hoc praeceptum novum a Doctoribus Salmanticenſibus inventum vobis adnunciamus, et inculcamus: dum accedetis ad Sacramentum poenitentiae, cavete diligenter etiam a minimo, et initiali amore Dei, longe magis a ferventiore charitate, quia ſic componetis amorem Dei cum peccato mortali: ſic eritis haeretici Bajanſtae. Longe tutius accedetis ad hoc Sacramentum ſolo gehennae, et poenarum metu perterrefacti. Sic enim longe eritis a Baii erroribus, tutiſque defendetis praxim Sacramenti poenitentiae.* &c Quae obſecro! aures ſanae audire ſuſtinerent haec deliria? quae tamen ſunt neceſſaria ſequela ſophiſmatis Salmanticenſium. *Salmanticenſium abſurdum commentum.* *Refellitur.* *Abſurdae ſequelae ejus.*

um. Quorum proinde opinio est I: absolute contraria omnibus Doctoribus Catholicis. Nemo enim hactenus vel somniavit attritionem servilem esse *tutiorem* initiali charitate. II. Stante illa opinione omnes Catecheses praescribentes actus Charitatis, et contritionis in Sacramento poenitentiae, comburendae sunt. III. Hoc commentum regnum Christi Charitate partum, Charitate erectum, Charitate perfectum funditus evertit. Si enim fideles actum Charitatis tempore Sacramenti poenitentiae non elicient, quando alias elicient? conf cap X a n II. IV. Quin et in articulo mortis cessabit Lex charitatis cum Sacramento poen. eliciendae. Quia in tremendo illo articulo quod *tutius* est, agere debemus. Si ergo *tutius* est Sacramentum cum *sola attritione* suscipere, ad hoc omnibus viribus conandum est, remota omni charitate velut Sacramento *inimica*. Nec est quod reponant docti Salmanticenses, se *suadere* Charitatem etiam in Sacramento, sed necessitatem *inficiari*. Nam si charitas quaevis Sacramenti efficaciam destruit, ut consulatur Sacramenti integritati, nefas est illam suadere. Denique singularis haec inexcocta cogitatio bellum inducit scripturis Sanctis, Conciliis, et Patribus omnibus, qui omnes charitatem Dei in Sacramento inculcant, quam illi in eodem totam quantam conculcant. recole cap I. et IX.

Aliae evasiones attritionistarum.

XV. Fortissima attritionistarum tela sunt haec Innocentius XI. nihil de attritionis servilis insufficientia decidit: quia Benedictus XIII in Synodo Romana, et Benedictus XIV in Synodo Dioecesana L 7 c 13 confitentur litem hanc attritionis a S. Sede indecisam esse hodiedum. Quin II: idem Benedictus XIV n 9 monet Episcopos, ne *aliquid decernant* sive de *attritionis sufficientia*, sive de *amoris initialis necessitate*. *Adhuc enim sub judice lis est.* III: Benedictus XIII aperte favet attritioni puae. IV. Martinus *Esparsa*, qui examini propositionum ab Innocentio XI damnatarum ut *consultor* interfuit, post damnationem earum scripsit ad Belgium inter reliqua: *Apud censores praedictarum propositionum actum fuisse in propriis terminis de sufficientia attritionis, atque ex consensu omnium, qui aderamus, sententiam communem manisse incolumen.* Unde Franciscus Zacharias apud La Croix Libr 6 p II n 874 exponit Concinae, quod *ad haec, in quibus vis sita potissimum est Esparsani testimonii, nihil addiderit.* Ex quibus conficitur V: Sententiam attritionis servilis adhuc tolerari ab Ecclesia. Cum potissimum VI sciant Pontifices doceri a multis fundamento Concilii Tridentini nixis, deberent contrarium declarare. go quia non faciunt, tolerant. VII Denique attritio servilis toties a Rigoristis Sedi Apostolicae fuit proposita cum potentissimis instantiis, nec tamen fuit damnata. *Ita La Croix n 855*, et seqq. Qui VII citat ibi n 860. *Communem sensum fidelium cum attritione* sine scrupulo *confitentium*, et *confessariorum pene omnium eos absolventium.* Verum hac non evehunt servilistarum ex statu probabili ad moralem certitudinem. Ad I nostram hic faciamus distinctionem, quam La Croix n 876 suggerit: Innocentius XI de insufficientia attritionis nihil decidit *authentice per claram definitionem*, in specie, et in propriis terminis, verum est. At decidit *in thesi dogmatica damnatae propositionis* 1, exqua *per discursum argumento Theologico* certe, et evidenter *inferre licet in Sacramento poenitentiae usum, ac praxim attritionis servilis prohibitum esse.* Id reponimus ad duos Benedictos. Neque enim praetendimus attritionem servilem ab Innocentio XI *in specie*, et *suis terminis* damnatam esse, sed contendimus solum, *argumento Theologico certo*, et *ineluctabili inferre nos ex damnata ab Innocentio XI 1-ma propositione usum attritionis in praxi illicitum esse.* conf h n IX, et XIII. At hoc posito adhuc verum est, quod duo Bene-

Solvuntur.

Servilis opinio damnata non est IN SE, et IN ALIO explicatur.

dicti

dicti ajunt, *Litem* attritionis ſervilis *in ſpecie*, et *in propriis ſuis termi*, *nis* a Sacra ſede *indeciſam eſſe*. Ad II: Monet ſapientiſſimus Pontifex nequid Epiſcopi in hac materia *in ſpecie*, *definitive*, *authentice*, per *claram deciſionem decernant*. At ſicut n 10 eosdem non prohiberi ait, *monere confeſſarios*, *ut poenitentes ad veram*, *et perfectam Contritionem hortentur*, *et excitent*, ita eo ipſo, quod *adhuc ſub judice litem eſſe* innuat, indultum ſibi Theologi putant, monere confeſſarios argumento Theologico, quod invictum cenſent, ex damnata per Innocentium XI propoſitione ducto, ne Confeſſarii uſum, ac proxim attritionis in Sacramento poenitentiae admittant. Ad III. Benedictus XIII non *determinate*; ſed *disjunctive* loquitur: *ſufficiens*, inquit, eſt in Confeſſione *attritio*, *eaque aut pura aut ad ſummum ea*, *quae conjuncta eſt cum aliquali principio amoris benevoli in Deum*. *Quod hodiedum indeciſum manet a S Sede*. *Part III Synodi Romanae*. Ubi vides: disjunctivam eſſe locutionem per *aut*: innuique, rem adhuc *incertam*, *dubiam*, quia *indeciſam* in ſuis terminis a *S Sede eſſe*. Eo ipſo autem quod ambo Benedicti *XIII* et *XIV* aſſerant Litem indeciſam eſſe, pro utraque parte adhuc *impune dimicari*, agnoſcunt utramque ſententiam *meram opinionem* eſſe *utrinque probabilem*: nili itaque dicamus *Benedictos* reprobaſſe damnationem propoſitionis I Ab Innocentio *XI* factam (quod vel cogitare ineptire eſſet) manifeſte conſequens eſt, ex *verbis Benedictorum XIII*, et *XIV*. *Cum damnata ab Innocentio XI propoſitione collatis uſum attritionis ſervilis in Sacramento poenitentiae reprobatum eſſe*. Ad IV. Cum P Eſparſa acerrimus fuerit probabiliſta, et attritioniſta (utpote qui cenſuram celebrem ſcripſit adverſus opuſculum *Rmi* P Generalis Tirſi Gonzalez, quo hic probabiliſmo bellum indixerat) quod ait: *ex conſenſu omnium*, *qui aderant*, *incolumen manſiſſe ſententiam communem*, *in propria cauſa teſtis ſingularis* eſt. Nam vi argumenti Theologici opinio attritionis neceſſario debet contineri in propoſitione I Innocentii XI. Secus ut urget Concina Diſſ 2 de attrit c 10 § 2 n 5: *ſi confeſſoribus perſvaſum erat*, *attritionem ſervilem non eſſe in theſi contentam*, *cur non curarunt*, *ut aliqua declaratio adjiceretur? cum theſis juxta obvium ſenſum clare includat attritionem ſervilem ex decreto Alexandri VII ſola probabilitate fultam*. Non ergo tacuit Concina ad potiſſimam vim Eſparſiani teſtimonii. Ex quo tamen id unice ſequitur, attritionem ſervilem *in propriis terminis* non eſſe damnatam. Quod omnes fatentur. At reponit Eſparſa apud La Croix L cit n 874: *Nulla quisquam ſollicitudine concuti debet circa ſufficientiam attritionis in Sacramento propter prohibitionem primae propoſitionis ab Innocentio XI*. *Illa enim propoſitio reprobata fuit cum indiſtinctione ſpeculativi tantum probabilis a probabili etiam practice*: *et rurſum probabilis utcunque a moraliter certa*: *aut etiam plusquam moraliter certa*: *ſententia autem de ſufficientia attritionis eſt practice probabilis*, *et moraliter certa*, *atque ut ego puto*, *plus etiam quam moraliter certa*. Reſpdeo. Ex hac monitione ſatis micat, Belgas attritioniſtas poſt decretum Innocentianum de opinionis ſuae praxi *ſollicitudine concuſſos* fuiſſe: aut ne *concuterentur*, Eſparſam eorum Principem eos hoc ſcuto praemunire voluiſſe. Unde patet, eos utrinque incertos, dubiosque fuiſſe de *attritionis morali certitudine* verbis quidem aſſerta, ſed nullo gravi fundamento nixa, ideo aſſertores *ſollicitudine concutere* nata. Sed et ſcutum, quo ſuos munit Eſparſa *indiſtinctionis probabilis ſpeculative*, *et practice* vere *ſcandaloſum* eſt, *et futile*. Scandaloſum: quia ejus exemplo clamare poſſunt Haerodoxi: *hunc*, *illumve articulum contra ſe latum eſſe ab Eccleſia CUM INDISTINCTIONE* variorum ſenſuum, quos et illi obtrudunt. Conf cap V § fin. ſed eſt et futile: nam *ubi lex non diſtingvit*, *nec nos diſtingvere debemus*. Quin eo ipſo, quod damnatio non diſtingvat probabilitatem *ſpeculativam* a *practica*, tenere debemus utramque indiſtinc-

Ejus definitio Ippis prohibita eſt: non monitio confeſſariorum.

Benedictus XIII disjunctive loquitur: efferens rem adhuc indeciſam.

Eſparſa in propria cauſa teſtis ſingularis plenam fidem non meretur.

Ejus ſcriptum ad Belgas, ſerviliſtas nocet potius, quam prodeſt attritioniſtis.

cte damnatam: aut *hanc* in consortio *illius* haberi non posse. Neque enim *probabilitas practica* (per quam certitudinem moralem intelligunt adversarii) haberi potest, ubi adest *opinio* tantum *speculativa*. Illa enim ex hac nata certior esse nequit principio suo. Imo in materia Sacramentorum circa *valorem* ex opinione quantumvis *probabilissima* certitudo, sive ut terminis adversariorum utamur, *probabilitas practica* formari non potest. Valor enim Sacramenti non a discursu meo *speculativo*, sed a determinata per Christum materia, et forma *tantum* dependet. Ut diximus n. h. VIII. IX. X. XII. XIII. Quare *probabilitas practica*, aut *moraliter certa* ex opinione *speculative probabili vel probabilissima* orta est *assertum nudum*, quod solidam probationem diu praestolatur: quae dum detur, interea ad *paradoxa*, aut *postulata non concessa amandari debet*. Si distinctiunculas attritionistarum, et probabilistarum, quarum plenum saccum habent, attendamus, nullam habebimus vere damnatam propositionem, quae illis eludi nequeat. Ad V. nus

Attritio toleratur in scholis interdicta in praxi.

Attritio servilis adhuc toleratur ab Ecclesia *in Scholasticis latibus*, ut *impune in utram partem litigare fas* sit iis, quibus libet adhuc de speculationibus in praxim nunquam deducendis dimicare. At *praxim*, *usumque* ejus *in foro Sacramentali* necessaria consequentia *interdictum esse* ab Innocentio XI tamdiu censebimus, donec attritionistae sententiam suam *moraliter certam esse docuerint*. Nec proinde in propositione I. Innocentii *ut opinionem* contineri ostenderint. Ad VI. Ecclesia Dei ut in *necessariis non deficit*, ita *in superfluis non abundat*. Ne igitur prohitiones, et declarationes in immensum crescerent absque necessitate, Venerabilis Innocentius XI una regula generali statuit, ut *in Sacramentis* ex sententiis inter Theologos in utramque partem *probabiliter agitari solitis, relicta probabili de valore tutior praeferatur*. Hoc Pontificium decretum in hac materia abundantissime fidelium conscientiis consulit, et regulam certam, tutam, securamque praescribit, qua fideles absque animarum periculo in via salutis incedant, et recte dirigantur. Haec est ratio quod Pontifices, et Cardinales Tridentini interpretes novas non edant hac in re censuras, et declarationes. Ad VII. Innocentius XI in decreto, damnante saepe dictam propositionem I. expresse declarat, quod *non intendat per hoc decretum alias propositiones in ipso non expressas, et Sanctitati suae quomodolibet, et ex quacunque parte exhibitas ullatenus approbare*. Non tenet itaque hoc ratiocinium declarante Innocentio *XI*: haec propositio fuit exhibita summo Pontifici cum *potentissimis instantiis*, ut ait La Croix, nec fuit tamen damnata. Ergo est vera. Ergo tuta. Ergo possumus eam in praxi secure sequi. Cur tacent Pontifices, modo diximus ad VI. Quod *VIII.* addit La Croix de praxi purae attritionis, horremus vel audire! nec omnino crederemus, nisi attritionista de se, suisque contra se testimonium diceret. Quamquam vero inter nos talium numerum a postremis 20 annis sensim decrescere sciam, spero tamen omnes tutiorem initialis Charitatis partem secuturos, quicunque hanc industriam meam *eo nomine unice susceptam*, libero a male hausti schollasticis principiis animo expendere dignati fuerint. Nec praetendatur multorum poenitentium ad amorem Dei concipiendum habetudo. Quicunque enim capax est cogitare, et timore aeterna gehennae incendia et desiderare caelestia bona, par etiam erit infinitam Dei bonitatem amare *incipere* modo Confessoris pii vel mediocris accedat industria circa eos potissimum, qui primum a mundi, carnis, et sanguinis amore avellendi, dein ad charitatem Dei inflammandi sunt. *Animalis enim homo non percipit ea, quae sunt* Divinae charitatis. Atque utinam non in eo laborassent adversarii, ut hos quoque (modo in Confessione momentaneo gehennae timore concutiantur) passim absolvant!

Cur non damnetur in terminis? Innocentius XI satis cavit praxi Sacramentorum.

Ex non damnatione non sequitur propones Pontifici obiatas veras esse.

Multitudo attritionistarum practicorum non imitanda, sed refellenda.

vant! qua de re eos, ad cap. X a n LI usque ad finem luculenter dicta remittimus.

Alia evasio Paris La Croix notatur.

XVI. Nequid porro insolutum relinquamus, libet adhuc unam P La Croix difficultatem evolvere, quam loc cit 874 ita proponit in solutione objectionis 1: *Quamvis*, inquit, *concederemus sententiam adversariorum* initialis Charitatis *esse probabilem, tamen non esset obligatio sequendi etiam sententiam, per quam administratio, vel susceptio Sacramenti sit obnoxia nimiis scrupulis, et difficultatibus. Atqui per sententiam adversariorum administratio, et susceptio Sacramenti poenitentiae obnoxia sit nimiis scrupulis, et difficultatibus.* At ego hanc difficultatem non tam solvendam, quam amaris Lacrimis deplorandam judico. Ergo etsi probabile sit *non servilem attritionem*, sed *initialem saltem charitatem* a Redemptore nostro ad materiam Sacramenti poenitentiae elevatam esse, non est tamen obligatio *eam* sequendi, si cum ea administratio, et susceptio, Sacramenti scrupulis, et difficultatibus obnoxia sit! ergo praetextu scrupulorum, et difficultatum licet negligere materiam probabiliter *exclusive* a Christo ad valorem Sacramenti statutam! licet inquam praetextu difficultatum materialiter nullum, invalidum, sacrilegumque Sacramentum conficere, et suscipere! o audaciam Theologi! juxta quem etiam Romano oraculo jubeamur in Sacramentorum administratione non *probabilia*, non *probabiliora*, nec *probabilissima*, sed *tutiora de valore* sequi, hoc tamen nos non obligat, si in *tutioribus* administratio, vel susceptio Sacramenti obnoxia sit *scrupulis*, et difficultatibus! atqui omnis sententia *tutior*, quae *ab amore mundi*, illecebrisque ejus *nos sejungit*, atque ad Deum reducit, ad ejusque amorem manducit, *obnoxia est* scrupulis, et *difficultatibus* saltem multorum *illorum* judicio, qui ita Deo servire vellent, ut tamen mundum, carnem, et sanguinem non penitus deserant. Ergo mira haec P La Croix doctrina eludi possunt omnia Sedis Apostolicae decreta ut ut luculentissima, quin Leges Divinae et naturales omnes, quae humanas appetitiones coërcere volunt: Omnes enim, qui eas observare nolunt, dicere cum La Croix valent: ex earum observantia scrupulos, et *difficultates oriri*. go non esse obligationem eas sequendi. Quo principio quid futurum sit cum Legibus Divinis (quas *Pontificiae damnationes, et decisiones declarare consueverunt*) quid cum oraculis illis: *Regnum Coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud? Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras?* Sexcentisque ejus generis? Orbi Catholico, piisque omnibus dijudicandum relinquo. Hoc ad majorem ploravi. Quae eo, et quidem falsissimo supposito errat, quod damnatio I ppnis Innocentianae sit praeceptum, aut lex *humana Ecclesiastica*. Quod negavimus h noc ad n *VIII*. Sed et hoc per inconcessum dissimulato adhuc doctrina haec atro rau digna est. Omnes enim docti tradunt, *legem humanam* obligare cum quibusvis etiam mortis tollerandae difficultatibus si *illa conjuncta sit cum lege Divina*. Ita est in nostro casu; fatente enim ipso La Croix h n *VIII* utens sententia probabili relicta tutiore exponit Sacrmtm *periculo nullitatis*, peccata *contra Religionem, charitatem, et justitiam*. At exponens Sacrm. *periculo nullitatis* agit contra jus *Divinum*; Ecclesia enim, et Pontifex cum *circa valorem* Sacramentorum nihil possit, *lege sua potest* quidem facere ut Sacrm *contra eam* administratum, vel susceptum exponatur *periculo illiceitatis*: non tamen ut exponatur periculo *nullitatis*, haec enim *valorem*, sive *substantiam* Sacrmti respicit, et unice ex *institutione* Christi pendet, in qua Ecclesia nihil potest.

Math II v 12. Ps. 16 v 4.

Sed et minor propositio P La Croix pares meretur Lacrimas: In qua nempe *susceptio Sacramenti* poen. *cum initiali etiam Charitate* conscientiarum *tormentum* admittitur, ut fideles piam nostram, quin SS doctrinam horrescant, et contemnant. Idque ita, etiamsi cum attritione servili Sacrm in praxi periculo nullitatis exponatur! atque etiam si probabilis sit opinio initialistarum, a Christo solum dolorem Charitate animatum ad materiam Sacramenti esse elevatam. Ubi estis fontes lacrimarum? sed quid frustra querimur? Dist min P La Croix, per sententiam nostram administratio, et susceptio Sacramenti poen. fit obnoxia nimiis difficultatibus respectu eorum, qui ita Deo servire volunt, vt simul placeant hominibus: et qui a mundo, carne, et cupiditatibus ejus avelli non sustinent, ideoque absolutione indigni sunt. *Concedo.* Paratis facere quae utrinque suae obligationis sunt. *Nego.* Conf. cap X n IX. quin totum illud caput. Quod vero ait ibi La Croix *scrupulos, et difficultates* oriri ex eo, quod nos requiramus *certam intensionem*, et *quidem majorem omnibus aliis actionibus poenitentis*: de qua nullus potest esse certus; ideo semper in dubio manebit tam minister, quam subjectum Sacramenti: ad hæc inquam ajo: nos in Sacramento nullam *intensionem actualem* doloris Charitate animati requirere, sed *affectum* dumtaxat omnibus Creatis amoribus majorem juxta illud: *qui amat Patrem suum PLUSQUAM ME, non est me dignus.* Nunquid et servilistae debent *affective* plus detestari peccatum saltem ex timore gehennae, quam omnia alia mundi mala? nemo hoc negat. An ideo scrupulos, et difficultates patiuntur? nullos. Nec nos prudentes, sed merito contemnendas. Facimus enim cum gratia Dei, quod scriptura, PP, et horum Discipuli mus jubent esse faciendum. Caetera Deo committimus, scientes, quod *nemo sciat stricta* certitudine, *an odio, vel amore sit dignus.* Extra Sacrm ad Charitatem peccati mortalis detestivam *intensionem* requirimus. De *qua* quia incerti sumus (ut servilistae de supernaturalitate minimae suae Charitatis suo judicio justificantis) ideo, et quia contritio etiam perfectissima votum includit proxime confitendi, contritam ad ordinariam peccati medicinam, Sacrm in re suscipiendum remittimus. Haec toties dicta non repeterem, nisi invidia Theologica ab adversariis in nos toties recusa cogeret.

Tract Tyrnavienſis momenta excutiuntur.

XVII. Novissimus attritionista, idemque, ut vel ex his solum patebit, rigidus probabilista Tyrnavienſis ubi de poenitent n 123 ubi objecisset citatam Innocentii XI damnatam I propositionem; asseruisſetque sententiam quidem attritionis ex metu gehennae conceptae *probabilem*: *tutiorem* tamen eam esse, quae requirit insuper aliquem actum verae Charitatis: N 125 ea reponit, quae nec ipsi a nobis hic citati probabilistae admittunt. En ejus solutionem. *Dico: damnatam pariter esse ab Alexandro VIII hanc propositionem: non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. Ergo certum est licere sequi opinionem probabilissimam: ac proinde propositio Innocentii XI intelligenda est tantum de casu, quo una opinio ait aliquid necessarium esse ad valorem Sacramenti, altera vero aeque, aut minus probabilis negat.* Haec ille. Cui opponо hic dicta a n 11 usque ad XIV inclusive. Praecipue autem pro rei gravitate perpendendam oro doctrinam P La Croix hic n VIII. IX. X. XII. Quibus locis asserit La Croix cum Sanchez, Cardenas, Gormaz, et communi suorum, servilissimum si sit probabilior, vel probabilissima opinio, contineri in damnatione Innocentiana. Negat hoc Tyrnavienſis aeque servilista. Cui ergo parti credimus? si sapimus, neutri. Imo eo ipso quod ipsos attritionistas litigare interse videamus, tutiora sequemur Innocentio *XI* Magistro:

Appoo Alexandri VIII hic locum non habet teſtibus attritioniſtis.

neque

neque enim ſervator Sacramentorum valorem, atque ex eo ſecuturam ſalutem noſtram litigiis attritioniſtarum, ſed Sacramentorum formae, ac materiae a ſe inſtitutae, et per Eccleſiam declaratae alligavit.

XVIII. Sed audiamus porro Tyrnavienſem: „*Iam vero etſi definitum hactenus ab Eccleſia non ſit, attritionem ad Sacramentum ſufficere, probabiliſſimum tamen, imo moraliter certum eſt, non requiri praeterea actum Charitatis.*„ Quaero hic: quis evexit ſententiam attritionis ad dignitatem *moralis certitudinis*? palam id negantibus ipſis attritioniſtis h n XIII. Imo quaero: quis evexerit eandem ſententiam adeſſe *probabiliſſimae* opinionis? quamvis enim nobis non noceat, eam eſſe per inconceſſum *probabiliſſimam* (nam et qua *probabiliſſimam* jugulatam eſſe propoſitione *I* Innocentii *XI* teſtimonio etiam adverſariorum noſtrorum evicimus h n X) tamen eam eſſe *probabiliſſimam* aperte negat decretum Alexandri *VII*, quod pro ſe citat hic Cl Cancellarius. Pontifex enim appellat ſententiam attritionis non *probabiliorem*, minus *probabiliſſimam*, ſed *communiorem tunc inter Scholaſticos*. Quid ſi negem, *hodie*, dum haec ſcribo, ſententiam formidoloſam vel *communiorem* eſſe? Unde evinces eam *probabiliorem* habendam, neđum *probabiliſſimam*? rediis ad c *VI* a n I uſque ad *XV*. et n *XXXVII* et c *VII* n *X* Ubi incomparabilis Boſſvet oſtendit multas olim opiniones *communiores* ſubinde evaſiſſe *falſas*! cujuſquidem rei exemplum paſſim videre eſt apud moraliſtas. Quid ſi idem dicamus de attritionis formidoloſae ſufficientia? Iam enim Innocentius *XI aliquid*, *imo ſummum quid hac in re ſtatuit*. Enimvero ex eo, quod teſte Alexandro *VII* attritio tunc *communior viſa* fuerit *inter Scholaſticos*, nemo eam eo ipſo eſſe *probabiliorem* niſi ad libitum ſuum appellaverit. Nam *communior* ab *extrinſeca multitudine* Scholaſticorum ſeipſos ut *aves avem ſequentium* eſſe potuit. At multitudo conſpirantium attritioniſtarum certitudinem, aut probabilitatem *intrinſecam* non facit ut late diximus cap *VII* n *I* et cap *VIII* a n *XV*. Imo nec probabilitatem *extrinſecam prudentem* Innocentio XI 1679 *eam* Stigmatizante propone *III* hujus tenoris: *generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi agimus, ſemper prudenter agimus*. Ubi ut *intrinſeca tenuis*, ita *extrinſeca* probabilitas rejecta eſt *univerſim* declarante clero Gallicano, 1770: *Theologos modernos audiendos eſſe, ſi tamen conſonas SS PP tradant doctrinas: ſi ab iis recedant, nulla eorum ratio habeatur, nec ulla eis tribuatur auctoritas*. Igitur opinionem adverſariorum *probabiliorem ab intrinſecis* rationibus unquam fuiſſe, taceo hodie *probabiliſſimam* eſſe, reſtat *aſſerentibus ſolide* probandum. Quod dum praeſtent reipſa, interea ſententiam ſuam *a fulmine virtuali* Innocentii *XI* eximere prudenter nequeunt, quin in contrarium remaneat ejusdem fulminis in eandem reipſa incuſſi longe graviſſimus metus.

Gratis fingitur ſententiam attritionis eſſe moraliter certam, aut probabiliorem, probabiliſſimam.

XIX. Nec plus facit, quod addit ibidem: Stante ſententia attritionis *ſcripturae, Patrum, et Conciliorum textus de Charitate, et Eccleſiae Clavibus loquentes inter ſe optime Conciliantur, et Sacramentorum efficacia ſarta tecta conſervatur*. Non enim indigemus his. Nos enim cap *IX* a n *LVI* nedum *initialem*, ſed et *perfectam Charitatem cum Sacramentorum efficacia perfecte conciliavimus*. Conciliavit item univerſa Eccleſia ante natam attritionem annis a Chriſto nato plus quam mille quingentis. Valet proinde hic illud S Hyeronimi Epiſt 65: *Cur poſt quadringentos* (dicamus nos mille quingento) *annos dicere nos nitimini, quod ante neſcivimus? Cur profertis in medium, quod Petrus, et Paulus edere noluerunt? Uſque ad hanc diem* natae attritionis *ſine iſta Doctrina mundus Chriſtianus fuit.*

Nec efficacia charitatis, et clavium extorquet ſufficientiam attritionis.

XX.

Paradoxum est dicere, quod efficacia Sacrmti charitate detrimentum patiatur.

XX. Quod vero subjungit Cl Cancellarius: *Quae* Sacramentorum *efficacia per oppositam opinionem* initialis Charitatis ad Sacramentorum poenitentiae necessariae *detrimenti multum non pati nequit*. Hanc propositionem toto Corde horresco! Ex qua nempe manifeste sequitur, Auctorem Sacramentorum multum detrimenti instituisse efficaciæ Sacramenti poeniteantiae, dum initialem Charitatem *materiam ejus* juxta initialistas *necessariam*: juxta attritionistas omnes *de Consilio ut tutiorem* statuit. Sed et reliquae sequelae, quae n h XIV opinionem Salmanticensium horribilem reddunt, hanc quoque ad incitas redigunt.

Reddetur Tyrnavien. cur nefas sit sequi attritionem servilem in praxi.

XXI. Conclusionem dein dictorum suorum facit Cl Vir dicens: *Quidni igitur absque omni periculo seu nullitatis Sacramenti, seu salutis aeternae suscipere, et administrare liceat Sacramentum poenitentiae cum attritione ex fide profecta, et cum spe veniae conjuncta?* Respdeo ad illud *quidni*, quia in singulis hujus industriae meae capitibus urgentissima vidimus momenta, quibus et valor Sacramenti poen. cum attritione servili, et salus sic administrantium, et suscipientium in urgentissimum periculum adducitur. Meditare coram Deo singula capita, et age quod in aeternitate te egisse voles.

Quia negari nequit praeceptum charitatis Sacramentalis.

Rationem dat Vir Cl conclusionis suae dicens „ *Apostolus certe* 1 *ad Cor* 7 *v* 25 *ubi praeceptum Domini non invenit, illius umbra territare noluit, ne fidelibus laqueum injiciat.* Quid hoc ad rem? nisi forte vir doctissimus praeceptum charitatis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* in Deuteronomio, et in Evangelio tam solenniter inculcatum; et illa: *Convertimini ad me in toto corde vestro: Qui non diligit, manet in morte. Ego diligentes me diligo*: hujus generis, quibus *ad agendam cum amore Dei poenitentiam exstimulamur*. pari loco *cum Virginitatis Consilio* quo ad liberas personas, habeat? Quod non puto. Si Vir Lectissimus ex divite eruditionis suae penu tam clarus Leges pro attritionis sufficientia attulisset, quam evidens est illud: *De Virginibus praeceptum Domini non habeo*. tunc *initialistas* traducendi potestatem habebat, eos *umbra praecepti* charitatis initialis ad Sacramentum poenitentiae necessariae *territare, et fidelibus laqueum injicere*. Nunc quia id non praestitit, pari cum eo libertate reponemus: nos aureum *laqueum* CHARITATIS fidelibus *injicere*, qui eos per *arctam viam* ad Deum *certo* deducat; idque facere propter oraculum Innocentii XI, quo nos obstringi gravissimis ex rationibus censemus. Illum vero speciosis, et facile solubilibus argumentis *dilatare arctam coeli viam cum periculo irreverentiae* Sacramenti, et *salutis animarum*. Nos, ut Augustinus jubet, Leges *dubias* ita interpretari, *ut ad Charitatem nos ducant*. Illum vero *legem Charitatis* quaesitis argumentis undique obnubilare. Uter nostrum laqueum fidelibus injiciat? judicet, qui Deum, et animas cordi habet.

Multitudini attritionistarum opponimus initialistas, et Innocentium XI.

XXII. Absolvit demum responsa sua his verbis: *Et cur nos poenitentium quemlibet ad Charitatis actus poenitentiae praemittendos adstringamus? quando hic de re nullam Legem claram exstare sapientum plerique censent.* Qui sunt illi *plerique sapientum?* Nos jam cap I dedimus *veros sapientes* plurimos, SS scilicet PP, eorumque Discipulos *ante Tridentinos*: cap V n LIII *sub Tridentinos*: c VI a n I usque ad XV. c VII et VIII. *Post Tridentinos*: qui omnes Legem Charitatis Sacramentalis agnoscunt. Adde, quod jam introduct n II in not praemisimus, ex declaratione Cleri Gallicani, hic non tam multitudinem Juniorum sapientum, quam *rationes*, quas adferunt consideranda esse. At *hae* admodum *incertae* sunt, ut vel ex ipso Tyrnavienſi hic et saepe alias vidimus. Igitur subintrat Lex clara Innocentii XI

circa

circa valorem Sacramenti poen *tutiorem* Charitatis partem esse sequendam.

XXIV. Sed ut amplius pateſcat, quam neceſſario Innocentii XI declarationem urgeamus, animum tantisper advertamus, quanto ſtudio caverint Sancti Patres, *illi vere ſapientes!* ut in Sacroſanctis Eccleſiae Sacramentis ubi ubi *prudens periculum irreverentiae*, tanto magis, ſi *nullitatis Sacramenti* adſit, *certa incertis*, *vera dubiis*, *tutiora*, *ac ſecuriora periculi plenis* praeferantur. Audiamus Auguſtinum inter ſapientes facile ſapientiſſimum. Qui Lib 1 de Baptis contra Donat c. 3. hunc caſum proponit, et reſolvit: Quidam Donatiſtarum Baptiſmum ſuſcipere meditabatur: *certus* erat, eum in Eccleſia Catholica legitime conferri, ac ſuſcipi: *fluctuabat incertus*, an apud Donatiſtas legitime, riteque ſuſcipere poſſet? Vide qua ratione caſum hunc reſolvat Doctorum ſapientiſſimus: *Si dubium haberet, in parte Donati non recte accipi baptiſmum quem in Catholica Eccleſia recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad ſalutem animae pertinentibus VEL EO SOLO, quod CERTIS INCERTA praeponeret.* Et cap 5: *Accipere in parte Donati, ſi incertum eſt, eſſe peccatum, quis dubitet, certum eſſe peccatum?* Et Lib de fide, et bonis oper c 19: *Quae dubia ſunt, omnino curandum, ne fiant. Quid enim opus eſt in tantum diſcrimen ambiguitatis caput mittere.* Ubi videre eſt, Auguſtinum in quaeſtionibus, inquibus periculum irreverentiae, aut nullitatis Sacramenti ſubverſatur, non aſſerere *dubium praeticum deponendum* eſſe, aut inveſtigandum, quae ſit *pars probabilior*, aut *probabiliſſima*: ſed generaliter *incertis certa eſſe* praeponenda, *tutioremque partem eligendam.* Ergo Auguſtino ignota fuit opinio Tyrnavienſis h n XVII relata. Atque haec doctrina univerſim circa praxim Sacramentorum in Legem tranſiit Eccleſiae. Sic cap 12 *de homicidio* jubet Clemens *III dubie irregularem* ab Altaris miniſterio removeri, ne forte *in dubio* irreverenter miniſtret. Ibid cap 18 Innocentius *III In dubio*, inquit, *tanquam homicida habendus eſt Sacerdos. Et ſi forte homicida non ſit, a Sacerdotali officio abſtinere debet. Cum in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam tenere celebrare pro eo, quod in altero nullum, in altero magnum periculum* irreverentiae Sacramenti *timeatur.* Id ipſum repetitur cap 24 *Petitio tua* Ibid. Similiter cap 5 De Clerico excommunicato *Dubie excommunicatus* pro tali habendus decernitur: *Licet autem in hoc non videatur omnino culpabilis extitiſſe*, en rationem *probabiliorem*, vel etiam *probabiliſſimam* in contrarium, quod non fuerit excommunicatus: *qui tamen in dubiis via eſt eligenda tutior, etſi de lata in eum ſententia dubitaret, debuerat tamen ſe potius abſtinere, quam Sacramenta Eccleſiaſtica pertractare.* Applicemus haec praeſenti materiae. Everſa *morali certitudine* attritionis ſervilis h n XII. XIII. etſi hic et nunc transmittamus eam eſſe reipſa *probabiliorem* vel probabiliſſimam, (quod ex nulla ratione tenemur, hic n XVII. XVIII. ſed tamen argumenti cauſſa ſupponamus licet) non niſi *probabile*, vel ex transmiſſis *probabilius* probabiliſſimum, id eſt *opinio* erit *attritionem ſervilem in Sacramento paenitentiae ſufficientem eſſe dolorem.* Omnis vero *opinio eſt conjuncta dubio*, et *formidini de oppoſito.* h n X. XII. Ergo *ſufficientia attritionis ſervilis* in Sacramento eſt *dubia*, *incerta*, *periculi irreverentiae*, quin *nullitatis* Sacramenti *plena.* Confer cap. VI. a n 1 uſque ad XV inventores, et nutritios attritionis: qui tamen eam a praxi *Sacramenti paen.* propter periculum valoris, et irreverentiae, ſalutisque earum clare excludunt. Ex adverſo autem certum, et indubitatum eſt, Sacramentum poenitentiae tutiſſime, et ſecuriſſime ſuſcipi cum dolore *initiali charitate animato.* Ut nec adverſarii negant. Invicte proinde ſequitur ex doctrina Auguſtini, ex praeſcripto legum Canonicarum, et ex mente primorum attritioniſtarum, quia DUBIUM EST,

Quin claras leges Eccleſiae.

Circa Sacramta in dubio tutiora praecipientes.

Dubia eſt praxis attritionis.

Certa, et tuta initialis charitatis.

Ergo haec unica in praxi ſequenda.

Cum attritione ſervili recte accipi, Sacramentum poenitentiae quod cum initiali amore recte accipi CERTUM EST, *graviter peccare attritionistam ſervilem in re ad ſalutem animae pertinente eo ipſo, quod amori initiali certo ſufficienti incertam attritionem formidoloſam praeponeret. Quid enim opus eſt in tantum diſcrimen ambiguitatis* cum attritione ſervili *nulliter*, et *irreverenter* conficiendi Sacramenti *caput mittere?* Cum adeſt, facileque elici poſſit charitate initiali animatus dolor; quo cum *certo validum*, et *reverenter* ſumptum erit paenitentiae Sacramentum. Neque hic ignorantia praetexatur. Ita enim pergit Auguſtinus. Cit. Lib. de Bapt. c 5 de iis, qui nullo cum dubio Baptiſmum apud Donatiſtas ſuſcipiebant. *Illi vero, qui per ignorantiam ibi* (apud Donatiſtas) *baptizantur, arbitrantes, ipſam eſſe Eccleſiam Chriſti, in iſtorum quidem* (De ea dubitantantium) *comparatione minus peccant; ſacrilegio tamen Schiſmatis vulnerantur.* (cur obſecro ignorantes? nili quia hanc deponere poterant, et debebant inveſtigando veritatem: Aliunde notum eſt: *ignorantiam juris non excuſare* in iis potiſſimum, quae ad valorem Sacramentorum ex Chriſti inſtitutione neceſſaria ſunt) *non ideo non graviter, quia alii* (dubitantes) *gravius*, conſequens igitur ex his eſt, ex mente Auguſtini etiam eos, qui *per ignorantiam* cum attritione ſervili miniſtrant, aut ſuſcipiunt Sacramentum poenitentiae, *arbitrantes ipſam* attritionem formidoloſam eſſe materiam Sacramenti a Chriſto inſtitutam *in comparatione quidem de eo dubitantium minus peccare, Sacrilegio tamen* irreverentiae Sacramenti *vulnerari: Non ideo non graviter, quia alii* dubitantes *gravius.*

Neque hic ignorantia juvat attritioniſtas.

XXV. COROLLARIUM. Duo ex his diſcimus primum: Venerabilem Innocentium XI *depoſitum Patrum* Auguſtini, et praedeceſſorum ſuorum cuſtodiviſſe, fidelibuſque propoſuiſſe jus Divinum explicando, *in Sacramentis relicta opinione probabili de valore tutiora eſſe ſequenda.* Alterum eſt: ſapientiſſimum Tyrnavienſem, alioſque ſapientes attritioniſtas ab eodem intellectos *claram Legem* de initiali Charitate ad Sacramentum poenitentiae praemittenda ignorare nullatenus poſſe: Quae ſane ſalutari horrore concutere attritioniſtas, et poſſunt, et debent! ne *cum dubia materia* (qualem eſſe attritionem ſervilem conficimus nos argumentis Theologicis evicenter demonſtraſſe) Sacramentum poenitentiae ſive ſuſcipiant, five miniſtrent: ne *in certa certis praeponant*: ne ſaluberrimum hoc Sacramentum, relicta *tutiori* amore initiali, irreverentiae, et nullitatis periculo exponant. Ne divinum illum canalem, *cujus vi, et efficacia*, ut ait Cateches Trid. de ſacram paenit. n 10. *Chriſti ſanguis ad nos defluit*, et *peccata* noſtra *eluit*, obſtruant. Quae enim erit nobis ſpes ſalutis? ſi Sacramentum poenitentiae, celidorum noſtrorum medicinam, juſtificationique noſtrae ordinarium inſtrumentum, cum dubia materia cubio nullitatis, caput vero noſtrum, imo animam ut ex Auguſtino vidimus, *tanto diſcrimini ambiguitatis* obſiciamus. *Si peccaverit vir in virum*, aut Deum quamcunque enormi alio peccato, *placari ei poteſt Deus* per *verum* paenitentiae Sacramentum: ut fides docet. *Si autem in Dominum peccaverit*, abutens Sacroſanctis ſalutis noſtrae mediis: ſi in ipſo Sacramento poenitentiae peccaverit *in Dominum* attritioniſta, relinquendo et negligendo dolorem initiali amore Dei formatum, a Domino Sacramentorum authore *certo ad eſſe materiae poenitentiae elevatum*, ejusque loco puram ſervilem attritionem *probabiliter a Chriſto ad materiam poenitentiae non elevatam* adhibuerit, atque ita *certum prae incerto, tutus prae minus tuto* dimiſerit *quis orabit pro eo?* quod ei ſupererit juſtificationis adminiculum? cum potiſſimum attritioniſtis nec illa placeant, quae de juſtificationis extra Sacramentalis modo, ac ratione cap IX maximis ſane momentis docuimus. Qua in re mirandi profecto ſunt,

Ne fontem ſalutis obſtruant.

1. *Reg* 2. vers. 25.

In ipſa Sacramento poen. peccando.

non

non imitandi. Nam dum de *efficacia Contritionis extra Sacramentum* quæritur, *minimam*, et *quantumcunque debilem*, *inchoatam*, ac *remissam*, *si tamen vera*, et *sincera sit*, Dei *Charitatem*, ex eaque ortam Contritionem cum voto Sacramenti ad *justificationem* maximi cujusvis peccatoris *sufficere contendunt*: dum autem ad rite agendam eum Sacramento poenitentiam *inchoatum* saltem, *initialem*, et *benevolum* Dei *amorem* longe urgentioribus argumentis inculcamus; lamentantur, ea ratione, *amore* inquam *initiali* in Sacramento poenitentiae requisito *jugum Christi prae Mosaica lege durius reddi*, cap IX. n XL: VII XLVIII. Nosque consveta attritionistis phrasi *rigoristas* proclamant. (*a*) O rem sanguineis lacrimis deplorandam! ergone invenire sit in lege gratiae, in lege amoris, qui abissum illam bonitatis, Majestatis, pulchritudinisque Divinae amare, non jam ardenter, et vehementer, sed saltem amore quodam remisso, debili, initiali, suo maximo bono, ut ei in Sacramento poenitentiae justificationis gratia infundatur, grave, durumque ducat! ergone dulcis sit gehennae pavor, et tremendae, aeternaeque fornacis in attritione horror! dura vero Divinae bonitatis meditatio, et de illius offensione concepta initialis saltem contritio! O filii ancillae, et non liberae! quibus dum scintillam libertatis, ac amoris filiorum Dei modeste instillamus, rigoris notam referimus. *Quid* obsecro! *est rigorismus?* arbitramur, *praeter, et ultra sacrorum dogmatum fontes quidpiam injusti oneris imponere.* An aliquid assertum a nobis istic est praeter scripturarum oracula? summorum Pontificum, Conciliorumque Decreta? SS. Patrum dogmata? urgentia Theologorum argumenta? et tamen initialis in Sacramento poenitentiae amoris doctrina *in laqueum inducit?* imo vero ad semitas antiquorum reducit, *Cap. I.* imo ad Concilii Tridentini *Cap. II. IV. V.* ad Pontificum venerandas sanctiones ad Patrum antiquas vias inviat. An ideo in *laqueum* inducit, quia inter extreme oppositas *Contritionistarum* Cap IX a n. LV, et servilium *attritionistarum* sententias *media via* tutissime ducit? aut ideo fortallis, quia *incertam*, *dubiam* attritionis servilis *opinionem* dimittendam, a praxi fidelium aeternum eliminandam; *initialem* vero saltem (qui ex consilio ad perfectum eluctari non contendit) Dei amorem in Sacramenti poenitentiae usu amplectendum toto corde, omnique

Quid sit rigorismus?

Et an ea-dat in initialistas?

(*a*) *Notat P. Schneidenbach Diss: 8 c 2. § 5. n 123, ideo Probabilistas, et attritionistas passim* adversarios *suos, summos quosque viros, qua* Rigoristas *traducere, ut juvenes nudo* Rigoris *nomine perterrefacti Jodida* probabiliorismorum *et* initialistarum *principia expendere negligant, et sic in male haustis Principiis quoad iverint, permaneant. Nam si doctrinae nostrae fundamenta animo a praejudicitis vacuo, ac veritatis studio expensa et hactenus fuissent, prorsus Probabilistarum, et attritionistarum castra penitus deserta manssissent. Pessimus vero Theologus Contensonius apud P. Lajal. Diss. 4. cap. 2. § 6. n 239. cum lacrimis conqueritur, quosdam ideo tetris* Jansenismi, *ac* Rigorismi *coloribus depingere catholicarum sententiarum Patronos, ut soli floreant, soli luceant, soli colantur, aliis quibuslibet obumbratis. De quibus verum est illud S. Gregorii Papae L. 1 Dial. c. 10.* Sunt nonnulli, qui ideirco facere bona studeant, ut gratiam alienae operationis obnubilent. *Imitemur illo monente omnes Mosen, num. XI. v. 9.* Quis tribuat, ut omnis Populus prophetet? et det eis Dominus Spiritum suum? quis mihi tribuat? *ut haec, quae nos pro* Dei amore *conamur, alii longe clarius, efficaciusque omnium cordibus, et auribus inculcent!* optamus *sane cum moralium parente, Lib. XXII. cap. 16,* ut veritatem, quam soli *pro dignitate* eloqui non possumus, ora cunctorum sonent.

omnique virium contentione ſvadet? Tu o dulcis Jeſu! propter nomen tuum averte ignem contentionis, ut omnes *videant ſolem* veritatis!

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Enarrantur reliqua decreta contra Probabiliſmum. Cujus extrema fata exhibentur. iisque ſerviliſmi inſufficientia conſtabilitur.

I. Non eſt mihi animus probabilismum exprofeſſo impugnare; cum ad manum paſſim noſtris ſint Berti, Biluart, Turnelii, Antoine, Lugdunenſis, Pattuzius, et qui eum ab imis fundamentis refellunt. Sed quia in praemiſſis praxim ejus a Sacramento poen. exterminavimus, placet extrema fata ejus enarrare, arctiſſimamque cum ſerviliſmo connexionem exhibere; ut videant Lectores, ex lethalibus vulneribus probabiliſmi ſerviliſmum quoque ſi non extinctum, certe agonizare. Utemur autem in re hac hiſtorica Duce P Bonifacio Schneidenbach Ord Min recentiſſimo Theologo Tomo VIII de conſcientia probabili: qui res narrat in oculis Europae eruditae geſtas. Itaque

Probabiſmi natales.

II. A finito Concilio Tridentino a 1563 mox natam attritionem ſervilem cap VI ſuſe demonſtravimus. Poſt paululum lucem vidit et probabiliſmus. Nam 1571 ſcribebat Antonius Corduba Ord Minor aſſerens in quaeſt Theol L 2 q 3: *In hoc omnes Theologos conſentire, partem tutiorem eſſe tenendam, quando illa eſt probabilior oppoſita.* Poſt Sexennium tamen, nempe 1577 Bartholomeus *Medina* Ord Praedic primus Claſſicum libertatis cecinit, ſtatuitque in ſuis commentariis juris publici: *Licere cuilibet opinionem minus probabilem relicta probabiliore, et tutiore amplecti.* Et hoc ideo (ex dictis cap VI n XI pronum eſt inferre) quia cum videret Medina tam ſuo, quam aliorum judicio *probabilem* eſſe *opinionem* attritionem cognitam ſufficere in Sacramento; pro Luxuriante ſuo ingenio ultra alios auſus ex *particulari caſu ſerviliſmi* intulit. Ergo *univerſim licet ſequi in probabilibus partem minus probabilem, et minus tutam.* Hoc eſt dictu: ſicut jux a dicta c VI n III, et XLII Canus ex peſſima hypotheſi ſerviliſmum intulit: ita Medina ex perneganda ſufficientia ſerviliſmi probabiliſmum generalem parturiit. En igitur natales probabiliſmi *Patre Medina Matre ſerviliſmo.* Ita abyſſus abyſſum, error errorem traxit: falſum antecedens ſerviliſmi falſum conſequens probabiliſmi genuit: luxuriantis ingenii argutatio enutrivit nulla ſive ſcripturae, ſive PP, quin nec Doctoris alicujus praecedente auctoritate. Ideoque de Medina affirmare licet, quod de Victore Garbienſi S optatus Milevitanus L 2 adverſus Parmeniam ait: *Erat ille Filius ſine Parte, Tyro ſine Principe, diſcipulus ſine Magiſtro, ſequens ſine antecedente.* Quamquam vero Dominicani Ordinis Theologi in dubium vocent, *Medinam* ſigniferum fuiſſe probabiliſtici ſyſtematis: Sincroni tamen Doctores de hoc dubitare nos non ſinunt. Nam Gabriel Vaſquez (qui obiit 1604) pro *ſua opinione probabili* Tom 1 in 12 Diſp 62 c n 14 ſolum *Medinam* laudat, confiteturque *pro ſententia probabiliori omnes caeteros ſtare ſummiſtas.* Solum pariter Medinam citat Leonardus Leſſius 1 2 q 19 a 6 dub 7 n 45. Unde *mirandi ſunt* illi, *qui in favorem probabiliſmi ab antiquis Patribus*

Patre Medina, Matre ſerviliſmo.

et

et *Theologis quidpiam praesidii emendicare studeat.* Quod frustra tentavit *Terillus.* Quin *Caramuel*, et *Francolinus* palam pronteri non dubitarunt: *Tota Theologia nostra nova est.* Et Stephanus Gradius Bibliothe Vatic Praefectus Disp de opin probab c 23 adversariis suis probabiliſtis *ultro se vinciendum, atque in triumpho ducendum obtulit, si quisquam per omnem praeteritorum saeculorum memoriam ita locutus inveniatur, ut probabiliſtae.* Appoſite iſthuc ſervit illud Venerabilis Bedae in cap 3 Prov: *Ne innitaris prudentiae tuae; et ne ſis ſapiens apud temetipſum: Innititur* inquit, *ſuae prudentiae, qui ea; quae ſibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis praeponit; ſapiens vero eſt apud temetipſum, qui in iis, quae ex Patrum Magiſterio potuit cognoſcere, ſe ſe prae caeteris quaſi doctior extollit.* rediſis ad cap 1 n XLI.

III. Exoriente Saeculo XVIII e nido ſuo Hiſpania, ubi exclusus erat probabiliſſimus, undique ſe propagare, ac brevi temporis intervallo totam fere Europam pervadere, primaque ſcholaſticorum ſubſellia occupare caepit non ſine magno *Morum Chriſtianae* detrimento, ingentem ſcilicet trahens ſecum *monſtroſarum opinionum* catervam eo, quod *blandiente* ſuo *genio, ſuavitate, ac, facilitate* cito ſe in animos Doctorum *inſinuaret, acutis, ſubtilibusque humanae rationis inventis curioſitatem alliceret*, mentesque talibus inventis paſci amantes in aſſenſum flecteret. Sed et *frigeſcente* jam tum *Charitate* ſolida, planaque e *Scriptura, Patribus*, et *Conciliis* veritatis eruendae Theologia in *nominalem*, ex *rationibus* acutis, ingenioſisque *omnia excutientem, in dubiumque vocandi*, utramque contradictionis partem problematice *defendendi, contra legem aeternam libertati ſavendi diſputationem* abierat; ut merito Theologiam illam *nominalem artem rixandi* fuerint, qui appellarent. In vivis adhuc ſunt nonnulli noſtrum, qui hac ratione non tam Theologiam didiciſſe, quam perdidiſſe tempus ejus hodiedum dolent. *Propagatio.*

IV. Haec erat facies Scholarum ſaeculo evoluto. Cave tamen putes, Eccleſiam ipſam, ut quidam probabiliſtarum putarunt, probabiliſmo unquam faviſſe. Tametſi enim multi Epiſcoporum *privatim* fermento hoc infecti fuerint, *nullas* tamen aut *Epiſcopis* populum ſuum *ex munere paſtorali docens*, aut *Synodus, inſtructio Paſtoralis*, taceo *Romana Conſtitutio*, aut *bulla* ulla proferri ex omni penu eruditionis, quae ſub Coelo eſt, poteſt *probabiliſmo*, aut ejus *principiis, regulis, Conſectariisque favens.* Innumera ex adverſo eidem e diametro contraria. Quin et inter *privatos Theologos* ex ſola Inclita Societate Jeſu Bellarminus, Rebellus, Comitolus, Clarkius Aquaviva, Mutius Vitelescus, Toletus, Tyrſus Gonſales, Elizalde, Camargo, aliique ſummi Viri *Lucitatis fontem probabiliſmum* omnibus viribus ſunt infectati. Ex aliis ordinibus centenos ex ſingulis aetatibus adferunt paſſim hoſtes probabilitarum. Praeter *omnium ſaeculorum* (uſque ad Medinae ſpurias ante hunc antecedentis cogitationes) *antiquitatem* Patavius Cardinales 31: Epiſcopos 80: Doctores privatos ultra 160 orto jam, et regnante probabiliſmo veritatis moralis vindices recenſet. Quid multis? quicunque retritioni formidoloſae, (quos in ſuperioribus laudavimus) ii omnes, et multi alii inimicos ſese probabiliſmo juratos pro virili praeſtiterunt. Auctoritatis hic Auguſtinum: *Eccleſia Dei quae ſunt contra fidem, vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.* De multitudine vero probabilitarum ita ait Lib 2 contra Iulian: *non ſola nomina, ſed eligenda eſt prudentia, et honorandi paucitas* antiprobabilitarum, *quam ratio, eruditio, libertasque* (a) *commendat.* Mul- *Nunquam fuit Eccleſiae doctrina.*

(a) Multos inſtituti ſui, Scholaeque privatis rationibus a dicenda per ſaepe veritate impeditos hactenus fuiſſe, diu eſt quod doleant pie docti. Et hic jam de ſuo tempore inſinuat M Auguſtinus.

titudini pariter Probabiliſtarum quadrat id, quod S Hieronymus Loviniano L 2 c 19 de ſibi ſuffragantium numeroſitate glorianti reponit dicens: *Quod multi aquieſcunt ſententiae tuae, judicium voluptatis eſt. Non enim tam te loquentem probant, quam ſuis favent vitiis. Quid igitur mirum ſi falſum pro vero amplexi ſint? horum proinde, ſi tu mihi mille, dein uſque ad millia producas, nihil ages.*

Oppugnatur

V. Belli *contra probabiliſmum* acriter, feliciterque geſti praecipuae partes nobiliſſimo, ac toto orbe Chriſtiano Doctiſſimo Clero Gallicano merito tribuendae ſunt. Etenim 1656 *Pariſienſis*, *Rottomagenſis*, *Bellovacenſis*, *Senonenſis*, aliarumque Dioeceſium Parochi (quorum multi Doctores Sorbonici eſſe conſueverunt) ſupra mille quaſi agmine facto perniciosas probabiliſſimi novitates non ſolum ut alii hactenus horreſcere, ſed et ſecuri ad radicem poſita totalem ejus exciſionem urgere coeperunt; immortalem in eo gloriam conſecuti,

Ioſue c. 6.

quod quemadmodum olim in Ierichuntis maenibus factum, *Sacerdotalium tubarum Clangore* per totum florentiſſimum Regnum *perſonante* primi *arcem probabiliſticam* ſint aggreſſi, quam dein Epiſcopi ſuorum Curatorum ſupplicibus libellis (quibus indoles probabiliſmi, ex eoque ſcaturientia in perniciem animarum deteſtanda mala vivis coloribus exhibita erant) excitati auctoritate Epiſcopali velut *arca circumducta* penitus everterunt tum privatis ſuis cenſuris, tum agendo fortiſſime apud ſedem Apoſtolicam pro publica, et univerſali damnatione peſſimae radicis, ac demum eam ex toto Imperio Gallicano in Comitiis Eccleſiaſticis A. 1700 aeternum proſcribendo. Qui ipſas cenſuras Libri potiſſimum *Apologia Caſuiſtarum* inſcripti Zeloſiſſimorum Galliae Praeſulum videre deſiderat, adeat Cl. Merbeſum ſummae Chriſtianae p 1 c 36. Ubi cum ſtupore videbit elogia probabiliſmi, quod videlicet illa ſit *falſa*, *erronea*, *ſcripturae contraria*: et quae *Legem aeternam deſtruit*, *Evangelicae veritatis amorem*, *et ſtudium exſtinguit*, *perniciosam in hominum mentibus ſecuritatem inerat. Scatet innumeris erroribus*, *redundat Sophiſtarum argutiis*, *conſecutionibus pernitioſis*, *et doctrinis Chriſti Evangelio penitus contrariis*. Et multa alia graviora. Haud minori cura, ac ſolicitudine *veteris Ethices* Chriſtianae *conſervandae* peruſti aliarum gentium, ac Regnorum Praeſules probabiliſſimum inſectati ſunt partim celebratis *Synodis*, partim *paſtoralibus inſtructionibus* editis, partim inſtantiis apud primam Sedem pro totali ejus condemnatione. Ut late referunt, qui hiſtoriam probabiliſſimi fuſiori calamo proſecuti ſunt eo potiſſimum conſilio, ut evaneſcat *putidum illud commentum*, quo quidam ex adverſariis afferere non erubuerunt, primos belli adverſus probabiliſmum commoti auctores *Janſeniſtas* fuiſſe: imo *Janſenismum* eſſe *matrem ſententiae probabilioris*: eamque *ex ejus feretro*, *et cineribus* eſſe prognatam. Quod ex iis ſolum evaneſcit, quae hic n 11 de novitate opinionis Medinae notavimus: eam ſcilicet *toti retro antiquitati* ante Medinae ſomnia ignotam exſtitiſſe: Ut id ipſum primi benignae ſententiae exultores Vaſques, Sanches, Amicus, Diana, aliique verbis cubitalibus confeſſi ſunt, nempe recenti opinioni D Thomam, Bonaventuram, Scotum, Alenſem, omnes denique antiquos ſcholaſticos e diametro eſſe oppoſitos. Nunquid hi *probabiliora*, *tutioraque* eſſe ſequenda *in incertis* a Janſenio (qui obiit 1638, ac poſtea ejus *Auguſtinus*, ex hoc vero error ejus ſubinde prodiit) didicerunt? nugae! et commenta rudibus duntaxat vendibilia! deinde quemadmodum nemo omnium in hoc culpandum ducit *Calvinum*, quod *Michaelem Servetum antitrinitariorum* auctorem *ad rogum uſque* perſecutus, ita nemo ſive *Janſeniſtis*, ſive aliis *heterodoxis* vitio vertere juſte poteſt, quod ad probabiliſmum exterminandum omni opum vi incubuerint.

An primi oppugnatores probabiliſmi fuerint Janſeniſtae?

rint. Imo vero pudore juſtiſſimo ſuffundi deberent Laxiſtae, ſe ſe *tam turpes* eſſe, ut ipſis hoſtibus adei animos adciderint laxitate ſua ad amica nobiſcum arma jugenda contra ſuorum dogmatum foeditatem debellandam, exſtirpandam, eradicandam. Haec ad calumniam Janſeniſmi a probabiliori ſententia amoliunda. Revertamur ad texenda fata probabiliſmi.

VI. Alexander VII Pontifex maximus tot querelis, inſtantiisque de probabiliſmo Sedi Apoſtolicae undique terrarum exhibitis Zelo Apoſtolico pro domo Dei, atque pro moralis Chriſtianae integritate, velut *Patrum depoſito* cuſtodiendo ſuccenſus ſtatuit *malorum omnium fontem* radicitus extirpare: re nihilominus graviſſima tunc ad inſtantiam Cardinalis Pallavicini ulterioris examinis titulo dilata, particularibus propoſitionibus damnatis ejusmodi praefationem praefixit, ex qua omnes pii, ac ſinceri veritatis ſtudioſi pernoſcere poſſunt, ſummum illum Chriſti Vicarium *probabiliſmum* univerſim toto Corde fuiſſe deteſtatum. En ipſam praefationem Alexandri VII: *A* 1665 24 *Sept SS D N audivit non ſine magno animi dolore complures opiniones Chriſtianae diſciplinae relaxativas, et animarum perniciem inferentes prodire, ET SUMMAM ILLAM LUXURIANTIUM INGENIORUM LICENTIAM in dies magis creſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus MODUS OPINANDI IRREPSIT ALIENUS OMNINO AB EVANGELICA SIMPLICITATE, SANCTORUMQUE PATRUM DOCTRINA, et quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianae vitae corruptela.* &c. Tum hunc *modum opinandi* appellat *VIAM SPATIOSAM, ET LATAM*, perquam *itur ad perditionem*. Hic Pontifex loquitur in genere de probabiliſmo, ſive de *modo opinandi*, opiniones benignas minus probabiles, minusque tutas ſequendi; a quo modo opinandi velut FONTE dicit *complures ſingulares* opiniones Chriſtianae diſciplinae relaxativas, et animarum perniciem inferentes prodire. Quas opiniones antequam ſingulatim damnaret, exponit in genere quid ſentiat *de fonte earundem* opinionum: nempe I Quod MODUS IRREPSERIT OPINANDI IN MORUM THEOLOGIAM. Quibus verbis innuit modum opinandi eſſe *novum*, clamque in Theologiam irrepſiſſe. II: quod hunc opinandi modum invexerit *luxurantium ingeniorum licentia*. III. quod *modus* iſte *OPINANDI alienus omnino ſit ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina*. IV. Quod *ſi hunc opinandi modum fideles pro regula in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet vitae Chriſtianae corruptela*. Ergo Alexander *modum opinandi in genere* aperte reprobat. Non enim hic loquitur de particularibus tantum propoſitionibus mox a ſe in ſpecie damnandis: ſed et indigitat earum *fontem* venenatum *modum opinandi*. Nec per hunc *modum opinandi* intelligit modum *probabiliora, et tutiora* ſectandi. Is enim modus eſt antiquorum omnium teſte P Corduba h n II. Ergo manifeſte intelligit modum *minus probabilia* et *minus tuta* ſequendi. Id quod confirmatur I: teſtimonio Cleri Gallicani, qui in Comitiis generalibus a 1700 loquens de hoc Alexandri VII decreto ait: *Neque ſatisfuit Sanctiſſimo Pontifici ipſum MALI FONTEM detexiſſe: ſed exitialis doctrinae rivulos infectatus*, &c. Ergo teſte toto Clero Gallicano Alexander non tantum exitialis doctrinae *rivulos*, ideſt particulares propoſitiones damnavit, ſed etiam *ipſum mali fontem detexit*. Ergo Pontifex verbis mox relatis loquitur de probabiliſmo in genere. Confirmatur II teſtimonio Stephani Gradii Vaticanae Bibliothecae praefecti narrantis in diſputatione ſua Romae a 1670 edita, quod Alexander caeperit Conſilium diſerta edita conſtitutione probabiliſmum funditus exſcindendi: Verum huic ejus Conſilio

Alexandri VII decretum contra modum opinandi.

filio interceſſerit Card Pallavicinus, perſvaſeritque, multo fore conſultius, ſi dilata tantisper pleniore cenſura, ipſae in praeſentia opiniones nominatim configerentur. Quod et factum: ſubjungit tamen Gradius: *Adjecta praefatio, quae licet ſub involucro verborum, vere manifeſtum facit decernentis, animum ab hac philoſophandi de moribus ratione alienum; quam propterea, ut vides, appellavit modum opininandi contrarium Evangelicae ſimplicitati, Sanctorumque Patrum doctrinae.* Ergo Alexander in decreti ſui praefatione vere loquitur *in genere de probabiliſmo.* Notat porro Continuator Tournelii ex Tyrzo Gonzales, quod hic ipſe Card Pallavicinus, qui perſvaſerat Alexandrum ne probabiliſmum ſolenniter damnaret, ſubinde, et diu quidem ante mortem ab opinione probabili receſſerit. Ex quo patet, quam infirmo pede ſteterit tunc probabiliſmus, cum is ipſius, qui ab eo fulmen Pontificium avertit, deinde eum ejuraverit. Quare meritasit Continuator, ſe vix, ac ne vix quidem eum excuſare auſurum a peccato, qui probabiliſmum renovaret. Idque tanto quidem magis, quia

Ab Innocentio XI IV propoſitiones damnatae impulum petunt probabiliſmi.

VII. Poſt paululum nempe a 1669 ab Innocentio XI quatuor omnino Lethalia vulnera accepit probabiliſmus in quatuor propoſitionibus a Sanctiſſimo illo Pontifice diris devotis. In quibus propoſitionibus etſi non *formaliter*, et *expreſſe*, *implicite* tamen, ac *vi legitimae*, *neceſſariaeque conſequentiae* doctrina probabiliſtica *reprobata* omnino videtur. Nam ut P Schneidenbach Diſſ 8 c 3 § 3 n 759 argumentatur: exploratum eſt, *concluſionem* ex quodam Principio legitime deductam falſam eſſe non poſſe, niſi et *principium*, ex quo *illa* fluit, falſum ſit: Cum ratum, fixumque ſit apud ipſos plane logicos axioma: *Ex vero nunquam ſequitur falſum.* Atqui damnatae ab Innocentio XI quatuor propoſitiones ex probabiliſmo ut *principio ſuo* legitime manant. Quod oſtendo de ſingulis earum:

I-ma propoſitio Innocentii inimica probabiliſmo

VIII. Prima propoſitio eſt: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore relicta tutiori, niſi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia tantum probabili utendum non eſt in collocatione Baptiſmi, ordinis Sacerdotalis, et Epiſcopalis.* Verum propoſitionis ſenſum late expoſuimus, et refutavimus cap praecedente. Hic ſolum obſervamus, illam ante damnationem traditam fuiſſe teſte Schneidenbach loco mox cit n 160 a Sanchezio, Vaſquezio Tamburino, Pontio, Merolla, Diana: hoc eſt ab auctoribus *piis*, *doctis*, *Claſſicis*, *omni exceptione majoribus*: Et quidem *ex generalibus principiis probabiliſmi*: ita enim ajebat inter caeteros Sanchez:

Ex generalibus principiis probabiliſmi defendebatur.

Sicut credens probabiliter, aliquid non eſſe contra Divinum praeceptum, et ob id illud faciens, minime injuriam praecepto Divino irrogat; ſic non irrogat Sacramento, qui probabiliter credit, illum eſſe convenientem miniſtrandi modum, et nulli ſe contravenire praecepto. Ex quo ſic arguo: haec argumentandi ratio: *Qui probabiliter credit aliquid non eſſe contra Divinum praeceptum relicta licet probabiliori, et tutiori non facit injuriam Divino praecepto: item Qui probabiliter putat hunc eſſe convenientem modum miniſtrandi Sacramentum, non irrogat injuriam Sacramento:* Haec inquam argumentandi ratio eſt damnata ab Innocentio XI in propoſitione I, et IV. Ergo generaliter damnatus eſt modus iſte probabiliſtandi: *Qui probabiliter agit, non peccat, ut relicta probabiliori, et tutiori* (quod probabiliſtae in ſuis principiis ſemper ſubaudiunt) Ubi enim eadem eſt ratio, eadem debet eſſe juris diſpoſitio: P Sanchez ob *identitatem rationis* USUM opinionis minus probabilis, et minus tutae a *credente* extendit *ad miniſtrum Sacramentorum*: ergo et nobis liceat *ob identitatem rationis a credente*, et *miniſtro Sacramentorum* DAMNATIONEM opionis *minus probabilis*

go illa implicite damnata ſunt.

probabilis et *minus tutae* extendere generaliter ad casus *omnium dubiarum Legum*; ita ut ab *earum* observatione nemo excusetur *ductus opinione minus probabili*, sicut non excusatur Credens, et Minister Sacrorum.

IX. Secunda propositio ab Innocentio XI diris devota est: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Ex vulnere, quod nunc *universim* accepit, probabilissimus immedicabiliter jacet. Dicta enim propositio est surculus radicis probabilisticae, ut ramus ex trunco generalis systematis succrescens. Eam ante relaxatam morum doctrinam nemo Theologorum docuit. Post natum vero probabilissimum illam adoptarunt non tantum septuaginta auctores a P Camargo collecti, sed testibus Salmanticensibus *omnes*, qui *probabilissimum penitus perspectum habuerunt.* Nec aliud ejus principium est, quam illud decantatum: *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* Exquo, ut ait Sanchez, *judex quoque juxta opinionem minus probabilem judicans nec temere, nec imprudenter operatur.* Cum itaque falsum hodie sit *judicem* non *temere*, nec *imprudenter* agere ex opinione minus probabili, invicte, atque omnino ineluctabiliter inferimus, *ut judicem profanum*, ita *Sacrum*, ita *Confessarium*, ita *Concionatorem*, ita *Consiliarium*, ita *Professorem*, et quicunque *cum praevio judicio causas tractant, populo proponunt, dubitantes manuducunt*, quin omnes nos, quicunque *cum judicio*, et *deliberatione* agimus juxta illud: *Quod si nosmet dijudicaremus, non utique judicaremur*: ut *non temere*, nec *imprudenter* agamus, *juxta opinionem minus probabilem judicare*, agere, docere, aut Consilium dare nullatenus posse. Neque enim nisi verba dant *probabilistae*, dum inter *judicem profanum*, et *Sacrum*, aliosque *judicantes* discrimen dare nituntur. Ut passim obvii antiprobabilitae ad oculum demonstrant. *Illorum* enim ultima ratio resolvitur in easdem hypothesis falsissimas, quas ipsi pro theorematibus habent: nos vero ut petitiones principii, et asserta nuda hic refutamus n VIII, X. et seqq.

2-a ppoo Innocentii XI a probabilistis insolubile argumentum nobis subministrat.

Inter Judicem Sacrum et profanum nullam solidam disparitatem dare valent probabilistae.

X. Ad convellendum radicibus probabilissimum efficax peraeque est argumentum ex III propositionis per Innocentium XI facta damnatione adornatum: *Generaliter dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Quodidem est: Licet generatim sequi opinionem probabilem, sive sit probabilitas tantum *extrinseca* ab auctoritate auctorum desumpta: sive *intrinseca* ex rationibus *vere* quidem *probabilibus*, sed *tenuibus* tantum, *et in gradu infimo* probabilitatis. Confer cap VIII n XV. et c XV n XVIII dicta de probabilitate *extrinseca.* Confixa ergo sunt anathemate illa principia probabilitarum: *Ita tenent multi contra non paucos. Defensoribus non caret. Graves habet patronos* haec sententia. Item et illa: haec opinio *defendi potest. Non caret ratione. Ratio haec non est contemnenda.* Imo vero confixum est hoc illorum theorema: *Qui sequitur opinionem probabilem, prudenter agit. Licet sequi opinionem vere probabilem.* Propositio enim damnata loquitur de opinione *adhuc probabili*, quin *vere*, *ac proprie* probabili: quae scilicet manet *intra limites veræ probabilitatis*, et gradu veræ probabilitatis non excidit, sed intra eundem manet. Talis est sine *addito* probabilitas; hoc est *vera*, et *proprie talis* probabilitas. Neque enim adeo imprudentes erant patroni illius propositionis damnatae, ut adeo *tenuem* defenderent licitam esse probabilitatem, quae potius esset *improbabilitas.* Quemadmodum *tenuis sanitas* non manens in gradu *veræ sanitatis* est potius aegritudo, quam sanitas: sed licitam esse dicebant actionem *tenui* quidem subnixam probabilitati, quae tamen vera esset probabilitas, atque intra latitudinem *verae probabilitatis* admittentis gradus varios *maximae, magnae,*

3-a ppoo Innocentii aeque convellit probabilissimum.

Damnata est probabilitas extrinseca, et tenuis intrinseca.

gnae, infimae, minimae, verae tamen adhuc *probabilitatis* consisteret. Igitur usus *verae, ac propriae probabilitatis* damnatus est, nisi probabilitas sit admodum *magna.* Non est autem *talis*, si in contrarium sit par, aut *major.* Haec enim *illam elidit*, ut *in bilance majus* pondus alterum *minus.* Par vero parem suspendit, et dubiam reddit. Ut rursum in bilance paritas est. Ergo damnata est par, aut *minor* probabilitas; asserta *probabilioritas.* Sane solo lumine rationis opus est, ut manifeste intelligamus, in concursu duarum probabilitatum *aequalium* intellectum necessario *in suspenso* haerere eo, quod rationes *utrinque aequales mutuo se elidant*, aut *judicium utrinque aeque premant*; nec proinde sit, cur una pars *praeponderet.* Ideo hic juria omnia clamant; defectu *solidae probationis* in partem minus tutam, partem *tutiorem* esse eligendam. Kur um solo lumine rationis assequimur in casu notabiliter *majoris* probabilitatis *minorem* contrariae partis ita elidi, ut *haec* ad summum *tenuis* possit dici probabilitas. Rationes enim e. g. *quatuor solidae* aeque *solidam* in contrarium *unam*, aut *duas* ita evertunt, ut haec nequeat *prudenter* affirmari *solida*, nisi forte probabilistae *claudant* dedita opera *mentis oculos ad majorem* probabilitatem, et soli *minori* aperiant, atque toto nisu huic adhaerescant. Quod misterium probabilismi poeta ipsis ethnicis exprobavit solo lumine naturae ductus illis verbis: *Video meliora, proboque: deteriora sequor.* Fateamur igitur, *minorem* probabilitatem in concursu *majoris*, non esse *magnam, solidam, prudenterque eligibilem*, sed ad summum *tenuem:* atque adeo ab Innocentio XI in praxi damnatam.

Minor probabilitas in consensu majoris est ad summum tenuis.

Igitur damnata.

Quam haec vera sunt, tam lugendum est hanc damnationem Pontificiam a probabilistis nullo loco haberi. Pater eRhodes q 2 sect 8 docet: *sufficere omnino ad opinionem probabilem, ut eam Doctor aliquis magni nominis, et pius, praesertim recentior teneat.* En probabilitatem mere *extrinsecam* ab Innocentio XI damnatam, a recentioribus probabilistis constabilitam. Pari via procedunt *cum tenui* probabilitate intrinseca ab eodem Christi Vicario proscripta: in sua namque potestate positum arbitrantur patroni probabilismi de *tenui, majorive* probabilitate statuere: quin quamcunque depexam opinionem ad dignitatem probabilioritatis contra antiquorum SS Theologorum licet judicium doctoraliter promovere: et siquid obsit manifeste licet, *explicatione*, quam mox probabilioritatis nota condecorant, *solvere.* Cujus gravissimum exemplum exstat apud La Croix L 6 p 3 n 302 in cap *Inquisitioni* de Sent Excom. Ubi Pontifex clarissimis, atque ut apparet legenti, nulli dubio obnoxiis verbis decidit: *Mulierem ex credulitate probabili, et discreta quamvis non evidenti, et manifesta de matrimonii sui valore dubitantem debitum quidem posse reddere, sed postulare non debere.* Quid hac declaratione evidentius desiderari inter leges possit? quam in obvio sensu intellexerunt teste La Croix ibid majores nostri, illa Doctorum Luminaria! S Thomas, S Bonaventura, S Antoninus, Petrus Soto, Ledesma, Vasquez, et alii multi. Et tamen ibidem La Croix multis recentioribus citatis decernit *Mulierem taliter dubitantem posse etiam petere debitum conjugale:* subdens: *atque haec sententia videtur saltem spectata ratione esse probabilior.* En! stupeant, quin contremiscant antiquitatis venerandae cultore! quam Sententiam a Christi Vicario clarissime decisam in obvio sensu indubiam censebant teste La Croix S Thomas, Bonaventura, Antoninus, et alii veteres, contra eam La Croix una cum suis invenit ex penu probabilistica rationem, quam illico probabilistica licentia non probabilem solum, sed uno saltu *probabiliorem* appellavit, taliterque dubitanti mulieri contra Pontificiam decisionem, contra veterum Sanctorum auctoritatem jus petendi debiti attribuit, Pontificiam decisionem obtorto collo explicans, planeque frivoli-

Probabilistae eludunt hanc damnationem.

Cuivis miserae opinioni probabilioritatem attribuendo.

frivolis rationibus eludens. quas rationes Probabiliſtarum vel ſcivit decreti Conditor, et Sancti illi cit Doctores? vel non? ſi ſciverunt, quia non attenderunt, ſed contempſerunt, aperta falſitate gratificatur taliter dubitanti mulieri probabiliſtarum Chorus. ſi vero non ſciverunt, libenter careo tali ſcientia probabiliſtica, quam Conditor Canonis Innocentius III, et ſectatores ejus S Thomas, Bonaventura, Antoninus, et alii a P La Croix citati ignoraverunt. Quaſi vero Deus *poſtremis* his moralis Chriſtianae *reformatoribus* reſervaſſet hanc gloriam, ut *veteres* illos Legum *Conditores*, et *Eccleſiae Doctores corrigant*, emendentque futilibus, et infundatis ſuis rationibus, ac diſtinctiunculis. Tu interim Lector, meditare! ſi juniores magiſtri in ipſas Sacroſanctas *Eccleſiae leges* involant, easque in contrarios Sanctis *Patribus* ſenſus detorquent, quid non metuendum ſit caeteris Ethicae Chriſtianae Capitibus! et ſi futiles ſuas ratiunculas contra edictum clariſſimum cap *Inquiſitioni* mox ex *licentia probabiliſtica probabiliores* appellare non dubitant, an ideo quia illi tam audaces ſunt, nos ſanam doctrinam deſerere debemus, et non potius *exaltare vocem*, et *conteſtari* univerſos veritatis, ſalutisque ſtudioſos: nempe ab Innocentio XI attro ſtigmate notatam eſſe *levem*, ac *tenuem* probabilitatem etiam *intrinſecam*: quam *damnationem* ut *ſubterfugiant* probabiliſtae, omnes ſuas ratiunculas, et diſtinctiunculas ad libitum ſuum valde *probabiles*, *probabiliores*, quin ut cap praeced, et ſaepe alias vidimus de *attritione* ſervili agentes, *moraliter certas* appellare! videant proinde Chriſti fideles, ac pro rei gravitate etiam, atque etiam conſiderent, ne ſub *ornatis titulis* opiniuncularum, *falſitatem* pro *veritate*, aut ſaltem *tenuem*, ac *damnatam levem probabilitatem* pro ſententia *gravibus fundamentis* nixa ab iisdem probabiliſtis porrectam incauti glutiant! Quod periculum non ſufficienter cavebunt, niſi fugiendo probabilitatem recentium mere extrinſecam ab Innocentio XI diris devotam, ſive ut doctrinaliter exponit Clerus Gallicanus, *Juniores Scholaſticos tunc ſolum audiendo, dum hi SS PP ſequuntur: alias nullam iis tribuendo auctoritatem.* Conf cap VIII n XV. XVI. XVIII. et c XV n XVII.

XI. Quartum argumentum adverſus probabiliſmum longe graviſſimum ducitur ex damnata ab Innocentio XI quarta propoſitione, quae ſic habet: *Ab infidelitate excuſatur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.* Ex qua ſic arguere licet: Infidelis, et (quia eadem eſt ratio) haereticus, cui miſteria fidei Catholicae *probabilius* proponuntur *ut vera*, ſuae vero infidelitatis (aut haereſeos) capita apparent *minus* quidem, *vere* tamen *alhus* (ut ore, ac ſtilo adverſariorum loquar) *probabilia*, non excuſatur a peccato *infidelitatis*, (aut *haereſeos*) ſi in hac *minori* ut ut in ſe *vera probabilitate* conquieſcat, et non ſequatur *majoris probabilitatis* lucem, nec inquirat *hac lucente* ulterius in veritatem, ut eam reipſa aſſequatur, et credat. Ergo nec excuſatur is a *peccati formali*, qui de *exiſtentia Legis*, *poteſtate*, et *Libertate* actionis *majorem probabilitatem* negligit, atque in *minori* conquieſcit. Rurſus: ante damnatam modo dictam propoſitionem probabiliſtae talem infidelem ideo excuſabant *a peccato* teſte Viva in propos 4 n 1, quia ductus opinione minus probabili *prudenter operatur etiam in conflictu probabilioris oppoſitae, atque adeo ſicut non peccat in aliis humanis actionibus, ita nec in aeconomia fidei.* Atque haec probabilizandi ratio damnata eſt in *materia fidei univerſim*: Pontifex enim non reſtringit propoſitionis damnationem ad *credenda neceſſitate medii*, *vel praecepti*: *et ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.* Erubeſcit enim Theologus *ſine lege*, ſine ratione convincente *loqui*, deſtingvere, aut legem generalem contra Legislatoris mentem reſtringere. Ergo donec probabiliſtae

4-ta ppoo Innocentii XI conſimiliter funditus ſubruit probabiliſmum.

In materia fidei non excuſatur quis ignorantia ductus opinione minus probabili.

Ergo nec in materia morum.

liſtae claram, certam, indubiamque diſparitatem dent inter *fidem*, atque *actiones*, *moresque*, *humanos*, afferimus, praedictam probabilizandi rationem: *qui ducitur opinione minus probabili etiam in conflictu probabilioris, prudenter operatur*, GENERALITER ut circa *fidem*, ita circa *mores*, *actionesque humanas* atro ſtigmate notatam, atque ab *uſu*, et *praxi* Chriſtianae Theologiae aeternum eliminatam eſſe. Ad haec ita urgemus: iuſtus ductus *opinione minus probabili* non excuſatur *ignorantia invincibili* a quaerenda, inveſtiganda, et amplectenda veritate fidei ſibi *probabilius* propoſita. Sed de fide eſt, omnem *ignorantiam invincibilem* reipſa talem *excuſare a peccato, et obligatione.* ergo *quam fingunt* probabiliſtae cum opinione *minus probabili ignorantiam legis*, aut obligationis *probabiliori opinione* exſtante, et urgente, illa nequaquam *invincibilis*, ſed paradoxa, chimerica, ſurditasque eſt, quae fingi poteſt in ſana Theologia omnium maxima. Confer cap XI a n X et ſeqq. Cedo, quid eſt ignorantia, niſi *ſcientiae privatio?* Haec alia eſt *vincibilis*, quae adhibita *diligentia*, ac *ſtudio* vinci poteſt, et ob *negligentiam* non vincitur. Alia *affectata*, quae ſcientiam repellit: *noluit intelligere ut bene ageret. Craſſa*, et *ſupina*, quae nullam omnino diligentiam adhibet quaerendi, et ſciendi *quae ſcire poteſt, et debet.* Alia eſt ignorantia *invincibilis*: quae adhibita etiam diligentia, ac ſtudio *materiae gravitati proportionata* ſuperari nequit. Sola *dubitatio ex ratione gravi* de re, quae ignoratur, *vincibilem*, et criminoſam *ignorantiam* efficit. Quum *dubitas*, utrum actio quam ponis, prava ſit? an recta? omnibus fatentibus operando peccas, quia periculo peccandi te exponis. Et cum judicas, *probabilius* actionem tuam malitia fordeſcere, et hanc *probabiliorem partem* repudias, et oppoſitam *minus probabilem* ſeligis, quomodo *ignorantiam* tuam *vincibilem* habeam? ſplendidius lumen refugis *eidem oculos mentis claudis, lucem majorem* dedita opera *videre non vis*, ut opinionem *minus probabilem* libertati tuae faventem, et legi *probabilius* exſtanti adverſantem ſeligas; et tamen *errorem* tuum *inſuperabilem, inculpatumque* haberi praetendis? quis tam horridam doctrinam defendere valeat? quis eam communi bene moratarum gentium ſenſui contrariam non fateatur? Argumentum hoc aeque invicte ſervit in caſu *aequalis utrinque probabilitatis*: neque enim tunc quoque eſt quidquam, cur *invincibilem ignorantiam* appelles, quum *opinionem TUTIOREM aequalibus motivis commendatam* dedita opera negligis, *minusque tutam* eo ſolo titulo, quia *tibi faventem* toto intellectus, ac voluntatis niſu, clauſo mentis oculo *ad contrariam partem, ſed tutiorem lucem*, complecteris.

In quibus caſibus ignorantia vincibilis ſit? Pſ. 35 v 4.

Probabiliſtarum principia reflexa non ſunt certa, imo paradoxi.

XII. Ex iisdem propoſitionibus ab Innocentio XI Apoſtolico fulmine ictis proſtratum manet illudquoque probabiliſtarum principium: *Lex dubia non eſt Lex. Lex dubia nunquam fuit Lex. Lex non promulgata non obligat.* Ac nequid adverſariis appinxiſſe, quod ipſorum non eſſet, alicui incidat, audiat Terillum eorum facile principem de Reg mor 1 p q 2 n 45 haec fantem: *nulla Lex obligat, niſi ſufficienter promulgetur. At quoties adſunt rationes probabiliter fundantes partem minus tutam eſſe licitam, lex praecipiens tutiorem partem non eſt ſufficienter promulgata. Ergo illa Lex neminem obligat, quamdiu CERTO probabile eſt, partem minus tutam non eſſe probibitam.* Haec doctrina hodie non pergit in materia quatuor propoſitionum Innocentii XI. At evicimus jam, eas eſſe ſequelas, et *ramos* connaturales *radicis probabiliſticae*. Ergo *generaliter* hujuſmodi argumentandi ratio proſtrata jacet. Ac merito quidem ſuo: Nam 1: ſi *Lex certa certo obligat*, quid eſt obſecro cur *dubia dubie? probabilis probabiliter? probabilior probabilius* non obliget? nihil ſane, niſi verba dant adverſarii, dum praetendunt, afferunt, ſed non probant, *legem dubiam, ac probabilem non eſſe legem.*

Lex probabilis probabiliter obligat, ſicut certa certo.

Ac

Ac ne ſit eis refugium in defectu *promulgationis*, Leges aliae ſunt *naturales*, aliae *Divinae*, aliae *humanae*. Primae *inſitae ſunt mentibus* noſtris, atque *per lumen rationis*, modo ad id advertamus, cumulatiſſime ſunt *promulgatae*. *Secundi* generis Leges Divinae poſitivae in utriusque Teſtamenti libris *ab Eccleſia* pro Divinis *declaratis* continentur, atque *a Chriſto*, et ab *Apoſtolis omni Creaturae praedicatae* ſunt, ac *promulgatae*. Leges denique humanae in *provinciis*, *urbibus*, *communitatibus* ſufficientiſſime *promulgari conſueverunt*: non item *ſingulis* in *particulari hominibus*: ſi enim hoc poſtremum neceſſarium foret, nullae fere Leges humanae vim legis *in actu ſecundo* obligantis obtinerent; quod fere impoſſibile ſit *promulgationem* ad *ſingulorum* ſubditorum *nemine excepto notitiam* pervenire. Accedit, quod *a maiori parte* communitatis reliqui inſtrui de legis *promulgatione* facta perfacile poſſint, modo de *ea dubitantes*, aut *probabilem*, vel *probabiliorem* opinionem habentes *modicam* quaerendo, et inveſtigando adhibeant *diligentiam*; quam uti praeſtiterint reipſa, *vincibili*, *craſſa*, et *affectata ignorantia* legis detinebuntur. Quid? quod rarius *dubitatio* interveniat de *exiſtentia*, ſaepius vero de *intelligentia*, *veroque ſenſu* legis. Ad quem explicandum Magiſtratus tum ſacri, tum prolani ſunt conſtituti, ut Deuter cap 17 ſcriptum eſt: *Si difficile, et ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, --- Surge, --- veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et facies quod dixerint.* Unde clare pronunciat Angelicus 1 2 q 106 a 6 ad 2: *Si dubium ſit de lege, debet vel ſecundum verba legis agere, vel ſuperiorem conſulere.* Saepe etiam Legislator humanus interpretationem legis ſibi reſervat, ut quotidiana praxis *Principum*, et tot *Congregationes* Romanae, Concilii *Tridentini Interpretum*, *Sacrorum Rituum* etc in oculis noſtris ſunt, quae leges *dubias* quotidie interpretantur. Haec quemadmodum omnibus vel mediocriter in utraque Republica verſatis explorata ſunt, ita in ventum abigunt illud adverſariorum principium: *Lex dubia non eſt Lex.* Imo eſt plane, quia ut ex Angelico, et Deuteronomio vidimus, vel *ſecundum verba legis debes agere, vel ſuperiorem conſulere.* Futilis quoque ex praemiſſis manet illud ab iisdem decantatum: *Lex non promulgata non obligat. Confundunt* nempe, qui hoc venditant, *promulgationem publicam* legis cum *notitia ſingulorum*. Confundunt item publicationis *notitiam* cum legis *dubiae* neceſſaria *explicatione*. *Illa* a membris *Comunitatis*, qui publicationi interfuerunt; *haec* a *Magiſtratu* ad id ordinato, aut *a Principe* petenda eſt. Neutrius *in te defectu* legem *nullam*, ſed *te culpabilem* reddit, quod *in Dubio in veritatem negligas inquirere*. Haec ſolum diſcernere opus eſt, ut quisque manifeſte intelligat, nullam veritatem ab aperta falſitate magis diſtare, quam cit Deuter. et Angelici Doctoris textum a relatis probaliſtarum principiis, Terillique eorum Principis doctrina. Quam totam quantam velut *Legibus divinis*, et *humanis injuriosam*, et Divinae ordinationi *circa leges dubias* in cit Deuteronomii textu *contrariam* rotunde negamus. Neque *paradoxa* illa ſuſtentat ſcuti loco ab adverſariis uſurpari ſolita Regula juris 15 in 6: *Odia reſtringi. favores convenit ampliari.* Verus enim ejus ſenſus a gloſſa datur ſequens: *Poenas a jure, vel ab homine inflictas*, quae proprie odia ſunt, *reſtringi ad ſtrictum litteralem ſenſum*: *privilegia vero nulli praejudicioſa ample interpretari oportet.* Nec ſane leges *dubiae* odia ſunt, ut non ſunt *certae*; quin cum utraeque bonum communitatis reſpiciant, favores cenſendae ſunt.

Si lex ſit dubia, Superior conſulendus, vel tutius eligendum.

Quae odia reſtringi convenit?

Minus favet adverſariis decantatum ſuum illud theorema: *in dubio melior eſt conditio poſſidentis* libertatem ſuam contra legem. Nam ſi certa eſt lex, *certo evertitur libertas*. go pariter ſi *probabilis*, aut dubia eſt lex, *eodem gradu evertitur libertas* contra eam agendi. Igitur praedictum

Verus ſenſus R I in dubio melior eſt conditio Poſſidentis.

ctum effatum locum habet I: in dubio *negativo*, ubi nullae: aut II in dubio *levi*, ubi tenues adsunt pro lege rationes. Sic cap 44 de sent excom mulier ex ratione *levi* dubitans de matrimonii sui valore, jubetur ad judicium Parochi depoſito dubio debitum petere poſſe; in dubio vero *poſitivo* gravi tutius eligere reddendo parti bonae fidei, abſtinendo tamen a petendo debito. III. Proprium locum habet in quaeſtionibus *quis ſit Dominus rerum corporalium, aut jurium?* et in hoc caſu praefertur *is*, qui actu poſſidet. Nam tunc dictum axioma conſolidatur cum illa R I: *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſvevit.* Plerumque autem poſſeſſor actualis dominus eſt rei a ſe poſſeſſae. At in *dubio de lege* legislator, aut ſuperior utpote prior, et Major habet pro ſe jus, et praeſumptionem a ſubdito obedientiam exigendi, ut vidimus ex Deuteronomio et Angelico. Audiatur Vaſquez de *tota antiquitate* luculentum teſtimonium perhibens 1 2 diſp 65 cap 3: *Exiſtimo absque controverſia eſſe debere, quoties dubitatur an ſit lex aliqua? an non? eligendam eſſe partem tutiorem. Sane in hoc caſu nullum ex ſcriptoribus ſcholaſticis inveni, qui oppoſitum aſſerat.* Ex his dictum axioma in ſenſu benigniſtarum ſumptum in ventum abit. Confer *antiquorum Theologiam* cap VIII not 3 ad n XV. Sed et jus Canonicum, dum ſunt rationes utrinque aequales verum dubium eſſe agnoſcit, ac partem tutiorem ſequendam inculcat. Sic cap 12 et 26 de Presbytero non baptizato: quin Clementina exivi de V ſignif generaliter *in dubiis, quae animae ſalutem reſpiciunt, tutiora amplectenda declarantur*: idque non novo jure poſitivo humano, ut advertit Vaſquez p 2 diſp 67 n 9: *Pontifex non praecipit NOVITER, ut tutior pars eligatur, ſed potius ſupponens regulam illam tanquam veram colligit ex ea* quid in particularibus caſibus dubiis agendum ſit. Imo in dubio faventem ſibi eligere opinionem ibi natum eſt, ubi omnes perivimus. audiatur Doctor Seraphicus opuſc de Proces Relig cap 3: *Voluntas -- debet relictis dubitationum diverticulis quaſi ſuſpectis latronum ſemitis, apertos, et tutos juſtorum colles ambulare. Quid enim eſt, unde omnes in damnationem incidimus? niſi talis dubia interpretatio praecepti Dei de ligno vetito.* Similer S Proſper l. contra collatorem c 21: Eva *in dubio minus tutam* opinionem ſecuta *perdidit bonam conſcientiam.* Nam ut ait Tirinus in c 3 Gen: *non ſatis attendit, ut debebat* voces ſerpentis *ſui tentandae, fallendaeque gratia confictas eſſe. atque ita ſe ſeduci paſſa fuit,* a Lapide vero aſſerit ad eundem locum a ſerpente perſvaſam fuiſſe Evam I: *a Deo non vere, et ſerio vetitum fuiſſe eſum pomi.* II: *eos, ſi comedant, retpſa non morituros.* An Eva prudentius agant illi, qui inter probabiles veroſimilitudines minus tutam ſalutis viam ineunt? judicent a partium ſtudiis liberi. Certe prudentiae lex eſt *veritatem ſi clara eſt, ſequi: ſi dubia, ei quam proxime accedere.* Id quod ut Eva, ita omnes deſerunt, qui in dubiis ſibi, et libertati, neglecta lege, ſavent.

Eva probabiliſta fuit.

Triſtes ſequelae probabiliſmi.

XIII. Accedunt aliae rationes idipſum evincentes. Nam ſi ſemel permitteremus probabiliſtis, leges *dubias* non obligare, in fumum abirent illico pleraeque juris *naturae, Divini*, ac *humani* ſtatuta. Vix in ipſo Decalogo eſt mandatum a diſputationibus liberum. Ergo admiſſo illo principio corruet compendium legum omnium decalogus. Magnum *dilectionis divinae mandatum* a probaliſtis *toto vitae tempore obligare negatum* docet, quid cum aliis ſimilibus praeceptis voluerint! nec eſt, quod reponas, controverſias probabiliſticas non legum *exiſtentiam*, ſed *extenſionem* plerumque ſpectare. Nam *et hanc negando* non minus turpiter hallucinantur libertati faventes benigniſtae: cum et de eo, an *extenſio* facienda ſit? nec ne? Deuteronomium cap 17 judices jubeat conſulendos. Quod niſi fiat, exulent licet ex orbe chriſtiano

ſtiano tribunalia omnia: verum eorum loco colligamus ex obviis probabiliſtis numeroſiſſimum Catalogum Opinionum in utramque partem probabiliter diſputari ſolitarum cum hac inſcriptione: *Jura controverſa non ſunt jura: Lex dubia non eſt lex. Ergo ab eis liberi ſumus: quisque quod lubet, agat.* Pauca omnino remanebunt *certa.* Nam quae veteribus Sanctis certiſſima videbantur, probabiliſtis contrarium *probabilius* videri, hic n X cum dolore vidimus. Et ſic ſerpente ſenſim (ſi ſinatur) omnia *in dubium* revocante probabilismo mundus totus in *ſcheptícismum*, *Pyrhonismum*, *ignorantismum* degenerabit. Fallor? an non hac via progreſſi ſint illi, qui hodie Naturaliſtae, Indifferentiſtae, Exleges, Atheiſtae magnam partem faciunt politicorum?

XIV. Hae ſunt ſequelae triſtes venenatae radicis probabilismi. Quibus tamen modum, finemque impoſuit Venerabilis Servus Dei Innocentius XI Pontifex Maximus, qui dum Nigrum Stigma inuſſit quatuor relatis propoſitionibus, una fontem ipſum earundem probabilismum *in genere* cum omnibus paradoxis *ejus principiis*, ac fundamentis obſtruxiſſe, convulſiſſeque evidenter demonſtratum dedimus, oſtendendo, quatuor illas propoſitiones damnatas ex *generalibus* benigni ſyſtematis *principiis* ortas, defenſasque olim a Patronis ſuis exſtitiſſe. Habent namque propoſitiones illae *Univerſalitatem quamdam, ut ex generalibus* earum *rationibus* vidimus; ideo *inſtar omnium in materia probabiliſtica* cenſeri debent, quae nempe *eisdem probabiliſtici ſyſtematis generalibus principiis*, ut iſtas vidimus pendere, innituntur. Neque enim pia Mater Eccleſia mox ad totalem exciſionem claram, et manifeſtam malorum, ſub quibus gemit, proſilit; ſed quibusdam *propoſitionibus propter identitatem rationum generalibus* expreſſe anathemate percuſſis in recta filiorum ſuorum fide, et obſervantia conquieſcit, plane ſperans fore, ut omnes mentem ſuam intelligant ex illo principio: *Ubi eſt eadem ratio, eadem eſt juris diſpoſitio.* Recole cap XV n XII ad VI.

damnatis IV propoſitionibus damnatus eſt earum fons Probabiliſmus.

Moderatio Eccleſiae in damnandis propoſitionibus.

XV. Atque ita plane res evenit in praeſenti materia feliciter. Vix enim Petrus in Alexandro VII, et Innocentio XI locutus fuerat, mox praeter Univerſitates Europae celebriores non particulares ſolum Doctores innumeri, ſed nobiliora quaeque Religioſorum Ordinum agmina, velut fortiſſima *caſtrorum* Eccleſiae *acies ordinata* adverſus relaxatam moralis chriſtianae diſciplinam, exterminandumque inter ſuos probabilismum ſeveris legibus latis conjurarunt. Qua in re primi omnium erant Sacri Ordinis Praedicatorum alumni ſaepius iteratis decretis a probabilismo ſe le totis animis abhorrere palam profeſſi. Hos aemulati Sacri Coetus Carmelitarum 1696. Sanctiſſimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, Auguſtinianorum, Piarum Scholarum, Praemonſtratenſium, Oratorii Jeſu, Benedictiorum S Mauri, et Caſſinenſium, Ordinis S. Franciſci. Nulli in his ceſſit florentiſſima nuper Jeſu Societas. Ipſe S. ejus Fundator Ignatius quaſi futurorum malorum praeſagus graviſſime caverat Conſt p 4 cap V n 4 in haec verba: *Sequantur* (Profeſſores) *in quavis facultate ſecuriorem, et magis approbatam doctrinam.* Hinc Paulus Oliva Societatis Praepoſitus Generalis in Epiſtola ad Honoratum Fabri dicit: *Contra Societatis, et contra S. Ignatii mentem, et contra diſerta Praepoſitorum Generalium decreta ire, qui Theologiae moralis placita benigniorum opinionum obtentu plus aequo molliunt.* Et Mutius Vitelleſcus alter ejusdem Societatis Praepoſitus Generalis in Epiſt data A 1655 ad omnes Provincias ſic loquitur: *Nonnullorum ex Societate ſententiae, in rebus praeſertim moralibus plus ximio liberae, non modo periculum eſt, ne ipſam evertant, ſed ne Eccleſiae Dei univerſae inſignia adferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perſpiciant* (Superio-

Religioſi ordines conjurant adverſus probabilismum.

periores) *ut qui docent, scribuntve, minime hac regula in opinionum delectu utantur*: Tueri quis potest. Probabile est. Authore non caret. *Verum ad eas sententias accedant, quae graviorum, majorisque momenti Authorum suffragiis sunt frequentatae, quae bonis moribus conducunt magis, quae denique pietatem alere, et prodesse possunt, non vastare, non perdere.*

Decreta Cleri Gallicani contra Probabilismum.

XVI. Sed cumprimis ut magno ardore pastorali coeperat (n h IV) condemnationem laxitatis fontis Nobilissimus Clerus Gallicanus, ita summo studio, ac diligentia executus est. Nam in congregatione sua Generali A 1700 Parisiis celebrata primum quidem damnavit sequentes propositiones:

N 117. „ *Puto omnia esse hodie melius examinata, et hanc ob rem praecipue in morali libentius Iuniores, quam antiquiores lego et sequor, --- doctrina fidei a veteribus: doctrina morum magis a junioribus petenda.*

Censura. Haec propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, Sanctis Patribus, et antiquis Doctoribus contumelios; spreta in moribus Christianorum componendis necessaria scripturarum, ac Traditionis authoritate, et interpretatione, Moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones, et doctrinas Christo prohibente stabiliendas.

Alteram N 118. *Ex authoritate unius tantum potest quis opinionem in praxi amplecti, licet ex Principiis intrinsecis falsam, et improbabilem existimet.*

Tertiam N 119. *Haec Propositio: : sexdecim ad probabilitatem requiruntur, non est probabilis. Si sufficiunt sexdecim, sufficiunt quatuor. Si sufficiunt quatuor, sufficit unus. Ad probabilitatem sufficiunt quatuor, sed quatuor, imo viginti, et supra testantur unum sufficere: ergo sufficit unus.*

Censura. Hae propositiones falsae sunt, perniciosae, spreta veritate quaestionem morum ad numerum auctorum exigunt, (*a*) et innumeris corruptelis viam aperiunt.

Quartam N 120. *Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Est vigesima septima inter damnatas ab Alexandro VII.

Quintam N 121. *Non sunt scandalosae, aut erroneae opiniones, quas Ecclesia non corrigit.*

Censura. Hae propositiones quatenus silentium, et tollerantiam pro Ecclesiae, vel Sedis Apostolicae approbatione statuunt, falsae sunt, scandalosae, saluti animarum noxiae, patrocinantur pessimis opinionibus, quae ad Evangelicam veritatem iniquis praejudiciis opprimendam viam parant. „

Postea idem Clerus regulas dat de probabilium usu. quae cunctis Theorematum instar esse debent, ita ergo definit:

„ *Absit vero ut probemus eorum errorem, qui negant, licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam,* (*b*) *sed ad rectum usum probabilium opinionum has regulas a jure praescriptas agnoscimus:*

Prima ut in dubiis de salutis negotio, ubi aequalia utrinque animo se se offerant rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod est eo in casu unice tutum: neque id consilii, sed praecepti loco habeamus, dicente scriptura, qui amat periculum, in illo peribit. (*c*) *Haec prima regula.*

Altera

(*a*) *His verbis damnatum est quaestionem morum ad numerum auctorum exigere, go universim damnata est auctoritas mere extrinseca Iuniorum.*

(*b*) *Confer cap XV n V. ubi quando possimus sequi partem longe probabiliorem minus tutam: quando teneamur ad tutius, edisseruimus.*

(*c*) *Patet ex n hic XI et XII dictis.*

Altera, ut circa probabiles de christiana doctrina sententias sequamur id, quod Viennense Oecumenicum Concilium circa infusas tam parvulis, quam adultis in Baptismo virtutes decernit his verbis: Nos hanc opinionem — tanquam probabiliorem, et dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiae magis consonam, et concordem duximus eligendam. *Quod Concilii judicium eo magis ad regendos mores pertinere constat, quo magis ex ipsis fidelium sanctitas, ac salus pendet.* (a)

Ex hac igitur regula fit consequens primum: ut in rebus Theologicis ad fidei, et morum dogmata spectantibus Theologos quidem etiam modernos audiamus, si tamen consonas Sanctis Patribus tradant sententias. Deinde ut si ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur cursus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur authoritas. Denique ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit. „

Probabilitas mere extrinseca damnatur.

Haec Doctissimus, et Nobilissimus Clerus Gallicanus, cujus *auctoritatem* vindicavimus cap VII n XII. Et hac quidem in materia *illa* tanto urgentior est, quanto conformior non antecedentium, et hincronorum tantum, sed et subsequentium Pontificum decretis. Quod postremum jam delibamus.

XVII. Narrante saepe cit P Schneidenbach e manuscripto cujusdam Jesuitae, pervulgatum, ac ipsi Curiae Romanae notum est, quanto ardore aliqui conati sint *impedire*, ne luce publica donaretur *Liber P Gonzalez de recto usu probabilium.* Nihilominus SS *Innocentius* XII die 20 Julii 1693 *expresse mandavit*, ut liber subjiceretur examini, et *ipsius auctoritate prodiit in lucem* sub initium Anni 1694, exceptusque fuit cum magna approbatione in *toto orbe christiano*, et intra annum *duodecim*, vel *tredecim* praela subiit. *Clemens* XI ad libellum supplicem sibi a *Gonzalezio* oblatum respondit, ac totius societatis Praelatis significatum voluit: *Rem gratissimam Sanctitati Suae facturos Superiores, si praestent, ut Jesuitae abstineant a docenda, ac defendenda sententia minus probabili: additque, sibi compertum esse, id omnino expedire ad societatis honorem, et incolumitatem.* Praeterea jussit, ut in *Italia* Theologia moralis *Francisci Genetti* Episcopi *Vasionensis* (b) recuderetur; ac ut *P Christophorus a S Joseph* Procurator Generalis PP *Carmelitarum* excalceatorum Romae ederet insigne opus suum, quo ampliissima cum eruditione probabilismum impugnat, penitusque evertit. In Concilio quoque *Romano* anni 1725 cui praefuit *Benedictus* XIII tit V c V decretum legimus, *ut in congregationibus conscientiae casus proponantur, et practice exerceantur methodo servata synodali, quae legitur in appendice:* in qua n 7 haec habentur: *Disquisitione peracta Praefectus, aut alius quivis quaestio-*

Studia in insectando probabilismo Innocentii XII.

Clementis XI

Benedicti XIII.

Gggg 2

(a) Redisis ad n hic XI dicta.

(b) Notat saepe cit P Schneidenbach Diss 8 c 2 s 5 n 122, Illustrem hunc Episcopum *Genetto*, cujus Theologia moralis non solum apud eruditos maximum *applausum*, verum etiam apud Clementem XI haud vulgarem *approbationem* promeruit, a *P Dominico de Colonia* Tom 1 Biblioth Jansenist n 71 *in Rigoristarum* numero recenseri. Nempe ut Aethiopibus non nisi nigri homines sunt pulchri, ita probabilistis omnes antiprobabilistae rigoristae sunt, quin et jansenistae. Sed enim hujusmodi censurae neminem a dicenda, aut ampletenda veritate impedire debent: quidni enim magno animo contemnamus tales calumnias nos privati, quando ab illis nec summa quidem Ecclesiae capita libera prorsus erant. Notat dictus auctor n 140 ex *P Paulo de Montiniana* Capucino in opusc *Sacer mons pietatis*, Venerabilem Innocentium XI dicere solitum: *se probabiliorum doctrinarum cultores inter coelites venerari: ubinam vero alii sint? nescire.* Quibus nonnullos eo temeritatis processisse, ut *illum Jansenianum per contumeliam appellarint* teste Card de Aguirre in suis ad Regem Hispan litteris. Quisquis igitur pro veritate sibi standum decernit, ad talia impavide excipienda, et contemnenda sese primum resolvat memor illius Salvatoris: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Joan 15 v 20.

calumniae adversariorum contemnendae

ſtionis propoſitae concluſionem ad eas ſolas doctrinas diriget, quas VERIORES, SOLIDIORESQVE judicarit.

XVIII. Hanc Benedicti XIII doctrinam ad univerſalem Eccleſiam extendit Benedictus XIV Pontifex M multorum ſaeculorum doctiſſimus: qui in epiſtola encyclica ad totam Eccleſiam data occaſione Jubilaei a 1750 confeſſarios ſic inſtruit: „ Frequentius contingere ſolet, confeſſarium in ſuo miniſterio aliquid a poenitente audire, quod examine opus habeat. (in ejusmodi caſibus) caveat, ne divinando definat, ſed antequam reſponſum praebeat, tempore congruo, et conſilio rem expendat. Optanda in quolibet confeſſario eſſet ſcientia eminens: ſed mediocris, et ſufficiens omnino neceſſaria eſt: Nec ultra ſperare licet, cum morum Theologia tot, tantasque complectatur quaeſtiones, quae a Canonum, et Apoſtolicarum conſtitutionum notitia pendent: adeo, ut vix fieri poſſit, ut homo praeſentia omnia habeat, valeatque, ut dicitur, ſtans pede in uno, ad quodlibet reſponsere, quemadmodum praeſtare ſolent eminenti ſcientia praediti. Opus iſti minime habent ad librorum lectionem confugere, quod facere conſveſcunt ii, qui ſufficienti duntaxat ſcientia pollent. Ut animadvertit Praedeceſſor noſter Innocentius IV in Comment ad cap *cum cunctis* num 2 tit *de electione, et electi poteſtate*, ubi ita ſcribit: *Scientiam autem reputamus eminentem, quae ſubtiles quaeſtiones diſcutere, et definire novit, et in promptu reſponſiones habet: ille habet mediocrem, qui ſcit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia neſciat reſpondere, et qui in libris veritatem eorum, quae ſcire tenetur, ſcit quaerere, etſi in promptu omnia non habeat.* (a) Cum igitur confeſſarius in dubiis quaeſtionibus, aut in iis, quarum notitia caret, evolvere libros coactus ſit, non ſine delectu id praeſtet. Nihil quippe novi pronunciabimus, ſi dixerimus, in tanta ſcriptorum multitudine reperiri illos, qui *opinantur*, ſcribuntque juxta modum ab Evangelica ſimplicitate, et Patrum doctrina prorſus alienum. *Cum plures opiniones chriſtianae diſciplinae relaxativas, et animarum perniciem inferentes partim antiquas iteram Juſcitari, partim noviter prodire, et ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis creſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplititate, Sanctorumque Patrum doctrina; et quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet chriſtianae vitae corruptela.* Verba ſunt Praedeceſſoris noſtri Alexandri VII in Decreto ſuo die 7 Decembris 1665. Verum praemiſſis implicatiſſimis quaeſtionibus, quae excitari de ſcriptorum auctoritate, eorumque doctrinis poſſent, ſat nobis erit, confeſſarium monere, ne in dubiis controverſiis propriae adhaereſcat opinioni, ſed antequam deliberet, evolvat non unum, ſed plures libros, inter iſtos conſulat praſtantiores, poſtea illam amplectatur ſententiam, CVI MAGIS SVFFRAGARI RATIONEM, ET AVCTORITATEM FAVERE COGNOVERIT. (b) Ita docuimus in noſtra Epiſtola encyclica de u-

Oraculum Benedicti XIV.

Alexandrum VII de modo opinandi in genere locutum docet.

in dubiis probabiliora amplectenda definit.

quae ſit ſcientia omnibus neceſſaria?

(a) Obſerva, in quibus conſiſtat *mediocris* cunctis animarum curatoribus *neceſſaria* ſcientia: ut nempe in *ordinariis* caſibus ſciat ex tempore reſpondere: *in implicatis* conſulere *plures libros praeſtantiores*, et *qui magis caeteris praedicantur*, ex iisque *illam amplectatur ſententiam*, cui *magis ſuffragari rationem, et auctoritatem cognoverit.*

Pontifex prae miſſis loquitur ex cathedra.

(b) Clariſſima hac declaratione *ad omnes Patriarchas, Archi, et Epiſcopos* data *Chriſti Vicarius* docet univerſam *Eccleſiam* in quaeſtione *juris* ad *mores* pertinente *obligans omnes* in conſcientia ad decretum ſuum indubitanter obſervandum. go loquitur *ex cathedra*. Sane ſi *in hac quaeſtione decidenda* Pontifex Benedictus XIV, et *recipiendo* approbantes Orbis Epiſcopi erraſſent, tota Eccleſia erraſſet. go ab oppoſito Probabiliſtae *contra illam* pergentes ab eo tempore dogmatizare opinionem ſuam, apertam falſitatem, et Sedis Apoſtolicae deciſioni, totiusque Eccleſiae judicio contrariam doctrinam dogmatizarunt. Nunquam enim evincent *corpus primorum Paſtorum* hanc encyclicam *capitis, et Paſtoris Eccleſiae* non recepiſſe.

furis, quae est 143 in tom 1 noſtri Bullarii §. 8. *Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant; ſed priusquam reſponſum reddant, plures ſcriptores examinent, qui* MAGIS INTER CAETEROS PRAEDICANTVR, *deinde eas partes ſuſcipiant,* QVAS TVM RATIONE, TVM AVCTORITATE PLANE CONFIRMATAS INTELLIGENT. (*a*) Id ipſum nunc in memoriam revocamus; noſtra quippe ſententia *coerceri intra foenoris confinia non debet*, ſed ad ea OMNIA EXTENDI, quae AD FORVM SACRAMENTALE, et CONSCIENTIARVM regimen attinent.„ igitur Benedictus XIV probabiliſmum *univerſaliter a foro Sacramentali*, et *conſcientiarum regimine* proſcripſit.

XIX. Extremum ictum letalem probabilismo addidit Clemens XIII Theſes Aviſii Tridentinae Dioeceſis defenſas prohibens, ac tanquam falſas, temerarias, et piarum aurium offenſivas damnans teſte ſaepius citato P Scheidenbach. Quanquam vero de hac relatione ejus dubium prudens ſuboriri nequeat propterea, quod prorſus incredibile ſit, ac moraliter impoſſibile, virum Religioſum, Theologum eruditum, in corde Germaniae *Campidoni*, atque adeo in conſpectu ſolis, probantibus Reviſoribus, non reclamantibus, quin obmuteſcentibus probabiliſtis operi ſuo Theologico-morali tam ſtupendum Mendacium (ſi relata ejus falſa eſſent) a 1779 inſerere, Europaeque univerſae evulgare auſurum fuiſſe: Tamen ut in ore plurium ſit plena veritas, duplicem damnationem Theſium *Aviſienſium*: alteram ab *Epiſcopo Tridentino*, alteram *a S Romana Inquiſitione* confirmante *Clemente* XIII exhibet nobis Simon Occhi Bibliopola Venetus *ſuperioribus annuentibus* ut ait, *ac Privilegio* a 1766, a morte Danielis Concina decimo, in fine Theologiae chriſtianae *cujus* in duos Tomos contractae editionis Bononienſis. En tibi utramque.

Ultima fata probabilismi a Clemente XIII.

DECRETUM.

„ Franciſcus Felix Dei gratia Epiſcopus, et S R I Princeps Tridenti, Marchio Caſtellarii, Sacris Caeſareis Regiis Majeſtatibus a conſiliis ſecretis, ex Comitibus de Albertis de Enno etc.

Perillustribus, Nobilibus, Admodum Reverendis, et Venerabilibus reſpective Parochis, et Curatis noſtrae Tridentinae Dioeceſis ſalutem in Domino ſempiternam.

Decretum Tridentinum contra Theſes Aviſienſes

Dolenti equidem animo percepimus, proxime elapſo menſe junio in loco *Aviſii* Tridentinae hujuſce noſtrae Dioeceſeos quosdam articulos, quos infra notabimus, manuſcriptos ad diſceptandum privatim domi fuiſſe propoſitos, ac diſcuſſos, ubi nullae ſunt ſcholae; quod quidem tunc diſſimulandum duximus, minime neſcii, privatam ejusmodi exercitationem probro, dedecorique ceſſiſſe Auctori, qui ab oppugnatoribus in arctum ita adductus eſt, ut cauſſa illum palam cecidiſſe aſſtantes omnes facile intellexerint. Cum vero noviſſime harum Theſium exemplar extra hanc Dioeceſim typis editum in manus noſtras pervenerit, muneris noſtri ratio flagitat, ut confeſtim gliſcenti malo obviam eamus, ne populus noſtrae curae concreditus *nimia opinandi licentia a recta ſalutis ſemita deducatur*. Noveritis itaque, a nobis articulos, quos infra ſubjiciemus, ac ſervatim ſumptos omnino rejici, improbarique: prout harum litterarum tenore rejicimus, atque improbamus, prohibentes, ne ſub poenis Canonicis, ac aliis arbitrio noſtro

(*a*) Propter poſtremas has particulas auſi ſunt quidam probabiliſtae Sapientiſſimum hunc Pontificem ad caſtra ſua trahere. At id ſumma certe cum injuria: nam ex Praemiſſis ejus evidens eſt, *eam partem* per illum intelligi *ratione, et auctoritate* PLANE *confirmatam*, cui MAGIS *ſuffragatur ratio, et auctoritas*. Quod evenit ſolum in parte *probabiliori*: nullo modo in parte *minus probabili*. Haec enim in concurſu opinionis *probabilioris* dici nequit *plane confirmata*. ut hic n XI et XII luculenter evicimus.

ſtro iidem articuli acervatim ſumpti in diſceptationem, uſumque deducantur. Officii porro veſtri partes in eo eſſe debent, ut populum, cum ex ſacro ſuggeſtu, tum in poenitentiae tribunali dexterrime eo inducatis, ut *ea ſequantur dogmata, quibus tum ratio ſolidior, tum gravior authoritas ſuffragatur.* Quod dum a vobis ſancte obſervandum confidimus, Epiſcopalem vobis Benedictionem impertimur.

Datum Tridenti ex Arce noſtrae Reſidentiae hac die tertia Januarii 1761.

Franciſcus Felix Epiſcopus

Ad Mandatum Celſiſſimi, et Reverendiſſimi DD proprium Presb. Joſeph. Anton. Bertinali Cancellarius.

Hic recitantur Theſes damnatae, quae legi poterunt in ſequenti Decreto.

DECRETUM II.

„ S Rom. et Univerſ. Inquiſitionis confirmatum a SS D N Clemente Papa XIII. Quo prohibentur Theſes circa probabilismum expoſitae publicae diſputationi anno praeterito 1760 Avinii in Dioeceſi Tridentina.

Fer V die 26 *Februarii* 1761.

Decretum S R univerſal inquiſitionis contra easdem Theſes.

Per ſuas litteras ad Congregationem S Romanae, et univerſalis inquiſitionis labente ſuperiori anno datas dolenter nimium conqueſtus eſt Antonius Ceſchi Tridentinae Eccleſiae Canonicus Decanus, Theſes quasdam de probabilismo a Parocho Aviſienſi Dioeceſis Tridentinae in aedibus canonicalibus jam pridem propugnatas, poſtmodum ſine nota loci, et auctoris obſcuro praelo iuiſſe cuſas, et vulgatas non ſine Religionis detrimento, et bonorum offenſione, praeſertim Eccleſiaſticorum, quorum pars ſuo eſt regimini, et vigilantiae concredita. Poſtulante itaque eodem Decano congruum adhiberi remedium ingruenti malo, ne latius ſerpat, Theologicae cenſurae de more ſubjectae fuerunt praedictae Theſes unico contentae folio impreſſo, cujus tenor ita ſe habet:

PROBALISMUS

Publicae diſputationi Ven. Clero Aviſienſi exercitii gratia expoſitus contra probabiliorismum ſtricte talem, utpote negotium perambulans in tenebris.

Theſes Aviſienſes.

Pro die 10 Junii 1760 in aedibus canonicalibus Aviſii.

Utinam obſervaremus mandata Domini certa! quid nobis tanta ſollicitudo de dubiis? *Celeberrimus P Conſt. Roncaglia lib* 2 *c* 3.

I. Probabilismus noſter verſatur circa haec tria:

Licet ſequi probabiliorem pro libertate relicta minus probabili pro lege.

Licet ſequi aeque probabilem pro libertate, relicta aeque probabili pro lege.

Licet ſequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege.

Ex iis deducuntr ſequentia paradoxa.

II. Uſus probabilismi maxime tutus. Uſus probabiliorismi maxime periculoſus.

III. Uſus genuini probabilismi minime in laxitatem degenerare poteſt.

Uſus probabiliorismi ſtricte talis in rigorismum excurrere debet.

IV. Probabilioriſtas qua tales, qui ex conſilio probabiliora ſequuntur, laudabiliſſime operari affirmamus.

V. Probabilioriſtis ſtricte talibus, qui et praecepto, quod nunquam clare probant, ſe ipſos, et alios ad probabiliora impellunt, merito rigoriſtarum nomen imponimus.

VI Qui

VI. Qui nullatenus ad chriſtianam perfectionem tendere poſſunt, niſi ſequendo probabiliſſima.

VII. Abuſus probabiliorismi ſtricte talis non ſolum licentiae fraenum, ſed licentiae calcar eſt. quod Gallorum teſtimonio comprobamus.

VIII. Genuinus itaque noſter probabilismus, qui nec morum corruptelam inducit, nec a S Sede unquam male ſuit notatus, origine ſua Thomiſticus, progreſſu aetatis Jeſuiticus, utpote a quo arctatus, emendatus, et contra Janſenianos furores propugnatus fuit.

IX. Qui ergo habitat in adjutorio fundatiſſimi probabilismi, ſub protectione plurimorum ex omnibus Orbis chriſtiani nationibus praeſtantiſſimorum Theologorum commorabitur ſecurus.

Ex Hiſtoria Critica.

X. Hinc ſine ulla laxismi nota Benignismum etiam vocamus: ſed legitimum, quem ſvadet utraque lex Caeſarea, et Pontificia: ſed Dominicanum, quem illuſtris Dominicanorum Ordo jam a primis temporibus eſt amplexus: ſed pium, qui chriſtianam pietatem fovet: ſed Thomiſticum, quem S Thomas in amoribus habuit, qui ducentas, et plures opiniones libertati ſaventes in ſuis ſententiarum libris docet: ſed Chriſtianum, qui Chriſto Domino ſumme familiaris fuit. O. A. M. D. et V. G.

Pro Coronide. Probabilismus noſter ſtans pro libertate eſt notabiliter probabilior ipſo probabiliorismo ſtante pro lege.

Cenſura Romana earundem theſium.

Cum vero theſes hujusmodi, notaeque Theologicae expenſae fuerint in Congregatione Generali habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente Papa XIII, Sanctitas Sua auditis Eminentiſſimorum Dominorum S R E Cardinalium in tota Republica chriſtiana contra haereticam pravitatem Generalium Inquiſitorum a S Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum ſuffragiis, folium praedictum, et Theſes in illo expoſitas prohibendas, ac damnandas eſſe cenſuit, prout praeſenti Decreto *damnat*, et *prohibet* tanquam continentia propoſitiones, quarum *aliquae ſunt* reſpective *falſae*, *temerariae*, et *piarum aurium offenſivae*. Illam vero excerptam a numero X nempe *Probabilismum, qui Chriſto Domino ſumme familiaris fuit*, proſcribendam uti *erroneam*, et *haereſi proximam*. Praefatum itaque folium, ſive Theſes ut ſupra exſcriptas ſic damnatas, et prohibitas Sanctiſſimus Dominus vetat, ne quis cujusque ſit ſtatus, et conditionis, ullo modo ſub quocunque praetextu, quovis idiomate imprimere, ac imprimi facere, vel tranſcribere, aut jam impreſſum, ſive impreſſas apud ſe retinere, et legere, ſive privatim, ſive publice propugnare audeat, ſed illud, vel illas Ordinariis locorum, vel haereticae pravitatis Inquiſitoribus tradere, et conſignare teneatur ſub poenis in indice librorum prohibitorum contentis.

BENEDICTVS VETERANI ASSESSOR. *Hactenus cenſura.*

XX. Praefatur vero *his decretis* dictus Editor, ſe *ea* accepiſſe ex egregio opuſculo Italico ſermone edito, et inſcripto: *Cauſſa probabilismi ad examen attracta ab Epiſcopo D Alphonſo Liguorio, et convicta noviſſime de falſitate ab Adelpho Doſitheo.* Ad cujus ſcilicet opuſculi calcem adjectam narrat Appendicem *haec decreta* continentem *cum* nonnullis *animadverſionibus* in illa alterius quidem Theologi opera concinnatis, ſed quas praefatus Adelphus Doſitheus operi ſuo adjiciendas duxerit, et ex illo Editor Conciniani compendii Lectoribus ſe exhibere ait, *ne praefata decreta auro, cedroque digna eruditorum aliquem lateant.* Ut auctor animadverſionum inquit. Haec itaque Decreta publicae luci data ſunt 1: ab Anonimo Theologo animadverſionum auctore.

Horum decretorum teſtes.

ctore. II. Ab illo operi ſuo inſerenda accepit ſic dictus Adelphus Doſitheus. Ab eo III Conciniani compendii editor. IV ab his, ſive a publica aliunde notitia P Schneidenbach mox citatus. Meminit etiam theſium harum damnationis P Joan Vinc Pattuzzi ord Praed Ethicae chriſtian tom 3 de novello probabilitatis ſiſtemate c 8 in haec verba: *Ad pleniorem hujus rei probationem conſpirat recens S Cong S Officii decretum editum a 1761, et ſuprema ſua auctoritate confirmatum a SS P Clemente XIII: quo prohibentur, atque damnantur theſes de probabilismo Aviſii oppidi Tridentinae Dioeceſis expoſitae, ac defenſae tanquam continentes propoſitiones reſpective FALSAS, TEMERARIAS, ET PIARVM AVRIVM OFFENSIVAS. Quarum prima totum ſyſtema probabiliſticum continebat; ex qua aliae propoſitiones deducebantur. De hoc argumento fuſiſſime egi in poſtremo meo libro adverſum D Alphonſum Liguorium, ubi diſſipatis omnibus ejus cavillationibus oſtendi, damnationem totius probabilismi adeo eſſe nunc ſaltem manifeſtam, ut nemo amplius poſſit eum defendere, quin decretis Apoſtolicae Sedis aperte reluctetur.* Haec Patuzzius. ex quibus plena lux praemiſſis illabitur: nempe hunc ipſum Patuzzium ipſum eſſe, ſub nomine *Adelphi Doſitthei* contra D *Alphonſum Liguorium probabilismum noviſſime de falſitate convicit*: decreta haec operi ſuo adjecit, et ex quo editor compendii Conciniani illa mutuatus eſt. Quod vero nobis illa tardius innoteſcant, cauſſa eſt, quod ad hunc mundi eruditi terminum, potiſſimum ob miſerandam adhuc Cleri inopiam libri recentiores difficile penetrare valeant. Accedit fortiſſima praeſumptio veritatis ex eo, quod ab anno editorum horum decretorum 1761 probabiliſtae penitus conticuerint. Ultimum ſcio anno 1761 benignam ſententiam problematice defenſam fuiſſe. Ab illo tempore tota quaeſtio in ſcholis ipſis ſilentio preſſa eſt. Itaque genuina eſſe dicta duo decreta negari prudenter nequit. Coelum enim, et terram commoviſſent benigniſtae adverſus illa, ſi ubi pedem figant, habuiſſent.

Cenſura duas partes habet.

XXI. Nunc de vero illorum ſenſu paucis videamus. Decretum Sacrae inquiſitionis a Clemente XIII confirmatum (cui conforme eſſe debet decretum Tridentinum) duas partes habet. Illa propoſitio ex theſi X excerpta: *Probabilismus Chriſto Domino ſumme familiaris fuit*, Diſtincte proſcribitur *ut erronea, et haereſi proxima.* (a) Altera pars decreti *damnat, et prohibet praedictas theſes omnes tanquam continentes propoſitiones, quarum aliquae ſunt reſpective falſae, temerariae, et piarum aurium offenſivae.* Damnat inquam cum qualificatione generali dictas omnes novem theſes *nulla excepta.* Ergo declarat *ſingulas* earum vel *falſas*, vel *temerarias*, vel *piarum aurium offenſivas* eſſe. Si enim *aliqua earum* non eſſet tali nota ſtigmatizata, debebat Chriſti Vicarius *illam* nominanter excipere; ne in errorem induceremur *illimitata* damnatione. Ergo quia nulla eſt facta exceptio, *omnes pro damnatis* habendae merito ſunt eousque, dum quis has, illasque exceptas eſſe evidenter doceat. Sicut ſi medicus inſtructa novem dapibus menſa proclamet: *Mors in olla: Prohibeo, quemvis veſci his cibis, et damno eos: quia eorum aliqui ſunt reſpective venenati, temere ſumptibiles, ſanitatis offenſivi*: quis eſt, qui aliquem *eorum* ſumere auderet? nemo ſane, niſi valetudinis, vitaeque ſuae prodigus. Ita cum *Pontifex* Summus *Medicus* animarum noſtrarum omnes, *quia nulla excepta*, novem illas theſes prohibeat, et damnet, decla-

theſis X damnatur ut erronea, et haereſi proxima.

aliae omnes ut falſae, temerariae, et piarum aurium offenſivae.

(a) Quam digne, juſteque! probabilis opinio eſt aſſenſus *formidans* ob *motiva gravia*, in ſe tamen *fallibilia*, et *errori obnoxia* in defectu *ſcientiae*, et *certitudinis*. *Dubium* ergo, *incertitudinemque* appingit impia theſis ei, *qui* eſt *ſplendor gloriae*, et *figura ſubſtantiae* Patris, *portans omnia verbo virtutis ſuae.* ad Haebr 3 v 1 2 et 3. *Et in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis* (proinde et *ſapientiae, ac ſcientiae Divinae altitudo*) *corporaliter.*

declarando *aliquas* earum indeterminate *falsas*, *temerarias*, *piarum aurium offensivas*; nullam *ex illis* absque salutis dispendio sequi fas est. *Duas* igitur *manifestas* comdemnationis, et qualificatioais propositionum *partes* confundere, omnemque damnationem ad propositionem *de Christo probabilizante* detorquere, est decreto Vaticano apertam, obtorto collo vim inferre. Nam haec *de Christo* propositio *determinata cum qualificatione* damnatur, velut nempe *erronea*, *et haeresi proxima*: Aliae vero priores *in genere* ut *falsae*, *temerariae*, et *piarum aurium offensivae*. Distinctae sunt *propositiones*, distinctae *qualificationes*, distinctae *prohibitiones*, ergo et *damnationes*, sine *ullius propositionis*, ex *adductis exceptione*. Ut sola decreti lectione evidens est.

XXII. Siquis in his adhuc haereret, petimus ab eo, ut nobis ex praedictis novem thesibus designet nominanter illam, vel illas, quam, vel quas a Clementis XIII fulmine illaesam, vel illaesas censet? et quo jure? quo fundamento? aut ratione? nos vero contrarium ut certum asserimus, atque omnino manifestum, nullam nempe ex omnibus novem thesibus immunem a tetro stigmate haberi posse. Atimprimis observamus, post *primam* trimembrem thesim haec judicio Vaticano subjungi: *ex iis deducuntur sequentia paradoxa*. Ergo judicio Pontificio certi sumus, *Iidam*, *et omnes sequentes ibi* theses esse *paradoxas*, et *deductas* ex prima trimembri. Ergo de subsequis jam non laboramus, utpote pro *paradoxis* Pontificio oraculo declaratis, sed et primam pro *tali* habemus ex illo inconcusso principio: *falsum*, *absurdum*, *paradoxum consequens*, *ergo et antecedens*. Octo posteriores theses *paradoxae*, et ex prima *deductae* declarantur a Clemente XIII. Ergo et *primam paradoxam* habendam indubium est.

reliquae omnes fundantur in prima trimembri thesi.

XXIII. Id quod evidens quoque fit ex epigraphe, quam disputator Avinionus primae trimembri Thesi praefigit dicens, ac confitens:

Probabilismus noster versatur circa haec tria:

Licet sequi probabiliorem pro libertate relicta minus probabili pro lege.
Licet sequi aeque probabilem pro libertate, relicta aeque probabili pro lege.
Licet sequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege.

Agnoscit itaque Disputator, *omnes reliquas theses suas* probabilisticas *primae* ex tribus propositionibus constanti ut *radici*, ac *fundamento* innixi, ex hisque caeteras natas esse. Si igitur demonstremus, *tres has propositiones* in *prima thesi* contentas et *damnabiles*, et *reipsa damnatas* esse, sequitur invicte, et ineluctabiliter, *omnes reliquas etiam octo*, velut *stolones venenatae radicis probabilisticae* falce Apostolica praecisas esse. Id vero nulla cum difficultate conficimus. Etenim unica, eaque specie externa verborum tantum, non vi solida premens est difficultatula in prima propositione: *Licet sequi probabiliorem*. Quae videtur *vera* ex dictis cap XV n V. Sed enim proprium est errorum Magistris sub speciosis verbis errorem tegere. Similis proinde est dicta propositio propositionibus Janzenii; nempe etsi *in aliquo vero sensu* a nobis loco cit *exposito* sustineri posset, imo deberet; in sensu tamen a *probabilistis intento falsam* omnino, *damnabilemque* esse manifestum fit ex eodem n V cap XV. Quia videlicet non exprimendo *longe*, *notabiliter*, ac *moraliter majorem* esse debere *probabilioritatem* sententiae *minus tutae* comparatione facta ad motiva *tutioris*, inuuit, supponitque, quantumvis *tenuem*, ac *levem probabilioritatem* sententiae *minus tutae* sequi nos posse relicta *tutiori modice minus probabili*. Ac reipsa in hoc, et propter hunc posteriorem sensum *damnatam* esse eandem propositionem manifeste asserit recentissimus scriptor P Schneidenbach tom 8 diss 8 cap II q 3 n 123 ita differens: „ Quapropter Sedes Apostolica hanc inter alias *Avisii* propugnatas thesim merito anno 1761 protrivit, quae caeterarum basis, ac fundamentum erat: *Licet sequi probabi-*

Ima trimembris damnata est etiamquoad Imam propositionem quae etsi ad speciem vera videatur, falsa tamen, et damnata est.

babiliorem pro libertate, relicta *minus probabili pro lege*: item *aeque probabilem pro libertate*; *relicta aeque probabili pro lege:* ac rurſus *minus probabilem pro libertate*, *relicta probabiliori pro lege*: Quamvis enim prima pars videri cuipiam poſſit *innoxia*, ac talis reipſa quibusdam viſa ſit: quia tamen in ſenſu *Probabiliſtarum*, de quacunque *major Probabilitas* ad *licite* operandum ſufficit, tametſi *levis* ille exceſſus fuerit, *damnatione*, non minus ac partes aliae, digna judicata ex aequo fuit. Probabiliores enim ſententiae appellantur illae, quae *multum* excedentes prae contrariis, ſunt moraliter probabiliores. Id autem non per certos probabilitatis gradus *calculo* computandos (uti nonnulli Probabiliſtae per jocum oppoſuere) ſed eo facili, atque *intimo ſenſu* explicandum eſt, quum nimirum earum opinionum momenta ita oppoſitis praeſtare, et ita noſtram mentem adficere ſentimus, ut eas *veras* eſſe convincamur, nec quidquam contra, quod *grave* ſit, gravemque dubitationem moveat, detegamus. „

opinio minus tuta, ut eam ſequi poſſimus, longe debet eſſe probabior tutiori.

ita ut appareat vera, et careat ſolido dubio.

Id ipſum aperte confitetur Theologus Anonimus *animadverſionum in decreta haec* auctor n h XX laudatus. ait enim: „ Falſa eſt primae theſis prima pars: quia ad hoc, ut nobis liceat ſequi opinionem probabiliorem pro libertate relicta minus probabili pro lege, *talis, et tanta debet eſſe major probabilitas, ut nobis afferat moralem certitudinem de boneſtate noſtrae actionis*, vel omiſſionis, et *longius pellat prudens quodcunque peccandi periculum*: cum perperam, et ſine ullo fundamento *ex principiis reflexis eam certitudinem nobis promittant probabiliſtae, nec dubium practicum, manente dubio ſpeculativo, diſcuti valeat.* Cum enim reflexa illa principia aut commentitia ſint, aut falſa, aut ſaltem dubia, ut omnes fateri debent, certam concluſionem parere non poſſunt. Quamobrem qui ſine ea, quam diximus, certitudine ſequitur opinionem etiam probabiliorem pro libertate, ſe exponit periculo violandi legem, et peccandi, adeoque peccat. „

tanto magis a et 3 propoſitio primae theſis damnata eſt.

XXIV. Vindicata damnatione primae propoſitionis primae theſis, jam nullo labore pateſcit damnatio ſecundae, et tertiae. De quarum condemnatione nec incidit haerere Schneidenbachio l c ait enim: *Quamvis prima pars videri cuipiam poſſit innoxia, et talis reipſa quibusdam viſa ſit.* Ergo innuit de 2 et 3 propoſitionis condemnatione neminem omnino dubitaſſe, aut dubitare poſſe. Anonimus vero mox citatus haec ait: *hoc autem periculum* violandi legem, et peccandi *majus futurum eſt, ubi opinio probabilis pro libertate conflictatur cum aeque probabili pro lege. Quare certius, et evidentius peccabit, qui ſequi maluerit opinionem probabilem pro libertate relicta aeque probabili pro lege. Adeoque evidentius falſa, et condemnata eſt ſecunda, quam prima theſis primae pars. Tertia autem pars ejusdem primae theſis prorſus concidit cum illa propoſitione, quam damnavit Innocentius XI ſub n III in ſuo decreto* 1679 hujus timoris: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, --- quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Enim vero admodum *tenuis* ſit oportet probabilitas illa, quam *major* in contrarium militans deprimit, evertit, annihilatque, ut in bilance plures libras pauciores. Quin nec *aequalis* utrinque probabilitas *practice ſolida* eſt; cum motiva utrinque aequalia vere ſuſpendant animum, in dubioque relinquant: quod iterum in bilance *utrinque aeque* onuſta manifeſtum fit. Ideo omnia jura clamant *tunc* tutius eſſe eligendum. confer h n XI et XII. Innegabilis igitur eſt *falſitas*, et *temeritas*, conſequenter et *condemnatio* primae theſis quoad omnes tres partes. Et quia tam confeſſione diſputatoris hujus in verbis: *Probabilismus noſter verſatur circa haec tria.* Quam judicio ſummae Sedis: *Ex his deducuntur ſequentia paradoxa*: evidens eſt, reliquas novem theſes nonniſi infelices ſeqvelas eſſe primae trimembris theſis, ideo *evicta malae radicis totali excisione*,

ex 1a trimembri deductae reliquae theſes Summae Sedis judicio paradoxae declarantur.

excisione, nulla tergiversatione negari potest, Stolones quoque ejus reliquas novem theses *eandem infelicem vitem* subiisse. Cum aliunde Christi Vicarius nihil ex iis excipiat, de nulla earum praescindat, nec quidquam vel umbratilis rationis relinquat, quo aliquam illarum *indemnem* ab *atro stigmate* afferere valeamus.

XXV. Ex hac eadem ratione vix digna sunt caetera earundem thesium, ut iis refutandis immoremur. Juvat tamen quaedam curssim notare, ne stigmatizatus Theologus nimium prudens ubi videatur. In titulo *probabiliorismum* appellat *negotium perambulans in tenebris*. Hujusmodi scomata potissimum ex scriptura *impie ad convitiandum veritatis studiosis* impacta millies retundi possent. Sed viro gravi indignum est talibus moveri, aut delectari. Certe Apostolico fulmine aperti jam sunt oculi probabilistarum, ut nolentes etiam videant *lucem magnam toto orbe splendentem* probabiliorismi, quem aeternis tenebris consepultum maluissent. Exclamat deinde: *Utinam observaremus mandata Domini certa! quid nobis tanta sollicitudo de dubiis?* abunde refellimus h n XI XII et XIII. Ad primam thesim trimembrem dictum satis numeris hic immediate praecedentibus. Ex II III V et VIIma thesi inferimus: ergo *Ecclesia Dei* usque ad saeculi decimi sexti annum 1577, quo Bartholomaeus Medina probabilismum parturiit, (n h II) omnes eousque *Ecclesiae Doctores*, ac *Theologi*, quin *pii*, ac *Sancti omnes* antea floruere *usum* doctrinae *maxime tutae* ignoraverunt! *maxime periculosae* tenuerunt! *in Rigorismum excurerunt*! quin licentiae calcar habuerunt! Sequuntur haec absurda ex eit thesibus terre: quia si haec praestat probabiliorismus, ut theses asserunt, omnes qui ignorarunt probabilismum ante, quam is orbi obtruderetur, monstris his infecti fuerint oportet, tanto quidem a fortiori, quia *antiquis PROBABILE* tantum erat, ac *unice certo probandum*, ab *omnibus laudandum*. Sic Gentium Doctor 2 ad Timoth 2 v 15 monet dilectum hunc suum discipulum, ut *semet probabilem exhibeat Deo Operarium*. S Gregorius Nazianzenus or 22 *doctrinam* de necessitate Fidei in Christum *probabilem* appellat. Augustinus l 7 de Bapt eam dicit in praxi *probabilem opinionem*, quae saltem a *Regionali Concilio* foret *probata*. In Codice de fide catholica *Episcopi catholici* vocantur probabiles. Eodem codice de Episcopis *Status Clericalis* appellatur *probabilis saeculi disciplina*, sive digna, quae ab omnibus probetur, honoretur. go antiquis *probabile*, *moraliter certum*, *unice in praxi sine formidine tenendum* sinonima erant. go antiqui omnes erant *probabilioristae*. go si disputatorem audiamus, omnes erant Rigoristae. Haec est sequela necessaria doctrinae infruniti oris Disputatoris totam XVI saeculorum venerandam antiquitatem nota Rigorismi dedecorantis. Cujus consideratione mitius ferent recentiores vibratas ab illo in se calumnias. Qualis reipsa calumnia est, qua asserit probabilismum *progressu aetatis fuisse Jesuiticum*, *utpote a quo arctatus*, *emendatus*, *et contra Jansenianos furores propugnatus fuerit*. Quae intricienti n h XV evanescit. Ut proinde pessime meriti sint de *sacro hoc coetu* etiam ex *suis* nonnulli, qui probabilismum proprium Societatis Jesu sententiam fuisse asseruerunt. Vide Antoine de consc probabili qu 2 obj 15. De *furoribus Jansenianis* diximus h n V. Ut vanitatem thesis IX palpes, recole h n III et IV. Quod porro ait thesis X probabilismum legem Caesaream svadere, infandum jubet renovare dolorem. Ut mox narrabimus. Quod demum ait probabilismum esse *Dominicanum*, et *Thomisticum*: putidam fabellam Theologi Praedicatores pridem, ac recentissime P Joannes Vincentius Patuzzi in suis epistolis convulserunt. De Doctore Angelico evidens aliunde est, eum *Joanne Medina* esse longe antiquiorem. Multas equidem opiniones tradidit Angelicus Scoto, Divo Bonaventurae, aliisque scholarum

et talia esse breviter probantur.

continent scomata.

injuriosa sunt antiquitati.

antiquis probabile idem, ac unice probandum.

Inclytae item Societati Jesu.

Ordini Dominicano.

et Doctori Angelico.

Principibus contrarias: et hi viciſſim illius ſententiis repugnantes: quia illae opiniones *Auctoribus ſuis* viſae ſunt eſſe *veroſimiliores*, et *probabiliores*. At nemo omnium uſque *ad Medinam* docuit aliquam opinionem ſibi *minus probabilem* viſam. Ut ex *Corduba* vidimus h n II. Quae obſervatio generaliter de omnibus *antiquis* ante ortum probabilismum notata in ventum agit, quidquid pro laxismo ante a 1577 praeſidii quaeritur.

XXVI. Hae itaque ſunt decem illae theſes, quas ad M D G Aviſinus Diſputator *propugnandas*, revera autem fulmine Vaticano *profligandas*, (quam juſte, meritoque, ex his ſolum patet manifeſte) expoſuit. Quibus coronidem, ingloriam ſane, adjecturus ait: *Probabilismum genuinum eſſe longe probabiliorem ipſo probabiliorismo.* Id ſi de probabilitate *intrinſeca* intelligat, judicet mundus eruditus inter nos, et illum ex iis ſolum, quae hoc capite breviter diſſeruimus. Quid ſi accedant eruditiſſima Merbezii, Bertii, Patuzzii, Turnelii, aliorumque complurium hac de re edita opera? tum ſane audaciorem falſitatem ſo non vidit, quam haec Aviſienſis Theologi futura eſt! ſi vero de *extrinſeca* probabilioritate loquatur, recole ea, quae paſſim docuimus de ea, ſignanter e XV n XVIII. Adde, quod haec ipſa propoſitio Aviſienſis: *Probabilismum genuinum eſſe longe probabiliorem ipſo probabilismo* in *folio illo* inventa damnata, reprobataqve ſit. Igitur hodie multitudo *probabiliſtarum* ita cenſenda eſt, ſicut *millenariorum*, qui primis Eccleſiae ſaeculis *impune*, *innocentque* verum errorem docuerant. Atque ut multae aliae opiniones olim vigentes ſubinde penitus evanuerunt. Confer c VIII n XV et ſeqq.

probabiliſtarum vana gloria in multitudine ſuorum

occurritur exceptioni.

XXVII. Ais: Nimia haec ſunt. Theſes Aviſienſes reprobatae ſunt (praeter illam de Chriſto probabilismo familiariter uſo) propter nimiam verboſitatem, jactantiamque traſonicam tantum. At hoc eſt aperte eludere Oraculum Pontificium. Nimia jactantia, et traſonismus abjici, contemnique poterat: at hae theſes (praeter *erroneam*, *haereſique proximam* de Chriſto modo dictam propoſitionem) *omnes* ſine *exceptione*, aut *reſtrictione* damnatae ſunt ut reſpective *falſae*, *temerariae*, *piarum aurium offenſivae*. Quod longe plus eſt, quam ut inſulſam duntaxat jactantiam coercitam fuiſſe dicamus. Enimvero nemini fas eſt dubitare, quin illa propoſitio *de Chriſto* vere damnata ſit hoc decreto *ut erronea*, et *haereſi proxima*. Atqui idem decretum aeque damnat *reliquas theſes omnes*, *ut falſas*, *temerarias*, *piarum aurium offenſivas*, ſicut illam ſingularem *erroneam*, et *haereſi proximam*. Ergo atque non licet de reliquarum *falſitate* dubitare vi hujus Decreti, ſicut de propoſitionis ſingularis illius expreſſa ibidem cenſura. accedit teſtimonium laudatorum hic n XX auctorum: Silentium item probabiliſtarum ab edito decreto hoc 1761 altiſſimum jam ultra 30 annos. Id quod deſperatam penitus eſſe cauſam evidenter prodit. Non enim antea aquieſcebant illi; ut patuit poſt Oracula Alexandri VII, Innocentii XI, Benedicti XIV. Multis exceptionibus, infinitis diſtinctionibus, atque ad obnubilandam veritatem natis ſupterfugiis ſcholaſticis contra omnia tela inſtructi erant. Nec modo deeſſent cauſſae ſuae tot diſcipuli olim Magiſtrorum adhuc ſuperſtites, ſi crederent, Aviſienſem cauſam in ſola verborum licentia conſtitiſſe.

ſilentium probabiliſtarum loquitur deſperatam eſſe eorum cauſſam

aliud decretum Clementis XIII contra probabilismum

XXVIII. Alterum Decretum *contra Probabilismum* ejusdem *Clementis XIII* merito haberi debet illud, quo is ſupremam roboris firmitatem addidit conſtitutionibus a Coetu Generali Fratrum Minorum S Franciſci a 1762 *Mantuae* celebrato editis: quas inter Generale illud Capitulum ſeſſ 14 *renovans omnes conſtitutiones, quae in aliis praecedentibus Capitulis Generalibus de doctrinis* PROBABILIORIBUS *ſeligendis decreta ſunt, mandat, et praecipit S Theologiae Lectoribus, aliisque omnibus,*

ius, quatenus doctrinas TVTIORES, *et* PROBABILIORES *semper doceant, et amplectantur. Acta autem hujus capituli a SS P Clemente XIII ultimum obtinuere roboris firmamentum.* Verba sunt P Schneidenbach diss 8 cap 3 § 2 n 141, qui addit: legem illam a Reverendiſſimo P Paſchali a Varisio publicatam, explicatamque eſſe, obligare *ſub graviſſimo S Obedientiae praecepto, nec non ſub interminatione Divini judicii, item ſub poenis graviſſimis mortalem culpam ſapponentibus.* Nulla igitur hic patet rima evadendi *Fratribus Minoribus*; quin omnibus *Chriſti Fidelibus* invictum conſurgit argumentum, in *materia morum, et honeſtatis actionum* ad *omnes pertinente latum tam grave praeceptum*, ut ab ipſo *Eccleſiae Capite confirmatum* nequaquam *in ſola verborum licentia* conſtitere, ſed legem explicare naturalem, Divinam, et Eccleſiaſticam *omnes, qui Chriſtiano nomine cenſentur, tangentem* de opinionibus PROBABILIORIBVS, et TVTIORIBVS unice, ſemperque conſectandis. Et quia cauſſa Aviſienſis comitis haec praeceſſerat, admodum urgenter concludere licet, ſapientiſſimos hos Patres legem hanc ideo *gravibus ſub poenis* rogaſſe, ac publicaſſe, quia cauſſam probabilismi finitam *jam tum* oraculo Pontificio illis conſtabat. Sed et deridendos ſe ſe palam praeberent, qui aſſererent, Clementem XIII *circa fundamentalia morum, et actionum principia* alias regulas ſub *mortali* peccato, et *interminatione Divini judicii* obligantes confirmaſſe Minoribus Fratribus ubique gentium curae animarum ſubſidiariis: alias, *recte contrarias* aliis animarum Curatoribus *ſequi permiſiſſe* in theſibus Aviſienſibus ob licentiam verbo-ſitatis tantum quoad novem earum propoſitiones damnatis. Ex quo horrenda cum confuſione accideret, ut PP Minores *ſub mortali ex probabilioribus* opinionibus regere hodie animas *deberent*; alii vero Curati *juxta minus probabilia* easdem dirigere *poſſent*. Fateamur igitur cauſſam probabilismi tam in Aviſienſibus theſibus, quam in Comitiorum Mantuanorum actis confirmatis a Clemente XIII finaliter deciſam eſſe non quoad *verborum* duntaxat *licentiam*, ſed abſolutam neceſſitatem ſequendi probabiliora, et tutiora in utroque decreto *omnibus* impoſitam, ſive potius jam prius ſufficienter praeexiſtentem ultimatim declaratam, et inculcatam eſſe.

ia confirmatione Comitiorum Mantuanorum.

XXIX. Vocem Petri in Clemente XIII loquentis ſecuta eſt *executio* Regio-Caeſarea. Rem narrat ſaepe laudatus P Schneidenbach in fine cit tom 8. Cujus opere theologico morali cum tota Germania plena ſit, cur nos celemus ea, quae in conſpectu Solis geſta ſunt, et ad nos pariter, ut omnes alios dirigendos pertinent? en igitur ejus verba: „Hinc pro eo, ac debebant, tot celeberrimi *Eccleſiae* Antiſtites libros, ac doctrinas Caſuiſtarum *dira execratione* proſequebantur, atque ne populus ſuae curae ſubjectus probabiliſticis dirigatur ſciſis, invigilabant, nec non a SS *Ordinibus*, aut *excipiendis* Confeſſionibus procul arcebant, quos *ſeniores* juxta ac *ſaniores* ſententias continenter ſequi noſſe animadvertebant. Quin imo *Principes* quoque *civilis* Reipublicae boni, populorum tranquilitatis, eorumque fundamentorum, *fidei, legis, ordinis* et *ſecuritatis*, quibus *humana ſocietas* fulcitur, rationem habentes, probeque intelligentes, quam probabilismus infeſtus ſit tot praepoſteris, pravis, iniquis, ſeditioſis, atque ſanguinolentis opinionibus, quas de *homicidio*, de *calumniis* de *injuſtitiis, privatis compenſationibus, furtis, uſuris, de mentalibus reſtrictionibus, de amphibologiis, de fraudibus, de eludendis legibus humanis*, de ipſorum *Principum poteſtate circumciſa*, de tirannicidio ete parturit, fovet, nutrit, is non tantum e *Luſitania, Hiſpania, Neapoli*, ac *Galliis* pulſus, ejectus, eliminatus; verum nuper ex ipſius etiam *imperii Romano Germanici Metropoli Viennenſi* exeſſe jubebatur, quum nimirum *Amicus, Arsdekin, Azorius, Banoltius, Bardius, Baunius, Benzius, Biesman, Buſenbaum, Caramu-*

damnationem Pontificiam ſecuta eſt executio Caeſarea.

auctores probabiliſtae in terris Auſtriacis prohibiti.

ramuel, Cardenas, Caſtropalaus, Diana, Dicaſtillus, Eſcobarius, Esparza, Francolinus, Filucius, Faber, Gobat, Ghezius, Guimenius, Hurtado, Johnſon, Illſung, Lugo, Laymannus, Lacroix, Merolla, Mendeſa, Moya, Martinoniu, Millhard, Paſqualigo, Pelizarius, Pfau, Rhodes, Sayrus, Sanches, Sporer, Salas, Sa, Sandaeus, Tamburinus, Terillus, cum plurimis aliis *recentioribus*, et ut ipſi quidem putant, probabilismum *moderatum* certis quibusdam *limitibus*, ac *conditionibus* circumſeptum tradentibus, volente S Caeſar *Reg et Apoſt Majeſtate in claſſem librorum per omnes Ditiones Auſtriacas prohibitorum conjiciebantur.* Vertant jam, per nos licet, ſe in omnem partem probabiliſtae; nullum credimus, invenient exitum: *Hac urget lupus, hac Canis*: nec enim ita quidpiam in eorum libris occultum eſt, quod non retexit dies, quodque non animadverterunt, reſpuerunt, conculcaverunt *ſummi Imperantes*, illa verba *S Auguſtini* (l 3 contr Jul c 3) ſua facientes, et in probabiliſtas detorquentes: *Si Dei legem non ut ſe habent, ſed ſicut vobis placet, intelligitis: quid mirum, ſi et de lege Imperatoris hoc facitis?* „ (a)

Ergo cauſa finita eſt.

pſal 49 v 14.

XXX. *Ecce duo Gladii hic!* Pontificius, et Caeſareo-Regius! quibus probabilismus totus quantusque uno, et medio fere ſaeculo, ab A 1577, quo *Medina* illum malo fato effudit, uſque ad 1761 floruit, regnavit, ac velut *Singularis Aper vineam Domini depaſtus eſt*, radicitus exciſus, evulſus, exſtirpatusque feliciter exſtitit. Reſtat nobis non *obſequioſum ſilentium*, ſed ſincera, vera, et conſcientioſa coram Deo obedientia. *Lex enim juſta obligat in conſcientia.* Cauſa finita eſt. Utinam finiatur et error. Finietur autem, ſi inter nos non amplius audientur illa: *probabile eſt. Ergo ſequi poſſum.* Quae, et ſimilia quoties lego, toties cor meum acerbo vulneratur dolore, ac metu, ne ut ſcribitur, ita agatur in praxi. conf h a n X. Claudo Probabilismum nunquam a me deinceps commemorandum, niſi diſvadendo verbis P Schneidenbach paulo ante laudati. Ita enim differit: „ In *aeterni interitus* periculo aperte navigant conſcientiarum Rectores, qui ad *probabilismi* fidus alios *practice* dirigunt. Quemadmodum *ſi caecus corde ducatum praeſtat, ambo in foveam cadunt*; ita Chriſtiani *probabiliſtis* Confeſſariis dirigendos ſe committentes magnum adeunt ſalutis aeternae periculum. Ne vero *ſcrupulos* praeter rem cuiquam injiciamus, tria *Chriſtianorum* genera diſtinguimus. Sunt alii *diſſoluti*, prava peccandi conſvetudine irretiti, quos nullus Dei timor, nulla propriae ſalutis aura adflat: Sacramenta facile negligentes, aut humanae tantum rationis, id eſt invidiae, ac vituperationis declinandae gratia percipientes. De his verba nulla facimus, quum ſit ipſa eorum vita reprobationis aeternae evidens argumentum. Alii, etſi pauci, ſunt ſalutis ſuae *verae ſtudioſi*, in piis operibus aſſidui, in propriis muneribus exacte adimplendis, cohibendis pravis adfectibus, cavendis ſaeculi, carnisque illecebris ſummo opere diligentes, vitamque ſuam ad Evangelii ſcita componentes. Hos non notamus, ſi forte *probabiliſtis* Confeſſariis utantur: neque enim hi erunt perditi adeo, ut eos ab *angulla*, tutaque, cui ſe dederunt, via benignis, *praviſque opinionibus* ſuis ad *ſpatioſam*, ac male fidam velint traducere. Ad illos Chriſtianos digitum intendimus, qui *plurimi* ſunt, *mediumque inter hos locum veluti tenent*, qui *data opera* Confeſſarium *benignis ſententiis addictum* exquirentes, ſalutis quidem *deſiderio* tanguntur, quibus tamen ad eam aſſequendam *opus* eſt, praetermittunt: Coelum *vili emere*, nullam ſibi *vim* inferre, *Btlial* cum *Chriſto*, *depravatos* ſaeculi mores cum *Sacramentorum* uſu connectere cogitant; atque ſatis habentes *turpiora*

ad quam teneantur animarum curatores.

tria Chriſtianorum genera

alii peſſimi, de quibus vix bene ſperare licet.

alii boni, et ſponte currunt in via virtutum.

tertii medii inter priores duas claſſes.

vitare.

(a) Poſt tot Auctores legi vetitos, qui libri nobis legendi ſint, *dixi* c VIII not ad XV.

vitare, *cupiditatibus* ſuis indulgent, pravas adfectiones nihil compeſcunt: in *veſtitu*, *ornatu*, ac *pompis* vanitatem oſtentant, vitam in *deliciis* mollem agunt, tempus, argentumque in *ludis*, *theatris*, *ſpectaculis*, *promiſcuis* converſationibus, ac perpetuis *compotationibus* terunt. Quibus in more eſt, *preces* aliquas quotidie fundere, *levia* quaedam pietatis opera peragere, *graviora* ſtatus ſui munera aut negligere, aut violare. De iis quoque, qui *terrenis* rebus ſolummodo inhiantes *frequentius* in multa ſive *irae*, et *ultionis*, ſive *injuſtitiae*, ac *turpis lucri*, ſive *impudicitiae*, et *obſcaenarum* delectationum peccata prolabuntur: *inopes* pro viribus non revelant, aere *alieno* ſe ſe non exuunt: operarios *mercede* fraudant: vi, et potentia, quam in alios exercere cupiunt, *auctoritatem* augere ſtudent: Divinorum judiciorum metu tacti, peccata ſua identidem *confitentur*; nec tamen *ſeria* reſipiſcunt, rati, propter obtentam facilem abſolutionem ſe, ſuamque *intuto* eſſe ſalutem. Hos omnes, tametſi Confeſſarii *probabiliſtae* a peccatis, quae confitentur, paſſim abſolvant, omnemque illis promittant *ſecuritatem*, maximum aeterni interitus periculum ſubire pronunciamus Divini eloquii auctoritate freti: *Eſt via, quae videtur homini recta, et noviſſima ejus deducunt ad mortem*: Vetus ſeptuaginta legunt: *Eſt via, quae apud homines certa videtur, interim noviſſima ejus ad inferorum fundum deducunt.* Porro *via* haec interprete *Cornelio a Lapide*, *error accipi poteſt vel in fide, vel in moribus --- Error in moribus eſt, quo quis licitum putat, et honeſtum, legique Dei conforme, quod difforme eſt. Id autem crebro accidit, quum quis nimis indulget judicio vel ſuo, vel imperitorum, aut pravorum Confeſſariorum.* Diu eſt, ex quo dixit S Auguſt (ſer 40:) *Nihil nobis ſecuritatem ab procuratore datam prodeſſe, ſi paterfamilias non acceptat.* „Haec laudatus Schneidenbach, quae ut altius animis noſtris figantur, totam doctrinam probabiliſmi in ſequentia redigo

his exitio ſunt probabiliſtae Confeſſarii.

prov 14 v 12.

XXXI. COROLLARIA. I. Nefas eſt docere, aut *Conſilium* dare ex ſententia, quam tu *minus probabilem*, *falſamve* cenſes, licet ſcias eam ab *aliquibus* tanquam *probabiliorem* propugnari. Sequitur ex dictis, et demonſtratur amplius I Malach 2 v 7 Sacerdos dicitur *Angelus Domini exercituum*: hoc eſt Nuncius, et Interpres juſſorum, ac praeceptorum Dei ad homines. Id quod etiam Paulus ait: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Sed qui conſulit ex aliorum opinione, quam ipſe impugnat, non eſt *Nuncius praeceptorum Dei, nec exhortatur nomine Dei*; quia exiſtimat opinionem aliorum, quam impugnat ipſe, non eſſe praeceptum, et voluntatem Domini exercituum. Ergo. II. Idem Apoſtolus ait 2 ad Cor 1 v 12: *Gloria noſtra haec eſt, teſtimonium conſcientiae noſtrae, quod in ſimplicitate cordis, et ſinceritate Dei converſati ſumus.* Sed qui Conſilium dat ex ſententia a ſe impugnata, non habet hanc gloriam teſtimonii conſcientiae ſuae; quia conſulit, quod conſcientia jus reprobat: nec converſatur in ſimplicitate, et ſinceritate Dei, quia ſvadet alteri quod ſibi diſplicet Item ibidem v 17: *Nunquid levitate uſus ſum, ut ſit apud me eſt, et non?* Sed qui conſulit ex ſententia aliorum, eſt apud eum *eſt, et non*: quia aſſerit licitum *eſſe* hoc ex ſententia aliorum, *non* eſſe licitum ex opinione ſua. III. S Auguſtinus I contra Mendacium c 2 Priſcillianiſtas dicit pejores caeteris haereticis propterea, quod *ipſi ſoli, vel certe maxime ipſi reperiantur ad occultandam ſuam, quam putant veritatem, dogmatizare mendacium.* Ergo qui occultando ſuam, quam putat eſſe veritatem, dogmatizat ex ſententia aliorum ſibi falſa viſa, ſimilis eſt Priſcillianiſtis. Id quod tamen argumenti duntaxat, nequaquam convicii gratia dictum volo. Et profecto teſte Auguſtino I contra Conſentium c 3 mentitur, quisquis *loquitur quod falſum exiſtimat*, nec non et ille, qui

Corollaria practica: Primum. nefas eſt docere, aut conſilium dare ex opinione minus probabili.

verum enunciat, quod non putat esse verum, etiamsi a parte rei verum sit: Nam mendacium est *contra mentem loqui*. Sed qui consilium dat ex aliorum opinione, *loquitur, quod ipse falsum existimat*, et verum enunciat, quod non putat esse verum. Ergo mentitur. Addit Mersebius summae christianae p 1 q 32 illud praeceptum Apostoli ad Eph 4 n 25: *Deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.* In quem locum S Hieronimus ait: ita nobis docendum, loquendumque esse, ut mereamur audire: *Vos estis lumen mundi: tenebrosa, et involuta, et Sacramentorum nocte velata hi referant, qui et ipsi non, tenebrae, et caligo sunt.* Quin Servator praecepit docendos populos, *quaecunque mandavi VOBIS*: Non quae *docenti* minus *verosimilia* videbuntur. Quod sane Praeceptum ad omnes viros Apostolicos *docentes, consiliumque* dantes indubie pertinet. Vide Mersesium loc cit.

Math 28 v 20.

II-*dum*: *Veritas retinenda, non benignae opiniones quaeritandae.*

XXXII. COROLLARIVM II. Ei, qui de veritate probabiliori opinione eruditus est, nefas est varios Casistas adire, et legere *eo animo*, ut inveniat aliam *benignam sibi faventem* ab aliis *ut minus probabilem*, aut *falsam* improbatam. Haec veritas fere coincidit cum priori, ut considerauti patet. Eam decidisse videtur gentium Doctor 2 ad Timoth 4: Ubi praedicit *tempus* fore, *cum sanam doctrinam non sustinebunt. Sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus. Et a veritate quidem* in verosimiliori, et tutiori sententia inventa *auditum avertent, ad fabulas autem* faventes sibi laxitates *convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora*, opus *fac Evangelistae* solam veritatem, aut ei proximam verosimilitudinem secutus, et traditurus. Audiamus Angelicam D Thomae expositionem: *Sana doctrina est, quae non habet admixtam falsitatem. Ergo sanam doctrinam non sustinebunt, dum veritatem nolunt audire. Coacervabunt, multiplicabant* — dicentes: *loquimini nobis placentia: et hoc est secundum sua desideria; quia unus vult audire unum, alius alium, et sic quaerunt diversos Magistros.* Sive ut Os Aureum exponit: *coacervabunt, indiscretam, confusamque significat Doctorum multitudinem.* Consonat D Ambrosius: *Tales futuros esse dicit, qui pro desideriis doceri velint, et a Magistris constantibus, et veracibus ad hos convertuntur, qui haec illos doceant, quae libenter audiunt, quia veritas illis aspera est.* Omnia supterfugia praecludit sapientissimus, et piissimus Jesuita Michael Elizalde (qui ab Alexandro VII ad exterminandum probabilismum ex Missionario Professor Sanae Ethices Romae constitutus exspectationem de se factam explevit cumulatissime) relatis Patrum testimoniis haec subjungens p 2 l 6 q 6 § 3: „Illud in praesentia vides, de quo tractamus, *adesse, scilicet Doctores, et Magistros permultos, et tamen peccare ipsos, et peccare sequentes*; neque haberi ex tot Magistrorum dicto aut probabile ab extrinseco, aut ignorantiam invincibilem, quae in totum a peccato sequentes excusset; sed *caecos sequentes coecos alios utrosque in foveam, ut veritas dicit, cadere.* Vides item totum, quantum est in textu, et in glossis, in hoc pauculo esse repositum, *quod sanam*, idest veram *doctrinam audire nolint*, et alias, quam veritatis, doctrinas quaerant, et alios, quam veritatis magistros, et Doctores congregent. *Neque vero eorum quantamcunque multitudinem excusare.*

qui sunt Magistri prurientes auribus.

testimonio illustris Theologi Elizalde.

At inquis: hos, de quibus Paulus scribit, ultro, scienteque, ac mala fide hos magistros congregaturos, quorum proinde auctoritate excusare se nequeant. Nihil porro simile hactenus saltem fidelibus nostris accidisse, qui propterea tuti sunt magistrorum, quos sequuntur, auctoritate, et testimonio: quos scilicet bona fide, simpliciterque adeunt. Rursus Ii sanam doctrinam non sustinebunt; nostri omnes sustinent: illi a veritate auditum avertent, nostri non avertunt;

asperaque

aſperaque demum eis veritas erit, non noſtris. *Nulla ergo textus particula noſtris hominibus congruit.* „

„ Sed vero iſta frivola ſunt. Nam illi, de quibus ſcribit Paulus, aliquid ubi profuturam exiſtimabant coacervatorum magiſtrorum auctoritatem. Alioquin quorſum eos coacervarent? Nam ſi prorſus mala fide peccare, ſcienterque peccando deſideria complere ſua vellent, nullis magiſtris, nulla eorum auctoritate opus eſſet, ut patet. Haec ergo contingent, quemadmodum plus minus apud aliquos nunc quoque contingunt, qui habent deſideria implicantia. *Nam ex una parte peccare, damnarique nollent: ex alia vellent deſideria explere ſua, pecunias cumulare, non ſolvere, gaudere, laetari, mundoque frui. Ut itaque iſta duo concilient, conſcientiamque vel ſopiant, vel ſemiſopiant, et quantum poſſunt, ſe excuſent, et abſcondant, MAGISTROS QUAERUNT, NON QUI VERA, SED QUI A SE DESIDERATA DOCEANT. Atque hoc paſſim experimur: et ſi quod volunt, non reſpondeamus, alios adeunt, ubi quod volunt inveniant. Jam porro ſanae doctrinae, hoc eſt verae quanta eſt cura?* Ut enim magiſtros habeant, hoc unum multi curant: *Utrum verum, vel falſum dicant, praetereunt.* - - - Experti loquimur. Profanum adeo mundum cange, et ita de aliis pluribus invenies illud 3 Reg 22: *Et ait Rex Iſrael ad Joſaphat: remanſit vir unus, de quo poſſumus interrogare Dominum: ſed ego odi eum, quia non Prophetat mihi bonum, ſed malum.* Veritas illis aſpera videbitur, fugient audire ſermonem veritatis, quae illis erit aſpera. Nam ut Auguſtinus in Lib. Confeſſion docet, *odio habent, non amant veritatem, ſed quod amant, volunt eſſe veritatem.* Denique volunt magiſtrorum, ſi quos invenerunt, auctoritate ſe tutos, et ſalvos. Atque hoc eſt, quod modo ſſerimus, neque magiſtros ipſos, neque ſequentes tutos eſſe. Nam quod nunc allegare poſſunt pro ſua immunitate, hoc idem in terminis allegare illi poterant, quos Paulus inſequitur. *At illis ad excuſationem non valebat. Ergo neque nunc valet. Et forte illud Iunc eſt nunc.*

XXXIII. Eadem veritas aperte colligitur II ex Lib Numer c 22: Ubi Balaam vocatus a Rege Balac, ut malediceret Izraelitis, conſuluit Dominum, et tunc non eſt permiſſus ire. Iterum vocatus iterum conſuluit Dominum, ac Domino eum ire permittente *nocte, ſurrexit Balaam mane, et ſtrata Aſina ſua ivit* ad maledicendum; ideo ſubjungitur v 22: *Et iratus eſt Deus.* Quia nempe ſecunda vice interrogavit Dominum ſtudens, qua ratione accipere poſſet *Divinationis pretium* ut ait v 7. Audiatur S Auguſtinus in eundem locum: *Cur poſt iſtam permiſſionem Dominum iterum non conſuluit, ſicut poſt prohibitionem iterum conſulendum putavit? niſi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur.* Ita prorſus agunt, qui plures conſulunt eo animo, ut licite facere poſſint, quod eis libet: ſi ab uno audiant Dominum prohibentem, iterum conſilia petunt: ſi autem inveniant permittentem in alio, illico abſque haeſitatione operantur. Digni proinde ſunt, quos Angelus cum Balaam corripiat ibi v 32: *Perverſa eſt via tua, mihique contraria.* Nempe quia ut Auguſtinus ait, *maligna cupiditas apparet in eis.* III. Apoſtolus 2 ad Thes 2 v 10 ait, Deum *mittere in operationem erroris, ut credant mendacio eos, qui charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fiant.* Sed qui rejecta probabiliori, et tutiori ſententia aliam benignam, ſibique faventem quaeritat, non *recipit charitatem veritatis* probabilius ſibi propoſitam, ergo verendum, ne Deus eum mittat in operationem erroris, ut credat mendacio. Quae Apoſtoli doctrina ad terrorem deſcribitur Ezech c 14 uſque ad v 18. De quo vide Merbeſium l c q 33: et Pſal 33 *Dixit injuſtus, ut non delinquat in ſemetipſo. Non eſt timor Dei ante oculos ejus. Quoniam doloſe egit in conſpectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. Verba oris ejus*

Balaam exemplum benignora quaerentium.

graviſſima talium poena.

jus iniquitas, et dolus: noluit intelligere, ut bene ageret. Et Eccles c 32: *qui juraverit legem* animo eam adimplendi, *replebitur ab ea. Et qui insidiose agit* quaerens molliores Doctores, ut legem supterfugiat, *scandalizabitur ab ea. Noluit Benedictionem, et elongabitur ab eo, dilexit maledictionem, et veniet ei.* Quia ut Ezechiel ait l c: *Respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum. Ait Dominus Exercituum.* Interprete D Hieronimo: *Respondebo ei juxta cor suum, et immunditias suas.* Vel ut LXX legunt: *Respondebo ei in iis, quibus tenetur, et delectatur mens eius.* Cujus triste exemplum vidimus in Balaam. Atque utinam in eo solo!

III-*tium*: *Nefas est absolvere eum, qui opinionem minus probabilem, et minus tutam deponere nonvult.*

XXXIV. Corollarium III. Nefas est Confessario absolutionem impendere poenitenti sequenti opinionem minus probabilem, minusque tutam, eamque deponere nolenti. Hoc unice sequendum est *in praxi.* Contrariam opinionem miratur Seraphicus Doctor confess cap 4 exclamans: *O inauditum philosophandi genus! Judex sententiam ferre debet ad arbitrium rei? et reus judicio Judicis obtemperare non tenetur?* accedit authoritas Cleri Gallicani 1700 hanc regulam certam, ac tutam statuentis: *Nemini licet eligere eam sententiam, quam non veritati magis consonam duxerit.* Subdens: *Quod in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi probabiliorem judicamus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis auctoribus postremo demum saeculo proditum repugnat huic effato a Patribus celebrato:* quod ubique, quod semper, quod ab omnibus: *rem habere potest christianae regulae securitatem.* Atqui Confessarius aquiescens sententiae poenitentis *minus probabili, et minus tutae* eligeret *in eo judicando* sententiam, quam veritati *minus* consonam duceret. go non haberet in judicio suo *christianam securitatem.* Porro hoc theorema urgent omnia hoc capite contra probabilismum dicta: quae in pugnum contraho sequenti argumento: In foro poenitentiali Confessarius est *Judex, Medicus*, et *Doctor.* Ut *Judex* nequit judicare secundum opinionem minus probabilem n h IX. Ut *Medicus* absque homicidii spiritualis reatu nequit adhibere medicinam, quam *probabilius censet nocituram.* Cap XV n III et IV. Ut *Doctor* docere ipse *probabiliora, et tutiora* debet. Hic n XXXI, non vero doceri a discipulis suis *minus tuta*, ac *probabilius falsa.* Nimium sane superbus, arrogansque est discipulus, qui contempta Magistri sui doctrina propriae inhaeret opinioni minus probabili, et minus tutae. Ad haec poenitens venit ad confessionem *ut reus*, et *ut infirmus.* Illi non convenit proferre, sed audire sententiam. Neque infirmo praescribere, sed suscipere medicinam. ergo si nolit, indignus beneficio absolutionis est. Id tamen admitti debet doctis poenitentibus, *ut suam profe-*

quid cum doctis poenitentibus hic consilii?

rant humiliter opinionem ita, ut sequatur eam Confessarius, dum meliorem, et probabiliorem invenerit, suam illi auctoritatem addendo juxta illud: *Nostra facimus ea quoque, quibus authoritatem nostram impertimur.* Sed tamen si viderit Confessarius opinionem poenitentis esse minus probabilem, minusque tutam, debet id ei significare, isque suo deposito, judicio Confessarii se se submittere, aut saltem proponere, veritatem modis omnibus a se inquirendam. (*a*) Si affirmet,

---

quid in casu valde difficili.

(*a*) Recte monent Practici Sacri, in casu dubio, et *admodum perplexo* si absque gravi incommodo poenitentis *absolutio* differri nequeat eousque, dum libri, aut sapientes de *veritate practica* consulantur, *illam* impendi posse *tunc solum*, quum poenitens *caetera rite dispositus* paratus est veritatem sive *per se*, sive *per hunc*, aut *alium Confessarium* inquirendam, et manifestandam sequi. Ordinariè tamen talis poenitentis absolutionem interea differendam esse, ut omnia simul complanentur. Quod juniores Confessarii pro regula habeant, ne in perplexitatem inducantur, et in dubio operentur casu extraordinario, et valde implexo se offerente. Teste Benedicto XIV hic n XVIII sufficit *mediocris* illa scientia, quae *ordinarios* casus ex tempore apte decidere, de *implicatis* vero magis probatos auctores novit consulere.

firmet, ſibi ingenium, aut tempus non adeſſe ad haec inquirenda, monendus eſt, ut ſequatur ergo eum, quem Deus, et Eccleſia Judicem, et Doctorem hic et nunc ei conſtituit. Si autem velit ingenium ſuum oſtentare, poterit Sacerdos reſpondere: ſe Judicis tribunal conſcendiſſe, non diſputantis, aut diſcipuli. Audiatur probabilitatarum flagellum, et Juriſtarum illuſtre decus Fagnanus in cap *Ne innitaris* de conſtit: *Cum abſolutio Sacramentalis ſit actus judicialis, et ſacerdos ſit vere, et proprie Judex, ad eum ſpectat diſcernere inter lepram, et poenitentem abſolvere, vel ligare; per hanc doctrinam* (adverſariorum) *Sacerdos non fungitur amplius Judicis officio, ſed ſubditus ordine inverſo aſſumit ſibi judicium conſcientiae ſuae, et eligit ſuo arbitratu ſententiam ligantem, aut ſolventem.* Nempe eligendo opinionem ſibi benignam. *Unde Judex cogitur ſequi judicium rei, et non reus judicium ſacerdotis: quod quam ſit abſurdum, nemo non videt.*

XXXV. Objicies: Recte diſpoſito non eſt deneganda abſolutio. qui ſequitur opinionem minus probabilem, recte eſt diſpoſitus. ergo. R C M N m. Talis enim non vult vitare periculum peccati, judicium ſuum praefert judicio Confeſſarii, vult eſſe Judex potius, quam Reus. Ergo indignus eſt abſolutione, niſi Confeſſario obaudire velit. *Occurritur adverſariis*

Inſtabis: Talis eſt in bona fide, ergo diſpoſitus recte eſt. R Tranſeat quod *hactenus* fuerit in bona fide; quanquam cum opinione minus probabili, et minus tuta bonam fidem componi non poſſe omnia hoc capite adducta probant. Nego tamen eum eſſe in bona fide *de praeſenti*: Nam cum a Confeſſario addiſcere poſſit veritatem, ſi eam audire, ſequique nolit, jam eſt in errore vincibili, et culpabili. ergo peccat. Haec de Probabilismo.

XXXVI. COROLLARIUM IV. Verum ut unde incepit, in eo deſinat induſtria noſtra, ex iis, quae hoc capite contra *probabilismum* conceſſimus, adverſus *attritionis formidoloſae* in Sacramento poenitentiae inſufficientiam invicta intorquemus argumenta. Enimvero convenit *attritio* cum *probabilismo* velut filia ſua h n II in his 1: quod ſaeculis a Chriſto nato prope ſedecim, atque adeo toti antiquitati ante-Tridentinae ambae ignotae fuerint. cap I n IX, et hic n II. II. Quod ambae poſt Tridentinum timide natae, mox *ſuorum multitudine* audaces factae Regnum, atque Imperium *in ſcholis* florentiſſimum tenuerint. cap VI n XXXV, et hic n III. III. Contra utrumque eodem tempore ad arma conclamatum: adverſus probabilismum a *Gallis* potiſſimum. hic n V. adverſus attritionem a *Belgis*. cap VI n XXXVI. V. Utrumque ab iisdem Pontificibus Alexandro VII; et Innocentio XI lethalia vulnera accepit: Et quidem ita, ut vulnera *probabilismo* inflicta *attritioni* quoque mortifera ſint. Hoc vero juvat paucis illuſtrare: Ut vidimus cap VI n XXXVI Alexander VII ſententiam *attritionis* formidoloſae eo tempore, quum florentiſſima fuit, declaravit *communiorem inter ſcholaſticos*. Ergo declaravit *opinionem* tunc quoque fuiſſe, dum *ſummum Imperium in ſcholis tenebat*, et quo *altius eam aſcendiſſe*, nunquam probabunt attritioniſtae. At idem Alexander VII. ut hic n VI narravimus, eodem pene tempore *modum opinandi*, opiniones minus probabiles ſectandi, declaravit *alienum omnino eſſe ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina: et quem ſi fideles pro regula in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianae vitae corruptela.* Ergo Alexander VII *utroque hoc ſuo decreto invicem junctio* manifeſte declaravit *praxim attritionis, quia opinionis, ejusque minus tutae, corruptelae ingentis eſſe fontem.* Rurſum Alexander VII decreto illo ſuo, quo attritionem *opinionem* declaravit, viam paravit argumentis ineluctabilibus ex propoſitionibus ab Innocentio XI poſt novem ſubinde annos damnatis contra *attritionis praxim* intorquendis. Atque ex prima quidem *Tela contra probabiliſmum conjiciunt Severiſmum. Probabiliſmus et attritio in multis conveniunt.* *Iisdem argumentis impugnantur.*

dem propositione Innocentiana (qua *circa valorem Sacramentorum* Universim relictis *opinionibus incertis*, et falsitati obnoxiis *tutiora* sequenda statuuntur) argumentum sole evidentius contra attritionis praxim late prosecuti sumus cap XV. Quod, quia viderunt esse insolubile attritionistae, ideo contra expressam declarationem Alexandri VII attritionem *opinionem* fuisse circa illud quoque tempus asserentis, eam ad dignitatem *certitudinis moralis* propria auctoritate, ac *licentia probabilistica* extulerunt, hoc est dicti: ut evitent damnationem *Innocentii* XI, in declarationem Alexandrii VII velut alteram sirtem mi sere impegerunt.

nos sumus in possessione antiquitatis, ac legum.

XXXVII. Quid multis? nos initialistae sumus *in possessione* I: decreti Alexandrini, quo attritio declaratur esse *opinio* II. Quatuor propositionum ab Innocentio XI damnatarum hic n VII expositarum. In possessione III sumus regularum a Clero Gallicano circa usum probabiliorum statutarum hic n XVI relatarum. IV. In possessione sumus aureae doctrinae Benedicti XIV hic n XVIII de opinionibus ejusmodi eligendis, quibus *magis suffragari rationem, et auctoritatem favere cognoverimus.* V. In possessione sumus duplicis decreti Clementis XIII usum probabiliorum noviissime stigmatizantis. h n XIX, et XXVIII. VI. demum in possessione sumus venerandae antiquitatis Saeculorum fere sedecim. hic n II. Attritionistae quia posteriores tempore sunt, imo *reformatores* antiquae sententiae, probanda habent *clare*, et evidenter, ut nempe *salutis animarum*, et *nutilitatis Sacramenti periculum* exigit sequentia I: se justas habuisse rationes *innovandi*, et *reformandi* Saeculis prope sedecim vigentem in Ecclesia Dei praxim de *initiali charitate ad valorem Sacramenti* poenitentiae *necessaria.* II. Attritionis *opinionem* esse non solum *extrinsece*, sed et *intrinsece*, non *tenuiter* tantum, sed *solide*, ac *convincenter* probabilem, *notabiliter*, ac *moraliter majori* cum verosimilitudine, quam sit *opinio* necessitatis *initialis charitatis.* Quae omnia nisi *manifeste* docuerint incident ineluctabiliter I: in decretum Alexandri VII, *modum opinandi, minus probabilia, minusque tuta eligendi* detestantis. II. in propositiones damnatas Innocentii XI *secundam* de *judice*, *tertiam* de probabilitate *extrinseca*, et *intrinseca tenui*: *Quartam* de *infideli* ex opinione minus probabili non credente. Impinget III: in doctrinam Benedicti XIV mox laudatam. IV in theses Avisienses fulmine Vaticano dispersas. Quae omnia posteaquam ad Kalendas Graecas superarent, restaret illis adhuc bolus ille ferreus nullo unquam vel Struthionis stomacho digerendus, quod videlicet praxis attritionis formidolosae contra expressam declarationem Alexandri VII non sit *opinio*, sed sententia *moraliter certa*, adeoque non contineatur in propositione prima Innocentii XI Hunc inquam postremum saltum nunquam superabunt; tametsi enim privati foetus sui amore abrepti speciosis quibusdam rationibus (per nos in praemissis capitibus luculenter elisis) blandiri sibi de morali certitudine non cessent, nunquam tamen vermem hunc conscientiae exstinguere valebunt: Nempe: *Sententiam, praximque hanc attritionis formidolosae, quam ego moraliter certam judico, initialis charitatis defensores antiquitatis sedecim Saeculorum, decretorum Romanorum, maximorum Theologorum auctoritate, gravissimisque rationibus ducti negant, et pernegant esse moraliter certam.* Hic vermis, hic stimulus semper conscientiam illorum pungere, urgere, mordereque debet, ut in asserta a se, sed nunquam probata *morali certitudine* conquiescere penitus nequeant. Urgere illos semper debet illud Augustini lib de fide, et bonis oper c 19: *Quae dubia sunt omnino curandum, ne fiant. Quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?* imo animas nostras, nostraeque curae creditas? Et ejusdem l 22 de civit Dei c 23 auro, cedroque dignissimum monitum: *Vigiliis continuis excubantes, ne opinio*

attritionistae factae a se reformationis rationes solidas dare nequeunt.

igitur semper manebunt in dubio urgentissimo.

verosimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebrae alicujus erroris offundant, ne quod bonum est, malum; aut quod malum est, bonum esse credatur. Ne ab his, quae agenda sunt, metus revocet, ne in ea, quae agenda non sunt, cupido praecipitet. Ne dicamus: *pax pax*, certitudo certitudo: *cum revera non sit pax*, nec certitudo, nisi *in dubio* de sufficientia attritionis *tutiorem partem teneamus* initialis charitatis. Confer h n XII: ubi ex omni antiquitate evicimus, in dubio positivo de leg. tutiorem partem esse eligendam.

XXXVIII. Insurgunt hic demum attritionistae Confessarii: Facile est, inquientes, imponere praeceptum charitatis, sed elicere *eam* cum poenitentibus hic labor, hoc opus est. Veniunt namque ad sacrum tribunal tam rudes complures, agrestes, hardique, ut an sit, quidve sit charitas Dei? penitus ignorent. Horas integras insumimus, omnia rationum momenta proponimus, quae ad amandum Deum, detestandumque peccatum aptissima censemus. Vix tamen aliquid veri *timoris*, taceo *amoris* ex illice duritoribus eorum cordibus elicere valemus. Adeo durum, et durissimum est *charitatis ignem* in animis poenitentium succendere. At enim haec necessitatem initialis charitatis in Sacramento non tollunt, sed extremam, miserandamque Christianorum sive *ignorantiam*, sive *improbitatem* produnt. Deum immortalem! ex catholicis usum rationis adeptis nemo deberet esse, qui *ex se*, et *proprio marte* amorem Dei, contritionemque exacte elicere nesciat propter diversissimas, ac frequentissimas illas circumstantias cap XII, et XIII a nobis enumeratas, in quibus actus hi unumquemque fidelium sub peccati reatu urgent. Nam quod elicere illis temporibus teneor, scire in antecessum obligor. *Scire enim, scire posse, et scire debere paria sunt.* Confer XI n X, et XI. Quibus igitur lacrimis deplorari pro dignitate potest calamitas illa vix credenda, quod multi nedum ex se, sed nec ope Confessarii *sciant* vel initialem charitatem elicere? Haec quicunque serio animo perpenderit, verissimam esse inveniet tremendam illam doctrinam, nempe in via perditionis esse illos animarum Curatores, qui neglecta *Catechetica* ad salutem consequendam, ad Sacramenta rite suscipienda, ad Deum rite colendum, debite amandum, etc *necessariorum instructione*, academice, et oratorie e sacris pulpitis non tam docent, quam clamant, detonant, se, artemque suam vanissime ostentant. Quos postquam centies audiunt fideles, quae sint unicuique credenda? quomodo Missae Sacrificium rite, ac cum fructu audiendum? qua ratione Sacramenta debite suscipienda? quomodo Dei amor in praxi eliciendus? et quando? quomodo Deus semper, et in omni opere diligatur? et alia hujusmodi, in quibus essentia consistit vitae christianae, altissime ignorant. Ah utinam ab hostibus Fidei in hoc discemus! apud quos una est ratio tradendi Theologiam, concionem, et catechesim. Unde apud eos plus sciunt pueri ex veneno erroris, quam multi adultorum nostrorum ex veritatibus catholicis. Utinam hodiedum verum apud nos non sit triste illud Jeremiae lamentum: *Parvuli* doctrinae *petierunt panem* spiritualem, *et non erat, qui frangeret illis. Sed et lamiae* (*hostes fidei*) *nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos! Filia autem* (Pastores negligentes, otiosi) *populi mei crudelis velut struthio in deserto* relinquens, non excludens ova sua, non erudiens filios suos! Prima igitur verissima defectus charitatis in poenitentibus caussa est ex parte *Concionatorum* se et non charitatem Dei praedicantium.

Altera ejusdem defectus caussa est ex parte *Confessariorum*, quod et illi negligant diutius instruere suos poenitentes, ideo passim *ignorantes* absolvant contra doctrinam cap X n XLIII 1 et 12, ac cap XI n XI facilitatem.

respondetur Confessariis.

quivis tenetur contritionem exacte sive elicere propter varios casus necessitatis

impedimenta charitatis removenda.

ex parte Concionatorum.

Lament c 4 v 3.

Confessariorum.

Ter-

Tertia cauſſa eſt *Eorundem*, quod indiſcriminatim ad ſe accedentes inveteratos malorum, ſemiconverſos, mundi, et carnis voluptatibus adhucdum collotenus immerſos, modo confiteri velint, mox abſolutione donent, eo quod vel neſciant, vel taedeat eos, poenitentes ſuos ad viam ſalutis rite dirigere, quos relegamus ad dicta cap IX n XXV XXVII XXVIII. cap X a n LIV usque ad finem. cap XI n XI.

et poenitentium.

Quarta cauſſa eſt ex parte poenitentium attritioniſtarum putantium ad Sacramentum poenitentiae charitatem non eſſe neceſſariam. Qvos relego ad cap I a n XIV et ſeq. ac paſſim toto opere.

charitas oratione emerenda.

XXXIX Remotis impedimentis infundet Deus charitatem, quae ejus unice donum eſt, infundet inquam pro *altitudine divitiarum* bonitatis, *ſapientiae*, *et ſcientiae* ſuae, modo tu partes tuas impleas, et quae efficacia judicaveris ad inflammandum cor eorum, proponas *orando*, *increpando*, *obſervando in omni patientia*, *et doctrina*: potiſſimum vero ardenti in Deum, et proximum charitate: quia vacuum vas tinnit, ſed non impletur aliud: Nec lignum viride ſuccendet humile: et arcate Orator, qui vult accendere plebem Sed et memor ex te nihil poſſe, amoroſo ſuſpirio Deum orabis, ut *tibi donet hanc animam* ſanguine ſuo redemptam. His a te praeſtitis noli timere, quia non tu, ſed qui *habet humanorum cordium quo*, et quando *voluerit inclinandorum Omnipotentiſſimam poteſtatem* Deus *oſſa* quoque *arida* ſpiritu amoris ſui *vivificabit*. Si qui vero adeo rudes, barbarique eſſent, ut poſt repetitas ſaepius amoroſas inſtructiones nullo ſenſu *amoris Divini* tangerentur, ii *timoris* quoque *gehennalis* incapaces ſunt. Ex iis enim, quae nos undique circumſtant, Divinae in nos bonitatis argumentis *bonitatem in ſe* quoque infinitae illius Majeſtatis facilius perſvadeo *rudi*, quam exiſtentiam infernalis fornacis ex ſcriptura tantum notam.

ſine amore non fit peccatum: ergo nec juſtificatio.

XL. Denique cum quocunque genere poenitentium ita ad hominem arguendum ſtatuo: Amor mundi, carnis, voluptatum, illecebrarum, divitiarum, bonorum, etc nos a Deo avertit. Ergo quia contrariorum eadem eſt ratio, evidens eſt, nos contrario amore ab illis ad Deum converti debere Cur tu *infixus in limo profundo* vitiorum haeres? niſi quia impuriſſimo illecebrarum amore arctti. Cur juſti conſtantes in via mandatorum Dei ambulant? Niſi quia amor juſtitiae in cordibus eorum dominatur. Quis unquam ſine ullo amore illicito peccavit? ergo nec ſine amore caſto aliquis juſtitiam conſequetur. Imo vero etiam quum ex vitioſo timore humano juſtitiam deſerimus, *timendo* alium, *amamus eos*: ideo enim peccamus et timendo, ne *quid mali*, quod veremur, *nobis accidat*. Ergo hoc quoque caſu *amando nos* peccamus. Igitur etiam dum timemus Deum, ex *amore* non noſtri tantum, ſed Dei *Deum timeamus*, ut non *pure ſervilis*, ſed *initiali* ſaltem ſit mixtus amore timor.

hunc affectum charitatis ad juſtificationem requirunt Patres.

Atque haec eſt inconcuſſa Magni Auguſtini doctrina epiſt 114 aſſerentis: *Quemadmodum ad peccandum nullus nos cogebat timor, ſed libido, voluptasque peccandi, ſic ad juſte vivendum nos non ſupplicii metus urgeat, ſed ducat delectatio, charitasque juſtitiae.* Et epiſt 149: *Tantum quisque peccatum odit, quantum juſtitiam diligit. Inimicus ergo juſtitiae eſt* (*non actu* cum timore mere ſervili, ſed *habitu* manet talis) *qui poenae timore non peccat. Amicus autem erit, ſi ejus amore non peccat.* Audi! *Amicus erit* creſcente amore, non *fit ſtatim* illabente initiali charitate, ut cap IX n XXIV ex eodem Maximo Doctore demonſtratum dedimus. Aeque decretorium eſt, quod Iio II contra adverſarium legis cap 7 ait: *Deſiderium peccandi non extinguitur, niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.* Et ſerm 7 de tempore: *Hodie totius mundi tollitur peccatum, et peccator deſperat? ſed videte, qualis debet eſſe poenitentia: quia multi aſſidue ſe dicunt eſſe peccatores, et tamen adhuc illos delectat peccare.*

peccare. *Profeſſio eſt, non emendatio: accuſatur anima, non ſanatur: pronuntiatur offenſa, non tollitur. POENITENTIAM CERTAM NON FACIT, NISI ODIUM PECCATI, ET AMOR DEI. Quando-ſic poenites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, et quod te prius oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente, jam tunc bene ingemiſcis ad Deum, et dicis: Tibi ſoli peccavi, et malum coram te feci.* Haec eſt poenitentia David.

Idea verae converſionis.

XLI. Porro *Magdalenae*, ac boni *Latronis* contritionem requirit Moralium Parens Magnus Gregorius in cap 3 lio 1 Regum: qui cum *verae ad Deum converſionis* eſſentiam non minus virtuti, quam Sacramento poenitentiae neceſſariam luculentiſſime deſcribat, non pigeat funorem ejus textum attente conſiderare, ut quidquid hactenus per nos dictum eſt, in ejus doctrina inueariis. Ait ergo: *Qui a peccati via, ut pro ſe oretur, venit, nummum argenteum offerre debet, quia nihil ei prodeſt, quod poenitendo, compungitur, nec quod flendo confitetur, ſi emendata, et incorrepta interius pulchritudine bonae voluntatis luce Dei imaginis nequaquam radiare cognoſcitur. Imago enim eſt ſimilitudo Dei eſt INCLITO ODIO MALUM ODISSE, ET AMORE PERFECTO*, (affective ſaltem ſive in *bona voluntate*, ut ſe Divus mox explicabit) *DEUM DILIGERE. Qui ergo de domo reprobi per CONFESSIONEM venit, qui per oum.itatem pro ſe orari Dominum petit, curet omnino neceſſe eſt, ut nummum argenteum offerat, quatenus ſumpto ſplendore bonae voluntatis PERFECTE ODERIT MALUM, QUOD FECIT, ET BONUM INTEGRO AMORE DILIGAT, QUOD NEGLEXIT. Unde et juſti Judicis examine propitiationis edicta promulgantur: in quacunque die, vel hora, aut, peccator converti ur, vita vivet, et non morietur. Converſio autem peccatoris non eſt in humilitate CONFESSIONIS, ſed in RENOVATIONE INTERIORIS HOMINIS, cum peccatori jam Divina inſpiratione correcto et MALUM DISPLICET, QVOD AMAVIT, et BONUM PLACET, QVOD ODIT. Nam ſunt nonnulli, qui ſe et de nequitia accuſant criminis, et pravitatem non corrigunt voluntatis. Qui profecto converti ad Dominum non creduntur, quia VERA CONVERSIO NON IN ORE ACCIPITUR, SED IN CORDE: CONVERTI ENIM SIMUL VERTI EST. Converſio igitur peccatoris vera tunc eſt, cum ad Creatoris noſtri beneplacitum uterque noſter homo reducitur, cum et caro noſtra per iniquitatis odium combetur a perpetratione facinoris, ET PER AMOREM JUSTITIAE SE EXTENDIT AD INTENTIONEM BONAE OPERATIONIS. Sed quia nonnulli intra Eccleſiam ſunt, qui tantum in vitae ſuae termino ad poenitentiae ſatisfactionem veniunt, et judicio veritatis dicitur: Qua hora peccator converitur, vivit; a nonnullis quaeri ſolet, ſi ſtatim vitam poſt Carnis mortem inveniant, qui ma nae vitae tempore peccata perpetrant, et tantum in vitae extu je neguiter egiſſe accuſan? Ad quod dicendum eſt quia ex vi converſionis magni ullo deletur criminis. VIS AUTEM CONVERSIONIS EST AFFECTIO CHARITATIS CORDI INFUSAE VISITATIONE SPIRITUS SANCTI. Et ſcriptum eſt de eodem Spiritu, quia ipſe peccatorum remiſſio eſt. Nam cum electorum corda digniter viſitat, ab omni peccatorum immunditia protenus purgat, quia UT SE MENTI INFUDERIT, EAM PROTINUS IN PECCATORUM, ET IN VITIORUM ODIA, et in VIRTUTUM AMOREM INEFFABILITER EXCITAT. FACIT EAM STATIM ODISSE QVOD AMABAT, ET QVOD ODIO HABUERAT, ARDENTER DILIGERE, atque in utroque valde ingemiſcere: QUIA ET MALA QUAE ODIT, SE DAMNABILITER AMASSE RECOLIT: ET BONA QUAE DILIGIT, ODISSE: Qui enim audeat dicere, licet omnimoda peccatorum ſarcina praegravetur, quod perire poſſit aliquis viſitatus gratia ſpiritus Sancti? quia ergo*

charitas neceſſaria cum confeſſione.

peccator nulla hora convertitur, nisi qua a Spiritu Sancto illustratur; quid refert, nisi quia SICUT PECCATI MORTEM EXECRANDO DESERIT, ITA VITA IUSTITIAE, AD QUAM SE DESIDERANTER CONVERTIT, VIVAT? qui statim post mortem in vitam recipitur, si tantùm amoris ignem recipit in conversione, qui consumere in anima possit omnem congestam peccati rubiginem. Unde et de Peccatrice muliere dicitur, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hinc ab eadem veritate in cruce pendenti Latroni dicitur: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. In vitae igitur exitu hi solummodo salubriter resipiscunt, qui et per interiam visitationem perfecte bona diligunt, et mala oderunt, quae amaverant. Qui tamen si sufficienter pro admissis iniquitatibus dolere non possunt, nihilominus et isti in hora, qua convertuntur, vivunt. Nam qui PERFECTIONEM BONAE VOLUNTATIS HABUERUNT IN CONFESSIONE PECCATI, post mortem purgatoria poena peccati ad vitam transeunt, si AD DELENDA PECCATA SUFFICIENTEM VIM AMORIS NEQUAQUAM HABUERUNT. Unde et Paulus dicit: Sic salvi fient quasi per ignem. Sed peccator qui ibi salvari per ignem meruit, hic per afflictionem carnis adimpleat hoc, QUOD SIBI DE VI AMORIS DEESSE CODNOSCIT. Et cap 15 in eundem lib 1 Regum: Tria, inquit, in unoquoque consideranda sunt veraciter poenitente, videlicet conversio mentis, confessio oris, et vindicta peccati. Nam qui corde non convertitur, quid prodest ei, si peccata confiteatur? peccatum quod diligitur, confitendo minime deletur. nonnulli quidem sint, qui peccata confitendo aperiunt, sed non convertendo, nequaquam deleantur. Hi profecto confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde et salubriter confiteri volentibus scriptura insinuat dicens: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. quid est corde credere ad justitiam NISI VOLUNTATEM DIRIGERE AD FIDEM PER DIECTIONEM OPERANTEM? cum ergo quis cordis intentionem AD JUSTITIAM PER AMOREM DIRIGIT, PER INITIUM BONAE VOLUNTATIS FRUCTUM HABET BONAE CONVERSIONIS. Hic certe jam ad salutem confitetur, quia plus loquendo de vulnere ejicit, quam conversione compunxit. His textibus moralium Doctor universum odium, detestationem peccati, conversionemque peccatoris amori Divino attribuit: Hunc que dividit in perfectum se solo justificantem, et quidem perfecte exemplo Magdalenae, et boni latronis: et in eorum, qui perfectionem bonae voluntatis habuerint in confessione peccati, sed ad delenda peccata SUFICIENTEM VIM AMORIS NEQUAQUAM HABUERUNT. Illos cum confessione (qui in vitae termino ad poenitentiae satisfactionem veniunt) docet statim Coelo inferi, utpote plene purgatos: posteriores vero etiam cum confessione, propter bonam voluntatem, id est initialem tantum amorem ad purgatorium mitti amplius purgandos. Si charitas initialis justificat extra Sacramentum, in Sacramento deberet plene purgare etiam a poena temporali, ut plus praestet cum, quam sine Sacramento. Quod tamen clare negat summus moralium Parens. Igitur noster est totus quantus.

charitas pertis distinguitur

ab initiali in bona voluntate sit is, et necessaria cum Sacramento.

XLII. Denique ne immensi simus, Sanctus Isidorus Hispalensis ad erudiendam Hispaniam Divinitus datus praeter timorem veram Dei charitatem requirit lib 2 sententiar cap 8 dicens: Ante necesse est timore converti ad Deum, ut metu futurarum poenarum carnales illecebrae vincantur. Deinde OPPORTET ABJECTO TIMORE AD AMOREM VITAE AETERNAE TRANSIRE: perfecta enim charitas foras mittit timorem; qui autem timet, poenam habet, et non est perfectus. Unde et Apostolus: Non enim accepistis spiritum adoptionis, per quem scilicet NON JAM PECCATI POENA SERVOS COMPRIMIT, SED AMOR JUSTITIAE LIBEROS REDDIT. Et sequenti sententia Necesse, ait, OMNI CONVERSO, UT POST TIMOREM

REM CONSURGERE AD CHARITATEM DEI DEBEAT QUASI FILIUS, nec semper sub timore jaceat quasi servus: tunc enim amorem nostrae conversionis ostendimus, SI DENUO UT PATREM DILIGIMUS, quem prius servili mente vere ut Dominum formidabamus. Quibus verbis siquis quidpiam clarius, et ad rem nostram accomodatius expetat, is profecto lumen in sole desiderare videtur. Atque haec eo majorem vim habere debent, quod ex limpidissimis S Gregorii fontibus hausta cernantur, ut patebit legenti cap 7 lib 24 Moral. et cap 12 lib 9 moral. ubi S Pontifex inter caeteras Divinam hanc sententiam instar Oraculi pronunciat: *Vera obsequia Deo non reddimus, SI EX TIMORE MANDATIS ILLIUS, ET NON POTIUS EX AMORE SERVIMUS* (a) *SED CUM MENTI NOSTRAE EJUS DULCEDINIS AMOR ACCENDITUR, OMNE DESIDERIUM PRAESENTIS VITAE LEVIGATUR, in taedium delectatio vertitur, atque hanc cum moerore mens tolerat, cui victa prius reprobo amore serviebat.* Si ex mente Maximi Doctoris vera Deo obsequia non reddimus sine charitate, go sine hac nec sacrm poenitentiae verum est, nec alia obsequia, hve actiones nostrae perfectae sunt. Quae duo toto opere demonstranda susceperamus. Merbesius de poenit q IX.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Anacephaleosis dictorum. cuncta moribus populi reformandi idonea proposita praesenti opella sunt: sed cumprimis propriae studendum sanctitati: per expurgationem veteris fermenti, et constantem charitatis fervorem. Illius modus facilis datur: hujus incitamenta varia suggeruntur.

quae praestita hoc opere?

I. Non addam plura. Ex hactenus enim dictis *necessitas* charitatis *Sacramentalis*, et *virtualis*, quam praesenti opella demonstrandam susceperam, plena luce fulget. Quod dum praestiti, una efficacissima Lectoribus subministravi *adminicula* hodiernam morum corruptelam in christiano populo reformandi, avitamque pietatem, atque innocentiam reducendi, qualia sunt *omnia, quae moribus populi reformandis necessaria sunt.*

1. Ob

(a) Clamabunt hic Servilistae hanc doctrinam: *Non sunt VERA Dei obsequia ex timore, sine charitate* esse ut ovum ovo similem damnatae Baii propositioni XVI: *non est VERA legis obedientia, quae fit sine charitate.* go initialistae palam Bajanizamus. Respondeo: si ita est, non initialistae, sed maximum Ecclesiae lumen, ac decus Moralium Parens, cujus prima propositio est, ac plerique Ecclesiae PP, quorum innumeras sententias illi parallelas in praemissis laudavimus, Bajanistae erunt. Quae autem piae aures ferant hanc SS PP calumniam? itaque in his non *litteram occidentem*, sed *Spiritum vivificantem*, mentem dico PP toto Coelo a Baii erroribus alienam necessario attendere debemus. Fridem enim declaratum Romano est oraculo, hujusmodi propositiones *in aliquo vero sensu*, scilicet a SS PP intento *sustineri posse*, imo debere: *in sensu a Bajo*, et sequacibus ejus intellecto falsissimas, imo haereticas esse. Scilicet mens PP est: *obsequia* in se intrinsece, in suis motivis proximis bona, et laudabilia, *sine charitate* ut motivo, et sine extrinseco non esse *vera*, id est extrinsece non esse perfecta, nec ad justificationem proxime sufficientia, quin operantem virtutem inferiorem omissione relationis ad charitatem peccare. Ut cap XIII not ad n II peritatibus illustravimus. *praedicta doctrina non est Baii.*

I. Ob oculos posita Theologia SS PP, eorumque discipulorum *ante*, et *sub* Tridentinorum eousque, diem *illa* a luxuriantibus ingeniis *serius post Tridentinum* defaedaretur. De illa egi prioribus quinque capitibus. De licentia, et audacia post Tridentinorum Theologorum cap XI. et passim sequentibus. II. E priorum mente detexi veram notionem *timoris servilis* cap V, et per consequens omnium *inferiorum virtutum* ad *introducendam charitatem actualem* velut finem omnium virtutum, legis omnis, et actionum humanarum *divinitus ordinatarum*. Quis haec considerans non intime doleat, se hactenus fere semper *in via* inferiorum virtutum mansisse, raro ad *terminum*, finemque earum *charitatem* perveniisse? Quis non toto corde conetur neglectum Divinae charitatis utriusque testamenti paginis magnifice cunctis mortalibus inculcatae singulari deinceps contentione reparare? III. Ne quis in exercitio charitatis lemures timeat Bajanismi, offendi luculenter cap I ad n XXIX. novissimos haereticos pia SS PP, imo Ecclesiae doctrina turpiter abusos esse. IV In charitate mire nos confirmabunt detecti obscuri, privati, et ineptissimis argumentis concepti Natales attritionis servilis cap VI: et probabilismi cap XVI n II. Nemo enim erit, qui non detestetur utrumque, videns a privatis, atque ex errore, sive pessimo antecedente cussum fuisse.

V. Ex his vindicatam habemus dignitatem Sacramenti Poenitentiae asserta necessitate charitatis Sacramentalis, et detectis illis, qui absolutione ex mente PP sunt indigni cap X: rejectis cap XI cunctis benignistarum excusationibus. VI: Non minori contentione consuluimus reverentiae Numini Eucharistico debitae asserta digna praeparatione ad illud summendum necessaria cap XII: ita et VII sanctificationi Festorum dierum, ac tremendi Altaris Sacrificii rite audiendi cap XIII. In quibus efficacissima constituimus *Sanctitatis vitae* consequendae adminicula. Quam porro

VIII. Sartam, tectamque conservabit, immensumque augebit vita virtualis charitatis cap XIV proposita, et evicta. IX. Quia ex toto opere constat luculenter, morum corruptelam hodie saeve dominantem e mediae aetatis luxuriantis ingenii Theologia ortam esse, una custodiam adjecimus reparatis moribus conservandis efficacissimum saepius monentes, ut exemplo SS PP una nobis sit Theologia speculativa, Dogmatica, Practica, Moralis, Ascetica, Concionatoria. X. Verae hujus Theologiae levidense specimen praesenti opere dare conati sumus: in quo quaestiones Theologicas scripturae, et PP eloquiis constabilivimus insertis passim principiis Ascetici, stilo nec barbaro, nec Logicis argumentationum vinculis nimium ligato eo fine, ut materiae a nobis exornatae absque multo labore in sacro pulpito proponi utiliter queant. En hujus specimen.

Judiculus concionatorius. II. A Dom I Adventus usque ad Pascha utiliter proponetur. *Idea christianae poenitentiae* ex cap X et XI illustrabitur ex *mente antiq* et *sub Tridentinorum* PP. ex primis quinque capitibus. Addenda *notio congruae satisfactionis*, ex capite VIII a n X usque ad finem capitis.

A Paschate

---

mus. At Bajus nomine charitatis *habitualem*, aut *perfectam* intellexit, eamque virtutum omnium motivum *generale*, et *intrinsecum* finxit ita, ut ea abiente, a dominante carnali cupiditate virtutes, et actiones agentis omnes intrinsece corrumpantur. Redisis ad cap XIV a n XXXVII usque ad XLIII. Quas distinctiones amplissimas inter doctrinam SS PP, et Bajum vel sciunt adversarii, vel non: si nesciunt, discant, et nobilium retractent male olim in scholis hausta principia. Si sciunt, cur grandi nimis coram Dno cum injuria SS Ecclesiae luminaria, eorumque discipulos initialitas Bajanismi arguere oblatrante conscientia non horrescunt? cur cognitae veritati repugnant? cur piam PP sententiam cum maximo charitatis incremento in tectis ipsis toto corde non praedicant? *scienti bonum, et non facienti peccatum est ei.* Qui vere amat Deum, omnibus viribus satagit, ut amantissimus Deus ab omnibus, et in omnibus ametur, aestimetur, conglorificetur.

A Paſchate dicere ſummo cum fructu poteris de *praeparatione remota* ad communionem ex cap X a n LI: et *proxima* ex cap XII a n VIII uſque ad finem.

A Feſto Pentecoſtes aſſume *notionem charitatis in genere* ex cap IX. Tum de *temporibus eliciendae charitatis* ex cap XII, et XIII: ubi dignam *celebrationem Feſtorum* edocebis, *et Miſſae auditionem* minutim inculcabis pluribus ſermonibus. Hinc ad inculcandam *virtualem charitatem* ex cap XIV deſcendes, eaque *paratis Domino plebem perfectam.*

Vis plura? aptiſſime dices in *funeribus* de *incertitudine poenitentiae ad finem vitae dilatae* ex cap IX n LII, et LIII. cap X n XI.

In *Feſtis Marianis* de vero cultu Deiparae ex cap VI n XVIII.

In *devotionibus publicis* de vera doctrina Eccleſiae circa indulgentias. cap VIII n XXX. Item idea verae poenitentiae agendae h a n XII.

In Feſto *Sanctiſſimae Trinitatis* de pactis baptismalibus cap X n XV.

In Feſtis Sanctorum *Martyrum* docebis Martyres per tormentorum victoriam ſalvatos eſſe, nobis per victoriam *tentationum viam eſſe ad Coelum*: ubi de natura, et mediis vincendarum earundem diſſeres ex cap IX not ad num XXVIII. Item propones *modum Martyrem fieri ſine ſangvine.* Hic n 80. alias *viam ad Coelum pati.* h n 81.

In Feſtis Sanctorum *Confeſſorum, Virginum, et poenitentium* oppones *rigidae* horum vitae *perverſam* hodiernam chriſtianorum morum *corruptelam*, et diſſeres *de ſpectaculis*, ac *choreis* ex cap VII not ad n XXXII. alias de *luxu* cap X n XLIII.

In Feſto *S. Regis Stephani* ex illo textu: Quare pecuniam meam non dediſti ad menſam, et ego cum *uſuris* exegiſſem illam, diſſeres de varia perverſitate *uſurariorum* cap X n XLIII. alias in ejusdem Eleemoſinarii Sancti Regis Sacra die opportune inculcabis grandem obligationem Divitum Eleemoſinam dandi, ac de vitiis huic virtuti inimicis ex cap IX a n VIII ad XI.

In Feſto S Franciſci Seraphici Conf ex illo: *Tollite jugum meum ſuper vos*: docebis vitam charitatis eſſe ſvavem, dulcem, et facilem cap V n XL, et cap XIV n XXVI. cap IX n XLVII.

In Feſto *S M Magdalenae* ex illo: *Dilexit multum* de natura, et effectu perfectae charitatis cap IX n XXII. Item de *utilitate*, ſed non neceſſitate *lacrimarum* cap IX n XVIII

In *primitiis* de dignitate Sacerdotali h a n IV.

Per *modum Sacrorum exercitiorum*, aut per *adventum*, vel *quadrageſimam* utiliter propones *renovationem ſpiritus* hic a n XII uſque ad n XXVI deductam.

Plura Lectori occurrent, ſi legendo calamum in manibus, ante ſe chartam ad notandos conceptus praedicabiles habuerit, atque *in his* ſeligendis non ſe, ſuamque gloriam, ſed Jeſum Chriſtum, ejuſque charitatem cordibus auditorum implantandam ſpectaverit. Sane ex ſolis *incitamentis*, ac *modis* charitatis hic mox proponendis non ſolum *plurimas Conciones* parare poteſt pius Sacerdos, ſed *omnes* iisdem velut *Spiritualis vitae principiis* concire, animareque debet, niſi velit eſſe *aes ſonans, aut cimbalum tinniens.* Nunquam accendes populum Dei amore, niſi tuipſe ardeas charitate: Imo ſermones tui erunt mere ſpeculativi, fruſtra aërem verberantes, nullum fructum in auditoribus ferentes, niſi virtutum conſectandarum, vitiorum fugiendorum *praxim*, ac *modum in particulari* centies rudi plebi proponas, inculcesque. Fallor, an non hinc faeteant mores populi? quod *generaliter* duntaxat detonemus in vitia, commendemus virtutes; pra-

xim vero utrinque negligamus: ideo auditores mirantur *dicta*; compunguntur etiam; sed *ea* in usum deducere nesciunt. Ideo toa concio in ventum abit. Bonus Pastor ita dicere debet, ut oves suae dicta eadem die, vel proxime *in praxim* sumant. Sic *parabit* Deo *plebem* Sanctam, et *perfectam*.

Ante omnia Sanctitati propriae et Studendum.

III. Verum an nos Pastores animarum, dum ita ad Sanctitatem manuducimus populum, *canales* tantum erimus omnia, quae didicimus, effundentes? et non potius esse satagemus *Conchae* primum plenitudini, ac Sanctitati propriae studentes? avertat misericors Deus, ut dum aliis praedicaverimus, ipsi reprobi efficiamur! aut dum proximos nostros instar aquae baptismalis sanctificaverimus, nos in cloacam infernalem subinde descendamus! sed ut avertat reipsa, primum Sanctitati propriae assequendae studeamus oportet, nobis applicantes diligenter ea, quae moribus populi rite formandis oportuna fore hactenus tradita sunt. *Haec est voluntas Dei Sanctificatio vestra!* Sublimis dignitas Sacerdotum maximam, strictissimamque nobis inponit Sanctae, integrae, immaculatae, charitatisque studiosissimae vitae, sive perfectionis spiritualis (quam in charitate Dei sitam esse saepius vidimus) consectantae obligationem. Subsistamus Dilectissimi! tantisper in contemplanda certa hac veritate.

dignitas sacerdotalis describitur.

IV. Nunquam satis aestimari, minus pro dignitate celebrari potest excellentia status Ecclesiastici, dignitas Sacerdotalis, ac potissimum Curatoris animarum. Si enim exclamabat olim David in Generum a Saule assumptus: *Num parum vobis videtur esse Generum Regis?* quanto potiori jure clamandum mihi est: *Num parum vobis videtur esse Ministros Christi, et Dispensatores misteriorum Dei*, Salvatoris, et Redemptoris nostri coadjutoros pro ipso legatione fungentes? *Num parum vobis videtur* esse Dei homines, angelos pacis, mediatores inter Deum, et homines? Num parum vobis videtur esse non servos, sed amicos, et domesticos Dei, conscios misteriorum, et arcanorum ejus? nos scilicet sumus, certe esse debemus, ut ait Prosper: *Ecclesiae decus, in quibus fulget Ecclesia: Januae Civitatis aeternae, per quos omnes, qui credunt in Christum, ingrediuntur ad Christum*: Janitores quibus datae sunt *claves Regni Caelorum, et Dispensatores Regiae* domus caelestis Regis. Nos electi, et vocati sumus, ut *eamus, et fructum afferamus, et fructus noster maneat.* Electi sumus, ut sequamur Dominum, ut collaboremus Evangelio, et *adimpleamus ea, quae desunt Passionum Christi.* Quanta haec dignitas? sane longe major, quam saecularium, magnatum, consiliariorum, Ministrorum, imo ipsorum Principum, Regum, et Imperatorum. Quod sequentibus evinco:

sunt Ecclesiae decus.

Ministri Dei.

V. Dignitas, et felicitas Ministrorum ex magnificentia Dominorum, quibus ministrant, recte aestimanda est. Regina Saba

3. *Reg.* 8.

videns gloriam, et divitias Salamonis prae admiratione in haec verba prorupit: *Beati servi tui, qui stant coram te semper.* Jam vero quid fuit Salamon si cum Dei majestate conferatur? quis obsecro, ut Deus? solus Deus magnus, solus dives, solus sapiens, solus non habet sibi similem. Igitur Ecclesiastici magni hujus Domini familiares respectu saecularium sunt sicut inter lapides gemmae, inter sidera sol, inter metalla aurum, inter humana membra caput, inter homines primi, eminentissimi, summe beati. Ecclesiastici sunt ocelli Dei, ut ipse fatetur apud Zachariam: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Sunt os Dei, per quos ad homines loqui consvevit dicente Apostolo: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens est nobis per Prophetas, novissime diebus istis locutus est in Filio*; Posteaquam autem Christus perfecto Redemptionis nostrae misterio rediit ad Patrem, hodie loquitur per Sacerdotes, tamquam voluntatis suae interpretes. Ecce, inquit ad Jeremiam, et ad omnes Sacerdotes: *Ecce de-*

Oculi, et Os Dei.

Zach. 2. v. 8.

Haebr. 1.

te dedi verba mea in ore tuo, et posui te, ut evellas, et dissipes, et aedifices, et plantes. Jer. 1.

Cor Ecclesiae.

Ecclesiastici sunt *cor Ecclesiae.* Quemadmodum cor humanum est principium vitae per influxus in omnia membra, ita Ecclesiastici sunt principium, et instrumentum vitae Spiritualis per motus Spirituales, per administrationem Sacramentorum, per salutares doctrinas, per praedicationem Evangelii, per Sacras benedictiones, et manus impositiones. Apposite Sacerdotum gemma D. Carolus Borromaeus: *Magna, et inclyta Dei instrumenta Sacerdotes, a quibus omnium populorum pendet beatitudo,* ac vita Spiritualis. Deus creavit mundum absque ullo adjutorio: *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* At in misterio Redemptionis, et salvationis vult Deus Sacerdotes suos esse coadjutores. Non mea haec est doctrina, sed magni illius Spiritualis vitae Magistri Petri Blesentis dicentis: *Sacerdos est coadjutor redemptionis.* Imo ipsius Apostoli: *adimpleo* inquit *ea, quae desunt passionum Christi.* Quis potest hac majorem vel cogitare dignitatem! Ecclesiastici sunt *lumen Ecclesiae* juxta illud Matthaei: *Vos estis lux mundi*: sunt veluti lucidissimum, et sublimissimum Pharum, quod in periculis hujus mundi navigantibus ad aeternae salutis portum viam demonstrat. *Sunt sal terrae*, id est *salus a corruptione*: atque ut Hugo Cardinalis ait: *Condimentum universae carnis condientes alios doctrina, et exemplis.* Sunt medici Spirituales, sive ut S. Hieronimus nominat, *medici animarum*, quibus curandorum spiritualium *vulnerum cura commissa est.* Quo illi officio funguntur, quum Sacramenta administrant per Poenitentiam peccati venenum extrahunt, per Eucharistiam debiles confortant, per Extremam Unctionem reliquias spiritualium infirmitatum tollunt, praedicationibus, consiliis, dulcedine charitatis suae vulnera animae nostrae plene consanant. Macrobius Medicinam corporalem appellat scientiam consecratam, Medicos vero Diis similes, eo quod sint *morborum depulsores.* Tanto autem major est dignitas medicorum spiritualium, quanto Servatore attestante *anima plus est, quam corpus.*

coadjutores Redemptionis.

lumen Ecclesiae.

Sal terrae. Hom. 1 in Ps. 37.

Medici animarum.

VI. Quid plura? Ecclesiastici sunt fundamenta Ecclesiae Dei, sive ut discurrit Nazianzenus, sunt *Mundi fundamenta, fundamenta orbis terrarum*: Verae bases Ecclesiae, quae scilicet veram Dei Ecclesiam contra haereses, pietatem, morumque integritatem contra impios, libertatem, majestatem Ecclesiae contra hostes ejus sustentare sanguine etiam suo sunt, certe debent esse parati. Talia Ecclesiae propugnacula erant Augustinus in Affrica contra Manichaeos, et Donatistas, Athanasius in oriente contra Arianos, Hieronimus in Bethlehemitica sua sollitudine contra omnes haereses, Chrysostomus Constantinopoli contra morum corruptelam, Gregorius Septimus, et Thomas Cantuariensis contra Jurisdictionis Ecclesiasticae invasores, cum sexcentis aliis zelosissimis Dei servis, invictissimis Christi Atletis, firmissimis Domus Dei columnis, et firmamentis: quorum fortitudine, constantia, zelo, doctrina, patientia, sanguine, et morte Ecclesia Dei hactenus steterit, crevit, floruit, de hostibus suis glorioissime triumphavit. Ecclesiastici sunt advocati fidelium, mediatores inter Deum, et homines. Sacerdos docente Petro Chrysologo: *Dolores populi suscipit, fert, offert*, suscipit a populo, fert populi loco, offert Deo. *Sacerdotum est*, teste Nazianzeno ad *Deum accedere, populi ad eum causam deferre, vota exponere, benignitatem experiri.* Ecclesiastici sunt Legati Dei, qui nempe jussa, et mandata Divina populo annunciant. *Pro Christo legatione fungimur*, ait Apostolus, *tanquam Deo exhortante per nos.* *Labia Sacerdotum*, continuat Malachias Propheta, *custodient scientiam, et legem de ore ejus requirent, quia*

in Ps. 7.

Fundamenta Ecclesiae.

mediatores inter Deum, homines.

Legati Dei.

1 Cor. 5.

Angelus

Angelus Domini eſt. Angelus, ſeu ut exponit S Hieronimus, *Nuncius Sacerdos Domini veriſſime dicitur, quia ad populum ejus voluntatem annunciat.* Teſtatur id de ſe Moyſes: Ego, inquit, *medius fui inter Dominum, et vos, ut annunciarem vobis verba ejus.* O magna Dei inſtrumenta Sacerdotes! vultis adhuc ampliora Dilectiſſimi! Eccleſiaſtici ſunt Angeli, idque multiplici ex ratione: nempe Angeli ſunt, quia Deo ſerviunt, quod Angelorum proprium eſt juxta illud: *Millia millium miniſtrabant ei, et decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Angeli ſunt, quia purificant animas a peccatis, cuſtodiunt inſtar Angelorum Cuſtodum: Angeli ſunt, quia ut ſuperiores Angeli inferiores Angelos, ita Eccleſiaſtici alios fideles illuminant, ſupernaque Divinarum rerum cognitione illuſtrant. Dilectus Chriſti Apoſtolus Epiſcopos *Angelos Eccleſiarum*, S Ambroſius congregationem Sacerdotum *Angelicum coetum* appellant. Angeli ſunt, quia Angelorum more ad cor hominis loquuntur, quod ait D Cyrillus: *Sacerdotes nuncupantur Angeli, quia Angelorum more in cordibus loquuntur* Sanctis inſpirationibus, et illuſtrationibus Divinis. Angeli denique ſunt, quia aſſidua cum Deo converſatione, morum Angelica probitate Angelorum Domino copulantur. O ſummam Dei nos ita exaltantis dignationem!

Sunt Angeli.

Apoc. 1 v 20.

Redemptores populi.

VII. Verum majora adhuc, longeque ſublimiora ſunt, quae de Eccleſiaſticorum dignitate dicantur. Eccleſiaſtici ſunt populi Chriſtiani Redemptores. Quid ajo Redemptores? ergone peculiarem Chriſti *Redemptoris* praerogativam Eccleſiaſticis attribuere praeſumo? id me ſcriptura jubet, et Patres: Legimus Abdiae Prophetae v 21: *Aſcendent Salvatores in montem Sion judicare montem Eſau.* Quem locum Hieronimus, illud Eccleſiae oraculum de Sacerdotibus exponit dicens: *Sacerdotes Dominus mundi voluit eſſe Salvatores.* ita et D Macarius eos nominat *Mundi, et hominum redemptores.* Amplius dico dico dilectiſſimi, et Eccleſiaſticos *Deos* appellare non dubito, non quidem natura, ſed gratia, poteſtate, unctione, et ſimilitudine. Praeeat cithara ſua Jeſſaeus Vates: *Ego dixi Dii eſtis, et Filii excelſi omnes.* S Dioniſius Areopagita aſſerit, Sacerdotem in ſua conſecratione e ſtatu humano ad ſtatum *divinum* elevari: *elevatur ut Deus fiat, quia compos divinitatis, et Numine Sacroſancto plenus.* O ineffabilem Sacerdotum dignitatem! jam in veteri lege Sacerdotes dicebantur *Filii Dei*, et Moyſes *Deus Pharaonis*: in nova lege tanto id verius eſt, quanto veri Sacerdotes tipicos dignitate antecellunt. S Clemens Papa Sacerdotes appellat *Terreſtres Deos.* Referente Nicephoro Theotimus Scithiae Epiſcopus *Deus Romanorum* apellabatur. Nota omnibus eſt Conſtantini Magni ad Epiſcopos, quorum cauſas cognoſcere rogabatur, reſponſio: *non eſt*, ajebat, *fas, ut homo judicet Deos.* et profecto participatione quadam Dii ſunt Sacerdotes, quia a Spiritu Sancto uncti, et Numine ſupernaturali conſecrati. Dii ſunt, et Vicarii Dei in judicandis animabus, et remittendis peccatis. Dii ſunt, quia Dei inſtar omnibus benefacere debent, et curare univerſa, ut ait S Damaſcenus Dei vocabulum a benefaciendo derivans. Dii ſunt imitatione virtutum divinarum: ut enim ſapienter animadvertit Ethnicus licet doctiſſimus Epictetus: Virtutibus divini numinis ſimilitudo exprimitur. Dii ſunt, quia proximi Deo, quia ad ſublimiſſimam naturam, ad diviniſſimi tabernaculi Majeſtatem proximiſſime accedunt. Quid poteſt amplius dici ad dignitatem Eccleſiaſticorum illuſtrandam? fortaſſis fulgor terrenae dignitatis oculos veſtros percellit? ampliores, majores, ſublimiores ſunt Sacerdotes omnibus terrenis dignitatibus, Principibus, Regibus, ipſis Imperatoribus mundi digniores. Audite Os aureum D Chryſoſtomi: *Regi*

Abd v 21.

imo Dii participatione.

corpora

corpora commissa sunt, Sacerdoti animae. Rex maculas corporis remittit, Sacer dos maculas peccatorum. ille habet arma sensibilia, hic spiritualia: ille bellum gerit cum barbaris; mihi bellum est adversus daemones. Regna, et imperia submittunt sese Regibus, Rex caput submittit manui Sacerdotis. Merito ergo Clemens Papa: *Quanto anima corpore praestantior est, tanto Sacerdotium praestantius regno terreno.* Merito mellifluus ad Pastores animarum: *Deus, inquit, vos praetulit Regibus, et Imperatoribus.* Et mox ad eosdem exclamans: *O Sacerdos Dei, si omnium dominantium sublimitatem contempleris, sublimior es, solo tuo Creatore inferior es.* *Majores Regibus.*

VIII. En amantissimi dignitatem status Ecclesiastici! en summam vestram Majestatem! altissimam sortem! Jam cogitate obsecro, et perpendite diligenter! quantis laboribus, sudoribus, et vigiliis constet dignitas Saecularis! quam difficile invenitur! quam anxie possidetur, quam facile amittitur! Et quorsum amabo! hae curae, continuae hae agoniae! nempe ad lucra saeculi, ad honores evanidos, ad peritura vitae commoda consectanda, imo vero saepe ad peccata peccatis cumulanda, ad majorem olim damnationem sibi conscisendam. Lamentabatur olim Regius quidam Minister ad ultimos vitae terminos deductus: quadraginta annis servivi Regi meo terreno, et interea horam divino servitio non impendi. ecce vanitas, et afflictio spiritus! Ita est sane: *Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?* quaerit sapiens, et respondet: *vanitas vanitatum, et afflictio spiritus praeter amare Deum, et illi soli servire.* Quanto igitur feliciores nos, quos Deus ex immensa sua misericordia, nihil tale promeritos, quin imo longe indignissimos peccatores elegit tamen, et vocavit in numerum Filiorum, domesticorum, ministrorum, et amicorum suorum. O magna Dei in nos dignatio! animadvertite dilectissimi diligenter! cum ob *dilecta juventutis*, ob tot gratias divinas neglectas abjici, et negligi merebamur, inscrutabili Dei in nos misericordia ad divinum ministerium vocati sumus, et ex *vase contumeliae* facti sumus *vasa honoris*, et electionis! Proh admirandam Dei miserentis in nos bonitatem! O sane *fecit nobis magna, qui potens est.* Quis ego sum, clamabat olim Mifiboset ad David, et longe potiori jure clamare nos ad Dominum convenit: *Quis ero sum, servus tuus Domine mi Rex! quoniam respexisti super canem mortuum similem mei.* Canem certe mortuum peccatis, et indomitis animi passionibus! respexisti! et inter electos tuos, inter commensales, et ministros tuos cooptastis, erexisti de stercore pauperes, suscitasti de terra inopes, et collocasti nos cum *Principibus*, imo supra *Principes populi tui!* Hanc dignitatem qui non aestimat, pro hac gratia qui gratus non est, nae is mortalium omnium vecordissimus sit oportet. *Pro hac dignatione Dei grati esse debemus.* 3. Reg. 9.

IX. Quomodo autem gratitudinem nostram contestabimur efficacius, quam *vitae sanctitate in continua charitate* sita? cap XIV n LI. Ut Filium suum Unigenitum caelestis Pater misit in terram, ita nos eadem charitate vocavit in admirabile lumen suum canente Zacharia Lucae 1, ut *serviamus illi in Sanctitate, et justitia omnibus diebus nostris.* Atque ita *conformes simus imagini Filii sui.* *per vitae sanctitatem.*

Ut igitur gravissimae obligationi nostrae qua licet ratione optima respondeamus, ad vitae *sanctitatem* consequendam duo efficacissima media amantissimis meis Lectoribus summa cum charitate propono: alterum *expurgationem veteris hominis per horariam* saltem *recollectionem* spiritus: Alterum varia urgentissima *motiva ad fervorem charitatis.* In quibus si quis se debite exercuerit, dubio procul debitam sublimi statui suo sanctitatem assequetur. Incipiamus a primo. *ad eam duo media dantur: 1 expurgatio veteris hominis. sive recollectio horaria saltem Spiritus.*

Recollectio Spiritus.

X. Boni oeconomi solent perceptorum, erogatorumque suorum rationes persaepe inire, Domini, et superiores a sibi subditis eam exigere: quod nempe ad oeconomiam temporalem promovendam, divitiasque augendas maxime necessarium esse censetur. Amantissimi mei! Sumus nos omnes oeconomi, sed spirituales: quaerimus lucra, sed coelestia: volumus esse divites, sed virtutibus, divitiisque spiritualibus. Idcirco serimus per orationem, metimus, et congregamus per Sacramentorum participationem, recondimus per bona, piaque proposita, erogamus per conciones, sacrasque exhortationes. At si vere divites esse cupimus, rationes quoque spiritualium perceptorum, et erogatorum nostrorum persaepe ineamus est necesse. Fiet id per crebram spiritus renovationem, sive recollectionem; sine qua sensus devotionis tepescit, et perfectionis desiderium olim conceptum sensim langvescit, et flaccescit. Hujus itaque Sacri ratiocinii, sive recollectionis Spiritualis methodum, ac praxim vobis in praesentiarum propositurus sum, dicamque breviter *renovationem* Spiritus in his tribus consistere nempe: in *Poenitentia de praeteritis*, in *praesentis status nostri discussione*, et in *seriis* de futuro *faciendis propositis*. Adeste animis dilectissimi! pro tota enim vita vestra servitura sunt, quae dicturus sum! praxim salutarem vobis propositurus sim, qua vestro solum studio, et sine magno labore langvescentem animi vestri fervorem renovare valeatis. Vultis palpare necessitatem hujus industriae nostrae? en eam:

tres sunt partes ejus.

ejus necessitas

XI. Saepe conquerentes audire est viros Ecclesiasticos, salutis, ac virtutis studiosos: libenter inquiunt, facerem sacra exercitia, spiritualem recollectionem, sicut in Scholis, in Seminariis, in alumnatu singulis annis faciebamus! sed in Parochia hoc impossibile est, non vocat propter assiduas occupationes, non licet propter advenientes singulis fere horis Parochianos, triduo, vel octiduo me recludere nequeo; ut vero constituto, substituto me eo nomine in Sacrum quodpiam asceterium recludam, tenuitas beneficii mei non admittit. At enim falleris Frater in Christo dilecte, errasque vehementer: ad Sacra enim exercitia peragenda, ad Spiritualem recollectionem, ad fervorem spiritus renovandum non est necesse ex Parochia exire, non requiritur triduum, minus octiduum: da unam horam sive matutinam solito citius surgendo, sive Vespertinam tardius decumbendo. da inquam horulam unam, non diem integrum, et quod vis, impetrabis, recollectionemque tuam Sancte peraeies. Audi qua ratione:

1 Pars POENITENTIA de praeteritis.

XII. Itaque die Dominico, qui est initium hebdomadae, vel quandocunque tibi libuerit, oportunumque fore videbitur, selige unam duntaxat horam, quam ceteris curis tuis sepositis huic renovationi Spiritus totam impendes. Multas quotidie horas somno impendis superfluo, multas otio, multas comessationi, multas aliis inutilibus, aut fortassis noxiis etiam occupationibus; vide, ut unam animae tuae des, Spirituique renovando. Ergo electa idonea hora primo statue te in conspectu Dei tui viventis, et videntis: imaginare tibi hoc exercitium Spirituale ultimum fore, aut tibi hodie moriendum esse. Petes itaque a misericordiarum Patre grátiam, ut hanc horam animae tuae curae quam optime impendere queas: venerabéris eo nomine Beatam Virginem, Angelum Custodem, et Sanctos tutelares: declarabis te ideo adesse, ut recogites bona, quae a Deo accepisti: mala, quae ei pro beneficiis reddidisti: atque ut cognoscas, quid te Deus jubeat facere. Dicto proinde hymno *Veri Sancte Spiritus* exclamabis tenerrima cum fiducia cum Paulo: *Domine! quid me vis facere?*

ad eam elige tempus aptum.

statue te in conspectu Dei

Pete gratiam digne perficiendi.

sere? et cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit servus tuus! da mihi intellectum, ut sciam mandata tua.*

XIII. Facta hac praeparatione ipsi recollectioni Spirituali te accinge: ac primo considerabis, diligenterque recoles insignia illa beneficia, quae tu ab ultima recollectione a Deo accepisti. Quorum alia sunt Spiritualia, et ad animam pertinentia, nempe: Sanctae, et bonae cogitationes, lumina supernaturalia, inspirationes Divinae, desideria caelestia, consolationes supernae, patientia in desolationibus, usus Sacramentorum, orationes vocales, meditationes, examina conscientiae, lectiones Spirituales, Missae Sacrificia, officia divina, actus virtutum, mortificationes, fuga vitiorum, profectus Spiritualis, praeservatio a periculis, et peccatis, gratia resurgendi post lapsum, innumeraque alia, quae tu nosti. Alia spectant ad corpus, ut sunt victus, vestitus, habitatio commoda, bona temporalia, sanitas, libertas, liberatio a malis, praeservatio, aut consanatio ab aegritudinibus, conservatio charorum, amicorum, et domesticorum. Alia sunt communia corpori, et animae, ut lux solis, terrae fertilitas, Patriae tranquilitas, boni superiores, leges salutares, et multa alia occulta, quae passim ignorantur, aut raro recogitantur. In his omnibus ponderabis magnitudinem Benefactoris, amorem, quo tibi benefecit, beneficiorum excellentiam, ac tuam, cui benefecit, indignitatem. Tum projice te in tuum nihilum, prostratusque coram tam benefico Domino eidem pro tantis donis intima cordis humilitate gratias ages dicens: *Quis ego sum Domine! quia respexisti in me canem mortuum, opprobrium hominum, et abjectionem plebis!* Venite omnes Creaturae, Caelum, et terra, et omnia, quae in eis sunt, venite, audite, et narrabo, quanta fecit Deus animae, corporique meo! si mille linguas, milleque corda haberem, impar tamen adhuc forem condignis gratiis agendis: Te oro Christe Deus homo, te caelorum Regina obtestor, vos omnes Angelos, Sanctos, et electos Dei invoco, vos omnes Creaturas Dei obtestor, ut pro me Deo meo gratias agite: quorum omnia merita tibi a Deus intima mentis teneritudine offero in eam, quam tibi debeo gratiarum actionem. Accipe o Deus! hanc meam gratam in te voluntatem, et quod in me ceest, id ex Unigeniti tui, Matris ejus Sanctissimae, aliorumque beatorum meritis supplere digneris.

Recogita beneficia accepta.

Pro iis gratias age.

XIV. Considera secundo: quid retribueris Deo pro tantis beneficiis? fortassis peccata, eaque longe gravissima? examinabis proinde ab ultima recollectione commissa peccata tua discurrendo per singulos dies, per omnia loca, et Ministeria, in quibus versatus es. Discute, quid contra Deum, contra Proximos, contra superiores, aequales, inferiores, quid denique contra temetipsum deliqueris. Discute 2: cogitationes tuas, si fuerunt charitatis erga Deum, et Proximum plenae: humiles ad teipsum, purae quoad mundum, et carnem: aut fortassis tepidae in Deu, ira, odio, et indignatione plenae in Proximum, superbae, impurae, vanae, otiosae. Discute 3: Sensus tuos, an non fuerint indisciplinati, vagi, incustoditi, inverecundi, curiosi, in varia, vana, saeda, ac turpia objecta projecti, et dispersi. Discute 4: verba tua, an ea fuerint gravia, circumpecta, Proximumque aedificare apta, aut potius vana, curiosa, nugatoria, scandalosa, venerea, detractoria. Discute 5: conversationem tuam, an fuerit matura, gravis, humilis, et benigna, aut potius fuit effusa, levis, nugatoria, rixosa, impatiens, contentiosa: Discute 6 omissiones tuas: quam negligens fuisti in munere tuo adimplendo, in litterarum studio, in lectione spirituali, in oratione vocali,

Discute conscientiam.

cali, in piorum propoſitorum executione, quam torpidus in munitia cordis cuſtodienda, in tempore bene impendendo, in fine vocationis tuae adimplendo: quam ſegnis ad dolendum de peccatis, ad reſiſtendum tentationibus, ad proficiendum in virtutibus. Diſcute 7: ipſa bona opera tua, an non fuerit in eis aliquis defectus? an non defuerit aliqua in eis perfectio, an non irrepſerit inanis gloria, an non vitiaverit ea finis diſtortus aut minus recta intentio. Vide 8, et conſidera, an aliquod bonum ſupererogatorium data occaſione non omiſeris, an in omnibus elegeris, quod perfectius erat? et in quibus te offendiſſe deprehenderis, ea mox in chartam conjice in proxima confeſſione aperienda.

Conſidera peccatorum tuorum gravitatem.

XV. Peracto hac ratione diligenti conſcientiae tuae examine conſidera 9: peccatorum tuorum gravitatem: peccaſti in Deum! peccaſti in ſummum bonum, eum peccato tuo ſpreviſti, et converſus es ad umbram boni, ad res nempe caducas, in iiſque tuam poſuiſti felicitatem: quod genus quoddam eſt idolatriae. peccaſti! a Domino tuo, a Principe ſupremo infami rebellione, et perfidia defeciſti. Peccaſti; adverſus ſponſum animae tuae ſacrilicgum adulterium commiſiſti, innumeris, maximisque ejus in te beneficiis abuſus es in ejus contemptum! quae eſt perverſitas, et impudentia ſub coelo maxima. Expende infinitas Dei perfectiones: confer cum eis abjectiſſimam tuam vilitatem: confer cum bonis, quae accepiſti, mala, quae pro eis Deo reddidiſti, ut videbis nullam, inſaniam ulterius progredi poſſe, quam ut tu nihilum, tu vermis terrae, opprobrium hominum, et abjectio plebis ipſum eſſe neceſſarium, Dominum tuum longe beneficicentiſſimum auſus ſis peccatis tuis irritare. Haeccine reddidiſti Domino ſtulte, et inſipiens! nunquid non ipſe eſt Pater tuus amabiliſſimus, qui poſſedit, et fecit, et creavit te! Conſidera deinde, quid te ad peccandum impulerit? creſcit enim injuriae magnitudo, ſi levi de cauſa inferatur. Ob quam igitur cauſam peccaſti? ah pudor eſt dicere, dolor vel cogitare! ob modicam, eamque foediſſimam carnis voluptatem! ob punctulum honoris, ob turpem corporis tui commoditatem, ob inſanam ingluviem, ob vile lucellum, ob res denique foediſſimas, viliſſimas, breviſſimo tempore durantes, imo fumi inſtar praetereuntes! Et tamen propter haec dum peccaſti, Deum facto negaſti, diabolum ei praepoſuiſti, idque tanta cum temeritate, et audacia, ac ſi Deus Chriſtianorum Deus ligneus eſſet, qui ſcelera tua nec videre poſſet, nec vindicare! *Obſtupeſcite coeli* ſuper hac inſania, *et portae inferi deſolamini vehementer!*

Ex his prorumpes in vehementiſſima admirationem, qua ratione in ſtatu tam miſero vitam hilarem, et tranquillam ducere potueris! Quomodo te creaturae hactenus ſuſtinuerint, quarum Conditorem tanta cum vesania offendiſti! cur non adverſum te omnes unanimiter conſpiraverint! quomodo non pugnaverit contra te inſenſatum pro Deo orbis terrarum! quo pacto Deus tam amanter, tam patienter te tolleraverit, et ad Poenitentiam expectaverit, qui tot millena aliorum ob peccata. et gravitate et numero tuis minora aeternis jam cruciatibus addixit, addicetque deinceps quam plurimos te multo meliores.

Conare ad perfectam contritionem.

XVI. Poſt hanc admirationem elicies actum odii, et abominationis adverſum teipſum, utpote qui peccaſti, et peccando majora tibi damna intuliſti, quam hoſtes tui infenſiſſimi, capitaliſſimi, et crudeliſſimi, imo quam ipſe daemon tibi inferre unquam potuiſſet. Itaque te odio habebis, hoſtilemque in modum perſequi debes, optareque, et ſatagere, ut poenitus aboleas, quid quid in te Deo contrarium,

crarium, inimicumque eſt, invidendo pia quaedam aemulatione eorum felicitati, qui nullo gravi crimine ſe unquam contaminaverunt. quorum felicitatem tuae miſeriae opponendo arripe unicum, quod habes in tantis malis remedium, nempe ſeriam, et perfectam contritionem cum firmo propoſitio non peccandi amplius, quin imo dignos fructus Paenitentiae faciendi, cujus formulam hic toto corde orandam, dedimus cap XIV not n LIV. Pete veniam ab amantiſſimo Patre delictorum tuorum cum omni poſſibili reverentia, atque corporis, animique demiſſione! obteſtare illum per omnes titulos, qui cor ejus ad praeſtandam tibi miſericordiam emollire poſſunt: uti ſunt bonitas ejus infinita, amor inexhauribilis, omnipotentia, meri a Unigeniti Filii ſui, beneficia tibi, et aliis creaturis hactenus praeſtita, tum deinceps uſque ad conſumationem ſaeculi praeſtanda. Denique Laus, gloria, quae eidem in Caelo, et terra decantabitur, ſi tibi indulgere dignetur. Advoca tibi in Mediatorem apud Patrem Sanctiſſimam Chriſti humanitatem obſecrando per conceptionis ſuae puritatem, per nativitatis humilitatem, per totius vitae demiſſionem, per labores noſtri cauſa toleratos, per infamiam crucis, per deliderium ardens, quo ſitit ſalutem animarum, per veniam Magdalenae, aliisque peccatoribus miſericorditer conceſſam, per infinita virtutum ſuarum merita, et per id omne, quid quid pro ſalute noſtra fecit, et pertulit, per omnia obſecrabis, ut tibi a Patre ſuo veniam impetrare, ac ipſe eam tibi dare dignetur. In eundem finem implora Patrocinium Beatae Virginis, Angeli Cuſtodis, ac Sanctorum Tutelarium tuorum, ut pro ea, qua apud Deum, et Verbum Incarnatum pollent, gratia tibi veniam delictorum conſequantur.

Contritionem ſequitur Confeſſio.

XVII. Poſt hac imaginare te a ſummo illo, aeternoque Sacerdote Chriſto venia donari, Judicialemque ejus abſolotionis ſententiam profundiſſima cum demiſſione excipe: et ſi mocus tibi ſuppetit, quam primum confitere, ut ſatisfacias voto, quod in omni contritione ineſt quam primum confitendi Sacerdoti iconeo: mox pro gratia adeptae juſtificationis, quas pareſt Deo gratias age his, vel ſimilibus verbis: Miſericordias Domini in aeternum cantabo, quia aquae multae peccatorum meorum non paetuerunt extingvere tuam o Deus, nimiam in me charitem! Exaltabo te Deus meus Rex, et laudabo nomen tuum in Saeculum ſeculi, quia de excelſo Caelorum habitaculo reſpicere dignatus es ſuper me indigniſſimum peccatorem! ah fluite dulces lacrimae charitatis, et gratiarum actionis! nec ceſſate niſi cum vita: quia mors aeterna, quam mihi hodie condonatam a Deo confico, ſempiternam meretur gratiarum actionem. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animae meae! quid retribuam tibi Domine, pro omnibus, quae tribuiſti mihi? tu propitiatus es iniquitatibus meis, tu ſanaſti omnes infirmitates animae meae, tu me filium plus quam prodigum Paterna clementia ſuſcepiſti, primamque juſtitiae, ac filiationis tuae ſtolam immerenti licet reſtituiſti. Tu me hodie ex inferno quaſi liberaſti, dum plane merentem eo ob peccata mea non praecipitaſti, quinimo in paternam tuam gratiam recepiſti, ac jus caeli mihi reſtituiſti. Ob quod benedictus, laudatus, et ſuperexaltatus ſis in aeternum a me, ſicut laudaris, benediceris et amaris ab omnibus beatis in caelo. Quorum affectibus jungo meos Te aeternum cum iisdem ardentiſſima charitate ex nunc amaturus!

Hanc gratiarum actio.

Atque in his conſiſtit prima pars Sacrae hujus recollectionis, nempe in ſeria de praeteritis *delictis poenitentia*: cujus modus, ac recte inſtituendi ratio vobis amantiſſimi tanto gratior eſſe debet, quod

illa et in vespertina conscientiarum vestrarum discussione, et in examine Sacrae Confessioni Sacramentali praemittendo, ac denique in hujusmodi Spirituali animorum renovatione, sive recollectione salubriter uti possitis.

XVIII. At enim solent boni oeconomi non tantum quid expenderint, sed et maxime in rationem vocare, quid deductis expensis actu habeant, et possideant? Similiter et nos in spirituali computu, et ratiocinio posteaquam expensas, sive commissa praeterita peccata vidimus, et deflevimus, quid actu habeamus, quales virtutes, et in quo gradu possideamus? quibus careamus, et ob quas causas? inquiramus. atque in hac *praesentis status nostri discussione* sita est altera pars Spiritualis recollectionis.

Altera pars recollectionis est praesentis status discussio.

in qua considera vitia tua.

Considera itaque 1 qualia in te vitia maxime dominentur? sive in quae soleas frequentius prolabi? causas item investigabis, ob quas cadere consueveristi? Vide, an non sis obnoxius proximae alicui peccandi occasioni? considera, et perquire, quis in te sit affectus, sive passio praedominans? in singulis enim hominibus solet unum certum vitium dominari, ad quod nempe natura, et complexio ejus magis propendet. Ita alter ad avaritiam, alter ad ambitionem, alter ad superbiam, alter ad luxuriam, alius ad iram, alius ad invidiam, alii ad alia vitia natura inclinante proclives sunt, et istud vitium, passio praedominans appellatur. Ut autem pernoscas, quae illa in te sit, considera naturalem tuam inclinationem, complexionem, ac educationem: vide, in quod peccatum saepius labi consueveris? et illud ipsum peccatum in te dominari certus esse poteris. statue ergo illud penitus exstirpare securi ad radicem posita, secus enim si diutius in te dominari patiaris, te, animamque tuam aeterno exitio involvet.

progressum in via perfectionis.

in via purgativa.

XIX. Considera 2: progressum tuum in via virtutis, et quid illud impediat, aut retardet? discurre per triplicem viam virtutum nempe: *Purgativam*, *Illuminativam*, *et Unitivam* quomodo te in singulis habeas? quantum progressus si? et quae sint profectus tui impedimenta? itaque in via Purgativa considera, an habeas zelum puritatis animae tuae? an non tantum mortalia, sed et graviora venialia peccata sollicite cavere, et exstirpare coneris? an non nimium tibi fidas, an sollicite praecaveas tentationum, et lapsuum occasiones? An, et quantum studeas internae, externaeqve mortificationi? sensuum tuorum custodiae? an attendas Divinos instinctus, et inspirationes? an magnifacias, et observes Superiorum tuorum monitiones? aut forte ea dissimulas, negligis, ac contemnis? Vide, an non libenter te effundas ad exteriora, an non evageris sensibus, et cogitationibus? an saepe te colligas, et ad cor redeas? an non ames otium? an aliorum dicta, factave facile carpas? dicta in deteriorem partem interpreteris? an non delecteris jocis, nugis? an pia colloquia ames, et quaeras? an non effundas te avide in cibos, potum, lusum, somnum, fabulas, et noxias recreationes? Vide quomodo te habeas in quotidiano conscientiae examine? numquid illud cursim, et perfunctorie, absque compunctione Spiritus, et sine serio melioris vitae proposito peragere consueveristi? aut forte penitus omittas? quid si ipsas Confessiones Sacramentales ex arida consuetudine, absque vero doloris sensu, ac vitae tuae emendandae propositio peragere sis solitus? habes certe, quod defleas, et in quo de seria emendatione ferrea proposita statuas.

in via illuminativa.

Vide jam quomodo te habeas in via *Illuminativa*: Enumerabo

rabo ego defectus, et impedimenta ejus; tu an eorum reus ſis, diligenter conſidera. Itaque profectum in via Illuminativa haec retardant: Virtutum, ac Spiritualis vitae perfectionem parvi aeſtimare, nec ad eam aſpirare: internos virtutum actus negligere, externos vero ſine Spiritu fervoris, atque ut dicitur, materialiter duntaxat exercere: Regularum obſervantiam non curare, neque ab earum transgreſſione multum abhorrere. De puritate intentionis parum ſollicitum eſſe, eamque raro renovare. Abjecta, et humilia officia fugere, ad otioſam vitam aſpirare: labores graviores declinare, minores cum otio, et negligentia, tantum ut fiant, ut finis ſit, per agere, temporis accuratam rationem non habere, viſitationes, alloquia, et diſcurſus inutiles avide amplecti: examen particulare perfunctorie facere, aut plane ommittere; a via virtutis prosequenda deliſtere, ac de aſſequenda perfectione deſperare.

in via unitiva.

In via *Unitiva* obſtacula, et defectus hi eſſe ſolent: circa Miſſam ſive audiendam, ſive celebrandam, uſumque Sanctiſſimi Sacramenti tepidum eſſe: Divina obiter ſine affectu peragere, vocaliter curſim ſine attentione, et devotione orare: piis colloquiis non affici, librorum Spiritualium lectionem faſtidire: Uſum aſpirationum ad Deum non curare, raro, et frigide actum amoris Dei elicere. Deum non pure in omnibus quaerere, nec conari ei ſuper omnia placere: langvere in zelo animarum, et de Spiritu devotionis animum deſpondere. In his qui te habeas, diligenter conſidera. Ad haec adverte, et diſquire, an contentus vivas vocatione tua? an libenter ſervias in ſtatu, et officio, in quo conſtitutus es? quid ſentias de inſtituto tuo? an eam aeſtimes, an in eo perfectionem, ſalutemque tuam te conſecuturum ſperes? denique quantum tempus orationi tribuas? an caſtitatem Angelicam ſecteris? an remediis contra tentationes ut par eſt utaris? quem fructum ex uſu Sacramentorum percipias? quem guſtum in eorum uſu in te ſentias? mox ſcribe ea, quae in te emendanda repereris, Deumque ora, ut in iis exſtirpandis tibi peculiari ſua gratia adeſſe dignetur.

3. Pars recollectionis conſiſtit in SERIIS PROPOSITIS.

XX. Sequitur jam 3 pars hujus ſacrae recollectionis; quae conſiſtit in Seriis, efficacibusque propoſitis faciendis. Nihil enim juvat noſſe ſuos defectus, niſi eos modis omnibus emendare, eradicareque ſtudeamus. Itaque primum coram Divina Majeſtate proſtratus confundere recogitatis innumeris tuis defectibus: erubeſce, quod tam miſer, tam coecus, tam inops Spiritu ſis: dole quod in Schola Chriſti, in paleſtra virtutum adeo parum profeceris: poſt haec ad magnos in Spiritu faciendos progreſſus te variis ſtimulis excitabis, expende igitur ſerio ſummam Dei juſtitiam aeterna morte peccata punientis! recogita abyſſum judiciorum Dei multos, maxime beneficiis ſuis ingratos, ſegnes, ac otioſos viros Sacros in graviſſima peccata labi, quin alios apoſtatare, miſereque mori permittentis. time tremendum illud fulmen: *Quia nec calidus, nec frigidus es, ideo incipiam te emovere ex ore meo.* Statue ob oculos mentis tuae timorem incertae mortis *Sicut fur in nocte venientis.* Quid ſi tibi hodie, hoc momento inſonet Divina illa buccina: *Redde rationem villicationis tuae! jam enim non poteris villicare?* Vide obſecro, et conſidera, quia mors janua, initiumque eſt tremendae aeternitatis! Attende brevitatem vitae, incertitudinem temporis, jacturamque ejus irreparabilem. Perſvade tibi, quia pro tempore acceptabili, pro hora una, quam otio perdis, adducet te Deus in judicium! Expaveſce horrorem Divini Judicii: exhorreſce interminabilem aeternitatis durationem: hiſque te ad fervorem charitatis accende. Conſidera Chriſti,

in qua agnoſce defectus tuos.

excita te ad magnos in Spiritu progreſſus.

motiva fervoris.

et

et Sanctorum exempla tepiditatem tuam confundentia, teque ad imitationem extimulantia: vide, et recole bonitatem, et amabilatem Dei infinitam, summum ejus in te amorem: innumera, maximaque tibi immerenti collata beneficia! vide inquam, et si lapis non es, eum redamare pro viribus statue.

pia proposita statue, aut innova.

XXI. His, similibusque aliis adminiculis excitato in te omni possibili spiritus fervore, mox pia olim facta tua proposita, et si quae habes, vota toto cordis affectu renovabis: tum firma animi deliberatione propone nunquam deinceps deliberate peccare, nullam status tui Regulam dedita opera transgredi, virtutibus statui tuo necessariis acquirendis omni cum diligentia incumbere: quotidiana tua opera et parva, et magna diligenter facere adeo, quasi hic esset ultimus vitae tuae dies. Ab otio, a jocis, ab ineptiis perpetuo cavere: tibi soli intendere, alios ad te non pertinentes non attendere, non censurare; de nullo conqueri, omnia in meliorem partem interpretari: sorte tua contentum vivere, altiora te non scrutari, honores non ambire, adversa omnia libenter, et hilariter pati, constanter niti ad perfectiora, studereque diligenter, ut omnia opera tua motivo, et Fine charitatis animata, ideoque meritoria sint. In iis, quae pertinent ad modestiam, et castitatem vel umbram mali praecavere, Deum denique in omnibus per puram intentionem toto corde quaerere, et laudare. Postremo te Deo optimo maximo in perpetuum holocaustum toto corde offeres, orabisque eum, ut vias tuas ad honorem suum dirigat, teque speciali sua gratia, et efficaci auxilio ad omne opus bonum excitet, in sanctis tuis propositis opere ipso constanter adimplendis corroboret. Demum pro luminibus hac hora, in hac renovatione Spiritus acceptis toto corde gratias age, statueque deinceps ita vivere, ita tibi invigilare, defectusque omnes tanta diligentia evitare, ac si hodie Deo servire inciperes, aut quotidie, quin omni momento tibi moriendum esset. Atque haec quidem illa hora renovationi Spiritus destinata.

quae illa?

te totum Deo offer.

quid post recollectionem agendum?

XXII. Porro finita salutari illa hora, ne ipsa Sancta tua proposita diffluant, videndum est. igitur illa singulis diebus post intentionem matutinam, et meditatiunculam (*a*) breviter renovabis:

(*a*) En tibi necessariae hujus Spiritualis alimoniae praxim, ut omnia, quae ad accendendum fervorem Spiritus faciunt, hic in compendio habeas. Itaque 1: Constitue te in conspectu Dei eliciens actum Fidei, et adorationis praesentiae Dei, pete gratiam, ut videas, quid te Deus velit facere. Offer illi cor, memoriam, interllectum, voluntatem, ut ea servitio suo consecret, amore suo inflammet. 2: In *memoriam* revoca Textum, aut Historiam Sacram, de qua meditari vis. 3: Materiam assume *intellectu* discutiens omnes ejus circumstantias, quis, quid, ubi etc. et ex ea varias practicas conclusiones agendorum, omittendorum deduces: *anima mea! vide quid Jesus tuus egerit, vel passus sit. quid ergo te agere oportet*: Vide quam dignum sit te Christi humilitatem, patientiam, charitatem, hoc modo, hoc tempore, sic sic imitari. hoc *propositum*, sive *conclusio* vocatur *lumen*. 4: Habito lumine motiva expenduntur, quibus voluntas de se caeca, et indifferens ad luminis, sive conclusionis practicae exercitium permoveatur. Sunt vero motiva pro via *Purgativa*, sive pravis passionibus edomendis: Horror mortis, judicii, inferni, aeternitatis, exemplum, et contemplatio Crucifixi: mensura peccatorum forte compienda. Motiva *viae Illuminativae* Exemplum Christi, pulchritudo virtutis, turpitudo vitii. *Viae unitivae* amor, et placendi Deo studium, spes caelestis beatitudinis, quae ipse Deus est in se, et nobis bonus perpetua charitate possidendus.

Motivis inferendi *affectus* potissimum Fidei, spei, charitatis, desiderii virtutis, horroris vitii contrarii. Et his plus, quam motivis immorandum velut scopo meditationis.

Si voluntas arida motivis nihil moveatur, excitanda est 1 *necessitate*: aut virtuti studendum, paenitendum, aut aeternum ardendum. 2: *Praesentia*

Methodus meditandi.

Praeparatio.

Lumen, sive ppoo.

motiva.

affectus.

voluntatis aridae excitatio.

vabis: veſpere autem an ea adimpleveris, aut in quibus transgreſſus ſis? diligenter examinabis. erratorum veniam humiliter petes, ſtatueſque ſequenti die, et deinceps majori cum fervore, animique alacritate piis tuis propoſitis inſiſtere: Hanc denique totam ſpiritus renovationem modo hic deſcripto quoad omnes tres partes ſemel in ſeptimana, aut ſaltem initio cujuvis Menſis, vel ad minimum bis, terve in anno conſtanter inſtitues, et ſic ſemper in novitate vitae ambulabis, animi teneritudinem, conſcientiaeque tuae munditiam cum maxima ſpiritus tui dulcedine, mentiſque tranquillitate retinebis.

Praxis examinis particularis. ſive modus extirpandi aliquod vitium, aut virtutem particularem implantandi.

XXIII. Quodſi autem alicujus vitii evitationem, aut virtutis exercitium tibi difficile eſſe experiaris, aut in aliquem defectum ſaepius cadas, non deſperes, animo non concidas, ſed contra illud audentius cum Divino auxilio inſurge. Nullum efficacius medium ad vitia extirpanda, aut virtutes implantandas in tota Aſceſi reperitur, quam ſingulari certamine illud vitium, aut defectum aggredi, et quotidie illud oppugnare eousque, donec penitus expugnetur, radicatuſque extirpetur. Spiritualis haec pugna hac ratione inſtituenda eſt: Elige vitium unum determinatum, quo magis infeſtaris: ſi a pluribus infeſtaris, a faciliori incipe, eoque ſuperato animum ſumes, ad caetera difficiliora profliganda: ſi aeque difficilia ſint, illud prius invade, quod reliquorum radix, fons, et origo eſt. Electo vitio ſtatue te in conſpectu Dei, implorabisque ejus auxilium,

elige vitium exſtirpandum.

ſtatue te in conſpectu Dei

Dei. En anima mea! aſpicit te Deus actu! qui propter hoc ipſum adducet te in ſeverum judicium. 3: Chriſtum Crucifixum repente nos alloquentem imaginare: O homo tantine tibi eſt paſſio mea, ut hoc mei amore recuſes facere? haeccine reddis mihi ſtulte, qui te adeo ad mortem amavi? Vae vae tibi ſervo pigro! quouſque ſequeris brutales tuos appetitus? vide, quia brevi pro his adducet te Deus in judicium. (*a*)

examen.

Sequitur *Examen* inquirendo, quid hactenus egi circa hanc virtutem, quid in futurum agam? deſcende ad particularia, ad omnes ſenſus internos, aliter poſt hacperſonarum, loci, temporis er. deſle errata, pete veniam, ſtatue et externos, vivere.

propoſita.

Ferrea *propoſita* facienda circumſtantiis perſonae, et praeſenti animae ſtatui accomodata. Nihil juvat meditari ſine *propoſitis*. Nihil etiam juvat propoſitum Generale: e. g. nolo eſſe diſtractus, ſed in particulari hoc opere: in charitate ſaepius per diem elicienda, in Breviario, Roſario omnem attentionem externam, et internam volo adhibere.

inquiſitio in impedimenta.

Inquire impedimenta, quae te poſſunt ab executione propoſitorum avocare: ut ſunt inconſideratio in agendo, incuria quaedam, et oblivio ſui, libertas nimia ſenſuum externorum, et internorum, paſſiones inordinatae corda noſtra abripientes, reſpectus humanus, timor aliis diſplicendi.

in media haec tollendi.

Media excogitanda, quibus removentur impedimenta, et ſic juvemur ad executionem propoſitorum. ea ſunt prioribus contrarii actus: omnia cum attentione, et reflexione agere, ſenſus infraeno tenere, paſſiones eradicare, reſpectum humanum contemnere, inſpirationes Dei attendere, et exequi, implorare Dei auxilium. etc.

affectus.

Media claudat *affectus pius* ſui diffidentiae, fiduciae in Deum, humiliationis, petitio gratiarum.

colloquium.

In Colloquio fit Gratiarum actio. 2: petitio veniae, ſi male ſucceſſit. 3: Oblatio ſui, affectus pius ad Patrem aeternum, Beatam Virginem, Angelum Cuſtodem, alios Sanctos, Crucifixum. Cave cogas te ad affectus: ii enim ſponte ſequi debent, et coacti nocent pectori.

induſtria per diem propoſita exequendi. examen.

Per diem adde induſtriam, qua remotis impedimentis, mediis applicatis pia propoſita ubi ubi poteris executioni dare catagas.

Adde examen *Meridie*, *et Veſperi*, ut hic dictum.

(*a*) *His conſiderandis et in* tentatione *animum occupare utiliſſime potes.*

ut in hoc certamine tibi peculiariter adesse dignetur. mox generose te resolve ad oppugnandum vitium illud contraria virtute: exempli gratia libidinem castitate, gulam temperantia, iram mansvetudine, superbiam humilitate, pigritiam assidua solertia impete; contrariamque hanc virtutem omni loco, omni data occasione, mente, et corpore, diligentia singulari exerce. Frequenter considera, an proficias: huc omnes orationes, omnia pietatis officia dirige, ut te Deus in hoc certamine adjuvet. Vitii omnes occasiones devita, contrariae vero virtutis actus frequenter in die exerce: Saepius in die propositum vincendi renova novis semper resumptis viribus. Cum advertis te deliquisse, mox manu pectori admota de lapsu dole, quod aliis etiam praesentibus, nec advertentibus facere poteris, statimque contrarium actum illi defectui, vel vitio elice, et aliquam Paenitentiam pro lapsu tibi impone. Adhibe in subsidium victoriae tria examina particularia: *Mane* propone diligentem tui ab hoc vitio custodiam, et fervens contrariae virtutis exercitium. *Ante prandium* exige a te ipso rationem omnium transgressionum circa illam materiam, singulas diei horas, et actiones, a quo surrexisti, percurrens, et quoties lapsum te fuisse deprehendes, in cartula adnotabis. *Vesperi* ante cubitum eodem modo discutiet conscientiam tuam numeratis, annotatisque lapsibus ab ultima tui discussione deprehensis.

oppugna vitium contraria virtute.

si delinquas in eo, poenitentiam tibi impone.

adhibe triplex examen particulare.

nota lapsus tuos

XXIV. Altera, et sequentibus omnia repetes, ut prima die: Vesperi vero secundae, et ulteriorum dierum institue collationem ultimae diei cum prioribus diebus, hoc est: *defectus* secundae diei confer *cum lapsibus* prioris diei numerando ex cartula tua, an hodie plures, vel pauciores fuerint, quam priori die? si pauciores sint, gratias age: si pares, aut plures, id tibi graviter exprobra, dole, assumme aliquam poenam exempli gratia: tot Pater, et Ave, quoties hodie lapsus es, vel toties osculaberis terram, vel tot tibi victus funiculo infliges. Hac ratione per plures dies, imo per septimanas perge eousque, donec nullum defectum, nullum lapsum in illud vitium observabis per plures dies.

sept diebus fac omnia ut prima die.

confer diem cum die.

lapsus tuos serio vindicabis.

Sic uno vitio feliciter superato aggredere aliud: omnibus vitiis exstirpatis eadem ratione ad particularis virtutis implantationem te accinge, eamque praemissa ratione tandiu exercebis, quoad usque possis secundum eam nullo defectu invento absque ulla difficultate operari. Neque in hoc exercitio tempus longum videatur, licet unius vitii exstirpatio, aut virtutis aquisitio menses aliquot constare, et annos. Nam ut pie ait Kempensis: *Magni Sancti evademus, si singulis annis unum tantum vitium exstirparemus.* Aut unam virtutem inplantaremus.

exstirpato uno vitio aliud debellandum assume.

XXV. Salutaris haec praxis *examen particulare* a Spiritualis vitae magistris vocatur. Cui simile est *examen generale* quo *omnia totius diei errata* expiamus. Sic vero institui debet: Mane fac ferreum propositum Deum nullo hodie peccato offendendi. Per diem urge identidem propositum tuum. Si labaris, dole amore Dei, compensa, meliora propone. Vesperi coram Christo Crucifixo prostratus 1 Gratiae agendae pro beneficiis ea die acceptis. 2: Petendum lumen. 3 Serio discutienda conscientia de erratis ejus diei. 4: Elicienda tenerrimae charitatis contritio de peccatis. 5: Propositum melioris vitae in crastinum cum imposition sensibilis poenitentiae. Atque haec ad 5 vulnera Christi utilissime instituet. Altera, et sequentibus diebus omnia ut prima die, tum subjunges *cumputum Sacrum.* Ut hic n XXIV dictum. Hoc examen *generale* singulis Christianis quotidie utile, ante Confessionem vero

examen generale.

necessa-

neceſſarium eſt: *particulare* autem praeſentiſſimum medium eſt ad reducendos *habituatos*, et certo vitio aſvetos ; Sine *quo tales* vix emendantur. conf n IX cap XI. et paſſim ibi.

commendatur cunctis dicta recollectio ſpiritus.

XXVI. En itaque vobis amantiſſimi ! modum facilem , et expeditum, quo abſque ſolitudine clauſtrali, abſque negotiorum veſtrorum interruptione, in domibus veſtris ſine alio manuductore ſacram recollectionem ad animi veſtri munditiem, et fervoris renovationem inſtituere poteſtis , conceptaque in tali exercitio Spirituali pia veſtra propoſita urgere, vitia, et defectus veſtros penitus eradicare , virtuteſque animis veſtris implantare valetis. Nolite deinceps conqueri vobis libros , aut magiſtros ſpirituales, vel tempus, occaſionemque, deeſſe ad recollectionem ſpiritualem faciendam. Sola haec mea induſtria cuncta haec impedimenta, omnes veſtras excuſationes ſuſtulit , inaneſque eſſe oſtendit: ut adeo nili deinceps ſacro huic exercitio perfrequenter incubueritis , coram coelo, et terra, coram Angelis, et hominibus , coram ipſo meo, et veſtro diſtricto olim Judice Chriſto inexcuſabiles ſitis futuri. Eja ergo Fratres chariſſimi ! excuſſo antiquo torpore arripite modum facilem, quem vobis toto corde offero , renovandi Spiritum veſtrum: expurgate vetus fermentum malitiae, et nequitiae , ut ſitis nova conſperſio: induite novum hominem ſpiritualem , qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia , et ſanctitate veritatis. *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis : ait enim: tempore accepto exaudivi te, et in die ſalutis adjuvi te. Os noſtrum patet ad vos amantiſſimi, cor noſtrum dilatatum eſt !* Ex toto corde communico artem vobis auream, artem e magnae memoriae Joannis Cardinalis Bona opuſculis Spiritualibus exceptam: artem , qua exiguo tempore exſtirpatis vitiis , et defectibus animam veſtram renovare, omnibuſque virtutibus exornare poteſtis. Vae vobis, ſi quod ego ex ſtudio ſalutis veſtrae intenſiſſimo communico, id negligentia, et ſocordia veſtra in damnationem, et perditionem veſtram ceſſerit non utendo. Quod avertat miſericors Deus !

alterum medium aſſequendae ſanctitatis eſt FERVOR CHARITATIS. ad EUM varia incitamenta ſuggeruntur.

XXVII. Hac ratione expurgato veteri fermento induentes novum hominem in *Juſtitia* , et *Sanctitate* , modis omnibus ſatagamus , ut *haec per fervorem charitatis* continuae ſtabiliter conſervetur , atque in dies majoribus augeatur incrementis. Eum in finem ſubjungo varios *modos* , ſive praxes, et *incitamenta* fervoris charitatis ex diverſis Aſcetis apicularum inſtar in unum faſciculum collecta : ex quibus ſi mane unum faſciculum collecta: ex quibus ſi mane unum tantum menti tuae altius infixeris, atque per diem ſaepius ad id reflexeris, piis affectibus non carebis , fervoremque charitatis magnis incrementis feliciter augebis. Imo conſilium eſt, ſi experiaris *unam ſententiam* in anima tua peculiares cauſſare charitatis affectus, *eidem* altera quoque, quin pluribus diebus tamdiu inſiſtere, donec illo velut pabulo ignis charitatis probe nutriatur , tentationum inſultus praeſocentur , et mens Deo affixa maneat. Scio homines, qui uni ponderoſo affectui exempli gratia : *Deus propitius eſto mihi peccatori ! O dulcis JESU propter te ex toto corde amo te! Da mihi cor tuum dulciſſime JESU! accipe cor meum, ut tuo te amore digne amare queam! Viri Ninivitae* Saeculares *ſurgent , et condemnabunt te.* &c pluribus ſeptimanis die, et nocte magno cum *affectu* charitatis inhaerent: *quo* ſenſim remiſſo, et quod humanum eſt, quaſi ſatietate accepta ad aliud *motivum* fervoris charitatis tranſeunt. En Exemplum : Angelus cecidit in coelo, Adam in Paradiſo, Judas in Chriſti Collegio , Petrus in atrio, David in palatio,

Praxis inhaerendi.

exemplum praxis. charitatis ſtudioſus tutus in tentatione erit.

palatio, multi in clauſtro, plures in ſaeculo. Quis modo tutus erit? Reſpondeo: Charitatis Dei ſtudioſus Servatore atteſtante: *Qui diligit me, mandata mea ſervabit.* Ex his prorumpes in affectus charitatis: *O Deus ego amo te. Tibi dono cor meum Dulciſſime JESU! malo mori, quam peccare.* Plures dedimus cap XIV not ad n VI. Atque aliquem ex his affectibus, qui te magis movebit, mente, et corde totis diebus, et noctibus fovebis, repetes, in ejus cogitatione laborabis, dormies, verbo omnia ages. Quod et in ſequentibus veritatibus obſervabis, et ſic vitam vere vives continuae affectuoſae charitatis, ſanctam, ac meritorum in coelo immenſorum feracem. conf cap XIV n XLIV cum not.

Ut verae hae *praxes*, et *incitamenta* charitatis tanto efficaciora ſint, eis inſpergemus paſſim. *Impedimenta:* quorum contraria ipſa ſunt fortiſſima incertiva Divini amoris. Sic dum teporem diſvadeo, fervorem commendo. Univerſim vero in his fere nullum ordinem ſervavi; Nam qui vere ſitit Dei charitatem, eam jam a caelo, jam a terra, quin et ab inferorum conſideratione mendicat, ut olim Patres in Limbo Salvatorem Clamantes: *Rorate CAELI! aperiatur TERRA! et germinet Salvatorem.* Si his rite uſus fueris, plura ex teipſo invenies. Ad rem.

XXVIII. *Incitamenta, impedimenta, et modi varii charitatis:* ſive *ſcintillae ad commovendum cor noſtrum* igne charitatis. Sap 2 v 2.

1. Tria genera *vocatorum*: alii vocantur *innocentes* e ſaeculo. Hi ſi gratiis Divinis reſponderint, magna cum aetitia ſpiritus vivunt, jugum Chriſti illis eſt ſvave, nec facile gravius labuntur: fiunt tamen tepidi, niſi continuo ſibi invigilent ignem charitatis continuo in corde fovendo. Alii vocantur in ſaeculo *gravius lapſi*, et hi vocantur *ad agendam poenitentiam.* hi continuo vim ſibi inferre debent, et ſic magni ſancti evadent: ſi autem rigoris pertaeſi in liberiorem vitam defluant, in priſtina, vel graviora delabuntur, et pereunt, profundiuſque cadent in infernum, quam ſi in ſaeculo manſiſſent. Alii ſunt, qui *dubie* in Saeculo *peccarunt.* Hi blandiuntur ſibi de innocentia; ſed ignorantia eorum fere eſt craſſa, culpalis, et ordinarie evadunt laxi, non curantes: ideo evomentur ex ore Dei. Tu ſcrutare conſcientiam tuam, ex quo horum genere ſis? ſi vel ſemel peccaſti, habes quod tot vita defleas, et fervore charitatis aſſiduae reparare ſtudeas. ergo

varii vocati: omnes fervori charitatis ſtudere debent

2. Sic *vive*, ſicut tu ab alio conſultus ſvaderes.

Sicut in morte vixiſſe te velles.

Sicut in die Judicii, in Purgatorio, in coelo, aut inferno velles: hoc eſt *vitam charitatis. dixi, nunc caepi! o dulcis Jeſu!*

quomodo vivendum?

3. Frivolae cauſſae excuſantium ſe a vita mortificata, et charitatis ſtudioſa refelluntur: 1 *Horror difficultatis.* R. multa apparent difficilia, quae non ſunt. 2 Potuerunt hi, et hae, cur non tu? Tenta rumpere difficultates: Caelum non obtinetur niſi vim tibi faciendo. 3. Cogita te meritum eſſe graviora. 4. Cito finis erit laboris tui, gloriae, aut ignis nunquam. Altera excuſatio *Horror vigilandi ſuper ſe.* R. Deus, qui dedit velle, dabit et perficere. 2. Quid dulcius, quam vigilando ſuper ſe Deo familiariſſime frui. 3. Omnis hic horror ex defectu perfectae reſolutionis oritur. Aude tentare, Fructus dulces capies charitatis! Tertia excuſatio eſt *Metus privandi ſe terrenis ſolatiis.* Reſp. Tu aeterna quaere ſolatia: Sufficiat tibi Jeſus tuus. Haec non ſunt, ſed apparent tantum

excuſationes a vita charitatis refelluntur.

tum ſolatia: animum occupare poſſunt, ſatiare non poſſunt. Quarta excuſatio *Metus diſplicendi aliis.* Reſp. Peccatores, laxos quid expaveſcis? hodie ſunt, et cras non comparent, nec ſe juvare poterunt. Tu Deum time, qui poteſt et corpus, et animam perdere in gehennam.

4. Eſt ſimpliciter impoſſibile, ut et hic vivam ſecundum genium meum, affluam deliciis, voluptatibus, honoribus, et olim caelo fruar. Aut ergo praeſentis, aut futurae vitae renunciandum eſt voluptatibus. Scriptum enim eſt: *qui amat aam ſuam, perdet eam: qui autem odit, in vitam aeternam cuſtodit eam.* Elige: momentaneas delicias aeternum vae, brevem mortificationem, ac vitam charitatis interminabilis gloria ſequetur. Vide, ne hic caelum tuum, amores tuos finias: amor creaturarum finietur cum vita: amor Dei manet in aeternum: *Charitas nunquam excidit.* *non potes duos caelos, duo gaudia habere.*

5. Ab aeterno nihil fui: actu in puncto in nihilum redirem, ſi me Dei potentia ſuſtentare deſineret. Deus ingratitudine mea provocatus poteſt permittere me, ut hoc momento graviter peccem, et illico mortuus in inferno ſepeliar. Ergo quod actu non ardeam in inferno, ſolius Dei miſerentis eſt beneficium. Deo debeo hanc vitam. Ei ergo reddam amando, ferventer illi tota vita ſerviendo. *toti Dei ſumus. go grati ſimus amando.*

6. Deus me peccatorem ideo vocavit ad hunc ſtatum, ut hic poenitentiam agam, eique amando ſerviam. Ergo jam ideo unice vivere debeo, ut aſſidua cordis compunctione peccata defleam ut mihi, et perverſae naturae meae vim inferam, Deo autem charitate perpetua inhaeream. *vocatus ſum ad poenitentiam, et amandum Deum.*

7. Illi jucundi eſſe poſſunt, ridere poſſunt, qui nunquam graviter Deum offenderunt. Mihi poſt tot peccata aut penitendum amoroſa cum contritione tota vita, aut ardendum in aeternum. Peccata mea ſcio, remiſſionem, dignam poenitentiam neſcio, nec ſcire tota vita valebo. Ergo ſemper in poenitentia vivere debeo, nec alia jucunditas, mihi relicta eſt, quam quae ex dulcibus lacrimis, et contritione charitate in Deum ardente in animam, ſenſuſque ipſos externos perſaepe derivatur cunctis mundi gaudiis potiór. *quale gaudium quaerendum in vita?*

8 Multi actu ardent in inferno, qui minus me peccarunt, et magis doluerunt, ſincerius confeſſi ſunt. Quid ego expectare poſſum, niſi de ſeria mortificatione paſſionum deliberem? *paſſiones eradicandae charitate Dei.*

9. Ego ſum prodigium miſericordiae Divinae! ubi eſſem, ſi me Deus poſt primum peccatum damnaſſet? clamabat caelum, terra, infernus, ſcelera mea juſtitiam. Deus tamen mihi hactenus pepercit prae tot aliis, ut ego amorem teſter. Ubi ergo gratitudo mea? ubi poenitentia, quando tandem incipies anima mea? vide, ne abutaris patientia Dei, et fias prodigium juſtitiae Divinae! *Ego ſum prodigium miſericordiae Divinae.*

10. Non diu ſervire, ſed ferventer Deo ſervire coram Deo Laudi eſt. Puer centum annorum mori poteris, vel conſummatus in brevi explere tempora multa aliorum tepidorum. Anima mea! non diu laborabimus, affligemur. Brevi finis erit laboris, finis lacrimarum, ſed gloriae in coelis finis erit nunquam! ego jam non diu vivam: ergo quod ſupereſt vitae Deo conſecratum volo. Vixi olim mundo, carni, ſangvini, vivam jam Deo meo in fervore charitatis. Quid quid agant alii, ego ad tumulum uſque fervebo: aſpira o Deus! *Brevi finis erit. go fervendum charitate.*

11. Via ad caelum unica eſt pati. ideo veni. Si voluiſſem commoditates, in ſaeculo manſiſſem. Multa paſſi ſunt tot *via ad caelum pati.*

innocentes, cur non ego sceleratus? Pati ergo, aut mori. Si passus fuero, meum est regnum caelorum: si autem plura patiendo impar fuero, tunc patiendo moriar, et eo ipso meum est caelum.

Dei Sum. ei servire per amorem debeo.

12. Ego jam non sum meus, sed Dei: vitam meam, animam, corpus, omnes sensus externos, et internos Deo consecravi. Res Dei sum totus, et nihil in me est meum. ergo totum me Dei amori, et servitio impendere debeo! quod suum est, Deus jure a me postulat.

Sollicitum esse oportet de salute ppria.

13. Heu quam gravem prae lajcis habiturus sum infernum, si post tantas a Deo concessas gratias, damnari me contigerit. Anima mea! aeternitatem attende! de salute tua solicita esto. Si tu de tua salute solicitus non fueris, alter non erit tui. Mihi Deus hanc animam dedit, eam a me requiret. Amando me reddo Deo totum.

et proximorum.

14. Finis vocationis nostrae est propria, et proximorum salus: ex ea pendet nostra, et multorum aliorum salus. Ergo eam ut animam nostram aestimare, bonisque operibus certam reddere debemus. Christum ipsum apud Joannem cap. 10 v 17 ideo dilexit Pater, quia animam suam positurus erat pro hominum salute. Non speret Ecclesiasticus amorem Dei, nisi vitam suam paratus sit pro animabus proximorum ponere. Non speret propriam salutem, nisi animarum lucra laboribus suis obtenta, et in coelum praemissa numeret. Vir Ecclesiasticus solus salvari non potest, sed cum multis spoliis animarum orco ereptis debet intrare in regnum caelorum.

caussa ruinae multorum est neglectus charitatis.

15. Caussa unica, cur multi Deo devoti, et Sacri viri in peccatum mortale, et damnationem incidant, est non debitus horror venialium, et diminutio fervoris charitatis. Nemo repente fit pessimus: Nemo prius nisi venialiter peccat, inde diminuto fervore charitatis peccatum mortale sequitur, inde damnatio. Proh! quoties viva Dei Templa Religiosarum animarum per neglecta peccata venialia, et imminutionem fervidae charitatis tandem versa sunt in receptacula daemoniorum!

veniale quomodo disponat ad mortale?

16. Veniale disponit ad mortale 1 Minuendo charitatem, adeoque reddendo hominem debiliorem ad resistendum, et quodammodo exiccando fontem bonitatis, et misericordiae Divinae. Inde 2 Causando ariditatem, et desolationem spiritus. 3 Privando in paenam gratiis efficacibus, quas Deus ut nulli tenetur, ita tepidis, et contemptoribus his non dat. 4 Quod periculosissimum est, inducendo in animam per actus voluntarie vitiosos habitus pravos, et peccandi facilitatem, qua voluntas induratur, intellectus excaecatur, ac in mortale praecipitatur.

antidotum contra peccatum.

17. Antidotum ad peccatum, et pravos habitus edomandos sunt 1 Sincera detestatio peccati. 2 Ardentissimus amor Dei. 3 Purissima intentio omnia ad Dei gloriam referendi. 4: Diligens sensuum custodia. 5: Memoria novissimorum.

aeternitas verus Judex.

18. In porta aeternitatis constituti recte sentire incipiunt etiam deliciis mundi antea immersi. Tu fac modo, quae moriens facta fuisse voles.

Signa verae vocationis.

19. Signa vaere vocationis Divinae sunt 1: Timor, ne a Deo puniaris, nisi id quod suggeritur, facias. 2: Tristitia, quod instinctui resistas, et nolis carnis commoda, ac sensualitatem relinquere. 3: Si cogitans ea, quae in illo statu sunt (ad quem vocaris) gaudium sentis, et desiderium ideo, quia ibi sancte vivitur. 4: Displicentia praesentis, et aliorum statuum: hujus amor, et spes in eo sancte moriendi.

20. In eo ſtatu vivendum, in quo poſſimus de praeteritis agere poenitentiam. 2: In praeſenti obtinere gratiam. 3: In futuro ſperare gloriam. *in quo ſtatu vivendum?*

21. Aut moriendum tibi, aut fervendum ſpiritu. Fervebant olim in te vitia, nunc ferveat amor Dei. Quid eſt vita ſine fervore ſpiritus, niſi mors lenta animae? non deſponde animo, ſola generoſa reſolutione opus eſt. Dixi nunc caepi. Sed incipe ferventer, continua perſeveranter. Non te fragilitas tua, non effraenis concupiſcentia terreat a vera poenitentia. Exſpectat te Deus. daemonis eſt terrere, Dei adjuvare, conſolari: ubi abundat delictum, ſuperabundat et gratia. Cogita Magdalenam, Petrum, Auguſtinum, et tot alios Sanctos Poenitentes. *animatio ad fervorem.*

22. Motiva ad quotidianum fervorem, et Poenitentiam. 1. Qui me vocavit, etiam adjuvabit. 2. Quis, unde, ad quid veniſti? Serio cogita. 3. Seculares, negotiatores, aulici quanta patiuntur pro mundo, cur tu nihil pro Deo, pro caelo, pro felici aeternitate? 4. Meretur Deus. Brevi erit finis laborum, ſed praemiorum finis erit nunquam. 5. Inanitas rerum mundanarum, horror futurorum. 6 Peccaſti? ergo aut poenitendum, aut aeternum ardendum. 7. Arcta via eſt, quae ducit ad vitam, et pauci ſunt, qui inveniant eam. Tu vive cum paucis, ut ſis inter paucos electos. *motiva ad fervorem.*

23. Vocati ſumus tanquam operarii in vineam, tanquam negotiatores ad menſam, tanquam pugiles ad arenam: ut omni actione, cogitatione, momento Deum ipſum mereamur amando. *ad quid vocati?*

24. Niſi ego *ſancte* vixero, terram, locum, beneficium *Sanctorum occupans hypocrita* ſum, et prae lajcis longe majus judicium metuere debeo: nam cui plus datum eſt, plus repetetur ab eo. *aut ſanctus, aut hipocrita.*

25. Sine vera mortificatione, ſine vero charitatis fervore nec momento ſum tutus de mea ſalute. Nam ſtatus Eccleſiaſticus requirit homines ſibi mortuos, mundo Crucifixos, Chriſto ſimiles exemplo Pauli clamantis: *imitatores mei eſte, ſicut ego Jeſu Chriſti.* Niſi lingvam, et gulam refrenavero, vana eſt mea Religio. *ſtatus Sacerdotalis quales requirat?*

26. Caelare conſcientiam Patri Spirituali primus lapis eſt aedificii diabolici. *caelare conſcientiam diabolicum.*

27. Media evitandi peccata 1. Qui Deus dedit velle, qui vocavit, etiam juvabit, fiducia in auxiliis congruis. 2: Ardens amor Dei. 3: Sincera peccati deteſtatio. 4: Ad quid veniſti? cur ſaeculum reliquiſti? 5: Inanitas praeſentium; aeternitas futurorum. 6. Generoſa reſolutio: meretur Deus, brevi finis erit laborum. 7: Quid non praeſtant ſaeculares pro bonis tranſitoriis, et tu pro aeternis minus praeſtabis? o pudor! o dolor! *media evitandi peccata.*

28. Grandis dignitas Eccleſiaſticorum grandem requirit obligationem tendendi ad perfectionem, intimamque cum Deo conjunctionem. Grandia munera gratiarum. Grandia praemia in caelis, vel grandia tormenta in inferno. Omnia grandia in Eccleſiaſtico, nihil mediocre. *omnia grandia in Sacerdote.*

29. Omnis inſpiratio bona eſt pretium ſangvis Chriſti, omnis boni agendi occaſſio eſt periculum aeterni interitus. ergo nulla negligenda. *vigilandum ad inſpirationes, et occaſiones bonorum operum.*

30. Spiritualia, orationes, omnes functiones peragendae ſunt 1: Cum vigore Spiritus. 2: cum reflexione. 3: cum ardenti applicatione. 4: Cum pura Deum laudandi intentione. Secus hipocrita ſum, fruſtra terram Sanctorum occupo, judicium meum augeo. *actiones omnes quomodo agendae?*

31. Pru-

Fructus bonorum operum.

31. Fructus bonorum operum: Numerantur paſſus noſtri, ſuſpiria aureo notantur caractere, guſtum facimus divino palatui, oblectamus Majeſtatem Divinam omni bono opere, et victoria noſtri. go nulla boni occaſio negligenda.

Tenemur imitari Chriſtum.

31. Qui vult eſſe de Miniſtris Chriſti, et non ſequitur Chriſtum, et hunc Crucifixum, Eccleſiam, et animam ſuam decipit.

quis miles Chriſti, quis amicus?

33. Fuga vitiorum, et virtutum exercitatio duo ſunt, quae ſtrenuum Chriſti militem efficiunt: charitas vero amicum ejus. *Ego diligentes me diligo.*

Orationis aſſiduae neceſſitas.

34. Oratio aſſidua neceſſaria: quia aſſidue inter hoſtes verſamur, aſſidue auxilio gratiae egemus, nec eſt momentum temporis, quo ſi a Deo deſeramur, perire nequeamus. ergo ſemper miſericordia Dei nobis eſt neceſſaria, et humilibus precibus imploranda. Amplius dico: Diabolus non poteſt tentare eum, qui recte orat, ſed debet prius tentare, ut ommittat, aut non debite oret, ut poſſit in aliis tentare. Ergo oratio aſſidua neceſſaria eſt iis potiſſimum, quorum vires per paſſiones attritae ſunt ad reſiſtendum tentationibus, ad perpetuam mortificationem, et obſervantiam legum. Qui niſi vires ab oratione hauſerint ad corraborandam animam, ſuccumbent procul dubio, miſererequeperibunt.

in minimis maximum.

35. Magnum quid eſt in minimis actionibus recte peragendis. Deus enim non tam attendit quid, quam qua intentione, qua applicatione peragatur? ut Vidua Evangelica duobus obulis ſuperavit divites, ita qui minimas actiones fervore ſingulari peragunt, ad haeroica facinora aſpirantibus antecellunt. *Vulneraſti cor meum in UNO CRINE tuo.*

dies Sancta.

36. Quae virtutes aſſidue exercendae? Reſp dolor de peccatis eliciendus per preces jaculatorias 1 Mane ſurgendo. 2 In meditatione. 3. Sub ſacro. 4 Sub lectione ſpirituali. 5 meredie. 6 veſperi. 7 per diem ſaepe. 2: Poenitentia exterior: moderata aliqua omni die. 3 mane poſt ſex horarum quietem ſurgere generoſe, cum fervore intentionem facere. 4 Preces, ac Sacrum ita abſolvere, ac ſi haec dies eſſet ultima. 5 in prandio gulam refraenare, non niſi certum numerum 5, vel ſex ciborum guſtare, media vini contentum eſſe. 6 Extra prandium, et caenam nihil unquam deguſtare. 7 Aeſtimare vocationem, et ſecundum eam vivere. 8 Refraenare lingvam, et ſine neceſſitate non loqui, et tunc etiam circumſpecte, ſine detractione, aliorum laeſione. 9 Curam minimorum accuratam habere. 10 Omnibus, actionibus ſuis attendere, et ſuper cogitationes ſuas reflectere, easque moderari. 11 Divinae providentiae ſe committere: illi curae ſum, ille faciat, ordinet, ille de me, et meis ſollicitus ſit!

tres lapides angulares vitae Spiritualis.

37. Lapides angulares, et fundamentales, ſive principia Vitae Spiritualis. 1 Refraenare gulam in cibo, et potu, ita ut tantum pro neceſſitate vitae ſumas. quod enim plus et ultra neceſſitatem ingeris, eſt carnalitas, et fomes libidinis. 2 Refraenare lingvam, ut tantum in neceſſitate loquaris abſque alterius laeſione, detractione, ſine tui laude. 3 Refraenare ſomnum, ut ultra ſex horas non dormias, et promptiſſime mane ſurgas, mente mox ad Deum elevata ita incipias diem, aci illa eſſes moriturus.

cognitio ſui fons humilitatis.

38. Humilitas oritur ex cognitione ſui. Ergo conſidera 1: Quid fuiſti? nihilum. Miſericordiae Dei debes tuum eſſe. eſto gratus. vide, quia ingratum caput poteſt Deus in momento in nihilum redigere, aut peccantem in orcum praecipitare. 2. Quid es? ex te nihil. Gratiae debes, quidquid es. Vide, in corpore quam ſordidus, quoad animam quantus peccator? quot paſſionibus

onibus obnoxius! quanto major es, tanto majoribus gratiis opus habes, et tic ſemper egentior es. Quid ſis, docent quotidiana fragilitatis tuae exempla. 3. Reſpectu aliorum: quot ſunt relicti in ſuo nihilo, qui te meliores futuri erant. Quot te meliores iis, quibus tu adminiculis gaudes, ſunt deſtituti? quot ſunt meliores, qui tibi ſunt ſimiles aetate, ſtatu, conditione? Humilitas eſt canalis gratiarum Dei in animas noſtras defluentium.

media tuendae caſtitatis.

39. Media tuendae caſtitatis 1: minimas etiam cogitationes ubi ſe ſe inſinuant, aut ingerunt, illico ut prunam ardentem, aut ſerpentem excutias. 2. Nullam cum quocunque particularem familiaritatem, aut amicitiam nutrias. 3. Pro tuenda caſtitate intimam cum Deo familiaritatem, et amorem anhela, totiſque viribus per frequentiſſimos charitatis actus aſſequi conare. 4. Tactum cujuslibet perſonae etiam honeſtum evita. 5. Satage omnes ſenſus tuos externos, et internos cuſtodire ab omnibus iis, quae ineptas cogitationes cauſare poſſent. 6. Verbum puritati contrarium nunquam profer, nec audire ſuſtine. 7. Non facile de forma, venuſtate, aliiſque corporis dotibus cujuſcunque demum ſermonem miſce. 8. Privatim eam ſerva decentiam, quaſi ſemper in conſpectu Virorum gravium eſſes, ſicut es reipſa ſemper in conſpectu Dei omnia videntis. 9. Eas fove cogitationes, quas non te puderet coram viris honeſtis mox promere, et palam eloqui. 10. Nunquam ita te in cibum effundas, quin mentem pia aliqua meditatione paſcas. 11. A nimia repletione te coerce. 12. Cibos, et potus caſtitati inimicos devita. 13. Semper cum reflexione operare, et cogita: animum vagum identidem recollige. 14. In tentatione excute ut viperam ſinu tuo cogitationem: Confuge ad Crucifixum, Virginem Sanctiſſimam: mentem inferni, et aeternitatis cogitatione occupa. Mente totus ad Divina converſus identidem corde ingemina: Ne ſinas oh dulcis JESU! ut ego te offendam! Succurre o Virgo Sanctiſſima! malo mori, quam peccare! abrenuncio libertati ad peccandum. Conf. cap IX not ad n XXVIII.

principia novitiorum.

40. Principia Novitiorum (a) 1: Ego veni, ut ſtatus me probet, et ego ſtatum probar me ſtatus, an vires, talentaque apta habeam? an ſciam illa excolere? ergo menti, et intentioni Eccleſiae me in omnibus conformare debeo. Sed et ipſe probare debeo ſtatus mei onera, an iis ferendis par ſim? an leges ejus exacte ſervare poſſim? ergo paratus eſſe debeo ad cuncta adverſa invicto animo ſuſtinenda, etſi ad ignem mitterer: id tantum rogare, ne dimittar, et in paterno ſuperiorum affectu conſerver. 2. In Tyrocinio eſt tempus virtutum ſolidarum comparandarum. Niſi nunc eas animo implantavero, coram mundo, et Caelo inexcuſabilis ero; cum tam pretioſam occaſionem habuerim. Modo eſt tempus aquirendae virtutis, in cura animarum erit exercendae. 3. Quid quid ad perfectam legum ſtatus mei obſervantiam pertinet, ſcire, et in uſum deducere debeo, ut per earum obſervantiam probem me virum probe Eccleſiaſticum. ergo non ut hactenus ex impetu, et naturaliter, ſed ad legem, et ſecundum ſtatus mei ſpiritum, ac intentionem vivere debeo ſemper prae oculis habens: *Quomodo hoc meus JESUS faceret?* quid de hoc Leges ſtatus mei volunt?

in quo ſita ſit perfectio ſpiritualis.

41. Perfectio Spiritualis in eo conſiſtit, ut actiones noſtrae tam Sacrae, quam profanae, tam magnae, quam minimae *per puram intentionem*, et *Charit. Sacrm.* arden-

(a) Omnis autem vel 100 annorum novitius eſt in ſtatu, ad quem ſe non exacte paravit.

ardentem applicationem vim, vigoremque habeant, *et animentur vera Dei* charitate identidem mente saltem cogitando: *Propter Te Domine! amor tui* o Deus! hoc nisi fiat, *frustra terram Sanctorum occupo*, hipocrita sum, gravius mihi judicium reddo. *Haec est voluntas Dei Sanctificatio vestra.* ergo volo Deo ferventer, et Sancte servire, ac pie mori, hoc promisi statum assumendo, jam retro cedere non licet. Status hic requirit homines mundo mortuos, passionibus, et amori proprio Crucifixos. Aliter jam debeo vivere, ac in Saeculo vixi, quia vita spiritualis est inversus mundus: Sapientia mundi est stultitia coram Deo. ergo aliter loqui, aliter cogitare debeo.

stimuli ad eam consectandam.

42. Si modo me non immutavero, nunquam immutabo. Tot alii immutarunt cum gratia Dei, cur non ego? anima mea! quid agis? quid differs? quid tibi blandiris? toties a Deo praeventa, excitata, nisi cooperaris, severam rationem reddes.

ad patiendum venisti.

43. Fruitus sum saeculi vitiis, et deliciis. Heu pudor! veni ad hunc statum, ut patiar: in anima, in corpore: a Superioribus, aequalibus, inferioribus: innocens accuser, reprehendar, mortificer, castiger, abjiciar, negligar, Meretur. Deus, coelum, pristina peccata mea, Nihil sunt, quae patior respectu aeternitatis.

quid agendum Viro Spirituali?

44. Vir spiritualis semper fugiat otium aliquid utile continuo operando, fugiat simulationem: Resolvat se ad omnem possibilem Sanctitatem statui suo competentem. Omnia agat cum fervore, cum diligentia, ac si post illum actum moriturus. Desideret pati, confundi, nec nisi Christo in Eucharistia, et Beatae Virgini conqueri velit. Omnia silentio patienti sustineat. Omne studium ejus debet occupari in extirpandis passionibus, abnegatione propriae voluntatis, et in intimo cum Deo familia itatis conatu.

Duae alae perfectionis Sacerdotalis.

45. Duabus aliis niti debemus ad perfectionem, scientia, et virtute: sine virtute nostram, sine scientia animas curae nostrae credendas perdemus. par ergo sit in utroque confectando industria.

Temporis pretium.

46. Tempus ut animam tuam aestima. Tempus Deum valet: nam in tempore bene impenso comparatur Deus. Otiosos, lusores, garrientes in angulis ut pestes devita.

quid agendum ante labores?

47. Dum ad scribendum, vel legendum te accingis, dic animo: quot *voces, litteras, apices lego, scribo, tot sint amoris tui, o Deus! argumenta: tot dissensus omnibus peccatis indicia!*

semper.

48. Omnem diem ita inchoa, omnes actiones ita age, quasi prima esset conversionis, aut ultima sit vitae tuae. Illud semper auribus tuis inclamari existima: *Vince te ipsum. Principiis obsta. tantum proficies, quantam tibi vim intuleris. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* 2. Semper haec animo revolve: *O Dulcis JESU! offero tibi cor meum in holocaustum! ne sinas, ut ego offendam te. Omni momento malo mori, quam te offendam. Hujus propositi signa sint omnes actiones, cum tota vita mea!*

cura superbia sit licita.

49. Major es, quam ut carni, et sanguini servias In hoc solo superbus esto. Contemne ut te indignas omnes noxias cupiditates, omnesque passiones una haeroica resolutione a te in perpetuum abjice. Malas incidentias sperne. Quo? unde veniant? quid velint? non examina, contemne tantum, et vicisti. Praevias mentis, aut carnis subtiles titillationes quasi praecursores graviorum in herba succide, et modo dictis jaculatoriis precibus praefoca: secus in graves tempestates tentationum excrescent. Hic oro principiis obsta.

in ipsa tentatione quid agendum.

50. Si tamen tibi invito faeda cogitatio illabatur, in ipso tentatione ne sis anxius, timidus: non nocet sensus, nisi adsit consensus. Mentem avertere, non reflectere, non velle consentire vicisti est

Cru-

Crucifixum, noviſſima, aeternitatem tunc cogita. Omnia age conſiderate, et cum reflexione. Sic praevidebis, et praevertes tentationem in herba ſuffocando. Divinae providentiae te totum committe. Crucifixo aperi afflictiones tuas, ab eoque opem, et ſolatium mendica. et impetrabis certo, non dubita.

obſervatio dictorum ardua quomodo miteſcit.

51. Non dices arduam eſſe horum obſervantiam: miteſcunt enim omnia aeternitatem conſideranti, propria ſua peccata cum dolore revolventi, vel maxime Deum amanti. Non vales ſangvineas flagellationes uſurpare? poteris haec cumm majori fructu obſervare. Molles animi non ſunt apti virtuti, quae in arduo ponta eſt. Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

mulier plus quam Daemon fugienda.

52. Serium propoſitum: *Mallem occurere daemoni, quam mulieri.* quia ille terret, haec ad peccatum allicit. S. Ignatius.

Totus Chriſti ſum. opera mea ei conſecrare debeo.

53. Emptus ſum pretio magno ſangvine nempe Jeſu Chriſti: ergo non ſum meus, ſed Chriſti. ergo omnia opera mea, actiones, cogitationes ejus honori, et gloriae offero, ut opera mea non ſint mea, ſed Chriſti: ejuſque meritis unita aeterno Patri ſint pro ſemper conſecrata. Hujus pacti mei memento o Deus! dum veneris judicare.

ſemper Deus amandus.

54. Sicut nullum eſt tempus, quo homo non utitur Dei miſericordia, ac bonitate, ita nullum eſſe debet, quo eum nobis praeſentem in memoria non habeamus, et ad eum inflammata mente precibus jaculatoriis quaſi aſſiduis igniculis non rapiamur.

modus lytaniaſ orandi.

55. Dum Lytanias oras, imaginare tibi aperiri caelum, teque eſſe in conſortio caeleſtis curiae. Vide quam arcenti affectu laudetur Deus a Sanctis ſuis. Illorum affectibus junge tuos. Adora Deum Patrem, Filium, Spiritum Sanctum omni poſſibili cum devotione: Beatam Virginem, et Sanctos, dum nominantur, corde venerare, et ut mendicus in conſpectu Dei peculiares cuivis Sanctorum virtutes mendica: Scilicet a B. Virgine caſtitatem, humilitatem, charitatem, felicem mortem: Ab Angelis, Patriarchis, et Prophetis cultum praeſentiae Divinae. Ab Apoſtolis Zelum animarum, et ſalutis propriae. A Martyribus conſtantiam in bonis propoſitis. A Pontificibus Verum Dei cultum, a Confeſſoribus in bono perſeverantiam, A Virginibus donum puritatis.

Hei mihi, quot nobis viae ad ſalutem! et tamen horum nihil nos a malo avertit. Sanctus Chriſoſtomus.

Cur poſt tot propoſita idem, ut ante ſumus?

56. *Cur factis tot piis propoſitis idem ut ante ſumus?* Reſp. 1 Quia eorum obliviſcimur. 2 Quia deeſt perfecta reſolutio. 3. Quia ſenſum in aliorum laxorum imitationem abimus. 4. quia non ſumus in charitate firmati, ideo omni vento paſſionum circumferimur.

quid faciendum novello?

57. *Quid faciendum novello?* R. 1. Vitae ſpiritualis principia hic a nro 40 quotidie relegat. 2. Odium ſui, rerum mundanarum contemptum concipiat, et conſervet. 3. Amet ſolitudinem, ibique cum JESU per orationem. et meditationem converſetur. 4. Aſſidue in animo verſet vitae brevitatem, commodorum corporis inanitatem, noviſſima. 5. Amorem ſanctae vocationis concipiat. 6 Cõnetur *ambulare coram*, et cum Deo per preces jaculatorias, advertendo ſaepe ad ejus praeſentiam. 7. Sepiat aures ſuas contra inutilia, et noxia colloquia: faciat cum oculis ſuis pactum, ne videat vanitatem: ponat ori cuſtodiam, ne quid indigne loquatur. 8. Nulli rei creatae ſpeciali affectu adhaereat. Solius Dei beneplacitum cordi ſit. 9 Temporis rationem habeat, non fortuito laboret, ſed horas diei apte diſtribuat. 10. Cuncta ſua opera charitate animare ſatagat.

Quomodo Spiritus diſſipatur?

58. *Quomodo ſpiritus facile diſſipatur?* Reſp. per colloquia mundana, et noxia, ſicut per pia colligitur. 2. per aſpectum liberiorem.

beriorem. 3. Per nimiam cum saecularibus, et laxis conversationem. 4. Per affectum ad res creatas. 5. Per peccatum veniale. 6. Per remissam charitatem. Sicut hac ardente fervor omnium virtutum inflammatur.

cur difficulter resurgitur a tepore?

59. *Cur tam difficulter resurgitur a tepore?* Resp: Quia Deus ingratitudine irritatus uberiores efficaces gratias denegat, aut non nisi petitus, instanter rogatus concedit. quod tepidi non faciunt.

quomodo fervor in nobis excitandus?

60. *Quomodo fervor in nobis excitandus?* Resp actibus Fidei, Spei, Charitatis, viva Fide praesentiae Divinae: ita age re, quasi hic actus pietatis ultimus sit. Humilia te, ora, insta, conare, aderit Deus.

praxis missae audiendae, vel celebrandae.

61. *Praxis audiendi, vel celebrandi Missam* brevissime, et tamen fructuose 1. Audito pulsu sac intentionem tam devote celebrandi missam, quasi haec tibi ultima foret. Elicitis actibus Fidei, Spei, charitatis, doloris de peccatis perge ad Ecclesiam quasi ad Montem Calvariae ires mortem Christi contempl turus. 2. In offertorio cum hostia offer cor tuum in holocaustum Deo. 3. Ad memento commenda animam tuam Sangvini Christi, ut per eum mundetur, et dealbetur: Lateri Christi Ecclesiam, Capiti Pontificem, Antistites, Reges, Superiores: manui dextrae amicos, Parentes, cognatos, Benefactores: sinistrae inimicos, qui te odio habuerunt. Pedi dextro personas, et negotia tibi cummendata: sinistro omnes peccatores, Ethnicos, haereticos. Cruci Sacerdotes, Religiosos, ut crucem suam meritorie ferant. 3. In elevatione adora morientem in cruce tui caussa Deum. Sangvinem decidnum collige, pete gratias nunquam Deum offendendi, et gratiam finalem. sequuntur ad communionem actus Fidei, Spei Charitatis. 4. Videndum quid te a communione impediret? Dole ex intimo corde. 5 Considera: quis? ad quem accedis?. cur? et tanto fervore communica, vel eum Sacerdote communicare desidera, quasi ultimum viaticum sumeres. Conf cap XII a n XXX usque ad finem. c XIII a n II usque ad VIII.

Lectionis Spiritualis necessitas.

62. Lectio Spiritualis est Soror Germana orationis. Quando oras, tu D o loqueris: quando legis, Deus tibi loquitur. In Sacris libris voluntas Dei continetur, ex illis intellectus in bono illuminatur, voluntas inflammatur. Cur ergo tam parvus fructus

Cur tam parvus ex ea fructus?

ex sacra Lectione? quia hunc animae cibum non masticamus, in stomachum memoriae non demittimus, contenti perlegisse ut sciamus, non ut faciamus. Tales similes sunt homini mensae apparatissimae assidenti, et solo odore ciborum se reficere volenti, nihil degustanti, et in stomachum demittenti, ideo in fame summa permanenti. Anima mea! masticemus, ruminemus cibum Spiritualem: nam et ovis si non ruminat, non pingvescit. Quomodo ergo legendum? 1. Constitue te in conspectu Dei 2. Abjice omnes alias curas, 3. Considera quis, quid, cur legas? 4. Elicito dolore de peccatis invoca Spiritum Sanctum, ut viam salutis te doceat. 5. Attente lege: dum plene sensus finitur, tum subsiste idemtidem, considera, et tibi applica. 6. Per preces jaculatorias Deum praesentem adora: quae voluntatem magis movent, identidem repete, aut in chartam conjice. hoc maxime juvat. 7. Fac proposita, eaque per diem saepius repete. 8. Tolle impedimenta: somnum, curas alias, strepitum, mentis evagationem. *Motiva:* forte Deus huic lectioni salutem tuam affixit? forte hoc erit ultimum tuum bonum opus. Quomodo docebis alios, nisi tu prius practice didiceris? Stricta ratio Deo reddenda, nisi salutari hoc cibo ad animae tuae profectum utaris. Sanctus Thomas interrogatus, quomodo quis doctus evadere possit? Respondit: paucos libros legendo. sed legendo praemisso modo.

Praxis vitae legendi. impedimenta.

motiva.

63. *Matu-*

63. *Matutina fixo tempore accurata electo ſui poſt ſex horarum quietem excuſſio* Deo eſt chariſſima: ſoletque affixas habere congruas pro tota die gratias, et vigorem totius diei actionum. Sicut ex adverſo qui vel exiguo tempore ultra fixum tempus ſine neceſſitate ſtertit, daemoni Sacrificat, primamque ſuam diei actionem ei mancipat, ejus in hoc voluntatem exequendo. Plus eſt prompta ſurrectio decem diſciplinis: timere vero poſſumus, ne ſi primam hanc noſtri victoriam negligamus, neglecti a Deo turpiter labamur. *matutinae generoſae ſurrectionis neceſſitas.*

64. Inter pias cogitationes, et preces debite indutus, genuflexus, aut deambulans dic quinque Pater, et Ave cum pauſa. Ad 1 Gratias age pro beneficiis uſque ad hoc momentum acceptis. Ad 2 pete tibi revelari voluntatem Dei, illa die quid te velit facere? Ad 3 dirige actiones totius diei offerendo eas ad gloriam Dei, et ſalutem tuam. Ad 4 vide, quomodo te gerere debeas in variis occaſionibus ejus diei, et tentationibus: propone millies mori, quam peccare. Ad 5 uni cor tuum, et omnes actiones cum corde Chriſti, immola te totum Jeſu Tuo, ut omnes actiones tuae ſint actiones Chriſti, et meritis ejus unitae aeterno Patri oblatae. Pete gratiam non peccandi, ſerventis charitatis continuae, perſeverantiae, et beatam mortem. et haec ad quinque Vulnera Chriſti. hac non invenies meliorem intentionem matutinam. Conf cap XIV n IV cum not. *matutina intentio optima.*

65. *Impedimenta fervoris* in omni re Divina: ſenſus egens cura pungens, culpa mordens, et irruentia rerum corporearum phantaſmata. Haec tolle, et invenies pacem cum fervore charitatis. *impedimenta fervoris.*

66. *Induſtriae tollendi praedicta imped menta* 1. Ita omne opus age, quaſi hoc ultimum eſſet vitae tuae: vel 2. quaſi inde penderet ſalus tua. 3. Mature, graviter, affectuoſe, cum intentione charitatis. 4. in ariditate, et tentatione non cede, ſed fortius inſta cum humilitate, et Divinae voluntati te ſubjiciendo, retenta ſtudioſe ſerenitate mentis, ac modis omnibus cavens, ne in perplexitatem incidas. 5. Orationem tuam orationi, et meritis Chriſti uniens per manus Beatae Virginis offer aeterno Patri. 6. Praeſentiam Dei omnia ſcrutantis ſaepe in memoriam revoca, et adora. 7. Quanto aridior, et in tentatione miſerabilior es, tanto ardentius charitati Divinae inſta: haec enim inflammata mox tentationum ventos diſſipabit. *induſtriae ea tollendi.*

67. *Motiva ad Sacrum:* Plus apud Deum mereri poſſum una devota Miſſae celebratione, vel auditione, quam totius diei mortificatione. Nullo modo facilius aliquid a Deo impetrabis, quam per Sacrum. Ad Jeſum, ad Jeſum! o Dilecti Dei! Ecce nunc Jeſus meus pro peccatis meis Patri aaterno offertur! tantum valet ſacrum, quantum ſacrificium Crucis: Quia utrobique idem Chriſtus Patri aeterno offertur. Eſt maximus adorationis Divinae actus: Ad quem electi aſſidue aſpirant, reprobi vero miris excuſationibus ſeſe ſubducere adlaborant. *Praxis.* Ferreum propoſitum nunquam ſine maxima ratione ſacrum ommittendi: omni cum devotione celebrandi, vel audiendi. Pete unam ſcintillam a Beata Virgine, qua ipſa flagrabat erga ſuum dulcem Natum! *motiva ad Sacrum.*

68. *Induſtriae devote communicandi, et celebrandi* Praeter ea, quae h 61 dicta ſunt 1. Huc dirige omnia totius diei pietatis officia. 2. Veſperi ultima, et mane evigilanti prima ſit cogitatio devote celebrandi. 3. Mendica a Beata Virgine devotionem, et famem erga venerabile hoc Sacramentum. 4. Offer te Deo Euchariſtico ſaepius in die per manus Beatae Virginis. 5. Excita in te omnem *induſtriae devote celebrandi.*

poſſibilem fervorem per actus Fidei, Spei, charitatis, humilitatis, deſiderii. 6. Non ſinas te turbari a diabolo injectis ineptis cogitationibus conante turbare, et fructum impedire. 7. Contra diſtractiones liga cogitationes tuas cogitando praeſentiam Dei, magnitudinem miſterii, quod tibi forte ultimum erit: Oſae, et Judae interitum, ſi forte indigne tractares. Fige mentem verbis Miſſae totus intentus. 8. Uſque ad veſperas gratias age: a veſperi uſque ad craſtinam celebrationem te praepara. 9. Chriſti paſſionem in memoriam revoca, et illa cor tuum amore in Deum Euchariſticum inflamma. 10. In tentatione, ariditate, adverſitate recurre ad Euchariſtiam, commenda te, pete gratiam, Senties ſolatium. 11. Tranſiens ante Templum, vel tabernaculum intima devotione adora. 12. Aſveſce in Templo devotus eſſe, nunquam loqui ſine neceſſitate.

impedimenta devote communionis.

69. *Impedimenta devotae communionis* 1. Confeſſio non ſat doloroſa. 2. Auxietas animi, ſcrupuli, mentis perturbatio. 3. Libertas oculorum, et aliorum ſenſuum. 4. Neglectus bonorum inſtinctuum. 5. Peccata venialia fervorem charitatis extingventia. 6. exiguum deſiderium hujus panis caeleſtis. 7. defectus vivae fidei, ac potiſſimum ardentis charitatis erga Deum Euchariſticum.

Regulae menſae.

70. *Menſa, aliis peccatorum* cumulandorum, erit *tibi coronae parandae occaſio*, ſi Haec obſervaveris 1. Benedictio ſit accurata. Ad *Menſae Caeleſtis* deſidera caeli olim delicias. 2. Cogita te mendicum e manibus Caeleſtis Patris haec accipere. 3. Ferree propone, et obſerva, ad neceſſariam dumtaxat ſuſtentationem corporis, non ad voluptatem ſummere. Unde pretioſis, raris, delicatis tanquam libidinis fomentis abſtine. 4. Imaginare Chriſtum, et Angelum Cuſtodem tibi aſſidere, quibus gratificare melioribus bolis abſtinendo, caute tamen, ne hanc tuam devotionem alii advertant, et indiſciplinati irrideant. 5. Identidem mente cogita et edens, et abſtinens: *Propter te Domine, ad tuam gloriam!* Vere non ſum dignus Domine! hac tua gratia, cui mea tot peccata infernum pridem pararunt. Quot alii me longe meliores eſuriunt, et ſitiunt, et ego peccator! 6. Modeſtiae memor eſto: brachia non nimium diducas, bolos magnos, ſtrepitum ore, et cultro cave. Caput ne nimium inclines, nec feſtinando, nec moroſe tarde comedas. Bibiturus caput ne nimium attollas, poculum nunquam plene infundas, nec penitus uno hauſtu ebibas: crebrius potius bibes cum mortificatione, quam ſemel multum ad ſenſualitatem. 7. Dum adhuc ſentis te poſſe comedere, abrumpe. Natura enim brutalis vellet fomentum libidinis, quod ultra corporis ſuſtentationem appetit. 8. Nec primus incipe, nec ultimus deſine, niſi ſuperior ſis. 9. Si poſt prandium corpus grave ſit ita, ut ad ſtudia, et laborem poſt mediam horam aptum te non ſentias, ſignum eſt te ultra neceſſitatem comediſſe. Nam refectione exhilarari debet corpus, non obrui.

quantum comedendum?

ſignum, quod plus comederis.

modeſtia commendatur.

71. *Modeſtia eſt moderatio externarum* actionum, membrorum, totiuſque corporis: Eſt index internae virtutis, animique compoſiti, ſine qua omni virtute vacui cenſebimur. Nihil eſt potentius ad animos hominum flectendos ſvavi verborum lenitate, totiuſque hominis compoſitione. Ut fumus ignem, ita modeſtia ſanctitatem prodit. Nullum unquam Sanctum legimus immodeſtum. 2. Apud Saeculares omnis exiſtimatio Sacrorum Virorum pendet a modeſtia, et recte: nam inconditus corporis motus exigui profectus Spiritualis eſt argumentum. 3. Generale modeſtiae principium eſto: *Sic agam, quomodo meus JESUS hanc actionem faceret!* 4. Sanctus Franciſcus Seraphicus mode-

modeſte pergens per plateas facto concionabatur. Et ſane populus plus credit vitae Sanctioris exemplis, quam verbis: Solus aſpectus viri moderati, et modeſti magnam vulgo adfert conſolationem. 5. Si haec minima non obſervas, quomodo majora obſervabis? Vince teipſum: Conſvetudo conſvetudine vincitur: Aſpiciamus Matrem Sanctiſſimam: *Sic oculos, ſic illa manus, ſic ora ferebat.* 6. Modeſtia, humilitas, maturitas ſunt cognatae, et connexe virtutes. Contraria ſunt: aliorum contemptus, defectuum eorundem deriſio, levitas, geſticulationes, joci mordaces.

regulae modeſtiae.

capitis.

oculorum.

72. In particulari 1. caput teneatur rectum, ſine neceſſitate non moveatur, neque in latus dextrum, aut ſiniſtrum inflectatur. Non faſtuoſe erige cervicem, neque antrorſum multum inflectas, ut tibi gibbum cauſſes. Facto quocunque ſtrepitu non illico reſpice, eundo non gira undique caput quaſi omnia luſtrans. Audiens alium non annue capite, niſi ſit reipſa reſpondendum. Potiſſimum in loco orationis immotus ora Deum. 2. Oculi nec clauſi teneantur, neque in hanc, illamque partem girentur, ſed demiſſi ad terram ſint ad moderatum ſpatium, e. g. decem circiter paſſus. Errant illi vehementer, qui potiſſimum in publico omnia luſtrant, qui? et quales tranſeant? quales eorum veſtes? qualia occurrant aedificia? quid ad te? Heu quoties lamentati ſunt multi cum Pſalmiſta: *Oculus meus depraedatus eſt animam meam!* quoties caſu vulnerantur multi! quoties e fortuito viſu orta flammula in tentationum incendia excrevit! quot ſunt, qui dicere poſſint: ut *vidi perii, ſic me malus abſtulit error!* Faciant nos aliena pericula cautos. Fixum ſit nihil videre, quod non ſit neceſſitatis. In Templo oculi ad duos tres paſſus cohibendi, vel ara aſpicienda. optimum eſt orare clauſis oculis, aperta mente. nullus tunc ſtrepitus obſervandus, nunquam reſpiciendum. Errant etiam qui, intrando alienum cubiculum omnia perluſtrant, quid incola legat, quid ſcribat? His merito exprobratur: *manum ab arca, oculos a cartha* abſtine. Similiter immodeſti ſunt, qui aliis nictu oculorum ſigna dant: qui inſtar lunaticorum apertis ſemper oculis, et ore incedunt. Sanctus Ignatius Lojola viſo diabolo non fugit, viſo alio ſexu non ſtetit, ſed receſſit. Tu aeterna lege cave, ne oculos, aut vultum ejus, cum quo loqueris, aſpicias; id enim impudentiae, arrogantiae, et impuritatis ſignum eſt. Si cum alio ſexu loquendum ſit, terrae defixos tene oculos; ſi cum viro, pectus ejus aſpice. Serva oculos rebus ſacris videndis. Potiſſimum Sacerdos noli laedere oculos, quibus Sanctiſſimum Corpus Chriſti quotidie vides. Nunquam eſt abſque periculo caſtitatis, qui oculos non cuſtodit nam; naufragium caſtitatis eſt libertas aſpiciendi.

vultus.

3. Rugas aut nubes in fronte, et naſo contrahere eſt animi perturbati ſignum. Sit vultus placidus, tranquillus, frons pura, ſerena, nulla moroſa rugoſitate contracta.

labiorum.

4. Labia nec nimium comprimantur, nec diducantur: Illud enim impatientiae, hoc ſoliditatis eſt argumentum. alii ex inepta conſvetudine ore fere aperto ambulant. Huc ſpectat pelliculam labiorum non rodere, ungves non mordere, ſed clam cultello abſcindere: Labiis nullam figuram facere, os huc illuc non diducere: nulla impatientiae, contemptus, aut hujuſmodi affectus ſigna dare.

oris.

5. loquendo ſyllabas non abſorbere, cibum ſine ſono, et ſtrepitu ſumere, juſculum non inflare, ſed expectare, ſi calidum ſit: non ſorbillare, buccas, aut os non nimium inflare, cibum non avide ingerere: Inter ſternutandum os avertere, aut ſtrophio tegere.

Ster-

risus.

Sternutanti bene precari: ad mensam aut omnino non exscreare, aut modestissime strosio excipere, vel pede in terra conterere. Inter oscitandum os Cruce signare. 6. Risus sit modestus, et moderatus, clamor, et cachinnus omnis vitetur. In omnis ita nos geramus, *sicut decet Sanctos* Sacerdotes. 7. Hilares potius in Domino simus, quam tristes. Non tamen excluditur tristitia *ex compunctione*, sed illa, quam diabolus caussat, ut hominem perturbet. Spiritus hic tristis exsiccat ossa, ad gravissima mala, et desperationem ipsam adducit. In hac tristitia confessarius consulendus, amicus invisendus. *Gaudete in Domino semper* gaudio illo, quod parit bona conscientia, ita tamen modeste, et graviter, ut non simus Moriones saecularium memores illius: *Nugae in ore saecularium Sunt nugae, in ore Sacerdotis blasphemiae.*

Hilares potius, quam tristes simus.

Spiritus Evangelii est ut Christum imitemur.

73. *Spiritus, finisque Evangelii* est *similitudo Christi*: ut nempe simus conformes imagini nobis in Christo a Patri Caelesti exhibitae, et pro exemplari propositae. Ideo ergo legendum Evangelium, ideo vivendum, ut Christum, ejusque virtutes, humilitatem, patientiam, castitatem, amorem, modestiam, etr imitemur, et in nobis exprimamus, ut invitat Salvator: *discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris.* Hic ergo debet esse totius vitae nostrae labor, et scopus.

perfectionis fundamentum progressus, et culmen.

74. Perfectionis Christianae, et similitudinis Christi initium, et fundamentum est humilitas: progressus duabus illis vocalis comprehensa patientia sustine, abstine: Culmen sincerus amor Dei, et proximi; ac plena *voluntatis* nostrae *ad Divinam conformatio.*

media contra malas incidentias.

75. Media contra *malas incidentias* 1: Oratio non vaga, non labialis, sed collecta, meditata, ex corde profecta. 2. Averte cogitationem quocunque alio, maxime ad Deum praesentem, videntem, infernum ardentem. 3. Excute ut serpentem sinu tuo. 4. *Magis intendere* ad id, quod agis, est positiva resistentia. 5. indirecte contemne potius, quam positive resistas. Illud enim facilius, et tutius est. 6. Displicentiam animo. non gestu exprime. Scito, quia *quamdiu displicet, meritum est, non peccatio.* 7. In tentatione animum ne desponde: *Fidelis enim est Deus, qui non patitur nos tentari ultra, quam possimus sustinere, sed faciet cum tentatione proventum.* Docet et Tridentinum, *a Deo nos non deseri, nisi prius a nobis deseratur.* Ergo magnis animis. magna cum fiducia orandus Deus: *Domine vim patior! Ne sinas o Dulcissime JESU! ut te offendam. Malo, discerpi a diabolo* poenitens, *quam peccare.* Vide hic n 5. 8. Remotas cogitationes, et insinuationes anteverte, et in scintilla suffoca, ne excrescant, et ex iis incendium difficile extingvendum fenstm oriatur. Principiis obsta. Haec saepius repeto, quia assidue necessaria. Quod et in aliis repetitis pro tua bonitate intellige.

modus Spiritualia solatia in vita habendi.

76. *Modus Spiritualia solatia in vita habendi, et gustum Spiritus aquirendi*: Si *temporalia* solatia contempseris, mereberis *Spiritualia*, et aeterna: neque enim *duo solatia* habere possumus, nec corpore delicate, atque ad omnem appetitum repleto custare caelestia licet: et ille solus speret nectar, et ambrosiam caeli, qui hic gustum suum saepe a licitis etiam voluptatibus privaverit, ne olim audiat: recepisti mercedem tuam. *Praxis.* corpus nutrire necessariis tantum, non infarcire: a cupediis, et delicateriis aeternum abstinere: gaudium tuum in caelum differre: nunquam ad plenam repletionem comedere, aut bibere. Sic sperare poteris illud: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua* Domine! si te hic non nimis satiaveris.

Omnis dies tibi sit ultima.

77. *Omnem crede diem tibi illuxisse Supremam*: Mane experrectus statue hodie ita vivere, quasi hodie moriturus. sic ora, sic meditare, sic celebres Sacrum, quasi post illud statim moriturus: quasi ultimum

timum tibi hoc foret: ideo instar viatici ferventissime communionem sume. Sic labora, quasi illico moriturus: sic modeste, et parce manduca, quasi hodie ad Coeli delicias invitatus: sic decumbe, quasi nunquam ex hoc lecto, et somno surrecturus. tenta haec, obsecro, et experieris fervorem Spiritus, compunctionem, ac solatium.

78 Injurias, dicta siniſtra, et omnes casus siniſtros patienter ferendi modus: cogita non hominem, qui tibi male fecit, sed Deum, qui patientiae, et meriti occasionem fecit. *Dominus praecepit Semei, ut malediceret David. Non est malum in Civitate, quod non fecit Dominus.* Indifferenter bona, et mala e manu Divinae providentiae accipe. Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos, et eritis Filii altissimi. Comprime ergo motus animi, et dic: *Propter te Domine! vide Domine*, et juva! *motiva patiendi adversa.*

79. *Orationis ferventis adminicula*: In conspectu Dei praesentis, videntis, et judicantis ita orare, quasi haec oratio ultima foret. Sequi spiritum internum *orationis*: hoc est: dum Psalmus petit, petere: dum gaudet gaudere: cum gemit gemere: idque ex animo, quasi oratio talis, quam dicis, a te primum modo composita esset. hoc et in Breviario, et in Missae sacrificio observa ad attentionem, fervorem, et compunctionem cordis excitandam, et conservandam. *orationis ferventis adminicula.*

80. *Martyrem fieri* sine sangvine: non solum effusio sangvinis in Martyrio reputatur, sed devotae quoque mentis servitus immaculata quotidianum est Martyrium. Sanctus Hieronimus. Parcitas in ubertate, largitas in paupertate, castitas in corporis vigore martyrium est sine sangvine. Sanctus Bernardus. Toties moritur quis, quoties appetitum, et voluntatem suam frangit. Sanctus Theodorus Studita. Scimus, quia in oculis Dei saepe majoris meriti est mortificari, quam mori. Richardus. Unde Sancta Theresia *poenitentes vivos martyres* appellat. Tales dicere possunt cum Apostolo: *quotidie morior.* Martyrium quo diutius, eo pretiosius est. Sed vita poenitens ex charitate est martyrium longissimum. Ergo hoc genus martyrii est nobilissimum, et illustrius martyrio sangvineo. Hoc modo omnes *martyres* esse debemus. quia *Martyrem fieri sine sangvine.*

81. *Via ad caelum* unica ex charitate *pati*. Hac ivit Christus, hac Mater ejus, hac tot miriades Martyrum. Hac omnes Sancti Confessores patiendo externas injurias, internas animi desolationes, aridităes, et status sui occurrentes quotidianas cruces. Hac et tibi eundum: non enim pingetur alia tibi via ad caelum, quam qua omnes Sancti praecesserunt: nec habere poteris duos caelos, duo gaudia, et hic in terra, et in caelo. ergo patiamur, ut potiamur. Fixum ergo est, omnia occurrentia aequanimiter tollerare, gaudia ad caelum differre. Patiar a Deo immissas ariditates, a diabolo caussatas tentationes generose resistendo: patiar in corpore labores, infirmitates! aeris intemperiem, frigus, aut calorem! in anima confusiones. Patiar a majoribus reprehensiones, ab aequalibus sugillationes, contradictiones. Pati, et mori da Deus tui amore, et exemplo Christi pati innocenter. *via ad coelum pati.*

82. Teste Cypriano *Christus orare nos docuit:* Fiat voluntas Dei. *Non ut Deus faciat, quod vult, sed ut nos facere possimus, quod Deus vult.* Quid igitur vult a nobis Deus? quae fecit Christus, et sunt sequentia omnium nostrum cordibus inscribenda velut compendium vitae, ac perfectionis christianae 1: Humilitas in conversatione. 2. Stabilitas in fide. 3. Verecundia in verbis. 4. In factis justitia. 5. In operibus misericordia. 6. In moribus *quae sit voluntas Dei?*

bus disciplina. 7. Injuriam facere non posse. 8. Factam tollerare. 9. Cum fratribus pacem tenere. 10. Deum toto corde diligere. 11. Amare in illo quod Pater est. 12. Timere quod Deus est. 13. Christo nihil praeponere, quia nec ille quidquam nobis praeposuit. 14. Charitati ejus inseparabiliter adhaerere. 15. Cruci ejus fortiter, ac fidenter assistere. 16. Quando de ejus nomine, et honore agitur, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur: in quaestione fiduciam, qua cum hoste congredimur: in morte perseverentiam, qua coronemur. Hoc est similem esse Christo, voluntatem Patris adimplere. Cyprian tract de orat Dom.

Amor Dei practicus.

83. *Amor Dei practicus*: vincere se in rebus difficilibus, in confusione, perferenda, in oculorum licentia, in lingua: elicere identidem rectam intentionem *Propter te Domine!* ardentes actus amoris Dei, immolationis sui: Officium suum exacte obire, reflexe ad actiones suas vivere, mane, et vesperi cor suum Deo offerre, idque saepe per diem renovare.

praxis vitae Sanctae.

84. *Praxis in vita communi Sancte* vivendi: non est magna vis ponenda in extraordinariis precibus, abstinentiis, aliisque raris actibus, sed in amore Dei, in cura minimorum, et in seria *mortificatione passionum* per contrarios virtutum actus, per continuum Dei amorem, sensuum custodiam, vitam reflexam. Est magna fraus daemonis, quando alicui jejunia, austeritates svadet, et ad murmura, impatientiam, suique officii neglectum interim excitat. sanctissimus ille est, non qui admiranda agit, patiturque, sed qui propriae voluntati prorsus renuncians Dei voluntati exacte paret. Hi mortui sunt, et vita eorum est abscondita cum Christo in Deo.

imago veri Sacerdotis.

85. *Verus Sacerdos* est humilis corde, compunctus interne, affabilis in sermone, parcus in cibo, et potu, fortis in adversis, modestus in oculis, gravis in incessu, Deum unum spirans, cogitans, loquens, amans, ejusque gloriam unice quaerens.

modus proficiendi assidue conando.

86. Tantum ad virtutem adjicies, quantum ex voluptate detraxeris; tantum proficies, quantam tibi vim intuleris. Illustre in hoc exemplum habemus in S Borromaeo; qui cum a teneris molliter fuisset educatus, quaedam sibi paulatim subtrahebat, seseque in parvis quotidie vincendo ad majores, durioresque virtutum exercitationes assidue connitebatur, asserens, *proprium esse invicti animi majora semper aggredi.* Ita teste Mellifluo *epist ad Garc*: *Justus nunquam arbitratur se comprehendisse: nunquam dicit satis est, sed semper esurit, et sitit justitiam ita, ut si semper viveret, semper justior esse contenderet.* Quod et Augustinus agnoscit serm 15 de verb Apost dicens: si dixeris, sufficit, peristi. Unde Job *justos* vocat *quasi effodientes thesaurum.* Hi tanto impensius laborant, quanto propius accedunt ad thesaurum: ita qui serio, ac strenue ad virtutem contendunt, quo caelesti hoc thesauro sunt proximiores, tanto magis sunt *spiritu ferventes. qui timet Deum, nihil negligit.* Qui autem post praeclara caepta intepescit, *evometur ex ore Dei.* Neque te infirmitate animae excusare vales: nihil enim tam arduum, quod Dei gratia efficere non valeamus Paulo attestante: *omnia possum in eo, qui me confortat.*

Tranquillitas mentis retinenda.

87. Tranquillitas animi, et pax mentis in omnibus retinenda. Nam ut sapienter Tullius: *conturbatus animus non est aptus ad exèquendum munus suum.* Unde de justo asserit Propheta: *factus est in pace locus ejus.* Perturbatio animi ex immoderato *sui amore* oritur. Si praeter Deum nihil quaereremus, perpetua pace frueremur: siquidem in illo reperire est, quidquid optabile Christiano est. Vis

tempe-

temporalia? *Jacta cogitatum in Dno, et ipse te enuntiet. Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem.* Metus, et spes saevissimi sunt tortores, qui animum quiescere non sinunt. Tu praeter Deum nihil quaere, ejus providentiae te totum subjice, et optata semper frueris pace.

88. In specie pax mentis retinenda est inter aridităates, et tentationes. Imo Jacobo Apostolo monente *omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideris.* Nam tentationes sunt signa electionis nostrae ad gloriam: Daemon enim non suos, sed Dei amicos impugnare consvevit; in hoc similis canibus, qui non *domesticos*, sed *extraneos* dumtaxat allatrant. Cum P Balthazar Alvarez S I vir summae virtutis variis de salute angoribus premeretur, tum D Theresia Divinitus accepit, eum in Sanctimonia vitae nulli viventium fuisse secundum. quid timeat tentatus? nisi suum consensum: diabolus Latrare potest, mordere non potest nisi volentem. *Fidelis est Deus, qui non patitur ultra nos tentari, quam possimus sustinere*: quin nobis gratiae Divinae cooperantibus *faciet cum tentatione provectum* virtutis. Ergo generose arripe media hic 75 praescripta. Optime Kempensis: *Tunc non est melius remedium, quam patientia, et abnegatio sui.* *etiam in tentationibus.*

89. Quin nec peccato admisso debes despondere animo, atque in perturbationem (qua morbus ingravesceret, atque in desperationem disponereris) incidere: verum animo imperturbato ad Deum convertere humiliter contestando, te millies gravius lapsurum fuisse, nisi gratia Dei suffultus fuisses. Ergo elicita omni possibili contritione, et proposito emendationis veniam suplex pete, et quamprimum confessus satisfacere Deo satage. Haec tantum a peccantibus in hac providentia misericordia Divina (quae eos abjicere poterat) exigit: qui his humano modo rite praestitis adhuc anxius, perplexusque est, is rem agit Deo displicentem, diabolo jucundam: ut enim aqua turbida captandis piscibus aptissima est; ita perturbatum animum infernalis piscator in sagenam suam persaepe praecipitat. *imo et admisso peccato,*

90. *Dum penes imaginem Crucifixi transis dic*: o Dulcis JESU misere mei! Domine Jesu! per illam amaritudinem, quam sustinuisti in cruce, miserere animae meae in egressu suo. *Ante venerabile*: adoro te dulcis JESU! perfectissimo cultu latriae sicut omnes Angeli adorant te hic, et in caelo, et adorabunt in omnem aeternitatem. Desidero te millies, mi Jesu quando venies, me de Te quando saties. Anima Christi sanctifica me. *Penes imaginem Beatae Virginis*, vel aliorum SS: Ave Maria! Monstra te esse Matrem. Mater Dei memento mei! Maria opitulare. Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, et in hora mortis nostrae Amen. O S Aloysi! vel Stanislae! etr amore Jesu, et Mariae impetra mihi castitatem! peccatorum veniam: juva me, ne unquam amplius Deum offendam. *Inter comedendum*: Propter te Domine! Propter gloriam tuam. Jesus, Maria, Joseph vobis dono cor, corpus, et animam meam. *Ad horologii sonum*: Maria Mater gratiae. Ave Maria. O Jesu propter Te ex toto corde amo te! et renovo omnes meas sanctas intentiones. *Per diem, dum tibi incidit, et Nocte dum evigilas, dic*: Da mihi cor tuum dulcissime Jesu! accipe cor meum, ut tuo Te amore ex toto corde amem Te. Suscipe Domine universam meam libertatem. O Deus ego amo te, nam prior tu amasti me. *In praesentia Feminae aut imminente tentationis occasione*: malo mori, a diabolo discerpi, quam peccare! Juva o Deus! tu vides necessitatem meam. Coram coelo, et terra protestor, quod non velim peccare. *Malus vir* *pii affectus pro variis circumstantiis*

Spiritualis eſt, qui ſingulis horis Deo, et Virgini Sanctiſſimae ſe non commendat per preces jaculatorias. Tu *conare omni* fere *momento*, aut ſaltem per horas ſaepius, dum tibi incidit, corde ingeminare: Credo, ſpero, amo, doleo de peccatis. O mors, o judicium, o aeternitas! abrenuncio libertati ad peccandum, et retineo ſolum libertatem ad amandum Deum! millies amo Te o Jeſu: omni momento malo mori, quam peccare! millies doleo de peccatis.

Verae devotionis eſſentia.

91. *Vera Devotio conſiſtit non in quibusdam* precibus, operibuſque externis, ſed in *amore Dei ferventi*. Sive *eſt vivacitas, et agilitas Spiritus* ad amorem Dei. *Ejus duo ſunt gradus*: *Communia* Dei, et Eccleſiae praecepta obſervare, ac *particulares ſtatus* ſui obligationes ad ungvem implere. Obſtacula ſunt 1. Animi levitas, et *inconſtantia* in bene caeptis. cui opponitur conſtantia, ut *non omittantur ſuſcepta, nec mutentur*, etiam in apparenter melius. 2. *Superſtitio quaedam*, dum impediti a ſuſceptis operibus triſtantur, animo dejiciuntur. Huic opponitur *Sancta libertas*, ut opera explerantur abſque deſiderio ſolatii, et guſtus ſpiritualis, et ſive infirmitate. ſive alia de cauſſa vera, et honeſta impediantur, *non turbentur*. Sufficit arborem devotionis alte radicatam eſſe, etſi folia, ac fructus a ventis agitentur. *Media*: actiones totius diei ita diſtribue ut illae ſint ſchalae Jacob, per quas Angeli ad caelum aſcendant, et deſcendant. Sit *fixum tempus* orationi, lectioni, Miſſae: Fixum corporis neceſſitatibus, fixum cum Deo, ſecum agendi. *Summa perfectio eſt communia, et ſpecialia ſtatus opera perfecte obire.*

obſtacula.

Oblivio mundi

92. *Oblivio mundi* neceſſaria eſt, ut quis liberetur a tentationibus, phantaſiis, imaginationibus veteris vitae, et quid quid te ab amore Dei abſtrahere poteſt. ab his igitur abſtrahendus animus, excutiendae ut ſcintillae tales cogitationes, animus transferendus ad coeleſtia, ſtatus perfectioni accomoda, ad Chriſtum, Sanctos, aeternitatem, infernum, hiſque tamdiu inhaerendum, donec prioris vitae, aut ſubreptitiae phantaſiae, quae te divexarat, cogitatio ceſſet, ſanctaque implantetur: Intellectus, memoria, imaginatio jugiter rerum ſacrarum meditatione implenda, et occupanda, ut diabolus nunquam te otioſum inveniat, ſpatiumque nugas mundi, aut alias phantaſias obtrudendi non habeat.

quid agendum poſt expurgatam conſcientiam?

93. *Poſt conſcientiam a gravioribus peccatis mundatam* 1 *Excubare oportet ſuper defectus ſuos*, et circumſtantias omnes, ne iterum relabamur, et animi tranquillitatem ammittamus. 2. *Cavenda ſecuritas conſcientiae*, qua multi, incaute gaudentes de ſarcina peccatorum depoſita, *incipiunt agere ſecurius, liberius, et incautius circa leviora contemnendo venialia. et circumſtantias ad peccatum inducentes*, donec miſeri in priſtina vitia ſenſim iterum praecipitantur. Ergo Novellus cum timore, et tremore ſalutem operetur: vigilet ſuper ſe, ſuper cogitationes ſuas aſſidue, malas ut ſerpentem excutiat, ſenſus ſuos quum internos, tum externos collectos habeat: caveat libertatem, et diſperſionem oculorum, aurium, manuum, otioſitatem mentis, levitatem, curioſitatem omnia ſciendi, videndi, huc illuc vagandi, facilitatem judicandi alios. *Caveat faſtidium, et taedium huius, vel illius, quae ante ſe, eſt, occupationis, nauſeam praeſentium*, deſiderium futurarum imaginationum ſuarum in illo loco, aut officio, quae ſibi fingit. Ex his enim naſcitur triſtitia, dolor, taedium, anxietas animi, diſſipatio ſpiritus, et ſenſim ruina non ſperata. Ad haec evitanda ſervit vita reflexa, dominari cogitationibus, appetitibuſque ſuis, praeſentia exacte agere, futura Deo committere, ſenſus collectos habere. etc.

94. Si-

94. *Silentium*, et *ſolitudo* eſt mors peccatorum, pravorum deſiderium carcer, propriae voluntatis crux, mater pacis, devotionis, et verorum animae ſolatiorum. E contra *qui non refraenat linguam ſuam, hujus vana eſt Religio:* nam in *multiloquio non deerit peccatum.* Loqui neſcit, qui non didicit tacere. Maxime garrulos minimum fructus ſermone, et auctoritate facere compertum eſt. Ergo tectemur ſilentium exemplo Chriſti, qui poſt triginta annorum ſilentium caepit loqui, ſive docere. Sufficiat nobis loqui, converſari cum Deo prae mille amicis, qui plerumque fures ſunt temporis, et a colloquiis variis nunquam ſine peccato diſcedimus. *ſilentii pretium.*

95. *Tentatione ingruente* abjice te in tuum nihilum, agnoſce te ex te ipſo nihil poſſe, cum Deo omnia: ideo humilia te quantum poteſt, et ex profundo tuae exinanitionis ſuſpira ad Chriſtum Crucifixum. Imaginare infra te infernum ad te devorandum hiantem, ſi peccaveris! et dic corde contrito: *Domine vim patior! reſponde pro me.* Interim applica omnes tuas potentias rei, quam agis, ſtudio, vel orationi mentem ita affigendo, ut cogitationi malae nulla in te pateat via. Per hanc potentiarum a tentatione avocationem, et humilitatem omnibus hoſtibus tuis efficieris ſuperior. Magis applicare ſe rei, quam agis, eſt poſitiva reſiſtentia. Sic abſcondimus nos, ut tentatio nos domi non inveniat, ideoque diſcedat. *Tentationi ingruenti aditus praecludendus.*

96. *Afflictiones* tria nobis bona cauſſant 1: Exercitium virtutum, ne otio torpeſcamus. 2. Probationem fortitudinis, et conſtantiae. 3. Praemium in caelo. ad eas ſuperandas tria conſideranda 1: Electorum agones, et anguſtiae: pati debent omnes, qui pie vivere volunt. 2. Tolleratae a Redemptore paſſiones externae, et internae. an tibi alia via pingetur? 3. Providentiae Divinae diſpoſitio adoranda, non diſcutienda. Heu quoties nos affligunt hae cogitationes: *cur ego ſolus? cur non et alii?* Etiam Chriſtus ſolus torcular calcavit paſſionum. Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria. *Deus ita vult: hoc tibi ſufficere debet:* dicebat vir Spiritualis amico ſuo omnibus calamitatibus oppreſſo. Ergo occaſione Patientiae ingruente reſignemus nos in Divinam voluntatem ex toto corde dicentes: o dulcis Jeſu! *me tibi totum, quantus ſum, dono, trado*, Divinaeque tuae voluntati gubernandum *reſigno*, idque omni poſſibili cum affectu: Et ſi hanc meam reſignationem aut cum tepore, aut imperfecte, aut minori, quam par eſt, cum fervore facio, *hunc ipſum teporem*, imperfectionem, minoremque fervorem meum tibi reſigno ex abiſſo Divinae tuae charitatis per te miſericorditer ſupplendum. Tibi dono cor meum dulciſſime Jeſu! ut tu illud incendio amoris tui accendas. Da patiendi. O dulcis Jeſu! *Fiat voluntas tua*, pereat voluntas mea, fiat voluntas in omnibus Dei mei. *Da mihi cor tuum, accipe cor meum dulcis Jeſu!* hoc modo non contriſtabit juſtum Divinae voluntati ſe reſignantem quid quid ei acciderit. *afflictionum utilitas, et incitamenta.* *reſignatio ſui in Divinam voluntatem tempore adverſitatis.*

97. Ceſſet *humana voluntas*, et infermus non erit: dicebat Auguſtinus. grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non ſint: quia nihil quod propria inquinatum eſt voluntate, guſtabit ille, qui paſcitur inter lilia! Sanctus Bernardus. *propriae voluntatis mala.*

98. Beatus Hugo Lincolnienſis Epiſcopus dicebat: Tria eſſe homini Chriſtiano neceſſaria: charitatem in corde, veritatem in ore, caſtitatem in corpore. *Tria omni Chriſtiano neceſſaria.*

modus in somno laudandi Deum.

99. *Modus in somno Deum laudandi:* dic ante somnum: o dulcis Jesu, somno, quo tu in Sacrosaneta tua humanitate usus es, et sic somnum nostrum consecrasti, jungo meum: tibique offero, sicut tu somnum tuum Patri Aeterno obtulisti, et sic illum infinite honorasti: ita ego volo somno meo Te amare o amor meus! statuens, ac desiderans, ut singulae totius vitae potissimum hujus noctis respirationes, ac motus cordis mei sint amor tuus, laus, adoratio tua, detestatio peccati.

victoria sui in minimis maxima.

100. Qui a *non necessario visu, auditu, gustu, olfactu etr se amore Dei cohibet, magis placet Deo,* quam si mortuos ad vitam revocaret. Blosius.

Solatium in calamitatibus

101. In calamitatibus dic cum Abbate Deicola: *Jesum nemo mihi tollere potest sufficit mihi Deus meus.* Qui habet Jesum, habet satis. Dives est, qui possidet Deum.

Gratitudo post peccatum expiatum.

102. Post *peccatum mortale* confessione expiatum vive *quasi ex inferno liberatus.* Majus est beneficium post grave peccatum ad infernum non statim praecipitari, quam inde liberari. Id egit mecum amor infinitus, cum post peccatum non statim damnavit, ut innumeros alios. Ergo misericordias Domini in aeternum cantabo.

Perfectio Christiana.

103. *Perfectio Christiana* consistit in conformitate voluntatis humanae cum Divina. Cesset humana voluntas, fiat in omnibus Dei voluntas, et infernus non erit. committe te totum Deo, et nihil tibi evenire permittet, nisi quod tibi profit: Etiamsi id modo nescias, scies postea. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Deus neminem deserit, nisi prius deseratur. Trident. Reposita est haec spes mea in sinu meo!

quid a nobis requirat Deus

104. *Indicabo tibi, o homo! quid Dominus requirat a te:* 1 *Facere judicium* sive justitiam, *et* 2 *misericordiam.* Et 3 *sollicitum ambulare coram Deo tuo* in continua ejus charitate.

in ariditate quomodo charitas impetranda.

105. *Superbi* sunt, qui in Confessione *sensibilem dolorem, molles,* delicati, et animales sunt, qui *dulces lacrimulas quaerunt.* Veram poenitentiam facit amor Dei, et odium peccati. Sanctus Augustinus. Quanto aridior es, tanto magis humilia te: confluit enim gratia charitatis ad humilitatis convallem. Non coge te ad dolorem sensibilem: cogendo enim pectori nocere posses: sed ex rationibus supernaturalibus, ac motivis charitatis mente invocata Dei gratia illuminata concipe horrorem peccati, et amorem Dei in se, et nobis Boni. Sic conanti infundet Deus charitatem et in Sacramento initialem, et extra Sacramentum gravitati criminum comparandam cap IX n XXIV, et XXXIII descriptam.

solatium in morte quomodo sperandum.

106. *Vita animae* sunt actus fidei, spei, et charitatis: si hos frequenter elicueris, promitto tibi *in morte solatium:* quia si iis nunc alveveris, tunc facile elicies: si vero familiares tibi continuo usu nunc non reddideris, non ibunt in morte.

optima intentio matutina.

107. *Recta Intentio Matutina:* O Sanctissima Trinitas! offero me tibi totum in holocaustum, cor, corpus, animam: Intellectum, memoriam, voluntatem meam: cogitationes, verba, et opera: omnes venae motus ad majorem gloriam tuam: ut in omnibus Sanctificetur nomen tuum, ut fiat voluntas tua: ut quid quid sum, vivo, cogito, sit amor Dei, sit odium peccati. omnibus vitae meae momentis ita Deum amo, sicut Sanctissima Trinitas modum perfectissimum invenire potest: ita amo, sicut Salvator noster Patrem suum ab instanti Incarnationis usque ad ultimum in cruce halitum amavit:

amavit: ſicut Virgo Sanctiſſima, et omnes Sancti amarunt. A. B. C. D. etc. poteris *exemplo SS* quorumdam totum alphabetum recitare ſubjungendo: o dulcis JESU! tu junge litteras, et fac, mihique ſuggere talem intentionem, quam ipſe audire, et exaudire delectaris, quae me in amore tuo perpetuo conſervet, et ad vitam perducas aeternam. Amen. *alphabetum charitatis.*

108. Saepius cogita, te jam mortuum eſſe, ſepeliri, res tuas diſſipari, varia judicia paſſim formari de te: et hoc fac modo, quod tunc feciſſe velles. Qui ante mortem ſaepius moritur, aeternum vivet. Vide normam Cleri cap. XXIX. *mors ante mortem.*

109. In materia *puritatis tentari* ſolitus ante omnia gulam ſuam vincat: ſine hac victoria non vincet tentationes caſtitatis. Deus decrevit tibi dare gratiam, ſi te viceris in cibo, et potu, ſecus non. Ergo ſtatue cultrum in gutture tuo, ut non niſi neceſſaria ſummas. Caeteris propter Deum abſtineas. Jeſulo delicatiora offeras. Cui ſvaviſſimum guſtum feceris his bolis, ſi eos etiam abſtinentia a non neceſſario viſu, ſermone, ſomno, otio condideris. *victoria gulae ſumme neceſſaria.*

110. *Ars longaevae vitae obtinendae* 1: *Puritas conſcientiae*, inde tranquillitas orietur mentis. 2. A *Curis gravioribus*, quantum licet, *tempera*, moderate te occupa: quia moderata durant, arcus intenſus frangitur. 3. *Parum comede*, ſed optime paratum: modicum, ſed praeſtantiſſimum vinum bibe. 4. Quotidie te *commovere ſtude* foris, aut ſaltem domi ambulando. 5. Otium fuge, quod corpus enervat, et triſtitiam, quae ſangvinem corrumpit. Gaude in Domino ſemper gaudio ex bona conſcientia, et aſſidua Dei charitate orta: mundi gaudia aſpernare: ad majora natus es. Gaudia tua ad caelum differ, ibi torrente voluptatis potaberis, ſi hic voluptates mundi contempſeris. Nec enim duos caelos ſperare licet. *ars longaevae vitae obtinendae.*

111. *Faedas*, et moleſtas *incidentias*, ut canis latratus ſperne, contemne, quaſi non intelligeres, ſurda aure praeteri: Unde veniant, quo vadant, quid velint? non cura: ſi cum eis diſcurras, diſputes, de iis cogites, jam periiſti. Ergo aditum eis omnem exclude: Ad eas non reflecte ullo modo: rei, quam agis, diligentius te applica: ſi nihil agis, rei obviae, Dei praeſentiae, mortis, Judicii, inferni cogitatione te totum applica: Mentem avertere, non reflectere, contemnere, alteri rei ſerio intendere eſt poſitive diſſentire. *Faedas incidentias repellendi modus.*

112. *Omnem diem* ita *impende*, quaſi hodie primum incepiſſes Deo ſervire: 2. Quaſi hodie eſſes moriturus. 3. Quaſi de eo, omnibuſque ejus particulis ſtrictiſſimam mox Deo rationem redditurus. 4. Ut tibi conceſſum ad impetrandam veniam, ad augendam gratiam, caeleſtemque gloriam. Sancti ſi poſſent, hoc unum dolerent, quod majori fervore majorem gloriam non ſint meriti. *quomodo quae vis dies impendenda?*

113. Dum *Confeſſionale adis*, vel cum *alio ſexu loqui* debes, cogita: *Vi vocationis meae facio*, ex officio, ex munere meo debeo facere, non poſſum hoc honeſte omittere, ne inurbanus proclamer: nequeo exire ex mundo, *juva o Deus!* et juvabit crede, quidquid ex tali neceſſitate faciendum tibi ſit: ſicut deſeret, ſi te ultro ſine juſta cauſſa malarum cogitationum occaſionibus ingeras. Unde quidam dicebat: Si vi vocationis meae impuras foeminas alloquar, caliſſimas cogitationes habebo: Si eas deſeram, dum alloqui deberem, urar in cella cogitationibus illicitis. Ratio eſt, quia Deus in neceſſariis cujuſvis *vocationi gratiis efficacibus aſſiſtit*; in *Ex timore non ſunt omittenda, quae vi vocationis, ſtatus ve fieri debent*

ſuper

ſuperfluis, voluntatem propriam, curioſitatem, ſui oſtentationem, alioſque affectus ſuos ſequentes deſerit, labique permittit. Unde intrepide aggredi non dubita, quid quid vi vocationis facere debes, aut honeſte ommittere non potes. Extra hos caſus quaſi colubrum, imo ut diabolum fuge mulierem: nam quia amat periculum, peribit in illo: ad ignem accedere, et non velle calefieri, aut inflammari eſt Deum tentare, miraculum petere, ſpecialem inquam gratiam, et aſſiſtentiam in occaſione, cui te *ſine cauſſa* ingeſiſti.

dignitas ſacrificii, et reverentia debita.

114. In mortali hac vita ut *terra caelum* nobis ſit, participatio corporis Domini facit. Sanctus Auguſtinus. Hoc ſolum in praeſenti vita habemus felicitatis, ut ſumamus carnem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sanctus Hieronimus. Per hoc ſacrificium plus honoratur Deus, quam per omnes laudes Beatorum in omnem aeternitatem, aut quam per omnia peccata inhonoratus ſit. Aloyſius Bellecius. Sed ut digne hoc agas, ſolari radio puriorem eſſe decet manum carnem hanc dividentem. Sanctus Chriſoſtomus. Cogita caelum aperiri, te in conſpectu Sanctiſſimae Trinitatis celebrare: adeſſe Virginem Deiparam, trementes Angelos, animas purgantes ſupplices opem a te rogare. Ita age, quaſi ultimum in vita eſſet. ect.

vitiis ad ſanctitatem quomodo utendum?

115. *Vitia*, et *affectus praedominantes* juvabunt te ad *excelſam virtutem*, ſi paſſionibus tuis peccaminoſis objicias *contrarias virtutes*. Sic Magdalena amori impuro ſubſtituit amorem Dei: Paulus Zelo legis Judaicae zelum gloriae Dei: Mathaeus ſiti auri ſitim animarum: Gualbertus odio hoſtis odium ſui: Ignatius gloriae militari majorem Dei gloriam. hac ratione affectus praedominantes attollent nos ad magnam ſanctitatem, modo objecta eorum mutemus in virtutes. Ita nos daemon impugnat vitiis, ad quae naturam noſtram inclinari advertit. Ergo et nos inclinatione noſtra naturali utamur ad virtutem vitio noſtro contrariam *per vigilem noſtri curam aſſidue humano modo tali virtuti mentem affigendo.*

qualis diligentia ſit virtutis ſtudioſo neceſſaria.

116. *Virtutis ſtudioſus* ita debet horrere peccatum, ſicut ſerpentem: ita excutere tentationem ſicut ſcintillam: ita invigilare animae ſuae, ſicut aeconomiae: ita orare, ſicut ſolet cum magnis viris loqui attente, et reverenter: Ita ſacrificare, communicare, quaſi hoc ultimum foret in vita inſtar viatici: Eadem ſolertia curare munditiam mentis qua veſtis: Pari ſolicitudine invigilare ſenſibus, qua opibus: eniti, ut non minori loco ſit ſanctitas quam ſanitas, ſpiritus quam corpus, anima quam eſca. etc.

media evitandi peccatum.

117. *Media evitandi* omne *peccatum* ſunt I: firmiſſimum propoſitum malle mori quam peccare. 2. Sollicita ſui vigilantia, et vita ſuper actus ſuos reflexa. 3. prompta tentationibus repugnantia, excutere ut ſerpentem, contemnere, mentem alio avocare. 4. Charitati junctus aſſiduae orationis fervor.

modus taedia in via virtutis evitandi.

118. *Media Taedium* in via virtutis, et tentationibus *evitandi*: Non conſidera difficultatem in tota ſua latitudine totius vitae tuae, ſed tantum praeſentem horam, hanc partem, quae ſub manu eſt; et ſic levior erit labor. 2: Spera deinceps ſerenitatem mentis, ſvavitatem Spiritus, et ſolatia poſt pugnam a Deo danda. 3. Cogita praeterita tua peccata, futuram caeli beatitudinem: merentur tot peccata tua, meretur Deus, merétur felix aeternitas. Ergo aut vincendum, aut moriendum. Cogita ſerio et ſequentem veritatem:

Periculum commodae vitae.

119. Terribile eſt *commode*, et ſine tentationibus, ac afflictionibus vivere etiam quoad mundum *licite*. Nam teſte aeterna veritate

ritate: *qui amat animam ſuam, perdet eam, et ducunt in bonis dies ſuos, et in puncto ad inferna deſcendunt.* Ratio in promptu eſt: Quia in vita commoda negliguntur officia ſtatus, negligitur mortificatio paſſionum; ideo hae in vitia identidem erumpunt. Negligitur miſeratio debita. cap IX n VIII. Abbas mortuus grandi cum ejulatu exclamavit ad ſuperſtua: ad quid haec omnia! Ego fui decimus octavus Abbas hujus Monaſterii, et omnes propter haec damnati ſumus. Denique continua proſperitas hujus vitae eſt ſignum aeterni interitus. S Ambroſius intelligens Hoſpitem ſuum adverſis nunquam fuiſſe viſitatum clamavit: *fugiamus hinc.* Vix exiverat Sanctus, et tota domus incendio periit. Ergo patiamur, ne aeternum patiamur. O Deus! hic ure, hic ſeca, ut in aeternum parcas.

120. Nec Virginitas, nec afflictio, nec aliae virtutes in caelo alium locum habebunt, quam quem *humilitas* aſſignaverit. Ergo uſque ad infernum debeo me abjicere, quem toties promeritus ſum; ſed pepercit mihi miſericordia Dei. ergo miſericordias Domini in aeternum cantabo, et vivam quaſi ex inferno liberatus. et merito, nam diabolo ipſo deterior ſum ego: quia ille ſemel, ego millies peccavi. Sic, et vere diſcurrebant Sancti Poenitentes: et tu quid dicis de te ipſo? vis humilitatem, ſed non vis humiliationem? dicis te peccatorem, ſed hocipſum quod dicis, vis tibi non credi. et quae tua haec eſt humilitas? Deus non irridetur. *Meritum humilitatis.*

121. Proficere in via virtutis volenti *aſſidua ſui victoria* neceſſaria eſt. nam natura immortificata erumpit aſſidue in vitia; ideo qui *Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, et concupiſcentiis ſuis.* ex adverſo *qui non odit animam ſuam, non poteſt eſſe Chriſti diſcipulus.* non tamen deſiderat Deus a nobis extraordinarias mortificationes, flagellationes, ſangvinem: ſed contentus eſt aſſidua *noſtri victoria.* Ergo in omnibus vince teipſum: Abrenuncia omni ſemel pro ſemper ſenſualitati. qui in re minima vincit ſe, rem gratiorem Deo facit, quam ſi mortuos in vitam revocaret. Sanctus Ignatius. Vince te 1: circa paſſiones, iram, gulam. 2: memoriam ab imaginationibus caſtitati contrariis, eas ut ſerpentem excutiendo. Vince 3: et jugula in te vindictae, ſuperbiae, elationis, vanae gloriae ſtudium. Vince 4: voluntatem, quid quid appetitui placet generoſe reſcindendo. Meretur *Deus, anima, caelum!* 5: Vince te mane diligenter ſurgendo, totius diei opera tanto charitatis fervore obeundo, ac ſi haec dies tibi foret ultima. 6. Vince te in modeſtiae diligenti cuſtodia: eſto caecus, ne videas vanitatem, eſto ſurdus, ne audias curioſa. Vince te 7 ſine querela, quin libenter amore Dei patiendo corporis infirmitates, debilitatem, paupertatem, neceſſariorum defectum, ariditates, tentationes. in hieme frigus, in aeſtate calores, et haec omnia propter Te o dulcis Jeſu! Haec eſt vera de peccatis adoleſcentiae paenitentia: eſt modus ſe Deo immolandi. audi praemium grande nimis: parvum, aut nullum purgatorium habebit, qui in vita in omnibus ſe mortificare ſtuduerit: ratio in promptu eſt: quia aſſidua ſui victoria delet venialia, ac poenas temporales mortalium remiſſorum. conſervat in fervore charitatis, et diſponit ad perfectam charitatem: imo hanc impetrat. quae directe ducit ad caelum. ut vidimus cap XVI n XLI. *Aſſidua noſtri victoria neceſſaria.*

122. Magna *ſuperbia* eſt, *et mollis animi* non *velle tentari.* nam tentationes, quibus impetimur, ſunt ſignum, nos eſſe de numero *filiorum* Dei: ut canes non domeſticos, ſed extraneos allatrant; ita Daemon eos potiſſimum, qui Dei ſunt, et Deo fideliter ſerviunt, impug- *Tentari utile eſt.*

impugnare consvevit. dein tentationes sunt signa *electionis* nostrae *ad gloriam*. qui non tentatur, cadit in teporem: ideo nos permittit Deus tentari, ut simus semper spiritu ferventes, ne animo langveſcamus. ergo tristari propter tentationem ineptum est, socordia animi est: quia talis vellet otio torpescere. Quod Deus videns exercet eum ad coronam. Magna gratia est tentari juxta illud: *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis.* ergo magnis animis *sustine Dominum te probantem, et ad fervorem stimulantem*, non desponde animo: nam Deus non *sinet te tentari ultra, quam possis sustinere.* Ad magnam sanctitatem attollere vult Deus eos, quos gravius tentari permittit, praebens eis victoriae occasionem: Tu vide, ne quo altius te Deus elevare vult in caelo, eo profundius cadas in infernum tentationi consentiendo. Nam multi qui maximas tentationas diu vicerunt, in fine ceciderunt, et periverunt. ergo cum timore, et metu (: sed tamen filiali spe, et amore pleno:) salutem tuam operare. assvesce continuis moraliter actibus theologicis ad debellandas omnes tentationes. etenim

Remedium in tentatione.

123. Qui frequenter in die elicit actus Fidei, spei, et charitatis, eum, etsi maximas tentationes patiatur, non permittit Deus labi. ratio est, quia ut toties ex Tridno audivimus: *Deus neminem deserit, nisi deseratur.* sed qui saepius in die dictos actus elicit, non deserit Deum. go. e contraria ratione qui sine continua Dei charitate vivit, de consensu in gravi tentatione juste dubitet. quia praesentissimo contra eam remedio non utitur. Ergo sedens, ambulans, laborans, cum aliis agens corde, et animo identidem, saepe et ore ingemina: centies millies amo Deum! tibi dono cor meum dulcis Jesu! ut vivam ego, jam non ego, vivat in me dulcis JESUS! volo mori quam peccare! Amo Deum propter infinitam ejus bonitatem! doleo de peccatis! Deus propitius esto mihi peccatori, et quod Te dilectissimum Deum meum offenderim summe dolenti.

Remedium post veniale.

124. Si subreptitiam cogitationem passus es, sive si tentatio, fortis imaginatio impura animum praeter plenam tuam voluntatem pervasit, aut corpus inflammavit cum levi tua negligentia (: ut dictum cap IX ad n XXVIII n 3:) aut alia ratione peccato veniali, ariditate, otio, tepore: vel tristitia, effusioneque in mundanam laetitiam, cibum, potum ultra necessitatem animi malatiam, tranquillitatem mentis, fervorem spiritus perdidisti, in perplexitatem incidisti, mox dictos affectus charitatis, et contritionis animo, et si nemo praesens est, voce saepius ingemina, et senties levamen. nam dicti affectus veniale delent, *charitatem* sopitam in flammas agunt: haec vero mentis malatiam, et dulcedinem reducit. idem age, si forte in peccatum mortale incidisti, omni possibili cum affectu: sed tamen hoc casu quamprimum confitere, et quia intensionem charitatis justificantis ignoras cap II n XXIV: et ut satisfacias voto charitati incluso quamprimum confitendi. sic exstinctam, sed adhuc fumantem charitatis flammam accendes majori studio conservandam c IX n XXVI

Et mortale.

Ad elevationem.

125. Ad *elevationem* dic: O Pater! sicut dulcis Jesus se tibi obtulit in ara crucis, eodem affectu offero tibi dulcem salvatorem meum! en tibi sangvinem Divinissimi tui justi Abel, ut divini hujus sangvinis oblatione miserearis mei maximi peccatoris! clama idendem: misericordia, misericordia o Pater! propter nomen tuum, et propter tuum dulcem natum! credo, spero, amo Deum propter infinitam ejus bonitatem. doleo de peccatis meis!

126.

126. Minima exacte curanda sunt nam 1: nihil est parvum, quod ducit ad perfectionem. 2 qui in minimis Fidelis est, etiam in maximis erit. 3. leviora neglecta disponunt ad mortale. 4. Ut mercator ditatur, ita vir spiritualis perfectus evadit parva magnificiendo, magna non negligendo. 5. nihil leve puta, quod Deo displicet in peccatis, aut placet in virtute. *Cura minimorum.*

127. Solida virtus, ad quam tendere nos oportet, est illa, quae pro objecto; et fine habet solum Deum, ejusque ardentem charitatem ut formam omnium virtutum. cap V n XXII. 2. quae ita constans, et firma est, ut nullis tentationibus facile dimoveatur. ut vidimus cap X n XXII. et XXIII exemplo Primorum Christianorum. 3. ubi interna correspondeant externis. Non simus sepulchrum dealbatum. 4. ut simus ex integro aurum, non sicut statua Nabuchodonosoris in juventute velut capite aurum, in senectute lutei, criminosi, segnes, langventes. Item simus toti, et ex toto aurum, non sicut quidam in una re exempli gratia in oratione excellunt, in aliis deficiunt, ad cibum effusi, immortificati, in lingva, oculis, in animi passionibus indomiti. 5. solida virtus semper, et ubique ubi constat sive in prosperis, sive in adversis, in ariditate aeque, ac desolatione ut si fractus illabatur orbis, non moveatur. *Quae virtus perfecta?*

128. *Ante orationem praepara animum tuam*: Viva fide crede, et imaginare te *praesenti* Deo loqui, supplicem fieri Patri, ac Domino tuo. go magna cum Fiducia, et reverentia accede, mendica a tui amantissimo. imaginare, quomodo a justis in terra, a Sanctis in coelo laudetur Deus: illorum *affectibus* junge *tuos*. et in *praesentiae Divinae imaginatione* ab evagationibus mentis liber eris. *Praeparatio ad orationem.*

129. In *publicis* precibus serva communem modum timoratorum; ne aliis taedio sis, supplens de profundissimo corde aestuante fervore humilitatis, fidei, spei, charitatis, adorationis etr. privatim tamen praestat diutius immorari orationis affectibus, quam longas orationes percurrere. sic mallem uno quadrante dicere unum Pater Ave ingeminando svaves illos amoris fontes: *Pater! sanctificetur nomen tuum! fiat voluntas tua! ora nobis peccatoribus!* quam interea temporis totum Rosarium curum absolvere. *Modus orandi.*

130. Mediatoris officium h n VII urget Sacerdotes assidue deprecari Deum pro publicis Ecclesiae, patriae, et Parochiae necessitatibus. qua de re illustria sunt Divina oracula ad Hebr 5. Joel 2. Isai 62. Ezechiel 13. Exod 32. numer 17. sapient 18. 1 Paralip 21. actor 27. Totum dixit Hieronimus, dum ad illa verba: *Dimitte me ut irascatur furor meus*, ait, *Dei potentiam*, vindictam, poenas *servorum Dei preces impediunt.* et Hugo Card: *Sacerdotes sunt columnae, quae nutantis mundi statum sustinent orationibus corde contrito oblatis.* *Orandum pro populo.*

131. Facillima, et maxime meritoria sui mortificatio 1: in somno, ne ultra sex horas dormias. 2: in gula, ne ultra 5 vel 6 fercula attingas saltem ordinarie. nec ultra ess vices bibas. 3. in lingva, et oculis, ne extra necessitaem loqvaris, aut curiosa videas. 4 vive reflexe ad omnes actiones: pie, ferventer, ut mori velles. 5. ligatas tene cogitationes, ut voluntas praeit: malas incidentias excute, contemne, mentem alio, potissimum ad Deum, ad affectus charitatis diverte, eisque occupa. *Facillima sui mortificatio.*

132. In omnibus actionibus sit tibi haec praevia quaestio: *quomodo hoc meus Jesus faceret?* et quod eius in te praedominans amor dictaverit, hoc, et eo modo facere satage. *Norma agendorum Jesus.*

133. Exemplo Apostoli identidem ingemina: *Vivo ego, jam non ego, vivat in me dulcis Jesus. da mihi cor tuum dulcissime Jesu!* *Modus vivendi vita Christi.*

acci

accipe cor meum! ut tuo te amore digne amare queam. emptus sum pretio magno, sangvine nimirum Jesu Christi. ergo non sum meus, sed Christi. Ergo omnes meas actiones, cogitationes, verba, et opera, vitam ipsam ejus honori consecro volens, ut opera mea non sint mea sed Christi, ejusque meritis unita aeterno Patri sint aeternum in holocaustum consecrata! Hujus pacti mei testes sint omnes venae motus, cogitatoines, vitae meae cuncta indicia.

Modus fieri affective impeccabilem.

134. Sine libertate non fit peccatum. ergo identidem ingemina: Amore tui dulcis Jesu! abrenuncio libertati ad peccandum, et retineo solum libertatem ad te amandum! Hujus pacti mei recordare Domine, dum veneris judicare saeculum per ignem. o Deus ego amo te: *en libertate privo me, ut sponte vinctus sequar te.*

Modus aemulandi charitatem Christi, et SS.

135. *O SSma Trinitas! hanc diem, hoc sacrificium, hanc actionem tibi offero ad omnes illas sanctas intentiones, quas dulcis Jesus habuit ab instanti incarnationis usque ad ultimum in cruce halitum: quas Virgo SSma, omnes sancti habuerunt in via, et modo habent in caelo: quorum Affectibus jungo meos: ut Te amare incipiens aeternum amare queam in caelo. infinities amo Deum meum! Jesus, Maria, Joseph! dulcissimi mei amores! utinam omnium creaturarum corda haberem, ut vos digne amare queam.*

Et omnium creaturarum.

Oblatio efficacissima.

136. *O Pater, tibi offero dulcem Jesum! o dulcis Jesu tibi offero cor meum! o dulcissime amor, tibi offero cogitationes, verba, et opera mea: intellectum, memoriam, voluntatem. Suscipe Dne! universam libertatem meam! amorem tui solum mihi dona, et dives sum satis.*

Temperantiae necessitas.

137. *Temperantiam* in cibo, et potu persvadere nobis debet illud sapientis oraculum: *plures occidit gula, quam gladius. Propter crapulam multi periverunt; qui autem abstinens est, adjiciet ad vitam.* et illud Galeni theorema: *nemo morbo corripietur, qui cavet, ne in cruditates incidat.* et illud passim notum: *sine cerere, et Bacho friget venus.* Non est igitur tantum sumendum, quantum appetitus sensualis desiderat: hic enim non sui tantum conservationi, sed lot libidini, ac propagationi necessaria appetit. Unde teste D Hieronimo *venter plenus despumat in libidinem.* 2. si post refectionem sentis te inptum esse ad functiones mentis, et corporis: aut sis torpidus, lassus, gravis corpore: vel patiaris eructationes, gravemve anhelitum, manifestum est, te justam mensuram excessisse. corpus enim refici, vigor augeri debet refectione, non obrui. 3 fugiendae lautitiae velut morborum seminaria: simplicibus cibis assvescendum velut naturae maxime congruis. ut ait Eccles 29: *initium hominis aqua, et panis.* 4. nihil sine *appetitu* ingerendum: *hoc* enim vel necessarium naturae non est, vel cruditate ingerendorum concoctionem debitam impediet, et sic majores cruditates caussabit. *Praxis:* ad lautiorem mensam accumbens selige *tibi necessaria aliquot fercula* cum proposito reliqua omnino non tangendi *amore Jesu.* Bona cum intentione accede, non gulae, non voluptatis, sed necessariae refectionis, ut vires servitio Dei necessarias recuperes. sic obtemperabis Apostolo monenti: *sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* Denique ut omnem a te laeternum abjicias *sensualitatem*, evincunt sequentia:

Regulae.

Praxis.

Rectus usus creaturarum.

138. Non solum fidei articulus, sed et vitae spiritu lis fundamentum est: *hominem creatum esse ad amandum Deum in via, ad fruendum eo in patria: creaturas vero irrationales omnes ideo, ut sint nobis media, instrumenta, et adminicula ad duplicem hunc finem nostrum consequendum.* redisis ad cap XIV n XXXIII. ubi has veritates claris auctoritatibus evicimus. hic vero ex eis sequentia deducims corollaria 1: Ergo pro iis assiduas debemus Deo referre gratiarum actiones. Pulchre Hugo Victorinus l 3 de anima cap 7: *Vide o homo! dicit mun-*

mundus, quomodo te Deus amavit, qui propter te fecit me. Servio tibi, quia factus sum propter te, ut tu servias illi, qui fecit et me, et te: me propter te, te propter se. Si sentis beneficium, redde gratitudinis officium. Si accipis benignitatem, redde charitatem. alterum corollarium: *nefas est* creaturis uti, nisi quantum illa ad amandum Deum, et ad fruendum eo nos juvant: ut in terminis docet Augustinus l. 4 contra Iulian c 3: *Dona Dei quum ad suum non referuntur auctorem, hoc ipso mali bis utentes efficiuntur injusti.* Quod ut clarius fiat, animadvertendum III: in creaturis aliam esse bonitatem *in se*, e. intrinsecam: aliam *extrinsecam* in quantum serviunt nobis ad gloriam, et amorem Dei augendum. Cibus, potusque in se dulcis, sapidusque est; sed et corpus nutrit ad servitium Dei. Vestis pulchra est, ac spectatoribus excellentiam quondam de nobis ingenerat: Sed et corpus tegit, conservatque ad Dei gloriam. dignitas voluptati est, quia honorem ante alios parit: sed et occasio est majoris gloriae Divinae propagandae. ajo itaque: posteriorem dumtaxat bonitatem respectum ad Deum habentem licitam, veramque: priorem vero animalem, sensualem, quin talem esse, qua *homo* rationalis *comparatur jumentis insipientibus, et similis fit eis:* ut patet ex damnata ppone 8 Innocentii XI, quae licitum esse volebat comedere, et bibere ob solam voluptatem: et expresse docet Angelicus 2 2 *quaest* 141 *art* 6 in haec verba cunctis notanda: *Necessitas hujus vitae est regula delectabilium, quae vult, ut praecise tantum eis utamur, quantum necessitas hujus vitae requirit.* quin et Seneca Ethnicus id ipsum advertit, qvum Epicuri de grege porco exprobrat libr devita beata: *Tu voluptate frueris: ego utor.* conf cap r n XXV Augustini doctrinam. cui addo:

Conquiescendum in Divina voluntate.

139. Ex eo, quod Deus creaturas nobis concesserit ad amorem suum tantum consequendum, necessario sequi, nos iis, quae a Deo accepimus finis nostri consequendi adminiculis contentos esse debere scientes, quod hac via, his plane mediis, et non aliis Divina providentia velit nos salutem consequi. in *paupertate* es: noli anxie quaerere divitias; quia *elegit te Deus in camino paupertatis.* in *humili officio* meritis tuis longe inferiori neglectus jaces: aquiesce: coelum ex ultima Parochia non magis distat, quam ex prima canonia: imo forte propius est: quia rara avis est *magnus humilis.* (: quae tamen humilitas virtutum fundametum est:) et testibus SS PP *difficile est in alto loco cogitationibus carere elatioribus:* et *continuus rerum temporalium successus aeternae damnationis indicium est.* S Gregorius M. item *cui plus datum est, plus repetetur ab eo.* Si valetudine affligaris, adversis premaris, persecutiones patiaris, gratias age Deo, qui tibi patientiae viam ad caelum destinavit ad similitudinem Christi, et SS. denique V: cave, ne *creaturas* instrumenta, ac media salutis tuae in damnationem tuam convertas, ne adjumentis charitatis ad Dei offensam abutaris, et sic olim *illae pugnent contra te insensatum,* quod *servire eas feceris in iniquitatibus tuis.* de quibus vide plura passim in exertitiis Ignatianis.

Temporis pretium.

140. Ad rectum usum creaturarum maxime pertinet pretium temporis. de quo Mellifluus serm 20 in cant mellee monet: *nemo vestrum parvi aestimet tempus, quod verbis consumitur otiosis. volat tempus irremediabile: praeterit hora, quam tibi ad agendam poenitentiam, ad obtinendam veniam, ad aquirendam gratiam, ad promerendam gloriam misericordia Conditoris concessit.* Obtemperemus igitur Apostolo hortanti: *videte Fratres! quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut Sapientes REDIMENTES TEMPVS.* haec vero *temporis redemptio* consistit in poenitentia *de praeterito* male perdito, et in *fervore* charitatis *de futuro*, ut pie orat Bernardus serm 20 in cantica: *suscipe obsecro Due!*

Et redemptio.

Dne! reſiduum annorum meorum! pro his vero, quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum, et humiliatum non deſpicies. monet Sapienter Chryſologus: *Vivamus Deo paululum, qui ſaeculo viximus multum.* Diſcamus nos Sacerdotes a saeculari illo Luce, qui a Carolo V a bellicis curis miſſionem his verbis poſtulavit: *quia inter mundi negotia, et diem mortis tempus aliquod intercedat eſt neceſſe.* quibus nedum quod volebat, obtinuit, ſed et Maximum Caeſarem ad abdicandum imperium, atque ad agendam in monaſterio tota ſua reſidua vita poenitentiam perſvaſit. nos ad id perſvadeat, ut excuſſo tepore cum fervore, *cum metu, et timore* filiali *ſalutem noſtram operemur.*

Fervorem urgere debet incertus numerus peccatorum a Deo in nobis tollerandus.

141. Hunc *fervorem* in redemptione temporis maxime urgere debet notitia de peccato *reprobationis.* aſſerunt enim ſcriptura, et PP, certum eſſe peccatorum numerum, quae Deus in ſingulis hominibus tollerare decrevit: et hoc eſſe ajunt *peccatum ad mortem*, ſive *reprobationis*, quo commiſſo *impletur menſura* peccatorum noſtrorum, et Deo, qui *omnia in numero, et menſura conſtituit*, ulteriorem gratiam efficacem denegante actum eſt de noſtra ſalute: ſicut elapſo *termino vitae noſtrae conſtituto* actum eſt de vita noſtra temporali. ad haec ſicut ultimum veſtigium, quo homo, vel fera in foveam cadit, majus antecedentibus greſſibus eſſe non debet: et ſicut momentum ultimum, poſt quod homo moritur, aut horologium ſonat, longius prioribus momentis durare non debet, ita neutiquam neceſſe eſt, ut peccatum, poſt quod peccator damnatur, majus prioribus ſit; ſed ſufficit praefinitum ab aeterno nobis ignotum peccatorum terminum compleri. Angelus e coelo poſt unicum peccatum praecipitatus eſt: et multi fures poſt primum furtum deprehenſi in furcam aguntur. alte haec animo inprimamus, et cum tremore audiamus D Ambroſium ſerm 18 in ps II intonantem: *Cave, ne cum mortuus fueris ſemel, moriaris iterum: jam enim non PECCATO morieris, ſed VENIAE.* confer paſſim ſcripturiſtas in illud: *Implete menſuram Patrum veſtrorum.*

Venialia diſponunt ad mortale, et ad dictum peccatum reprobationis

142. Haec nos non ſolum *a mortalibus, ſed et a venialibus culpis* deterrere debent. nam peccata *Venialia diſponunt ad mortale*, et ſic ad peccatum *reprobationis.* id quod Doctor Angelicus 1 2 q 88 a 3 quinquies repetit, ſecutus in hoc clariſſima Eccleſiae ſidera Auguſtinum, Chriſoſtomum, Iſidorum, Damaſcenum, Gregorium M. et Auguſtinum ſerm 88 de tempore: *cum homines deſpiciunt peccata ſua, quae parva ſunt, adduntur etiam crimina, quae demergunt.* Et Chriſoſtomum in cap I ad Galat: *quemadmodum in corporibus vulnera, quae homines neglexerunt, febres gignunt, et putrefactiones, ac mortem denique: itidem in animi, qui puſilla diſſimulant, ad majora invitant.* Iſidorum Hiſp l 2 ſent cap 19: *contemptu minorum peccatorum majora committuntur.* Audi et Gregorium M l 31 mor cap 9: *in uno quoque lapſu a minimis ſemper incipitur, et ſuccreſcentibus defectibus ad graviora devenitur.* ſcriptum eſt Eccli 10: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Et nemo repente fit peſſimus.* S Thereſia *in vita ſua* cap 2 refert, ſibi divinitus oſtenſum fuiſſe locum in inferno, quo deventura erat, *niſi otioſas, et laetas converſationes* evitaſſet. ex quibus liquet, *damnationem aeternam*, et *peccatum reprobationis* ſaepe ex *veniali* culpa triſti ſerie dependere, proinde *eas* ſummia cum ſolicitudine fugiendas eſſe. vide plura cap XII n XVIII.

ut et tepor. ejus periculum.

143. Ad id ipſum diſponit *et tepor Spiritus.* tepidus enim *venialia* non curat, ſine remorſu committit, atqui modo didicimus, *venialia* neglecta *ad mortale*, atque ad *reprobationem diſponere.* cujus veri-

veritatis triſte exemplum habemus in Petro, qui *ex tepore* dormitabat, qvum maxime vigilandum fuiſſet: mox ſequebatur Chriſtum *a longe*; dein *calefaciebat ſe, quia frigus erat* non tam corpori, quam extremum animae ejus, ideo Chriſtum Magiſtrum ſuum ter miſerando lapſu negavit. quis quis igitur peccatum mortale, et pedisequam ejus reprobationem horres, excute teporem: ſecus in utrumque teporis tui pondere rues, Deo *te frigidum cum nauſea ex ore ſuo evomente.* Praeſertim cum malum hoc *difficillimae etiam ſit ſanationis.* quam in rem longe terribiliſſimum eſt effatum D Bernardi epiſt 96 aſſerentis: *multo facilius reperies multos ſaeculares converti ad bonum, quam unum quempiam DE TEPIDIS Religioſis*, aliiſque ſacris perſonis *tranſire ad melius.* Graviſſimi enim peccatores non raro aſpectu crucifixi, mortis, judicii, inferorum, aeternitatis ſeria meditatione ſubito, ſerioque reviviſcunt: cum ex adverſo tepidus, igravusque Sacerdos, aut Clericus aeternis his veritatibus obiter, perfunctorieque meditandis jam aſvetus tam parum eis tangatur, quam Chirurgi, aut veſpillones, qui moribundis, ac mortuis quotidie aſſiſtendo ſine omni ſenſu cum his ſuum ex mercede exercent officium. Talis tepidus veram habet *abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto*, in corde inquam ſuo: nam confeſſiones tanta cum oſcitantia peragit, ut haec ipſa expiatio iterata confeſſione eſſet expienda. Orat ea cum immodeſtia, vocis deblateratione, lingvae volubilitate, mentis diſſipatione, ut ipſa *oratio ejus* illi *fiat in peccatum.* Sacris miniſteriis fungitur ſine ſenſu pietatis, ex conſvetudine, ex neceſſitate, ut populo ſatisfaciat. ubi ſpes lucri affulget, currit: ad ea, quae ex charitate agenda ſunt, vix repit: omnia cum murmure peragit, ut finis ſit, ſine devotione, ex impetu, ſine debito proximum juvandi, Deum laudandi fine. Verbo Deus illi penitus deſipit, mundus, et cuticula ſapit; utpote qui ad externa effuſus vix aliquando ſibi, et Deo collectus labores graviores fugit, commoda, otium, diſtractiones, lautas menſas, dulces potus, promotiones, honores aſſidue prenſat, venatur, meditatur: atque inter haec venialia ſine remorſu, quin jocando, ridendo committit. quid igitur mirum, quod 30 40 ſaepe annis *ad probaticam piſcinam* ſacri ſtatus haerens *ab infirmitate* non ſanetur. *vis ſanus fieri?* en tibi baiulos, qui te *in piſcinam* ferventis charitatis immittant: conſtans orationis exercitium, pia quotidie lectio, frequens animi collectio. vis plures? efficaciſſime priora juvabunt fuga laxorum, converſatio cum fervidis, amor cubiculi, aſſidua ordinis diurni obſervatio, caſtigatio corporis moderata ſubtrahendo non neceſſaria, frequens virtutum Theologicarum exercitium, uſus continuus precum jaculatoriarum. His ſemper ſpiritu fervens, omni tepore liber, quin tartaro ipſi formidandus eris: nam ut omnia complectitur Abbas Pimenius apud Ruffinum l 3 n 204: *Sicut ad ſuccenſam ollam muſcae non apropinguant, ſi vero tepida fuerit, inſident in ea, et faciunt vermes: ita et animum Divini amoris igne ſuccenſum, et ferventem fugiunt daemones; tepidam vero illudunt, et inſequuntur.*

Signa.

Remedia.

144. *Sicut et gratiarum abuſus. Qvarum ſumma eſt neceſſitas.* *Deus* enim *eſt, qui operatur in nobis et velle, ut perficere* omne opus bonum. ad Philip 2 v 13. ſine cujus gratia nec *cogitare aliquid* boni ſufficientes ſumus; ſed omnis *noſtra ſufficientia ex Deo eſt* 2 ad Cor 3 v 5. Tridnum ſeſſ 6 can 3. Si daemonibus unica gratia concederetur, ſtupendam univerſo orbi agerent poenitentiam: quin mille inferos maxima cum exultatione uſque ad diem judicii tollerarent, modo his paenis unicam gratiam poſſent emereri. Et nos mortales, nos Filii lucis, nos miniſtri Chriſti quoties projicimus, negligimus hoc

Ac gratiarum abuſus. Ejus ſumma neceſſitas.

Dei

Dei donum, hanc caeli clavem, hoc immortalitatis talentum, hanc caeleſtem margaritam, quâ ſola ipſe Deus emitur. obſtupeſcite coeli ſuper hac veſania nullis lacrimis pro dignitate deploranda! pulſantem ad cor noſtrum Deum contemnere: excitantem, vocantem, illuſtrantem, moventem, cooperantem non audire, non ſequi, ſurda aure negligere, haec illa malitia eſt, ob quam aeternum vae intonat Salvator Lucae 11 v 13: *vae tibi Corozain! vae tibi Bethzaida!* Civitates praedicatione, miraculis, donis meis externis, et internis illuſtratae! vae tibi Eccleſiaſtice! Sacerdos Dei altiſſimi! plurimis, maximiſque gratiis cumulate! quia ſi in multis conſceleratiſſimis Ajcis, haereticis, quin infidelibus *factae fuiſſent hae virtutes*, ad magnam perfectionem Chriſtianam perveniſſent! *Quid debui facere* tibi, et *non feci?* poſt tot gratias *expectavi*, *ut faceres uvas* ſervori, perfectioniſ, continuae charitatis: *et feciſti labruſcas* vitiorum, negligentiarum, teporis, otii, aliarumque iniquitatum. vae tibi ſterilis *vinea*, ac *ficulnea* manu Dei ſollicite culta, rigata, tot gratiis fota, et tamen fructibus vacua, ideo *a Chriſto maledicta.* vae tibi *Babilon* diligentiſſime a Deo *curata*, *nec tamen ſanata*, ideo juſtiſſime *derelinquenda!*

Horrenda poena negligentium eas.

145. Atqua haec eſt *horrenda* nimis *poena abutentium gratiis Dei derelictio* eorum, ſive *negatio gratiarum efficacium.* Haec enim *ſubtractio* gratiarum efficacium eſt *maxima*, *et terribiliſſima poena*, *quae in mundo a Deo infligi poteſt.* nam illa 1 nos abducit a ſummo bono Deo: et conjungit cum ſummo malo nempe peccato mortali, impaenitentia, et damnatione aeterna. Sine enim gratia efficaci poſſunt quidem, ſed *in praxi* extrema haec mala non evitantur. 2. ſubtractio gratiarum efficacium hominem in malitia obfirmat excaecando *negative* intellectum, ligando negative voluntatem, ſubtrahendo efficacis gratiae illuminantis, moventis, nobiſcum cooperantis medium, et viam pandendo *permittendo* ad maxima ſcelera, et impoenitentiam finalem. quae rurſum ſola gratia *efficaci* impediuntur. *has* vero abutentibus denegari nimis quam certo intonat ſcriptura Math 22: *Ieruſalem! quoties volui congregare filios tuos ſub alas, et noluiſti: ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta* gratiis, et auxiliis ſpecialibus. *vocavi te, et renuiſti; ego quoque in interitu tuo ridebo.* ps 8: *dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus ſuis.* Ioan 13 v 40: *excaecavit, et induravit cor eorum.* Marci 4 v 12: *ut videntes non videant, et audientes non intelligant.* quando nos Deus cruciat morbis, egeſtate, infamia, aliiſque afflictionibus, *tunc punit ut Pater*: quia nos a malo avertere, et ad ſe convertere ſatagit. at quando *illuſtrationes mentis* adimit, divinos ſuos inſtinctus negat, tunc lamentante Auguſtino *ſpargit poenales caecitates ſuper illicitas cupiditates*: tunc *tradit nos in deſideria cordis*, et *in paſſiones ignominiae*: Tunc omnipotens furor ejus percutit nos *plaga inſanabili.* Iſai 14: *caſtigatione crudeli*: Ierem 30. *cujus conſummatio in conſumptione.* Hebr 6. unde tremens orat Mellifluus ſerm 24 in cant: *Volo iraſcaris mihi Pater miſericordiarum! ſed illa ira, qua corrigis devium; non qua extrudis de via ſalutis.*

Imago laxorum.

146. Aperiamus ad haec mentis oculos omnes quidem, quia *neſcimus*, *an amore*, *vel odio ſimus digni!* maxime tamen illi, qui negligunt, nec reputant periculoſas cogitationes, aſpectus, converſationes, qui graviſſimos muneris ſui neglectus non curant, ortos inde conſcientiae aculeos ut inanes ſcrupulos explodunt, variisque ſophiſmatibus oblatrantem initio mali conſcientiam adeo jam conpeſcuerunt. ac ut termino Auguſtini utar, *pavimentarunt*, ut vix aliquid hodie ſenti-

ſentiant de remorſu: quin petra duriores, ſilice tiſicciores noviſſimorum, aeternitas, judiciorum Dei conſideratione vix moventur, nil emendantur. qui toti aeconomiae, bonis temporalibus conquirendis, favoribus majorum aucupandis, aut otio, gulae, ventri, potui dediti vix inveniunt tempus breviario orando, taceo mentis recollectioni, charitatis igniculis per diem identidem fovendis. quibus hora meditationis annus videtur: qui orant, non ut cum Deo converſentur, Deo ſe uniant, ſed ut finis ſit, ut obligationi ſuae qualitercunque ſatisfaciant. qui Deum invocant, non ut *ad eos adjuvandos feſtinet*, ſed ut eos *ad feſtinandum adjuvet*. qui ſacras functiones obeunt aut mercedis intuitu, aut ex dura obligationis implendae neceſſitate adeo jejune, adeo ſine affectione, ſine devotione, ſine compunctione, abſque adſtantium aedificatione, ut de ipſis principaliter ſcriptum eſſe videatur illud: *O Paſtor! o idolum!* Aperite oculos mentis o deriſores! qui ſacrum ſtatum, miniſteria Sacroſancta, ut ſutores, et ſartores artem ſuam, lucri profeſſionem facitis. aperite oculos! *Deus non irridetur.* non inquam fruſtra irridetur Deus! Quid ſi *Deus ultionum Dnus* ps 57 v 13 *exacuit ut fulgur gladium ſuum?* quidſi completus jam eſt *gratiarum efficacium* vobis ab aeterno praefinitarum numerus? quidſi deſtinata vobis *favorum* caeleſtium *catena*, et eam ſequens *gloriae corona* poſt unum adhuc peccatum veſtrum a vobis auferatur, et aliis dignioribus conferatur? *O Deus magne, et terribilis! timor, et tremor venerunt ſuper me!* ps 52. ne eodem, quo Saulem, fulmine me ferias 1 Reg 15 v 25 dicens: *pro eo, quod abjeciſti ſermonem meum, abjeci te:* et tui loco alium *quaeſivi mihi virum juxta cor meum!* artubus omnibus contremiſco, ne in paenam abuſus gratiarum *auferatur a me regnum Dei, detur que genti*, animae *facienti fructus ejus.* ah quis non prae metu exanimetur? dum Pontifici Heli Samuelem, Sauli Davidem, Judae Mathiam in regno gratiarum ſurrogatos legit? quis ſine horrore vel meminiſſe queat, ludaeis Gentes, Graecis Latinos, Haereticis Europaeis Americanos eſſe ſubſtitutos? Quod integris gentibus contigit, mihi ſingulari facilius evenire poterit: mihi inquam indigniſſimo Sacerdoti, quem innumerarum gratiarum abuſus longe illis fecit nocentiorem. certe Divinae providentiae eſt, *in Eccleſia aptos miniſtros deeſſe non pati*, ideoque malos, ſegnes, lumini rebelles *conterere, et ſtare facere alios pro eis. Job* 32.

Remedia.

147. Quod ne mihi proxime eveniat, Tu o *Deus miſerationum, qui* etiam *cum iratus fueris, miſericordiae recordaberis!* da mihi *victri em* tuam gratiam, quae tepori, negligentiis, aliiſque peccatis meis finem, charitati fervidae, Sanctae verbo vitae meae initium faciat. *dixi, nunc caepi. haec mutatio dexterae excelſi.* fixum eſt, poſthac *purificata*, et *collecta mente* (: ut enim *in malevolam*, ita *in diſſipatam animam* non intrabit ſpiritus Sancti gratia:) excuſſo *cuticulae* amore (: ut enim *non permanebit*, ita *non ventet* Spiritus Dei *in hominem, qui caro*, ſive carnalis eſt:) depoſita omni ſimulatione (: nam *ſpiritus diſciplinae effugiet fictum*:) humili corde identidem clamare: *Dne! quid me vis facere?* divinis inſtinctibus *reverenter* auſcultare, ac obtemperare *prompte* vitando omnes moras, *generoſe* rumpendo omnes remoras, *conſtanter* cavendo in bene caeptis omnem remiſſionem, adhibendo *conſtantem ferrorem. qui* enim *Deo interius inſpiranti, et monenti non obedit*, verba ſunt S Gregorii Mor l 4 cap 1, *is noverit, ſe ad Deum in ſuis precibus aſpirantem non audiendum, nec exaudiendum.*

Lapis lidius an inſtinctus ex Deo ſit?

148. Ne vero Satanas *tranſfigurans ſe in Angelum lucis* larva bonae inſpirantionis nos decipiat, prae oculis habenda eſt regula

S Bernardi ſerm 32 in cant docentis: *Anima ſanctae inſpirationis certa habet indicia FERVOREM, PACEM, et HUMILITATEM.* hoc eſt dictu: Si inſtinctus internus te ferventem in charitate, pacatum cum proximo, ac demiſſum animo reddat, caeleſte illud Margaritum, ac vocem Domini eſſe non dubita: Sin ex adverſo, diabolum illudentem aſpernare. Teſte *Elia non in commotione Dnus* 3 Reg 19. ſi igitur motus animi te ad aemulationem, iram, ambitionem, taedium, triſtitiam, atque ad diſſipandam mentis malatiam, cordis conpunctionem excitet, auctorem diabolum habere certus eſto. Quibus regulis *ſi ſeparaveris pretioſum a vili, quaſi os Dei eris*, et *ſpiritus mendax non decipiet te, nec praevalebit adverſum te.* 3 Reg 22 v 22

Spectacula digna Deo.

149. Digna Deo, Angelis, et hominibus ſpectacula ſunt iſta 1: Vir *bonus cum mala fortuna* compoſitus, hancque longanimiter patiens exemplo Jobi. 2. Vir *pauper, et modicus majora, et altiora non deſiderans.* nullius rei deſiderium ſummum in terra eſt imperium. 3. Vir *in alta dignitate* ad infimos ſe ſvave demittens, humiliter, de ſe ſentiens, parvum ſe aliorum comparatione vere judicans, *affabilis*, manſvetus, modeſtus, neceſſariam publico auctoritatem ſine affectatione, arrogantia, et ſupercilio, cum amabilitate retinens. 4. Vir *vere Apoſtolicus Omnibus omnia* cum Apoſtolo factus. 5. Vir *ſuarum paſſionum Dominus.*

Per aſſiduam pugnam cum paſſionibus.

150. Vis haec ſpectacula in Te exhibere? debes: quia *ſpectaculum facti ſumus mundo, Angelis, et hominibus.* ad hoc neceſſaria eſt aſſidua pugna cum paſſionibus noſtris, quibus cor noſtrum continuo aeſtuat *quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.* Iſai 57 v 21. lamentante Mellifluo ſerm 4 ſuper miſſus in perſona omnium noſtrum: *Venit avaritia, et vindicat in me ſibi ſedem: jactantia cupit mihi dominari: ſuperbia cupit mihi eſſe Rex, Luxuria dicit, ego regnabo. detractio, invidia, iracundia certant in me ipſo de me ipſo, cujus ego poſſiſſimum eſſe videar.* et tanto quidem formidabiliores ſunt hoſtes hi, quia exterminari penitus neqveunt: teſte enim Dorotheo doctrin 1: *haud poſſibile eſt omni carere paſſione.* et S Leone ſerm 3 quadr: *nullis illecebris commoveri non eſt praeſentis vitae.* qua durante S Hieronimo in cap 69 Iſai aſſeverante *impoſſibile eſt perturbationum initiis quemquam carere.* quibus erudimur, plenam pacem a paſſionibus vita manente fruſtra ſperari, neque in hoc conſiſtere perfectionem, aut vitae ſanctitatem; ſed in aſſidua pugna, et in *regulandis* paſſionibus noſtris. *velis, nolis*, inclamat Mellifluus ſerm 58 in cantica, *intra fines tuos habitabit Jebuſaeus: et licet exterminari non poſſit, attamen ſubjugari poteſt.* Angelice Aquinas 1 p q 95 a 2 ad 3: *paſſiones totaliter non poſſunt tolli; poſſunt tamen ordinari.* teſte Dorotheo l c: *aliud eſt peccatum, aliud affectus.* aliud ſenſus, aliud conſenſus. docente ore aureo Hom 6 de laud Pauli, *commoveri*, pravas incidentias, motuſque ſentire, malum non eſt; *irrationabiliter commoveri*, iiſque conſentire id crimen, hoc ſcelus eſt. qua in re praeclarum in gentium Doctore nobis fragilibus adeſt exemplum; qui ipſius ad inſtructionem noſtram tentationes ſuas ad Rom 7 miſerandum deſcribit: *gratia* tamen *Dei* eum a peccati conſenſu liberatum fuiſſe piaculum eſſet vel dubitare. cur tu minus poſſis? niſi gratiae Dei deſis. ſcriptum eſt enim: *ſupter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.* en arma ad triumphum ex Bernardo ſerm 85 in cant: *anima innixa ſuper dilectum ſuum iram, metum, cupiditatem reget, et in captivitatem rediget omnem carnalem affectum. Oh quantae fiduliae vox eſt haec:* omnia poſſum in eo, qui me confortat! *OMNIPOTENTES ſunt omnes, qui ſperant in eum, et omnia poſſibilia ſunt credenti-*

Notio perfectionis viae.

Non nocet ſenſus niſi adſit conſenſus.

denti, multo magis amanti: *in Deo meo* amato *transgrediar murum* cupiditatum! Ergo *agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa! et Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Eccl 4 v 33.

151. Ex adverso autem *si praestes animae tuae concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Eccli 18 v 31. eris mancipium passionum tuarum, et *spectaculum* mundo abominabile impotentis animi. o quot *spectacula* hujusmodi prae ira, et indignatione sese non capientium, ideo clamantium, saltitantium, frendentium, ringentium, omnia sus, deque vertentium, in obvios quosvis mire detonantium videre hodiedum licet! nempe qui *principiis non obstant*, fiunt non tam mancipia, quam jumenta suarum passionum; ideo in iis quaevis parva scintilla affectus inordinati magnum excitat incendium, diabolo tripudium, ipsis pueris risum, pusillis scandalum, justis patientiae periculum, triste omnibus miraculum! quos si curari velint, relego ad dicta hinc n XXIII. *Spectacula indomitarum passionum.*

152. Magna *pestis* est *charitatis*, quin omnium virtutum *respectus humanus*, quo ob hominis gratiam bona ommittuntur, aut mala perpetrantur. de quo pulchre Avancinus: respectus mundi est despectus Dei: despectus mundi est respectus Dei. Cujus vitii magna est *stultitia*. quid enim stultius, quam erudescere bonum, de quo aeternum gloriabuntur Sancti in coelo veri illi sapientes? gloriari de malo, cujus aeternum poenitebit damnatos? plus timere dicteria mundi, quam judicia coeli? malle perdere ingentis pretii gemmam, quam futile vitrum? malle offendere Deum, quam vilem homunculum? nolle esse bonum, ne displiceas malis, licet ob hoc ipsum displiceas bonis. nolle salvari, quia alii tam amentes sunt, ut velint damnari? edic, quaeso! si quis sibi pedem, nasumve abscinderet, ut levem culicis, muscaeve morsum evitet, an non mente captum, ligandumque talem diceres? ah quid tu aliud agis, dum animam tuam laedis, infernum, aut quibusvis martyrum tormentis majores lustrales flammas tibi succendis, ut mordax unum verbum, momentaneae irrisionis, inanis ludibrii puncturam effugias? quis te insanire neget, nisi tecum una insanus? o Domine *aufer iniquitatem servi tui; quia insipienter egi!* 1 paralip 21 v 8, dum *humanum favorem* stulto, et impio timore Dei offensae praetuli. pudet me *a facie insipientiae meae!* *Respectus humani stultitia.* *Impietas.*

153 Potissimum cum hujus vitii *summa etiam sit impietas.* Est enim 1 *negare*, certe *erubescere Christum*, eique vilem vermiculum, impium socium praeaestimare: est Christianum esse ore, transfugam opere, et in gratiam coaxantis ranae prodere causam Dei. ut proinde mundani illius idoli *quid dicent homines* cultores merito timere debeant fulmen illud Lucae 9 v 26 intortum: *qui me erubuerit, et meos sermones, hunc et filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.* *Negat Christum.*

2. Haec *impietas* est causa ruinae Adae, quia is teste Apostolo 1 ad Tim 2 v 14 *non est seductus*, hoc est dictu: *non credidit verbis serpentis* (: *ut Eva vere seducta*:) Sed ne uxorem contristaret, ejus respectu victus pomum lethiferum momordit: atque ideo *respectus humanus* primos Parentes e paradiso in flebile hoc exilium ejecit, caelum clausit, infernum angeli peccato fabricatum hominibus aperuit, mortem generavit, rebellionem concupiscentiae, et passionum invexit, nos omnes justitia originali privavit, horrendis *plagis impositis semivivos reliquit*, verbo omnium malorum tam spiritualium, quam temporalium eluvione miserandum oppressit. monstrum execrabile! 3. Vis amplioren ejus nosse impietatem? est *causa cruentae mortis Christi.* Pilatus *Perdidit in Adamo hominem.* *Crucifixit Salvatorem.*

ete-

etenim *sciebat*, *quod* Pontifices *per invidiam tradidiſſent* Salvatorem Matth 27 v 18: quin palam profeſſus eſt, *ſe nullam in eo mortis cauſſam invenire.* Luc 23 v 22. ideo etiam *quaerebat* dimittere eum Ioan 19 v 12. at ubi *Judaei clamaverunt dicentes: ſi hunc dimittis, non es amicus Caeſaris*, ibi. mox Pilatus omnis juſtitiae, et aequitatis repente oblitus *adduxit Jeſum foras, ſedit pro tribunali.* ibi v 13. et dimiſſo nequiſſimo Barabba in gratiam Judaeorum, *Jeſum tradidit voluntati eorum, ut crucifigeretur.* Luc 23 v 25. igitur *reſpectus humanus* fuit illa *fera peſſima* lacte tigridis paſta, quae *devoravit Filium* Dei! bellua haec triſtiſſimam poſt hominum memoriam chriſticidii tragaediam per Pilatum conſumavit. ex qua hujus peſtis ſtultitia, tyrannis, et iniquitas orbi ad oculum patet univerſo.

Remedia reſpectu humani. *Contemptus judicii humani.*

154. *Remedia* efficaciſſima praeſentis peſtis ſunt 1: *Contemptus judicii humani.* qui enim ſunt illi, quorum reſpectu tu Deum offendis? nempe ſunt *homines* tibi ſimiles, mortales, hodie ſunt, et cras non comparent: qui tui cauſſa nec manum, nec pedem movent: tuum judicium flocci faciunt: imo eo ipſo, quod tu eorum gratia Deum offendas, te interne rident, contemnunt. quid ni rum gratia Deum offendas, te interne rident, contemnunt. quid ni igitur par pari, contemptui contemptum reddas? potiſſimum cum illi ſint homines *peſſimi*, utpote malos aeſtimantes, bonos contemnentes, fervidos, virtutis ſtudioſos vexantes, pietatem negligentes, probanda culpantes, culpanda probantes, *non ſapientes ea, quae Dei ſunt, ſed quae hominum ſunt, et carnis;* ad Rom 8. quorum proinde *ſapientia ſtultitia eſt apud Deum.* 1 ad cor 8. et merus error. Et horum tu judicium caecus adorabis? hic ſuperbias, licet. eis te prudentiorem reputa, et facto praeſta eorum deliramenta ſpernendo. quidni? cum et ſint vertumno *inconſtantiores*: utpote quos hodie ſuper aethera laudibus efferunt, cras ingeſtis vituperiis ad tartara deprimunt: qui ipſis hodie heros, cras longus erit. Accedit, quod *ſtulto labore conſumaris* exod 8 *omnibus placere* volens: quod nemo unquam potuit, nec ipſe Dei filius, nec Gentium Apoſtolus. Ergo ſi placere vis, ſtude probari a Deo, ab Angelis, a piis, a vere ſapientibus, qui ſoli ſunt virtutis ſtudioſi. confer Kempenſem de imitatione Chriſti l 2 c 6 n 3. l 2 c 28. et 36. *Alterum remedium eſt judicii Divini metus*, quem conſtanter praeſetulit Gentium Doctor dicens 1 ad cor 4: *mihi pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die: nam qui judicat me, Dnus eſt.* et S Hieronimus intonans: *ſive dormiam, ſive quidpiam aliud agam, ſemper vox illa auribus meis inſonat: ſurgite mortui: venite ad judicium!* tunc *revelabunt caeli iniquitatem*, ac ſtultitiam reſpectus humani, et *terra exurget adverſus impios* hujus idoli *quid dicent homines?* cultores. tunc ipſi miſeri hujus ſtultitiae ſectatores intime perſpicient inanitatem mortalis judicii, fruſtra lamentantes: *ergo erravimus!* Sapient 5. *Praxis.* ad omnem occaſionem boni negligendi, vel mali patraudi alte imprime cordi tuo: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, videntis, judicantis, et vindicantis!* item *Deus videt, et judicat!*

Metus judicij Divini.

Praxis.

Ne noceant, homines timendi non ſunt.

155. His contemnemus hominum dicteria, et irriſiones mere *verbales.* at in gratiam hominum bonum omitti, aut *malum fueri* nequit, etſi timendum ſit, ne *irati noceant.* Nam ut ait Auguſtinus in ps 26: *non nocebunt homines, niſi permittat Deus. dein iſti, quos metuendo peccas, ſemper habent voluntatem nocendi. hoc enim malevolentiae eorum proprium eſt. ergo quid facies eos colendo, metu eorum peccando? niſi ut offendas eum, quo offenſo in iſtorum poteſtatem daberis, et qui tibi nihil poſſent facere illo placato, facient tibi quidquid voluerint illo irato.* Recordare Joſephi, quem Fratres: Davidis, quem Saul toties occi-

occidere voluit; et tamen malevolentia utrumque exaltavit, tantum abeſt ut nocuerit. ac forte ideo tibi mali nocuerunt, quia tu prius eis placendo Deum offendiſti? nempe *Deus diſſipabit oſſa eorum, qui hominibus placent.* ps 52. *et maledictus, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium ſuum.* Ierem 17. v 5. ſi times ſperatis (quaecunqve illa ſint) excidere, niſi in malo, et contra legem, aut conſcientiam gratificeris petenti, *nunquid non* Deus *tibi melior eſt, quam decem* ejuſmodi ſpes forte vane conceptae, aut indigne praenſatae? ſi timor mali inferendi te incitat ad placendum malis, ſcriptum eſt: *noli timere eos, qui occidunt corpus: ſed potius timete eum, qui poteſt et corpus, et aam perdere in gehennam.* Math 10. Luc 12. *Praxis.* ſatage per *expurgationem cupiditatum*, et *conformationem voluntatis tuae ad Divinam* animum tuum ad eam malatiam conſtituere, ut praeſenti tua conditione (quae Dei ordinatio eſt) contentus *nec ſperes quidquam, nec metuas ab homine.* Spes enim, et timor ſaeviſſimi tortores ſunt, qui animum conquieſcere non ſinunt, et in peccata impellunt. Tu praeter Deum, et animas ſangvine Dei hominis emptas nihil quaere: ſolum peccatum time memor illarum veritatum: *nemo poteſt duobus dominis ſervire: ſi hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* odit te mundus? ſignum eſt, quod *Chriſtus te elegevit*, et *non ſis de mundo. ſi* enim *eſſes de mundo, hic quod ſuum eſt, diligeret.* Ioa. 15. v 19. icito, quia Chriſtum Magiſtrum tuum *prius odio habuit* ibi v 18. et perſecutus eſt, imo Crucifixit. *non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum.* Math 10 v 24. Ergo exemplo Pauli obverſo tergore in humili patientia *totum tibi mundum crucifige.* ad Gal. 6. ii unum cura, ut *jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne, vivas temporis.* 1 Petri 4. ſecus ſi ſpe, aut timore humano ſive agas quidquam mali, ſive omittas boni, non effugies manus Domini. Tobiae 13. v 2.

Praxis.

156. Viva fides *praeſentiae Divinae*, aſſidua ad hanc attentio, *vita collecta*, aut *reflexa* (quae pro ſinonimis paſim uſurpant Magiſtri Spiritus) inter omnia facile potentiſſimum incitamentum ſunt charitatis, quin omnium virtutum. videamus itaque 1 *attentionis ad praeſentiam Divinam Boni.* 2. *mentis diſſipatae mali:* 3. *attentionis illius ſuſſidia.* attentio ad praeſentiam Divinam 1: *praeſervat a variis defectibus, taediis, et peccatis.* Viva namque fide credendae ſunt hae veritates: *Deus per eſſentiam, et immenſitatem ſuam ita hic mihi praeſens eſt, ſicut in coelo Sanctis per gloriam:* Deus mihi adeſt intimius, quam anima mea corpori meo. *in ipſo* enim *vivimus, movemur, et ſumus.* Deus *teſtis* oculatiſſimus eſt omnium actionum mearum, *arbiter*, et *factor.* is me loquentem audit, cogitantem conſiderat, potentia ſuſtentat, ſapientia gubernat, amore complectitur, nutrit, fovet: omnes meas *actiones* una mecum meo nutui obſequens agit, perficitque, futurus olim earum merces, aut vindex. tan vero quis non videt? ſola haec cogitatio quam efficax ſit fraenum ſeſe a quavis noxa conſtanter retinendi? quis enim id, cujus ipſum coram honeſto homine puderet, in *oculis Divini Iudicis* perpetrare auderet, ſi illum ſibi continuo praeſentem, videntem, judicantem, vindicem firmius crederet, ſaepius recogitaret? ah *non eſt Deus in conſpectu ejus, ideo inquitatae ſunt viae illius omni tempore.* ps 9 v 26. ex impia hac Numinis oblivione emanat omnis peſtilentia morum, libertas ſenſuum, licentia vitae. *dixit enim inſipiens in corde ſuo: quis me videt? quem vereor? nemo me circumſpicit: nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat.* Iob 22. v 14. Ex adverſo perennis recordatio Divinae praeſentiae potentiſſime reprimit paſſionum aeſtus, inhibet incautas manus, reprimit effraenem lingvam, in ſumma compeſcit omnes tentationes. et

Vitae reflexae ad praeſentiam Dei Bona.

Liberat a variis malis.

cupiditatum tempeſtates, atque ut teſtatur S Ephrem tr de virtut c 20: *ad hanc lucem faediſſimae paſſiones mox evaneſcunt, et diffugiunt inſtar Latronum ex manibus victorum.* Sane ſi oculus heri animat ſervum pigrum ad laborem, ſi praeſentia ducis accendit pectora exercitus pugnantis, ſi aſpectus Principis componit mores aulae, ſi oculus Paris compeſcit licentiam filii, ſi adventus juvenis S Bernardini, et S Aloiſii ſocios ad modeſtiam redigebat, quid non efficient (ſi aſſidue eos ante nos feramus) *oculi Domini, qui multo lucidiores ſunt ſuper ſolem, qui circumſpiciunt omnes vias hominum, et eorum corda inabſconditas partes?* Eccli 23 v 28. Ah ſi Divinos hos oculos aſſidue collecta mente adoraremus, profecto ad omnem mali occaſionem, ad ingruentem quamvis tentationem exclamaremus cum caſtitatis exemplo Ioſepho Patriarcha Geneſis 39 v 9: *quomodo poſſum hoc malum facere, et peccare in Deum meum? in conſpectu oculorum ejus?* ps 17 *qui reddet unicuique ſecundum opera ejus* Judex, et vindex!

Perducit ad perfectionem.

157. Eadem attentio ad Divinam praeſentiam eſt praeſentiſſimum *remedium conſequendae perfectionis* ab ipſo Deo Magno credentium Patri Gen 17 praeſcriptum: *ambula coram me, et eſto* eris *perfectus.* *Audiatur* Doctor Seraphicus in prol med vitae Chriſti: *Super omnia ſpiritualis exercitii hoc magis neceſſarium credo, quod nos ad altiorem gradum perducere poſſit.* nec immerito: praeſentiae enim divinae meditatio mira quadam ſuperna vi languorem potenter excutit, fervorem accendit, defectus arcet, intentionem elevat ad Deum, charitatem inflammat, animam Deo adſtringit *vinculis charitatis*, actiones omnes Deo acceptas, nobis vero meritorias reddit. imo aſſeverant Theologi miſtici, ſine *vita collecta* ad perfectionem neminem hactenus perveniſſe, nec deinceps perventurum. nam niſi intellectus lumine coeleſti illuſtretur, niſi voluntas divinis motibus impellatur, in via perfectionis nec paſſum promovebit. ut fides docet. At Deus nequaquam diſſipatae, tumultuanti, vocibus ſupernis obſtrepenti, ſed *collectae animae* loquitur hanc *ſcientiam Sanctitatis* juxta illud Oſee 2 v 14: *ducam eam in ſolitudinem, et ibi loquar ad cor ejus.* ex adverſo qui continuo cum Deo verſatur, obtinet ab amantiſſimo Patre luminum vires ut poſſit: lumen ut ſciat: ardorem charitatis, ut velit ad Sanctimoniae culmen eluctari. eſt nempe *familiaritas cum Deo aſſidua fons paradiſi*, ſeu *fluvius voluptatis* Gen 2; unde innumera, et eximia profluunt chariſmata in aam 1: imcomprehenſibilis quaedam *conjunctio*, et *comunicatio* cum Deo, cujus delicias, et ſvavitatem nemo novit niſi experiatur. *expertus poteſt credere, quid ſit Jeſum diligere.* legeſis Kempenſem l 2 c 1. 7. 8. 2: Teſtimonium quoddam tacitum, et vox interna Spiritus Sancti de remiſſione peccatorum, et amicitia Divina. quod dulce vadimonium aurea quaedam quies, ſolatium, et Angelicum gaudium conſequitur. 3. exinde etiam oritur ſtupenda quaedam facilitas, et alacritas in exercitio virtutum, potiſſimum charitatis adeo ut quod, mundi filii *rigorem* putant, hi Dei familiares ſuper omnia mundi oblectamenta dulcius, ſvaviuſque eſſe ſentiant. unde etiam naſcitur mira quaedam *proclivitas*, et inclinatio *ad caeleſtia*, quorum obvia recordatio ejuſmodi pectora Deo plena mox ſurſum abripit, charitate Dei inflammat, atque in dulces lacrimas cogit. inde pariter ſcaturit teneritudo conſcientiae vel umbram peccati fugiens: heroica fortitudo in adverſis, indifferentia ad omnes Dei nutus nihil ambiens mundanorum bonorum, nihil metuens adverſitatum. adhaec immiſſa caelitus nauſea, qua caeleſtium avidi terrena omnia faſtidiunt. clamantes cum D Ignatio: *quam ſordet mihi terra, dum caelum aſpicio!* 4. Familiarem hanc cum Deo men-

Deſcriptio aae perfectae Deo familiaris.

mentis conjunctionem illuſtria comitantur caeli dona: nempe ſuperni inſtinctus innumeri, illuſtrationes continuae, aeternarumque veritatum cognitiones ſublimiſſimae. exemplo ſunt S Thereſia, Brigitta, et aliae, quae humano modo rudes, et altiorum ſcientiarum expertes miros de Divinis libros ediderunt, nempe intus in eis familiariter habitans Divinus Magiſter Spiritus Sanctus eis dubia declarat, abſcondita revelat, facienda docet, vitanda indicat, ac velut amantiſſimos diſcipulos ad ſcientiam ſanctitatis, ad culmen perfectionis evehit, et informat. o quam *ſuavis, et dulcis eſt Spiritus tuus* Domine! quantorum chariſmatum caeleſtium ferax aſſidua tui recordatio, amor et reverentia praeſentiae tuae! vere infinitus eſt theſaurus Divinae unionis! vere *coelum terreſtre* eſt *aſſidua ad te vita reflexa!*

158. Atque hoc poſtremum, nempe *vitam ad Deum aſſidue* moraliter *reflexam coelum eſſe terreſtre* ne magnificentius, quam verius a me dictum quis putet, animadvertat, quod agunt beati in coelo, id ipſum agere in terris animas *Divinam praeſentiam aſſidue colentes* prodigio eo majori, quo rariore, attamen modo veriſſimo. ut enim beati coeli cives, ita hi Sacroſanctam Trinitatem ſibi praeſentem ſemper intuentur, aeſtimant, adorant, et amant; et in obvia *creaturarum* contemplatione *Creatorem* ubique inveniunt, et ad eum affectu rapiuntur: intellectu, et voluntate, cognitione, et amore velut *geminis brachiis* Eundem amplectuntur, ſibique his *vinculis charitatis* arctiſſime uniunt: Gaudium, pax, ſolatia caeleſtia, plena fiduciae ſecuritas *pars calicis eorum.* ps 10 v 7. ſoli Deo immerſi in omnibus creaturis ſolum Creatorem conſiderant, nec creaturas quaſvis niſi propter Creatorem amant, atque ad hunc cuncta referunt. Adhaec ſicut Angeli Dei ad terras has a Deo miſſi ſuam ſecum beatitudinem deferunt, atque coelum ſuum ubique circumferunt; ita Divinae praeſentiae cultrices animae, licet negotiis vocationis ſuae, aliiſque neceſſariis, aut utilibus curis, ac laboribus occupatae ſuum tamen *verſatile, ambulatoriumque coelum* ſemper ſecum circumferunt, Divinam ubique majeſtatem contemplari, et amare non deſinunt, et in adimplenda ejus voluntate, tanquam in votorum ſuorum meta ſvaviſſime conquieſcunt. Inſuper coelitum more omnis metus, et terroris expertes vivunt probe ſcientes, quia *oculi Domini ſuper juſtos.* ps 33 v 16. quin laete canunt cum Coronato Vate ps 22 v 4. *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum eſſe!* ut ipſe ſpopondiſti ps 90: *cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* Ergo etſi irruant in me agmina tribulationum, infirmitatum, paupertatis, contemptuum, irriſionum, perſecutionum non tantum a malis, ſed et a bonis, ab amicis, a majoribus, et infimis, ab ipſis ſuperioribus, et Praelatis, *non timebo mala, quoniam tu mecum es!* et ſi emerſae ex orco inferorum furiae me adoriantur, ſi cum Jona in mare, cum Daniele in lacum leonum, cum Joſepho in ciſternam, aut carcerem mittar, ſi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae, *quoniam tu mecum* eis! ſola haec cogitatio *quoniam tu mecum es!* de omnibus tormentis diaboli glorioſum mihi parant triumphum.

Eſt caelum terreſtre.

159. Age jam lector! ad haec quis tibi ſenſus? en aſſidua cum Deo converſatio eſt paradiſus voluptatis, *quae exuperat omnem ſenſum.* ad Philip 4. v 7. Tantae felicitatis ut compos fias, haud opus eſt, ut ad aſtra evoles, aut per aequora ad alium mundum tranſeas, quin nec neceſſe eſt, ut mundum deſeras, aut inſolitudinem, vel monaſterium te abdas; mane in mundo, perſta in vo-

Patens amanti.

vocatione tua: in quocunque ſis ſtatu, hoc ſolum a te exigitur, ut *cum Deo ambula*, cum Deo aſſiduus eſto, ad Dei tibi intime praeſentis praeſentiam identidem reflectito mentem, atque ut S Nilus breviter omnia complectitur: *ſemper* humano modo *de Deo cogita, et mens tua cum angelis caelum fiet. o Deus! ſi te homines noſſent!* clamabat S Ignatius. at ego potiori jure ingemiſcere debeo: o *Deus, ſi te homines attenderent! ſi ad tuam praeſentiam homines mentem ſuam crebro reflecterent!* quantis bonis replerentur! o me infenſatum hactenus, excordemque! qui *factus quaſi columba ſeducta non habens cor* a Deo meo mihi intime praeſente toties *mentem meam avolare* permiſi! ac interea libere per res creatas extra me, et extra Deum meum vagari indulſi! ſed nunc probe perſpiciens, quam inaeſtimabilis margarita lateat in familiari cum Deo converſatione, *ſicut fuit ſenſus meus, ut errarem ab eo* mente ad creaturas evagante, et diſſipata, *decies tantum requiram Deum, quantum errari ab eo.* Baruch 4 v 28. Fixum eſt, Deum ubique praeſentem intueri! ex creaturis mentem ad Deum identidem attollere! die, ac nocte mihi praeſentem Deum adorare, revereri, amare! nihil in ejus conſpectu agere, loqui, cogitare, quod conſcio viro honorato non vellem! ejus providentiae me totum tradere! in praeſentia Dei vivere! Deum mihi ſemper praeſentem ſingulis ſaltem horis jaculatoriis precibus alloqui, ſalutare, intimius me eidem conjungere toties quoties humano modo patero corde, et animo ingeminando, cogitando, dum vacat, ad globulos etiam roſarii multorum exemplo repetendo: *Deus meus, et omnia, amo te ſuper omnia! Da mihi cor tuum, accipe cor meum, dulciſſime Jeſu! ut Tuo te amore digne amore queam.* ad mundi bona: *quidquid amabile mundus dat, hoc Jeſus nihil aeſtimat! ſi tanta dat inimicis, quid dabit olim amicis?* ad labores: *propter Te Domine, propter gloriam tuam!* inter ſcribendum, et legendum: *quot apices, quot litteras lego, ſcribo, toties amo te o bonitas infinita!* ſemper: *Deus videt, et judicat. horrendum eſt incidere in manus Dei vindicis! Infinites, infinities amo te Deum meum propter infinitam tuam bonitatem! amo Deum meum, ſicut dulcis Jeſus ab inſtanti incarnationis uſque ad ultimum in Cruce halitum amavit* Patrem ſuum: *ſicut Virgo SSma, omnes ſancti in vita amarunt, modo in coelo amant, et amabunt in omnem aeternitatem: quorum affectibus junzo meos: eorum charitatem nunc inchoo in omnem aeternitatem continuaturus in coelo.* plura ſuggeret Magiſter Spiritus Sanctus audienti, et conanti.

Praxis.

Mentis diſſipatae mala.

160. Ut cultus praeſentiae Divinae ampliores in corde radices agat, conſideremus *mentis diſſipatae mala* Animam diſſipatam, in creaturas diſperſam, laxam, ſalutis, ac Dei ſibi intime praeſentis incuriam, et negligentem deſcripſi h 146. *mala*, et paenas ejus exhibet ipſe Salvator Joan 15 v 6 dicens. *ſi quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes: et areſcet: et in ignem mittet: et ardet.* Tremendae paenae ab exemplo palmitis a vite reſecti animae a Deo ſeparatae! 1 *abjectio a ſpeciali Dei providentia: mittetur foras.* ſicut enim palmes a vite reſectus extra maceriam abjicitur, negligitur, proteritur; ita anima Unionis cum Deo negligens, ſeſeque ad creaturas effundens a coeleſti Patre familias extra ſinum ſpecialis ſuae providentiae cum nauſea ejicitur, ſuis hoſtibus conculcanda projicitur, et defectuum, ac vitiorum coeno immergi permittitur cum gravi impotentia, ſive difficultate redeundi ad cor, ſeque iterum colligendi. *Mittetur foras.* o Superi! tantam Dei iram quis non paveat! eamque juſtiſſimam! Nam ſi juſte iraſcitur Pater optimus improbo filio: ſponſus digniſſimus inconſtanti ſponſae: amicus ſinceriſſimus amico perfido, quod hi illis ruſtice neglectis ad alios ſe convertant,

Subtractio Divinae providentiae.

il-

illos non curent, praesentes non alloquantur; quanto potiori jure *ad amaritudinem adducitur* nostri amantissimus *Deus* ab aa *Eum* sibi assidue praesentem negligente, atque *cisternas* creaturarum, in quibus conquiescat, quaeritante? merito abjicitur contemptor, negligitur negligens, merito sinitur *ambulare vias difficiles*, sap 5 v 3. *post vestigia gregum* passionum cant 1. v 2. et *juxta proprias concupiscentias.* 2 Petri 3 v 3. quibus excaecata, indurata in praesentissima gravioris lapsus pericula inducetur. merito justissimus Judex in eos intorquet terribile illud fulmen: *curavimus Babilonem, et non est sanata, derelinquamus eam!* o coeli! ad hanc poenam cui non *tinniant ambae aures*! o quoties, et quandiu ego vixi Dei mei incurius! sed tu o Pater! puni, obsecro, me poena tali, quae me ad te attrahat, tui cognitionem, et amorem mihi ingeneret! non qua me a speciali tua providentia, et cura abjicias! ne *tempore, quo fuero a te dissipatus, peream*: Job 6 v 17. ne dum *dissipantur cogitationes meae* per creaturas absque tui cognitione, et amore, *dissipentur ossa mea secus infernum* ps 140 v 7 peccando lethaliter.

Intima aridias mentis.

161. Altera paena incuriorum Dei exprimitur illo: *et arescet*: sicut palmes a vite resectus *arescit*, ita anima a mistica vite Deo *per dissipationem mentis* avulsa *arefit* tota, non illa ariditate, quae in exercitium patientiae a Deo charis suis saepius immittitur; sed qua Deus in sui incurios juste animadvertit adeo, ut et ad tenerrima fidei misteria, inter SacroSancta Sacramentorum balnea, inter Divinas eucharistiae delicias pumice fiant leviores, saxei ad aeternas veritates, toti stupidi ad coelestia, cerei ad mandata: simile: hederae Jonae, quae *percussa a Deo exaruit.* Jonae 4 v 7. et *ficulneae* illi, cui maledixit Christus, et *exaruit.* Marci 11. v 21. nec non *semini* evangelico, quod *cecidit super petram*, et *natum aruit* Lucae 8 v 6: quia nempe non *habent humorem* specialium gratiarum: quia talibus Dei neglectoribus vindice Divina dextera canales efficacium auxiliorum, ac caelestium dulcedinum abscinduntur in poenam illius dissolutae vitae, qua *relicto fonte vivo fodiunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas coelestium* gratiarum. ita qui *nolunt benedictionem* intimae sibi praesentis Dei, *elongantur ab eo* ps 108: qui fastidiunt aethereum nectar charitatis, merito *exsiccati* tabescunt. *o ossa arida! audite verbum Domini!* quaerit Ezechiel cap 15 v 3: *quid fiet de ligno vitis* a palmite resecto, et arido? quid fiet de Sacris viris hujusmodi poenali extrema ariditate laborantibus? respondet Salvator: *et in ignem mittent, et ardet.*

Ignis tentationum.

162. Et extrema poena est. nam teste Augustino tr 81 in Ioan: *unum e duobus palmitibus congruit: aut vitis, aut ignis. si in vite non est, in igne erit.* hoc est dicere: anima vel adhaerebit Deo (qui dicit: *ego sum vitis vera, vos palmites*) per mentis collectionem: vel *ardebit* igne, ac aestu 1: *tentationum.* Vanae cogitationes, turpes phantasiae, appetitus rebelles in animo ejus *velut scintillae in arundineto discurrent.* ps 3 v 7. modo uretur talis invidia, mox superbia, jam acedia, ira, odio, otio, taedio. fere semper flagrabit libidine. *et in ignem mittent, et ardet.* 2: mittetur *in ignem varturam calamitatum*: ut homo nauci flocci ab omnibus contemnatur, a superioribus negligetur, corripietur, punietur. hinc quantus aestus impatientiae, murmuris, amaritudinis animae alioquin propter Deum meritorie pati nescius! ab aequalibus, et quibusvis etiam inanis dicteriis afficietur, vilipendetur, lacessetur. quia a mundo ipso, a bonis suis temporalibus, a distractionibus, a deliciis suis, quae contempto Deo quaerit, non nisi tristitia, et inquietudine replebitur, ac inde colliget fel, unde sperabat mel. atque in hoc camino tri-

Calamitatum.

tionum ardebit miſer, donec triſti, et incertae ſpei morte praecipitetur vel in *rogum purgatorii* pro multitudine defectuum ſuorum juſte expiandorum uſque ad Judicii diem duraturum, aut ſorte *in infernalem* tot peccatis venialibus eum ad mortale (ut hic n 142 vidimus:) diſponentibus. *in ignem mittent, et ardet.*

Rogus purgatorii, vel inferni.

163. Et haec quidem omnia juſtiſſime! neque enim vel momentum eſt, quo noſtri benevolo affectu non recordetur amantiſſimus Deus: et nos ejus praeſentiae, et charitatis integros dies, et menſes immemores vivimus, non niſi nugarum mundi captatores. *in charitate perpetua dilexit ille nos*, et, o ingratitudinem ſtupendam nimis! *nos obliti ſumus ejus diebus innumeris.* Jerem 2. quin etiam *fecimus malum in oculis ejus.* 1 Reg 15. v 19. vixímus, quaſi nullum, aut abſentem, dormientem, mortales non curantem, aut (horret calamus ſcribere!) coecum, aut ſurdum putaremus eſſe Deum noſtrum! et hoc (*obſtupeſcite coeli, et portae ejus deſolamini vehementer!*) non pagani, non athei, non haeretici, ſed ita deliravimus nos Catholici, filii lucis Evangelicae, nos viri ſacri, Paſtores animarum, miniſtri Dei, et conſcii arcanorum ejus! nos Theologi, qui de ſcientia Dei directa, ac reflexa, poſſibilium, ac futuribilium multos annos perdidimus; dum interim practicae, et beneficae ejus aſſiduae in nobis praeſentiae ruſtice negligentes ita egimus, quaſi nec prima principie doctrinae Chriſtianae (Deum ubique praeſentem, ubique adorandum, honorandum, reverendumque eſſe) unquam audiviſſemus! ſed doleo! ex nunc *ſi oblitus fuero tui?* o mihi praeſentiſſima, et beneficentiſſima Majeſtas! *oblivioni detur dextera mea! adhaereat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. ſi non propoſuero* te mentis meae praeſentem *in principio* dierum, horarum, laborumque meorum. imo quis mihi det, ut hanc *ſcientiam ſanctorum*, hanc *vitam abſconditam cum Chriſto in Deo* ad Ephes 3 v 3. Math 11 v 25 hoc miſterium *abſconditum ſapientibus, et prudentibus* ſaeculi, *et revelatum parvulis* charitatis Dei ſtudioſis omnes lectores mei practice legant, intelligant, aſſidue exerceant, auditoribus ſuis tradant, identidem inculcent, ut ſic omnium noſtrum corda, vita, ac memoria praeſentiae Divinae cultui aſſiduo ex nunc in aeternum conſecrentur!

Praxis.

164. Quod ut fiat reipſa, ſcrutetur quiſque conſcientiam ſuam in conſpectu Dei videntis, et judicantis, quae in ſe ſint paſſiones illae, quae Divinam hanc familiaritatem, aſſiduam mentis ad Deum elevationem impediant? ſtatuatque *ſecurim particularis examinis* ad radicem; ſecus incidet in flebiles mox deſcriptas *mentis diſſipatae* paenas. Ego *bina* hoc loco *mentis ad Deum colligendae ſubſidia* dabo. Primum *cum ſilentii per cuſtodiam cubiculi.* etenim familiaris cum Deo converſatio exigit mentem turbis vacuam, caelestium avidam, cor purum, orationem aſſiduam, affectuum mundanorum evacuationem, *ſolitudinem, et ſilentium* animae *in pulchritudine pacis, in tabernaculis juſtitiae, et in requie opulenta.* Iſai 32 v 18. quarum diſpoſitionum incapax eſt anima effrenata, et vaga. nam *in multiloquio non deerit peccatum* prov 10 v 19. multo minus deerit *ſui ad creaturas effuſio.* ſicut teſte ſacro codice numer 19 v 15 *vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit*, ita cor ſemper patulum innumeris defectibus, ac perturbationibus identidem ſordidabitur. o quam verum dixit Kempenſis aſceta, dum ait: *quoties inter homines fui minor homo redii*, quia redii effuſus in res vanas, ludicras, novitates, facetias, riſus devotionem, et teneritudinem conſcientiae diſſipantes: taceo murmura, detractiones auditas, forte et factas. ita

Mentis ad Deum colligendae ſubſidia.

Cura ſilentii cum cuſtodia cubiculi.

ra-

*raro sine conscientiae laesione ad silentium redit*ur. confer meditate post Divinos libros piissimum hunc ascetam de imit Christi l 1 cap 10 et 20. ubi pluta in rem hanc invenies.

165. Sed quia et humana imbecillitas mentis, ac corporis quotidianam exigit refocillationem, et status Ecclesiasticus conversationem Apostolicam, nec alii exire possunt e mundo, aut cum Carthusianis perpetuo cellae includi ideo de *conversatione*, et *colloquio* do sequentes *regulas*, quibus observatis ipse strepitus mundi nobis fiet *mentis solitudo*, *in qua cum Deo* in medio negotiorum cum aliis, *amanter conversabimur*. 1: Exitum e cubiculo necessitas, utilitas, charitas; aut saltem honestas, decentiave status, vel eutrapelia exigat. 2: imitare columbam Noemi ad amatum latibulum mox contecto negotio, cujus causa exivisti, revertentem, non corvum ejus in morticinis mundi remanentem. 3. exiturus pio suspirio pete gratiam Deum in hac diversione non offendendi, potissimum cavendi eos defectus, in quos alias impegisti, vel modo times: *dirige Dne! in conspectu tuo viam meam in semitis mandatorum tuorum. ne sinas o dulcis Jesu! ut ego offendam te!* 4. Inter eundum tecum porta amatum tuum dulcem Jesum identidem pio suspirio mente, et corde adorans, invocans, salutans. imo cum eundo, manendo, cum aliis sedendo mens aliquid cogitare semper debeat, tu cogita Deum praesentem sagittas charitatis in Eum identidem ex corde cogitatione emitten. hic mundus tibi erit paradisus. (a) 5. *Sepi aures tuas spinis* Eccli 28 v eod. *Se-*

Regulae in conversatione cum aliis.

Regula auditus.

Tradita doctrina et ad laicos pertinet.

(a) Quod hic dicimus de *euntibus*, apud alios *manentibus*; *sedentibus*, idem intelligi volumus de *omni opere manuali*, et *mentali saecularium*. quorum omnium operum *anima* debet esse *charitas virtualis continua* per rectam intentionem, et preces jaculatorias *infundenda*. redilis ad cap XIV a n II, et not ad n VII ibi. atque utinam magni, et parvi, illustres, ac nobiles, viri, et mulieres edocerentur auream hanc artem a Confessariis, et Catechetis! sic miseri, et pauperes foratium invenirent in suis sudoribus: patres, et matres familias feminen in domesticis sollicitudinibus, et tribulationibus: Illustres otium evitarent, omnes merentur, quid quid agerent. novi mulierem nobilem tota die in magnae domus uae cura circumvide una manu necessaria, alia rosarium tenendo, volvendo: et didici Sacerdos a femina (: nec erubesco me haec ab illa didicisse:) *nullam actionem vitae humanae impedire continuam pietatem*. ex quibus a fortiori patet, inanem esse eorum Ecclesiasticorum excusationem, qui praetendunt *se pauperes*, ac onomiae intendere debere, atque ideo exercitio praesentiae Divinae tempus sibi non esse. laborent, per nos licet, honesta, et *statum* non dedecente ratione propriis quoque manibus ad exemplum Apostolorum, et Clericorum primitivae Ecclesiae; dummodo *omnia in charitate Dei*, et *in nomine Dni Jesu Christi faciant* ad Colos 3 v 17: nec necessariorum intuitu ministeria, studiaque Sanctae vocationis negligant: nec *mentiatur iniquitas sibi* praetextu necessariorum *ex cupiditate divitiarum* operando: nam *qui volunt divites fieri* docente Apostolo 1 ad Cor 6 v 9 et seq, *incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem. radix enim omnium malorum est cupiditas*: *quam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis*. ex adverso docente Angelico *in indice verbo*: *paupertas*: Paupertas sive *in re*, sive *in affectu* (: juxta illud *divitiae si affluant, nolite cor apponere*:) *operatur* 1: *peccatorum remissionem*. 2. *virtutis conservationem*. 3. *cordis quietem*. 4 *desiderii coelestis impletionem*. 5. *dulcedinis participationem*. 6. *meritorum exaltationem*. 7 *coelestem beatitudinem*. si tamen praeter nostram noxiam sollicitudinem nos Deus rebus etiam temporalibus benedixerit, utamur iis 1: sine *affectu*, abstrahendo ab iis cor, ut *qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*. 2. *sine prodigalitate*: *sunt enim res Dei, pretia peccatorum, patrimonium Jesu Christi*. Ergo in commessationes, et luxus, ac consanguineos non egentes non effundantur, sed 3: *misericorditer* per manus pauperum, aliorumque priorum finium Largitori eorum redonentur. Sane a reducto hoc Episcopatu seminarium Cleri Junioris (: in quod velut in matrem nostram dilectissimam, quod nos in viros Apostolicos pie, ac liberaliter enutrivit, om-

Et ad egentes Ecclesiasticos.

Periculum cupiditatis.

Bona paupertatis.

Quomodo utendum divitiis?

ſepiuntur autem aures ſpinis, docente Nazianzeno orat 9, *quando arcemus ab auditu noſtro et male, et mala loquentes neque enim propria tantum lingva timenda eſt*, teſte Mellifluo de divers affect aae, *ne male loquamur; ſed etiam aliena, ne male loqui diſcamus*, ac inutilibus, aut faedis, noxiiſve phantaſiis mentem repleamus. proinde *lingvam nequam noli audire* Eccli 28. potiſſimum vero auream menſae S Auguſtini regulam tibi propriam fac decernens: *quiſquis amat dicti ali nam carpere f mam: Hanc menſam* (: colloquium, praeſentiam tuam:) *vetitam noverit eſſe ſibi.* 6 cum Regio Pſalte ps 118 v 37 *averte oculos tuos, ne videant vanitatem.* cave potiſſimum alterius lexus vultum, ſed tunc terram aſpice, Deum te conſiderantem intuere, time, ama: ſecus lamentari miserandum cogeres: *oculus meus depraedatus eſt animam meam!* cave et in aliis ne *curioſus ſis* Eccli 3 v 24. S Franciſcus Borgias adhuc ſaecularis in venatione ad falconum cum avibus conflictum avertebat oculos, hac ſui mortificatione Deo gratificatus. tu quoque viſione eorum, quae te nec doctiorem, nec meliorem faciunt, Dei cauſſa libenter priva: et in re parva gratiſſimum Deo *praeſtitiſti. in platea non ſis oculis girovagis curioſe contemplans tranſentes. quid enim ad te? ſed modeſte, graviter, ſine* affectatione oculis circiter ad 10 paſſus apertis, manibus non *ſeminantibus*, ſed modeſte compoſitis. in domo aliena ne ſis *explorator*; ſed potius imitare Davidem, qui *factus eſt ſicut homo non audiens, et ſicut mutus non aperiens os*, oculoſque ſuos. 7. lingvam, quod maxime attinet, morem gere coeleſti monito, et *facito oſtia ori tuo.* oſtium nec ſemper clauſum, nec ſemper apertum tenetur: panditur amicis; claditur inimicis. ita tu oſtium lingvae pande verois prudentibus, piis, et utilibus: obſera malis, et perverſis. cuſtodi diligenter hoc nimis verſatile, et lubricum oſtium, attendens *tempus loquendi, et tacendi.* haec eſt nota, qua prudens a ſtulto diſcernitur: *etenim homo ſapiens tacebit uſque ad tempus* loquendi; *imprudens autem non ſervabit tempus.* Eccli 20 v 7. imo *verba in tempore ſuo* prolata ſunt *mala aurea in lectis argenteis.* prov 25 e contra *reprobabitur parabola* ſapiens dictum *non dicta in tempore ſuo.* Eccli 20 v 22. Ergo ne *loquaris, quando ſilendum eſt.* nec loquaris, *antequam loquendum ſit.* nam *qui prius reſpondet, quam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, et confuſione dignum* prov 18. nec loquaris *diutius, quam loquendum ſit.* ſecus eris garrulus, et rima tota, ex qua pleno gurgite effluat totum, quod intus latet. his addo: ſermonem interrumpere *majori* loqui incipiente, eſſe *de neceſſitate*, et *obſervantia* illi debita: reſpectu *aequalium* de *honeſtate, urbanitate*, et *moderatione.* hanc regulam ſi obſervaveris, promitto tibi ab omnibus magnam aeſtimationem, et gratiam. conceptum ſermonem comprime tantisper, dum alter finiat, ſecurus, quia non di rumpet te. imo loquens obſervando hanc tuam moderationem ultro tibi praebebit tempus loquendi. 8. materia ſermonis ſit *ad aedificationem, ut det gratiam audientibus* ad Ephes 4 v 29 *ſi quis loquitur. quaſi ſermones Dei* 1 Petri 4 11. 9. Quoad modum loquere *circumſpecte. circumſpecte* autem loquimur teſte Bleſenſi epiſt 102, *ſi charitas, ſi neceſſitas, ſi utilitas loquendum eſſe ſuadeat.* nempe *loquendum de nobis humiliter, et*

Oculorum.

Regulae lingvae.

mo-

---

omni jure liberales eſſe ſinguli tenemur:) quin omnia beneficia noſtra honeſte dotata fuiſſent iis, quae Clerus dioecesanus in conſanguineos ſuos (: fere ingratos. nec multum talibus donis proficientes, quia male acquiſitis: effudit. ex nunc ſaltem ſapiamus omnes! ne in nos cadat vulgatum illud: *cum Dominus rerum privarit ſemine Clerum: Daemonis ad votum ſuſceſſit turba nepotum.*

modeſte. de proximo aedificative, de Deo glorioſe. Continuat M Baſilius de inſtit renunc: *Quodſi quid ad animum recreandum dicimus, ſit id ſale evangelicae ſapientiae, aut feſtiva intelligentia, aut ratione conditum.* Proinde juxta philoſophum *aut tace, aut affer aliquid melius ſilentio.* Id autem ut fiat, momente Hieronimo *diu animus laxetur, ſermo cogitandus eſt.* Epiſt de Virg ſervand. Nam *lapis emiſſus, et ſermo prolatus* neuter revocari poteſt. Igitur *bis ad limam, ſemel ad linguam. Sis velox audiendum, tardus ad loquendum.* Jacobi 1 v 19. 10. Etſi vero contra *verboſos non ſit contendendum verbis*; tamen ubi Deus, juſtitia, proximus periclitatur, ibi *agonizandum eſt pro juſtitia*, et aliorum ſive *perrumpenda iniquitas*, ſive inſtruenda ignorantia. Id o paſſim ſilere (ubi ſtatus, et obligatio tua loqui exigit) ne alter iratcatur, iniqua pax eſt. Sed et tunc cum praemiſſis conditionibus, ut non laedatur *ſolitudo mentis.* conf dicta de reſpectu humano hic a n 152. demum redux ad cellam examina te, in quibus offenderis extra eam, atque in ea reſume conſvetam tuam *cum Deo ſolitudinem.*

166. Alterum colligendae ad Deum mentis remedium eſt *moderatio curarum nimis diſſipantium. Quid enim* ex ſententia Gregorii M lior 30 Mor cap 12 *prodeſt ſolitudo corporis, ſi deſit ſolitudo cordis?* Quid juvat tota die cubiculo incluſum haerere, ſi interim animus negotiorum mole oppreſſus omne de Deo cogitandi ſpatium eripi patiatur? ita functionibus mancipari ut eae e metipſum tibi, Deum vero memoriae tuae penitus ſufferentur? Sunt namque non nulli 1. qui a ſtatus, et officii ſui obligationibus ita opprimi ſeſe queruntur, ut de Deo cogitandi, quin vix ad conſveta pietatis officia exp enda ſpatium habeant. a: habent ad altum ſomnum, ad lauta, et longa prandia, ad diſtractiones, luſus, etc. Ubi tamen per rectam intentionem, per preces jaculatorias, per pias inter labores ſuos ad Deum charitatis ſcintillas omnia onera ſua levia, et meritoria reddere poſſent. Videant hi, me dum aliena curant, ſalutem ſuam neglexiſſe olim ſero lamententur illis ſponſae verbis: *poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodivi.* (a) Si reipſa ultra vires ſuas premantur, haben: conſilium Jetro Moſi datum Exod 18 v 18 ſubaternis idoneis partem curarum communicandi. Tu in quocunque ſtatu ſis, aeterna tibi lege cave, ne tempus orationis, miſſae, meditationis ſive urgenti ſtudio, ſive alio *labore* (niſi coram Deo *hic* hora iſta inevitabiliter neceſſarius ſit) ſuffureris. Non enim benedicet Deus ſtudio, aut labori illi, qui ſit cum diſpendio pietatis. Alte animo tuo hanc rationem imprime.

Alterum colligendae cum Deo mentis ſubſidium fuga occupationum nimis diſſipantium. Quales ſunt curarum moles.

167. Sunt alii 2: qui affectant eſſe *univerſale quoddam e parte rei, commune agens, et primus motor omnium negotiorum:* quia eorum judicio, ſoli illi rebus gerendis apti ſunt: Nihil ſine his ſit bene.

Nimiae activitatis captatio.

(a) Sublimium dignitatum hoc onus eſt. Unde Democritus interrogatus, *quae ſors ſit optima?* non inquit, *infima*, quia ſordida. Non *ſumma*, quia curis, ac laboribus aſſiduis velut finis circumſpecta. Ergo *mediocritas* in conditione quoque laudanda. Addo ego: amori quoque Divino aſſidue fovendo aptiſſimus ex iisdem rationibus. Haec nobis ſolatio eſſe debent, quos Deus in munda mediocritate conſtituit. Nam et Eccleſia Ordines Religioſos honeſta mediocritate vitae mediorum proviſos probavit: et experientia teſtatur, mendicos oſtiarios fere eſſe improbos, Divinorum, ac Sacramentorum neglectores. Apoſtolo docente eſt *quaeſtus magnus pietas cum ſufficientia.* Ergo *habentes alimenta, et quibus tegamur. His contenti ſimus, ſectantes juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſvetudinem.* 1 ad Timoth 4 v 6. et ſeq.

Quae ſors optima?

Quasi cum iis omnis activitas, consilium rectum, et sapientia directiva eodem cum his tumulo inferenda esset. Non charitas haec, non zelus, sed palmaris superbia est, nimiumque sibi praesidens arrogantia, impudens aliorum vilipensio, imo stultitia, omnem laudis fumum sibi soli vendicare, ac interea Deum, animamque suam negligere: quod tamen *unum est necessarium*. Et ni faciant, olim *bi viri divitiarum, illuminati mirabiliter a montibus aeternis nihil invenient in manibus suis praeter puleas*, quas Judex, cum *purgabit aream suam, comburet igni*. Tu obsequere Apostolo monenti, *rogamus vos Fratres! ut vestrum negotium agatis* 1 *ad* Thessal 4. His solum te occupa serio, perseveranter, et recta cum intentione charitatis, quae vel *obedientia*, vel *status*, ac *muneris* ratio a te exigit.

Nimia festinatio.

168. Sunt 3 nonnulli, qui labori sibi impositio tanta *festinatione*, ac *impetu*, viriumque contentione insudant, et uno quasi hiatu simul omnem actionem exhaurire satagunt, ab eaque sese ita absorberi patiuntur, ut sui impotes velut vortice absorpti totis exhauriantur viribus, fiantque quasi a sensibus alieni. Haec passio oppido exitialis est: impedit enim omnem caelestem gratiarum motionem, corrumpit rectam intentionem, fugat animi pacem, tollit operum meritum, ac dignitatem in Divino conspectu. His inclamandum: *festina lente!* sat cito, si sat bene. Nam *qui festinus est, offendit*. Prov. 19 v 2. *Est homo laborans, et festinans, et tanto magis non abundabit*. Eccli 11 v 11. Tu (quod apud Socios Jesu regula erat) ultra duas horas in uno continuo non sedeas et valetudinis, et Dei caussa: sed surge, obambula, repete scripta, lecta, intentionem, charitatem Dei innova. Sic Sancte doctus, et docte Sanctus eris. Sed ut valetudinem amplius ad Dei gloriam conserves, si sedentariae vitae his, singulis septimanis bis, terve ad horam animi caussa exibis comite (et si alii adsint) dulci Jesu! quem in via tibi praesentem assidue revereberis, dulciaque cum illo amoris colloquia miscebis. Sic *nunquam minus solus eris*, quam quum Jesu comite solus eris.

Sollicitudo de eventu.

169 His affines sunt 4 stulti illi, quos gloria vexat inanis, ideo de successu negotii susceptii nimia angit *sollicitudo*. quae anxietas de futuro eventu rei sunt *spinae suffocantes* Divinum sementem aethereorum instictuum: sunt *ventus urens exsiccans fructum operis* Divinam charitatem. His inclamandum: *nolite soliciti esse* Math 6. *Deus providebit* Gen. 22. *Omnem sollicitudinem vestram projicite in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis* 1 Petri 5. Nam omnipotens poterit, omniscius sciet, nostri amantissimus volet id efficere, quod *suae majori gloriae*, nostraeque saluti (quae duo solum spectanda a nobis sunt) magis congruere videt in nostro conatu; quem, conatum inquam nostrum solum, non successum: laborem, non fructum bonitas Numinis praemiare consvevit.

Otium.

170. At forte ad te non attinent quatuor haec impedimenta familiaritatis cum Deo, eo, quod tu segnem, ac otiosam in cubiculo tuo degas vitam. At hoc ipsum maximum est impedimentum Divinae familiaritatis, eo quod maxime dissipet spiritum, enervet mentem, Deum a nobis pellat. Verissimum enim otii elogium est, quod eam diaboli tentationibus exponat: ad vitia praecipitet: aeternum perdat. Omnia haec complectitur affricae lumen Augustinus *in Grammatic Religiosi* dicens: *Otio accendimur ad luxuriam, animamur ad superbiam, ducimur, sufflaminamur, trahimur* ad omnia vitia: *omnium malarum cogitionum colluvies, summa mentis malitia, malorum*

rum omnium ſentina, mors animae. Merito tinniant aures ad ea, quibus concludit: *nunquam civis caelorum erit, qui otioſitatem amaverit.* Saue ſi teſte Apoſtolo *Vidua* (ſexus debilior, et labori, ac contemplationi minus aptus) *quae in deliciis eſt, vivens mortua eſt*, quanto a fortiori mortuus erit Eccleſiaſticus, Sacerdos Dei altiſſimi, curator aarum otio, negligentiae, ſomno ſuperfluo, gulae, ac ventri deditus? quisque a minori ad majus concludere poteſt. Confer hic dicta n 140. 143. 160.

171. Univerſim omnes paſſiones inordinatae, defectus, ac vitia, quia collectionem mentis diſſipant, et longe quidem magis, quam hic quatuor punctis recenſitae in ſe non malae occupationes; ideo familiari cum Deo converſationi ſunt e diametro oppoſitae: quibus proinde laborantes ad particulare examen velut unicum medium aptandi ſe ſe *cordis eremo* relegamus. *Omnes paſſiones, et vitia.*

172. Remotis impedimentis urgendum eſt conſtans *exercitium praeſentiae Dei:* cujus bona vidimus h n 156. Eſt autem frequens exercitium praeſentiae Divinae *perennis fidei, et amor Dei nobis praeſentis.* Hoc ergo exercitium in *pereant*, humano modo, ut ſaepius dictum *de continua* charitate) *cognitione*, et *amore Numinis* ſitum eſt *functio gloriae caeleſtis* modo mortalibus viatoribus poſſibili *aemula:* Actio tam excellens, qua ſublimior nec a Cerubinis excogitari poteſt: eſt ipſiſſima *occupatio* (longe quidem perfectiori olim modo) *Beatorum in caelis, imo etiam Chriſti, quin ipſius SS Trinitatis;* utpote quae ab aeterno ſola ſui contemplatione, ac mutua perſonarum dilectione *ſe ſe felix* occupabat, atque etiam poſthac per totam aeternitatem diſtinebit. In hoc *exercitio praeſentiae divinae* ut omnis coelitum felicitas ita eſt, ita et noſtra olim caeleſtis beatitudo conſiſtet *fidei ſuccedente clara Dei viſione: videmus* enim *nunc per ſpeculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem* 1 ad cor 13 v 12. *Charitas* vero eadem, qua Deum nunc diligimus, *nunquam excidet* ibidem v 8. ſed manebit aeternum immenſum auctа, perfecta, conſummata. Quid ni igitur jam nunc incipiamus Divinam hanc occupationem, quam perpetuo continuare optamus in caelis? cur non facimus caelum ex terra, atque adeo ex cella noſtra, quin ex omnibus locis, ad quae nos venire contigerit, oculis fidei ubique contemplantes, voluntate amantes immenſum, ubique nos ambientem, penetrantem, conſervando aſſidue creantem, nobis paterne providentem, in charitate perpetua ſuper omnes omnium mortalium amores diligentem Deum noſtrum? eſt ne poſſibile? ut Deum nobis ubique praeſentem, ubique obviam, conſtanter nobis aſſidentem eodem, quo capitalem hoſtem loco habeamus amboſo mentis obtutu vel reſpicere dedignantes? interea vero, infinitis titulis debitum ei amorem hoſtibus ejus prodigentes! O ſtuporem noſtrum! ipſa animalia irrationabilia amorem beneficio, et amori reddunt: *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, et aſinus praeſepe Domini ſui: Iſrael, autem me non cognovit* ut exprobrat Dominus per os Iſai cap 1 v 3. *Sola tu, oh ingrata aa! oblita es Dei ſervatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata.* ibi cap 17 v 10. At time, ne viciſſim tui obliviſcatur miſericordia ejus, et ſola juſtitia recordetur. Quod ne fiat, ex nunc ſaltem *Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum.* Tob. 4 v 6. *In omnibus viis tuis cogita illum;* nam ipſe dirigit greſſus tuos. Prov 3 v 6. Ah! *nullum eſt momentum, quo homo non utatur, vel fruatur illius bonitate:* ergo *nullum pariter debet eſſe momentum, quin eum praeſentem non habeat in memoria.* Ita argumentatur Ambroſius l. de

Exercitium praeſentiae Divinae.

In fide, et amore Dei praeſentis ſitum.

Ejus neceſſitatem. Urget ſcriptura. Et SS PP.

digu

dign hum. Ergo *non tam ſaepe reſpirare, quam illius meminiſſe debemus.* Infert Nazianzenus orat 1. Ergo *in omni actu, vel cogitatu ſuo quiſque ſibi Deum adeſſe memoret, et omne tempus, quo de ipſo non cogitat, perdidiſſe ſe computet.* Sic concludit Bernardus in ſpec Monach.

Praxis praeſentiae Divinae.

173. Has proinde tam legitimas concluſiones ut in uſum deducas, ſequentes induſtrias tibi familiares redde 1: Saepius interciu actum *fidei* Dei tibi intime, pluſquam aa tua, praeſentis. *Fidei* dico: nam ejus praeſentia eſt magis credenda, quam imaginanda: ne phantaſia minis *defatigata* caput laedat, vires att nuet ad alias occupationes neceſſarias. (*a*) Credamus itaque nobis SS Triadem ſemper per immenſitatem adeſſe, nos *in ea vivere, moveri, eſſe*: act. 17. Idque longe majori cum certitudine, quam Parentem dulciſſimum, aut amicum optimum nobis adeſſe credimus in tenebris, quos priori momento ante ex incram candelam in eadem nobiſcum domo eſſe vidimus. Haec fides, haec cogitatio: *Deus adeſt, Deus me vide!* multos ſceleratiſſimos a peccato cohibuit, in Sanctorum poenitentium numerum aſſeruit. Nos, et qui nos audient, a malo abſtrahat, et ad praeclara omnia ſtimulos addat.

Per actum fidei.

174. Verum non ſufficit ſola fides, nam *et daemones credunt, et contremiſcunt* Jacob 2 v 19. Quia vero non diligunt, ideo aureae

hujus

(*a*) Bellecius, quo hic Magiſtro utor, ſolid Virtut p 2 cap 3 § 3 non *multum probat* imaginationes repreſentantes Chriſtum ſub forma *Juvenis, viri*, nunc *patientis*, nunc *gloriosi*: Dum ut *iridem, annulum*, vel *oculum, ſolem*, aut *triangulum* in cordis ara depictum. Nam haec ficta ſunt, nec Dei materiae corporeae exſertis imaginatio genuinum eſſe ſpecimen poteſt. Sed et Chriſtus hodie in veritate quoad humanitatem in caelo tantum, et Euchariſtia adeſt. Esto haec omnia, at quum Eccleſia in aris, et templis exhibeat hodiedum, quin omnibus ubique commendet *Crucifixum*, eum ab imaginatione fidelium nullo momento excidere vellem ut *maximum Dei in nos amoris ſpectaculum: noſtri in Deum amoris potentiſſimum incitamentum*: ac in tentationibus efficaciſſimum remedium. Quam enim bellua non conpescat, cohibeatque a malo haec veritas menti altius impreſſa: *Deus bono pro me, et a me Crucifixus pendet in patibulo, et ego voluptati operam dabo!* Sic et Gentium Doctor pia hac imaginatione a malo terrebat: *rursum crucifigentes Dnum!* et antiquiſſima S Ignatii M teſſera *amor meus crucifixus eſt!* potentiſſime urget ad redamandum. Bellecius unice vult, *fidem ſufficere* ad *exercitium praeſentiae Divinae*: nec ego puto imaginationem crucifixi eſſe neceſſariam. At certe affirmo, et hunc in finem ſaepe *utiliſſimam*, nem e *langvente*, quod humanum eſt, *fidei vivacitate*: tunc enim et ad crucifixum, et ad invocationem dulciſſimi nominis Jeſu (quod ipſum nomen Dei hominis in caelo, et Eucharistia tantum praeſentis eſt) utiliſſime confugimus: ſicut et Deum nobis in ſua eſſentia praeſentem ſaepe in ſuis creaturis, caeli, aſtrorum ue pulchritudine, in mirabili mundi compage, et gubernatione adoramus, flammas charitatis in horum auctorem evibrantes. Iuvenimus itaque ut poſſumus imbecillitatem noſtram, *ordinariae* Bellecii ſummi aſcetae do trinae adhaerentes, potiſſimum *aviditate*, et *tentatione* jam Deum praeſentem *credendo*, adorando, opem ejus implorando; jam Sanctorum, potiſſimum B Virginis Patro inium *invocando*; jam gladium irae Dei, infernum infra nos hiantem, et nos, ſi peccemus, devoraturum: jam vitam noſtram ex filo Dei manu ſuſtentato pendentem *imaginando*: jam ultimi judicii terriſonum tubam *ſurgite mortui* intonantem, jam horrendos damnatorum ejulatus *mentis auribus auſcultando*: jam aeterna Beatorum in caelo gaudia nobis *proponendo*. Cuncta enim haec, et infinita alia, quae pia induſtria ex ſe inveniet, tentationi vincendae, aviditati in flammas charitatis commutandae, amori Divino excitando, augendo mire ſerviunt. Si quis tamen in his laſſitudinem, virium debilitatem, aut phantaſiae defatigationem ſentiret, imaginationem moderetur, ad fidem a Bellecio inculcatam confugiat. Omne enim *jugum Chriſti*, tanto magis hoc exercitium praeſentiae Divinae *ſuave, leve*, quin dulce, ac jucundum eſſe debet ut Angelis inter nos verſantibus ſua beatitudo, ita nobis hoc *caelum terreſtre* inter proſpera, et adverſa, domi foriſque, in ipſa converſatione, inter luſum, et hilaritates *portabile* ſit oportet.

hujus exercitationis praesentiae Divinae fructum non percipiunt. Opus igitur est 2: Ut Regem Regum, quem intellectus praesentem credit, *voluntas amet* per breves quidem, attamen ardentes *charitatis sagitas* in eum emissas: per Jaculatorias dico aspirationes quam frequentissime toto corde Divinam praesentiam *amplectendo*. 3. *Sagittae* hae in *Deum amoris* sint *breves*: et *partus* non tam ingenii laboriose quaesiti, quam *cordis* fervide *anhelitus*. Sunt efficacissimae illae, quas animus superne motus perse concipit, etsi forte verbis non tam compositis, et ordinatis proferantur. Deus enim intuetur cor, et amorem sui nostrum, non verba. 4. *Non sint* nimis *multae*, et *diversae*, ne mentem obruant, et distrahant. Imo consilium est uni sententiae (qua charitatem tuam foveri advertis) eousque inhaerere, quoad alia paris efficaciae a Spiritu Sancto inspiretur. *Optimae sunt illae, quae ex meditationis, aut examinis particularis affectibus erumpunt, et proposito in his concepto aptantur.* Non passim hic plures notavimus jaculatorias preces. Bellecius in Christiano pie moriente integrum dat catalogum. Sed ego exscribere eas necessarium non puto. Nam ipsum Breviarium, aut sacrum pie, ac cum reflexione lectum, potissimum Psalmi Davidici fertilis talium aurifodina sunt. proba, obsecro! solum 50, aliosque Psalmos, et miraberis cum magno charitatis incremento, hujusmodi preces jaculatorias esse *scalam Jacob*, per cujus gradus mens facile ad Deum ascendit, et Dei ad nos miseratio descendit. Ignita enim sunt jacula, quae ferventi conatu evibrata terrenas passionum nubes perrumpendo ipsum Divinitatis cor penetrant, et ex misericordiae visceribus fluenta gratiarum eliciunt. Ad haec per nos actus *perennis orationis* explebimus praeceptum a Salvatore sequacibus suis inculcatum Luc 18 v 1: *Oportet semper orare, et non deficere.* Sic *nostra conversatio in caelis erit.* Ad Philip 2 v 20. sic *Erimus cives Sanctorum, et domestici*, quin familiares *Dei* ad Ephes 2 v 20, loquentes, conversantes, viventes cum Deo, *sicut solet amicus ad amicum loqui*, et mutua charitate conversari. Hac denique ratione explebimus praeceptum *continuae virtualis charitatis* per nos toto hoc opere inculcatae. Conclude ergo *considerans serenitas domus* conscientiae *tuae*, qua solertia auream hanc charitatis artem in praxim deducere debeas, velisque, memor illius sententiae B Laurentii Justiniani l 2 de compunct: *Viro ad perfectionem currenti jugis debet esse Dei visio, ac familiaris ejus allocutio.* Omnes autem Christianos *saltem modo perfectos* esse debere, evicimus cap XIV n X: maxime Ecclesiasticos hic a n III.

Et voluntatis.

Utilitas.

175. Fides, sive assensus intellectus rebus a Deo fulli, et fallere nescio revelatis, est perfectionis, quin omnis virtutis fundamentum, ac lapis angularis. Teste Apostolo *sine fide impossibile placere Deo*: et *Sancti per Fidem operati sunt justitiam.* Quis enim eg induci posset, ut peccata sua occulta, et probrosa Sacerdoti detegat, nisi crederet, ea hoc, et non alio modo a Deo sibi condonanda? Quis passionibus suis perpetuum bellum indiceret, castitatis, paupertatis, obedientiae vinculis se obstringeret? suis pauperibus erogaret? inimicis benefaceret? nisi certo crederet, generosos hos actus mire placere Deo. Quis vitae hujus aerumnas patienti animo tollerare valeret, nisi sciret illud: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit. et non est malum in civitate, quod non fecit Dominus.* Quis Deum oraret, nisi crederet se ab eo audiri? quis eundem amaret, nisi fides doceret, Divinam Majestatatem esse omnis

Fides necessaria.

bonitatis fontem in se omni dilectatione digniſſimum, noſtri vero amantiſſimum Patrem? neceſſe igitur eſt, ut quidquid Deus revelavit, et per Eccleſiam proponit, firma fide teneamus, aut aeternis cum infidelibus, ac heterodoxis torqueamur incendiis. hoc nemo ignorat.

Sed inſufficiens ſine operibus.

175. At aeque fidei dogma eſt, neceſſarium hoc fidei fundamentum charitate, aliiſque praeclaris operibus in aedificium chriſtianae perfectionis attollendum eſſe. Nam *fides ſine operibus mortua eſt* Jacobi 2 v 20. Auguſtino *fides ſine dilectione fides Daemonum eſt* de civit Dei lib 10. Bernardo *fides, quae non operatur, Cadaver examine eſt.* Serm. 24 in Cant. Teſte Gregorio M Hom 26 in Evang *vera fides eſt, quae in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradit: ille vere credit, qui exercet operando, quod credit.* Et docente Eucherio epiſt 2 parenet *Fides, et bona opera indiſſolubili vinculo connectuntur ita, ut ubi alterum deſit, alterum quoque ruat, neceſſe ſit.* Ne ego infinitus ſim, inſpiciamus caput 11 ad Haebr: Et ibi inuebimur ſtupenda facta illâ, quae patrarunt, et paſſi ſunt Patriarchae *per fidem*, ut moribus ſuis fidem ſuam exprimerent, et quorum exemplo cap 12 hortatur nos Gentium Doctor, ut *per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in Auctorem fidei, et conſumatorem Jeſum.* Certum igitur eſt, omni vero Chriſti diſcipulo (quales ſunt omnes quidem Chriſtiani, ſed maxime Miniſtri, et Sacerdotes ejus) neceſſarium eſſe, ut mores fidei noſtrae reſpondeant: ut orante Auguſtino ſerm 137 de temp *adjungamus fidei rectae vitam rectam*: ut Chriſti Evangelium *confiteamur et verbis, et factis; verbis quidem* vera dicendo, *factis vero Sancte vivendo*: quod confitetur lingva, teneat effectus: quod de credendis lingva loquitur, moribus vita fateatur.

Inter fidem, et mores noſtros immenſa differentia.

176. Ad hanc aeternam veritatem velut lydium lapidem conferamus jam *mores* noſtros cum *fide noſtra*: an in nobis dicta connexio *fidei*, et *morum* detur? an intellectus credendo, et voluntas conſentiant agendo? Utinam non reperiantur inter nos, qui *verbis confitentur, ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Ad Tit 1. v 16. Utinam non cadat in nos quoque fulmen illud, quod Gutericus Abbas ſerm 4 de Epiph intorquet dicens: *Hodie quidem ſi de miſterio fidei interroges, omnes fere invenies chriſtianiſſimos: Si conſcientiam diſcutias, pauços admodum invenies vere Chriſtianos.* Ita *vox quidem vox Jacob eſt, manus autem ſunt manus Eſau.* Fides Sacerdotum, mores ſaepe pejores quam *laicorum.* Conferamus, obſecro! ſaltem aeterna illis veritates, quas hic a n III de ſublimi Eccleſiaſticorum dignitate, et inde nata Eccleſiaſticorum ad perfectionem Chriſtianam tendendi obligatione ut certa fidei capita aſſeruimus, conferamus inquam cum moribus noſtris, et forte nullas tenebras magis Luci, quam fidem moribus noſtris contrariam inveniemus. Proh Deum immortalem! inimos *miniſtros, et diſpenſatores miniſteriorum Dei! mediatores inter Deum, et homines* dare de ſe pravitatis exempla! *Deos* participata dignitate, et poteſtate fieri *ut populum*: locum ſanctitatis tenere, et de Sanctitate vitae nec cogitare! haec inquam tam ſtupendum chaos ſunt inter *fidem*, ac *mores* noſtros, ad quod mens tremit, lingva refugit, nulla eloquentia pro dignitate eloqui valet. Sed tranſeamus ad obligationes omni Chriſtiano neceſſarias: edicite, obſecro! An non abyſſus malitiae ſit, credere Deum in ſe, et nobis infinite bonum, nec tamen toto corde diligere? infinite juſtum, nec ejus judicia timere? infinite Sanctum, ubique praeſentem,

omnia

omnia intuentem, et tamen in ejus oculis vel leviter deliberate peccare? credere nos creatos esse, ut in hac vita Deum amemus, aeternum in caelo possideamus; et tamen ita vivere, commodis nostris ita studere, quasi post *mortem nulla voluptas*, nulla vita, nulla aeternitas superesset? credere, *beatos esse qui lugent*, et tamen paenitentiam quae *secundum Deum tristitia operatur*, jugum immensum, ingens ducere? credere diligendos omnes proximos, quin et inimicos ut nosmetipsos, et tamen vix cum paucis pacem habere? in faciem bona, pulchra verba dare, absentium fama, actis, factisque rodendis se se oblectare? credere, *odiendo animam in vitam aeternam custodiri, carnem castigandam, in servitutatem redigendam*, quin *si Christi esse velimus, crucifigendam cum vitiis, et concupiscentiis suis*: Et tamen commoda, voluptates avide quaerere, cuticulam muliebriter curare, de mortificatione nec audire velle, proprium sensum ut idolum adorare, indomitas passiones nostras, quibus obviis graves, incommodi, intollerabiles quotidie sumus, crassa, et supina negligentia culpabili nec nosse: arrogantiam, superbiam, elationem, ambitionem magnanimitatem putare: aliorum despectum necessariam auctoritatis conservationem censere: puridas suas laudes, turpia, et palpabilia mendacia eutrapeliam habere: paupertatem, despectum, superfluarum defectum in Schola Christi odisse: ad patientiae occasionem Crucifixi discipulum impalescere: ad justam, ac svavem monitionem indignari, furere, mansvete monentem contumeliis obruere, omnia jus deque miscere. Inspiciamus intimius conscientiam nostram, et toti pudore suffusi cohorrescemus ad sanctitatem fidei, collata morum nostrorum turpitudine.

178. O Sacerdotes! Magistri fidei! Duces Lajcorum! audite Lajcum, ac Saecularem virum! audite inquam quid de fide non practica auribus vestris intonet Picus Mirandulanus saecularis Princeps, ingeniorum sui temporis Phaenix: *Magna infamia est Evangelio non credere; cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, daemones confitentur. Sed longe major insania est, de evangelii veritate non dubitare, et tamen* ITA VIVERE, QUASI DE EJUS FALSITATE NON DUBITARES. Ita est sane: major perversitas est Evangelii axiomata credere, venerari, laudare; et tamen illa ita negligere, quasi Divina oracula non nisi Poetarum forent figmenta! Atque ita omnis nostra vita nihil, nisi practica fidei nostrae sit negatio! Haec fides nostra *diabolica* Jacobi 2 v 19 Deitas, atheistas, indifferentistas peperit: haec heterodoxos in erroribus suis confirmat: facile enim contemnitur et verbis, quod contemnitur facto. Haec Catholicos, ac potissimum Sacerdotes apud hostes fidei contemptibiles reddit; cum videant perfectionis studium ab iis negligi, vilipendi, quorum vita, status, et professio perenne studium virtutis esse oporteret. Haec *fides neglecta* nos maxime accusabit teste Augustino in die judicii, ac coram Deo Judice jus suum persequetur contra nos *verbis fidei thuritos*, sed in quibus *illa* tot annis mortua, et quasi sepulta delituit: contra nos inquam, qui eam apud alienos a veritate diffamavimus facto, omnemque eidem moribus nostris aestimationem, ac venerationem ademimus.

Maximè nobis probrò est.

Et erit in die judicii.

O infelix! quae tua tunc erit consternatio, quae abruet confusio? quando olim Divinus Judex fulminanti voce, terribili aspectu tibi coram universo mundo exprobravit: *Haec! Haec credidisti, haec fecisti! haec tua fides, hi tui mores!* igitur fides tua erit

tibi

tibi *mola asinaria*, cujus e collo tuo suspensae pondere profundius in infernum *demergeris*.

Causae hujus mali.

179. Quantum hic est periculum, tantum satagamus mali hujus causas detegere, et tollere. Binae illae passim censentur: nempe *obscuritas intellectus* ob illustrationis negationem: *et perversitas voluntatis* ob passionum rebellionem. Illa impedit, ne quod rectum est, agnoscamus. Haec prohibet, ne agnitam veritatem exequamur. Utraque facit, ut fluepnda sit morum nostrorum cum fide nostra difformitas. Primam aperte tradit scriptura dicens: *Defecit Sanctus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum* ps 11 v 1. *ambulant in Vanitate sensus sui*, quia *tenebris obscuratum habent intellectum* ad Ephes 4 v 17 18. *Evanuerunt in cogitationibus suis* quia *obscuratum est insipiens cor eorum.* Ad Rom 1 v 21. Et hoc Filii lucis? Catholici? Sacerdotes? qui *sedent ad fontem solis* Josue 15. v 7. qui practicas fidei veritates assidue legunt, meditantur, sacrosancta mysteria quotidie tractant, administrant, suscipiunt? ita est:

Caecitas intellectus.

Fontes hujus caecitatis.

nos ipsi Sacerdotes sedemus *in tenebris*, et nocte fidei, quia 1: Ipsas orationes, meditationes, Sacramenta administranda, et suscipienda, per quae velut canales, gratiarum fontes ad nos defluere deberent, obscurianter negligenter, adeoque sine fructu tractamus. 2. *Ab assuetis non fit passio.* Nos vero assevimus jam Sancta ex consuetudine, langvide, oscitanterque obire, ideo nullam sentimus Divinae illustrationis coruscationem. 3 Si quando etiam copiosa *lux de caelo nos circumfulget* cum Saulo, ne svaviter victi tandem excitemur, illuminemur, mox convertimur ad *saecularia desideria*, quibus accensa in nobis fax veritatis denuo extingvitur. 4. Amamus caecitatem nostram, ideo respuimus medicinam. Nolumus subtrahi nobis pulvinar diaboli otium, cui molliter incubamus. Vitamus accuratos illos conscientiae arbitros qui morbos nostros tangunt, Verbo nolumus emendari, ideo nolumus efficaciter illustrari. Quid igitur mirum, quod in ipso gratiarum meridie adeo caeci, et palpantes remaneamus? quia omnes vias negligimus, per quas radii practicae fidei ad nos deriventur.

Dominantes voluntati passiones.

180. *Altera*, et fortior causa difformitatis morum cum fide nostra est *perversitas voluntatis ex pravis passionibus in animo nostro dominantibus.* Id quod ad oculum patet ex eo: Nam illis fidei mysteriis, quae solum ab intellectu assensum exigunt, haud aegre subscribimus. Sic *Deum esse natura unum: in personis trinum: Verbum in tempore ex Virgine incarnatum. In Christo duas esse naturas Divinam, et humanam: unam personam Divinam: Christum vere praesentem esse in eucharistia*, et quae sunt hujusmodi in verbo Dei puri intellectus objecta nemo vere Catholicus inficiatur. Verum *cum odiendam, carnem crucifigendam, nobis vim inferendam: beatos esse qui lugent, qui esuriunt, et sitiunt justitiam, qui* propter hanc *persecutionem patiuntur: vae qui ridetis, vae qui ducitis in bonis dies suos: Oculos eruendos, manum pedemque abscindendam*, si ade offendiculo sint: in hujusmodi, inquam, religionis ac fidei dogmatibus *practicis*, et contrariam fidei operationem exposcentibus voluntatem sub jugum mittere hic labor, hoc opus est. Hic conjurati veniunt ad praelia venti passionum: hic amor proprius, cuticula, sensus classicum insonant, voluntatem in socium foedus eo citius perrahunt, quo haec magis premitur perversis cupiditatibus, ideoque horrore difficultatum solidam virtutem ad lunae incolas, perfectionem christianam ad idaeas Platonicas amandat. Imo vero dominantes in voluntate passiones ipsum intellectum

Quam saevae!

tellectum, ac rationem excaecant, atque in partes suas attrahunt, ut dicant bonum malum, et malum bonum: ut Evangelii rigorem mitigent, pietatem genio saeculi accomodent, Spiritum Dei, et mundi vafre temperent, lucem cum tenebris, arcam Dei cum Dagon, Christum cum Belial, naturam cum gratia componere tentent. Ex hac autem rerum tam dissimilium commixtione quid aliud, quam monstra nasci possunt? continua nempe inter fidem, et mores repugnantia. Ita ut quaevis noviras in fide, idololatria, haereses omnes, similiter inter nos *domesticos fidei* dissimilitudo *morum*, *et fidei* partus sunt effraenatarum cupiditatum.

181. Quis igitur non videat? quanta nobis incumbat necessitas dominantes in nobis passiones securi *particularis examinis* ad radicem posita exscindendi, atque eradicandi modo latius expósito hic a n XXIII. Tum in *fervoris incitamentis* hic a n XXVIII congestis sese sedulo exercendi. Apostolus ad Gal at 5 v 6 *Fidei mortuae* opponit *fidem, quae per charitatem operatur*, ut nempe omnium virtutum animam, perfectionem, et finem extrinsecum. Unde elucet necessitas *virtualiter continuae charitatis*, et *exercitii praesentiae Divinae*, ut armis operosae per charitatem fidei rebelles in nobis cupiditates compescantur. Viva haec fides singulare munus est caeli, ideoque ferventibus, ac frequentibus precibus, ac assiduisque gemitibus a Patre Luminum est exorandum clamando cum caeco Evangelico Luc 18: *Domine ut videam! credo Dne! adjuva incredulitatem meam!* aut cum Apostolis Joannis 17: *adauge in nobis fidem!* vel cum Ecclesia: *Da nobis, quaesumus Dne, fidei Sei, et charitatis augmentum. Ad te rebelles nostras compelle propitius voluntates! ut quae te Auctore facienda cognovimus, Te operante impleamus.* Errant tamen illi vehementer, qui putant, caeleste hoc margaritum *practicam fidem* velut miraculum, aut donum gratis datum segnitus, otiosis, et desidibus dari, ideoque complicitis brachiis, aut instar pigrorum illorum, qui *abscondunt manum suam sub axilla*, et quos morbida segnis animi *desideria occidunt* Prov 19, et 21, eam mirantur in Sanctis, optarentque, et ipsi illa ditari: interim ad quamvis difficultatem, laborem, ac molestiam exclamant: *Leo est in via. In plateis occidendus sum* Prov 26. *Mors in olla* 4 Reg 4. *Omnis virtus*, et maxime virtutum Regina fides per charitatem contra dominantes passiones operosa, pugnax, et victrix *in arduo posita est.* Ut *regnum caelorum*, ita caelum terrestre, pax, et tranquillitas animae expugnatis cupiditatibus *vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Laborandum, conandum, instandum, fores caeli *ferventer, perseveranter*, ingenti cum fiducia pulsandae: *Gratia Dei mecum.* Nec tu solus, nec Deus solus *pro te expugnabit* dictos vitae fidei *inimicos tuos*: sed Deus tecum ut par est cooperante: nisi sic cooperaris, vereri debes, ne fides, quae tibi debuerat esse schala ad caelum, fiat praecipitium ad orcum. Vereri inquam justissime debes, ne quod olim Servator caeco dixit: vade, fides tua te salvum fecit Marci 10: id tibi invertat, intonetque: ito maledicte! *fides tua te damnavit!* *Remedia*

182. Quod de necessitate *vivae fidei* omnibus christianis dixímus, id de *doctrina operibus probanda* omnibus *Sacerdotibus*, Magistris, et Doctoribus populi Christiani est intelligendum: et fere eodem modo in considerationem sumi debet, ut hic a n 175 de *fide* locuti sumus, nempe 1: Necessarium est, ut Sacerdotes doceant populum ad exemplum Christi venientis, *ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Unde monet Apostolus: *argue, obsecra, increpa,* *Doctrina nostra moribus probanda.*

pa in omni patientia, et doctrina. Ne *simus canes muti non valentes latrare*, et in nos cadat illud: *O Pastor! o idolum!* Zachariae 17. Lege totum caput ibi. 2. Verum ut fides, ita *doctrina sine operibus* non sufficit, hic n 175. Unde Pastorum Pastor, et Magister noster ad exemplum nostrum *caepit facere, et docere*, et illum, *qui fecerit, et docuerit, magnum in regno caelorum* fore pronunciat. Ex adverso Pharisei exprobrat, quod *dicunt, et non faciunt.* Tales quod verbo dicunt, exemplo destruunt. Lege evang *vos estis sal terrae*, et Hom 30 in festo S Gregorii M. potissimum attente considera illa ejus verba auro dignissima: *Nullum puto Fratres charissimi! ab aliis majus praejudicium, quam a Sacerdotibus patitur Deus.* 3. Differentia morum a doctrina nostra elucet ex n h 176. 4 Causae eaedem, quae fidei h n 179. ita et remedia eadem h n 181. Oremus igitur, et cum gratia Dei satagamus, *ut quod lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur:* Secus hac quoque ex causa juste metuere debemus illa tremendi Judicis tonitrua: *ex ore tuo te judico serve nequam! haec enim erat doctrina tua, hi mores tui! pulcherrime dixisti, et turpissime vixisti: Ideo doctrina tua erit tibi in perditionem!* Vide passim ascetas *de bono exemplo.* Verum

183. Ut quae hactenus diximus, potissimum de fervore charitatis, de vita reflexa, de viva fide, et doctrina operibus comprobanda, amplius animis nostris imprimamus, proponam bina theoremata Spiritualia velut potentissima ad *perfectionem, Sanctitatem, vitam continuae, et perfectae*, cujus indicia dedimus cap IX n XLIV cum not. et uberius cap XIV n XLVII, et LI, *charitatis* (his enim idem intelligo) incitamenta. En primum! sed lege considerate:

Dantur, qui nisi fiant sancti; erunt reprobi.

Dantur, qui nisi fiant Sancti, erunt reprobi. Fateor equidem, *multos* esse hodie caeli cives, qui si ardentiori studio, et fervore charitatem in vita frequentassent, hodie immensum majori sanctitatis gloria fulgerent in caelo. Nam ex cap XIV n XXXV, et not n XLIV cuilibet actui charitatis a justo elicito respondet distinctum gloriae caelestis augmentum, go si is, qui salvus factus est cum uno, vel pluribus, in se tamen paucis actibus charitatis, elicuisset plures, e g per totam vitam aliquot mille, toties majorem hodie gloriam in caelo haberet. Hoc ipsum potissimum esse debet cunctis charitatis incitamentum, et tales multos esse in caelo agnosco.

184. At enim Divina sapientia, cujus judicia non scrutanda, sed adoranda sunt, *aliquos* ita vocat ad sublimem vitae sanctitatem, ad charitatis ardentis insignem perfectionem, et inde ad excelsum gloriae caelestis tronum, ut si hunc reipsa non consequantur, ad nullum alium humiliorem, et inferiorem gloriae caelestis gradum sint admittendi. Pro his, ajo, medium non dari: Sed tales aut Sancti erunt, aut reprobi: nisi in regno caelorum fuerint primi, erunt nulli: nisi in decretum sibi sublimis perfectionis, et gloriae fastigium fuerint eluctati, erunt damnati. Primum hujus exemplum sunt Angeli reprobi, quorum innumeros Deus vocaverat ad Angelicorum chororum Principatum, ut inter Cherubinos, et Seraphinos aeternum fulgerent. Sed quia rebelles Deo ex eminenti hoc gloriae trono exciderunt, *locus alius inferior* in caelo inter inferiores Angelos pro eis *inventus non est*, sed *rudentibus inferni detracti* teterrimi Daemones sunt facti. Alterum exemplum est Proditor Judas vocatus ad Apostolicam dignitatem aliis Apostolis parem, atque in Ecclesia primam. Sed quia hac excidit minutis furtulis ad infandam Christi proditionem ex cupiditate pecu-

Exemplo reproborum Angelorum.

Judae.

niae

niae praecipitatus perivit miserandum, et qui parem caeteris Apostolis non sortitus est in caelo gloriam, factus est titio infernalis. Ex cujus tristi exitio discimus etiam, Deum electionis suae decretum saepe alligare venialis peccati evitationi ita, ut eo evitato ampliores daturus sit gratias ad gloriae fastigium consequendum: negaturus vero efficaces, et permissurus labi *in mortale*, ac *propter hoc* damnaturus eum, qui gratiae vitandi veniale non fuit cooperatus. Sic Judas primo ea, quae Salvatori, et Apostolorum collegio offerebantur, portabat, et ex iis furabatur minutim, inde accensa cupiditate mundi thesaurum Christum vendidit, et propter impiissimam hanc mercaturam perivit. Ex adverso ut jam vidimus, S Theresia vicit locum suum in inferno, si minus castigatas conversationes in junioribus annis non evitasset. Sed quia haec venialia evitavit, accepit ampliores gratias ad insignem sanctitatem perveniendi. Sic gratiae Divinae *in catenam eunt*: Si uni cooperemur, plures aliae misericorditer dantur: Si *haec*, *illave* negligatur, perduntur consequenter multae *ab hujus* bono usu pendentes. O judicia Dei abyssus multa! Si scires, ab una hac pendere salutem, quid non ageres? at forte pendet: ergo omnem gratiam ut sanctitatis, ac illustris gloriae tuae semen, ac fundamentum aestimes est neceſſe. *De catena gratiarum.*

Verum nihil terribilius hanc in rem adferri potest adolescente illo, qui referente Math cap 19, et Marc 10 *omnia mandata custodiverat a juventute sua*, ideoque a Christo *dilectus*, atque ad *perfectionem* vocatus illis verbis: *si vis perfectus esse, vende, quae habes, da pauperibus, et veni sequere me*, cum *in hoc consilio* Salvatorem non audivisset, sed *contristatus abiisset maerens* (*erat enim habens multas possessiones*) *circumspiciens Jesus ait discipulis suis: quam difficile divites introibunt in regnum caelorum! facilius est camelum per foramen acus transire.* Ex quo loquendi modo, et impossibilitate *humanitus* (*a*) a Christo usurpata passim colligunt Interpretes, Juvenem hunc divitiarum suarum amore in *gravia scelera* actum propter *haec* damnatum esse. O Deus magne, et terribilis! *quis Consiliarius tuus* fuit? Adolescens hic caeli cupidissimus fuit. v 16. Omnia mandata custodiverat v 20. Primam adhuc innocentiae stolam illabatam servaverat: et tamen postea graviori scelere contaminatus probabiliter sempiternum interiit, quia ad excelsiorem sanctimoniam vocatus caelestibus *consiliis*, ac *monitis* obsequi noluit. nempe etiam pro isto non dabatur medium: cum noluerit esse *perfectus*, et *sanctus*, probabiter *evasit reprobus*. Tinniant ad haec aures illorum, qui ad statum Religiosum, aut Ecclesiasticum, aut in Saeculo ad excelsam sanctimoniam vocati Dei vocem surda aure praetereunt! et sic filum gratiarum in hoc statu, ad quem vocati sunt, perturbant, negligunt que: Vereri proinde possunt, debentque, ne forte in alio statu, cui sese Deo invito ingerunt, deneget Deus *alias* gratias, quibus salutem inferioris gloriae consequantur juxta illud: *vocavi te, et renuisti; ego quoque ridebo in interitu tuo*: et olim exitio suo sempiterno *Exemplo Juvenis Evangelici.* *Justus timor negligentium gratias.*

(*a*) Sed non *Divinitus*: nam v 26 *ait: apud homines hoc est impossibile* salvari divitem: *apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Deus enim gratia sua facere potest, et facit quotidie, ut *si divitiae affluant, cor iis non apponatur*, et sic illae per bonam dispensationem fiant *instrumenta salutis*, et pretium gloriae caelestis. sic salvati sunt tott SS Reges, Episcopi, et laici opulenti multi. Hoc ad divitum Instructionem, ut bonis bene uti satagant.

terno discant, fuisse aliquos, *qui quia noluerunt esse Sancti*, negata eis inferiori gloria *aeternum perierunt.* (*a*)

Probabilae est, te ex eorum numero esse.

185. Alterum theorema: *Probabile est, te ex horum numero esse, ut aut perfectus, aut damnandus sis.* Audiamus S Bernardinum senensem serm 1 de S Josef: *Quandocunque Divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donat, quae illi personae sic electae, et ejus officio necessaria sunt.* Ex quo infert, S Josepho Dei hominis Nutritio, et Reginae Virginum Sponso collatas Divitus fuisse gratias prorsus singulares, imo (puto ego) post Deiparam, et *inter natos mulierum maximum Joannem Baptistam* nulli mortalium concessas: ratio in promptu est, quia Deus, utpote qui *disponit omnia suaviter et attingit a fine usque ad finem fortiter* Sap 1 v 8 volens *finem* aliquem sublimem vult etiam media ad eundem finem necessaria, et opportuna. Idque Apostolus expresse docet: *datam esse unicuique gratiam secundum mensuram donationis Christi* ad Ephes 4 v 7 idest: Statui, et vocationi a Christo donatae commensuratam. (*b*) Inverto ego paululum hanc veritatem, et dico: Deus, qui nihil frustra operatur, sed omnes mortales *in gloriam suam creat*, (ut vidimus cap XIV n XXXII) quandocunque aliquem singularibus naturae, et gratiae suae ornamentis instruit, evidenti argumento est, providentissimum Numen a tali nobili sua creatura, et miserationis suae compendio singularem sui amorem,

Propter insignia Dei in te dona.

Remedium pro negligentibus gratiam vocationis.

(*a*) Ne quem Lectorum in anxietates conjiciam, si quis accusaret se de *neglecta vocatione sua*, ei medicinam seriae paenitentiae svadeo cum Augustino in ps 140 dicente: *redi ad conscientiam tuam: Exige de teipso paenam: humilia cor tuum* per humilem confessionem: *Contere cor tuum* per intensissimum dolorem: *Crucia cor tuum* per jugem inordinatarum passionum mortificationem. Sic paenitendo assequetur illum Sanctitatis gradum, ad quem in statu a se neglecto vocatus fuerat. Apposite S Ambrosius l 2 de paen cap 3: *Tanta est paenitentiae medicina, ut mutare Deus videatur sententiam suam.* Si quis vero accusaret se, quod in sacrum statum a Deo non vocatus sese intruserit, eum juvari volo monitu Ecclesiastici 18 v 20: *Ante judicium adhibe medicinam: para justitiam tibi: et in conspectu Dei invenies propitiationem.* Et Doctoris melliflui epist 3: *para justitiam, bonas fac de caetero vias tuas, et studia tua, ac ministerium tuum, et siquidem vitae sanctitas* (aut necessaria doctrina, aut aliud requisitum) *non praecessit, SALTEM SEQUATUR.* Utroque hoc consilio non *tepidis*, ut vides, atque in sordidia sua putrescentibus, sed fervidis tantum consulere valemus, *pro illis*, ut teporem suum omnipotentis dexterae adjutorio excutiant, orandum svademus.

Signa bonae, et malae vocationis.

(*b*) Ex hac veritate *Novellus* Ecclesiasticus (in cujus gratiam ab initio laboramus) certo cognoscere potest, an a Deo ad hunc statum Sanctum vocatus sit? Scilicet considerando se, an habeat dona ad eum necessaria: quae sunt *probata vitae, ac morum integritas: Sufficiens immenso oneri doctrina: Recta intentio*, ut alii per nos *vitam habeant, et abundantius habeant*: *et Spiritus Ecclesiasticus*; Sive animus, promptitudo, facilitas, ac voluntas functiones sacras omnes prompte, decore, constanter exequendi, ac onera status sustinendi. Quibus si careat, certissimus sit, se non a Deo, sed a diabolo in perniciem aarum vocatum: potissimum si observet aliquod in se ex signis malae vocationis; quae sunt *cupiditas Bonorum temporalium: Ambitio dignitatum Ecclesiasticarum: Animus otiose vivendi: Ex respectu*, ac voluntate *parentum*, propinquo umve venire: Per importunas Patronorum preces sese intrudere. De quibus copiose egi in meo manuscripto: *Adolescens Ecclesiasticus ad sublimem statum suum manuductus* inticulato, dum tredecim annorum intervallo Alumnos Seminarii Albensis *Incarnatae Sapientiae* ad Dei Gloriam formare satagebam. Quia vero libro illi lucem jam non spero eo, quod praeter aetatem viribus me deficere sentiam; ideo *Novellis* Ecclesiasticis praesens opus, ac notissimum caput hoc ultimum svadeo: hinc enim fame virtutum, ac doctrinae hausta facile se excolent praeclarissimorum Auctorum passim a me laudatorum Lectione.

amorem, facinora illuſtria prorſus, quibus caeteris magis glorificetur Deus, exigere ita, ut in illo nihil mediocre tolleret, ſed niſi talis intentam a Deo, et donis ſuis ſatis manifeſtatam perfectionem attingat reipſa, velut rebellis, inobediens, ingrata Deo, negligatur penitus gratia efficaci, neglecta in peccata, et damnationem ruere permittatur. Sic palmes aut *vitis* regina arbuſcularum, *aut ignis* excluſo medio. Sic Pater Filium non admittentem diſciplinam exhaeredat penitus nulla ſorte ei data. Sic *quinque talenta uni ſecundum propriam virtutem a Dno* data Math 25 v 15 ita exigebant *lucrum aliorum quinque talentorum* v 20, ut ſi is *unum*, vel *duo* tantum lucratus fuiſſet, reſpectu *propriae virtuti*, et *datorum talentorum* non fuiſſet *ſervus* ſat *bonus*, et *fidelis*, imo reſpective *malus*, *et piger* v 26, ideoque probabiliter ut *inutilis ejiciendus in tenebras exteriores*, *ubi erit fletus, et ſtridor dentium* v 30. quin et in humanis qui negligentia ſua perdit *inſigne praemium ſingulari induſtriae* deſtinatum, ordinarie nullum inferius praemium conſequitur. Sic teſte Apoſtolo in *ſtadio* Romano *multi currebant*, *ſed unus accipiebat bravium*, aliis inferioris diligentiae *nihil*: et quod multum huc facit, ipſe Paulus ad Philip 3 v 15 agnoſcit ſe eſſe *perfectum*: et v 14 contendere ad *deſtinatum* ſibi *bravium ſupernae vocationis* Apoſtolicae, tamen 1 ad Cor 9 v 27 timet, *ne cum aliis praedicaverit*, *ipſe reprobus efficiatur*. Ergo Doctor Gentium praeter *excelſam Apoſtolatus*, nullam *inferiorem* in caelo ſperebat gloriam, quin ea perdita metuebat reprobationem. Ergo Paulus putabat ſe in caelo fore aut *Primum*, aut *nullum*. *Ad ſpecialem Sanctitatem.*

186. Deſcende jam, quisquis haec legis! in conſcientiam tuam, et niſi mortalium ingratiſſimus ſis, grata mente recognoſcere debes, maximis te a caelo *donis* ab adoleſcentia uſque in hanc diem fuiſſe cumulatum. Hoc clamant natales tui ingenui, et forte nobiles: membrorum, ac virium integritas, ingenii praeſtantia ad ſcientias, et virtutes conſectandas aptitudo, favores ſingulares tibi a ſuperioribus, inſtitutoribuſque tuis exhibiti: Graetiae, ac forte etiam dignitates tibi a Patronis, a Principe, aut Praelatis tuis in te collati, aut deinceps ſperandi. Hoc mire confirmat peculiaris illa providentia, quae te ab ineunte aetate per tot diſcrimina, et mirabiles eventus, per tam varios anfructus, per aliorum praecipitia, te inquam, tot aliis neglectis, aut emortuis conſervavit, enutrivit, in hunc ſtatum vocavit, in eoque exaltavit. An ideo? ut in oculis hominum magnus ſis? aut ut edas, bibas, ſuperbias? Splendeſcas? divitias accumules? domineris in clero? ut ſuſpiret Eccleſia divitem, quem ſaeculum antea habebat mendicum? ah contradicit caelum intonans: *in gloriam meam creavi eum*, *formavi eum*, *et feci eum*. Iſai 43 v 7 *Ego Dominus*: *gloriam meam alteri non dabo*. Iſai 42 v 8. Hanc majorem, inquam, Dei gloriam caeteris ſtudioſius a te propagandam urgent etiam ſingulares illae *gratiae ſupernaturales*, quibus abundas: illuſtrationes intellectus, motiones voluntatis tanquam *Dei ad cor loquentis voces*, quibus ad perfectionem aſſidue ſtimularis: tam praeſtantia ſolidae virtutis praeſidia, et incitamenta, nempe praeclariſſima aliorum *exempla*, quae forte tu contemnis: *libri* piiſſimi, quos vix legis: quotidianae *meditationes*, et *conſcientiae examina*, de quibus vix audire vis: *mentalis*, *et vocalis orationis* aſſiduum *exercicium*: quorum illud contemnis; hoc perfunctorie, otioſe, cum voluntariis diſtractionibus, ut finis ſit, abſolvis. Quotidiana Diviniſſimi *ſacrificii frequentatio*, a qua ſine flamma charitatis recedis, quia ad eam ſine ſcintilla charitatis accedis. *Et magnam Dei gloriam promovendam conceſſa.*

cedis. Nega jam, si potes, te insignibus solidae virtutis adminiculis quum naturalibus, tum supernaturalibus esse copiosissime instructum! imo grata mens agnoscere debet, te ideo misericordiae Divinae miraculum esse factum, ut in hoc statu, his facultatibus ad sublimem Sanctitudinis gradum elucteris, Divinam charitatem in te, et proximis inflammes, atque ut verbo, et exemplo *erudiens multos fulgeas* in caelo *sicut stellae* excelsa gloria *in perpetuas aeternitates*. Et quousque abuteris tam illustribus Dei in te donis? quousque Deo te ab sublimen sanctitatem his signis manifeste vocanti obluctaberis? quousque blandieris tibi de vita communi Lajcorum? et ultimo in caelo loco? qui probabiliter nunquam eo venies, nisi excelsum ibi paratum tibi gradum consequi studueris. An non times? an non *castigas corpus tuum* cum vase electionis, *ne cum aliis praedicaveris, ipse* perdita excelsa preeclarissimorum Verbi Dei Praeconum gloria, nec inferiori in caelo loco invento, *reprobus efficiaris?* An non saepe vidisti, quomodo faber, aut sculptor nodusum, et *nobilem formam* non admittentem truncum (neglecto interiori usu, cui aptus esset) in ignem abjiciat! et hoc exemplum non terret? tibi otii, negligentiae, commodae vitae studium non excutit? Horrore saltem complere te debet exemplum Episcopi Apocalyptici cap 2, qui charitatem Dei non (ut tu saepius) in totum perdiderat, sed ex fervore dumtaxat suo *primae charitatis* remiserat v. 4 *ex pusillamitate, tepore*, aut *ex humana prudentia* putans, *pacis caussa remissius cum hostibus fidei agendum*, teste Corn a Lapide in eundem locum: et tamen *nisi poenitentiam egerit*, et *PRIMA opera fecerit*, praedicit Vates Apocalypticus v 5: *Venio tibi, et movebo candelabrum tuum loco suo*. Et non times tu, qui dictis principiis humanae prudentiae plenus es, non, inquam, times, ne *veniat tibi* Dominus per mortem: *et moveat candelabrum vitae* tuae, *et suscitet* tui loco *Servum sibi fidelem, qui faciat omnes voluntates ejus*: sive quod aeque probabile est, *moveat candelabrum tuum* excelsae gloriae tibi in caelo ita decretae, si *prima opera* constanter *feceris*, et *charitatem tuam primam non reliqueris*: Secus neque hunc excelsum, nec nullum alium inferiorem in caelo locum consecuturus: Sed perire sive propter occulta praesentia, sive propter oritura ex tepore tuo mortalia permittendus. Quod decretum nec Deo, nec singularibus Dei in te collatis donis, sed a te turpissime neglectis repugnare, quin justissime timeri debere, ex hactenus dictis luculenter constat.

Ergo magno fervore ad eam connitendum.

Exempl Episcopi Apocaliptici.

187. Ais: Haec incerta sunt: et forte Deus de me tale decretum non concepit: Ideo cum mediocri salutis cura in misericordia Dei magna spero. Resp. non sunt equidem *absolute respectui tui* certa, quia tamen sunt ex conjecturis gravibus, et verosimilibus *positive* probabilia, quin tu Eorum verosimilitudinem vel tenuiter elidas: ideo prorsus temerarium est negotium negotiorum animae, aeternitatisque flebili voci *forte* committere, ac interim temporis veterno immersum profectus Spiritualis immemorem vivere. O *forte* vocem horribilem! forte non concepit: forte concepit! imo verosimilius concepit: ergone fortuito, casui, caeco eventui salutem committes tu! tu, inquam, qui in rebus temporalibus prudentiae laude flores? O prodigam caeli mentem! quando tandem eadem caelestia, quae terrena, diligentia curabis? In misericordia Dei sperandum et ipse jubeo firmissime, et quasi ex te nihil, ex illa omnia penderent: verum sperabat et Gentium Doctor, et

Temerarium est, salutem suam fortuito casui committere.

Praesul

Praeſul Apocalypticus: ſed tamen ille ſperans *caſtigabat corpus ſuum, ne cum aliis praedicaverit, ipſe reprobus efficeretur.* Huic ob remiſſum fervorem cum tota ſua ſpe *movendum candelabrum ſuum* minabatur Deus, niſi *primam charitatem* in ſe reſuſcitaverit, et *prima opera fecerit.* Scilicet *cum magna* ſpe *remiſſe* ſalutis negotium curare, quia Deus miſericors eſt, magna temeritas, et praeſumptio eſt vix, ac ne vix quidem vel in ipſis *Lajcis* ferenda, multo minus in Ducibus, ac Magiſtris populorum Sacerdotibus.

188. Sane omnes Chriſtianos monet Apoſtolus ad Philip 2 v 12, ut *cum metu, et tremore ſalutem noſtram operemur*, et ad Ephes 5 v 14, ut *ſurgamus, qui dormimus* tepore; v 5 *ut caute ambulemus, non quaſi inſipientes, redimentes tempus:* v 17 ut *intelligamus, quae ſit voluntas Dei. Haec eſt enim voluntas Dei Sanctificatio noſtra* 1 ad Teſſal 4 v 3. Omnes pariter Chriſtianos urget Princeps Apoſtolorum 1 Petri 10 *magis ſatagere, ut per bona opera certam noſtram vocationem, et electionem faciamus.* Omnibus pariter ſcriptum eſt: *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus ſum* 1 Petri 1 v 16. *Omnibus ſanctis, qui ſunt Epheſi. Elegit nos ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, et immaculati in conſpectu ejus in charitate.* Ad Ephes 1 v 1, et 4. Omnes Coloſſenſes Apoſtolus *ſanctos* vocat ad Colos cap 3 v 12 obteſtans v 14, ut *ſuper omnia charitatem habeant, quod eſt vinculum perfectionis*, et v 17 *omnia agant in nomine Domini Jeſu Chriſti.* Unde Doctor Angelicus expreſſe docet 2 2 q 186 a 6 ad 2: *Omnes tam Religioſi, quam ſaeculares tenentur aequaliter facere, quidquid boni poſſunt; eſt tamen aliquis modus hoc praeceptum implendi, quo peccatum vitatur, ſcilicet ſi homo faciat, quod poteſt, SECUNDUM quod requirit CONDITIO SUI STATUS.* Hoc eſt dictu: omnes Chriſtiani tenentur *conari, tendere ad perfectionem charitatis* (ut ibi in O aſſerit Angelicus) *ut ſint ſancti in charitate* ſub peccato Lajci obſervando comunes leges, Religioſi etiam vota, et ſtatuta ſui ordinis: Quorum omnium anima, ac finis eſt charitas. Si igitur omnes Fideles *conari* debent *ad ſanctitatem charitatis*: ſi omnes Chriſtiani ſingulari cum diligentia, *caute, magis ſatagere* obligantur, ut ſint *Sancti*, perfecto haec obligatio fortius longe ſtringit Eccleſiaſticos, ſpecula, Principes, ac Magiſtros Chriſtianorum. Quia *cui plus datum eſt, plus repetetur ab eo.*

Omnes fideles tenentur conari ad perfectionem charitatis ſuo modo.

189. Imo ex communi ſententia alii, lajci aeque, ac Religioſi juxta mox traditam Angelici doctrinam, et diſtinctionem tenentur *tendere ad perfectionem*, Epiſcopi vero tenentur *actu eſſe perfecti* ob ſtatus, ac miniſterii ſui eminentiam. Atqui in Preſbyteris easdem, quas in Epiſcopis qualitates, conditiones, ac virtutes requirit et Gentium Doctor 1 ad Timoth 3, et ad Titum 1 utroſque conjungens, et ipſa ratio miniſterii Sacramentorum (excepto ordine, et confirmatione) omnium, ac verbi Divini praedicandi hodie propria Sacerdotum, olim privative Epiſcoporum. Igitur non male putant illi, qui arbitrantur, Sacerdotes quoque, et ob Divinitatem Miſſae Sacrificii, et ob curam animarum *in charitate actu debere eſſe perfectos*, ſalva in caeteris Epiſcoporum praeminentia jure Divino conſtituta.

Sacerdotes tenentur eſſe actu charitate perfecti.

190. Metire jam Sacerdos Dei altiſſimi! an in te mediocrem ſalutis curam, cum otio, tepore, ac negligentia ſaepe ſaltem conjunctam tolleret Deus? an tu, qui in Eccleſia es Primus, in caelo poſſis eſſe ultimus? an ſingularia in te Dei dona, et chariſmata non ſint tibi indicio, Deum a te excelſam virtutem in vita depoſcere excelſam in caelo tibi gloriam decreviſſe, itatamen, ut ſi ad utrumque hoc

Secus abjectionem Dei metuere poſſunt.

non

non coneris, non elucteris, velut ingratus nullum alium in caelo locum consequaris, sed cum Angelis apostatis, cum Juda Proditore, cum Juvene Evangelico ad perfectionem vocato, sed renuente, (de quibus hic 184) aeternum perire permittaris! meditare, obsecro! cap 16 Ezech, ubi Deus *exaltationem*, ac *ingratitudinem* Jerosolimae amare exprobrat, tum ideo *abjectionem* ejus praedicit v 27 intonans: *Ecce ego extendam manum meam super te, et auferam a te justificationem tuam.* Tibi o Sacerdos Dei! haec potiori jure praedicit Spiritus Dni, quam Jerosolimae idololatrae, quod nempe in paenam stupendae ingratitudinis tuae, qua illustribus ejus in te congestis donis otio, tepore, negligentia, salutis tuae incuria respondisti, permittet te labi in mortale, et sic *ablata a te justificatione tua* perire. Noli tibi blandiri de praesenti justitia tua: Sed serio considera, quae sensim disposuerint Sodomam ad extrema peccatorum, et interitum: et an illa te non invenias: lege ibi v 49: *ecce haec fuit iniquitas Sodomae -- SUPERBIA, SATURITAS panis, et ABUNDANTIA, et OTIUM, et MANUM EGENO NON PORRIGEBANT, et ELEVATAE sunt:* Haec omnia ordinarie venialia sunt: atque utinam in te non reperiantur! Sequitur enim v 50: *et fecerunt abominationes* prioribus illis ad extrema malorum dispositi, *et abstuli eas, sicut tu vidisti.* Quod his evenit, ne tibi iis gradibus eveniat, sapienter cave. Non satis autem cavebis, imo praesentissimo damnationis periculo te expositum vides, nisi Divinae vocationi, electioni, charismatibusque ejus in te larga admodum manu congestis respondeas FERVENTI CHARITATE, ut *fias Sanctus, et immaculatus in conspectu ejus in charitate*, ad Ephes 1 v 4. Tanta enim Dei in te dona urgent te debere esse *Sanctum*: et nisi reipsa fias *Sanctus*, nullo alio inferiori in caelo pro te relicto loco, fore *damnandum*.

Initium sanctitatis sui illustris victoria in praecipuo charitatis obstaculo.

191. Ne te in tanto saluti periculo deseram, multos jam tibi modos ostendi *fervoris charitatis*, et sic *sanctitudinis* reipsa *assequendae* hoc cap a n XXVIII; Plerumque tamen illa incipit ab *insigni sui victoria*, tollendoque generose obstaculo illo, quod piis conatibus persectae charitatis maximo impedimento est: nempe *res* quaedam *abdicanda*, cui nimio affectu inhaeremus: aut *actio* quaedam *ponenda*, a qua maxime abhorremus. Hic est *horror difficultatis*, et *labor certaminis*, *qui* teste Kempensi l 1 c 25 *multos a profectu retrahit*: tollitur vero *subtrahendo se violenter ad quod natura vitiose inclinatur*: et facere *viriliter ea, quae sibi magis gravia, et contraria sunt.* Sic Augustinus abruptae generose turpi consvetudini, Alexius, et Joannes Calibita desertae domui Paternae, Gualbertus veniae inimico datae, Arsenius fugae in desertum, Borgias spretis aulae deliciis: alii innumeri sanctioris vitae exordia singulari cuidam *heroico actui*, et in eo *sui victoriae* adscribunt; et recte: insignis enim hujusmodi victoria est initium solidae charitatis, est uberrimus fons sublimium gratiarum, est pignus sanctitatis, et arha aeternae beatitudinis. Sic Abraham duplici illo de se triumpho, quo exivit Deo jubente de terra sua, et ad immolandum unigenitum suum promptum se exhibuit, ampliſſimam temporalis, et aeternae beatitudinis, ac potiſſimum desiderati cunctis gentibus Salvatoris Paternitatis benedictionem obtinuit. Noli tamen metuere lector! non te stimulabo ad *extraordinarium* quid eorum, quorum multa in Sanctis miramur: Svadeo unice, ut descendas in conscientiam tuam, et vides ea cum diligentia, qua te olim diabolus accusabit, et qua severitate Divinus

Judex

Judex judicabit: vide inquam, quaenam ſit illa res, quae te in charitate continua impedit? an forte defectus generalis confeſſionis ſemel exacte faciendae? aut praeſens habitus pravus? paſſio praedominans? otium? temporis perditio? ſomnus nimius? luſus? familiaritas periculoſa? negligentia? effuſio ad ſaecularia? amor cuticulae? gutturis? aut ventris? cupiditas temporalium? aut ambitio dignitatum? verbo quae ſit res? locus? perſona? officium? honor? commoditas? cui *mens* tua *agglutinata adhaeret?* et *quam Deus velut perfectae ſui charitatis remoram*, ac impedimentum *ſibi* a te *ſacrificari deſiderat?* attende Spiritus Sancti inſpirationem parata ad obtemperandum mente: et quam hoſtiam Deus ſibi mactandam deſignaverit, eam generoſo Abrahami Spiritu in te excitato, gladio charitatis Divinae fortiter armatus, zelo ſalutis propriae inflammatus, tuique odio ſtimulatus in ictum deſigna, arae charitatis impone, atque in ſacrificium Deo ſvaviſſimum immolabis: ac ne iterum tepore, negligentia, temporis tractu, aut quocunque alio modo reviviſcat, *cuſtodiam* particularis examinis, vitae ad Deum reflexae, aliorumque jam expoſitorum modorum *fervorem charitatis conſervandi* adjicies. *Adminiculis charitatis cuſtodienda.*

192. Haec ſi feceris, confidere poteris, te liberandum illo metu anxio perdendae ſalutis, quem tibi h a n 184 non vane incuſſi. Imo ſperare poteris, te *Patrem credentium in Chriſto Jeſu*, ac ducem ad caelum multorum conſtitutum iri, tibique dicendum: *Nunc cognovi, quod times*, et ames *Deum*, *et non pepercisti* rei inſtar unigeniti tui a te amati *propter me. Per memet ipſum juravi, dicit Dnus: quia feciſti hanc rem: et non pepercisti propter me: benedicam tibi, et multiplicabo* tibi gratias meas efficaciſſimas, et ſpecialiſſimas *ſicut ſtellas caeli*, et *velut arenam*, *quae eſt in littore maris. Poſſidebis* animam tuam in pulcritudine pacis, quam parit conſcientia bona animae in charitate Dei perpetua firmiſſime radicatae: *poſſidebis portas inimicorum tuorum*, affectus, ac inclinationes tuas vitioſas ut rex in fraeno habebis, ut non tibi noceant, quin tibi magno ſint ad perfectionem ſubſidio (hic n 194 ex ponendo modo) *et benedicentur in ſemine tuo* verbi Divini, et exemplis tuis *omnes gentes*, quae te audient, ut plurimae ex iis inſigni tua charitate *ſalutem conſequantur*: et ſic plene reſpondeas miſerationibus illis magnis, quibus Deus te ideo illuſtribus chariſmatibus ſuis decoravit, ut hic majorem illius gloriam inſigniter augeas, in caelo vero illuſtrem gloriae coronam conſequaris. O ſpem digniſſimam, quam omnes in ſortem Domini vocati a primo vocationis puncto ad extremum uſque vitae ſpiritum aſſidua noſtra victoria, continuoque charitatis ſervore certam faciamus! *Secum fert magnam Dei benedictionem.*

193. Et tamen, heu caecas mortalium mentes! multi ex ipſa *gente electa*, *Regali Sacerdotio* agnoſcunt quidem perfectionis Sacerdoralis neceſſitatem, agnoſcunt *terram* charitatis, ac continuae ſui victoriae *lacte*, *et melle* beatitudinis temporalis, (hic n 158) et aeternae *manare*: attamen *detrahunt* perfectae charitati, *quam* hactenus *inſpexerunt*, *dicentes*: eam *devorare habitatores ſuos*: in ea *monſtra eſſe de genere Giganteo* Num 15 v 33, ideo concludunt: *nequaquam valemus obtinere eam.* Hos inpraeſentiarum refellendos ſuſcipimus demonſtraturi, monſtra perfectae charitati obſtantia nequaquam eſſe draconis illius Colchici aditum omnem ad hoc *vellus* revera *aureum* praecludentis, ſed inania phantaſiae figmenta, proprii amoris *Excuſationes a vita charitatis refelluntur.*

ris ludibria, laborem, patientiam, sui victoriam, verbo sacro sanctam vocationem negligentium miseranda portenta.

Naturae indoles.

Ac primum quidem ad palliandam inertiam obtruditur *naturae indoles* prona in malum ab adolescentia, et *captivata in lege peccati.* Ad Rom 7 v 23. praetendunt namque, facile illos ad sanctitatem eluctari, qui cum Salamone *sortiti sunt animam bonam* Sap. 8 v 19, et cum Sadoc *egregiam indolem* 1 Paralip 12 v 28. At *non omnis*, inquiunt, *fert omnia tellus*, nec *ex omni trunco fit mercurius.* Sunt enim multi, quibus ipsa humorum, et inclinationum diversitas ingenti ad sanctitatem obstaculo est. Ego vero ajo: licet naturam habeas aeque furibundam ut leo, sangvinem ita vivum ut hidrargirum, aut adeo cholericus sis, ut *incarnatus diabolus* proclameris, aut ita proclivis ad venerem *sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus*: nihilominus *si ductum gratiae* fideliter, et constanter secutus fueris, per *charitatis semitam* recto cursu ad virtutis bravium pervenies. Quis enim fuit ingenio magis truculento, ac necem, sangvinemque magis sitiente, quam Saulus? actor 9. Quis magis ad voluptates pronior, quam Magdalena passim a Graecis (cap VIII n IX) *Meretrix* nuncupata? quis magis libidini deditus Augustino? divitiarum avidior Zachaeo? Lucri iniqui cupidior Mathaeo? et tamen hi, et ne eos extraordinaria divinae potentiae miracula putes, innumeri alii ex fastis Sanctorum noti feliciter expugnata adeo viscosa, ac rebelli naturae indole illustria hodie sunt altarium decora, perfectionis christianae exempla nobis ore D Ambrosii libr de Joseph inclamantia: *Sanctos non fuisse naturae praestantioris, sed observantioris*: Similes illos nobis fuisse in natura corrupta; similes proinde nos quoque illis fieri posse in charitate cum Salvatoris sanante gratia. An non omnibus sensibus quotidie experiris, quomodo silvestris, et amara arbor sive juvenis, sive annosa inserto nobiliori surculo corrigatur, itaque immutetur, ut fructus ferat dulces, mensisque illustribus aptos? atqui etiam tu, qui infaustam, Sanctitatique charitatis ineptam indolem te sortitum quereris, attestante Gentium Doctore ad Rom 11 v 24 *excisus es ex naturali oleastro, et insertus es in bonam olivam.* Igitur licet ex oleastro appareat, quis sis *per naturam*, quam vitiatam accepisti ab Adam, tamen etiam e contrario ex dulci oliva elucet, quid valeas *per gratiam.* Ex te equidem arbor es silvestris, amara, aspera, nihil habens praeter acrimoniam: at *cum oleaster esses, insertus es in bonam olivam, et socius radicis* dulcis, *et pingvedinis olivae factus es* v 17: ideo *inexcusabilis* ad Rom 2, si tuo tepori, negligentiae, aliisque amaris fructibus insrunitarum passionum tuarum naturam vitiatam, humorumque intemperiem obtendere pergas. Sicut enim omnis acrimoxia, caeteraeque usui humano ineptae qualitates silvestris radicis per insitionem rami dulcis evanescunt; ita etiam omnis naturae tuae feritas, et passionum intemperies caelestis auxilii succo mitescet, *Christi virtute* sanabitur, modo *hanc* in te agere sinas, nec *ejus* operationem prohibeas: ut succus boni surculi in radicem amaram, ita gratia Salvatoris sensim in omnes animae tuae facultates illabetur, eis suas dotes communicabit, et sic eandem in se, *in novum*, inquam, *hominem, qui creatus est in justitia, et sanctitate veritatis*, transformabit. Totum igitur hoc a tua pendet cooperatione, ut preclare concludit D Basilius Hom 3: *nemo in vitio constitutus seipsum desperare*, aut naturae vitia excusare *velit*, haud nescius, *agriculturam immutare habitudinem stirpium, et vigilem sui curam ope gratiae Divinae naevos mentium.*

Non obest sanctitati

194. Haec quamquam luce meridiana clarius refellant *excuſationes noſtras in peccatis*, proponam tamen tibi mirum *artificium ſanctitatis per* ipſas *praedominantes paſſiones* feliciter *conſequendae*: nempe *temperamenti tui*, cujuſcunque demum illud ſit indolis, *motionibus*, affectibus, inclinationibus *ſubſtitue Deum*, *ejuſque charitatem*, et ſic mira metamorphoſi et ipſae affectiones, quae ſanctitati obeſſe videbantur, tranſibunt in ſingulare perfectionis adminiculum, et (*mutato ſolum objecto*) periculum ſalutis erit nobis *Schala Jacob*, per quam ad ſublimem gloriam in caelum aſcendamus. Sic Magdalena, et Auguſtinus ſuam *ad amandum* proclivitatem retinuerunt, ſolum *profanis* ſuis *amoribus Deum* ſubſtituerunt: ita charitatis Divinae prodigia ſunt affecti. Paulus etiam poſt converſionem aeque minax, ardens, et zelans manſit, ut ante fuit: ſed ardorem illum, quem *perſequendae Eccleſiae* impie locaverat, *eidem propagandae* ſacravit. ideo plus omnibus Apoſtolis laboravit, atque ut Petrus Vicaria Chriſti in terris poteſtate, ita ille zeli, ac charitatis ardore Principatum inter Apoſtolos eſt conſecutus. Mathaeus avarae fami, quaeſtus temporalis animarum ſitim ſubſtituit. Ignatius gloriae militaris ſtudio Divinae gloriae propagandae zelum ſurrogavit, Gualbertus *odium* (quo *inimicum* perſequebatur) retinuit, ſed *illud* mutato objecto *in ſe* convertit. Quid ni et nos toto corde amplectamur artificium hoc ingentis meriti, et gloriae? ſaepe jam vidimus, hominem ſine *amore* eſſe non poſſe, ſed teſte D Leone *aut infimis delectari*, *aut ſummis*. Igitur *amori illicito Divinum* ſubſtituamus, licitum ad Deum referamus, ſicque et continuitati charitatis ſatisfaciemus, et perfectionis chriſtianae in caelo, et terra gloriam conſequemur. Diſcamus hanc artem ab ipſo diabolo, qui teſte Cirillo in Joan l. 6 c 16 *illuc nos maxime incitat*, *quo nos per noſmetipſos inclinari perſpicit*, *infirmitatem noſtram ad arma nequitiae ſuae convertendo*, *et morbo noſtro adverſum nos ipſos utendo*. Et S Leone atteſtante ſerm 5 de nat *ibi cauſſas quaerit nocendi*, *ubi quemve viderit ſtudioſis occupari*. Adhibeamus nos idem medium ad proficiendum, quo ſtigius alaſtor utitur ad nocendum, praedominantem in nobis paſſionem, et inclinationem charitati Divinae conſecrando. Id niſi facimus, *viri Ninivitae ſurgent in die judicii*, *et condemnabunt nos*: Ethnicus, inquam Philoſophus Ariſtoteles induſtriae hujus miram vim, atque efficaciam ſive ex Sacris Libris (ex quibus Graecos ſapientes multa hauſiſſe norunt eruditi) ſive lumine naturali advertens, et docens 2 ethic cap ult *ſpectandum eſſe*, *ad quae nos procliviores ſimus*, atque *inde in melius objectum abſtrahendos animos* noſtros, atque inclinationes.

Imo prodeſt mutato ſolum objecto.

195. Alii a charitatis perfectione excuſant ſe *vitae conditione* exiſtimantes, eam eſſe fructum quemdam peregrinum, qui non niſi in deſertis Anachoretarum, aut caenobiis Religioſorum, interdum utrobique tantum, creſcat: mundi vero incolis ob turbarum ſtrepitum, negotiorum molem, curarum multitudinem ſanctitatis ſemitam imperviam eſſe opinantur, et imaginaria hac impotentia freti eamdem tranquilli negligunt. Juvenes hanc curam remittunt in ſenectam: ſenes dolent, eam non curaſſe in juventa: pauperes invident divitibus tot adjumenta ſanctitatis: divites gemunt ſub tot ejus impedimentis: nobilis aulam, Judex curiam, miles arma, ſtudioſus litteras, civis opificium, ruſticus agriculturam, ſubditus Dominum, vir uxorem, haec virum cauſſatur, quod Deum ex toto corde non diligat. Omnes inanibus votis ingemiſcunt: O ſi alio in ſtatu, vel loco viverem! ſi alio munere fungerer! Si meliori fortuna

Nec vitae conditio.

fortuna fruerer! quam alius essem! quam pietati, orationi, charitati deditus viverem!

Omnis vitae status aptus est Sanctitati.

At hos omnes splendide falli, aut fallere, dum inertiae, ac teporis sui causſam *status sui conditionem* obtrudunt, luculenter ostendunt illustria *Sanctorum* ex omni sorte, conditione statu, et aetate exempla nobis ad sanctitatem praelucentia. Nam Hendricus in trono Imperatorio, Ladislaus in sceptro Regio, Stephanus in conjugio, Cunegundis in aula, Eustachius in castris, Ivo in curia, Grispinus in officina, Isidorus in agro, Vendelinus greges pascendo, Aquinas studendo, Hermannus aegrotando, Blandina ancillando, tot viri Apostolici praedicando, Nepomucenus silendo: Emericus in adolescentia, Elizabetha in senectute magnam sanctitatem sunt consecuti. Ad haec quis majoribus unquam negotiis fuit obrutus, quam Mojses, Josue, Samuel? quis gravioribus familiae curis distentus, quam Abraham, Isac, Jacob? quis amplioribus injuriis vexatus, quam Job, David, Jeremias? et tamen potuerunt hi, et quidem in lege veteri non obstantibus his impedimentis ad bravium virtutis pertingere, cur non tu in lege gratiae uberioribus, fortioribusque auxiliis praeventus? ad tanta sanctitatis exempla erubescat inertia nostra!

Si non per herbica opera, per curam minimorum.

196. At, inquis, nequeo, ut illi, *magna* agere. Ergo saltem cave, ne negligas *parva*. Nam cura *minimorum* est ordinaria ad *magnam* perfectionem via, qua ad bravium pervenit *turba illa magna* a Propheta Apocaliptico cap 7 v 9 visa, *quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis stantes ante tronum Dei.* Quid *minus* est, quam ut opera vi *status* agenda agas *bene* cum *intentione* charitatis: ut facias *amore Dei ea*, quae tui similes praestant *amore lucri.* Si tu opifex labores tuos sustentandae familiae necessarios affectu charitatis inaurares, vilem officinam tuam in illustrem sanctitatis palestram levi brachio transformares. Idem intelligi volo de omni hominum conditione, quae sub caelo est. Conf h n 41. Si non potes *magna* agere, saltem occurrentes quotidianas tribulationes (sine quibus nemo hominum vivit) perfer *ex charitate*, *quae patiens est*, *et omnia sustinet.* ad Cor 13. comprime ad levissimam injuriam erumpere solitam iram tuam; nam *charitas non irritatur.* Si nequis magnas eleemosinas dare, consolare afflictum proximum svavi alloquio, miti verbo, instructione ad patientiam leni charitate, quae *benigna est.* Si non potes *magna* virtute opes relinquere, exue ad eas affectum. Sic paupertatis perfectione, et merito non carebis. Si *magnus* es coram mundo, in honorum culmine constitutus, *humilia te in omnibus*, originariae vilitatis tuae (qua nihil fuisti ab aeterno, natus ex spermate faetido, modo es saccus stercorum, mox futurus esca vermium) memor, sis in oculis tuis vilis, unus ex minimis, imo infra omnes, etiam infimos, infra sceleratissimos, quin et ipso daemone pejorem te existimando ob peccata quae commisisti: ob talenta, quae sepelisti: ob dona Dei, quibus ingratus vixisti: ob gratias, quas neglexisti. Sic habebis charitatem; quae *non inflatur*, *non est ambitiosa.* quis quis in hoc mundi theatro es, fuge otium malorum omnium fontem: Statue aeterno apud te proposito amantissimum tui Deum nunquam deliberate offendendi: Actionibus omnibus, quas agis, adde *Spiritum Charitatis*; sive quo nihil es 1 ad cor 13 v 1: et si nihil eorum agere vales, quae *magni* Sancti egerunt, habe desiderium, et affectum ea omnia pro Deo agendi, et patiendi, et eorum meritis non carebis. Deus enim affectum coronat non effectum: intentionem aestimat, non censum: apud quem

Et intentionem Charitatis.

Regulae pro illustribus.

plus

plus valent *duo minuta viduae pauperis* cum charitate, quam multae divitiae *jactatae* in gazophilacium Marci 12 v 43: plus valet humilis oratio pro conversione peccatorum, quam superbus Apostolatus inter gentes, quam ornatae conciones *ad plausum* referendum dictae: plus valet charitatis studiosus ultimus Parochus, quam lingvis angelorum absque illa differens Doctor. *plus valet humilis rusticus, quam superbus Philosophus.* Ait devotissimus Kempensis. Obmutescant ergo, et instrui se patiantur, quicunque statum, ac conditionem, in qua eos Deus adoranda sua providentia constituit, maxime vero illi, qui senescentem hanc mundi aetatem, imbecillem hodiernam naturam nostram, verbo hanc mundi faecem aptam non esse sanctitati consequendae ideo garriunt, ut *mentiatur iniquitas sibi*, ut inquam, suum otium, inertiam, negligentiam in continua charitate, et vita ad Deum reflexa (efficacissimo ad sanctitatem medio) excusare coram hominibus videantur. Sed *Deus non irridetur.* Qui omnes homines, omnem aetatem, et sexum vocavit *ad sanctitatem per charitatem* assequendam, ut dixi hic n 188.

Nec arduitas laboris excusat a studio sanctitatis.

197. Ex quibus corruit etiam tertia excusatio *a laboris arduitate* connecta. Enimvero exeat e mundo, aut vivus sepulcrum ingrediatur oportet, qui omne *arduum* molli, et muliebri animo fugit: cum *labor, et dolor* gemini illi cardines sint, circa quos omnis omnium mortalium aetas a nativitate usque ad mortem constanti gyro circumvolvitur. Non teram tempus in hac veritate demonstranda: cum ad eam omnibus sensibus palpandam oculos tantum aperire, atque in mundi hujus universitatem obiter conjicere necesse sit. Si igitur nemo mortalium sine patientia vivit, si omnibus scriptum est: in *patientia possidebitis animas vestras*, nihil alienum ab homine inculco, dum charitatem, *quae patiens est*, cunctis persvadere satago. Et quam obsecro! *ardui* moliminis res est illius saepius meminisse pio charitatis affectu, qui nostri nunquam obliviscitur? imo *in charitate perpetua diligit nos?* an valde operosum putas, toto corde diligere bonitatem in se, et nobis infinite amabilem? ergone Gigantei roboris sit omnia creata ad Deum referre? Deum propter se, caetera propter Deum diligere? ergone impossibile sit exuere veterem hominem, ut induas Christum? contemnere caenum, ut obtineas caelum? abdicare affectum a creaturis, ut possideas omnium creatorem? quis prudens animus hujusmodi sensa non horreat? Sane si ad perfectionem Christianam necessarium foret cumulare opes, augere honores, aucupari voluptates: aut e contra haec actu possessa *effective* deserere, exire de mundo, ultra mare navigare, ultimam thulem sanctitatis quaerendae causa petere: haec equidem *ardua* recte dicerentur: tentanda tamen generose aeternae salutis studio forent. At quum Deus memor fragilitatis nostrae *neutrum extremorum* a nobis requirat, verum *medium iter* nobis *tutissimum* relinquat, ut quisquis in eo statu, in quo inscrutabili providentia positus est, charitatis fervori studeat: ut vel humili sorte contentus vivat, vel in alta dignitate humilem animum gerat: ut possideat aurum, non possideatur ab auro: ut *inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia*: ac potissimum cum ipse nobiscum una *operetur omnia in omnibus* 1 ad Cor 12. dans volentibus, ac conantibus cum gratia sua charitatem, quam jubet; nosque efficacissime *confortet*, ut omnes in via perfectionis difficultates superare, si velimus, valeamus: evidens cuique fit, vanissimam esse ab *arduitate laboris* petitam a charitatis perfectione excusationem.

Quia omnium vita labor, et dolor.

Studium sanctitatis arduum dici nequit.

Non plus requirimus quam mundus a ſuis.

198. Animaequioribus, obſecro! oculis introſpiciamus *arduitatem* in via charitatis, quam amor proprius adeo atris, quia ab orco mutuatis umbris, ac lemuribus depingit. Quis, amabo te Lector! quis inquam ex mundophilis *arduam* eſſe dicit eam diligentiam, quam vitae, ac ſtatui ſuo honeſte conſervando neceſſariam novit? nullus profecto, niſi inertiae, otii, et ſocordiae deridendum ſe praebeat eoipſo exemplum. Jam vero ut ſanctus, in charitate perfectus ſis, ſufficit, ut eodem horrore fugias peccatum, quo colubrum: ut eadem velocitate excutias tentationem, qua ſcintillam: ut eadem attentione ores, ſacrifices, qua ludis: ut eadem diligentia ſupputes conſcientiam, qua pecuniam: eadem cura conſerves munditiam mentis, qua veſtis: pari ſollicitudine invigiles, ſenſibus, qua opibus: ut non minori apud te loco ſit ſanctitas, quam ſanitas, Spiritus, quam corpus, anima quam eſca, Deus optimus, quam Pater, aut amicus amabiliſſimus. Praemiſſa omnia facillima putat *mundus*: et tu eandem diligentiam *arduam*, quin impoſſibilem clamas, dum *in ſui amore* exigit *Deus*. *Filii hominum! uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium!* ut vos ab *amore Dei continuo* excuſetis. Ad *quem* non plus requirimus, quam requirat mundus a ſuis cultoribus.

Imo hi plus pro mundo patiuntur.

199. Imo nec tantum, quin longe minus. Quis enim tantum tempus impendit *charitati Dei*, quam mundi Filii, Filiaeque illuſtriores ſe comendo? viſitationibus datis, et receptis, inanibus colloquiis, commeſſationibus, luſibus, ſaltibus, ſpectaculis frequentandis? quis *Dei cauſſa* tantum effundit, quantum hi in hos fines peſſumdant quotidie? quis ſacrorum virorum *pro Dei gloria* majora ſuſtinet, quam Patresfamilias in corrogandis iis quae neceſſaria ſunt uxori ſplendidae, liberis educandis, familiae alendae, ſtatui conſervando? cui Eccleſiaſticorum tantae cruces domi, foriſque *pro Deo* germinant, quantae conjugibus in cura infantium ſuorum? in refractaria liberorum indole, in domeſticorum improbitate, in triſti, cholerico, iracundo, ad rixas, et verbera prono conjugis genio ſuſtinendo? in morte charorum, jactura bonorum, in ſterilitate, in zelotypia inferni aemula? nulli charitatis ſtudioſo plures occaſiones occurrunt frangendae voluntatis, exercendae ſubmiſſionis, ſubjiciendi judicii, quam (qui feliciſſimi in mundo judicantur) Regum, ac Principum miniſtris ad nutum ſuorum: Dominorum judicare, cuncta agere coactis. Mercator ſtentoria voce clamat, plura ſibi fatigia devoranda, acriores curas, metuſque perferendos eſſe, quam cuilibet caenobitae: Judex, Magiſtratus, cauſidicus ſuo muneri ingemiſcit, piamque cum Deo quietem invidet Religioſis. Pone tibi ob oculos hominem, qui melioris ſibi fortunae faber eſſe cupiat, proh! quot injurias diſſimulare, quot aculeos concoquere, quot repulſas generoſe perferre miſerum hunc oportet: non eſt adulatio tam abjecta, non ſervitium tam vile, non labor tam ſpinoſus, quem ſubire, devorare (ringente intus mente) non cogatur. Sola gloria militaris tantas cruces habet, ut ſi eas *pro amore Dei* ferrent Bellonae clientes, ſummis caeli ſideribus annumerarentur. Multis diebus ſaepe continuis famem, ſitimque pati: integris hebdomadis, quin menſibus hiemalibus domum non intrare: vix ſub tentorio pauxillulum quieſcere: caelo, nivi.

nimibusque tegi, atque inter haec, plurimaque alia vel cogitatu horribilia omni momento ad ictum hostilis gladii, et globi paratum vivere tanta sunt, ut si haec *ex*, aut *cum charitate* sustinerent, summis primorum saeculorum Ecclesiae Martyribus in gloria coaequarentur: nunc quia (fere) gregarii ex dura interceptionis necessitate generosiores ob spem foenerantis numismatis, nobiliores pro merito promotionis tantum *defectu debitae institutionis* patiuntur, *etsi tradiderint corpus suum ita, ut ardeant, charitatem autem non habuerint, nihil iis prodest* attestante Gentium Doctore 1 ad Cor 13 v 3.

In charitate Dei diligentiam mundi amatorum requirimus.

200. Ex his, quae sine dolore commemorari nequeunt, infero I: *Eam saltem diligentiam necessariam esse in studio continuae charitatis, ac perfectionis, quae pro mundo passim adhibetur. Utinam Fratres!* ingemiscit Bernardus serm 1 de alt cordis, *utinam nos sic essemus cupidi gratiae Spiritualis, quemadmodum homines seculares pecuniae temporalis! utinam eadem constantia tenderemus ad virtutem, qua illi ad honorem! tunc equidem beati essemus. At proh dolor magna confusio est, et quidem magna valde! quod ardentius illi, et constantius pernicioſa desiderant, quam nos utilia.* S Laurentius Justinianus 1 de Obed c 9 horrendum intonat, quod nempe saeculares, *qui ut sua vota perficiant, Corpus periculis, animum perditioni exponunt, consurgent contra nos in judicio, et merito condemnabunt nos, qui tam leviter a pietatis tramite deflectimus. Objicient nobis, quos ob vilem gustum, et leve lucrum perpessi sunt labores quotidianos, animi angustias: et diuturna certamina: Cum e contra nos sudoris umbra exterriti, et bonorum caelestium incurii manus pigras sinui immiserimus* Ideo pie fortiterque hortatur dicens: *evigilemus corde, et mentis aciem erigamus ad Dnum Deum nostrum poscentes humiliter clementiam ejus, quatenus dignetur dominantem nobis propulsare inertiam*, ut fervore spiritus concepto *eamus de virtute in virtutem* continua charitate, *donec videamus Deum deorum in Sion* Eundem perpetua charitate possessuri.

Martires debemus esse aut charitatis, aut diaboli.

201. Infero II. *Aut fervore charitatis, Martyres Christi: aut defectu ejus Martyres diaboli nos fieri oportet.* Utrumque satis claret ex dictis hic n 4 v 76: ubi vidimus, *nemanem duo gaudia, duos caelos habere posse.* n 80: ubi exhibuimus *modos martyrij incruenti.* et n 81 *viam ad caelum unicam patientis charitatis* esse probavimus: confer et n hic 25. 44. 73. 119. 150: Quibus locis *assiduam nostri victoriam, et pugnam cum passionibus nostris necessariam* esse evicimus, id quod luculentissime inculcat Kempensis l. 1 c 13, et l 2 c 12: *quamdiu*, inquiens, *in mundo vivimus, sine tribulatione, et tentatione esse non possumus. Non est salus animae, nec spes aeternae vitae nisi in cruce. Non est alia via ad vitam, et ad veram internam pacem, nisi via sanctae crucis, et quotidianae mortificationis. Non est remedium evadendi a tribulatione, et dolore, quam ut patiaris. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum caelorum.* Ex quibus haec consurgit demonstratio: Omnibus mortalibus assidua patientia necessaria est, qui pro Deo, pro virtute (cujus Regina, finis, et perfectio est charitas) patiuntur, Martyres Christi sunt, ut nemo negat, et patet ex illo Christi: *qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre.* Hoc enim est *Martirem* esse *Christi* confiteri Christum, pati amore Christi, vel pro aliqua virtute supernaturali *nostro sensu* dispositiva ad charitatem, et identidem erumpente ad charitatem, ut dixi cap

XIV n XLIX (*a*) Ex adverſo autem qui non pro Deo, ejuſque charitate, ſed pro amore ſui, pro mundo, Carne, et Sangvine, pro voluntate propria, ac cupiditatibus ſuis adimplendis, patiuntur, eos *Martyres diaboli* eo vero ſenſu apello, quod *patientia ſua* non *regnum, et gloriam Chriſti*, ſed *regnum diaboli*, infernum, inquam, augeant, ſibique *cruce ſua aeterna* tormenta promereantur. Quales ſunt *animae diſſipatae, ad creaturas diſperſae, charitatis Divinae incuriae* hic n 160, et ſeqq deſcriptae. *Otioſae* h n 170. *Paſſionum ſuarum mancipia* n 180. *Excuſantes ſe a vita charitatis.* n 193. *Qui plus patiuntur pro mundo, quam charitatis ſtudioſi pro Chriſto* n 199. Tales ſunt, qui majorem vitae, actionumque ſuarum partem ad Deum non referunt cap XIV n XLVI recenſiti. Tales ſunt *ſeipſos amantes*, ſive inquibus *amor ſui fons omnium vitiorum*, praedominatur, dequibus cap X n LIX. Conſidera, obſecro! et ſtatue tuipſe, an non *Martyres diaboli* ſint illi, qui per adulationes, per Patronos, aliaſque vias illicitas *tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant* in infernum! an non *Martyres diaboli* ſint illi, qui neglecto Sacro Sanctae vocationis fine ſeipſos totos ad mundana, ad divitias per fas, nefaſque congregandas, ad vanae gloriae ſaecularis aurae fumum per mille cruces, et moleſtias devorandas captandum convertunt! qui item nimio cibo, diabolico potu vires, valetudinemque ſuam divinae gloriae amplificandae olim conſecratam peſſumdant ſeque morborum ſeminarium efficiunt. Quoties doluimus inter ſaeculares tales diaboli Martyres, qui poſt ſaltum repente aura hiemali refrigerati exanimes corruerunt! in ſexu ſequiori tales, quae pro more inepte veſtitae morbo accepto finem vitae, finem mundanae obſervantiae fecerunt, ſed toleratis inter haec crucibus ita finem fecerunt, ut illas aeternis ſupliciis commutarint. Et adhuc *arduitas laboris* in conſectanda chriſtiana perfectione obtenditur?

Imo neglectus charitatis in multis infernum vivum parturit.

202. Imo vero ut vidimus h n 158 *continuam charitatem eſſe caelum terreſtre*, ita ex adverſo ejus neglectus multis eſt *infernus vivus* ipſa vita durante. Teſte D Hieronimo in Regul Monach: *Sine charitate caenobia ſunt tartara, et habitatores ſunt daemones: cum hac vero ſunt paradiſus in terris, et in eis degentes ſunt Angeli.* Quod et de aliis commitatibus Fraterna invicem charitate (germana ſorore Divinae charitatis) deſtitutis aeqnae veriſſimum eſt. Dictum eſt Meliflui ferm 3 de aſc Doni: *ceſſet propria voluntas, et infernus non erit.* Neque enim indomita voluntas *aeternas* tantum *ignes* ſuccendit, ſed perſaepe, et in hac vita *illis* ſimiles tempeſtates, furiasque parturit, dum impia ſua conſilia everti, deſideria impediri, com-

hac

(*a*) Viderint adverſarii, an Martyrum loco habere poſſint eos, qui ex motivo ſupernaturali inferioris virtutis ad *charitatem* non relatae, nec *ea* formatae occumberet? contradicente per expreſſum Angelico hic cap XIV n XXXV: *actus*, inquit, *patientiae, et fortitudinis non eſt meritorius, niſi ex charitate operetur ſecundum illud* 1 *ad cor* 13: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt:* Ex quo diſcimus, locum Apoſtoli de *actuali* vel *virtuali* charitate *operoſa*, et *meritoria* vitae aeternae accipiendum eſſe: non de habituali, ut ibi definit Angelicus: *Gratia habitualis eſt principium remotum, ut poſſimus mereri: ſed charitas actualis eſt proximum merendi principium.* Haec quoque nos ad *continuam charitatem* urgere debent: cum palpare liceat, ſecus opera noſtra *etſi ingratia habituali facta* vitae aeternae meritoria non eſſe. Quam ferax gloriae caeleſtis ſit doctrina continuae charitatis, diſce ex not ad n XLIV cap XIV, ideo hoc quoque nomine omnibus viribus commendanda.

moda tolli, conatus infringi, diſſiparique ita cernit, ut malit, cum Achitophel mori, quam inter dolores ejuſmodi vivere. An non adhuedum viventes jam infernales poenas auſpicati ſuo modo ſunt illi potentes, et divites, qui cum Amano nihil ſe habere putant, dum Mardocheum, aemulum ſuum florere in aula, ſedere ante ſe, cunctis acceptum eſſe vident, ideoque amaris obruti cogitationibus, depreſſo, exacerbato, furente animo pleni, prae indignatione fere diſrumpuntur? nempe *dura eſt ut infernus aemulatio.* Cant. 8 v 6. An non infernum vivi jam inchoarunt illi, qui propter paupertatem, et inopiam, propter infirmitates, propter damna, et injurias, alioſque caſus ſiniſtros, (quos *charitas patiens* de manu Domini laeto animo acceptat, toleratque) felle amaritudinis pleni murmurant, blaſphemant, ſus deque miſcent furore omnia? an non vivum in pectore infernum circumferunt illuſtres illi illaeque, qui abundantes, caeteris omnibus propter infrunitam concupiſcentiam invident infimis ruſticis ſortem ſuam propter pacificum matrimonium, maluntque pudicitiae, exiſtimationi, honori, imo verae fidei nuncium mittere, quam poſt concupiſcentias ſuas non ire! Quemadmodum *ſecura mens quaſi juge convivium, et conſcientia recte factorum* quaſi *praeguſtus eſt caeli*, ita ex adverſo *ſtimuli cunſcientiae ſceleratorum* vivus infernus ſunt, vultures infernales ſunt animum uſque adeo miſerandum in modum pungentes, rodentes, depaſcentes, ut multi malint violenta ſibi morte laqueo, praecipitio, plumbeo globo, aliiſque infandis modis, illato in verum, ſempiternumque infernum ſponte deſcendere, quam in vita vivum illum infernum diutius ſuſtinere. Quod ſi praetendas *rara* eſſe hujuſmodi inſaniae exempla: negare nequis, *ordinarium* eſſe, quod *non ſit pax impiis:* quod *fugiat impius nemine perſequente*, atque ad minimum ſtrepitum improviſum, ad motum folii artubus omnibus contremiſcat; ad gravius autem periculum, ad ſonitum ſclopeti, aut tonitrui pene exanimetur, quaſi omnes jam adeſſent tartari in ejus interitum. O ſi multorum (qui *induuntur* quotidie, *et epulantur ſplendide*) conſcientias liceret introſpicere, quot eorum, quos in mundo felices putamus, ob neglectum charitatis vivum in pectore infernum circumferre cum horrore videremus. Ita nempe *malum, et amarum eſt reliquiſſe Dnum, et charitatem ejus.* (*a*)

203. Ite jam, ite mundi filii! et *viam charitatis continuae arduam* eſſe dicite! quando palpare jam poteſtis, *neglectum charitatis Martyrem* diaboli facere, infernumque vivum vobis cudere: hoc eſt dictu: tanta mala cauſſare, quibus majora nec ipſe tartarus vobis inferre poſſet! cum potiſſimum horum omnium malorum unicum remedium ſit *charitas*, quae *patiens eſt*, *benigna eſt*, *non aemulatur*, *non inflatur*, *non eſt ambitioſa*, *non quaerit*, *quae ſua ſunt*, *non irritatur*, *non cogitat malum*, *omnia ſuffert*, *omnia ſuſtinet.* 1 ad Cor 13. Vos! vos! qui viam charitatis *arduam* eſſe clamitatis, olim ſero licet

Omnium malorum medela charitas virtutum apex.

(*a*) Si tibi obtingat talis mundi, et diaboli Martyr, fac primum per exactam Confeſſionem evomat omne ſuum virus: dein inſtilla illi *veri in terra ſolatii fontem charitatem.* hic 211. 212. *Reſignationem in divinam voluntatem* h 218, et ſeqq. *Refugium ad Crucifixum* h 226, et ſeqq. *Viam unicam ad caelum pati* h 247 cum not. Si his mediis rite uti voluerit cum gratia Dei, impoſſibile eſt quamcunque afflictam, et deſperabundam animam ad pacem, et evangelicam patientiam non componi. Sed plerumque in defectu cooperationis ſitum eſt ut praeſtantiſſimis etiam medicinis non reveletur aeger potiſſimum ſpiritualis.

cet deplorabitis errorem hunc longé omnium, qui fingi poſſunt, graviſſimum, *gementes: ergo erravimus a via veritatis! LASSATI ſumus in via iniquitatis. et perditionis: ambulavimus VIAS DIFFICILES: VIAM autem DOMINI IGNORAVIMUS* verae, ac ſolidae charitatis: quae eſt *vinculum perfectionis* ad Coloſſ 3 v 14. *Plenitudo legis* ad Rom 13 v 10. *Perfectiſſima juſtitia* Auguſtin in ſoliloq 1 2 *tota animae praeſtantia ut ait melliſluus ſerm. 9. in cant. a charitatis menſura deſumitur; qualis amor eſt, talis homo eſt.* clarius id ipſum ediſſerit Auguſtinus in ſoliloq 2 dicens: *Si bonum amas, bonus es: ſi malum malus es: ſi ſummum bonum amas: optimus es. Amas vanitates, vanus es, amas terrena, terrenus es: amas Deum, divinus.* Ita in charitate ſita ſunt omnia. O miſeri mortales an non omnes vultis divites fieri? *veras divitias amate* quae eſt in charitate, *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* An non omnes vultis magni, et honorati eſſe? *et innumerabilis honeſtas per manus illius.* An non omnes deſideratis beate vivere, et beate mori? ſoli *charitatis ſtudioſi BEATE VIVUNT, et BEATE moriuntur.* Id vero ob rei gravitatem paululum enucleatius ob oculos ſtatuamus.

Falſae ideae de tetrica vita charitatis ſtudioſorum.

204. Adeo ſiniſtra opinio non nullorum animis de *piorum*, charitatis, perfectionis, ſanctitatiſque ſtudioſorum vita inſidet, ut *illis* nihil triſtius, horribiliuſque pingi poſſit. Fingunt enim ſibi de illis formam extra mundum poſitam, totam pallidam, tetricam, ciliciis undique cinctam, flagellis miſere cruentatam, jejuniis faede emaciatam, genis propter aſſiduas lacrimas defoedatam, pectore ſaxorum tunſione lacerato, omni gaudio, ſolamine, et amaenitate penitus carentem.

Qui vere beate vivunt.

At caecorum hoc de colore judicium, et fanaticum phantaſiae mundi filiorum eſſe ludibrium ideo fictum, ut ſanctitatis ſtudium ſibi, aliiſque impoſſibile, et inpracticabile eſſe perſvadeant, evidenter conſtabit, poſtquam docuero, *charitatis continuae ſectatores* hic etiam mortali vita durante mire *beatos, feliceſque eſſe* triplici ex cauſſa 1: *ob chariſmata*, quibus gaudent. 2. *Ob ſolatia* quibus abundant. 3. *Ob ſpecialem Divinam providentiam*, qua ſuper alios protegguntur, ac foventur. Expendamus ſingula curſim.

Ob chariſmata quibus gaudent.

205. Primus fons beatitatis piorum ſunt *quatuor chariſmata, queis affluunt:* et haec reſpondent quatuor *dotibus corporis glorioſi, claritati, agilitati, ſubtilitati, impaſſibilitati*: quae modo quodam morali viatoribus Divinae charitatis ſtudioſis anticipato munere communicantur a Deo: et quae quatuor quaſi portae charitatis ſunt, per quas in animam juſtorum intrat *pax, quae exſuperat omnem ſenſum.* Nam *intellectus* eorum per caeleſtia lumina, quibus aſſidue illuſtrantur, tantam aquirit *claritatem*, ut inter tot erroneas, queis orbis obſcuratur, et Eccleſia affligitur, de vera pietate opiniones *quaſi ſtella matutina in medio nebulae* refulgeat bonum a malo, verum a falſo gratiae caeleſtis luce diſcernendo: Talis axiomatum evangelii veritatem intime penetrat: octo beatitudines (a mundi amatoribus magnas calamitates haberi ſolitas) genuinas beatitates aeſtimat: latentem in contemptu gloriam, reconditas in paupertate evangelica divitias, dimanans ex adverſis ſolatium (quae mundanis chimerae videntur) clare perſpicit: corporis voluptates, ſenſuum illecebras, mundi vanitates, inane coram Deo nihil adeo perſpicue agnoſcit, ut ſatis mirari nequeat, reperiri Chriſtianos, qui iſta aeſtiment, ſectenturque. Verbo ex illis ſunt, *quibus datum eſt noſſe myſteria regni Dei.* Math 13 v 11. Quantae autem voluptatis ve-

Nempe claritate intellectus.

rae

rae ſcaturigo ſit tanta caeleſtium cognitio? illi vere cognoſcunt, qui aſſidue ad Dnum clamant: *alauge fidem* charitate operantem!

206. Porro ex *claritate intellectus* profluit mira ad quodvis bonum operandi *agilitas* ad omnes Dei nutus exequendos in momenta parata. His ſolis *jugum Chriſti ſuave eſt, et onus ejus leve.* Hi injurias ſibi illatas, deſpectiones, calumnias non tam dulce patiuntur, quam pro Deo anhelant. Spontaneas corporis afflictationes, aſſiduas pietatis, potiſſimum charitatis exercitationes, congruas ſtatui functiones quantumcunque in ſe duras, ac amori proprio repugnantes charitatis melle edulcoratas non aſperata in rugas fronte, non animo ſervili, et quaſi triſtis mancipatus pertaeſi, ſed alacres, conſtanter fervidi obeunt memores illius Apoſtoli: *hilarem datorem diligit Deus.* Haec eſt icon voluntatis charitate Dei inflammatae picta a Meliſſuo ſerm 3 de aſcens Dom dicente: *ad omnia viae, et vitae hujus religioſae exercitia non ſolum ambulant, ſed et currunt imo potius volant, ut eis vigiliae breves, et (ſicut) cibi dulces; labores non ſolum tolerabiles, ſed et acceptabiles videantur.* O Sortem beatam currentium *de virtute in virtutem!* Quis veſtrum vivum hunc animi paradiſum non *invideat ſancta invidia*, quae ſcilicet nos quoque ad parem in charitate conſectanda *agilitatem* extimulet! *Agilitate voluntatis.*

207. Hanc voluntatis *agilitatem* comitatur Singularis *memoriae* quin totius *mentis ad divina penetranda*, et *diſcernenda ſubtilitas*: qua animae charitatis plenae Deum ſibi intime praeſentem adeſſe, omnia ſua audire, intueri clarius aliis penetrant. Ut *amicus amicum intimius cernit*, et agnoſcit, ſic illi Deum omneſque ejus perfectiones amplius norunt, divinos ad ſe impulſus ut vocem amici facilius audiunt, promptiſſimeque exequuntur. Praecipue autem *ſubtiles* ſunt in detegendis pravis ſuis, ſuorumque filiorum ſpiritualium appetitibus, in pernoſcendis eorum cauſſis, in amovendis virtutum impedimentis, quae morum emendationem, charitatis augmentum, ſpiritus profectum remorantur. Et haec tanta cordis dulcedine, ut interiorem, qua diffluunt, animi pacem frons oculi, vultuſque non obſcure loquantur, ſaepe dulces lacrimae teſtentur, ſive dum interne ipſi cum amato ſuo, ſive cum aliis de eodem loquuntur. Luculentum in hoc eſt exemplum D Ignatius Lojola omnibus Theologis ſpeculativis Deum *ſubtilius* practice noſcens, atqueideo ex cognitionis *ſuperabundantia* identidem amanter ad Deum clamans: *O Deus! ſi te homines noſſent!* quae pauca verba magnam ſignificant ſuper hominum caecitate, ac craſſa hebetudine admirationem nec non affirmationem, fore ut omnes in Deum ardentiſſima una ſecum charitate raperentur, ſi pari ſecum *ſubtilitate* noſſe Eum fatagerent. Ita ſapientis dicto *noſſe Deum* notitia charitatis *radix eſt immortalitatis*: idque non *futurae* tantum, ſed et *praeſentis* vitae: etenim *Subtilitate memoriae.*

208. Ex hac mentis ad Divina cognoſcenda *ſubtilitate* ſequitur felix illa alterius beatae vitae aemula *impaſſibilitas*: qua *Deum practice noſcentes animae* cognitione ſua (*ut fere beati viſione beatifica*) ita Deo inhaerent amando, ut ab illo nullis mundi fallaciis, nullis tentationum aſſultibus, nullis carnis illecebris abſtrahi (*moraliter*) poſſint: ita quodammodo fiunt *impeccabiles*, hoc eſt dictu *incharitate* firmiſſime *radicati*, ut nulla cupiditas, nullus ſenſus, nullus rei extra Deum amor *gravius* animo vulnus inferre facile queat. Imo ita plagis animae lethiferis imperviae continuata charitate redduntur, ut *malis animi ſuperiores* inter proſpera, et adverſa ſibi ſemper conſtent, nec adverſis dejiciantur, nec proſperis efferantur: ſed aequabili ſem- *Impaſſibilitate.*

per

per moderamine ſuis uſque affectibus magnanimae dominentur: mundana omnia pro Deo *arbitrantes ut ſtercora*, atque ideo cum Lojolitarum Parente identidem ſuſpirantes: *quam mihi ſordet terra, cum caelum aſpicio!* quia charitate caelorum Domini ebrius nihil in mundo dignum amoribus meis invenio! taliter *impaſſibilis* fuit Gentium Doctor ad Rom 8 v 35 conteſtans: *quis nos ſeparabit a charitate Dei? tribulatio? an anguſtia! an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio! an gladius? propter te mortificamur tota die. Aeſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum, quia neque mors, neque vita, - neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei.* Confer cap X n XXII, et ſeqq. Ubi demonſtravimus, juſtitiam veram eſſe *ſtabilem, perſeverantem, firmiter radicatam*: quod hic dicimus *impaſſibilem.*

Quibus in terra caeli cives efficimur.

209. O ter, quaterve beatas Dei amantes animas! quibus in hac adhuc lacrimarum valle feliciſſima conceduntur chariſmata, quibus Sanctorum in caelo corpora fulgebunt in omnem aeternitatem. Quis non toto conatu conſectetur charitatem? qua teſte Chriſoſtomo Hom 20 in Math *interrarum adhuc regione degentes quaſi jam in caelis vivimus*: caeleſtium civium dotibus ornamur: imo intellectus *claritate* angelos, voluntatis *agilitate* ſeraphinos, mentis *ſubtilitate* cherubinos, *impaſſibilitate*, ſive aequabili ſemper in bono ſtabilitate Thronos, ac Dominationes aemulamur. Et quantae haec chariſmata ſerenitatis, pacis, ac verae dulcedinis cauſſae ſunt, et principia! non calamus exprimere, non lingva dicere: *expertus poteſt credere, quid ſit Jeſum diligere.*

Media chariſmata illa obtinendi.

210. Quis igitur non *aemuletur haec chariſmata* cunctis mundi donis, ac ornamentis *meliora*? en tibi *media* efficaciſſima: *obſcuritas* intellectus *langvor*, *et torpor* voluntatis ad bonum, e peccatis, et pravis habitibus nata memoriae, ac mentis non niſi ad terreſtria, et carnalia inclinatae *craſſitudo, appetituum* ex dominante paſſione identidem erumpentium, et in gravia mala voluntatem inclinantium *rebellio* ſunt *quatuor venti a quatuor plagis* originali, et actualibus peccatis corruptae natnrae, qui tantas in mortalium animis tempeſtates excire, omnemque cordis pacem ſus deque vertere conſveverunt. Tolle haec, et conſequeris dicta chariſmata. Tolle *obſcuritatem intellectus* aſſidua *fide viva* per dilectionem operante. Tolle *Langvorem voluntatis* fervore charitatis. Purifica animum *a peccatis, et pravis habitibus* continua Dei charitate: mortifica *praedominantem paſſionem* valentiore in Deum charitate: et invenies pacem cordis magnam, dictaque caeleſtia dona. Quid hiſcis? Quid frontem contrahis? quid remurmuras ad ſolam mentionem laboris, charitatis patientis, mortificationis? *Chriſtum oportuit pati*, et ſic morte, ac glorioſa ſua reſurrectione obtinuit quatuor illas corporis glorioſi dotes: nec tibi alia pingetur via: ergo oportet et te pati, mori peccato, carni, mundo, et reſurgere a morte paſſionis praedominantis, ac in novitate vitae *charitatis continuae* ambulare: oportet occidere veterem hominem, *crucifigere carnem cum vitiis, et concupiſcentiis ſuis*: oportet *cruci configi Chriſto* clavis timoris, amoris, et mortificationis: et ſic reſurges in vitam animae *impaſſibilem*, ut tibi *mors* peccati *ultra non dominetur.* Si commortuus fueris, et conglorificaberis adhuc in hac vita mortali dictis corporis glorioſi chariſmatibus.

211. His chariſmatibus accedunt *mirifica illa ſolatia*, quibus *charitatis, et perfectionis ſtudioſi* in mortali adhuc vita ſuper omnia mundi

mundi fluxa, et vana gaudia abundant, diffluuntque. Tales enim ut ait Auguſtinus in pſ 84 *in illo gaudent, quod non poteſt perire*: illi innituntur, qui non poteſt corruere, illi confidunt, qui non poteſt fallere: illum amant, qui ſolus eorum mentem ſitim, ac deſideria poteſt implere, ideo neceſſario ſoli vera, ac germana voluptate perfruntur, et inſtar altiſſimi montis olimpi omnes terrenas nubes, viciſſitudines, ac tempeſtates mundanas toto vertice charitatis ſupergreſſae conſtanter ſerenos numerant dies. Vis teſtes? audi Apoſtolum: *Superabundo gaudio in omni tribulatione mea.* 2 Corinth 7 v. 4. Audi Xaverium clamantem: *ſatis eſt Domine! favores: amplius, amplius dolores!* vide Aloyſium, et Stanislaum prae charitatis dulcedine, et ardore illum novam auram captantem; hunc flammas pectoris frigidis pannis temperantem. Audi alios paſſim ſanctos conteſtantes, omnes patientias, labores, et aerumnas in virtutis paleſtra perdiu exantlatas unica ejusmodi mentis *dulcedine*, quam diligentibus ſe largitur amantiſſimus Deus, centuplo faenore compenſari: *eam* eſſe caelaſtium deliciarum praenuncium nectar, et ambroſiam Divinae menſae, *cui* atteſtante Mellifluo epiſt 114 *comparata omnis alia jucunditas maeror eſt: omnis ſuavitas dolor eſt: omne dulce amarum eſt, quodcunque delectare poteſt, moleſtum eſt.* Confirmat haec Spiritus Sanctus per ſapientem. Eccli 30 v 16 dicens: *non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.* Et ne haec ad rariora conſtringas illuſtriorum Sanctorum privilegia, abſolute de omnibus *rectis corde* pronunciat pius Aſceta Kempenſis l 2 c 4: *Si eſt gaudium in mundo, hoc utique poſſidet puri cordis homo.* (Sicut ex adverſo eodem ibi teſte *ſi eſt alicubi tribulatio, et anguſtia, hoc melius novit mala conſcientia:*) et l 3 c 10 exclamans ait, *o quam magna multitudo dulcedinis tuae Dne! quam abſcondiſti timentibus te. Sed quid amantibus? quid toto corde tibi ſervientibus? vere ineffabilis dulcedo, quam largiris amantibus te!* conf h n 158: ubi charitatem continuam *caelum terreſtre* eſſe vidimus.

Charitatis ſtudioſi beati ſunt ob ſolatia, quibus abundant.

212. Exeat nunc neſcio quis attritioniſta, pene cum contenſon cap XIV n XLII in not dixero, moribus atheiſta, et *vitam charitatis continuae*, mortificationis, ſolidaeque virtutis aſperam, difficilem, impoſſibilemque eſſe garriat apud imperitum vulgus! quando jam palpat, *hanc ſolam* eſſe veri ſolatii fontem uberrimum. *Non experior*, inquis *deſcripta a te ſolatia*: O te inſenſatum, atque extreme corrupti guſtus hominem! tuone? an Dei defectu non experiris? Deus aſſerit Marci 10 v 30 cum juramento: *Amen dico vobis, nemo eſt, qui reliquerit omnia* (affectu ſaltem ut *temporalia ſint in uſu, aeterna in deſiderio*) *qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc cum perſecutionibus, et in ſaeculo futuro vitam aeternam.* Hoc *centuplum* eſt *dulcedo* illa caeleſtis, gaudium, pax, tranquilitas mentis, et laetitia cordis, qua Deus compenſat ſuis deſerta, aut ſaltem praedominante charitate infra ſe calcata ſpuria mundi gaudia. *Illam* qui non experitur, vere non reliquit omnia, non *exſpoliavit veterem hominem, nec induit novum*, non evacuavit omnes affectus ſuos illicitos, nec licitos ad Deum ordinavit: Secus promiſſum a Deo, qui mentiri nequit, *centuplum de nectare caeli* recepiſſet. Ita Kempenſis l 3 c 10 cit. *Invenient ſuaviſſimam Spiritus Sancti conſolationem, qui pro amore Dei omnem carnalem abjecerint delectationem.* Quia nempe *nemo poteſt duobus dominis ſervire*, duo gaudia poſſidere: nemo poteſt et Aegypti caepis, olliſque carnali guſtu veſci, et caeleſti manna deliciari. O nos inſenſatos, qui cum filio prodigo malumus in-

Si tamen mundi gaudia contemnant.

ter porcos famere, et ſiliquis mundanarum voluptatum paſci. quam divinis illis cupediis nos dignos reddere! o guſtum noſtrum penitus corruptum! o Domine! immitte nobis nauſeam mundanorum, ut ſic tandem ſuperna, vera illa gaudia appetamus!

Beati ſunt ob ſpecialem Divinam providentiam.

213. Tertia beatitatis terreſtris, qua charitatis ſtudioſi in hac vita abundant, cauſſa, ac fons eſt *ſingularis providentia numinis*, qua hi *ſpeciatim* regnntur, et foventur. Equidem providentia numinis extendit ſe ſine exceptione ad omnia, quae creavit, quid vilius paſſere? et tamen aſſerente ſervatore, *nec unus cadet ex illis ſuper terram abſque nutu* Patris. Math 10 v 29. Quid contemptibilius capillis noſtris? et tamen ab omniſcia illa mente *omnes numerati ſunt.* Ibi v 30. Quid fragilius faeno, liliis, omnibuſque herbis, ac floribus? quee hodie ſunt, et cras areſcunt: et tamen Providus ille pater *illa* ſic *veſtit, ut nec Salamon in omni ſua gloria coopertus ſit, ſicut unum exhis.* Math 6 v 29. Quid abjectius *corvis*? et tamen Deus provide *paſcit eos* Luc 22 v 24. Si ergo (quae Chriſti argumentatio eſt) Pater caeleſtis viliſſimis omnibus creaturis ſuis paterne providere dignatur, quanto magis vos, o *amantes Dei animae!* tuebitur, diriget, fovebit, in brachiis, ac ſinu ſuo portabit ut ſollicita mater dulcem natum. defendet ut pupillam oculi ſui juxta illud: *qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zachar 2 v 8. Regit ut peritus navarchus, quo in mari mundi tuti vivatis, ſecuri quieſcatis, et ſalvi ad portum beatae aeternitatis perveniatis. Teſte Tertuliano 1 de poenitent: *nemo tam Pater quam Deus Pater, cui cura eſt de omnibus* Sapient 12 v 14: Sed ſpecialiſſime de illis, quibus charitatis, ac ſanctitatis ſtudium viciſſim curae eſt. Docente Auguſtino l 3 confeſſ cap 11. *Curat* ille *unum quemque noſtrum tanquam ſolum: et ſic omnes tanquam ſingulos:* ſed tamen immenſa charitate attendit eis, qui Deo, ac virtuti ſtudioſius intendunt. Hos *in charitate perpetua diligit.* Jerem 30: in *funiculis Adae* ſibi adſtrictos tenet: Oſee 11 v 4. *In manibus ſuis deſcriptos* habet Iſai 49: per varios humanae vitae anfractus ſalvos ducit, ab eis offendiculorum lapides amoliendo, tentationum laqueos avertendo, ſtigios aſſultus retundendo, omneſque eorum caſus ita dulce moderando, ut *diligentibus ſe omnia cooperentur in bonum.* ad Rom 8, ipſi adeo lapſus: teſte Auguſtino ſolloq. c 15: *nihil mihi evenire permittat, niſi quod mihi proſit, etiamſi neſciam.* Cum ſit ſapientiſſimus, ſcit, quid mihi, ſalutique meae congruat: cum ſit potentiſſimus, id mihi dare poteſt: cum ſit mei amantiſſimus, certe etiam daturus eſt, meditare pſalmum 22, et 90, quorum uterque ſtupendam Divini numinis, erga juſtos protectionem angelicis verbis deſcribit, ut nobis miram charitatis, ac ſanctitatis ſtudioſorum felicitatem, immenſum Dei favorem, ac inde manantem juſtorum perennis gaudii fontem pandat. Enimvero ſi mihi ſint lingvae centum ſint oraque centum, enarrandae tamen illi mentis dulcedini par non eſſem, quam hauriunt juſtitiae cultores ex ſvaviſſima Dei in eos cura. Quid enim dulcius divinis illis promiſſis: *jacta cogitatum tuum, in Dno, et ipſe te enutriet.* Item *cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* Ad quae Jeſſaeus Propheta admirabundus cantat: *quam bonus Iſrael! Deus his, qui recto ſunt corde!* et iterum *in pace in idipſum dormiam, et requieſcam quoniam tu Domine! ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Dominus illuminatio mea, et ſalus mea, quem timebo? Dominus protector eſt vitae meae, a quo trepidabo?*

214.

214. Tantam Dei in nos providentiam ut conſequamur, atque ut ex ea *gaudium noſtrum ſit plenum*, oportet nos vicem red e re tantae charitati voluntatis, arbitriique noſtri in voluntatem Divinam perfecta reſignatione adeo, ut quemadmodum Salvator *deſcendit de coelo, ut faciat voluntatem Patris*, eamque perfecte adimplevit exhauſto uſque ad feces calice paſſionis, ita nobis quoque omnium actionum, quin totius vitae in proſperis aeque, et adverſis regula, ac teſſera ſit illud Dominicum: *fiat voluntat tua.* Et illud Jobi maximi, quae orbis vidit, patien iae exempli: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: Sicut Dno placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.* Et illa militantis Eccleſiae illuſtris ſubſidii D Ignatii Patriarchae: *Guberna ſicut ſcis, et vis; nam ſcio quod amator ſis.* Nec non illa Heli Sacerdotis: *Dnus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.* 1 Reg 3 v 18. Ad hoc vero opere ipſo, non verbis tantum aſſequendum neceſſarium eſt, praecipuam noſtri partem, *liberum arbitrium*, ac *voluntatem noſtram* totam ex aſſe Deo conſecrare. Hoc enim negato quidquid Deo dederimus, nihil damus, nec Deum perfecte diligimus: Nam ut ſancte ait Gregorius M libro 10 mor c 4: *ille perfecte creatorem diligit, qui de ſe ſibi nihil relinquit.* Is igitur Deum perfecte diligit, qui ita ſe, abnegata propria voluntate, Dei nutibus committit, ut ſit in manu Dei ſicut baculus in manu ſenis pro arbitrio elevandus, aut abjiciendus: ſicut cadaver pro voluntate ſepelientium nudandum, aut veſtiendum: Sicut ficta ex marmore ſtatua ad honorem vel contemptum indifferens: ſicut lutum in manu figuli paratum ad efformandum vas in honorem, vel in contumeliam. confer Kempenſem l 3 c 15.

Si tamen pleneſe in Divinam voluntatem reſignent.

215. Ut perfectae hujus *exinanitionis noſtri* abſolutam neceſſitatem pernoſcamus, conſideremus, quantorum malorum fons ſit *amor ſui* (de quo confer cap X n XXIV. et LIX.) Ejuſque ſpuria proles, individua comes, miniſtra, et adjutrix *voluntas propria*: quae ſcilicet illa ſolum vult, quae matri ſuae *amori proprio* arridet: horret vero quae *illi* adverſantur: ac proinde ſicut amor proprius omnium in orbe malorum eſt inventor, ita voluntas propria eorundem eſt Patrator, et executor. Haec perdidit luciferum, et Adamum, haec replet hodiedum infernum. Vix enim dominans Luciſero *amor proprius* ſimilitudinem altiſſimi ſvaſit, mox *voluntas Deo non ſubdita* claſſicum cecinit tentatae executionis: *exaltabo ſolium meum, et ſimilis ero altiſſimo.* Vix Evae arriſit mendax promiſſum ſerpentis *nequaquam moriemini*, mox illa vetitum ſibi pomum momordit, et quid ab initio uſque in hodiernum ultrix *juſtitia Divina* furoris ſui ſpectaculum dedit? quam *ſibi* rebellem, jugum non ferentem, impatientem, protervamque voluntatem, amore proprio excaecatam, et perſvaſam, ideoque clamantem: *neſcio Dominum* Exod 5. *Non ſerviam* Jerem 2. v 20. Sicut enim *nullum committitur peccatum ſine perverſa voluntate*, ita non niſi *in hanc* ut hoſtem ſuum unicum arma vindictae ſuae exercet irritata Themis. *Ceſſet voluntas propria* aſſerente Mellifluo ſerm 3 de aſc, *et infernus non erit. In quem enim ignis ille deſaeviet, niſi in propriam voluntatem?* Et hanc belluam infernum in dies replentem tu amantiſſimo Deo tuo victimam conſecrare dubitas? tibine grave accidet Meduſam hanc tot animas perdentem velut anathema affigere pedi illius crucis, in qua Deus homo amore tui abjurata voluntate ſua clamando *Pater! non mea, ſed tua voluntas fiat, factus eſt obediens uſque ad mortem?* morem gere monenti

Subjecta Deo propria voluntate.

Quae infernum replet.

monenti Bernardo, et fuge *fangviſugam banc* propriam voluntatem; *et omnia* vitia *reliquiſti, pone banc, et jugum quam multiplex abjeciſti.*

Opera noſtra merito ſpoliat.

216. Altera neceſſitas *voluntatem propriam* Deo immolandi eſt, quod hoc monſtrum adeo ſit Sanctis quoque, atque a gravi numinis offenſa toto corde adhorrentibus *pernitioſum*, ut omni eos ſpoliet merito, et noxia mentamorphoſi ipſum aurum in ſcoriam, bonum in malum convertat. Nempe nihil coram Deo merentur opera noſtra, niſi Divinae voluntati ſint conformia. Sic David Deo volente oves paſcens mire placuit altiſſimo; Saul vero repugnante numine offerendo victimas deſpectus, objectuſque eſt. Audi Melliſluum ſerm 72 de Sanctis: *grande malum eſt propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non ſint:* quia ut exprobrat Iſaias c 58 v 3: *in die jejunii*, aliiſque operibus veſtris *inveniur voluntas veſtra. Nonne hoc eſt, quod elegi?* v 6. *Si averteris*, ſi ceſſaveris *facere voluntatem tuam, et glorificaveris eum, dum - non invenitur voluntas tua, tunc delectaberis ſuper Domino, et ſuſtollam te ſuper altitudines terrae, et cibabo te haereditate Jacob Patris tui. Os enim Domini locutum eſt.* v 13. et 14.

De ambitione clericorum.

217. Quam amplus hic aperiretur mihi campus dicendi de fraudulenta nac vulpe in ipſum Sanctuarium furtive irrepente, ac vineam omnem bonorum operum noſtrorum demoliente. Nunquid glorioſum, ac meritorium eſt inſigni pollere ſcientia, laudabiliter ad populum dicere, fructuoſe cum proximo converſari? at haec agere nolente, et non vocante Deo, ad ſacra miniſteria ſeſe propria voluntate intrudere, res eſt peccati, ac ſacrilegii pleniſſima. Ex adverſo Divinae voluntatis impulſu in humili ſtatu conſiſtere, ignarum, ad nihil aptum reputari, abjecto officio, nec ſatis pro merito applicari, quin nihil agere, ſed ex morbo totos annos otioſe in lecto haerere res eſt coram Deo longe glorioſiſſima, ac coronae caeleſtis meritiſſima. Sanctiſſimus ille eſt, non qui maxima, ſed qui voluntati Divinae conformia agit. Heu! quot ex hoc morbo decumbimus! quot ſunt in clero, qui in parva Parochia in humili loco nullos animos ad labores ſacros habent, identidem ſuſpirantes, e-anhelantes ſibi dari occaſionem ex altis dignitatibus, inter numeroſum, cultumque urbium populum majorem Dei gloriam ſummo, ut ſpondent, ſibique blandiuntur, zelo propagandi! ſed *amoris proprii*, et *ambitionis*, non veri zeli *verba ſunt iſta.* Character enim Meſſiae, et diſcipulorum ejus eſt, *pauperibus evangelizare.* Iſai 61 v 1 Math 11. v 5. Contremiſcant ſuperbi Spiritus ad tonitru illud Auguſtini, vi a populo ei illato ordinati, ac mox pari vi in Epiſcopum conſecrati, et tamen ad horrorem noſtrum lamentantis: *nulla in re*, ait magnum hoc Eccleſiae lumen, *iram Dei in me aeque expertus ſum, ac didici, quam quod me aliis praeeſſe voluit.* Compendium ſalutis pag 72. Aequ- terribile eſt illud aurei oris hom 2 ad Titum: *Ad Principes, et ad ſubditos dicimus: ANIMA omnis QUAE HONORIS TENETUR APPETITU, et gloriam ab hominibus quaerit, non videbit caelorum regnum. Haec verba Dei Spiritus praefert.* Ita certa mors eſt, ipſam gloriam Dei, ipſam ſalutem animarum ex proprio arbitrio promovere, quam Deo per Praelatos vocante amplificandam ſuſcipere inſignis charitas, et virtus eſt conſummata. Confer h 139.

Character Meſſiae pauperes evangelizare.

Velle quod Deus vult, eſt perfecta juſtitia.

218. Verbo: *Velle quod Deus vult* eſt perfecte Deo ſervire, *perfecte Deum amare. Amor enim eſt unio duarum voluntatum.* Igitur amare Deum nequimus, niſi per voluntatis noſtrae a-

Divi-

Divinam perfecta reſignatione idem cum Deo ſentiamus, velimus, optemus, atque etiam idem, quod Deus circa nos vult, faciamus. Amor ſimiles aut invenit aut facit. Ergo qui perfecte vult Deum diligere, illi ſe perfecte conformet oportet: nunquam autem perfecte conformabit, quamdiu voluntate diſcordabit. Nam animis uniri, voluntatibus diſſentire, paradoxum eſt. Ergo ibi ſolum reperitur genuinus amor ubi adeſt *voluntatum unitas*. Teſte Mellifluo de vita ſolit: *unitas noſtri Spiritus cum Deo tum habetur, quando anima ſolum vult, quod Deus vult.* Ad haec ut proverbio dicimus: *anima magis eſt ibi, ubi amat, quam ubi animat*, ita perfecte Deum amans anima tota eſt in Deo amato ſuo, *ſe exinaniens*, ſibi ſuiſque appetitibus quaſi *mortua* vivit Deo, in Deo, propter Deum. Ut mortuum cadaver ſenſu caret, ſive in ſimetum projiciatur, ſive ſplendide ornetur, ſive opibus cumuletur, non movetur: ita qui voluntatem ſuam in Deum plene transfudit, neque ob honores, aut opes gaudio exilit, neque ob contemptum, cruces, et quasvis moleſtias moerore deprimitur: imo exultat, ſibi occaſionem dari *pro amato pati*, quod ſuper omnia mundi gaudia dulcius eſſe ducit.

219. Haec eſt Theologia Gentium Doctoris, audite ejus tribulationes: *nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus foris pugnae, intus timores*: 2 ad cor 7 v 5. nihilominus ibidem v 4 conteſtatur dicens: *repletus ſum conſolatione ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Quae, obſecro! cauſſa tanti gaudii in continua patientia? eam exprimit ad Galat 2 v 19, et 20: *ego enim legi* peccati, et paſſionum *mortuus ſum, ut Deo vivam. Chriſto conſixus ſum Cruci: vivo ego jam non ego*, quia omnem voluntatem exui, *quaſi mortuus, pro, et cum Chriſto Crucifixus*: *vivit vero in me Chriſtus*, in quem ego omnem volutatem meam transfudi: *qui dilexit me*, ideo eum prae me diligo: *et tradidit ſemetipſum pro me*: ideo ego ei memetipſum viciſſim totum cum omnibus amoribus meis tradidi. *Mihi vivere Chriſtus eſt* ad Philip 1 v 21: unice propter Chriſti gloriam propagandam opto vitam meam. Atque hanc doctrinam extendit ad omnes chriſtianos 2 ad Corinth 5 v 15 dicens: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* Sic viventes vere *mortui eſtis* amori, ac voluntati propriae, *et vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo*, ad coloſſ 3 v 3: Sed ſic *mortui vobis* vivetis *vitam abſconditam* Divinam in Deo exemplo Chriſti, ut enim *totus in verbo Pater, et totus in Patre Filius*: ita amans Dei, et voluntatem ejus faciens anima in Deo manet, et Deus in ea. *Qui adhaeret Deo* plena in eum voluntatis reſignatione, *unus Spiritus eſt* cum Deo. 1 ad Corint 6 v 17. Omnia complexus eſt dilectus Diſcipulus, dum dixit 1 Joan 4 v 16: *Deus charitas eſt, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* v 17: *in hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum.* *Et vita Divina.*

220. O *verbum ſolatii! voluntatis* noſtrae *in Divinam reſignatio vitam* nobis in mortali hac adhuc vita cauſſat *Divinam! in Deo manet. et Deus in eo.* Ad haec jam quis nobis ſenſus? enim vero aut nobis frons omnis periit, aut aes pectoris loco riget, ſi *vita haec Divina* nullam in nobis orexim movet. O nos infenſatos! qui ciſternis diſſipatis, nuci vacuae, caepis Aegypti ſiulta ingluvie inhiamus; et torrentes voluptatis, qui in hac quoque lacrimarum valle pias mentes inundant, amentes reſpuimus! Paternum Divinae providentiae ſinum miſeri fugimus, in quo vitam viveremus Divi- *Praxis.*

nam. *Praxis.* ex nunc saltem sequamur exemplum S Gertrudis: quam *veritates christianae* cap 48 sic a Christo compellatam referunt: *offero tibi hac manu SANITATEM: altera MORBUM. Elige filia quod lubet.* At illa humi prostrata manibus junctis ita precabatur: *Rogo te Domine! ne voluntatis meae ullam; tuae vero solius habeas rationem. Tuum est mihi significare, quid tibi potissimum placeat.* Quod responsum adeo Christo fuit acceptum, ut illi dixerit: *Qui desiderat, ut ego frequenter in cor suum descendam; eum oportet clavem voluntatis suae mihi tradere, nec nunquam repetere.* Quibus verbis S. Gertrudis tantum caepit fructum, ut exinde quotidie tercenties sexagies ter iteraverit brevem hanc precationem: *non mea, sed tua voluntas fiat dulcissime Jesu!* hoc fac, et vives vitam Divinam. confer h n 82. 84. 133. 134.

Charitatis studiosi beate moriuntur.

221. Atque haec de *beata vita* charitatis studiosorum, quam comitatur *beata mors*, ut hic n 203 innuimus. Et primum quidem *ob requiem a laboribus praeteritis.* Talibus enim *amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Apoc 13 v. 14. Tota vita nostra labor est, crux, et patientia est, ut satis patet ex dictis h n 197. 201. laborandum omnibus in vita est, est fugiamus otium, ac teporem, quae nos ad *reprobationem* disponunt. h 143. Laborandum cunctis in sustinendis corporis molestiis, ac doloribus: laborandum potissimum in devorandis animi afflictionibus, taediis, tentationibus, at anxietatibus, quae non raro usque adeo accumulantur, ut et viros in palestra patientiae exercitatissimos cum Paulo ingemiscere cogant: *infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ad Rom 7 v 24. Non immerito proinde ex hoc capite teste Mellifluo ep 105 *pretiosa est mors Sanctorum.* Tunc enim Deum amantibus dulcis illa resonabit vox dilecti Cant 2: *surge, propera amica mea! et veni. Jam enim hiems transiit.* quae tibi tot acerbitatum turbida causa fuit, *imber abiit* tot adversitatum, vexationum, qui tibi perennes maerores, ac taedia afferebat; *recessit* nimbus tot periculorum peccati, qui te toties metu involuit, tot terroribus complevit, ne forte peccato consentiens ab amati tui dulci complexu repellaris: *Finis venit, venit finis* omnis metus, omnium laborum pro Deo exantlatorum, Proinde *surge amica mea* ex hoc *Lecto doloris*, ex *valle lacrimarum*, ex hac *terra tenebrosa: et operta mortis caligine. Veni Sponsa mea, veni coronaberis* Cant 4 v 8 *Reposita* enim tibi *est corona justitiae, quam reddet tibi justus Judex; quia dilexisti adventum ejus.* ad Timoth 4 v 8. *Tempus advenit*, quo tu *flos campi, et lilium convallium* a mundo avulsum caelesti paradiso inseraris. Talia dilectus ad diligentem Deum in hora vitae ejus. Quibus hic velut responsis imminentis aeternae felicitatis gaudio, quod nulla dicere lingva potest, perfusus carmen cigneum laetus concinit cum Regio vate ps 121. *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi! in domum Domini ibimus!* aut cum Ecclesiastico cap 51 v 5: *Videte! quia modicum laboravi, et multam requiem inveni.* En! omnis mea retro vita non nisi momentum modo videtur, transierunt labores, quos pro Deo exantlavi: injuriae, quas pertuli: castigationes, refraenationes sensuum, mortificationes passionum, quas amore Dei mihi intuli: cruces omnes, quas tot annis portavi. Atque haec omnia hodie claves ad caelum, scholae ad gloriam aeternam factae sunt. O Deus! o dulcis amor meus! *feci quod jussisti; da quod promisisti.* Amavi te in vita mea: amabo jam te in aeternum!

Ob requiem a laboribus.

Et spem aeternae quietis.

Praxis omnes labores leves reddendi considerando finem.

222. Quis tibi ad haec est sensus o charitatis studiose? en tale tibi gaudium *in morte* Dei nomine promitto, si *in vita in continua Dei charitate* permanseris: scriptum est enim: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Addo etiam tibi *medium*, ac *praxim*, qua

qua labores, cruces, ac tribulationes pro Deo, pro charitate, pro ſanctitate aſſequenda neceſſario perferendae non graves, ſed leves, quin dulces, amaenae, optabilesque videbuntur, et reipſa tales reddentur: nempe *laborem, aut patientiam omnem conſidera non ſicut initio ſuſcipiendi operis, ſed ſicut in fine perfecti operis, et in fine vitae, in morte inquam tua videbitur.* Hoc eſt arcanum charitatis, quo omnes *tribulationes* amans pro amato ultro libenterque ſuſtinet: conſiderare *finem* ac terminum *earum.* Sic Jacobo Genes 29 ſeptem anni duri ſervitii *videbantur pauci dies prae amoris magnitudine*; quia reſpiciebat Jacob non ipſum ſervitium, ſed *finem* ejus caſtas ſcilicet nuptias cum dilecta Rachele. Sic nos *ſi beatam mortem reſpexerimus*, cuncta mundi adverſa videbuntur nobis *pauca prae amoris magnitudine.* Hoc eſt, quod nos abſterret *a via* charitatis, et quod *eam* paſſim *duram*, et *inviam* proclamari toties audimus, quod ſcilicet *illa* ſecundum eam temporis ſeriem paſſim ſpectetur, qua incipit, et inchoatur. Sic importabile, horribileque videtur multos annos in edomanda paſſione praedominante, in aſſidua *adverſus carnem, et ſanguinem* lucta tranſigere: contra *rectores tenebrarum, et ſpiritualia nequitiae* perdiu depugnare. At ſive *particularis laboris* optatum finem ſpectemus, ſive *totius vitae laborum* terminum *beatam mortem* conſideremus; videbuntur omnia *pauci dies*, leves labores *prae ſolatii optati magnitudine.* Hoc inculcat nobis Frater Domini Jacobus, cap 5 v 7 dicens: *Patientes eſtote Fratres uſque ad adventum Domini* per mortem. *Ecce agricola expectat pretioſum fructum terrae*, ex hac ſpe fructus, omnes labores libenter ſuſtinet. *nolite ingemiſcere* propter adverſitates occurrentes: quia *Judex ante januam aſſiſtit*, mors appropinquat finem datura omnibus laboribus, et initium factura ſolatio interminabili. Imo quod mirabile eſt, atteſtante vaſe electionis ad Hebr 12 v 2. Ipſe Deus homo divina hac arte ſuperavit ignominiam crucis, nempe *propoſito ſibi gaudio* ex morte, et glorioſa reſurrectione in ſe redundatura *ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Si igitur nos quoque *propoſuerimus nobis gaudium conſumato opere*, aut *in morte* percipiendum, omnes cruces, omnes labores in via virtutis dulce ſuſtinebimus, omnes difficultates occurrentes *contemnemus.* Ita praevia *recordatio* optati *finis* eſt ſvave illud balſamum, quod aſpera quaeque mira dulcedine lenit: Sicut viciſſim ante actorum recordatio mentem morituri ſumma quiete perfundit.

223. Alter fons *ſolatii* in morte charitatis ſtudioſorum eſt *teſtimonium bonae conſtientiae, quod in ſimplicitate cordis, et in ſinceritate, ſincera Dei* dilectione, *et non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei, converſati ſint in hoc mundo.* 2 ad Cor 1 v 12. Quod *per bona opera*, potiſſimum continuam charitatem, ſui abnegationem, quotidianam patientiam, carnis mortificationem *certam fecerint* moraliter *ſuam vocationem, et electionem*, quod pro admiſſis culpis quam par eſt paenitentiam cum dolore charitate Dei formato agere adniſi fuerint adeo, ut daemoni in agone timidos angores ingerenti fidenter, ut olim Jacob Labano reponere queant: *ſcrutare, ſi quid tuorum apud me inveneris.* Gen 31 v 37. Imo cum Divo Martino audacter compellare *quid adſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſti reperies.* Ita *juſtus quaſi leo confidens abſque terrore* damnationis *erit* prov 28 *confortatus in Dno, ac in potentia virtutis ejus, indutus armaturam Dei. Succinctus lumbos in veritate, indutus loricam juſtitiae, in omnibus ſumens ſcutum fidei* vivae, *omnia tela nequiſſimi* Tentatoris *extinguit* ad Ephes 6 v 11.

Iidem beate moriuntur ob teſtimonium bonae conſcientiae.

Atque

Atque *ornata lampade ſua oleo charitatis* magna cum fiducia *expectat Dnum ſuum, ut cum venerit, et pulſaverit, confeſtim aperiat ei.*

Praxis procurandi dictum teſtimonium bonae conſcientiae.

224. Vis tibi hanc *fiduciam?* quae in articulo potiſſimum mortis cunctis mundi bonis, honoribus, craeſique divitiis praeſtantius parit ſolatium! audi dilectum diſcipulum 1 Joan 3 v 21: *Si cor noſtrum nos non reprehenderit, fiduciam habemus ad Deum, quoniam mandata ejus cuſtodimus, et ea, quae ſunt placita coram eo, facimus.* Et Gentium Doctorem 1 ad Cor 11 v 31: *Quodſi noſmet dijudicaremus, non utique judicaremur.* Deſcende igitur in conſcientiam tuam, tibique Judex eſto dijudicans: an, et *quid ſit* illud, *ob quod hodie, hac hora coram tribunali Divino comparere vereris?* illudque falce *ferae paenitentiae, et particularis examinis*, penitus tollere ſatage adde cuſtodiam continuae virtualis ſaltem charitatis, ſic procurabis tibi *teſtimonium bonae conſcientiae*, et *fiduciam in* vita, et morte dulciſſimam, ac jucundiſſimam ſvavitatem tibi cauſſaturam. Praeſertim ſi accedat

Beate moriuntur ob vacuum animum affectu ad creaturas.

225. Tertius fons *beatae* ac jucundae *mortis*, qui eſt *animus vacuus affectu ad creaturas*: quique proprius effectus eſt charitatis praedominantis *Deum ſuper omnia* diligentis, creata vero omnia *propter Deum*, et unice *quantum ad Deum diligendum juvant*, ut h n 138. et 139 diſſeruimus. Cujus abſoluta eſt neceſſitas ad tranquillam mortem. Poſt conſcientiam enim mortalis peccati, diſceſſum ex mundo, imo ſolam ejus memoriam longe triſtiſſimam reddit avulſio ab eis, quibus anima inordinato affectu agglutinata adhaeret. Praepoſterus terreſtrium, amor et dominantes inordinatae cupiditates ſunt ſagittae illae, quae animum mortalium ad ſolam mentionem, tanto magis ad praeſentiam mortis acerbo vulnere transfigunt, miſerandaque illa lamenta exprimunt: *O mors! quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantia ſua.* Eccli 41 v 1. Ex adverſo *o quam magna cum fiducia moritur, quem nullius rei affectus detinet in mundo.* S Hieronimus epiſt ad Cyprianum Presbiterum. Quales ſunt ſoli *charitate ferventes, crucifigentes carnem cum vitiis, et concupiſcentiis ſuis, omnia* mundi bona *arbitrantes ut ſtercora, ut Chriſtum lucri faciant*: conſiderantes ſe *tanquam advenas, et peregrinos*, nec *habentes hic manentem civitatem*: *ideo aſſidue cupientes diſſolvi, et eſſe cum Chriſto.* Verbo animae omni vitioſo affectu liberae, terrae pertaeſi, caelorum avidi, ſuorum appetituum domini: Deum toto corde amantes, charitate in domo Domini lucentes, inſtar thimiamatis in ara charitatis ſenſim conſumpti ideo in ſumma dulcedine morientes, corona charitatis aeternum coronandi. *Praxis.* Quid tu dicis de te ipſo? an talem mortem ſperas? ſi talem vitam vivis. Inſpice itaque conſcientiam tuam: ſi te hodie mortis articulus praeoccuparet, quid illud eſt, quod relinquere durum, acerbumque tibi accideret? illiuſque *affectum* mox in ara charitatis Deo immola, ſi non *effectu*, certe *animo*, et *affectu* deſerendo, ut *temporalia deinceps ſint in uſu, aeterna in deſiderio: ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia.* confer hic n 76. 119. 150.

Praxis.

Talibus aſpectus Crucifixi magnum in morte ſolatium adfert.

226. Si ſic *vitam tuam Chriſto prototipo conformaveris, confixus Chriſto, Cruci* clavibus charitatis, mortificationis, abnegationis, magnam tibi promitto *in morte*, quin et *in vita*, atque adeo *in omni tribulatione* conſolationem quarto *ex aſpectu Crucifixi.* Cujus pius aſpectus *lenit* potenter *dolores corporis, et animi.* Enimvero ſi amarae aquae in Mara per immiſſum a Mojſe lignum *in dulcedinem verſae ſunt*: Exod 15 v 25: Si Elizeus per inſperſam pulmento farinam *abſtulit quidquid amaritudinis in olla fuit*: 4 Reg 4 v 41. profecto

Divinae

Divinae virtutis balſamum erit cunctis noſtris doloribus in vita, et morte fide animata, charitate inflammata memoria patientis pro nobis Dei. Si aſpectus ſerpentis aenei a Moyſe pro ſigno poſiti percuſſos ab ignitis ſerpentibus ſanabat Numer 21 v 9: longe magis amaroſa conſideratio Crucifixi (cujus teſte Auguſtino ſerm. 101 de temp *aeneus ille ſerpens ſolum figura fuit*) caeleſti ſua ſvavitate dulcorabit quidquid amaroris aegrotatio, aut quivis animae langvor creat. Cape hoc verbum veritatis: Si pia mens conſideret *dilectum ſuum* pro ſe flagellis diſcerptum, ſpinis redimitum, clavis perforatum, lancea tranſfixum, an obſecro! poteſt in commiſerationem non moveri? charitate non exardeſcere? ad patientiam ſeſe non componere? pudore maeſto non ſuffundi, quod ſub ſpinoſo hoc Divino capite ipſe ſit membrum tam delicatum? quis valet ſine lacrimis, et abſque hilari patientia conferre dolores ſuos cum doloribus Chriſti? crimina ſua cum innocentia crucifixi? quis grave ducat guttam morbi, angoris, vel maeroris ſorbillare, dum dolens contemplatur Deum hominem integrum calicem paſſionis usque ad fundum exhauſiſſe? quis demergatur ſtilla patientiae, dum videt Deum ſuum immenſo mari Cruciatuum innatare? Sane prodigium ingratitudinis foret, qui ad tantum *ſpectaculum patientis* amoris nihil ſufferre vellet amore Chriſti: imo vere Deum amans anima ſitim Chriſti pro nobis amplius patiendi aemulando clamabit amanter: *amplius! amplius Domine dolores! hic ure, hic ſeca! modo in aeternum parcas!* *Lenit dolores*

227. Atque haec eſt, dilectiſſimi! divina illa panacaea, ad quam in omnibus anguſtiis corporis, et animae confugere certa cum fiducia ſolatii nos oportet. Vis vivum exemplum? cum inclitus Martyr S Petrus Ord S Dominici innocenter in vile monaſterium quaſi in carcerem damnatus coram Crucifixo ſic amanter quereretur: *Domine! quid commiſi? cur commerui?* reſponſum a Crucifixo accepit: *Et ego Petre! quid commiſi? cur tam acerbos debui perferre cruciatus?* quibus verbis S Petrus tanta animi fortitudine obarmatus eſt, ut ſi univerſis totius mundi malis, et calamitatibus fuiſſet obrutus, libenter toleraturus cuncta videretur. Verit. Chriſt cap 20. S Bernardus conſiderando Crucifixum in haec verba erupit: *O ſi mihi cunctorum ſupperet hominum vita! ut omnium ego ſolus mortalium cruces ferrem!* Nota ſunt vota illa D Thereſiae: *Domine aut pati, aut mori!* et illa S Joannis a Cruce: *pati, Domine, deſpici, et contemni pro te!* Nempe ut miles generoſos in auſus erigitur contemplando Heroica Imperatoris ſui facta; ita dum videmus ducem ac Dominum noſtrum ad patientiam ac mortem ipſam crudeliſſimam ſangvinolentis nobis praeire pedibus, fateri cogimur, aerumnas noſtras illius doloribus comparatas roſas eſſe, ac ſvavem, dulcemque quietem: potiſſimum cum ſicut e viventis Salvatoris corpore *virtus exibat, et ſanabat omnes*, Luc 6 v 19: ita ex amoroſa crucifixi conſideratione Divina quaedam virtus dimanet, quae dulces reddit, et *ſanat omnes infirmitates noſtras* ad pedes ejus cum conformatione voluntatis noſtrae ad voluntatem ejus depoſitas. (a) *Refugium ad Crucifixum in omni tribulatione.*

(a) Errant qui putant perfectae patientiae obeſſe taedium, animi maerorem, quamvis naturae repugnantiam, et doloris ſigna innocentia: nam Chriſtus perfectiſſimae patientiae exemplar oravit Patrem *ut tranſeat a ſe calix paſſionis: caepit pavere, maeſtus eſſe, Sangvinem ſudavit, ſe derelictum a Patre* clamavit: et multi Sancti inter cruciatus miſerandum in modum clamarunt: ut Gemitus infirmis liciti.

Tentationes sedat.

228. Potissimum vero refugium ad Crucifixum *in tentationibus* potentissimum est remedium in *vita*, et *morte*. Quam enim belluam non absterreat a peccato haec cogitatio: *Deus meus toto corpore dilaniatus pendet in patibulo, et ego voluptati operam dabo? ego illum rursum crucifigam, et ostentui habeam* novo meo scelere? aut illa Christi ad tentatum verba: *Fili? mitte cogitationem istam. Nonne satis pro te, et a te vulneratus sum? adeone vilis tibi est sanguis meus? quem sicut pro omnibus hominibus semel amanter usque ad ultimam guttam effudi, ita pro te, et singulis iterato totius passionis meae tragaediam perpeti summa cum charitate paratus sum*, ut S Brigittae revelatum est. Igitur ad Christum, *ad Crucifixum in tentationibus confugiamus* dilectissimi! *ecce Deus Salvator tuus!* toto corde amplectere vivus, et moriens pendentis e cruce Dei hominis effigiem! *fiducialiter age, et non timebis* quosvis tartari insultus; *quia ipse est fortitudo tua, et factus est tibi in salutem.* Isai 12 v 2. Si cupiditatum aestus te cruciet, ille *fons est aquae vivae salientis in vitam aeternam* Joan 4. v 14, qua profanos ignes victor restingvas. Si stigius te milvus persequatur, quinque ejus vulnera sunt *caverna maceriae, et foramina petrae*, in quae instar columbae confugias. Si *urgeat super te puteus* inferni, aut desperationis *os suum*, illius latus est *civitas refugii*, ubi tute quiesces. Clavi ejus sunt anchora, qua spes tua solidatur. Crux tabula est, in cujus amplexu doloroso post triste naufragium innocentiae ex vorticibus gravissimorum peccatorum in portum justitiae beataeque aeternitatis felicissime enatabis. Et adhuc dubitas? en! ut omnem ex animo tuo pellat diffidentiam, ut tuam accendat in se fiduciam, et charitatem, en, inquam, Salvator moriturus caput inclinat ad osculum pacis tibi amanter impertiendum! extendit brachia sua ad te, ut revertentem Pater filium prodigum amplexandum: latus aperit in asilum: sangvinem fundit in animae tuae pretium: Totum se tibi dat in salutem. Et ad tantum refugium, ac praesidium tuum in vita, et morte *in tentationibus*, omnibusque angustiis tuis non toto corde confugies? tantam charitatem non tota fortitudine redamabis? Audi Augustinum toto pulmone intonantem: *Domine! qui te non amat quia a te creatus est, dignus est inferno: sed qui te non amat, quia a te redemptus est, dignus est, ut pro eo novus fabricetur infernus!* ita et ego dico: *Domine! qui tuam mortem non considerat, vel ad tantam charitatis tuae in nos tragaediam adhuc peccat in vita, desperat in morte dignus est, ut pro eo novus fabricetur infernus.*

Memoria Crucifixi assidua,

229. Fructus dictorum esto, ut amarosa memoria Crucifixi assidue sit in corde nostro. Haec est *Theologia* Melliflui serm. 42 in cant ita praelegentis: *Ego, Fratres! ab ineunte mea conversione pro acervo meritorum, quae mihi deesse sciebam, mihi fasciculum collectum ex omnibus anxietatibus, et amaritudinibus Domini mei colligare - - curavi. Memoriam abundantiae suavitatis horum eructabo, quoad vixero; in aeternum non obliviscar miserationes istas; quia in ipsis vivificatus sum. Mihi hic salutaris fasciculus servatus est, nemo tollet eum a me.* Haec meditari dixi sapientiam: *in his justitiae mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiae, divitias*

ejus utilitas.

---

ut eorum voluntas in Divinam fuerit perfecte resignata. Quod solum ad plenum patientiae meritum sufficit: licet proinde dicere: *O Deus! me miserum! misere crucior! non possum ultra sustinere.* Non tamen conqueri, quod *ultra meritum* puniaris. Hoc enim esset Deum injustitiae arguere. Optimum est clamare: *o Deus fiat voluntas tua! hic ure, seca, modo in aeternum parcas. O dulcis Jesu! dolores meos conjungo doloribus tuis, et offero in satisfactionem omnium peccatorum meorum.* In infirmitate potissimum jaculatoriis precibus te, et tuos occupare satage.

tias ſalutis, copias meritorum. Ex his mihi interdum potus ſalutaris amaritudinis: ex his rurſum ſuavis unctio conſolationis. Haec me erigunt in adverſis, in proſperis reprimunt, et inter laeta, triſtiaque vitae praeſentis regia via incedenti tutum praebent utrobique ducatum hinc inde mala imminentia propulſando. Haec mihi conciliant mundi Judicem: dum tremendum poteſtatibus, mitem, humilemque figurant, dum non ſolum placabilem repraeſentant ſed et imitabilem eum, qui eſt terribilis apud Reges terrae. Haec propterea mihi in ore frequenter, ſicut vos ſcitis: haec in corde ſemper, ſicut Deus ſcit. Haec ſtilo meo admodum familiari. Haec mea ſublimior Philoſophia ſcire Jeſum, et hunc Crucifixum. Hunc et vos dilectiſſimi! tam dilectum faſciculum colligite vobis; hunc medullis inſerite cordis, hoc munite aditum pectoris. - - Si enim ante oculos habueritis, pro certo videntes anguſtias Domini, levius veſtras portabitis ipſo auxiliante Sponſo Eccleſiae, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus. Necessitas. Quot apices, tot amores Crucifixi cordibus noſtris inſerendi: tanto quidem magis, quia divinillimam hanc ſuam *Theologiam* Mellifluus *a Gentium Doctore* didicit, *quam hic* aſſidue ut ſolam *neceſſariam* ructabat dicens: *non judicavi me aliud inter vos ſcire, niſi Jeſum, et hunc Crucifixum. Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Dni noſtri Jeſu Chriſti per quem mihi mundus Crucifixus eſt, et ego mundo. Chriſto confixus ſum Cruci. Vivo ego, jam non ego vivit vero in me Chriſtus: qui dilexit me et tradidit ſemetipſum pro me.* ad Gal. 2 v 19. 20. *Non eſt, ſub caelo aliud nomen datum hominibus in quo nos oporteat ſalvos fieri niſi in nomine Dni noſtri Jeſu Chriſti.* Ideo *ſiquis non amat D N I C, ſit anathema.* Cujus verum ſenſum ex Anſelmo Merbaeſius ſummae Chriſtianae p 1 q 1 hunc reddit: *Qui non diligunt D I C, ſicut ei non eſt utilis adventus ejus, qui jam completus: ita ad damnationem ejus erit ſecundus, qui futurus eſt.* Meritum. O tonitru! o fulmen! ad quod qui ad amandum amantiſſimum Jeſum Crucifixum non expergiſcitur, non dormit, ſed mortuus eſt, Sane teſte Mellifluo ſerm 12 de ſtellis *Paulus inter maxima gentium crimina memorat, quod ſine affectione fuiſſent* ut patet ad Rom 1 v 31. Si igitur Summum crimen eſt Gentilibus verum Deum ignorantibus *ſine affectione*, ſine commiſeratione ſine *compaſſiva charitate* fuiſſe; profecto immenſum majus erit Chriſtiano abſque compaſſiva erga patientem Jeſum teneritudine vivere. Ideo ps 68 amantiſſimus ſalvator inter graviſſima alia ſua tormenta v 21 amare queritur: *et ſuſtinui*, quaeſivi, *qui ſimul contriſtaretur; et non fuit: et qui conſolaretur* compatiendo, *et non inveni*, ex adverſo haec compaſſiva teneritudo *erga ſuum dulcem natum moriendo deſolatum* Matrem doloroſam fecit *Reginam Martyrum* ut patet ex off ſeptem dolorum B M V. haud dubie noſtra quoque *compatiens charitas* Chriſto eſt longe gratiſſima. Scriptum eſt enim: *ſi compatimur, et conglorificabimur. Certa, atque ſecura eſt expectatio promiſſae beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicae paſſionis.* S Leo P ſerm 9 de quadr. Unde Sancta Mater Eccleſia ut cultum patientis Chriſti continuum cordibus fidelium inplantet, Miſſae ſacrificium tragaediae paſſionis Dominicae repraeſentativum, quotidie, in gaudioſiſſimis etiam feſtivitatibus celebrat, et ad id *devote*, ſive ut cap XIII n VI evicimus, *cum charitate* audiendum omnes fideles graviter obligat. *Tales non timent mortem.* Igitur ex nunc coram caelo, et terra ſtatuamus, ut ſit *vita noſtra* dulcis Jeſus Crucifixus aſſidue *pendens ante nos*! Deuter 28 v 66. et cor noſtrum plenum *faſciculo mirrhae* paſſionis ejus. O dulcis Jeſu! *dolores tuos dum conſidero, tecum pati, tecum mori deſidero!* et ſic *noviſſima mea* non timebo, imo dulcia fore ſpero!

230. Enimvero quid timeat charitatis ſtudioſus *mortem*? quae illi erit requies a laboribus, et Spes aeternae quietis, ut hic n 221 vidimus, quid timeat *mortem*, qui cum Apoſtolo 1 ad Cor 15 v 54.

v 31 *quotidie moritur* terrenis affectibus, corporis commodis, ſenſuum blanditiis; quem nullius rei affectio captivum detinet, qui omnibus mundi vinculis liber eo cum gaudio proficiſcitur, quo multorum annorum votis pervenire pridem anhelavit? quid timeat *mortem*, qui credit, praeſentem vitam eſſe exilium a caelo, blandam cupiditatem, perfectae charitatis Divinae ob curas pungentes, ob negotia diſtrahentia, ob taedia obruentia ingenti eſſe impedimento: ex adverſo teſte S Gregorio Nazianzeno orat 18 ſcit, *mortem Sanctorum non eſſe mortem*, ſed mutato vocabulo *ad Deum diſceſſum*, *deſiderii cumulum*, *vinculorum ſolutionem*, *oneris excuſſionem*, tentationum peccatorum, Crucis quotidianae finem, creationis terminum, aeternae beatitudinis initium interminabile. Scilicet *qui levare poterit faciem ſuam abſque macula* in caelum, is in agone *erit ſtabilis*, *et non timebit* mortem. Job 11 v 15. Confer hic n 221.

Nec judicium. 231. Sed nec *Judicium* anxie formidabit *charitatis* continuae *ſtudioſus* ob *teſtimonium bonae conſcientiae* h n 223 exhibitum. Scit equidem *judicia Dei eſſe abiſſum multam* pſ 37 v 7: At novit etiam *miſerationes ejus* eſſe *ſuper omnia opera ejus*. ps 144 v 9. *Miſericordiae ejus non eſſe numerum*, *et bonitatis infinitum theſaurum*: ideo penes teſtimonium bonae conſcientiae ſuae, et ut potuit optime actae amoroſae paenitentiae miſericordiam Dei ſcuti loco tenet, quo vibrata juſtitiae tela ſuplex avertat, et judicii terrorem ſi non penitus animo eximat, plurimum ſaltem minuat alevietque. Ita veriſſimum eſt illud Melliflui l de interiori domo c 23. *Bonam conſcientiam fore ſecuram*, *cum corpus morietur: ſecuram*, *cum anima coram Deo praeſentabitur*, *ſecuram cum utrumque in die judicii ante tribunal terrificum juſti Judicis ſtatuetur.* *Praxis*, inſpice quid tibi ad *hanc ſecuritatem* deſit? juxta dicta h n 224.

Nec infernum 232. Ex eadem ratione *Bonae conſcientiae* juſtus non timebit *infernum*. Cum enim per *continuam charitatem* amicum ſe Deo in vita praeſtare ſategerit, magna cum fiducia ſperat, *tot* tamque ſingularibus *gratiis* in ſe profuſis *finalem* quoque miſericorditer *addendam*, atque adeo ſe non ut hoſtem, ſed ut filium, et haeredem in tremendo tribunali habitum iri. Cum potiſſimum ex ſincera charitate in vita proximis ſuis, in quibus Deum ſemper intuitus eſt, miſericordiam praeſtiterit, nixus illo effato velut chirographo Chriſti: *miſericordes miſericordiam conſequentur* Math 5 v 7, plane confidit, in ſe nequequam intorquendum horrendum illud fulmen: *Ite maledicti in ignem aeternum! eſurivi enim*, *ſitivi*, *et non dediſtis mihi.*

Nec longum purgatorium. 233. Imo nec *longum purgatorium* metuet, quia anticipata ſolutione paenarum luſtralium maximam partem in vita exolvere ſatagit intenſiſſimis virtutum, potiſſimum charitatis actibus, ſpontaneis corporis caſtigationibus, multiplicium Eccleſiae indulgentiarum lucro, inſuper cum animabus in luſtrali carcere detentis conſtanti charitate ſuccurrerit, firmiter ſperat ex illo Salvatoris aſſerto: *quod uni ex his feciſtis*, *mihi feciſtis* Math 25 v 40, ſe vinculis illis cito liberandum ab illo, cujus tot *Fratres* inde miſericordiſſime liberavit. Magnopere etiam confidit in aliorum viventium, quos verbo, et exemplo in charitate erudivit, et ad Deum adduxit, ſuffragiis: in Sanctorum, quos conſtanti pietate coluit, imitatuſque eſt potiſſimum *matris miſericordiae* patrocinio: praecipuam vero ſpei ſuae anchoram firmat in meritis Chriſti, quorum fontem paſſionem Dominicam in corde ſuo aſſidue fixam habuit; ea igitur et *infinita*, et dono Salvatoris *noſtra* in litrum ſuae captivitatis aeterno Patri fiduci-

aliter

aliter offert, certus illa rejicere nec juſtitiam Divinam poſſe, nec miſericordiam velle eo, quod illis exhibitis eminenter plus ſolvat, quam debeat. Denique etſi iratus Judex contractas labes quam diutiſſime in flammis purgantibus expiari cupiat, Theophilus pronus adorat Numinis in hoc quoque imperium: exoſculatur caſtigantem Patris manum: gaudet, quod ſibi miſericordia in multis abuſo ſaltem juſtitiam extolliere detur: itaque ingenioſo amoris artificio duobus valentiſſimis *brachiis* ſuis *charitate* nempe, et plena *voluntatis ſuae* in Divinam *reſignatione* Deum ſuum amantiſſimum fortiſſime, quia *fortis eſt ut mors dilectio*, apprehendit, atque ad luſtrales ſecum carceres detrahit, eaque ratione ex purgatorio caelum ſibi, o vim charitatis! atque adeo paradiſum dulciſſimum facit: quia ibi eſt caelum, ubi eſt Deus amatus. Eſſe cum Jeſu amato ubicunque *dulcis eſt paradiſus*. Quis igitur non vid at, charitatis ſtudioſorum noviſſima quoque dulcia fore? quia graviori metu futurorum libera.

Sola charitas beatos reddit.

234. Obſerva, velim, Lector! ex quibus capitibus dimanet *vita, et mors beata*, nempe ex mundi gaudiis contemptis h n 212. ex plena voluntatis noſtrae in Divinam reſignatione 214. E teſtimonio bonae conſcientiae 223. Ex affectu ab amore inordinato creaturarum vacuo 225. Ex amaroſa compaſſione erga patientem Deum. 226 Cuncta haec effectus ſunt nobiliſſimi charitatis: ita et illa, quae judicii, inferni, ac purgatorii metum mitigare mox diximus hic a n 231. Quae ideo congeſſi ut 1: *iis mediis vitam, mortem, ac noviſſima felicia* nobis reddere aſſiduo ſtudio ſatagamus, abſque dictis enim adminiculis *mors peccatorum peſſima, et horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*. Ideo congeſſi 2: Ut in oculis ſolis falliſſimam demonſtraremus eorum opinionem, qui vitam *continuae charitatis* difficilem, duram, et importabilem eſſe clamitant, cum ut vidimus hactenus, ſola *vita charitatis* ſit *beata, dulcis*, verique *Solatii plena*. n 204. et ſeqq.

Ergo charitati continuae ſtudendum.

235. Hic jam ego ſic convenio Lectorem: omnes cupimus *feliciter, jucundeque vivere*, ac *beate mori*. Hoc omnes deſiderant boni, et mali; imo ideo ethices chriſtianae mediae aetatis Magiſtri relaxarunt obligationem continuae charitatis, ut *mundi filiis* in hoc onus ſentientibus, et *jucunde vivere* volentibus gratificarentur. Ut ut *illos* in hoc toto oſtio aberraſſe, abunde liqueat hic ex n 160. Sperant tamen et illi *beatam mortem* ſaltem per paenitentiam in ultimo morbo agendam. Quam periculoſe! patet ex iis, quae de *incertitudine* paenitentiae ad *finem vitae dilatae* cap X n XI diximus, et ex Auguſtino atteſtante, in tota ſacra ſcriptura, qui poſt vitam ſcelerate actam beate mortuus eſt, *UNUM reperiri, ne quis deſperet: ſed UNUM ſolummodo, ne quis ſe inani fiducia lactet*. Ex adverſo ſtudium charitatis nos vere *beatos* in *vita, et morte* reddere, dicta hactenus luce meridiana clarius demonſtrant. An non ergo ſangvineis lacrimis digna eſt ſocordia in ſtudio charitatis? an non ineffabilis amentiae eſt, nos *vitae beatitate, et mortis ſecuritate* privare propter! - - .- vah! pudet eloqui! propter amorem proprium, omnium malorum fontem, propter judicium proprium, propter cuticulam, propter pulvinar diaboli otium, propter guttam mellis, *quod guſtatum adfert mortem*. Job 6. Ah *verecundia mea contra me eſt, et confuſio faciei meae cooperuit me*. pſ 43. *Quis dabit oculis meis fontes lacrimarum! et plorabo die, ac nocte* negligentiam hacte-

nus meam in ſtudio charitatis! verum ex nunc finis eſto omnium impedimentorum charitatis! *dixi nunc coepi.* Jam nunc praeſtabo, quod in fine vitae feciſſe optabo. Quia horreo mori cum *tepidis*, ex nunc vivere fixum eſt cum *fervidis*. *Mors eſt echo vitae.* Quia *mori volo in Domino*, nolo vivere *niſi Deo.* Maledicta ſit illa in venis ſangvinis gutta, quae non bullit, non ſervet charitate Dei: anathema ſit, quid quid in me non eſt amor Dei mei. Sic *beate* vivam, h a n 211. Sic *jucunde* moriar. 221. Sic vivens, et moriens Deo, fruar aeternum Deo. Deus ipſe erit *merces magna nimis* charitatis meae!

Cujus praemium erit in caelo Deus.

236. O charitatis ſtudioſae animae! excuſſo tepore novos ardores charitatis concipite ad mentionem *praemii* charitatis veſtrae. Teſte enim S Hieronimo epiſt ad Demetriadem *omne opus leve fit, quando ejus praemium cogitatur, et ſpes mercedis ſolatium eſt, imo et ſtimulus laboris.* En igitur charitatis veſtrae merces eſt in caelo *Deus* perfecte *videndus*, *Deus* perfecte *amandus*, et hoc *aeternum.* Ibi erit docente Melifluo *plenitudo lucis propter viſionem: plenitudo conſolationis propter amorem: plenitudo pacis propter aeternitatem.* Attingamus primis ſaltem labiis ſingula:

Perfecte viſus

237. Doctore Apoſtolo 1 ad Cor 13 v 12: *Videmus nunc per ſpeculum in aenigmate; tunc autem* in caelo *facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut et cognitus ſum,* i. e. Sicut Deus cognoſcit me infinite, modo nempe Deo proprio, ita ego in coelo Deum cognoscam, *perfecte* modo creaturae conveniente. Ibi namque naturam Divinam, perſonas, totumque miſterium Trinitatis *diducto*, quod nunc ante oculos noſtros eſt, *ſipario* lucidiſſima claritate introſpiciemus: intuebimur ibi acutiſſima mentis acie ſimpliciſſimam *unitatem in Trinitate* conſiſtentem: *Trinitatem perſonarum*, cui non obeſt *naturae unitas*: Unitatem in Trinitate coruſcantem: Trinitatem in unitate lucentem. Patrem Filii originem: Filium *manantem à Patre* quoad perſonarum diſtinctionem; et *manentem in Patre* quoad naturae unitatem: Spiritum Sanctum Patris, et Filii mutuum amorem, ab utroque ſecundum perſonam procedentem, et a Patre, et Filio eſſentialiter indiſtinctum. Ibi in Deo viſo quaſi in ſpeculo videbimus omnia Numinis arcana. Nam ut ait Gregorius M Hom in Evang *quid non videbunt, qui videntem omnia vident?* Ibi ſecundum Auguſtinum l 21 de civit Dei *erit nobis rerum omnium ſcientia ſine errore, vel labore; quia Dei ſapientia de ipſo ſuo fonte potabimur*: Et docente S Laurentio Juſtiniano tract de charit *anima beata cuncta Dei ſecreta uno cognoſcet intuitu. Videbit Deum in ſe, et ſe in Deo. Videbit omnes creaturas in Deo, et Deum in creaturis:* (a) *atque inde luce ineffabili, ac laetifica oculus mentis totus erit circumfuſus.* Jam vero tam grata, tam jucunda erit Beatis caeli incolis *viſio Divinae* hujus *lucis*, ut ſi ea damnatis ſolum ad momentum, atque inſtar fulguris intuenda concederetur, plures ſine fine gehennas libenter paterentur. Imo ipſi Beati mallent, mille tartari paenas ſuſtinere, quam vel unico oculi ictu *ab ejus* aſpectu ceſſare. Si igitur tanta eſt *viſio beatifica* omnibus vel infimis caeli incolis, immenſum major *illa* erit, perfectior-

---

Quomodo beati videant praeces noſtras.

(a) En *modum, quo Sancti vident preces noſtras:* Quia *in Deo vident omnes creaturas.* Ergo et orationes noſtras. Diſcat hoc ille non tam Heterodoxus, quam Naturaliſta, qui nuper mihi aſſeruit, ſe *ex Philoſophia* non videre, quod Sancti in caelo videant preces noſtras. diſcat, inquam, miſteria fidei non ex *Philoſophia*, ſed ex *revelatione*, ſcriptura, et PP illius interpretibus quaerere, et videre. Se us ſimilis erit infidelibus nihil, quod ratione non aſſequuntur, credentibus. Quales multi hodie ſunt ex haeterodoxis noſtris ut ut chriſtianorum nomine gloriantibus.

ctiorque charitatis continuae fervidis ſtudioſis ; ex Apoſtoli enim doctrina 1 ad Cor 15 v 41 *ut ſtella a ſtella differt claritate*, ita viſio beatorum pro menſura meritorum. quorum meritorum ſola charitas proximum principium eſt juxta probata cap XIV n XXXV. Metire igitur, o caelis nata, et charitati aſveta anima! ex dictis ibi not ad n XLIV *charitatem viſionis* tuae tot millenis actibus charitatis a te in vita elicitis reſpondentem ! ah ibi potiſſimum verificabitur vulgatum illud: *qui magis amat, clarius videt*: quia qui hic magis amat Deum, clarius, longeque perfectius ibi videbit. Et ſic ibi Deum amantibus erit *plenitudo lucis propter viſionem.*

238. Ex *qua* naſcetur *plenitudo conſolationis propter* perfectum *amorem.* in vita plerumque quaevis viſio noſtra eſt mere ſpeculativa, ſterilis, omniſque charitatis vacua: at in caelo viſio beatifica erit *practica*, faecunda, et efficax, ita ut Deum quem ſentiemus, etiam guſtemus: quem videbimus, in eum miris ardoribus inflammati blanda vi rapiamur, et ei millies plus quam *anima Jonathae animae David* 1 Reg 18 charitate *agglutinemur.* Quis enarrabit hinc natam conſolationem ? poſſidere bonum tantopere deſideratum ! intellectu, et voluntate velut geminis brachiis arctiſſime complecti illud centrum omnis gloriae, et felicitatis ! ei intime uniri ! et inſtar candentis ferri in Divinum illum ignem integre transformari ! *amor eſt unio duorum*, et *communicatio qualitatum* mutua *utriuſque.* In caelo ineffabilis erit *unio*, et *communicatio* animae cum Deo. *Anima* enim beata *tranſibit in Deum* per gratiam, et amorem, licet maneat in ſe natura ſua : ut videre eſt in ferro candente. et viciſſim *Deus tranſibit in animam* beatam per *indulgentiam*, et *charitatem*; quamvis permaneat in ſe quoad Divinam eſſentiam. hinc propter hanc *unionem*, *et communicationem* jubebimur *intrare in gaudium Domini noſtri* Math 25 v 21. O voces plenae ſolatio a ſolo Deo pro dignitate enarrando ! ergo amantes Deum animae *intrabunt* in *Gaudium Dni*: hoc eſt dictu: non gaudium Dni intrabit in cor beatorum: nam ſic ſpatium eſſet nimis anguſtum, et laetitia circumſcripta: ſed ipſi intrabunt *in gaudium* Domini, illi toti quaſi immergendi, et ab illo gaudiorum oceano inebriendi, abſorbendi, et quaſi *per communicationem* deificandi: id eſt: illo gaudio, illa beatitudine, illis bonis incomprehenſibilibus, quibus Deus ab aeterno beatus eſt *eſſentialiter*, etiam nos pro menſura meritorum noſtrorum, quae proxime charitas eſt, *participative* beati erimus: illa bonitas infinita, quae mentem divinam, etiam noſtram inundabit, et *torrente voluptatis* inebriabit: ut Perſonarum Trinitas Sacroſancta ſeſe mutuo amando ab aeterno infinite felix eſt, ita nos eandem Triadem amando ineffabili menſura eandem Divinam felicitatem participabimus. Intellectus noſter eadem habebit lumina: cor noſtrum non alios nutriet ignes, quam quos Deus charitatis. Illius voluntas erit noſtrum velle: illius potentia noſtrum poſſe: Sapientia noſtrum ſcire. Sedebimus cum Deo in eodem trono: *Qui vicerit, dabo ei Sedere MECUM IN TRONO MEO* Apoc 3 v 21. Edemus, et bibemus cum eo *ſuper* eandem *menſam* Dei Luc 22 v 30. Et *regnabimus cum eo* in eodem regno *nobis parato a conſtitutione mundi* Math 25 v 34. O plenitudinem conſolationis ! quid poteſt vel cogitati dulcius, *quam* (verba Melliflui ſunt ferm de aſcen :) *vivere cum Deo*, *vivere de Deo*, *eſſe cum Deo*, *eſſe in Deo*? *qui erit omnia in omnibus.*

Perfecte amatus.

Idea caeleſtis beatitudinis.

239. En Dei amans anima, praemia tua ! en merita, et coronam charitatis ! cap 1 not 11 ad n XXIX. cap XIV n XXXV.

Quanta merces charitatis.

XXXV. Quae ſane tanta eſt, ut Deus ad remunerandam ſui charitatem majora, aut meliora praemia dare nequeat quoad ſubſtantiam beatitudinis. Dat enim ſe ipſum: *ego ero merces tua magna nimis.* Itaque ſicut Deus ſeipſo melius nihil habet, ita ad beandos ſui *amatores* dat quidquid habet, exhauriendo, ut ita dicam, omnes theſauros Divinitatis ſuae, ut *eos* cumulatiſſime remuneretur. Animum ſerio advertite dilectiſſimi! quanti aeſtimet Deus charitatem noſtram! quam ut lucraretur, cum non eſſemus, nos ex nihilo creavit; cum perditi fuiſſemus, Diviniſſimo ſuo ſangvine, ac morte redemit; ſuis bonos replet in vita, ſe ipſo carne, inquam, ſua ſaginat, ſuo gaudio remuneratur in caelo. O Deum, ſi fas eſt cum Tertuliano dicere, *ſui* pro amore noſtro *prodigum*! nae petra durior ſit oportet ille, qui his ad ſinceram Dei charitatem non flammeſcit. Nulla lingva valet exprimere vecordiam illam, quae mox enarrato charitatis praemio ad charitatem non inardeſcit, praemio plane Divino! eoque *aeternum duraturo.*

Et hoc in aeternum.

240. Et hoc extremum, facileque potentiſſimum eſt charitatis incitamentum, quod praemium ejus ſit aeternum. Recte Auguſtinus l 2 de Civ Dei: *illa beatitudo vera non eſt, de cujus aeternitate dubitatur.* Timor enim ea excidendi eſſet fel, quod omne voluptatum mare amaricaret: eſſet vultur, qui mentem perenni vulnere depaſceret. Igitur aeternitas, ejuſque certitudo quam maxime pertinet *ad plenitudinem pacis* caeleſtis. Iam vero in illo regno jucunditatis omnia erunt aeterna. Deus praemians aeternus, anima praemitanda aeterna, Merces a Chriſto Patri pro nobis perſoluta infinita. Ergo cum praemium beatorum nequeat eſſe *intenſive*, ſaltem *extenſive quoad durationem* debet eſſe infinitum, et interminabile, ut reſpondeat meritis Chriſti morte ſua partis adaequate infinitis. Decet quoque *charitatis* in vita virtualiter *continuae* mercedem eſſe *aeternam:* Nam charitatis continuae ſtudioſus ita eſt comparatus, ut ſi aeternum hic viveret, aeternum amaret infinitam amabilitatem illam. Decet igitur divinam largitatem, et magnificentiam, quae votis noſtris nequit ſuperari, ut tam pium erga ſe affectum noſtrum aeterna charitatis noſtrae in caelo duratione remuneretur. Quae quidem collectio quam ſolida eſt, tam juſto timore, ac tremore concutere debet hoſtes continuae charitatis! unde enim illi cum fundamento ſperant aeternam in caelo Dei charitatem, qui hic raro, et aliquoties in anno tantum volunt amare Deum? ex *habituali* charitate? at haec conſervatur per *actus* charitatis. Ut vidimus ſaepe. Confer cap XIV ad n XLII in not Contenſonium, et ibi n XLIX. Ubi etiam habes, habitum charitatis per tales actus inferiorum virtutum conſervari qui ſint *diſpoſitio* ad *actus* charitatis, atque in eos reipſa identidem erumpant. Unde ergo raro amantes Deum ſperant aeternam ejus charitatem? ex beata morte, et finali gratia? equidem ſcio, aeternum fore *beatos, qui in Domino moriuntur.* At hic a n 221 multis evicimus, ſolos *charitatis ſtudioſos* cum fundamento *ſperare poſſe mortem beatam.* Ut igitur anxio hoc metu liberemur, ex nunc coram caelo, et terra ſtatuamus, *Deo hic vivere omnibus actibus moraliter, et virtualiter continuis.*

Ut praemium charitatis Continuae.

241. O Probabiliſtae! o Attritioniſtae! quantam peſtem cauſſatis pietati! quantum detrimenti generi humano, ex hoc intelligite: nullum enim gravius malum *mortalibus* vel cogitatione fingi poſſet, quam ſi Deus prohibuiſſet, ne ab *iis* amaretur, aut certis dumtaxat

Notantur attritioniſtae aretantes praeceptum charitatis.

duntaxat temporibus amaretur. Cogitate Regem terrenum timeri tantum ſeſe indulgentem: quantum hoc eſſet malum ſubditis! igitur a contrario quum infinita majeſtas non tantum indulgeat nobis ſui amorem, ſed et praecipiat, jubeatque eſſe virtualiter continuum, (toto cap XIV) amantibuſque ſuis *ſe*, et *gaudium ſuum* in praemium aeternum polliceatur, profecto qui dulciſſimam hanc legem charitatis ad certa tempora contra ſcripturam potiſſimum Deut 6 v 7 8 reſtringit, merito hoſtis ſolidae pietatis, inimicus *beatae vitae*, *mortis jucundae*, *et aeternae felicitatis*, ex dictis a n h 221 eſt proclamandus.

242. Nec minus praejudicium attritioniſtae intulerunt *charitati*, quod *eam* a notione caeleſtis beatitudinis excluſerint, fingentes *hanc* in *Deo nobis* tantum *bono* conſiſtere. Ut refutavimus cap III a n XX uſque ad finem capitis, et hic a n 236. Quae omnia exhibent eſſentiam caeleſtium gaudiorum eſſe *charitatem Dei eandem*, *quam hic inchoamus*, ut ut immenſum ibi *perfectiorem* juxta illud 1 ad Cor 13 v 13.: *Nunc manent fides, ſpes, charitas, major autem horum eſt charitas*: quia fidei, et ſpei ex v 12 clara Dei viſione ſuccedente *charitas nunquam excidit* v 8, ſed in caelo perficietur ita, ut quae in via eſt *virtualiter, et moraliter continua*, fiat in caelo docente Angelico *phyſice*, ac reipſa *aſſidua, et aeterna*. conf cap XV. XVI. XVII. *Et ideam caeleſtis beatitudinis deſtruentes.*

243. Ex his jam ſponte fluunt ſequentes illationes: ergo omni conatu charitatis exercitio eſt incumbendum, ut hic caelum *terreſtre* inchoemus aeternum *in caelo* continuandum: cum utrumque in charitate Dei conſiſtat. h n 158, et 238. ergo Omnes aſperitates, quae viam charitatis decurrendo *molles offendunt plantas*, ob tantae mercedis ſpem flocci ſunt pendendae. Ergo immaniter ſibimetipſis ſunt infeſti, qui tot gradus aeternae illius felicitatis negligunt, tot gemmas ex illa caeleſti corona irreparabili jactura perdunt, quot affectus charitatis omittunt. Conf Contenſon h n 240 laudatum. O nos miſeros mortales! Qui aſſidue querimur de miſeria mundi, et tamen nihil ſolliciti ſumus de vera beatitudine et mundi, et poli in charitate Dei ſita: falſae felicitati inhiamus, umbras fugacis boni captamus, et fontem ſummae bonitatis negligimus. Quis tantae negligentiae non ingemiſcat! ſed ex nunc *accendamus Lucernam* diligentiae, *everramus* conſcientiae *domum*, et deſiderio tantae felicitatis terreſtris, et caeleſtis *quaeramus*, *donec inveniamus drachmam* hanc charitatis: et conſervemus eam pluſquam pupillam oculi noſtri ſequentibus mediis: *Caelum hic inchoandum charitate.*

244. Primo *fugiendo*, *quidquid ab ea abducit*, quamvis id manu, pedibus, quin vita ipſa charius foret. Id jubet evangelium Math 18v 8: *ſi oculus tuus*, Superiores, Parentes, te majores: *ſi manus* propinqvi, aequales, ſocii: vel *pes tuus* inferiores, ſubditi, quaecunque occaſio, habitus malus, tentatio etr *ſcandalizat te*, a charitate impedit, in peccatum inducit, *erue*, *abſcinde eam*, *et projice abſte*. Ut mater Machabaea 2 Mach 7 v 28 filium ſuum ad fortiter ſuſtinenda martyrii tormenta caeli conſideratione animabat dicens: *Peto nate! ut aſpicias caelum* ſita ego, quemcunque ſive caro titillat, ſive qvaevis occaſio ad peccatum invitat, obteſtor, ut non *aſpiciat* brevem, ac brutalem voluptatulam ex peccato percipiendam; verum *delicias caeli terreſtris* ex ſtudio charitatis in eam dimanentes, *hic n* 158: futuras item caeli aeternas delicias, utraſque peccato patrando amittendas. Sane ſi primae claſſis amentia fuit illa Simmachi Regis, qui integrum regnum pro hauſtu frigidae aquae vendidit, et Eſavi, qui *primogenita pro lentis edulio Jacobo* Fratri tradidit, nulla mens humana capere poteſt illam ſtultitiam, qua homo peccans tempora- *Fugiendo quidquid ab ea abducit.*

lem, et aeviternam Dei charitatem pro levi voluptatula, pro modico lucello, pro honoris nihilo dilapidare non horrescit!

Agendo quidquid ad eam conducit.

245. Alterum medium conservandae charitatis, et sic consequendi caeli terrestris, et aeterni est ingentibus animis *agere*, quidquid ad consequendam, augendamque charitatem conducit. Confer h a n 197 dicta, ubi *viam charitatis* nimium arduam dici non posse evictum habes. Et profecto sangvineis lacrimis est deploranda haec mortalium caecitas, qua pro solo Deo nihil agitur, nihil tentatur. Clamat mundus: servite mihi, et dabo vobis fluxas, brutalesque voluptates, postea paenas infernales! et servitur ei aviditate summa. Clamat Deus: amate me, et dabo vobis vera gaudia in terra, et caelo: et amor non amatur, licet in vita torrentem voluptatis, et aeterna promittat gaudia *se diligentibus*. Clamat Christus: *regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* Math. 11 v 12: et nos cuticulam muliebriter fovemus, omnem appetitionibus nostris libertatem laxamus quidquid molestum est horremus, et tamen cum electis aeternum gaudere volumus, ut ut sciamus, impossibile esse *delectari* sensualiter *in mundo, et postea regnare cum Christo*. de imit Christi l 1 c 24. Utinam Christiani ab Hebraeo Philone discamus! acute observante: *oblectamenta vitae praesentis furta* esse *oblectationum vitae futurae*: quin et praesentis vitae verorum spiritus gaudiorum dicente Kempensi: *Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo*. conf h n 176.

Et patiendo pro caelo terrestri.

246. His affine est tertium medium, nempe *patiendum*, quidquid ad consequendum caelum terrestre, et caeleste, charitatem, inquam, conducit. Nam docente Apostolo 2 ad cor 13 v 4: *charitas patiens est, - omnia suffert*. Si consideremus bona caeli terrestris charitatis continuae h a n 158, ea sunt inaestimabilia; atqui ratio ipsa jubet, leviorem molestiam perferendam esse pro bono incomparabiliter meliori. Sic aegroti ut vitam hanc innumeris miseriis plenam ad modicum tempus protrahant, amarissima medicamina ridenti ore admittunt, secari se, urique permittunt: et nos ut spiritu valeamus, ut a pernitiosissimis animae passionibus curemur, ut charitate praedominante potiamur, et sic paradisum in vita caelestis aemulum consequamur, omne asperum, ipsum patientiae nomen horremus, et aversamur. O vecors, delicata, et effaeminata anima! audi, irrefragabilem veritatem: *nisi tibi vim feceris, vitium non superabit*, charitatem firmam, et radicatam non consequeris. Atque hujus veritatis testes adduco omnes in caelo, et terra Sanctos, multas miriades Martyrum, infinitam multitudinem Confessorum, ac tenerarum Virginum tibi cum Apostolo inclamantium: *castiga corpus tuum, et in servitutem redige: ne cum aliis praedicaveris, ipse* excidas charitate, et *reprobus efficiaris*. Testem adduco ipsum Deum hominem, quem ipsum *oportuit pati*, et sic resurgere in vitam immortalem, ut confunderet tuam, o delicatule! inanissimam spem illam, qua sine patientia polliceris tibi vitam animae charitatis solidae, et permanentis. Redi huc ad n 191 et seqq.

Ac caelesti.

247. *Caeli* aetherei, perennis charitatis *viam unicam* esse *pati*, jam saepius diximus h 11. 81. 96. Accedit, quod omnes Martyres debeamus esse aut pro Deo, et ejus charitate, aut pro inferno, ut evici h n 201, et seqq. Audiatur Affricae Lumen Augustinus serm 253: *Quod Deus parat diligentibus se, fide non comprehenditur, spe non attingitur, - vota transgreditur. Optari potest, aquiri potest, aestimari, describi non potest.* Id quod maximus Ecclesiae Doctor

ctor accepit ab Apoſtolo 1 ad Cor 2 v 9 dicente: *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt eum.* Ex quo conſequens eſt, Deum non nimium a nobis exacturum fuiſſe, etſi omnia Martyrum tormenta uſque ad finem mundi a nobis perferenda pro caelo voluiſſet. Imo diabolus promptiſſime pateretur millies praeſentibus majora inferni tormenta, dummodo ſpes ei praeberetur unico momento coeleſtibus frui gaudiis. Ex adverſo docente Apoſtolo 2 ad Cor 4 v 17: *momentaneum* reſpectu aeternitatis, *et leve* reſpectu inferni, quin et reſpectu eorum, quae Chriſtus, et Martyres pertulerunt, *tribulationis aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Igitur nulla mens capere poteſt extremam illam vecordiam noſtram, qua ſeducti hoc tam *leve*, et *momentaneum tribulationis* pro aeterna felicitate pati recuſamus. Quid oro! diceres de eo, cui poteſtas daretur horaria diligentia gazam auri Regiam totius vitae beatitati ſuffecturam aſportandi, ille tamen eadem hora felicitati ſuae conceſſa altum dormiret? nunquid hunc inſigniter inſanire pronuntiares! nos omnes tales ſumus, qui *diebus ſalutis* abutimur, qui *hora ad caelum emerendum conceſſa* vana, et fluxa mundi gaudia captamus, hic in via ad paradiſum conſequendum torqeſcimus, ſpinas virtutum declinamus. ita mundo animum affigimus, quaſi ad hic gaudendum, cunctiſque mundi voluptatibus fruendum creati eſſemus: de caelo conſequendo vix cogitamus, *viam ejus patientiam* nec ſcire volumus exiſtimantes ſtulte equidem, de *beata hic vita* nos quoquo modo *ad aeternam* perventuros. ſed truſtra *mentitur iniquitas ſibi* pſ 26 v 12. Lata pridem ſententia eſt, *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum caelorum.* Audiant hoc omnes! non ſolum Sacerdotes Dni, ſed viri, ac mulieres, pauperes, nobiles illuſtres, delicati, molles, vix prae teneritudine ſeſe moventes, vix pulicis morſum pati volentes: *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum caelorum.* Ad *domeſticos fidei* loquor. Quamdiu verbum Domini verum erit, quamdiu Salvator audietur, quisquis pati renuit, caelo aeternum exulabit. Quod naturaliſtae, et quicunque revelationem Divinam negant, pati nolint, mirum non eſt: nam hi poſt mortem nullam *ſperant voluptatem.* nec mirum, quod pati nolint impii, et in profundum malorum prolapſi catholici: nam hi *deſperantes* de caelo conſequendo *tradiderunt ſe ignominiae*: ideo *caelum ſuum* hic in commoditatibus mundi volunt abſolvere. At quod alii lucis evangelicae filii *mediae viae*, nempe pie volentes vivere, et beate mori, pati pro caelo refugiant, hoc ſtupor eſt admirandus! cum ſcriptum ſit: *omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patientur* ſi non ab aliis, ſaltem a mundo, carne, et ſangvine. Ideo ſciant et tales, *patientiam omnibus eſſe neceſſariam, ut reportemus repromiſſiones aeternorum gaudiorum* ſoli patientiae promiſſorum, *quisquis pati noluerit cum Chriſto, nunquam regnabit cum Chriſto.* (a)

Idque perſeveranter.

248.

(a) Nihil equidem extraordinariae *patientiae* ab ullo peto: non cilicium, non abſtinentias inſolitas. imo admitto victum, ac veſtitum honeſtiſſimum ſtatui cujuſvis competentem, neceſſarias item diſtractiones innocentes, ac eutropeliam. Omnibus tamen, etiam illuſtriſſimis patientiam *neceſſariam* aſſero 1: in exacte adimplendis ſtatus ſui obligationibus. 2: In fugiendo otio. 3 In tempore debite impendendo. 4. In cujuſvis vitii per examen particulare exſirpatione. 5. In paſſionibus inordinatis edomandis, et charitati praedominanti ſubjugandis. 6. In coercenda gula, et lingva, ut ultra neceſſitatem

Regulae patientiae pro illuſtribus.

Perseverantiae bona.

248. Ergo omnibus *patiendum* pro caelo terrestri, et caelesti, et quidem *perseveranter*. itaque videamus. *perseverantiae Bona*. Primumest, quod *illa* nos faciat *similes Deo*, et *Sanctis* ejus. Ut enim apud Deum *essentialiter*, et in beatis propter visionem, et amorem beatificum *participative non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* Pl 15; ita perseverantia nos ab erroribus lunae aemulis, qui *nunquam in eodem statu permanent* Job 14, distingvit, et ad aliquam stabilitatis Divinae similitudinem attollit. 2. Est *felix* beatae *electionis signum*, ac nota firmam *spem tribuens finalis perseverantiae*, et gloriae aeternae obtinendae. Qui enim *constanti* gressu, ac conatu Solymam versus pergit, praesaga spe solari se potest de assequendo termino, et incolatu beatae illius civitatis: et Patres divinam nostri ad coronam *praedestinationem* exhibent tanquam *catenam* ex *pluribus* invicem firmiter connexis *annulis* ex parte Dei *gratiarum efficacium*; ex parte vero nostra *actuum salutarium* charitate animatarum. h n 184. Omnes igitur actus nostri salutares sunt totidem passus ad illam civitatem beatorum, sunt *annuli* divinae illius catenae, *qui* si invicem *firmiter* connectantur non interrupta serie, feliciter deducent nos ad *ultimum annulum* ex *quo pendet finalis perseverantia*, ad quem reliqui omnes annuli bonorum operum referuntur, et in quo coronantur. Hac spe solabatur se Gentium Doctor morti jam proximus; ille inquam, qui initio Apostolatus sui metuebat, *ne cum aliis praedicaverit, ipse reprobus efficeretur*, se *abortivum* ad Cor 15 v 8, et *peccatorum primum* 1 ad Timoth 1 v 15 apellabat: At stabili pietate, *ardentissimaque in Christum charitate* (ut ex omnibus ejus epistolis mirifice elucet) per plures annos sine relapsu continuata in spem erectus integratae a conversione conscientiae suae vadimonio fretus fidenter asserit 2 ad Tim 4 v 7: *Bonum certamen certavi, fidem servavi: ideoque* pollicetur dicens: *reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus.* En stimulum potentissimum, quo cupida salutis mens efficacissime impellatur ad charitatem *constanter* sectandam! quia *constantia charitatis* est moraliter certum electionis *ad charitatem aeternam* in caelo prognosticon. Nec mirum nam 3: Sola *perseverantia* omnes *praecedentes virtutes coronat* ex doctrina Hipponensis Praesulis super ps 51 dicentis: *non est magnum inchoare bonum, sed consummare hoc solum perfectum est. Non quaeruntur in Christianis initia*, prosequitur alterum lumen Eccle-

siae

---

non sumatur, et fraenum ori ponatur. 7. In sumptibus ad proventus mensurandis, in debitis expungendis, ut sine iis vivatur. In studio miserationis, et largiendis necessariis eleemosinis 8. In abstinendo animio lusu, spectaculis inhonestis, aliisque illicitis conversationibus, et ad peccatum inducere natis occasionibus, quaecunque illae sint. 9. In matutina post sufficientem quietem generosa e lecto sui excussione. In matutina debita Intentione, examine conscientiae vespertino, frequenti per diem mentis ad Deum reflexione per preces jaculatorias. 10. In Divinorum, et Sacramentorum publica, et exemplari frequentatione. 11. In omnibus taediis, morbis, ac molestiis occurrentibus voluntatis suae in Divinam conformatione, ac amore Dei tolerantia. 12. In *Spiritu humilitatis* confectando, omnibus se deteriorem judicando; quia si alii talia media haberent, longe exactius Deo servirent. 13. In *Spiritu paupertatis*, reputando bona temporalia *amoris Divini*, non splendidae vitae *adminicula*. 14. in reddendo cuique suum: inferiores sincere diligendo, modeste alloquando. 15. Et haec omnia ex praedominate charitate Dei. Plura dedimus suis locis de particularibus materiis agendo. Quae si Confessarii *suis* debite instillaverint, viri aeque, ac mulieres illustres vitam vivent Evangelio conformem, nec caelum suum hic in deliciis mundanis absolvent. vide 1 ad Tim. 6 v 17 et seq *divitum* obligationes.

siae Hieronimus epist ad Furiam, *sed finis, et perseverantia. Non coepisse, sed permansisse virtutis est.* Bonaventurae oraculo Diaetae c 2 *omnes quidem virtutes coronam merentur, sed sola perseverantia coronatur. Omnes* virtutes *currunt*, sed sola perseverantia *accipit bravium.*

249. Haec adhuc magis clarescent visis *inconstantiae dispendiis.* Quae 1: *omnibus nos meritis prioribus privat.* Audiatur S Basilius ad Chilonem discipulum: *nullum sunt insumptae operae pretium relaturi, qui non ad legitimum usque finem duraverint.* Et Bernardus Epist 252: *Nihil prodest Christum sequi, si non contingat* perseverantia medi- ante *consequi.* Fidei hoc caput est Divino illo oracolo Math 10 v 22 definitum: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Cujus veritatis miseranda exempla sunt Saul, Judas, Tertullianus, et infiniti alii in historia Ecclesiastica noti, qui sanctitatis suae splendidam auroram scelerato vitae occasu contaminarunt, atque ideo anteactorum meritorum suorum coronam subsequo lapsu perdentes in paenas aeternas juxta cum conscleratissimis sunt praecipitati. Ita teste Eusebio Emisseno Hon 5 ad Monach: *Spes omnes nostrae in consummatione, et fine consistunt.* Et S Gregorio M l 1 mor: *incassum bonum agitur, si ante vitae terminum deseratur.* 2: Sed demus, quod non tenemur, peccatum tuum proximum non fore finalis impaenitentiae: certum tamen est, quod susceptum sanctitatis iter plurimum aggravet. Nam pios habitus hactenus aquisitos delet, vitiosos novos inducit, pristinos resuscitat, animam totam morbidam reddit, ineptamque specialibus Divinis auxiliis, quaeis destitutam sathanas toto nisu infestat, in ruinamque impellit. Ut proinde verissime dicat B Laurentius Justinianus L de obed c 21 de hujusmodi lunae aemulis, *Sanctis horariis, diurnis, menstruis, et justis vacillantibus, fieri eorum novissima pejora prioribus, meliusque illis fuisse viam veritatis non cognovisse, et virtutum arduum iter non initiasse, quam post agnitum, et inchoatum retrorsum ivisse.* Quam suam doctrinam sumpsit Sanctus Pontifex ex Luc 11 v 21 usque ad 26, ubi erga *inconstantes* in justitia diaboli imperium, et tirannis graphice describitur. 3. Quis igitur negabit *eos* in damnationem magnis passibus properare? Certe quot *ii* passibus retrogradiuntur a caepta justitia, *tot* appropinquant ad portas inferni, et toties eas pulsant, ut tandem sibi aperiantur! et aperientur procul dubio, dum minime putaverint, peccatorum, et relapsuum definito numero completo. redius ad n h 141. Nam ex oraculo Jacobi Apostoli v 13 *sideribus* hujusmodi *errantibus procella tenebrarum servata est in aeternum.* Hunc pertinent omnia dicta de *constantia justitiae christianae, de recidivis* cap X a n XXVII usque ad finem. *de tepore* h n 143.

Inconstantiae mala.

250. Vis tantis *inconstantiae* periculis *efficacissima remedia?* Primum est singularis, et continuo reflexa providentia, qua sagaciter praevidenda sunt ea, quae nos *in continua charitate* instabiles reddere solent, ac solicite curandum, ut animus contra illa *levitatis illicia* fortiter obarmetur. *Talia* sunt *naturae indoles, arduitas, et diuturnitas laboris.* Contra quae panaceam dedimus hic a n 193. et 222. Alterum est singularis fiducia. et assidua invocatio Divinae gratiae pro dono *perseverantiae*, ut ab *hac* nec occasionum illecebris, nec tentationum periculis, nec cupiditatum fallaciis dimoveamur, sed *simus firmi in via Domini* Eccli 5 v 12, ac *in ejus disciplina perseveremus.* ad Haebr 12 v 7. *Ne fatigemur animis deficientes* ibi v 3. *Nec perdamus, quae operati sumus, sed ut mercedem plenam accipiamus,* Epist 2 Joan v 8. Potissimum vero sancta haec in charitate per-

Remedia.

ſeverantia a Deo Euchariſtico ſub Sacro, et frequenti communione eſt oranda. Si enim *Elias in fortitudine cibi illius* (qui Divinae noſtrae alimoniae ſola figura fuit:) *ambulavit quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb*, longe magis verus hic *panis fortium* addet nobis vires efficaciſſimas, queis in perfectionis culmen eluctemur, amoris proprii blandimenta ſuperemus, mundi pedicas effugiamus, tartari fraudes vincamus, perſeverantem fortitudinem in via probitatis conſequamur, atque ſic ad beatae aeternitatis portum feliciter eluctemur. Extremum inconſtantiae pharmacum eſt crebra conſideratio, et recollectio dictorum *charitatis ignis culorum*, quibus hactenus ad *continuam charitatem* Novellum animavi. nam cum ex mente Philoſophorum *per quae quid creſcit, per eadem et conſervetur*, conſequens neceſſarium eſt, ut per easdem rationes, et incitamenta, quibus hucuſque *charitatis virtualis ſtudium* excitavi, iisdem illud porro quoque foveatur, nutriatur, atque uſque ad beatam mortem perſeveranter conſervetur. Sane his ſolis 250 numeris tam efficacia dedi *fervoris* in charitate *motiva*, ut ſi *unum* tantum per ſingulos dies vel mediocri cum diligentia quiſque ex iis ruminaverit, diem ſancte in *continua* moraliter *charitate* exacturus, atque ex pluribus Sanctis diebus charitatis, *catenam* perſeverantiae confecturus ſit, *qua* ad regnum aeternae charitatis feliciter pertingat. conf h n XXVII.

Concluſio. Finis opellae.

XXIX. Atque hunc in finem has *ſcintillas charitatis*, potiſſimum ex manuſcriptis noviſſimi inſignis Patris Spiritualis Michaelis Fodor, Antonio Bellecio, Balde, Nierembergio, aliiſque praeſtantiſſimis Aſcetis e Societate Jeſu in unum faſciculum collegi, ut quibus *igniculis* Sancti olim Jeſu Socii orbem univerſum ignibus charitatis illuſtrarunt, iisdem *virtualem moraliter continuam charitatem* in me, et in *Novello* meo accenderem. Ideo etiam II: ut cum in ſuperioribus paſſim capitibus multas Theologicas opiniones *dictorum Sociorum* (non ſane univerſae Societatis, ſed privatorum tantum. cap XVI n XV) refutaverim, hic honorifica quaſi reſtitutione oſtenderem, *eorum aſceſim* revera fuiſſe puriſſimam, Evangelicam, charitatis pleniſſimam, omnibus commendandam, ad conſummationem Saeculi in Eccleſia *depoſiti inſtar* cuſtodiendam. Ideo III. quod cum ſaepius ex Eizalde moralis Theologiae praeſtantiſſimo reformatore inculcaverim, *unam* eſſe debere exemplo SS PP *Theologiam Speculativam*, *moralem*, *Concionatoriam*, *aſceticam*, hic ſpecimen aliquod darem doctrinae aſceticae, ad quam omnis *Theologia morum*, et *Concionum* conformaretur. Sane ſi *ſcintillae* hae *charitatis*, quas ego ſparſi, lectae, et in uſum deductae fuerint a Curatoribus animarum: ſi per Magiſtros Spiritus Novellis Eccleſiaſticis, et Religioſis: ſi per Concionatores auditoribus, per Confeſſarios paenitentibus, per Catechetas rudibus, pueris, puellisque, per Pedagogos ſtudioſis ſvaviter inſtillatae fuerint, brevi univerſa Diaeceſis ardebit charitate. Ita *ignem veni mittere in terram, et quid volo, niſi ut accendatur. Os meum patet ad vos*, quicunque Novelli eſtis in charitate continua! *cor meum dilatatum eſt.* 2 ad Cor 6 v 11e *Omnia oſtendi vobis, quomodo oporteat ſuſcipere.*, et dirigere *infirmos* in charitate: quae *facientes* et *voſmetipſos ſalvos facietis, et eos, qui vos audiunt.* 1 ad Tim 4 v 16. Ideo *rogo vos Fratres, ut ſufferatis verbum ſolatii.* ad Haebr 13 v 22. *Non* enim *quaeſivi gloriam meam: nec judicavi me aliud ſcire*, aut vobis ſvadere debere, *quam Jeſum, et hunc Crucifixum* ejuſque continuam! charitatem: ut *in omnibus honorificetur Deus*, et *omnia noſtra in charitate fiant.* 1 ad Cor 16 v 14. Votorum, ac dictorum haec ſumma meorum eſt

XXX.

XXX. Insurgunt *Naturaliſtae*, aſſeruntque, hactenus dicta mera eſſe terriculamenta Sacerdotum nihil populo niſi triſtia aſſidue inclamantium. Reſp: arguere, obſecrare, terrere metu futurorum, eſt caracter Prophetarum, Praecurſoris, et Salvatoris. Ut ſatis patet inſpicienti Scripturam Sacram. caeterum cum Naturaliſtae ſolam *in hac vita quaerant felicitatem*, nihil poſt mortem ſperantes, ex hoc ipſo eorum principio maxime ſtudere debent charitati, utpote quae cultoribus ſuis *paradiſum in vita* cauſſat, h 158. neglectores *martyres* facit *diaboli*, h 201, et *infernum vivum* eis parturit. 202. Quem quidem *vivum infernum* maxime ſentiunt naturaliſtae, ut vidimus cap VIII not ad n XXXII pag 298. Ubi eos breviter, ſed ſufficieter monuimus. *Objiciunt naturaliſtae.*

XXXI. Reponunt *mundi filii* I: Haec eſſe impoſſibilia ſervatu. II. Nec neceſſaria. III. ad Religioſos pertinere. IV. Lajcis ſufficere ſeriam in morte paenitentiam. Verum reponimus ad I: Nihil his omnibus nos intendere, quam ut *actualis, vel virtualis cunctis* amoribus *praedominans charitas moraliter modo humano* in nobis conſervetur remotis impedimentis, accenſiſque identidem ejus igniculis. conf cap XIV a n XVII. Ad II. Neceſſaria ſunt ad praeceptum continuae charitatis explendum. *toto cap XIV.* ad meritum omnium operum. ad evitanda mentis diſſipatae mala; et quia aliquid mens ſemper cogitare debet, go potius de Deo, ejusque charitate, quam indifferentia, aut noxia, vel imperfecta *continuo moraliter* cogites. quid quod ſine continua charitate illuſtres, potiſſimum ſaeminae vix abſolutionis capaces ſint ob perpetuum otium. ut vidimus cap X n XLV. et h n 143. ad III. Hanc perſvaſionem erroneam refeilimus cap XIV a n X. ad IV: Sufficiat audire tremendam ſententiam Auguſtini aſſerentis: *Unum* bonum Latronem *legimus in fine vitae rite egiſſe paenitentiam, ne quis deſperet; ſed unum, ne quis praeſumat.* confer dicta de *incertitudine ſerae paenitentiae* cap X n XI. *Mundani.*

XXXII. *Benigniſtarum* argumenta pleraque ſuis locis convulſi. qui demum ad invidiam Theologicam nobis conflandam aſſerunt I: meliora eſſe benigniora mediae aetatis *principia*; quia *noſtris* deleruntur templa, et Sacramenta. ajunt II: in nos quadrare illam Chriſti repraehenſionem: *alligant onera inportabilia: at ipſi nec digito ea movere volunt.* Rdeo ad I: Principia noſtra conſtanter *ſcripturae*, et PP auctoritate ita firmavimus, ut ſi vera ſit ſequela, ea non nobis, ſed dictis ſacris fontibus ſit adſcribenda. quam ex adverſo male merita ſint benigniora, convulſis per nos ratiunculis innixa poſterioris aevi principia de morum diſciplina, vidimus cap VIII n XX. XXII. XXIII. XXXII. audiant benigni duo tantum verba aurei Oris iiſdem laudata: primum: *tole hoc vitium a clero, ne velint hominibus placere, et omnia vitia reſecantur.* alterum: *omnia ſubverſa ſunt, omnia confuſa, quia ut in theatris, multitudinem quaerimus, non probatam paucitatem.* haec meditentur, qui *multitudinem ſequentium notam* eſſe volunt *veritatis.* conf cap X n XXX. XXXI. Idem eſto judicium de illa calumnia, quod Initiariſtae *multis conditionibus* requiſitis deterreamus adoleſcentes a Sacerdotio, fideles a frequentandis Sacramentis paenitentiae, et euchariſtiae. Talia enim ipſos ſacros fontes impetunt, ex quibus locuti ſumus. ut ſatis patet hic a n IV, ubi de *qualitatibus Sacerdotum*: et ex cap X a n XXVIII: ac cap XII a n XI: ubi de *digne paenitentibus*, ac *communicantibus egimus* non noſtra obtrudentes, ſed *Sanctorum* veſtigiis inſiſtentes. Porro quod magis paradoxum eſt, iidem adverſarii noſtri non dubitant jactare pro ſe *uſum plurium ſaeculorum.* at *antiquitatem ante-Tridentinam* pro nobis ſtare, evidens eſt ex cap I. proin- *Benigniſtae.*

de

de *usus contrarius* eorum est tantum ab invento servilismo, et probabilismo. cap VI. isque anxie admodum dubius. cap VII. igitur coram eruditis allegari nequit. Demum *idem* omnem charitatem paenitentiae Sacramentalem respuunt ut *per se justificantem*, quia *perfectam*. id quod apertum Bajanismum esse palam confitetur ipse Bajus paenitens cap I pag hic 53, in eo se errasse confitens, quod non distinxerit *imperfectam*, et *initialem* charitatem a *perfecta*. quod ideo toties repeto, ne Lectores scrupulum sibi sumant ex audacibus, ut ut male fundatis hujusmodi assertis. ad II. SS Patrum discipulos, quales initialistas esse ex toto opere elucet, comparare cum Pharisaeis *traditiones humanas suis alligantibus*, an ingenuum? et non potius apud imperitos jactabundum sit? judicent ingenui perlecto hoc opere. si facta nostra non respondent dictis, fatemur culpam nostram, et oramus adversarios, ut nos precum suarum suffragiis juvent ad faciendum, quae dicimus.

Critici. XXXIII. Affirmant demum alii: multa hic ad taedium saepius repeti. Rdeo I: utique: quia et pretiosa fercula saepius amanter porriguntur *amicis*, et *infirmis*, ut *his* appetitus excitetur. II: Vera plurium repetitionum causa est, quod quum e posterioribus decisionibus advertissem partim *novas difficultates*, partim quaedam *sinistre intellecta*; *illas* solvere, *haec declarare* necessario debui. (*a*) caetera diluet *charitas Fraternitatis* ambigua in meliorem partem accipiens.

(*a*) *Ad* declaranda *quoque pertinet id, quod dixi cap XI n III* hoc de raptu Virginis, *interrogari posse* poenitentem facentem de crimine, quod ex complicis ejus confessione scit eum patrasse Confessarius. *quod et modo affirmo, putans* usum scientiae ex confessione hausiae ad dirigendum IN CONFESSIONE alium quoque paenitentem non vetari lege sigilli sacramentalis. *non dixi tamen, objici illi posse, quod confessarius sciat illud eum patrasse; minus, quod idipsum ex confessione complicis sciat. Hae propositiones non sunt meae. Si quaeras, quod ibi non decidi, an talis paenitens interrogatus, si neget se crimen illud commisisse, absolvi possit? Rdeo: instruendum probe esse, si ignoraret, tale crimen revera mortale esse: aperiendum grande sacrilegium, si indigne absolvatur, et communicet: disponendum ad seriam contritionem. si nec sic fateatur, credi posse, quod hoc crimen jam hic paenitens alibi confessus sit, et sic absolvi debere. si hoc credi nequeat, quia solus Parochus est in loco sacerdos, et constat penitentem alibi pro confessione non fuisse, tunc quamquam alii affirment hic paenitenti fidem habendam esse; ego tamen adduci nequeo, ut ejus absolutioni consentiam. nam esset* sacrm dare indigno si non certo, *saltem* verosimiliter tali. *confessio enim complicis prudentis, et nullo rationabili fundamento refutata, ut supponit casus, facit me anxie dubitare de hujus indignitate. atqui in dubio nefas est dare sacrmtm extra articulum mortis. ut dixi cap XV a n VI. si urgeas* infamiam *ex ommissa communione*, illa *evitari potest dicendo se* male valere, male esse *hic et nunc* dispositum, *differe ad meliorem dispositionem: vel, ut quidam mihi suggessit, sumat gutam, aut bolum quasi inadvertens, aut titulo alterationis: et sic evadet* sacrilegam communionem; quae *nec ad evitandam mortem licita est; minus ad infamiam, prudenti consilio declinandam. Plura suggerent circumstantiae. Nam si post seriam exhortationem videatur, esse pacata mente poenitens, credi potest in Confessione prioris complicis errorem aliquem accidisse. Si vero appareat multum perplexus, et confusus, signum est erubescere confiteri peccatum. Sane vidimus cap X n LIX poenitentem etiam* ob venialem culpam *differri posse; multo magis*

De paenitente tacente crimen, quod complex ejus confessus est.

hic in anxio dubio *ſacrilegae confeſſionis. Nec urget, quod poenitens ipſe ſibi ſit* accuſator, *et* teſtis. *Nam ex Confeſſione priori complicis probabiliter videtur eſſe* teſtis ſuſpectus: *et Judex ex Gregorio M*, ut vidimus *cap* 1 *n XVII*, illum tantum debet abſolvere, quem a ſupremo Judice pie ſperat abſolvendum. *At hunc teſtimonio complicis crimen ſuum tacentem nequit prudenter ſperare a Deo abſolvendum. go [nec confeſſarius abſolvere poteſt. et hic caſus non infrequens eſt: ut ſi ſponſus confiteatur* copulam *cum Sponſa, quam haec ſubjequa neget: ſi cognatus, vel affinis affirmet* eam *cum cognata, vel affine Confeſſario nota, et haec inficietur. Si unus conjugum accuſet ſe de culpa mortali in uſu conjugii eorum, quae refert Antoine de obligat. c 3 q 7: alter neget. Si Titius confiteatur ſe furtum, latrocinium etr commiſiſſe manifeſtato cum complice: quod hic ſuperveniens fateri recuſet. Si Reus in judicio convictus, et condemnatus, in ſacro foro ſe ſe innocentem eſſe aſſeveret. Niſi, ut dicebam, ex circumſtantiis appareat errorem irrepſiſſe. Plura invenies apud Opſtraet* Paſtor bonus *p IV cap X. qui Saepius monet, DUBIE diſpoſitis ſacramentum non eſſe miniſtrandum extra caſum neceſſitatis. Quem quidem auctorem ut Serviliſtae opiniones ſuas calumniis optimorum Virorum tueri ſoliti* Rigoriſtam *clamant, ita ſolidae pietatis ſtudioſi aeſtimant; quae in eo hodiernis moribus aptari non poſſe viderentur, ea* praedominante charitate *ſuplere ſatagentes, ut ſcriptum praeclare eſt:* ama, et fac, quod vis: non enim amas, et negligis *ſi praeſcripta, ſive parilia media.*

XXXIV. Ad te tandem convertor o Deus charitatis! apud quem velle facere eſt: non auſim affirmare, bene me de te ſcripſiſſe: hoc Divino tuo, et Eccleſiae tuae judicio ſubſterno: volui tamen hoc opere charitatem tuam cordibus lectorum, ac per eos omnium fidelium inculcare. Ac primum quidem ſvaſi charitatem *Sacramentalem*, ut praeter atritionem mere formidoloſam velut diſpoſitionem in ſacramento quoque paenitentiae *DUBIAM*, amorem *initialem benevolum affective ſuper omnia* in nobis, paenitentibusque noſtris excire ſatagamus. Haec prioribus tredecim capitibus: exinde toto opere urſi ad omnium operum noſtrorum indifferentium bonitatem, ad virtutum vero charitate inferiorum perfectionem *extrinſecam*, neceſſariam *charitatem virtualiter modo humano continuam omnibus actionibus* noſtris *affective praedominantem*, cupiditaes illicitas extingventem, licitos vero amores ſibi ſubordinantem, ut *amor Dei ſemper praedominans*, ſive *major ſit caeteris omnibus cordis noſtri amoribus*: ſic Deum *ex toto corde* ſemper diligemus, *nihil* unquam *pluſquam Deum*, et *non propter* diligentes: ſic docente Auguſtino libr 15 de civit Dei cap 1 *amabimus Deum uſque ad contemptum noſtri*, et *mundanorum*: ſic his *utemur* velut mediis, *fruemur* ſolo Deo ut fine noſtro. Sic quod urget Iunior amoris Magiſter Saleſius de amore Dei p 2 l 10 cap 6: *amor Dei praeceptus inter noſtros amores ſolus dominabitur in cordibus noſtris, velut oleum in lampade*, ut vult S Vincentius Fer ſerm 22, *ſic amor Dei in corde debet natare ſuper alios amores.* En totius induſtriae meae iliadem! pretium laboris magnum admodum peto: nempe Te ipſum o Deus charitatis! et charitatem tuam continuam, ut hic eam inchoans aeternum Te amem in vita, et patria. Hic opellae meae ab initio fuit, ſitque jam finis, ut meae, et proximorum meorum in Te charitatis nunquam ſit finis.

Compendium operis.

Ad majus Charitatis augmentum.

CON-

CONSPECTUS

Operis, et praecipuarum materiarum ejus.

INTRODUCTIO.

Occaſio, ſcopus, et partitio operis. pag 1. quaerentes ſufficientiam *attritionis ſervilis* in ſacrmto paen *eam* in quatuor aetates diſtribuimus, *ante Tridentinam: ſub Tridentinam: poſt Tridentinam* uſque ad decretum Alexandri VII 1667: *ab hoc* uſque ad *noſtra tempora*: docebimuſque, *opinionem ſervilem* nunquam fuiſſe *moraliter certam*, nec proinde in ſacrmto ſufficientem. 3. Scholaſticorum auctoritas tanta, quanta eorum ratio. 2. Stilus diſſertativus eſt SS Patrum. 4. Media aſſequendae veritatis. 6. Notio charitatis praedominantis. ibi.

Caput I.

Ætas ſerviliſmi ante Tridentina. Veteres nomine *attritionis* initiali *charitate animatum dolorem* intellexerunt. 10. Ideo veteres omnes partim initialiſtae, partim contritioniſtae fuerunt 11. Cathalogus initialiſtarum. 13. qui negant attritionem *ſervilem* in ſacrmto poen ſufficere 18. inter quos Angelicus luculentiſſime 10. et D Seraphicus 23. In id ipſum conſpirant SS Patres 33. Et qui imperfectam vivificationem animae exemplo Lazari requirunt. 32. quae explicatur. 33. charitas non natura ſua, ſed ex gratia juſtificat. 37. Deus non omni charitati promiſit juſtificationem. 38. go non omnis charitas juſtificat extra ſacrm. ibi.

Antiqui contritioniſtae premunt adverſarios, non nos. 39. refugium ad publicam paenitentiam praecluditur. 40. illuſtrantur dicta ex ſcriptura a PP explicata. 40. quae requirit veram ex charitate Dei converſionem cum ſacrmto. 41. et ſine charitate nihil nos eſſe docet. 42. Deus nos diligit pro menſura charitatis noſtrae 43. charitaem *ſacrtlem* urget *virtualis*: quam praeceptam docent PP. 43. non ſolum *implicitam*. 45. aut *habitualem*. 47. vel *negativam*. ſed affirmativam. ibidem. quae doctrina immenſum diſtat ab erroribus *Baij* ad omne opus bonum *requirentis* charitatem *habitualem* 49. aut *actualem perfectam* 50. (: confundentis *hanc* cum *initiali*: quae diſtinguere jubet *in forma doctrinae* Gregorius XIII. 53. et agnoſcit Bajus paenitens. ibi) vel talem, quae ſit motivum *intrinſecum* generale omnium virtutum. 53. Quibus erroribus conſenſit Ianſenius, et maxime Queſnellus. 54. nos vero eos et deteſtamur, et refellimus. 55. in amore Dei plures gradus neceſſario diſtingventes. 58.

Expenduntur momenta antiquitatis pro ſerviliſmo. 58. antiqui nomine attritionis *initialem* intellexerunt. 60. ſive timore *ortam*, ſed charitate *terminatam*. 62. Lutherus calumniatus eſt aſſerens, catholicorum opinione ex ſerviliter *attrito fieri contritum* in ſacrmto. 63. quam calumniam mirum eſt a ſerviliſtis probari 64.

In Tridno *initialiſtarum* opinio canonizanda erat, niſi *Tudetanus contritioniſta* obſtitiſſet. 64 at *ſerviliſmi aliquod* tantum reperit *veſtigium* Pallavicinus *in Granatenſi* diſputante 65. igitur opinio adverſariorum nova eſt, et eo ipſo falſa. 67. Nemini fas eſt PP dogmaticas traditiones tranſgredi. *ibi.* Luculentum teſtimonium Echii *timorem ſine charitate nihil eſſe, niſi initium paenitentiae*, 69.

Cap.

Caput II.

Ætas Jub Tridentina. Ex seſs 6 c 6 Tridentini invictum ducitur argumentum pro charitate sacrmtali. *Fons justitiae* est Deus *in se*, et *nobis bonus.* 72. PP Tridni requisiverunt charitatem, ne poenitentia infructuosa esset. 73 charitas *initialis preparatoria ad paenitentiam.* ibi. Concilium secutum est Angelicum, qui charitatem manifeste requirit. 74.

Odium peccati ut offensae. 74. et voluntas non peccandi, nec non firmum ppositum 77. et hc vera conversio charitatem requirit. 75. de sacrmto loquitur Tridnum. 76. dispoo necessaria in baptismo est necessaria et in sacrmto paen. 76.

Dicta confirmantur testimonio Eppi Bossvet, Vega, Viva, Svarez. 77 Tanneri, Dominici Soto. 78.

Charitas *praeparatoria* demonstratur. 79. quae non est perfecta, nec justificat. 80. Angelicus ad sacrm paen requirit hanc charitatem actualem: habitum charitatis praecedentem. 81. amicitia Divina requirit praeviam charitatem. 82. ut et *voluntaria* susceptio gratiae, ac donorum 83. velle amare initialis charitas est. *ibi.* unio mutua fit per charitatem. 84. sola charitas convertit perfecte impium, et vivificat. 86.

Tridnum se clarius explicat sess 6 can 3 ad paenitentiam requirens charitatem. 86. cui praeivit Angelicus docens, *Confessionem non valere sine charitate.* 87. ordinarie charitas non est perfecta, sed tenuibus initiis succesive crescit. 88. notitio initialis charitatis: 88. et *perfectae* in motivo propter se, et voluntatis intensione sitae. 89. dilectio solius justificatoris reiicitur. 90. charitas sacramentalis evincitur ex errore Protestantium. 91. ex catheciſmo Romano Tridnum explicante, ibi. et rationibus Theologicis. 92.

Habitus charitatis recuperari nequit sine actu charitatis, sicut Fidei, et spei Habitus. 93. reiicitur disparitas Turnelii. et P Viva. 93. Frustra asseritur, charitatem actualem supleri ipso sacrmto. 95. Turnelius Tridnum difficultatibus involuit. 95. et post difficultates motas in dubio mansit speista.

Caput III.

In examen vocatur amor spei.

Turnelius textus scripturae charitatem ad poenitentiam requirentes ad amorem spei detorquet. 98. spes, concupiscentia, et desiderium Dei nobis boni, et in se boni distingvenda sunt. 99. illa sunt mercenaria *servorum*, haec casta sanctorum. 100. cum *illis* mansit Turnelius nullam charitatem requirens. Imo ipsam spem debilitans. 101. cui consentit Antoine *in speculativa.* argumenta hujus refelluntur. 102. ut et Turnelii. 205. qui fatetur, Tridnum nihil definivisse de sufficientia attritionis servilis. 107. igitur in Trid. no nihil praesidii habent adversarii

Imo Tridnum fiat pro charitate. 107. paenitere sicut oportet significat charitatem. 109. PP a Turnelio laudati charitatem exigunt. 110. amor spei nihilo melior est aliorum serviliſtarum opinione. 112.

Sistema amoris spei evertit notionem caelestis beatitudinis. 114. vera ejus idea Deus in se, et nobis bonus. 115. amor *sui* convertit paenitentem ad *suum* bonum. 117. notio Feneloniſmi ex charitate Dei Bonitatem *nobis bonam* excludentis. 118. tali vitio laborat affectus falso S Francisco Xav adscriptus. 119. *Propter retributionem operari* exemplo Davidis est Deum in se, et nobis bonum anhelare. 121. qui est objectum charitatis ut *de praesenti* amatus. 117. et spei *ut olim* possidendus. 119. temporalia sub conditione peti possunt a Deo ut *media* ad vitam aeternam. 120. spem non *informem*, sed charitate aatam inculcant PP. 120. 122. *Spes Turnelii suum* bonum appretiative amat. Convertit paenitentem *ad caelum sibi bonum.* Affectum peccati *negative* excludit. 123. negligit praeceptum continuae virtualis charitatis. 124. et formam *extrinsecam* virtutum charitatem. *ibi.* go *illa* plane miserabilis est. 125. Cui opponimus imaginem verae spei christianae ex incomparabili Merbesio. 125.

Caput IV.

Quod Tridnum ſeſſ XIV Capite III, et initio IV contritionem ſpecificam charitate intiali aatam partem ſacrmti paen declaraverit, colligimus ex hactenus dictis. 127. 2. ex ſcriptura. 123. 3. ex PP. 130. 4. ex ipſo Tridno *ibi.* 5. ex confeſſione, et damnatione Lutheri. 131. et Vicleſi. 133. 6. ex conc Florentino. 133. 7. Teſtimonio Syncronorum. 134. 8. rationibus Theologicis. 134. inpugnatur *contritio generica* a motivo abſtracta. 135.

Tridnum cap III, et IV parte priore agit de contritione *initiali.* 138. patet ex verbis concilii. 139. refellitur evaſio Turnelii, et Antoine. 141. non omnis contritio *ſpecifica* eſt perfecta. 142. ſed ordinarie *initilis.* 143. Hanc negavit Lutherus. 144. Tridnum vero ſacrmti materiam definivit. 145

Quod attritio *ſervilis* viam paret *proxime* ad gratiam *charitatis actualis* in *ſacrmto* neceſſariae invicte colligimus ab exemplo Ninivitarum. 147. *quam* fidus Trdni interpres catechiſmus ejus ad ſacrm paen clare requirit. 151. praeluxerunt SS PP ad juſtificationem extraſacrmtalem charitatem *intenſam* requirentes. 154. go non omnis charitas eſt *perfecta.* 155. textus ſcripturae exponuntur. 156. ex notione charitatis *perfectae* eruitur *initialis.* 157. eoconomia juſtificationis non fit momento, ſed ſucceſſive. 159.

Caput V.

Pars poſterior Tridni ſeſs 14 *cap IVti* erroribus Lutheri eſt oppoſita, qui docebat, timorem *mere ſervilem* eſſe hypocriticum. 161. nec diſtingvebat timorem hunc a ſerviliter ſervili. 162. expoſuit Catholicorum ſuae aetatis ſententiam (: quae noſtra eſt:) quod timor *diſponat ad contritionem.* 162. in quo tamen Haereſiarcha deſertus eſt a *ſuis* noſtram ſententiam ſequentibus. 263.

Ex multiplici *turpitudine* peccati, quae ſanctitati Dei opponitur, *ad charitatem* pertinet, et dolor *de ea* ſufficit in ſacrmto paen. 165.

Timor *ſerviliter ſervilis* malus eſt propter *poſitivum* affectum ad peccatum. 166. *mere* ſervilis bonus eſt: qui *affectum ad peccatum reprimit, et negative* excludit. 169. 171. at in ſacrmto neceſſaria eſt excluſio *poſitiva.* 172. ideo timor mere ſervilis ut ut bonus, in ſacrmto non ſufficit. 175. timor in *amorem ſui* fundatur. 177. diſponit ad charitatem actualem. 179. ut omnes aliae virtutes inferiores. 181. contraria vitia excludendo *parant locum CHARITATI negative* 182. *QUAE* eſt radix, ac forma virtutum extrinſeca. 184. et ſine qua virtutes *inperfectas* habent PP. 185.

Timor *initialis* affectum peccati *poſitive* excludit. 188. converſio initialis in ſacrmto paen neceſſaria ex PP. 189. et rationibus. 190. Timor ſervilis non ſufficienter convertit ad Deum. 192.

Charitas initialis debet eſſe *praedominans affective*, non *effective.* 195. non neceſſitat ſive in ſiſtemate Thomiſtarum. 165. ſive Auguſtinianorum. 196. Bene vero in ſenſu lanzenii. *ibi.* Gratia efficax Auguſtinenſium explicatur. 197. Molinae inpugnatur. 198. Gratia ab intrinſeco eſt *congrua.* ibi. Praedominium charitatis actualis explicatur. 199. non omnis charitas eſt praedominans 200. affective ſuper omnia omnibus praecepta. 201. non eſt onus grave, quin omnia praecepta levia facit. 204. omnis morum corruptio ex defectu ejus. 205.

Igitur timor ſervilis ad juſtificationem *diſponit remote* mediante charitate actuali, quam introducit. 206 illuſtrantur dicta ex Pallavicino. 208. amoris *benevoli non ſuper omnia* ſufficientia rejicitur. 209. Tres opiniones in concilio. Contritioniſtae ſat clare rejecti. 210. Serviliſtarum aliquot tantum veſtigium. 211. Caeteri initialiſtae erant. ibi. Catalogus PP Tridentinorum initialiſtarum. 213. ſolvuntur argumenta Tyrnavienſis ſerviliſtae. 217.

Tridnum ſerviliſtis nec favit, nec favere potuit. 219. ſed veritatem antiquam declaravit. 220. Contra Lutheri errores, cujus teſtis eſt Kemnitius. 221. Notatur Francolinus 222. ut injurius in concilium. 223. et ſcandalo occaſionem praebens.

Tertia Epocha ſervilismi a natali ſuo usque ad Alexandrum VII. Parentes ejus Franciſcus Victoria, et Dominicus Soto: Mater *Ignorantia.* 225 Nutrix Melchior Canus. 226. et Vega. 227. adoleſcentia timida. 228 Svarez pro praxi initialem contritionem neceſſariam docet. 230. cui plures Patroni ſervilismi junguntur. 231. notantur, et ſolvuntur nimiae criſes Francolini. 232. Antonius Arnaldus nequit certo dici janſeniſta. 238. nec Epiſcopus Caſtorienſis in Lib *amor paenitens.* 240. doctrina initialiſtarum de charitate praedominante. Ornatu Eccleſiarum. elemoſinis. 241. de ſodalitatibus. de cultu imaginum, et SS. 242. ipſe cultus Deiparae ad charitatem referendus, ne ſit inperfectus. 243. ita et externa pietatis ſigna charitate animanda. 244. et vitae emendatione. 245. ſecus deluſoria erunt. 246. doctrina neceſſaria de Roſario. 244. Amor paenitens excuſatur ab erroribus. 247. Compendium doctrinae noſtrae *amor praedominans*, et *virtualis* ex binis charitatis Magiſtris D Franciſco Sal. et Auguſtino exhibetur. 250.

Attritionis *adulta* aetas oppido audax: 251. Alexander VII a 1669 prohibet cenſuras. ibi. agnoſcitur utraque opinio probabilis *extrinſece.* 252. refellitur evaſio P Lacroix, et P Viva. 253. dicta firmantur doctrina *Lovanienſium* a 1677 a cenſura adverſariorum abſoluta. 254. metus, aut error non ſuplet charitatem. 255.

Caput VII.

Multitudo attritioniſtarum non facit moralem certitudinem. 256. Initialiſtae *poſt Tridentini* nobiliſſimi. 257. Quos inter eminent D Carolus Bor 258. Card Toletus. Pallavicinus. Bellarminus. 259. Monilianus metum *in amore ſui* fundari afferens. 260. et Denhoffius charitatem praedominantem, ac intenſam perſe juſtificantem pulchre explicans. 260. Iacobi Benigni Bouſſvet pro charitate ſacramentali ſtudia. 260. Cleri Gallicani declarationes. 262. vindicantur ab objectionibus Tyrnavienſis. ibi. Epiſcopi cuſtodes traditionis. 263. Univerſitas Pariſienſis ſacramentalem initialem charitatem clare docet. 264. accedunt Ritualia. ibi et numeroſa particularium Doctorum cohors. 265. ergo ſententiam initialis charitatis *eſſe contra omnes Theologos*, et *contra Tridentinum* temere afferit de Lugo. 265. cui opponuntur illuſtres Ieſuitae initialiſtae. ibi. quin ipſe de Lugo charitatem ſacramentalem clare docens, et probans. 266. alii copioſi initialiſtae recenſentur. 268. quibus conficitur filum traditionis piae ſententiae uſque ad noſtra tempora. 271. et moralis certitudo ſerviliſmi ſus deque vertitur.

Caput VIII.

Conſentit nobis Graeca Eccleſia. 272. apud eos integra eſt doctrina de ſacrmto paen. 272. nec id Nectarius abrogavit. 273. ſed de paenitentia *publica quaedam* duntaxat immutavit. 274. Graecis contritio charitate animata nſaria in ſacrmto paen. 275. Id quod doctiſſimus Theologus Graeco Catholicus Stephanus Papp, hodie Monaſterii Balasfalvenſis Praepoſitus evincit 1 auctoritate SS PP Graecorum. 2. Doctiorum ex Graecis. 276. 3. ſacrorum librorum ſuorum. 277. 4. ratione. 5. praxi ſuorum. 278. Ergo certitudo attritionis ſervilis hinc quoque nutat. 279.

Auctoritas ſcholaſticorum non plus probat, quam rationes, quas adferunt. 280. qui libri legendi? ſcriptura, PP, eorumque diſcipuli, ad charitatem manducentes. 281. nequaquam ſcholaſtici, ſed Eppi ſuarum diaceſium Doctores ſunt. Scholaſticorum officium eſt, Doctrinas Eccleſiae ex ſacris fontibus in clara luce collocare. 283

Rigor hodiernae Graeciae confundit facilitatem noſtrorum circa imponendas ſatiſfactiones. 285. Canones paenitentiales diſcendi, ut *ſpiritum* eorum ſequamur. 286. nefas eſt paenitentiam *congruam* ad purgatorium differre. 287. *quam* non ſuſcipiens abſolvi nequit. 288. nec praetextu indulgentiarum. quae *in ſuplementum infirmitatis humanae* conceduntur 289 poſſimum paenitentiae medicinales ommitti nequeunt. 289. remedia contra pravos habitus. 290 examen particulare. 291. Qui ante *emendationem* abſolvi nequeunt 292. defectus congruae ſatiſfactionis provenit ex parte paenitentium. 294. et Confeſſariorum. 275.

De ſpectaculis, choreis, et promiſcua utriuſque ſexus converſatione mens SS PP. 295. et mediae aetatis doctorum. 296 occurritur excuſationibus. ibi. conditiones ſaltus, et ſpectaculorum. Regula generalis de converſatione promiſcui ſexus. 297. ſponſis ipſis nihil eorum licet, quae mentis, et corporis integritati inimica ſunt. 298. naturaliſmus breviter perſtringitur. ibi. ad Hungaros allocutio. 299.

Caput IX.

Notio charitatis magnifice pingitur 1 ad cor 13. 301. ubi de *actuali* eſt ſermo. ejus definitio. Objectum materiale, et formale. 302. proximus amandus propter Deum, ſecus erit amor naturalis. 308 amor Dei, et proximi inſeparabilis. 308. ſigna defectus charitatis Dei. 309. Qualitates ejus. *ibi.* opera charitatis alia ſpiritualia, alia corporalia 310.

Grandis eſt obligatio divitum elemoſinas *ex juſtitia* faciendi. 310. longe autem major clericorum. 311.

Falſum eſt vix inveniri ſuperflua. 311. vitia bonis ſuperfluis inimica. 312.

Correctionis *Fraternae* neceſſitas, et conditiones. 313

Notio dilectionis *noſtri* evangelicae in charitate praedominante ſitae. 314.

Objectum materiale charitatis ſunt omnes perfectiones Divinae adaequate ſumptae. 315 Dei *in ſe*, et *nobis* boni copulative. 316. excludendae hipotheſes Divinis promiſſionibus contrariae, et alii deſultorii affectus. 317.

Diſtribuitur charitas in perfectam, et initialem. 317. ad illam non requiritur intenſio *ſenſualis*, ſed voluntatis rationalis 318. nec intenſio *humanitus ſumma*. 219. nec ſufficit appretiatio ſpeculativa. 320. ſed intenſio practica aliis amoribus major. 321. Quae SS PP eſt ſententia. 322. potiſſimum Auguſtini charitatem perfectam ab imperfecta diſtingventis. 323. adminicula eliciendae perfectae charitatis. 325. (: gravis neceſſitas extirpandi reliquias veterum pravorum habituum. 326. de colaphzatis. ibi. media contra tentationes. Regulae in dubio an quis conſenſerit peccato. 327. conſolatio tentatorum. 328.) Angelicus Doctor ſtat pro intenſione charitatis. 329. quae porro colligitur ex natura charitatis praedominantis. 330. ex Tridentino. 331. et catecheſi ejus. ibi. (: catechiſmi hujus auctoritas, neceſſitas, utilitas proponitur ibidem:) ex doctrina PP: qui ad peccatum majus majorem requirunt contritionem. 333. Loca ſcripturae in contrarium afferri ſolita loquuntur de *effectu*: vel de *intenſa*. 334. et hac momentanea charitate. 335. amat Deus initialiter contritum, odit in eo habituale peccatum. 335.

Ex variis gradibus charitatis eruitur initialis. Nam ex Auguſtino charitas *concepta*, et *nata* ante, quam fuerit *nutrita*, et *roborata*, non eſt perfecta. 336. idque colligitur ab exemplo Cornelii Centurioris. 337. Magdalenae. ibi. Pauli Apoſt. 338. Auguſtini. 339. et ratione evidenti Nam omnium actionum initia ſunt imperfecta. 340. ita et charitatis Teſte Auguſtino. 341. et Angelico 342. charitas orando, et conando perficitur. 341. Lutherus noſtram ſententiam ſugillans teſtimonium dat eam fuiſſe communem

ſui temporis Catholicorum Doctorum. 343. ſigna perfectae charitatis. 343. Quantumvis perfecta videatur charitas, peccata clavibus ſubjicienda ſunt ante communionem, aliaque ſacramta. 347. Solis Curatis exceptis copia confeſſoris deſtitutis, et celebrare neceſſitatis. Qui conari debent ad perfectam charitatem: 345. Euchariſtia per accidens non juſtificat impium: ſed bona fide accedens non peccat. 346.

Sacrmtm paen cum initiali charitate (: quae eſt caracter novi teſtamti:) eſt jugum ſuave. 347. Serviliſtae ad vetus pertinent. 348. Onus Iudeorum confeſſionis oralis. 349. cum perfecta charitate 350. graviſſima mala ex attritionis opinione. 350. ejus, ac aliarum laxitatum origo Teſte Terillo. 351.

Cum initiali charitate in caſu neceſſitatis *conantem* negamus perire. 352. ex adverſo nec adverſarii negant, perire cum ſolo timore, aut ſpe informi. Igitur utriſque *conatum* ad perfectam charitatem inculcamus. 353.

Perfecta charitas non eſt neceſſaria *ſacrmto*: non officit tamen. 354. quin debet conciliari cum ſacrmto. 355. Ejus opinio refellitur. 355. Perfecta charitas perficit ſacrmtm. 356. baptiſmalem tribuens innocentiam. 357. imo initialis attritio ſaepe in uſu ſacrmti adoleſcit in perfectam contritionem: ex ſerviliter vero attrito formaliter non fit contritus, ſed diſpoſitive tantum. 357. Multorum miſteriorum modos ignoramuſ, rem credere debemus. 358.

Varii modi conciliandi perfectam contritionem cum ſacrmto paen. 1. In contritione perfecta votum confitendi merita Chriſti ſacrmto alligata anticipando juſtificat. 358. 2. in contritione remittuntur peccata *auctoritative*: abſolutione eadem remiſſio confirmatur *judicialiter*, et miniſteriaiiter cum aumento gratiae ſanctificantis. 359. 3. perfecta contritio juſtficat ut materia ſacramenti, etſi non neceſſaria. 360. 4. Perfecta contritio (: non ex ſe, ſed ex miſericordia Dei remittens peccatum. 361.) operatur intuitu ſacrmti in voto habiti. 362. Sacrm in re eandem juſtificationem confirmat, et auget. Igitur *ſacrm* etiam in caſu praeviae perfectae contritionis neceſſarium *in re* eſt. Peccata contritione deleta ommiſſo ſacrmto non redeunt, ſed novum committitur. 364. Verus ſenſus abſolutionis ſacrmtalis. 366. ſacrm paen in re non eſt affentialiter *mortuorum*. ibi.

Caput X.

Rationibus, Theologicis firmatur charitas ſacramentalis. 1. Charitas jure naturae cunctis praecepta. 366. paſſim negligetur, niſi cum ſacrmto conjungatur. 367. Vana hic ſunt adverſariorum ſupterfugia, quia nuda aſſerta. 368. 2. ut Chriſticidium, ita nullum peccatum remittitur ſine charitate. 369. 3. Ex inimico amicus fieri nequit ſine charitate. 370. 4. Vitiis admiſſis contrariarum virtutum amor in ſacrmto neceſſarius. 370. Sufficit tamen eas amare *in fonte juſtitiae*. 371. 5. Peccator non eximitur ab amando Deo. 372. Imago *paenitentis attritioniſtae* urget charitatem. 373. 6: effatum SS PP: *Paenitentia fera raro vera* evertit ſerviliſmum. 373. Charitatem ſacrmtalem conſtabilit. 374. quam urgent PP. ibi. 7. ex quorum doctrina pro impio, qui Deum nunquam amavit, et poſt ſervilem paenitentiam ſtatim moritur, non invenimus caelum. 375. 8. Pacta baptiſmalia in ſacrmto paen ex doctrina PP renovanda urgent charitatem. 376. 9. converſio vera, et perſeverans fit ope charitatis. 378. Amicitia Divina, ut mundana, ordinarie firma, et permanens eſt. 379. timor inconſtans eſt: quia non tollit, ſed tantum *reprimit* peccandi voluntatem. 380. 10. Idea juſtificationis evangelicae. 381. et exemplum primorum chriſtianorum hodiernae corruptelae oppoſita ſuspectam reddunt noſtram juſtificationem. 382. Fruſtra dicitur PP. per auxeſim fuiſſe locutos. 382. ut PP, ita nobis una debet eſſe Theologia aſcetica, concionatria ſcholaſtica. 383.

Quam-

Quamquam relapſus illimitate non ſit ſignum invalidae abſolutionis. 384. proinde abſolvi poſſint relapſi Curati ad celebrandum arctati, nili prius confeſſarium decepiſſent: et in *articulo mortis* conſtituti. 384. (: *ex his* abſolvi debent repente obmuteſcentes ſi petant ſignis: poſſunt ſi petant vita prius chriſtiana. 385. quin et ſcelerate antea viventes catholicos probabile eſt, abſolvi poſſe ſub conditione. 386.) extra tamen hos caſus habituatorum, et relapſorum paenitentia anxie dubia eſt. 389. ideo ex *antiquo habitu*, ſive ex *veteri nequitia* relapſos ante *certam ſpem* emendationis abſolvi negant PP antiqui, et mediae aetatis. 388. Talibus abſolutionem exitialem eſſe docentes. 389. ac fomentum omnis corruptelae. 390. etiam ſi quidam eorum diſciplinam abjiciant. ibi. Praemiſſi abſolvi nequeunt, ut ut cum lacrimis ſerio, et ſincere ſpondeant emendationem. 391. Nec poſt *aliqualem* conatum emendationis. 392. Nec etiamſi minuant numerum peccatorum. ibi. Pro conſvetudinarii habendi ſunt, qui in binis, terniſque confeſſionibus *eadem* gravia adferunt. 394. vel etiam in praxi, qui *cito alia* diverſa mortalia. ibi.

Ex occaſione proxima peccandi facienda eſt remota. 395. ſi omnibus tentatis emendatio non ſuccedat, ante abſolutionem tolli debet occaſio *voluntaria*. 396. quin et *neceſſaria* quoquo modo; in gravioribus tamen caſibus conſulto Epiſcopo. 397. idem dicendum de occaſione *reſpectiva*. 398 nec non de ea, quae *raro* evenit, ſemper tamen peccatum generat. ibi. Firmantur dicta ex Apoſtolo ad Galatas 5 10. ibi.

Cathalogus differendorum ex Card Grimaldi Aquenſium ArchiEppo. 398. ubi de non ſolventibus debita. De domibus noxiis, luſoribus. 399. de choreis. De vitiis educillatorum, de nudis pectore. 400. De artibus periculoſis. Scandaloſis. complicibus. Ignorantibus. de Eccleſiaſticis. de uſurariis. 401. (: juſti tituli lucri, et uſurarii enumerantur. 403:) de Barbitonſonibus. 404. Ex ſinodo Gratianopolitana, et Farſenſi. ubi de Sacerdotibus quoque differendis. 405. ex ſinodo Ceſenatenſi. ibi de otioſis, et negligentibus. 405. utilitates dilationis. 406.

Omnia complexus eſt Peregrinus Apoſtolicus Pius VI Hom Paſch Vindobonae dicens: *Vere non reſurgit, qui adhuc permanet, ubi mortuus fuerat: neque qui in id amat recidere, unde ſurrexit. Eos tamen, qui per fragilitatem ſaepe in multis offendunt, frequenti oportet contritione, et abſolutione reparari.* 407. Abſolvendi item ſunt habituati *extraordinaria* converſionis ſigna adferentes. ibi. etſi contritio initialis cum ſacrmto quemvis impium juſtificat, ordinarie tamen *habituati cum initiali* charitate differendi ſunt, donec charitas conſolidetur, ne juſtitia exponatur morali periculo proximae deſtructionis. 408.

Differendi quoad *abſolutionem* multo magis differendi ſunt quoad *communionem*; ad quam PP requirunt *probatam* vitae emendationem. 408. Vetus diſciplina, omnium mortalium reos diu arcebat a communione. 409. Cujus diſciplinae *ſpiritus* erat *emendatio* paenitentium. 410. go graviorum rei ante emendationem ad comunionem nec hodie admittendi. 411. Tales ſunt omnes quos abſolvendos negavimus. Recenter, et imperfecte converſi. 411. Habituati. et relapſi. 412. Mox poſt peccatum moraliter. 413. Ab impuritatis phantaſmatibus non purgati. 414. doctrina Emerici Bonis S Ignatio ſincroni. 414. Confeſſarii molles ſunt cauſſa tot relapſuum. 415. in talibus ſvavitas ſpiritus non eſt a Deo. nec praetextu vitandi crebriores lapſus admittendi. 415. Etiam ob venialem culpam multi repelli poſſunt. 416. Qui digni comunione? in quibus amor Dei dominans amorem ſui exſtinxit. 416. Amor ſui praedominas fructum Divini epuli impedit. 417. eſt cauſſa relapſuum. cor diviſum non impletur gratia. 418. Praemiſſis fundamentum tantum vitae chriſtianae, non perfectionem ad comunionem exigimus. 418. ut *remotam* diſpoſitionem ad mentem SS PP. 418.

Caput XI.

Praecipua mollioris ethices christianae principia refelluntur ex doctrina PP. Iuste differendi absolvi nequeunt, ne exasperentur. 421. Aut ne damnationis periculo exponantur. nec exemplo Christi. nec pptr gratiam Sacrmti. ibi. nec is, qui bona fide cum casu reservato ordinarium confessarium accedit. 422. Ubi agitur de casibus reservatis in genere, et in specie singuli hujus Dioeceseis exponuntur. 423. Non tam multi sunt Haeretici materiales, ut benigniorae volunt. 424. De peccatis conjugum. sola causa *prolis*, et *reddendi debiti* obligatio ex mente PP culpa in conjugibus vacat veniali. 425. Ostenditur damnatio liberorum Murariorum. 427. Vanus est timor infamiae in *dimissis*. 428. Nec absolvendi *hi* praetextu comunionis Paschalis. *ibi.*

Praxes facilitandi dimissos: 1 concorditer agendo. 428. 2. Non dimittantur jejuni. ibi. allocutio dimittendi. 429. Modus agendi cum tentatis. cum lente progredientibus. ibi. cum abjicientibus disciplinam. 430. Cum magnis peccatoribus. 430.

Differendi absolvi nequeunt praetextu ignorantiae. 431. Ius naturae ignorari nequit. quo referuntur actus disponentes ad venerem. ibi. et blasphemiae. 432. Ignorantia juris positivi non excusat, si sit 1 ex neligentia. 2. circa status officia. 3. Sine quibus nequit actus ponendus debite fieri. 432. Ignorantia, quam caussavit culpa, non excusat a culpa. 433. Habituatus ante retractationem habitu peccat in iis, quae inconsiderate ex habitu evomit. 433. Mens Angelici, et Augustini hic clarissima. 433. 434. Agitur de *pollutionis* variis caussis: et quando sit peccatum. 434. Vindicantur peccata ignorantiae. 436. *Opus* ex errore invincibili culpa caret, sed si materialiter malum sit, meritorium non est. 436. Commentum duplicis legis Divinae refellitur. 439. Errantes omnes illuminandi, etsi praevideantur non suscepturi veritatem. 438. Nec hic Augustinus est contrarius. *ibi.* gravissima absurda ex contraria opinione. 439. solvuntur objectiones. 440.

Praxis agendi cum eo, qui amisit jus petendi debiti. 441. Cum contrahente matrim post votum simplex castitatis. *ibi.* cum sponsa impedimento dirimente ligata. ibi. quid si haec contemnat salutare consilium. 442. Praxis revalidandi matrimonium nulliter contractum. 442. Nefas est reddere debitum in matrimonio certo nullo. 442. Modus hic evitandi copulam. 443. exequendi dispensationem: et obtinendi novum consensum ab ignorante verbis, et facto. 444. monitum ad Pastores de instruendis ignorantibus, praecipue sponsis. 444. Modus materias praedicabiles facile inveniendi ordine tractatuum Theologicorum. 445.

Caput XII.

A temporibus eliciendae charitatis evincitur necessitas charitatis sacrmtalis. Actus charitas elici debet 1 circa auroram usus rationis. go et in usu sacrmti paen. 446. 2. in articulo mortis. 447. 3. Dum insigne a Deo accipimus beneficium. ibi. Gratia agendae paenitentiae maximum est beneficium. 448. 4. Dum Deum offendi videmus. go et postquam nos offendimus. 448. 5. tenentur justi, ne labantur, et ut mandata Dei observent. 449. Mandata Dei gravia sunt timori, dulcescunt charitate. 450. ita et paenitentia. 451.

charitas actualis necessaria ad sumendam cum fructu eucharistiam. go et ad sacrmtum paen. 452. Opinio Tirnavienſis de sufficientia charitatis habitualis ad digne sumendam euchristiam propriis armis refellitur. 451. Rationes pro *actuali* charitate Turnelius non multum urgere affirmat. 453. Nos evincimus ex scriptura. 454. ex PP. 455. ex conciliis. 457. Duplex dis-

diſpoſitio diſtingvenda: *remota* in immunitatè a peccato gravi, *proxima* in fervore charitatis ſita. 458. hanc urget decretum Innocenti XI de frequenti comunione, *ibi.* Affectus ad venialia impedit fructum Divini epuli, ſi PP credimus. 459. Venialis peccati effectus triſtiſſimi. 461. Inſignis doctrina eam in rem Thauleri. 462. Peccati venialis periculum. 463.

Angelicus Doctor fruſtra trahitur in contrariam ſententiam: qui unice negat impediri fructum caeleſtis menſae *per naturalem diſtractionem* mentis *ex negligentia levi admiſſam.* 464. caetera actualem charitatem requirit. 464. Potiſſimum in piiſſimo officio corporis Chriſti a ſe compoſito. 465. Solvuntur objectiones. 466. Sacramta operantur facta praevia debita diſpoone. ibi. Veniale eſt obex *negativus* augmenti gratiae. ibi. non omnis juſtus *proxime* ſt dignus menſa Divina. 467. Ab infantibus ad adultos in nullo ſacramto valet pearitas. 468. Ordo infantibus collatus validus eſt, etſi hodie illicitus. 468.

Notantur ſine praeparatione proxima celebrantes rejectis eorum excuſationibus. 469. Enumerantur ex Morbeſio impedimenta fructuoſae communionis. 470. adjumenta ejuſdem 471. Diſtorti fines celebrandi. 471. Malevocatis ſacerdotibus vae intonat Doctor Seraphicus. 471. Miniſteria ſacra obire *principaliter* ob lucrum temporale Simonia eſt. ibi Diſtorti fines communicandi in ſecularibus. 472. Fines, et intentio recta Miſſae, et communioni praemittenda. 474. Deſiderium unionis cum Chriſto. 473. Ex Cajetano euchariſtia tamdiu gratiam cauſſat, quamdiu ſpecies manent in ſtomacho, ſi accedat debita gratiarum actio. 476. Praxis ejus. 477. Praeparationis proximae praxis. 478 Affectus *generales miſſae.* ibi. tam Sacerdotiabus, quam lajcis neceſſarii. 479. affectus *ſpeciales.* 479. Cuivis actioni Miſſae reſpondentes, et earum ſpiritum explicantes. 480. Analyſis Dominicae orationis. 483. Affectus poſt miſſam neceſſarii. 485. utiles. 486. Dicta Sacerdotibus applicari debent et laicis. 487.

An frequentius, vel rarius celebrandum? notabilis doctrina S Bonaventurae. 487. Tepidi judicium ſibi manducant. 488. ſolvitur objectio ex V Beda. *ibi.* Fervidi charitate frequentius celebrare debent. 489. Qui ſoli digni euchariſtia. ibi. Primi chriſtiani quotidie communicabant, quia pleni charitate. 489. Quorum ſpiritum ſacerdotes potiſſimum aemulari debent. ibi. digne tamen ſemper. 490. Per charitatem praedominantem. ibi. Non obſtante ariditate. 461. ſi tamen hi charitatis ſtudioſi ſint. ibi. Si non es diſpoſitus, conare ad charitatem. ibi. ſed charitas, quam exigimus, ſit vera, operoſa. 492. Doctrina Avilae de dignis, et indignis. 492. qui non proficiunt ſpiritu, arcendi a ſacra menſa. 493. Icon veri chriſtiani, et ſacerdotis. 494.

Caput XIII.

Proſecutio paritatum a temporibus eliciendi charitatem ad charitatem ſacrmtalem. 495. Diebus *feſtis*, et *Dominicis.* ibi. Praeceptum ſabbathi ſanctificandi eſt naturale, et Divinum. ibi. ſanctificatur charitate. 496. Fideles miſſam audientes ſunt offerentes. et oblatio. 497. Igitur niſi charitate flagrent, ludeos imitantur. 498. Sacrificium Miſſae eſt latreuticum, gratiarum actorium. 501. propitiatorium. ſatiſfactorium, impetratorium. omnes hi tituli amorem noſtrum exigunt. 502. Praxis miſſae devote audiendae. 503. Comendatur communis populi cantus. ibi. privatim orandum meditate. ibi. In feſtis confiderandum *auxilium*, et *exemplum* ſanctorum. 504. Dicta firmantur doctrina Seraphici, et Angelici. ibi. Conſonant concilia. 505. et lex diaeceſana B Eppi Baytai. ibi. Praemiſſis non retrahimus populum a miſſae ſacrificio, ſed digne accedere docemus. 506. Nullum eſt hoc arg: *non fit,*

go non tenemur. ibi. Ecclesia adeunda cum initiali charitate. ibi. Applicatio paritatis. 507. Circumstantia peccati *die festo* patrati est necessario in confessione aperienda. 507.

Ad rite orandum necessaria est initialis charitas. 509. ex scriptura. et PP. 510. quam alte ascendat dignitas orantis. 510. Tres orantium classes. 511. Deus in peccato haerere volentes non exaudit. 512. bene vero converti volentes. ibi. oratio charitatis expers imperfecta. 513. Quam singularis ferus sit attritionismus. ibi.

Caput XIV.

Grandis obligatio omnia opera nostra ad charitatem referendi colligitur ex dictis. 514. Ex scriptura, et PP. 515. non solum virtutes, sed et actiones indifferentes ita referendae. 516. ex praecepto Mosis a Christo confirmato. 517. Iudaeis, Ethnicis, et Turcis noto. ibi. exponitur mens Mosis. 518. Praxes fere Deo devovendi. 521. utilitas imaginum. 522. Frequens usus crucis apud veteres. ibi. Dicta relatio ad consilia retrudi nequit. 523. nec ad Religiosos restringi. ibi non votum, sed charitas facit perfectum. 524. Omnes fideles tenentur esse pauperes spiritu, casti, et obedientes. 525. Charitas praedominans omnibus praecepta. 526 sensa PP. ibi. Svavitas spiritus non facit perfectum. 527. sed voluntatis nostrae ad Divinam *conformatio. quae* est fructus charitatis. 528.

De continuae charitatis praecepto PP antiqui cum recentioribus conveniunt. 528. Angelici insignis doctrina de *continua* oratione, et *virtuali* charitate. 529. Charitas *physice continua* est perfectio patriae. 530. *Habitualis* non sufficit. 531. *virtualis* praecepta. ibi. quae explicatur. ibi. suffragatur Angelicus. 532. quoties repeti debeat charitas, ut influat in subsequas actiones? 532. illustratur exemplis. 533. 534.

Errores Bay, et Quesnelli. 537. qui errarunt excessu. 539 attritionistae defectu. 538. nos media via tutissimi sumus. ibi. illustratur ex scriptura. 537. duplici fide. 538. clara Augustini, et Angelici doctrina. 539. Praeceptum continuae charitatis est svave, et facile. 539. in sensu *accomodo* intelligendum. ibi. ita Deus diligendus, sicut pecunia quaeritur. 540. illustratur ex thesibus Mechlinienses. 541.

Respondetur Tyrnavienſi. 542. etsi datur praeceptum omnia ex charitate agendi, virtutes inferiores *intrinsece* sunt bonae. 542. commentum est, Deum certis tantum temporibus esse diligendum. 543. Falsum est nos in charitate *virtuali* versari continuo non posse 545 Scriptura charitatem continuam inculcans intelligi nequit de *aliquo honesto fine.* ibi. asseritur virtualis charitas continua titulo creationis. 546. Redemptionis. ibi. consentiunt illustres Iesuitae. 547. collectio Tyrnavienſis evertit praeceptum charitatis. ibi. *Inferiores* virtutes merentur vitam aeternam acceden e charitate. 548. quo sensu *illae* nihil prosunt? quo bonae sunt? 549.

Ex nostra doctrina non sequitur, omnia infidelium opera esse peccata. 550. Bajanistarum charitas est *habitualis.* ibi. Nostra *virtualis*, aut initialis. 551. aliae disparitates inter nos, et illos. ibi. Charitas est virtus *specialis*, non *generalis* aliis virtutibus *extrinseca*, non *intrinseca.* 552. quae distinctio solvit censuram Turnelii. 553. cui opponitur Card Laurea. Contenson. ibi. et Berthi. ibi.

Impleri potest hoc praeceptum. 555. Contra quod alii peccant venialiter. 556. (: ingens meritorum seges in charitate continua:) alii mortaliter., qui nempe vitae majorem partem actionum ad Deum non referunt. ibi. Horendae sequelae e contraria sententia. 558. Observatio pro praxi. ibi.

559.

559. Indulgentiae actibus charitatis conceſſae. ibi. Juſtorum leves exceſſus charitatis exercitio minuuntur. 559. eſt perfectio viae. 550. Actus charitatis neceſſarii ad ſalutem. 560. privatae cenſurae contemnendae. 561.

De ſanctitate viae falſae ideae. 561. ea conſiſtit in continua charitate. 562. eam commendamus ut dulcem, et facilem. ibi. ex quibus conſit, mortaliter lapſos differre non poſſe contritionem. ibi. citm paenitentiam urget ſcriptura, PP. Theologorum Principes. 563. et ratio efficax. 564 Formula actuum fidei, ſpei, charitatis, contritionis, reſignationis in Divinam voluntatem. 564. momenta Cani ſolvuntur. 565. Contritio debet eſſe continua. 568. Circumſtantiae mortaliter agravantes clavibus neceſſario ſubjiciendae ſunt. 568. de furti mortalis quantitate. 569. ſi charitas *continua* eſſe debet, multo magis in ſacrmto neceſſaria eſt. 570. Charitas forma extrinſeca virtutum, ergo et ſacrmti paenitentiae eſt. 571.

Caput XV.

Applicantur dicta ad ſacrm paenit. Sententia initialem charitatem in ſacrmto requirens eſt vere probabilis. 572. Igitur opinio ſervilis non eſt moraliter certa. ibi. go in ſacrmto paen eſt illici a ex ppone 1 Innocentii XI. 573. In ſacrmtis ſequenda ſunt tutiora. 574. extra caſum neceſſitatis quoad ſactmta mortuorum. ibi Illuſtratur exemplis. 575. Ex decreto Alexandri VII in materia *morum* poſſumus ſequi *porbabiliora*: ex decreto Innocentii XI *in ſacrmtis* tenemur ſequi *tutiora*. 577. (: Quid ſit loqui Pontificem ex Cathedra:) igitur opinio ſervilis in praxi ſacrali locum non habet. 578. Illuſtratur conceſſione P Lacroix. 579 Innocentius in hoc non legem Eccleſiaſticam tulit. ſed Divinam explicuit 579

Serviliſtae ut opinionem ſuam ſubducant damnationi innocentii, eam ad dignitatem *moralis certitudinis* propria auctoritate extulerunt. 581. *quae* gratis aſſeritur. 582. Nefas eſt articulos fidei fingere. ibi. Salmanticenſium abſurdum commentum de *tutiorit te* opinionis ſervilis. 583. refellitur. ibi. aliae evaſiones adverſariorum ſolvuntur. 584. Serviliſmus damnatus non eſt *in ſe*, ſed in *alio*, nempe in damnata praxi opinionis probabilis in ſacrmtis. ibi. Satisfit Eſparſae. 585. ex non damnatione ſerviliſmi non ſequitur eum tollerari in praxi. 586. Evaſio P Lacroix praecluditur. 587 ut et Tyrnavienſis. 588 Horremus audire, quod charitas ſacrmto detrimento ſit. 590 multitu[illegible] ſerviliſtarum opponimus chorum initialiſtarum ibi. et claram legem Eccleſiae *in dubiis circa ſacramta tutius eligendum*. 591. Neque hic ignorantia juvat. 592. quin juſte metuere debent attritioniſtae, ne fontem ſalutis obſtruant, et in ipſo ſacrmto peccent. ibi. initialiſtae non ſunt Rigoriſtae. 593. ideo ſerviliſtae initialiſtas Rigoriſtas proclamant, ne caſtra eorum deſerantur, et ut ſoli floreant. 593.

Caput XVI.

Firmatur charitas ſacramentalis ex ultimis fatis probabiliſmi Filiae ſerviliſmi. Natales probabiliſmi, Patre Medina Matre ſerviliſmo. 594 propagatio. 595. nunquam fuit Eccleſiae doctrina. ibi. impugnatur. 596. An primi ejus impugnatores fuerint Ianzeniſtae. ibi. Alexandri VII decretum contra *novum modum opinandi* jugulum petit probabiliſmi. 597. Maxime IV ppones Innocentii XI. 597. Cujus 1 ppoo *de damnato uſu probabiliſmi in praxi ſacrmtorum* ex generalibus theorematibus probabiliſtarum defendebatur. go illa *implicite* damnata ſunt 598. altera ppoo Innocentii *de Iudice probabiliſante* invictum univerſim contra probabiliſmum praebet argumentum. 599. Tertia ppone damnata eſt probabilitas me-

mere extrinseca, *et tenuis intrinseca? talis* est minor probabilitas in concursu probabilioris. go illa damnata est. 600. Adversarii ad eludendam hanc damnationem cuivis miserae opinioni probabilioritatem attribuunt. ibi. triste hujus exemplum. ibi. quarta ppone Innocentii XI de *infideli probabilizante* confixum est hic probabiliſtarum lapis angularis: *qui sequitur opinionem minus probabilem prudenter operatur.* hic ignorantia nequit dici invincibilis. 602.

Ex iisdem pponibus Innocentii XI prostrata manent probabiliſtarum *reflexa principia.* 602. in *dubio de lege* Superior consulendus, vel *tutius* eligendum. 603. *odia paenalia* tantum sunt restringenda. 603. *melior est conditio possidentis* in dubio *negativo*, aut *levi*, praecipue circa *possessiones dominiorum, ac jurium.* 604. Nullo modo in dubio *de lege.* ibi. Eva probabiliſmo nos perdidit. ibi. tristes sequelae *probabiliſmi.* ibi. *qui* per Innocentium XI sufficienter damnatus est. 605. Moderatio Ecclesiae in damnandis ppoonibus. 605.

Vocem Petri Intellexerunt caetus Religiosi adversus probabilismum conjurantes. 685. et Clerus Gallicanus. ejus censurae. 606. *probabiliora*, et *dictis SS PP magis consona* sequenda jubet. 607. probabilitatem mere extrinsecam damnat. ibi.

Studia adversus probabilismum Innocentii XII. Clementis XI. Benedicti XIII. 607. oraculum Benedicti XIV. 608. ex cathedra loquentis. ibi.

Ultima fata probabiliſmi a Clemente XIII in thesibus Avisienſibus 609. censura Romana. 611. ejus testes, ibi. praeter erroneam, et haeresi proximam *de Christo probabilizante*, reliquae, quibus probabilitas tota innititur, omnes damnantur nulla excepta. 612. Prima de *probabiliori* pro libertate etsi in aliquo vero sensu sit certa: in sensu tamen probabiliſtarum stigmatizata est. 613. nam opinio minus tuta longe debet esse probabilior, quam sit tutior. 614. tanto magis notata est opinio minus tuta minus, aut aeque probabilis. ibi. rationes damnationis. 615. occurritur exceptioni, et firmatur damnatio silentio probabiliſtarum. 616. Alterum decretum Clementis XIII confirmantis statuta *contra probabiliſmum* comitiorum Generalium Mantuae 1762 ordinis S Francisci strict observ. 616. unde manifeste sequitur totalis probabiliſmi damnatio. 617. Vocem Petri executio Regio Caesarea secuta est. 617. Auctores probabiliſtae in terris Caesareis proscripti. ibi. ergo causſa finita est. restat sincera obedientia. ejus necessitas. 618.

Ex dictis sequitur 1: nefas esse docere, aut consilium dare ex opinione minus probabili. 619. II. Veritas retinenda, non benignae opiniones quaeritandae. 620. qui sunt magistri prurientes auribus. ibi. quorum triste exmplum est Balam. 621. III. Nefas est absolvere eum, qui opinionem minus probabilem, et minus tutam deponere non vult. 622. quid cum doctis paenitentibus, et in casu valde arduo? ibi. solvuntur objectiones. 623.

Tela contra probabiliſmum intorta conficiunt et serviliſmum. 623. nam utrumque iisdem argumentis impugnatur. ibi. initialiſtae sumus in possessione antiquitatis. 624. Attritioniſtae factae a se reformationis solidas rationes reddere nequeunt. ibi. go semper manent in dubio. ibi. Respondetur confessariis. 625. quivis tenetur scire ex se contritionem elicere pptr varios casus necessitatis· ibi. impedimenta charitatis removenda ex parte Concionatorum, confessariorum. 625. et paenitentium. 624. charitas oratione emerenda. 624. sine amore non fit peccatum. go nec ejus remissio. 624. charitas necessaria cum sacrmto. 625. perfecta distingvenda ab initiali. 626. charitas perfectas reddit omnes virtutes. go et sacrm paen. sensu initialiſtarum, non Bajaniſtarum. 627.

Caput XVII.

Urgetur grandis obligatio propriae ſanctitatis per expurgationem conſcientiae, et igniculos charitatis. Cuncta moribus populi reformandis neceſſaria exhibita ſunt hoc opere. 627. indiculus Concionatorius. 628. Sed ante omnia ſanctitati propriae ſtudendum. 630. quam exigit dignitas Sacerdotalis late deſcripta. a 630. Pro hac gratia *grati* eſſe debemus *vitae Sanctitate.* 633.

Ad vitae Sanctitatem neceſſaria eſt primum *expurgatio veteris hominis.* 633. ad *hanc* proponitur modus facilis *horariae recollectionis.* ibi. ejus neceſſitas. 634. Ejus prima pars eſt *paenitentia de praeteritis.* Ad quam rite agendam *pete Lumen. recogita Dei in te beneficia.* pro iis *gratias age:* diſcute conſcientiam. 635. conſidera peccatorum tuorum gravitatem. 636. Conare ad perfectam contritionem. ibi. Sequitur confeſſio, et gratiarum actio. 637. Altera pars recollectionis eſt *praeſentis ſtatus aae diſcuſſio.* 638. in qua conſidera I vitia tua. II. progreſſum in via perfectionis. 638. et impedimenta triplicis viae. ibi. Tertia pars conſiſtit *in ſeriis propoſitis.* In qua agnoſce defectus tuos. Excita te ad magnos in ſpiritu progreſſus per motiva fervoris. 639. ſtatue pia propoſita. 640. quae illa? ibi. Urgebis deinceps in quotidiana meditatiuncula: Cujus modus proponitur. 640. Uti et examinis particularis. 641. Nec non examinis generalis. 642. comendantur cunctis haec ad *expurgationem* conſcientiae neceſſaria. 643.

Alterum medium aſſequendae ſanctitatis eſt *fervor charitatis.* 643. ejus varia *incitamenta* proponuntur. ibi. praxis inhaerendi. exemplum praxis. ibi. *Igniculi charitatis.* 644. quamquam vero eos purius leges ex ipſo fonte, en tamen eorum praecipuos: varii vocati. Omnes charitati ſtudere debent. quomodo vivendum? excuſationes a vita charitatis refelluntur. 644. Non poſſum duos coelos habere. 645. totus Dei ſum. vocatus ad paenitentiam. Sum prodigium miſericordiae. via ad coelum pati. ibi. Me ſollicitum eſſe oportet de ſalute propria. 646. Veniale quomodo diſponat ad mortale. antidotum contra peccatum. Signa verae vocationis. ibi. aut ſanctus, aut hypocrita. 647. Omnia grandia in Sacerdote. actiones omnes quomodo agendae? ibi. Fructus bonorum operum. 648. tenemur imitari Chriſtum. Orationis aſſiduae neceſſitas. in minimis maximum. dies ſancta. lapides angulares vitae ſpiritualis. cognitio ſui fons humilitatis. ibi. media tuendae caſtitatis. 649. principia Novitiorum. eſſentia perfectionis. ibi. ad quid veniſti. 650. duae alae perfectionis. temporis pretium. quid agendum ſemper. in ipſa tentatione. quae ſuperbia ſit ficta. ibi. Mulier fugienda. 651. lytanias orandi modus. cur poſt tot ppoſita iidem, ut ante ſimus? quomodo ſpiritus facile diſſipatur? ibi. cur difficulter reſurgamus a tepore? 652. quomodo fervor excitandus? praxis miſſae audiendae, et celebrandae. Praxis lectionis ſpiritualis. impedimenta, et motiva fructuoſe legendi. ibi. matutinae generoſae ſurrectionis neceſſitas. 653. matutina intentio. impedimenta ſervoris. induſtriae tollendi ea. induſtriae devote celebrandi. ibi. impedimenta devotae communionis. 654.

Regulae menſae. 654. quantum comedendum? ſignum, quod plus comederis. Regulae modeſtiae generales. ibi. in particulari capitis. oculorum. vultus. oris. 655. Hilares potius, quam triſtes ſimus. 656. perfectionis fundamentum, progreſſus, et culmen. ibi. modus ſpiritualia ſolatia in vita habendi. Omnis dies ſit ultima. ibi. motiva patientiae. 657. Orationis ferventis adminicula. modus martirem fieri ſine ſangvine. via ad caelum pati. quae ſit voluntas Dei? ibi. amor Dei practicus. 658. praxis vitae ſanctae. imago veri Sacerdotis. modus proficiendi aſſidue. ibi. Tranquillitas mentis retinenda. etiam in tentatione. etiam poſt peccatum. 659. pii affectus charitatis pro variis occaſionibus. ibi. Verae devotionis eſſentia. 660. obſtacula ob-

oblivio mundi. quid agendum poſt expurgatam conſcientiam? ibi. Silentii pretium. 661. tentationi venienti aditus praecludendus. afflictionum utilitas. propriae voluntatis mala. tria omnibus neceſſaria. ibi. Modus in ſomno laudandi Deum. 662. ſolatium in calamitatibus. et in morte. in aridicate qomodo ferror impetrandus? optima intentio matutina. ibi. Alphabetum charitatis. 663. Mors ante mortem. gulae fraenandae neceſſitas. ars longaevae vitae. quomodo quaevis dies impendenda? ex timore non ſunt ommittenda ſtatus officia. ibi. dignitas Sacrificii. 664. Vitiis quomodo ad Sanctitatem utendum? qualis diligentia neceſſaria virtutis ſtudioſo? modus taedia in via virtutis evitandi. periculum commodae vitae. ibi. Meritum humilitatis. 665. aſſidua noſtri victoria neceſſaria. tentari utile. ibi. remedium in tentatione. 666. poſt veniale. ac mortale. ibi. cura minimorum. 667. Quae virtus perfecta? ibi. Praeparatio ad orationem. 667. modus orandi. orandum pro populo. facillima ſui victoria. Norma agendorum *Ieſus*. modus vivendi vita Chriſti. ibi. modus fieri affective impeccabilem. 668. aemulandi charitatem Chriſti, et oo SS. ibi.

Temperantiae neceſſitatas. Regulae. praxis. 668. Rectus uſus creaturarum. ibi. Conquieſcendum in eis, quae a Deo accepimus. 669. temporis pretium, et redemptio. ibi. Incertus numerus peccatorum fervorum maxime urgere debet. 670. Venialia diſponunt ad mortale, et ad peccatum reprobationis. ut et tepor. ibi. ejus ſigna. 671. et remedia. Gratiarum ſumma neceſſitas. ibi. horrenda paena eas negligentium. 672. Imago laxorum. ibi. et remedia. 673. Lapis lidius, an inſtinctus ſit a Deo. ibi. Spectacula Deo digna. 674. modus ea exhibendi. ibi. Spectacula indomitarum paſſionum. 670. Reſpectus humani ſtultitia. 675. impietas. ibi. Remedia. 676. Contemtus judicii humani. metus judicii Divini. praxis. Ne noceant homines timendi non ſunt. ibi. praxis. 677. Vivae fidei ad praeſentiam Divinam bona. liberat a variis malis. 677. perducit ad perfectionem. 678. eſt caelum terreſtre patens amanti. 679. mentis diſſipatae mala. ſubtractio ſpecialis Divinae providentiae. 680. intima ariditas mentis. 681. ignis tentationum et calamitatum. ibi. Rogus purgatorii, vel inferni. et haec juſtiſſime. praxis. 682. mentis ad Deum colligendae ſubſidia. cura ſilentii. ibi. Regulae in converſatione. ubique Ieſus in corde portandus. 683. (: Tradita doctrina et ad laicos pertinet, et ad Eccleſiaſticos egentes. periculum cupiditatis. bona paupertatis. quomodo divitiis utendum. 683.) Regulae auditus. oculorum, linguae. 684. occupationum mentem nimium diſſipantium fuga: quales ſunt curarum moles, nimiae activitatis captatio. 685. Nimia feſtinatio, ſollicitudo de eventu. otium. 686. omnes paſſiones. 687. exercitii praeſentiae Divinae natura, neceſſitas. 687. praxis. 688. (induſtriae in ariditate. et tentatione vincenda. ibi.) utilitas. 689.

Fidei neceſſitas. 689. ſed inſufficientia. 690. inter fidem, et mores immenſa differentia. ibi. maximo nobis probro eſt: et in die judicii erit. 691. cauſſae hujus mali caecitas intellectus, et dominantes voluntati paſſiones. 692. remedia. 693. doctrina noſtra moribus probanda. ibi. Dantur, qui niſi fiant Sancti, erunt reprobi exemplo malorum Angelorum, Iudae. 694. et Iuvenis Evangelici. 695. Probabile eſt, te ex eorum numero eſſe ob inſignia Dei in te dona. 696. (: remedium negligentium vocationem. ſigna bonae, et malae vocationis ibi:) Ergo magno fervore ad Sanctitatem connitendum. 698. Temerarium eſt, ſalutem caſui fortuito commitere. ibi. Omnes fideles tenentur ad perfectionem *ſuo modo* conari. 699. Sed Sacerdotes tenentur eſſe actu perfecti: ſecus abjectionem Dei metuere poſſunt. ibi.

Initium Sanctitatis fit plerumque ab inſigni ſui victoria in praecipuo obſtaculo charitatis. 700. quae ſecum fert magnam Dei benedictionem. 701. Excuſationes a vita charitatis refelluntur. 701. Naturae indoles non obeſt Sanctitati. 701. imo prodeſt mutato ſolum objecto paſſionis. 703. Omnis

vi-

vitae ſtatus aptus eſt Sanctitati. 704. ſi non per heroica opera, certe per curam minimorum, et intentionem charitatis. ibi. Regulae in hoc pro illuſtribus. ibi. Nec arduitas laboris excuſat a vitae Sanctitate. 705. in qua non plus requirimus, quam mundus a ſuis. 707. Martyres aut Chriſti, aut diaboli eſſe debemus. ibi. Imo neglectus charitatis infernum vivum parit. 708. Omnium malorum medela charitas. 709. Falſae ideae de tetrica vita charitatis ſtudioſorum. 710. qui vere beati ſunt ob chariſmata, quibus gaudent. 710. nempe claritate intellectus, agilitate voluntatis, ſubtilitate memoriae, et impaſſibilitate. 711. media ea obtinendi. 712. Beati ſunt ob ſolatia, quibus abundant. 713. ſi tamen mundi gaudia contemnant. ibi. Beati ſunt ob ſpecialem Divinam providentiam. 714. Si tamen Divinae ſe voluntati paenitus ſubjiciant. 715. exuta propria voluntate. quae infernum replet. ibi. velle quod Deus vult eſt perfecta juſtitia. 716. et vita Divina. 717. charitatis ſtudioſi beate moriuntur ob requiem a laboribus, et ſpem aeternae quietis. 718. ob teſtimonium bonae conſcientiae. 719. ob vacuum affectibus ad creaturas animum. 720. Talibus aſpectus crucifixi magnum in morte adfert ſolatium. ibi. refugium ad crucifixum in omni tribulatione. 721. Tentationes ſedat. 722. charitatis ſtudioſi non timent mortem. 723. nec judicium. 724. nec infernum, nec longum purgatorium. 724. ſola charitas beatos reddit in vita, et morte. 725. ergo ei incumbendum. ibi. cujus praemium in caelo erit Deus perfecte videndus. 726. perfecte amandus. 727. et hoc in aeternum. 728. ut praemium charitatis continuae. ibi. Notantur attritioniſtae arctantes ſtudium charitatis, et ideam caeleſtis beatitudinis evertentes. 729. Caelum hic inchoandum charitas. 729. Fugiendo quid quid ab ea abducit. ibi. agendo quidquid ad eam conducit. 730. patiendo pro caelo terreſtri, et caeleſti. 721. (: regulae patientiae pro illuſtribus. ibi.) idque perſeveranter. perſeverantiae bona. 732. inconſtantiae mala, et remedia. 733. Finis operis charitatis in omnibus. 734. refelluntur objectiones Naturaliſtarum, Mundanorum. Benigniſtarum. 735. et Criticorum. 736. declaratio de paenitente tacente crimen, quod complex ejus confeſſus eſt.

BIBLIOTECA ASTRA SIBIU